PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LV.

S. LEONIS MAGNI TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER, OU PETIT-MONTROUGE.

1846

SANCTI
LEONIS MAGNI
ROMANI PONTIFICIS
OPERA OMNIA,

POST PASCHASII QUESNELLI RECENSIONEM

AD COMPLURES ET PRÆSTANTISSIMOS MSS. CODICES AB ILLO NON CONSULTOS EXACTA,
EMENDATA, ET INEDITIS AUCTA :
PRÆFATIONIBUS, ADMONITIONIBUS ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA.

ACCEDUNT

QUÆCUMQUE IN QUESNELLIANA EDITIONE INVENIUNTUR EAQUE AD CRISIN REVOCANTUR;

CURANTIBUS

PETRO ET HIERONYMO FRATRIBUS BALLERINIIS,

PRESBYTERIS VERONENSIBUS;

MANUM AUTEM ULTIMAM ADHIBENTE

J.-P. MIGNE,

QUI SUPERADDIDIT

EXERCITATIONES IN UNIVERSA OPERA S. LEONIS MAGNI

AUCTORE PETRO THOMA CACCIARI.

TOMUS SECUNDUS.

PARS PRIOR,

OPERA S. LEONI ATTRIBUTA, NEC NON DISSERTATIONES QUESNELLI
IN SCRIPTA ET VITAM S. PONTIFICIS

CONTINENS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1846.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN PRIORI HUJUS TOMI PARTE CONTINENTUR.

Paris.—Imprimerie de Vrayet de Surcy, rue de Sèvres, 37.

PRÆFATIO.

1. Librum Sacramentorum absque ulla dubitatione omnium antiquissimum, quem primo loco proferimus, Leoni Magno ascriptum, anno 1735 typis dedit P. Joseph Blanchinius tomo quarto Anastasii Bibliothecarii cum hac inscriptione : *Codex Sacramentorum vetus Romanæ Ecclesiæ a S. Leone papa confectus primum prodit e ms. libro ante mille annos conscripto, qui exstat in bibliotheca amplissimi capituli Veronensis.* Non est integer codex, sed mutilus, e quo multa folia initio exciderunt, nimirum a Januario ad medium Aprilem usque : unde ea inscriptio, qua S. Leo papa hujus Sacramentarii auctor seu compilator traditur, non ex manuscripto, sed ex editoris sententia apposita fuit. Hanc quidem opinionem non pauci approbarunt, inter quos præcipue nominamus Cajetanum Cennium in dissertatione *de Romana Cathedra* inserta tomo IV Anastasii Bibliothecarii § 11 et 12, pag. 152, et editores Missalis Parisiensis anni 1739, qui idem Sacramentarium insigni elogio commendantes, profitentur se ex eo sumpsisse *preces plurimas eximiam pietatem spirantes, Magnique Leonis, cui tamquam certo auctori tribuuntur, stylum ac doctrinam referentes.*

2. Alii vero in diversas sententias abiere. P. Joseph Augustinus Orsi ordinis Prædicatorum, pluribus nominibus celebris, ab eodem Blanchinio rogatus, in manuscripta epistola suam opinionem expressit. Ibi autem censet, hoc Sacramentarium esse verum et purum Gelasianum, ita ut illud, quod a ven. cardinali Thomasio editum, et Gelasio attributum fuit, ad auctorem hoc pontifice posteriorem pertineat. Hanc eamdem opinionem propugnavit P. Cajetanus Maria Meratus clericus regularis in observationibus et additionibus ad Thesaurum sacrorum rituum Bartholomæi Gavanti tom. I, part. I, pag. 8. P. Eusebius Amort canonicus regularis Pollinganus in epistola ms. ad P. Blanchinium, Gelasium quidem hujus Sacramentarii auctorem non credidit; at nec Leoni prorsus ascribens, inquit : *Non est opus unius alicujus pontificis, sed est Sacramentarium Romanorum pontificum, usu receptum primis temporibus, auctum tamen et interpolatum per varios pontifices usque ad tempora Gelasii papæ. Specialiter in hoc Sacramentario agnoscuntur manus Sixti III, Leonis I et Felicis III.* Ludovicus Muratorius in dissertatione de Origine sacræ liturgiæ, præmissa operi inscripto *Liturgia Romana vetus*, cap. 3, ad Felicis III ætatem hoc Sacramentarium referendum putat; ita tamen ut ejus auctorem non credat ipsum Felicem III, sed aliquem alium, qui quascumque reperit orationes ac præfationes in unum codicem retulit sine accurato illo delectu et ordine, quem rei gravitas exposcebat. Post hos Blanchinianæ sententiæ defensionem suscepit Co. Jacobus Acamius fusiori opere Italice scripto et Romæ impresso anno 1748, cum titulo : *Dell' antichità, autore, e pregj del Sacramentario Veronese pubblicato dal M. R. P. Giuseppe Bianchini della congregazione dell' Oratorio nel tom. IV di Anastasio Bibliotecario, dissertazione apologetica tripartita.* Tandem vero P. Antonius Franciscus Vezosius clericus regularis in præfatione ad tom. VI Operum venerabilis card. Thomasii, cum in id unum incumbat, ut Sacramentarium ab eodem cardinali editum vindicet; eam solam sententiam refellit, quæ Sacramentarium a Blanchinio vulgatum eidem Gelasio adjudicat. Etsi vero hujus auctorem exactius inquirere e re sua non putavit, notatione tamen 2 in eamdem præfationem eos, qui Leoni illud asserunt, difficultatibus non plane satisfecisse pronuntiat. Hactenus opiniones varias exposuimus. Quid autem in tanta varietate certum aut probabilius nobis videatur, nunc proponemus.

3. Primo certum credimus, hoc Sacramentarium Romanum esse et vetustissimum omnium quæ hactenus prodiere. Romanum, seu Missas continens Romanæ Ecclesiæ proprias, præter alia multa probant ipsæ precum formulæ, quæ sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac sanctorum Joannis et Pauli corpora in ipsa Urbe tumulata affirmant; Missæ in consecratione vel depositione Romanorum pontificum, quarum una expresse est in depositione S. Silvestri cum alia oratione in depositione S. Simplicii (*a*); denuntiationes jejuniorum cum vigiliis sabbati apud B. Petrum; ac mentio cœmeteriorum et locorum Romanæ urbis in quibus sacra peragebantur (*b*), quæque plane concinunt cum illis descriptis in Kalendario Bucheriano, quod Romanum esse omnes consentiunt. Vetustissimum autem omnium demonstrat ipsa collatio cum Sacramentario Gelasiano, quod, uti vulgatum est, aliquot posterioris ætatis additamenta recepit : at in nostro nihil occurrit quod sæculum quintum prætereat; unde hoc nostrum nullas ex illis objectionibus incurrit, quas ad antiquitatem extenuandam heterodoxi Gelasiano perperam obtruserunt. Num vero istud potius quam illud a cardinali Thomasio editum, sit verum Sacramentarium Gelasii, dicemus postea.

4. Certum quoque est, in hoc Sacramentario multa quidem contineri diversorum auctorum; at non pauca ita Leonis Magni stylum ac spiritum præferunt, ut ea ab hoc sancto pontifice lucubrata fuisse probabilissimum sit. Unum haud esse omnium precum et præfationum auctorem, præter evidentissimum discrimen styli, qui in aliis remissior, in aliis sublimior est, multitudo etiam Missarum in aliquot solemnitatibus palam

(*a*) *Vide* ultimam Missam Octob.
(*b*) *Vide* epist. 25 Innocentii I, ad Decentium, cap. 1 (*Tomo XX Patrologiæ*).

facit: neque enim credibile est pro uno eodemque festo tot ac tam diversas Missas et preces ab uno scriptore lucubratas fuisse. In his autem permulta Leoninam scribendi rationem sapere, omnes, etsi de hujus collectionis auctore in varias sententias abierint, unanimiter profitentur. Quesnellus in ipso Pontificali ac Missali Romano quædam Leonina superesse pervidit, quæ ex nostro Sacramentario derivata noscuntur. Monitum ipsius tribus documentis exinde excerptis et post sermones vulgatis ab eo præmissum hoc loco inserimus, cum id quod proposuimus mirifice statuat. *Qui Pontificale Missaleque Romanum paulo attentius legerit, haud difficile deprehendet plurima his inserta legi, quæ Leoninam phrasim dictionemque omnino redolent, ut dubium apud me non sit, magnam eorum partem, quæ vel in officiis ecclesiasticis, antiquarum præsertim solemnitatum, Paschæ puta et Pentecostes, recitantur, vel in sacrorum ordinum celebratione a sanctissimo pontifice Leone I esse composita vel restituta. Inter hæc numerandæ mihi videntur Præfationes quæ Canoni Missæ præmittuntur, nec non et aliæ duæ, quas habet Pontificale Romanum, altera in episcopi consecratione, altera in ordinatione presbyteri. Utramque hic inserendam duximus cum allocutione quadam archidiaconi ad episcopum, quæ in eodem Pontificali jacet, pro reconciliatione pœnitentium. Asserenda hæc Leoni esse stylus ipse clamat. Pro secunda Præfatione suffragatorem habemus eximia eruditione celebrem Henricum Valesium, qui partem hujus Præfationis ex antiquo Pontificali Senonensis Ecclesiæ referens in Notis ad Historiam Eccles. Eusebii Cæsariensis, eam Leoni nostro adjudicat. Revera Leo Leoni non est similior, quam Præfationis hujus stylus aliorum pontificis nostri opusculorum stylo similis est.* Quod generatim affirmat de præfationibus Canoni præmissis, nimium est: quasdam enim Leoni tribui non posse, multis probare possemus. De tribus autem documentis ab eodem selectis facile assentimur. Duo ex his in nostro Sacramentario leguntur; tertium vero in ea parte quæ periit, fuisse insertum nihil ambigimus. Post Quesnellum card. Thomasius loquens de Sacramentario Gelasiano, in quod plura ex nostro traducta fuerunt, adeo Leonem plurium precum auctorem credidit, ut in præfatione non dubitaverit scribere: *S. Leonem Magnum inter alios sanctos antistites egregio huic operi manum admovisse, ipse ejus stylus, qui se homini vel tantillum in ejus scriptis versato illico prodit, aperte ostendit.* Si cardinalis, in ferendo cæteroquin judicio cautissimus, id pronuntiavit ob nonnullas Leoninas, ut videntur, preces et allocutiones, quæ in Sacramentario Gelasiano fuerunt receptæ; quid sentiendum erit ob multo plures Leonem æque, vel evidentius etiam spirantes, quæ in nostro antiquiori Sacramentario identidem occurrunt? Etsi vero non omnia quæ Leonis dictionem præferre videntur, Leonis esse affirmari certo queat; multa tamen ab eodem lucubrata probabilissimum est. Ex his aliqua Muratorius in laudata dissertatione notavit, plura autem Acamius fusius recensuit. Nos præcipua in annotationibus indicabimus.

5. Hujus Sacramentarii auctorem non esse S. Gelasium papam, ad certitudinem quam proxime accedit. Peremptorium enim videtur argumentum Acamii ex ejusdem pontificis decreto *de Apocryphis Scripturis.* Certum præsumimus hoc decretum editum fuisse a Gelasio, uti pluribus confirmabimus tomo tertio. In hoc autem decreto hæreticis tribuitur sententia qua sancti apostoli Petrus et Paulus *diverso tempore* mortem subiisse traduntur: *Qui* (Paulus), inquit, *non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est.* Nostrum autem Sacramentarium *in natali apostolorum Petri et Pauli* præfationem exhibet num. 26, in qua eidem quidem diei, at *tempori discreto* eorum mors affigitur. *Sic dispensatione diversa unam Christi familiam congregantes, tempore licet discreto, recurrens una dies in æternum et una corona sociavit.* Hæc sententia a Gelasio tam aperte reprobata nostrum Sacramentarium ab eodem abjudicat. Si enim hoc opus ipse compegisset ante laudatum decretum, non attribuisset hæreticis eam sententiam, quam ipse in suum Sacramentarium antea recepisset. Si vero post decretum huic Sacramentario manus admovisset, ei non inseruisset sententiam, quam suo decreto tam gravi censura perstrinxerat. Alia argumenta videsis apud memoratum Acamium, et apud Pat. Vezosium. Nobis hoc unum, ut videtur, invictum satis est, quippe quod objectas ab aliis conjectationes apud eosdem satis elisæ nihil debilitant.

6. Non est certum hoc Sacramentarium a Leone nostro fuisse compositum. Rationes quinque uberrime producit Acamius, ut Leoni hoc opus adjudicet: 1° quia in multis precibus ac præfationibus stylus et sententiæ cum aliis certis Leonis operibus concinunt; 2° quia Nestorii et Eutychetis hæreses impugnantur, quas idem pontifex perstrinxit; 3° quia ibidem de Manichæis agitur ad sanam mentem revocatis, aut Roma pulsis, uti sub Leone contigit; 4° quia confutantur Pelagianorum errores circa peccatum originale, et circa necessitatem divinæ gratiæ, contra quos S. pontifex scripsit; 5° quia indicantur Hunnorum irruptio, Vandalica incursio, Urbis depopulatio, aliaque facta, quæ in Leonis pontificatum inciderunt. Omittimus nunc, ex his nonnulla ad aliorum pontificum ætatem posse referri. Hæc enim omnia, etiamsi Leoni congruere credantur, id unum probant, hunc pontificem auctorem fuisse earum precum et præfationum in quibus res ejusmodi designantur. Num vero idem pontifex præter has lucubrationes totum Sacramentarium collegerit atque digesserit, ex his rationibus certo concludi nequit: alius enim Sacramentarii auctor seu collector esse potuit, qui Leoninas ejusmodi preces ac præfationes cæteris inseruerit. Sic non pauca Leonina leguntur inserta etiam in Sacramentario Gelasiano; nec idcirco S. Leo ejus auctor traduci potest. Aliud nimirum est, Leonem plurium precum auctorem esse, quæ in aliquo Sacramentario describuntur; aliud vero eum esse auctorem ipsius Sacramentarii, in quo plures diversorum pontificum preces collectæ et in ordinem dispositæ fuerint.

Ad hæc accedit, nonnulla in nostro Sacramentario inveniri, quæ Leonis ævo posteriora sunt, uti oratio pro Simplicio papa Leonis et Hilari successore, et mentio dedicationis basilicæ S. Stephani, quam ab eodem Simplicio peractam suo loco annotabimus. Adde Missam in vigilia Pentecostes cum jejunio, quod Leonis ætatem ignorasse probare videtur ejusdem sermo 4, de jejunio Pentecostes, seu quatuor temporum post Pentecosten, ubi quinquaginta diebus a Pascha ad Pentecosten *in lætitia præcipuæ festivitatis exactis, ad jejuniorum remedia recurrendum* tradens, integros illos quinquaginta dies jejunio expertes palam significat. Neque vero hic intelligendum est extraordinarium aliquod jejunium a Leone indictum. Cum enim jejunium ejusmodi futurum tempus non obligaret, Missa hæc inserta non fuisset Sacramentario, quod ad usum futuri temporis compactum sit. Potius dicendum esset, Leonem sub finem pontificatus hoc jejunium instituisse; sermones autem, qui hoc jejunium excludunt, ad anteriores annos pertinere. Vel dici posset, hanc Missam, sicut et orationem pro Simplicio, et Missam in dedicatione basilicæ S. Stephani additamenta esse, quæ Leonis Sacramentario posterius accesserint. Sed hæ responsiones valerent quidem aliquid, si hoc Sacramentarium Leonis certo esse aliunde probatum fuisset; uti similes similium objectionum solutiones valent in Sacramentariis Gelasii et Gregorii Magni, quos Sacramentorum libros lucubrasse aliunde liquet. Cum vero aliquot antiqua testimonia suppetant de Gelasio atque Gregorio; de Leone ne indicium quidem. Hoc sane argumentum negativum est : quod etsi non multum fieri solet, ubi argumenta positiva et satis probabilia præsto sunt; ubi tamen argumenta ejusmodi desunt, non modicam vim habet, ut saltem ea probabilis certitudo excludatur, de qua nunc agimus. Si sermo de Machabæis Leonis esset, certum positivum argumentum haberemus quo hoc Sacramentarium ab eodem pontifice abjudicetur : ibidem enim ejusmodi festum non legitur, quod tamen Leonis ætate Romæ celebratum ex eo sermone hactenus creditum est. Sed cum hunc sermonem S. pontifici perperam affictum detexerimus, et idcirco in appendicem amandarimus, nihil hinc elici potest. Duo vero positiva argumenta nostro quidem judicio satis convincentia mox afferentur, quæ non tam Leonem quam alium quemvis Romanum pontificem ipsius Sacramentarii auctorem excludunt.

7. Probabilius nobis est hoc Sacramentarium non fuisse compactum ab ullo Romano pontifice publica saltem auctoritate in usum Romanæ Ecclesiæ, sed privati alicujus hominis fetum esse, qui quascumque invenit preces et præfationes a Romanis pontificibus ac præsertim a S. Leone diverso tempore scriptas, ordine non satis idoneo collegit, et retulit in codicem qui publico usui non fuit. Duæ in id rationes nos movent : prima memoratum Gelasii decretum. Si enim a Leone vel alio pontifice hoc Sacramentarium collectum fuisset, et publica auctoritate in Romana Ecclesia receptum, quomodo Gelasius hæreticis vertere potuisset opinionem de diverso tempore martyrii apostolorum Petri et Pauli, quam eidem Sacramentario a Leone aut alio proximiori prædecessore suo insertam, et in Romana Ecclesia usque ad suum tempus receptam ignorare non poterat? Si vero auctor dicatur privatus aliquis post Leonem vel sub ipsa Gelasii tempora, ita ut hoc Sacramentarium in usu Romanæ Ecclesiæ non fuerit, nihil difficile occurrit. Etsi enim ea Missa in ipso inserta, quæ memoratam sententiam continet, ab aliquo vetustiori pontifice olim prodierit, id tamen latere potuit Gelasium, sicut eumdem latuit, Prudentium aliosque catholicos scriptores eam opinionem fuisse secutos, ut ne hæreticis vertenda fuerit.

8. Altera ratio manifestior est. Magna scilicet precum et Missarum congeries, eaque valde perturbata et pluribus in locis defectuosa, privato quidem homini, qui proprio studio quæcumque invenit colligat, convenire potest : de summo autem pontifice, qui publica auctoritate in solemniorum precum usum codicem Sacramentorum compingat ac servandum proponat, est omnino incredibilis. Esto multorum auctorum sint Missæ in hoc codice collectæ, quæ idcirco diversum stylum, et diversos characteres exhibent, cum tamen unus sit collector, si is fuisset summus aliquis pontifex, qui diversas Missas retulisset in codicem, ut usui publicarum precum diebus solemnibus inservirent, primum quovis mense Missas descripsisset sanctorum, qui in Romana Ecclesia solemni festo colerentur. Dein in quavis Missa tres saltem orationes et unam præfationem etiam posuisset. Ubicumque vero collocasset Missas communes, illas simul junxisset, nec aliis atque aliis Missis intersecasset. Hic enim ejusmodi librorum, cum in publicum usum eduntur, finis est ut quæ Missæ propriæ quovis mense ac die festo dicendæ sint, suo loco facile occurrant; eæque sint integræ cum suis precibus et præfationibus; Missæ autem communes certo loco simul inveniri ac repeti queant. Finge animo quemcumque etiam minus peritum collectorem, qui Sacramentarium publico usu adhibendum sibi proponat, hunc profecto ordinem ac methodum sibi præcipue observandum ac sequendum intelliget. Equidem Sacramentaria quæ a sanctis pontificibus Gelasio et Gregorio digesta sunt in Romanæ Ecclesiæ usum, hunc ordinem et methodum præferunt; et similiter alia quæ aliis Ecclesiis usui fuere. In nostro autem Sacramentario Missas quamplurium sanctorum qui vel olim in Romana Ecclesia certo festo colebantur, ut ex Bucherii catalogo liquet, frustra requires. Quorumdam vero festa notantur in titulis; at Missæ omittuntur, ut videre est mensibus Julii atque Decembris. In non paucis Missis orationes desunt maxime necessariæ, ex. gr. Secreta, vel Postcommunio, et nonnumquam utræque, sive etiam oratio prima. In aliis præfationes duæ vel tres conjunguntur sine orationibus Postcommunio, vel etiam absque ulla oratione. Missæ communes de martyribus distrahuntur in menses tres, Aprilem, Julium et Augustum. In Aprili autem, ubi plures Collectas invenies, Missis communibus de pluribus martyribus num. 6 præmittitur oratio S. Tiburtii, cujus festivitas ad Augu-

stum pertinet; inseruntur vero num. 9 et 10 duæ Missæ de confessoribus; num. 20 oratio Secreta de S. Laurentio, et Missa communis pro conversione peccatorum; num. 29 Missa communis de apostolis, et num. 34 Missa in dedicatione basilicæ S. Petri. Quid de aliis defectibus a publico libro nimium abhorrentibus dicamus? Mense Maio *in Missa Pentecostes ascendentibus a fonte* oratio *Hanc igitur oblationem* perperam præmittitur orationi *Communicantes;* Missis *in jejunio quarti mensis* inseruntur duæ Missæ *in Dominicum Pentecosten*, quæ præmitti debebant; sicut e contra in Novembri Missam de vigilia S. Andreæ præcedunt duæ de Natali ejusdem apostoli, et in Decembri Missam vigiliæ Natalis Christi num. 5 descriptam præeunt quatuor Missæ diei Natalis, quæ erant postponendæ. Nulla autem evidentior perturbatio quam mensibus Augusto et Septembri. *Quarto nonas Augusti Natale S. Stephani in cœmeterio Callisti via Appia.* Subjiciuntur vero Missæ de S. Stephano protomartyre, cujus tamen natalem diem Romæ celebratum fuisse non IV nonas hujus mensis, sed die 26 Decembris post solemnitatem Natalis Domini ipsa præfatio Missæ septimæ declarat his verbis: *Et ideo nativitatem Filii tui merito præ cæteris passionis suæ festivitate subsequitur.* Quod si dedicatio basilicæ S. Stephani in diem IV nonas fortassis incidit, de qua in Missa IX sermo est, perperam in titulo notatum fuit *Natale S. Stephani*, etc., quod emortualem diem signat; et perperam etiam natalitii diei Missæ in Decembri collocandæ, hic primo loco descriptæ fuerunt. Confer annotationem laudato titulo subjectam. Duæ Missæ præterea habentur in vigilia S. Laurentii; sed alia num. 1 præmittitur quidem ejus festo, alia vero num. 12 postponitur. Missæ hujus mensis propriæ de SS. Felice et Adaucto subjiciuntur aliæ communes de pluribus martyribus; et in septima inseritur præfatio de apostolis. Mense autem Septembri die 14 Missis de SS. Cornelio et Cypriano intrusa est præfatio de S. Euphemia, cujus Missæ duæ postea suo loco describuntur die 16. In eodem mense, cui competit *Admonitio jejunii mensis septimi*, non solum num. 8 habetur *Invitatio plebis in jejunio mensis decimi*, sed Missæ etiam aliquot hujus jejunii ac mensis propriæ exhibentur, et aliæ deinceps suo loco ponuntur mense Decembri. Non multum movemur Missis communibus de Natali episcoporum Decembri afflictis, quibus num. 7 una Missa inserta est cum oratione consecrationis episcopi paschali tempore peractæ; sicut etiam mense Octobri inter orationes communes pro diversis causis num. 3 legitur oratio propria temporis paschalis, et num. 6 præfatio et oratio in die Resurrectionis Domini. Non multum, inquam, movemur: hæc enim non ad mensem, sed ad communes sui cujusque tituli Missas referenda sunt, in quibus omnes Missæ ac orationes ejusdem tituli, licet paschali tempore recitandæ, æquum locum habere queunt, cum aliquod ejusmodi officium in paschale tempus incidat. Illud potius movet, cum tituli Missis præfixi, soli primæ orationi nonnumquam congruunt, non vero aliis orationibus aut Missis quæ subjiciuntur, tametsi inscriptionem habeant; *Item alia;* ac si ad eumdem titulum omnes pertineant. Vide mense Julio sub initium titulum *In jejunio*, Septembri num. 8, titulum *pro episcopo offerendum*, et Octobri Missam, cui titulus *de Siccitate*. In Missis pro defunctis, quæ mense Octobri describuntur, est Missa S. Silvestri, cujus tertia oratio est pro papa Simplicio. Duæ hic Missæ in unam confusæ videntur. Non inficiamur unum vel alterum faciliorem defectum in aliis quoque antiquis Sacramentariis inveniri; aliquid etiam posse amanuensis potius oscitantiæ quam auctori attribui. At defectus tot ac tantos, tantamque perturbationem in universo Sacramentario patentem, quæ uni collectori potest ascribi, quis Sacramentario adjudicet, quod ab aliquo summo pontifice compactum et publica auctoritate editum sit in quotidianum Romanæ Ecclesiæ usum? Quin ex collectione tam imperfecta atque confusa non solum privati hominis studium detegitur, sed prima etiam ipsius manus, qua privato consilio quæcumque invenit colligens, non multum ordinis, nullam usus publici curam ac sollicitudinem habuit; qui tamen ipse, si opus voluisset vulgare, ut publico usui esset, nihil ambigimus quin secundis curis in aptiorem saltem ordinem revocasset.

9. Ex hoc autem ordine perturbato, quo præsertim alieno loco quædam Missæ inseruntur, et quo Missæ communes nulli mensi per se alligatæ, huic vel illi mensi afflictæ sunt, illud maxime animadvertendum colligimus, haud recte inferri posse aliquod festum non satis notum eo mense celebratum fuisse, in quo ejus Missa describitur. Sic ex Missa *in Dedicatione* basilicæ S. Petri inter communes recensita mense Aprili, minus tute inferretur aliquod S. Petri festum aut dedicationem ipsius Basilicæ hoc mense fuisse peractam; sicut omnino perperam celebratum diceretur festum S. Stephani mense Augusto, eo quod Missæ hujus festi hoc mense proferuntur. Idem dicendum est de Missa in die jejunii, quæ in festo alicujus martyris notatur mense Julio. Hæc communis est Missa, eo die adhibenda quo jejunium cum martyris festo concurrat. Simile quidpiam est de Missis vel orationibus descriptis mense Aprili, quibus S. Tiburtii aut S. Gregorii martyris nomen inseritur; sunt enim Missæ, non hujus mensis propriæ, sed inter communes de martyribus hoc mense collectas.

10. Hæc porro ipsa insignis Missarum et orationum confusio primam Romani Sacramentarii imaginem in nostro codice exhibitam palam ostendit. Si enim aliquod antiquius Sacramentarium usu Romanæ Ecclesiæ receptum præ oculis collectoris fuisset, is profecto ex ipsius ordine ac methodo, si non omnes, saltem plures defectus declinasset. Ita ejusmodi perturbatio, quæ huic collectioni nonnihilum videtur detrahere, ipsius antiquitatem demonstrans, in non exiguam ejusdem commendationem redit. Hinc autem sequitur primum Sacramentarium publico Romanæ Ecclesiæ usui propositum esse Gelasianum, quod sane æquissimum ordinem præfert. Nostrum vero anteriorem quidem, sed privatam cujuspiam collectionem esse, quæ publico

usui non fuit. Et si quidem *Simplicii papæ* nomen pro *Silvestri* in Missa ante laudata posterioris librarii hallucinatione haudquaquam irrepsit, post Simplicium papam hæc collectio compacta fuit sub Felice III vel initio pontificatus Gelasii : additamentum enim posterius, quod in hac Missa nonnulli suspicati sunt, sola Sacramentaria publica, cum ad usum Ecclesiarum deinceps exscribuntur, recipere solent.

11. Neque vero ex eo quod hic codex a privato homine absque exquisito ordine digestus, in Romanæ Ecclesiæ usu non fuit, minus æstimari debet, vel hujus Ecclesiæ Sacramentarium appellari nequit. Romanæ enim Ecclesiæ Sacramentarium est quod liturgica ejus documenta, quæ ante Gelasium diversis temporibus usui fuere, in unum corpus collecta complectitur : eo autem est æstimabilius præ cæteris, quanto et plura et vetustiora hujusmodi monumenta ad priscam disciplinam cognoscendam, et ad catholicam fidem confirmandam utilia nobis conservavit, quæ in aliis Sacramentariis frustra requiras. Hæc fusius præfanda fuere ad constituendum nostri Sacramentarii auctorem ac tempus, ex quibus ipsius etiam præstantiam satis agnovimus.

12. Nunc ut aliquid ad vetustiorem liturgiam Romanam illustrandam afferatur, nonnulla ex nostro codice colligi posse credimus. Si hæc Sacramentarii Romani prima et privata collectio fuit, ut antea vidimus, palam fit nullum publicum Sacramentarium, quod scilicet totius anni ac omnium festorum Romanæ Ecclesiæ Missas certo ordine digestas atque collectas exhiberet, exstitisse sæculo v. Nemo certe probarit contrarium, nec quisquam hactenus invenit aliquid anterius Sacramentario Gelasiano, quod in usum publicum editum fuisse liquet. Solum Canonem, et solemniores aliquot preces, ac certas precum formulas, et quemdam orationum ordinem, nimirum initio Missæ, ante Canonem, et post communionem, antiquissimis quoque temporibus inductum ac receptum fuisse, ex aliquot pervetustis Patribus didicimus : num vero hæ, vel illæ orationes ac Præfationes cuique festo essent ascriptæ, ut apud Gelasium leguntur, quis probare queat? Nonnullas quidem Missas quorumdam festorum proprias, quæ solemniori celebritate in Romana Ecclesia peragebantur, ante Gelasium fuisse lucubratas ex nostro codice manifestum est. At has ipsas non fuisse in uno libro collectas atque digestas, Missæ ex. gr. S. Stephani evidenter ostendunt. Si enim hæ ante nostrum collectorem relatæ fuissent in codicem ad liturgiæ publicæ usum, idem collector ex hoc publico et magis obvio codice eas utique descripsisset mense Decembri, quo S. Stephani festum celebrabatur. Solutas igitur et separatas eas noster collector invenit, ac propterea nil mirum si in tanta confusione plurium Missarum primis curis exactum ordinem servare semper non potuit. Forte etiam ex variis tabulariis eas sumpsit, ac in unum codicem non solum Missas integras, sed partes etiam, quascumque invenit, referre, et ita primum Sacramentarii exemplum compingere studuit. Hinc intelligitur cur plures Missas imperfectas dederit, id est vel *Præfationes* solas sine orationibus, vel orationes sine Præfatione, vel unam orationem tantum, etc. Non semper enim integræ Missæ lucubratæ fuerunt de novo ; sed nonnumquam solæ Præfationes vel orationes, quibus etsi nihil dubii est quin in celebranda Missa aliæ necessariæ partes vel ex communibus vel ex antea usitatis precibus additæ fuerint, earum tamen manuscriptum exemplum separatum a cæteris inventum fuit. Hinc etiam cognoscitur cur aliquæ orationes aut Præfationes in nostro codice repetantur : quia nimirum novæ alicui orationi aut Præfationi ad integram missam perficiendam aliquando adjecta fuerunt cætera ex communibus, aut antea usitatis, quæ idcirco a diligenti nostro exscriptore repetita inveniuntur.

13. Cum nullas in hoc Sacramentario Missas proprias reperiamus Dominicarum post Pascha, post Pentecosten vel Adventus, satis probabile est nondum eum ordinem Missarum dominicalium fuisse præstitutum, qui in posterioribus Sacramentariis deprehenditur. Hac autem in re illud præcipue observavimus, nostri Sacramentarii tempore orationes et preces in Dominicis post Pentecosten sumptas fuisse ex communibus de sacrificio Missæ, aut pro variis causis atque necessitatibus, prout cujusque arbitrio magis placeret. Ex his aliquot Collectæ in Sacramentario Gelasii libro tertio sub titulo *pro Dominicis diebus*, ita ut Missæ Dominicarum, quæ Missa propria carerent, ex his sumendæ essent. Tandem in Sacramentario Gregoriano sua cuique Dominicæ Missa propria assignata legitur. Id tamen num Gregorio tribuendum sit, an ejus Sacramentario posterius accesserit, nonnihil ambigimus. Si enim hujus institutionis ac methodi auctor fuisset S. Gregorius, quavis Dominica post Pentecosten eædem orationes et Præfationes in omnibus ejus codicibus invenirentur. At aliquot Dominicarum preces diversæ sunt in mss. diversis Muratorii atque Menardi, sicut etiam in Missali Romano. Aliquot exempla in annotationibus ad nostrum Sacramentarium indicavimus. Confer præsertim Missam xxxiii inter communes mensis Julii, cujus prima oratio in Sacramentario Gelasii legitur lib. iii, n. 9, *pro diebus Dominicis*, in Gregorianis autem Muratorii Dominica xiv post Pentecosten, apud Menardum vero Dominica xv, ac in Missali Romano Dominica xiii, et hanc diversam numerorum rationem ex aliis exemplis constantem agnovimus. Quoad Missas de sanctis, paucorum martyrum Missæ propriæ in nostro codice leguntur. Quoad alios adhibebantur communes. Hinc plures Missæ communes de martyribus in nostro Sacramentario occurrunt, in quibus duæ orationes vel tres alioquin communes proprium martyris nomen, Agapiti, ex. gr., Gregorii, etc., præferunt. Inter quamplures Missas de martyribus perpaucæ leguntur de simplicibus confessoribus, eo quod illi persecutionum tempore frequentiores et notiores fuerunt. Nullæ sunt apostolorum Missæ propriæ nisi sanctorum Petri et Pauli, S. Andreæ et S. Joan. Evangelistæ. Cum vero inveniatur Missa de omnibus apostolis infra octavam SS. Petri et Pauli, num peculiaria aliorum

apostolorum festa Romæ per hoc tempus non celebrarentur, sed eo die communis eorum memoria fieret, an vero suo cujusque festo Missa sumeretur ex communibus, aliorum judicium sit.

14. Ex nostro Sacramentario etiam discimus quam vetustam originem habeant pleræque orationes, et præfationes nonnullæ, quæ non solum in Gelasiano et Gregoriano codicibus, verum etiam in Romano Missali continentur. Has in annotationibus indicabimus. Conferentibus vero singulas apparebit, quatenus leviores quasdam vocum mutationes aliquæ orationes receperint, et quomodo nonnumquam ex pluribus præfationibus in uno Sacramentario exhibitis, aliquot sententiis ac verbis hinc et hinc excerptis et colligatis, nonnullæ Missalis præfationes coaluerint. Unum hic exemplum quoad præfationes proferimus. Præfatio de Ascensione Domini, quæ in Missali Romano et Gregoriano est eadem, ex particulis duarum præfationum nostri Sacramentarii compacta fuit. Verba enim, *Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cœlum*, inveniuntur in Præfatione prima nostri codicis; illa vero, *Ut nos Divinitatis suæ tribueret esse participes*, leguntur in secunda. Aliud exemplum quoad orationes et vocum levissimas mutationes damus. Oratio illa Romani Missalis die sabbati post Dominicam IV Quadragesimæ, quæ incipit *Tua nos*, in nostro Sacramentario occurrit mense Septembri inter communes, § 39, n. 12, ubi verba, *Operationes suæ perficiant nos pacatos*, vel, ut in codd. Gregorianis, *placitos*, in laudato Missali sic mutata fuerunt: *Operatione sua tibi placitos esse perficiant*. Alia similia aliis conferenda relinquimus.

15. Multa porro in hoc præstantissimo ac vetustissimo Sacramentario occurrunt ad catholica dogmata contra novitios errores confirmanda, et ad disciplinam antiquiorum temporum cognoscendam utilia, quæ cum ad posteriora additamenta ab hoc codice aliena referri nequeant, a recentioribus hæreticis eo nomine eludi non poterunt, quo aliorum Sacramentariorum auctoritatem extenuare nituntur. Quod si priscorum Patrum testimonia plurimi fiunt, quanti facienda erunt illa hujus Sacramentarii, quod non unius aut alterius sancti Patris, sed summorum antiquissimorumque pontificum, atque Ecclesiæ principalis doctrinam ac disciplinam in publicis officiis propositam atque expressam exhibet? Nonnulla Jesu Christi Divinitatem, quædam realem ejus præsentiam in Eucharistia, plura de sanctorum cultu et invocatione, de ipsorum cum martyrum tum confessorum gloria, de cultu sacrarum reliquiarum, de necessitate et efficientia gratiæ, de peccato originali, de jejuniorum utilitate, de præstantia voti continentiæ, de benedictione nuptiarum, de suffragiis defunctorum, de magno numero martyrum, de episcoporum eminentia, de suprema Romanorum pontificum auctoritate, aliaque de aliis dogmatibus testimonia singulis prope lineis in oculos incurrent. Antiquitatem jejunii cum vigilia ante apostolorum festa, ex tertia Missa in festo S. Andreæ colligere licet. Ritum velationis sponsorum in benedictione nuptiarum, lactis et mellis veterem usum in baptismo, ecclesiarum dedicationem, celebrationem sacrificii in cœmeteriis martyrum, et alia vetustioris disciplinæ quisque deteget. Si *primi* quaterniones codices, qui a Januario ad initium Aprilis solemniores Epiphaniæ, Quadragesimæ, et Paschalis Missas complectebantur, injuria temporum non intercidissent, multo plura invenire liceret.

16. Reliquum est ut de ipso manuscripto quædam peculiaria dicamus. In hoc duplex numerorum series notatur. Alii enim numeri signantur in margine, alii vero contextui inseruntur. Numeri in margine descripti, ab initio Sacramentarii ad finem usque continua successione producuntur; totiusque operis partitionem ac præcipuorum capitum seu titulorum diversitatem designant. Primus numerus ob defectum aliquot foliorum est IX initio mensis Maii, cui præcedunt plures missæ mensi Aprili insertæ, quæ ad numerum VIII pertinere noscuntur; postremus vero, qui desinit in fine Decembris, est numerus XLIII. Hos numeros a Muratorio omissos nos suo loco, quem in codice obtinent, referemus in margine. Alii numeri, qui inseruntur contextui, Missarum numerum ac divisionem sub quovis titulo fere indigitant; ita tamen ut collector non admodum accuratus duas nonnumquam Missas distinguere oblitus, sub unico numero collocarit. Dein pluribus in locis variantes lectiones textui inseruntur, plerumque sine distinctione ulla; *plerumque*, inquam, aliquando enim præmittitur signum variantis *aliter*. Has autem varias lectiones e diversis ejusdem Missæ exemplaribus, quæ in collectoris manus venerint, prodire videntur: sæpius enim sunt ejusmodi ut non ab amanuensium oscitantia vel arbitrio pendeant, sed ab iis profectæ noscantur, qui eamdem orationem vel præfationem in sacro ministerio repetituri, aliquid mutare voluerunt. Quædam tandem loca valde luxata sunt. P. Blanchinius sæpius ex conjectura congruentes emendationes in notationibus proposuit. Has non raro Muratorius recepit, ac textui inseruit, nec lectionem codicis indicavit. Immo nonnullas quoque ex iis emendationibus recepit, quas ipse Blanchinius posterioribus curis retractavit in foliis Sacramentario præfixis, quæ Muratorii diligentiam præteriere. Nos semper lectionem manuscripti vel proferemus in textu, vel in annotationibus exhibebimus, paucis locis exceptis, ubi manifestus librarii lapsus deprehenditur.

LIBER
SACRAMENTORUM ROMANÆ ECCLESIÆ
OMNIUM VETUSTISSIMUS
S. LEONI PAPÆ IN VULGATIS TRIBUTUS

1 MENSE APRILI.

. . . .
. . . .
. . . . ut tibi gratæ sint pro martyrum festivitate sanctorum, et nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Per, etc.

2 Vere dignum. Tibi enim festiva solemnitas agitur, tibi dies sacrata celebratur, quam beati (*Al.* sancti) [a] Tiburtii martyris tui sanguis in veritatis tuæ testificatione profusus, magnifico nominis tui honore signavit. Et ideo cum angelis, etc.

Vere dignum. [b] Tuas enim, Domine, virtutes, tuasque victorias admiramur, quoties **3** in Ecclesia tua horum dierum festa celebrantur, quos insignes confessorum tuorum et martyrum palmæ ad perennem memoriam, solemnemque lætitiam fidelibus populis sacraverunt. Per, etc.

Quos donis cœlestibus satias, Domine, defende *præsidiis*, ut noxiis omnibus expediti, post salutaⁱ... tua toto corde curramus. Per, etc.

.... æ tuæ, quæsumus, Domine, supplicibus tuis A tribue largitatem, ut mandata tua, te operante, sectantes, et consolationem vitæ præsentis accipiant, et futura gaudia comprehendant. Per, etc.

VII. *Item alia.* — Præsta nobis, Domine, misericordiam tuam, sanctorum tuorum suffragiis imploratam, et quos intercessores nostros esse tribuisti, fac eos et majestatem tuam jugiter exorare, et salutaria impetrare pro nobis. Per, etc.

Deus, qui nos idoneos non esse perspiciens ad magnificentiam tuam, sicut dignum est, exorandam, eorum nobis qui tibi placuerunt præsidia contulisti: præsta ut eorum precibus adjuvemur, quorum providisti nobis miseratus auxilium. Per, etc.

Exaudi, [c] Domine, populum tuum cum sanctorum tuorum tibi patrocinio supplicantem, et temporalis B vitæ nos tribue pace gaudere, et æternæ reperire subsidium. Per, etc.

Adesto, Deus noster, famulis tuis, et oblationes nostras sanctorum tuorum placationibus propitiatus intende; ut quod nostra fiducia non meretur, pia supplicatio reddat acceptum. Per, etc.

[a] Hæc præfatio non est propria S. Tiburtii, sed sumpta ex communibus de SS. martyribus, inter quas inferius legitur num. 38. Eadem rursus describitur idibus Augusti pro die festo S. Hippolyti num. 1. Utrobique autem numerus pluralis in singularem mutatus est inserto nomine martyris. Sanctorum Tiburtii simul et Valeriani natale celebratur XVIII kal. Maii in Sacramentario S. Gregorii. Hic de solo S. Tiburtio, de quo item solo est etiam in eodem Gregoriano Sacramentario et in Gelasiano III idus Augusti: unde Tiburtius, qui solus a nostro collectore hic ponitur, diversus est ab illo qui una cum Valeriano C mense Aprili colitur; nec idcirco inserta fuit ejus præfatio huic mensi, quod ipsius festum ad Aprilem pertineret; sed quia in hoc mense plures communes Missæ de martyribus collectæ fuerunt, inter quas una Tiburtii nomen in præfatione insertum exhibet. Similiter paulo post num. 20 in alia communi Missa de pluribus martyribus Aprili quoque mensi inserta oratio legitur S. Laurentii nomen præferens, cujus tamen festum in eumdem Augustum mensem incidit, et aliquot proprias Missas in hoc ipso Sacramentario exhibet. Voces *beati*, *sancti*, quarum altera abundat, et aliæ similes frequenter textui insertæ, variantes videntur, quas collector in diversis ejusdem Missæ exemplaribus invenit, vel e margine unius exempli in textum traduxit.

[b] Ex hoc loco et ex aliis subsequentibus Missis festum omnium martyrum mense Aprili per plures dies et cum octava quinto sæculo celebratum putat Acamius; ac proinde in dubium vocat Anastasii, uti appellant, Bibliothecarii testimonium, cum dedicationem veteris Panthei in ecclesiam S. Mariæ ad Martyres, qua hoc festum institutum traditur, Bonifacio IV attribuit. Sed præterquam quod cum Anastasio concinit Paulus Diaconus lib. IV Hist. Langobar. c. 37, et lib. V, c. 11, hoc dedicationis festum non Aprili mense, sed Maio assignatur in omnibus liturgicis libris, qui ejusdem memoriam præferunt. In Gelasiano autem deest, sicut et in nonnullis sincerioribus codd. Sacramentarii Gregoriani, eo quod posterior sit ejus institutio. Quod si exstat in aliis mss. Gregorianis posteriori additamento ascribendum est. Cum porro in nostro codice Missæ de Martyribus mense Aprili ex collectoris arbitrio insertæ, communes sunt; tum vero institutionem festi omnium sanctorum nihil in ipsis subindicat. *Horum* quidem *dierum festa celebrari* traduntur, quibus confessores et martyres palmas obtinuerunt, sed ipsa S. Tiburtii commemoratio in anteriori præfatione recepta, hanc formulam non propriam festi omnium sanctorum, sed communem significat; ac propterea eadem repetita legitur num. 7 et 38. Ad communes item Missas de pluribus martyribus aliæ formulæ pertinent, quas Acamius ingerit; ut ne ex iis peculiare festum omnium sanctorum in plures dies productum elici debeat. Forte quædam ex his Missis in cœmeteriis olim dicebantur in memoriam martyrum qui ibidem erant tumulati, cum singulorum mentio fieri non posset.

[c] Exstat hæc oratio in Missali Romano die 19 Januarii in festo SS. Marii, Marthæ, Audifacis, et Abachum.

Da nobis, Domine, tuæ pietatis effectum, et commendantibus sanctis tuis, etiam nostra munera propitius intuere. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam tui operis tuæque pietatis est, quod innumeræ sanctorum **4** tuorum multitudini non solum credere in Filium tuum, Dominum nostrum, sed etiam pro eo pati posse donatum est; ut quos justificabat fides, glorificaret et finis. Per, etc.

Vere dignum. Tuas enim, Domine, virtutes, etc., *uti supra* [a].

VIII. *Item alia.* — Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et sanctorum tuorum suffragantibus meritis, preces nostras dignanter exaudi. Per, etc.

Preces nostras, Domine, quæsumus, propitiatus admitte, et ut digne tuis famulemur altaribus, sanctorum tuorum nos intercessione custodi. Per, etc. B

Vere dignum. Quia tu es gloriosus in sanctis tuis, quibus et in confessione virtutem, et in passione victoriam contulisti. Propterea cum angelis, etc.

Corporis [b] sacri et pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Deus noster, ut quod pia devotione gerimus, certa redemptione capiamus. Per, etc.

IX. *Item alia.* — Tuere, Domine, populum tuum, et salutaribus præsidiis semper adjutum, beneficiis attolle continuis et mentis et corporis. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum tuorum nos intercessione custodis: præsta ut quorum fovemur meritis, proficiamus piæ confessionis exemplis. Per, etc.

Supplicatio tibi nostra, Domine, et grata pariter existat oblatio, quæ, cum pro sanctorum tuorum commemoratione defertur, indulgentiam nobis, iisdem suffragantibus, consequatur. Per, etc. C

Vere dignum. [c] Qui non solum martyrum, **5** sed etiam confessorum tuorum es virtute mirabilis. Licet enim illi passione sint clari, qui manifestis acerba supplicia sustinuere tormentis, etiam isti tamen occultæ proposito castigationis afflicti et cruciati, spiritalis observantiæ disciplinis illorum sunt vestigia subsecuti. Per, etc.

X. *Item alia.* — Hostias, [d] Domine, tuæ plebis intende; et quas in honorem sanctorum tuorum devota concelebrat, proficere sibi sentiat ad medelam. Per, etc.

Vere dignum. Qui dum confessores tuos etiam nunc tanta festivitate glorificas, simul et nullum apud te sanctum propositum doces esse sine præmio, et præ- D

A ter duriora certamina, fragiles quosque ad tuæ retributionis munus invitas. Per, etc.

Sumentes pignus cœlestis arcani, et in terris positi, jam superno pane satiati, supplicamus, Domine, deprecantibus sanctis tuis, ut quod in nobis mystice geritur, veraciter impleatur. Per, etc.

Impetret, quæsumus, Domine, fidelibus tuis auxilium oratio justa sanctorum; et in quorum sunt celebritate devoti, fiant in eorum perpetua sorte participes. Per, etc.

XI. *Item alia.* — Prosint nobis, Domine, quæsumus, tuorum suffragia collata sanctorum; ut quæ nostris non possumus orationibus obtinere, placentium tibi precibus assequamur. Per, etc.

Sanctorum, Domine, martyrum tuorum supplicationibus tribue nos foveri; ut quorum venerabilem (*Supple* diem) annuo frequentamus obsequio, eorum et intercessionibus commendemur et meritis. Per, etc.

XII. *Item alia.* — Deus, qui ad deprecandum te conscientiæ nostræ perspicis non sufficere facultatem, cunctos martyres tuos fac orare pro nobis, quos digne possis audire. Per, etc.

Offerimus tibi, Domine, fidelium tuorum dona solemnia, sanctorum martyrum interventionibus confidentes; ut quod nos exsequimur minus idonea servitute, illorum potius meritis efficiatur acceptum. Per, etc.

Vere dignum. Qui sic hostis antiqui machinamenta destruxit, ut diabolo, quem sua virtute prostraverat, etiam sanctos suos, Spiritu veritatis armatos, redderet fortiores, **6** ne vel sævitiam metuerent persequentium, vel de promissæ beatitudinis æternitate dubitarent; quorum gloriam hodierna festivitate recolentes, hostias tibi laudis offerimus, cum angelis, etc.

Consecuti gratiam muneris sacri, supplices, Domine, te rogamus; ut, implorantibus pro nobis sanctis martyribus tuis, divinæ virtutis effectum, quem corporaliter sumpsimus, spiritaliter sentiamus. Per, etc.

Protege, Domine, plebem tuam, cum sanctorum tuorum patrocinio supplicantem, et in tua pietate confisam interius exteriusque purifica: ut per hæc quæ divino sacrificio gustaverunt, et mentium salutem mereantur et corporum. Per, etc.

XIII. *Item alia.* — Prætende nobis, Domine, misericordiam tuam; et sanctos tuos, quorum nos fecisti

[a] In ms. scilicet hæc præfatio integra repetitur, uti legitur in Missa præcedenti. Solum hic omittuntur voces *confessorum... et.*

[b] Hæc oratio habetur in Sacramentario Gregoriano edito a Muratorio ex mss. Vat. et Ottobon. in Missa Natalis plurimorum confessorum, et in Missali Romano in Missa SS. Processi et Martiniani, nec non in Missa S. Petri ad Vincula.

[c] Hæc leguntur etiam in Missali Gothico edito a Ven. card. Thomasio pag. 328 novissimæ editionis Romanæ P. Vezzosii, et pag. 644 tom. II Liturgiæ Muratorii. Hæc et sequens præfatio sanctorum etiam, quos nunc *confessores* vocamus, antiquum cultum probant. Peculiares autem formulæ hujus præfationis, quæ rationem quamdam ejusdem cultus præferunt, ad primam harum Missarum institutionem pertinere videntur. In Gelasiano Sacramentario lib. II, ubi Missæ communes sunt non de uno, sed de pluribus sanctis atque martyribus, ut in hoc nostro, inter has una exstat num. 74, cujus secunda oratio et martyrum et confessorum memoriam concelebrat: *Deus, qui nos et sanctorum martyrum solemnitatibus, et confessorum gloria circumdas et protegis*, etc.

[d] Eadem fere est secunda oratio in Romano Missali inter communes et diversas num. 7: *Pro prælatis et congregationibus eis commissis.*

patrociniis adjuvari, tribue, majestatem tuam jugiter A exorare pro nobis. Per, etc.

Suscipe, Domine, sacrificium placationis et laudis, quod nos, intervenientibus sanctis, et perducat ad veniam, et in perpetua gratiarum constituat actione. Per, etc.

Repleti substantia reparationis et vitæ, quæsumus, Domine Deus noster, ut per ea quæ nobis munera dignaris præbere cœlestia, per hæc eadem tribuas nos inhærere cœlestibus. Per, etc.

Protector in te sperantium, Deus, salva populum tuum, tuere, dispone; ut a peccatis liber, ab hoste securus, in tua semper gratia perseveret. Per, etc.

XIV. *Item alia.* — Propitius esto, Domine, plebi tuæ, et auxilium nobis de sancto celerius fac adesse. Per, etc. B

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutaris tui dona concede. Per, etc.

Laudis [a] tuæ, Domine, hostias immolamus, quibus nos et præsentibus exui malis confidimus et futuris. Per, etc.

Vere dignum. Majestatem tuam suppliciter exorantes, ne perire patiaris quibus tanta remedia providisti; et collata præsidia, non ad cumulum reis damnationis eveniant, sed potius ad effectum salvationis accedant. Per, etc.

Ab omni [b] nos, Domine, quæsumus, vetustate purgatos sacramenti veneranda perceptio in novam conferat creaturam. Per, etc.

Non præjudicet, quæsumus, Domine, fidelibus tuis nostra minus idonea deprecatio servitutis; sed me- C rita nostra prævincens, 7 Ecclesiam tuam sanctifica, guberna, salva, prosequere; et tibi sine cessatione devotam perpetua redemptione confirma. Per, etc.

XV. *Item alia.* — Exaudi, Domine, preces nostras, et sanctorum martyrum nos tuere præsidiis. Per, etc.

Respice, [c] Domine, munera quæ in sanctorum tuorum commemoratione deferimus; ut quorum honore sunt grata, eorum nobis fiant intercessione perpetua. Per, etc.

Vere dignum. Te enim laudant et benedicunt omnes sancti tui, quibus et in confessione virtutem, et in passione victoriam contulisti. Per, etc.

Præsta [d], Domine Deus noster, ut quorum nobis festivitate votiva sunt sacramenta, eorum salutaria D nobis intercessione reddantur. Per, etc.

Tuere, Domine, supplices tuos, sustenta fragiles, purga terrenos; et inter [e] (mortalium) tenebras mortales ambulantes tua semper luce vivifica, atque a malis omnibus clementer ereptos, ad summa bona pervenire concede. Per, etc.

XVI. *Item alia.* — Præsta, quæsumus, Domine, ut martyrum tuorum jugiter celebremus meritum, quorum continuum sentimus auxilium. Per, etc.

Sacrificium tibi, Domine, pro sanctorum martyrum Natalitiis immolamus: ut quorum gaudemus præsidiis, gloriam frequentemus. Per, etc.

Vere dignum. Cognoscimus etenim, Domine, sanctorum nos martyrum deprecatione muniri; majestatem tuam profusius implorantes, ut et temporaliter his patrociniis nos foveri, et spiritaliter præcipias adjuvari. Per, etc.

Da nobis, quæsumus, Domine, ut cum martyrum solemnitate sanctorum perpetua tuitione lætemur. Per, etc.

Exsultet, Domine, populus Christianus de magnorum Filii tui glorificatione membrorum; et quanto eminentiora sunt cæteris, tanto magis de eorum culmine inferiora congaudeant. Per, etc.

XVII. *Item alia.* — Esto propitius, Domine, quæsumus, plebi tuæ, et suffragantibus sanctis tuis, tribue nobis veniam peccatorum; concede placatus 8 et pacem, ut propitius largiaris auxilium. Per, etc.

Suscipe, Domine, quæsumus, preces nostras; et hujus oblationis obsequium, quod in sanctæ martyris tuæ commemoratione offerimus, ad placationem tui nominis copiosa nobis fac provenire clementia, et ad gaudium nobis transeat sempiternum. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam tu sanctis tuis et patientiam tolerantiæ, et in beati fine certaminis das triumphum. Per, etc.

Sacris reparati mysteriis suppliciter exoramus ut intervenientibus sanctis tuis, apprehendamus [f] (rebus) effectu, quod (actionibus) celebramus affectu. Per, etc.

Creator populi tui, Deus, atque reparator, tuere supplices, tuere misericordiam postulantes; [g] ut satisfactio pro se intercedente sanctum (*illum*) et instituta bona recipiant, et restaurata custodiant. Per, etc.

XVIII. *Item alia.*—Concede, Domine, populo tuo veniam peccatorum, et religionis augmentum, atque ut ei tua dona multiplices, sanctorum martyrum tuorum patrocinia fac adesse. Per, etc.

Suscipe, Domine, propitius Ecclesiæ tuæ munera, et sanctorum precibus nos tuere, qui tuæ justitiæ sunt placentes. Per, etc.

Vere dignum. Quia te benedicunt et laudant omnes sancti tui, quibus et in confessione virtutem, et in passione gloriam contulisti. Per, etc.

Sanctorum [h] precibus, Domine, quæsumus, salus et mentium præstetur et corporum; ut doni tui fiat nobis et benedictio copiosa, et larga protectio. Per, etc.

Da auxilium, Domine, quæsumus, majestati tuæ potestatique subjectis, et quidquid suis meritis non

[a] In Missali Romano est oratio secreta Missæ confessoris non pontificis.

[b] In eodem Missali est oratio *Postcommunio* feriæ 4 post Pascha, ubi melius *transferat* pro *conferat*.

[c] Est secreta in Rom. Missali die 22 Sept. Missæ SS. Mauritii et sociorum.

[d] Eadem est oratio *Postcommunio* Missæ S. Martini episcopi die 11 Nov. in Missali Romano.

[e] Vox *mortalium* est varians lectio.

[f] Voces *rebus* et *actionibus* sunt variantes textui insertæ.

[g] Ita hunc locum restituendum credidit P. Blanchinius: *Ut satisfactione pro se intercedente sanctorum, et instituta*, etc. Muratorius, *ut satisfactione pro se intercedente sancti illius*.

[h] Cod. male, *percipientibus*.

præsumunt, sanctorum tuorum precibus consequantur. Per, etc.

XIX. *Item alia.*—Adesto [a], Domine, precibus nostris, quas in sanctorum tuorum commemoratione deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt, meritis adjuvemur. Per, etc.

Exaudi, Domine Deus noster, cum sanctorum tuorum tibi patrocinio supplicantes; ut quorum celebramus triumphos, possimus retinere constantiam. Per, etc.

Prætende nobis, Domine, misericordiam **9** tuam, et sanctos tuos, quorum nos dedisti patrociniis adjuvari, tribue majestatem tuam jugiter exorare pro nobis. Per, etc.

Auxiliare, Domine, fragilitati nostræ, ut tuorum intercessione sanctorum non reprobemur meritis, quos tantis deputare dignaris officiis. Per, etc.

Tribue, quæsumus, Domine, donis tuis libera nos mente servire, ut intervenientibus sanctis tuis, munera quæ deferimus, et medelam nobis operentur et gloriam. Per, etc.

Vere dignum. [b] Quia tu es gloriosus in omnibus sanctis tuis, quibus et in confessione virtutem, et in passione victoriam contulisti. Per, etc.

Vere dignum. [c] Quoniam tui operis tuæque virtutis est quod sanctis tuis non solum credere in Filium tuum Dominum Jesum Christum, sed etiam pro eo pati posse donatum est: ut quos justificabat fides, glorificaret et finis. Per, etc.

[d] Sacri corporis et sanguinis pretiosi renovati libamine, quæsumus, Domine, clementiam tuam, ut quod frequenti devotione gerimus, certa redemptione capiamus. Per, etc.

Conserva, Domine, populum tuum; et quem salutaribus præsidiis non desinis adjuvare, perpetuis tribue gaudere beneficiis mentis et corporis. Per, etc.

XX. *Item alia.* — Sanctorum tuorum, Domine, precibus adjuvemur; [e] et quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis postulatione donetur. Per, etc.

Hostiam nostram, quæsumus, Domine, sancti Laurentii martyris tui et confessio veneranda, et beata commendet oratio. Per, etc.

Vere dignum. Qui nos per mundi caligines, tamquam luminaribus cœli, sanctorum tuorum exemplis instituis, et intercessione prosequeris. Per, etc.

Inter innumera, Domine, pietatis tuæ subsidia hinc fragilitatem nostram confidimus non relinqui, quia tanta nobis placentium tibi patrocinia sunt provisa. Per, etc.

Deus, [f] errantes in via posse redire, veritatis lumen ostendis: da cunctis qui Christiana professione censentur, et illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta sectari. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui tuæ **10** mensæ participes a diabolico jubes abstinere convivio, da, quæsumus, plebi tuæ, ut gustu mortiferæ profanitatis abjecto, puris mentibus ad epulas æternæ salutis accedant. Per, etc.

Vere dignum. Cujus Ecclesia sic veris confessoribus [g] falsisque permixta nunc agitur, ut tamen et fragilitatis humanæ semper cavenda mutatio, et nullius sit desperanda conversio; quo magis supplices te rogamus, ut quia sine te non potest solida constare devotio, et firmis perseverantiam, et resipiscentiam largiaris infirmis. Per, etc.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo a diabolicis, quibus renuntiavit, laqueis abstinere, et toto tibi corde prosterni. Per, etc.

XXI. *Item alia.*—Majestati tuæ nos, Domine, martyrum supplicatio beata conciliet, ut qui incessabiliter actibus nostris offendimus, continuis justorum precibus expiemur. Per, etc.

Grata tibi munera nostra sint, Domine, quæ tuis sunt instituta præceptis, et sanctorum festivitas gloriosa commendet. Per, etc.

Vere dignum. Te in sanctorum tuorum confessionibus laudantes; quorum dum solemnia frequentantur, copiosiora nobis fidei proponuntur exempla; dum sæpius victoriæ revolvuntur, crebriora nobis ministrantur auxilia; dum [h] (multipliciter) uberius

[a] Missale Rom. hanc orationem præfert die 22 Aprilis in festo SS. Soteris et Caii.

[b] Similis præfatio est supra in Missa VIII.

[c] Hæc quoque præfatio paucis mutatis legitur superius in Missa VII.

[d] Huic affinis est oratio Missæ VIII.

[e] Hæc oratio legitur in Sacramentario Greg. Menardi, et in Missali Rom. die S. Matthæi, ubi *ut quod* melius scribitur.

[f] Legendum cum Sacramentariis Gelasiano, Gregorianis, et Romano, qui hanc orationem exhibent Dominica 2 post octavam Paschæ, *qui errantibus, ut in viam possint redire.* Hæc est Missa distincta a præcedenti pro conversione peccatorum; collectoris oscitantia numerus distinctus omissus fuit.

[g] Confessores falsi, qui hic veris permixti in Ecclesia esse dicuntur, non sunt (ut nonnemo putavit) ii confessores falsi de quibus Cyprianus loquitur in lib. de Unitate Ecclesiæ; isti enim extra Ecclesiam ab eodem collocantur; sed sunt peccatores, errantes, qui *Christiana professione censentur*, nec tamen *illa respuunt quæ huic inimica sunt nomini*: unde pro horum conversione preces funduntur. In Sacramentario Gelasiano feria 6 majoris hebdomadæ oratio legitur, quæ in nostro quoque Sacramentario, ut credimus, inveniretur, si pars ad Quadragesimam pertinens superesset, quæque et in Romanum traducta, nunc quoque eadem die recitatur his verbis: *Oremus et pro omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, acolythis exorcistis, lectoribus, ostiariis*, CONFESSORIBUS, *virginibus, viduis, et pro omni populo sancto Dei.* Hic *confessores* post omnes clericorum gradus, et ante virgines ac viduas castitatem professas, cæterosque omnes laicos recensiti, viri erant, qui etiamsi non essent in clero, vitam tamen continentem et asceticam profitebantur, et æque ac virgines atque viduæ continentiam professæ, medium quemdam locum inter clericos et laicos obtinebant. Vide de his plura apud virum clarissimum Nicolaum Antonellum in dissertatione de Ascetis inserta novissimæ editioni sermonum S. Jacobi Nisibeni *pag.* 172 *et seqq.* In his confessoribus erant veri et falsi, quorum in præfatione hujus Sacramentarii fit mentio.

[h] Adverbium *multipliciter* est varians lectio.

meritum prædicatur et gloria, spes nobis æternæ A beatitudinis propensius intimatur. Per, etc.

Repleti, Domine, cœlesti mysterio, et benedictionibus suffragantum, gratias agimus nomini tuo, qui nos et salutari munere comitaris, et sanctorum patrociniis benignus attollis. Per, etc.

XXII. *Item alia.*—Martyrum tuorum nos, Domine, semper festa lætificent; et quorum celebramus meritum, experiamur auxilium. Per, etc.

Magnificamus, Domine, nomen tuum, omnipotens et misericors Deus, qui fragilitati nostræ subveniens, non solum nobis mysteria divina largiris, sed etiam per quorum preces his digni reddamur. Per, etc.

Vere dignum. Celebramus enim tuorum Natalitia pretiosa justorum, quæ dum quotidie toto (*Supple* B orbe) resplendeant, semper **11** et inchoantur expleta, et explentur jugiter inchoanda. Per, etc.

Frequenti sacramentorum perceptione satiati [a] (ditati), quæsumus, Domine, ut quorum honore geminantur, salutifera nobis oratione proveniant. Per, etc.

Adsit, Domine, misericordia tua populo, sanctorum deprecatione placatus, quæ eum semper et purget a crimine, et ab hoste defendat, temporalibus provehat adjumentis, et ad sanctorum gaudia sempiterna perducat. Per, etc.

XXIII. *Item alia.*—Sacræ festivitatis nobis, quæsumus, Domine, dona multiplica; [b] cum et salutis nostræ vota recolimus, et eorum qui tibi sunt placiti patrociniis adjuvemur. Per, etc. C

Exercentes, Domine, gloriosa commercia, offerimus quæ dedisti, ut te ipsum mereamur accipere. Per, etc.

Vere dignum. [c] Quoniam licet immensa sint omnia, quæ initiis humanæ sunt collata substantiæ, quod eam scilicet crearis ex nihilo; quod tui dederis cognitione pollere; quod cunctis animantibus summæ rationis participatione prætuleris; quod tota mundi possessione ditaris : longe tamen mirabiliora sunt opera, ut terrenam mortalemque materiam non solum vivificaris exstinctam, sed effeceris et divinam. Per, etc.

XXIV. *Item* [d] *alia.*—Altaribus tuis, Domine, munera terrena gratanter offerimus, ut cœlestia consequamur; damus temporalia, ut sumamus æterna. D Per, etc.

Vere dignum. Quis enim aut possit, aut audeat a tua laude cessare, perpendens mirandæ [e] depositionis effectus, quod de substantiæ genere peccatricis immaculata hostia gigneretur, cujus, pro ejusdem reatu naturæ, possis immolatione placari. Per, etc.

XXV. *Item alia.*—Da nobis hæc, quæsumus, Domine, [f] frequentata mysteria : quia quoties hostiæ tibi placatæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. Per, etc.

Vere dignum. [g] Quia cum totus mundus experiatur et cernat generis humani principia dejecta erigi, inveterata renovari, **12** et ad culmen subacta reduci; sicut veteres sancti quod credidere faciendum, cognoscit impleri, sic fiducialiter, quæ nunc promittuntur exspectat. Per, etc.

XXVI. *Item alia.*—Sacrificium, Domine, celebramus, quod ita nobis debet esse perpetuum, sicut nos ejus opere fieri jugiter desideramus æternum. Per, etc.

PASCHALI SS P SP.

B Vere dignum. Qui seipsum tibi pro nobis offerens immolandum, idem Sacerdos et sacer Agnus exhibuit. Per, etc.

Tribue nobis, Domine, misericordiam tuam, per quam et nostris reatibus possimus absolvi, et his mysteriis convenienter aptari. Per, etc.

XXVII. *Item alia.*—Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum martyrum confessionibus Ecclesiæ tuæ sacrum corpus exornas : da nobis, quæsumus, ut et doctrinis eorum tibi placentia et pio sequamur exemplo. Per, etc.

Exaudi, Domine, supplicum preces, et quas merita nostra destituunt, sanctorum tuorum commendatio reddat acceptas. Per, etc.

Suscipe, Domine, munera tuorum votiva populorum; et eorum tibi grata sint precibus, pro quorum solemnitate offeruntur. Per, etc.

Vere dignum. Qui nos sanctorum martyrum tribuis gloriosas indesinenter celebrare victorias. Isti sunt enim confessores illius nominis in quo nobis unicum salutis nostræ præsidium, Pater æterne, posuisti. Et ut ad ejus cognitionem possimus accedere, parvulorum mentium fidem, eorum et testificationibus instruis, et intercessionibus benignus attollis. Per, etc.

Sanctorum precibus, Domine, confidentes, quæsumus, per ea quæ sumpsimus, æterna remedia capiamus. Per, etc.

Supplicem tibi populum, Domine, tua munitione custodi; nec difficulter quod pie, quod juste postulat consequatur, cui sanctorum tuorum merita suffragantur. Per, etc.

XXVIII. *Item alia.*—Hostias [h] tibi, Domine, santorum tuorum **13** dicatas meritis benignus assume, et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per, etc.

Præsta nobis, Domine, quæsumus, universa pec-

[a] Vox *ditati* inter variantes recensenda.

[b] Leg., *ut cum salutis nostræ vota recolimus, eorum qui tibi*, etc.

[c] Hæc præfatio Leonis stylum præferre videtur.

[d] Hæc et duæ sequentes Missæ non sunt de sanctis.

[e] Corrige, *dispositionis*.

[f] Leg., *frequentare*. An infra legendum *placitæ?* Hæc eadem oratio, mutato principio, legitur in Romano Missali Dominica nona post Pentecosten.

[g] A Leonis style non videtur abhorrere.

[h] Est in Gregor. Sacram. in Natali S. Fabiani XIII kal. Febr. et alibi, nec non in Missali Rom. in communi unius martyris pontificis oratio secreta.

cata pariter atque pericula corporis et mentis evadere, quos innumerabilium martyrum pia confessione circumdas. Per, etc.

[a] Sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus in venerabilium commemoratione sanctorum. Da, quæsumus, ut quod illis contulit gloriam, nobis proficiat ad salutem. Per, etc.

Vere dignum. Qui nos beatorum martyrum palmas in diebus, quos suo sanguine signavere, venerantes, in tua [b] exaltare potentia, in tuo, Domine, tribuis semper honore gaudere. Per, etc.

[c] Sumpsimus, Domine, sanctorum tuorum solemnia celebrantes, cœlestia Sacramenta; quorum suffragiis, quæsumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per, etc.

XXIX. *Item alia.* — Apostolica nos muniat, Domine, semper oratio; ut iisdem suffragatoribus dirigatur Ecclesia, quibus principibus gloriatur, Per, etc.

[d] Sanctorum tuorum miseris esto, Domine, refugium singulare, quorum pro nobis et honore placeris et merito. Per, etc.

Ad martyrum tuorum, Domine, festa venientes, cum muneribus nomini tuo dicatis, occurrimus, ut illis reverentiam deferentes, nobis veniam consequamur. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam tu es gloriosus in sanctis, quibus et in persecutione tolerantiam [e] tribuisti, et in passione victoriam contulisti. Per, etc.

Memento, Domine, quæsumus, conditionis humanæ, ut sancti tui pro nobis et clementiam tuam semper exorent, et incessabiliter audiantur. Per, etc.

XXX. *Item alia.* — Protege nos, Domine, tuorum deprecatione justorum [f] (sanctorum); ut, quorum circumdamur suffragio, foveamur auxiliis. Per, etc.

Da nobis, quæsumus, Domine, semper hæc tibi vota deferre, quibus, sanctorum tuorum Natalia celebrantes, tuam gloriam prædicemus. Per, etc.

Vere dignum. Quia sanctorum tuorum solemnia [g] repetimus, quorum veneranda **14** confessio et mirabilia virtutis tuæ explevit, et illis præmium cœleste quæsivit, et nobis patrocinia præparavit. Per, etc.

Prosint nobis, Domine, justorum tuorum frequentia solemnia : quoniam quanto fragiliores sumus, tanto tibi placentibus præsidiis indigemus. Per, etc.

XXXI. *Item alia.* — Peccatorum nostrorum, [h] Domine, multitudine prævalente, sanctorum tuorum, Domine, annua festa recolimus; singulare suffragium per eos tuam misericordiam deprecantes, quorum nos voluisti patrociniis adjuvari. Per, etc.

Offerentium tibi munera, quæsumus, Domine, ne delicta respicias; sed intercessorum merita propitius intuere. Per, etc.

Vere dignum. Te in tuorum glorificantes confessione sanctorum, qui, mirabili dispensatione sapientiæ tuæ, et illis beatitudinem sempiternam, et fragilitati nostræ congrua præparasti subsidia; ut quos ad te placandum prævideres dignos, eorum qui tibi placuerunt dignis precibus propitiatus intenderes. Unde supplices imploramus ut sicut illos manet æterna felicitas, sic pro nobis eorum deprecatio continuata non desit. Per, etc.

Peccavimus tibi, omnipotens et misericors Deus. Remedium non habemus, nisi miserearis nobis tuorum deprecatione sanctorum. Per, etc.

XXXII. *Item alia.* — Da nobis, omnipotens et misericors Deus, ut sanctorum tuorum Natalitia celebrantes, quorum prædicamus triumphos, eorum fidem veraciter imitemur. Per, etc.

Offerimus, Domine, munera tuorum tibi solemnitatibus grata sanctorum, tuam clementiam deprecantes ut quod ad illorum gloriam, nobis prosit ad veniam. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam martyrum beatorum pro confessione tui nominis venerabilis sanguis effusus sicut tua mirabilia manifestat, qui perficis in infirmitate virtutem, ita nostris et studiis dat profectum, et fragilitatibus præstat auxilium. Per, etc.

XXXIII. *Item alia.* — Sanctis intervenientibus, Domine, tibi servitus nostra complaceat, et obsequia munerum fiant præsidia devotorum. Per, etc.

Aspice nos, Domine, precibus exoratus **15** venerandi martyris [i] Gregorii, tua miseratione conce-

[a] In Missali Rom. est oratio secreta Missæ S. Hermetis die 28 Aug.

[b] Leg., *exsultare.*

[c] Est oratio *Postcommunio* Missæ SS. Joannis et Pauli die 26 Junii in Missali Romano.

[d] Aliquid deest; forte, *intercessione.*

[e] Alterutrum verbum *tribuisti*, vel *contulisti*, est varians lectio.

[f] *Sanctorum* vox inter variantes lectiones recensenda.

[g] Hæc formula *repetimus* pro Missa octavæ adhibetur in missa XIV S. Laurentii, oratione ultima. Cum octava de aliquo martyre celebranda esset, hæc Missa communis usui fuisse videtur.

[h] Alterutrum *Domine* abundat. Mox pro *tuam misericordiam*, rectius *a tua misericordia.*

[i] Blanchinius et Muratorius legendum putant *Georgii*, cujus festum incidit in diem 23 Aprilis. Id autem cogitarunt ex præsumptione, quod hæc Missa ad mensem Aprilem pertineat. At collectorem Missas communes de sanctis hoc loco collocasse, et aliorum quoque SS. Tiburtii et Laurentii orationes inseruisse, quæ ad Aprilem non spectant, annot. 1 (*Col.* 21, *n.* [a]) observavimus. S. Gregorii autem et Chrysogoni martyrum natale in hoc eodem Sacramentario notatur VIII kal. Decembris. In veteri Missali Romano monastico Lateranensi novissime edito a clarissimo præsule Nicolao Antonello, et inserto tom. I Collectionis Liturgicæ Patris Azevedi pag. 764, Missa legitur S. Georgii martyris, quæ in nullis aliis vetustioribus Romanis libris invenitur; sed ea describitur IX kal. Januarii. Ex hoc autem die doctissimus annotator colligit hunc esse S. Gregorium martyrem Sipontinum, cujus memoria eodem die in aliis ecclesiasticis documentis signatur. Putat autem hanc Missam in hoc Romanum Missale inductam a monachis, quod aliquo ipsorum monasterio in ejus honorem erecto ejusdem festivitas apud ipsos (quos pag. 31 Spoleto Romam accitos putat) celebris fuerit. Post pauca vocabulum *lætitiam* varians lectio est textui inserta.

dens, ut sicut nobis ejus passio contulit hodiernum A in tua virtute conventum (lætitiam), ita suffragetur et meritum. Per, etc.

Fiat, Domine, quæsumus, hostia sacranda placabilis pretiosi celebritate martyrii, quæ et [a] corda nostra purificet, et tuorum tibi vota conciliet. Per, etc.

Vere dignum. Propensius exorantes, ut sicut infirmitati nostræ præscius contulisti subsidia copiosa justorum, ita nobis eorum tribuas intercessione refoveri. Per, etc.

Exaudi nos, Domine, clamantes ad te, et quos non deseris sacramentis, necessariis attolle præsidiis. Per, etc.

[b] IN DEDICATIONE.

XXXIV. *Item alia.* — Deus, qui beati Petri apostoli dignitatem ubique facis esse gloriosam : præsta, B quæsumus, ut et doctrina semper ipsius foveamur et meritis. Per, etc.

Suscipe, Domine, quæsumus, hostias, quas majestati tuæ in honore beati apostoli Petri, cui hæc est basilica sacrata, deferimus, et ejus precibus nos tuere. Per, etc.

Vere dignum. Qui ut in omni loco dominationis tuæ beati Petri apostoli magnifices potestatem, non solum ubi venerabiles ejus reliquiæ conquiescunt, sed ubicumque pretiosa reverentia fuerit invocata, tribuis esse præsentem; nunc etiam perseverare demonstres, quod in omnem terram sonus ejus exeat, et toto orbe salutaria verba decurrant. Per, etc.

Benedicimus, Domine, misericordias tuas, qui nos incessabiliter beati apostoli tui Petri sinis comme- C morationе foveri, suppliciter exorantes ut cujus solemnia gerimus, patrocinia sentiamus. Per, etc.

16 XXXV. *Item alia.* — Si vis, potens es mundare, Domine; et quam vox iniquitatis nostræ non obtinet, tuorum nobis precibus veniam donare sanctorum. Per, etc.

Supplices, Domine, te rogamus, ut quamvis offensiones nostræ impediant, recordatione tamen martyrum tuorum munus nostrum non sit ingratum. Per, etc.

Vere dignum. Prostrato corde poscentes ut quamvis tanta sint nostra facinora, quibus etiam cum innumerabilibus sanctorum suffragiis laboremus, tu tamen immensa pietate concedas ne scelera magis nostra prævaleant, quam satisfactio pro nobis copiosa justorum. Per, etc. D

Præsta, Domine, quæsumus, ut quam immensis erroribus aggravati fiduciam conscientiæ non habemus, martyrum tuorum nobis supplicatio beata subveniat. Per, etc.

XXXVI. *Item alia.*— Prosint [c] meritis, Domine, patrocinia multiplicata sanctorum, et injustitias nostras tot oratio beatorum pro nobis fusa dissolvat. Per, etc.

Ne, quæsumus, Domine, pro nostris excessibus munera delata despicias, sed pro tuorum intercessione sanctorum potius ad indulgentiam convertere supplicibus. Per, etc.

Vere dignum. Tu etenim, Domine, discernis populum tuum; et [d] ad martyrum festa multitudo conveniat, qui in tuorum vere fidelium sint parte cognoscis; atque ideo in nulla remaneat diaboli portione, qui in sanctorum cupit sorte numerari. Per, etc.

Annue, quæsumus, Domine, sacris martyribus tuis, ut opem nobis suæ deprecationis impendant, et iram tuam, quam nostris **17** pravitatibus meruimus, evadamus. Per, etc.

XXXVII. *Item alia.* — Non obruamur, Domine, quæsumus, quamvis immensis molibus peccatorum, qui ubique sanctis tuis deprecantibus exoramus, ut malis nostris offensus præsentes hostias non repellas, sed tibi nos placitos sacramenti virtute perficias. Per, etc.

Vere dignum. Donari nobis suppliciter exorantes ut sicut sancti tui mundum in tua virtute vicerunt, ita nos a mundanis erroribus postulent expediri. Per, etc.

Quia nostræ voces, Domine, non merentur audiri, sanctorum tuorum interventio, quæsumus, sit accepta [e] (fiat grata) pro nobis. Per, etc.

XXXVIII. *Item alia.* — Preces nostras, Domine, propitiatus admitte, et ut digne tuis famulemur altaribus, sanctorum tuorum nos intercessione custodi. Per, etc.

Tribue nos, Domine, quæsumus, donis tuis libera mente servire, ut, purificante nos gratia tua, iisdem quibus famulamur mysteriis emendemur. Per, etc.

Vere dignum. Tibi etenim, Domine, sacra festivitas agitur, tibi dies sacrata celebratur, quam beatorum martyrum tuorum sanguis, in veritatis tuæ testificatione profusus, magnifico nominis tui honore signavit. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui fragilitati nostræ consulens, assidua nos sanctorum celebritate solaris, da nobis sub patronis talibus constitutis, et perpetua securitate muniri, et salutari gaudere profectu. Per, etc.

[f] Grata tibi munera nostra sint, Domine, quæ et tuis sunt instituta præceptis, et sanctorum tuorum festivitas gloriosa commendat. Per, etc.

Vere dignum. Tuas enim, Domine, virtutes, tuas-

[a] Primis curis scripserat amanuensis *peccata*, secundis vero substituit *corda*.

[b] Verba *In dedicatione* videri scripta in margine ab alio antiquario, primum notaverat P. Blanchinius; sed in correctionibus quas postea præmisit, sincere confessus est ea verba esse ejusdem antiquarii, ut monitus fuit a Bartholomæo Campagnola, qui codicem, ipso Blanchinio flagitante, diligenter consuluit. Dedicationem quidem ecclesiæ S. Petri videntur innuere verba orationis secundæ : *cui* (Petro) *hæc est basilica sacrata*. Animadvertendum porro est hanc Missam inter communes recenseri Aprili a collectore arbitrarie insertas; unde ex hoc loco colligi nequit veluti certum, dedicationem basilicæ S. Petri, aut aliud ejusdem apostoli festum in mensem Aprilem incidisse.

[c] Magis placeret *immeritis*.

[d] Assuta hic se produnt verba *ad martyrum festa multitudo conveniat;* vel ante voces *ad martyrum* aliquid supplendum est, ex gr., *cum*.

[e] *Fiat grata* est varians lectio in textum illata.

[f] Hæc alia Missa est, licet numero non distincta.

que victorias admiramur; quoties in Ecclesia tua horum dierum solemnia celebramus, quos insignes confessorum tuorum et martyrum palmæ ad perennem memoriam sanctamque lætitiam fidelibus populis sacraverunt. Per, etc.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut divina mysteria, quæ in tuorum commemoratione sanctorum frequentamus, actu subsequamur et sensu. Per, etc.

18 Adesto, Domine, populo tuo cum sanctorum patrocinio supplicanti, ut quod propria fiducia non præsumit, suffragantium meritis consequatur. Per, etc.

XXXIX. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui nos idoneos non esse perpendis ad majestatem tuam, sicut dignum est, exorandam, da sanctos martyres tuos pro nostris supplicare peccatis, quos digne possis audire. Per, etc.

Adjuva nos, Domine, tuorum prece sanctorum, ut quorum festa gerimus, sentiamus auxilium. Per, etc.

Oblationem familiæ tuæ, Domine, sanctorum martyrum præsidia deputata commendent, et ut tibi grata sint, placentium tibi supplicationibus offerantur. Per, etc.

Vere dignum. Qui non solum debitum mortis antiquæ, quo idem non tenebatur, exsolvens, pro debitoribus repensavit, sed martyribus suis contulit ut, quod humana substantia contra voluntatem sui Creatoris agendo contraxerat, et præfixa lege fuerat solutura, dum pro testimonio Creatoris sponte [a] susciperent, fieret eis de reatu justitia, et pœna transiret ad gloriam. Per, etc.

XL. *Item alia.* — Sint tibi placita, Domine, populi tui votiva sacrificia, et quod fragilitas nostra non impetrat, [b] eorum supplicatio, pro quorum gloria deferuntur, obtineat. Per, etc.

Dicata nomini tuo munera, Domine, sanctorum tuorum pro nobis satisfactio prosequatur; ut offensæ nostræ per eos, [c] qui in conspectu tuo digni sunt, relaxentur. Per, etc.

Vere dignum. Qui ad majorem triumphum de humani generis hoste capiendum, præter illam gloriam singularem, [d] qua ineffabilibus modis Domini virtute prostratus est, ut etiam a sanctis martyribus superaretur, effecit; [e] atque in membris quoque suis victoria sequeretur, quæ præcessit in capite. Per, etc.

XLI. *Item alia.* — Exaudi, Domine, preces nostras; et ut digna sint munera quæ oculis tuæ majestatis offerimus, subsidium nobis tuorum concede sanctorum. Per, etc.

A Vere dignum. Tui enim operis, Domine, **19** tuæque virtutis est, ut inimicus humanæ substantiæ non tantum per Filium tuum Dominum nostrum, sed etiam per sanctos martyres tuos debitrici [f] suæ quondam naturæ redderetur obnoxius, et subditæ sibi subderetur. Et ideo cum angelis, etc.

XLII. *Item alia.* — Quæsumus, Domine Deus noster, ne apud justitiam tuam peccata nostra nos aggravent, quam tuæ pietatis invicta miseratio...... nec nos, quamlibet innumeris gravari patiaris erroribus, quos tantis voluisti sanctorum tuorum suffragiis adjuvari. Per, etc.

[g] Respice propitius, Domine, super hæc munera

B quæ et pro sanctorum tuorum commemoratione deferimus, et pro nostris offensionibus immolamus. Per, etc.

Vere dignum. Pugnavit enim in beatis martyribus tuis contra profanitatem mundi tuæ fidei gloriosa confessio; contra irrationabilem sævitiam persequentium sapiens sanctaque patientia; contra illecebras temporales spes cœlestium [h] (promissio) præmiorum; contra vitæ præsentis affectum venturæ salutis æternitas; et in omnibus frementis machinamenta diaboli dextera tua in eis dimicante, vicerunt. Per, etc.

XLIII. *Item alia.* — Oblationes nostras, quæsumus, Domine, tua tibi dignatione fac placitas: quia nihil in nobis, quod placare te possit, nisi, deprecantibus sanctis, tua nos propitiatione prævenias. Per, etc.

C Vere dignum. Venerabilium martyrum præconia recolentes: quoniam tui operis, Domine, tuæque virtutis est, etc. [i]

Et Natalitiis sanctorum, Domine, et sacramenti munere vegetati, quæsumus, ut bonis quibus per tuam gratiam nunc fovemur, perfruamur æternis. Per, etc.

Adsit, Domine, quæsumus, propitiatio tua populo supplicanti; ut quod, te inspirante fideliter expetit, tua celeri largitate percipiat. Per, etc.

MENSE MAIO.

IX.

PRECES IN ASCENSA DOMINI.

[j] Adesto, Domine, supplicationibus nostris; ut sicut humani generis Salvatorem consedere tecum in

D tua majestate confidimus, ita usque ad consummationem sæculi **20** manere nobiscum, quemadmodum es pollicitus, sentiamus. Per, etc.

---

[a] Hæc eadem præfatio repetitur in Missa prima SS. Joannis et Pauli; ibique pro *susciperent* legitur *suscipiunt*, ubi forte desideratur *martyrium*.

[b] In Missa II eorumdem martyrum Joannis et Pauli, ubi hæc oratio pariter legitur, pro *eorum* habetur *sanctorum*.

[c] In eadem Missa II, *qui tibi sint placiti*, *relaxentur*.

[d] Alias in eadem Missa II, *qua ipsius Domini virtute*.

[e] In eadem Missa meliori lectione, quæ Leoni nostro congruit, *et eadem victoria sequeretur in membris*, *quæ præcessit in capite*. Præter hanc vero lectionem, hujus quoque loci varians lectio ibidem affertur.

[f] In tertia Missa SS. Joannis et Pauli hæc præfatio repetitur omissa voce *suæ*.

[g] Missale Romanum hanc orationem exhibet die 23 Julii in festo S. Apollinaris.

[h] Vox *promissio* est varians lectio.

[i] Ut in præfatione prima Missæ septimæ, ubi tantum omittuntur voces *Dominum nostrum*.

[j] Hæc oratio est in Sacramentario Gelasiano lib. I, n. 64, nec non in Gregor. die Ascensionis Domini.

Omnipotens sempiterne Deus, tribue nobis munere festivitatis hodiernæ, ut illuc filiorum tuorum dirigatur intentio, quo in tuo Unigenito tecum est nostra substantia. Per, etc.

Exaudi nos, misericors Deus, et da mentibus nostris, quo Redemptor noster conscendit, attolli, ut secundo Mediatoris adventu manifesto munere capiamus, quod nunc audemus sperare promissum. Per, etc.

[a] Præsta nobis, omnipotens et misericors Deus, ut quæ visibilibus mysteriis celebrando suscepimus, invisibili consequamur effectu. Per, etc.

Da nobis, Domine, non terrena sapere, sed amare cœlestia, et inter prætereuntia constitutos jam nunc inhærere mansuris. Per, etc.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, quia per hæc sacrosancta mysteria [b] (commercia) in totius Ecclesiæ confidimus corpore faciendum, quod ejus præcessit in capite, per eumdem Jesum Christum Dominum nostrum.

I. — [c] Vere dignum. Qui post resurrectionem sæculis omnibus gloriosam, discipulis suis visu conspicuus, tactuque palpabilis usque in quadragesimum diem manifestus apparuit; ipsisque cernentibus est elevatus in cœlum: in id proficientibus per has moras Ecclesiæ primitivis, ut et certius fieret quod credidissent, et plenius discerent quod docerent. Per, etc.

II. — Vere dignum. Justa enim nobis exsultatione lætandum est inter gaudia festivitatis hodiernæ, quia in cœlos Ascensio mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi, a nostra non est humilitate discessio; dum et in ea gloria, quam tecum semper habuit, et in ea natura est, quam suam fecit ex nobis: ac sic homo dignatus existere est, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes. Propterea, etc.

III. — Vere dignum. Quia mirantibus angelis, angelorumque principibus, Rex gloriæ, Dominusque virtutum, resurrectionis beatæ primitias, throno tuæ majestatis oblatas, in tua secum dextera collocavit. Et ideo, etc.

21 Communicantes et diem sacratissimum celebrantes Ascensionis in cœlum Domini nostri Jesu Christi, sed et memoriam venerantes, etc.

IV. *Item alia.* — Vere dignum. Teque suppliciter exorare, ut mentibus nostris tua inspiratione concedas, quo Redemptor noster conscendit, attolli, ut secundo Mediatoris adventu, manifesto munere capiamus quod nunc audemus sperare promissum, per

A hunc eumdem Jesum Christum Dominum nostrum, per quem te laudant angeli, etc.

[d] Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nostræ mentis intentio, quo solemnitatis hodiernæ gloriosus auctor ingressus est, semper intendat, et quo fide pergit, conversatione perveniat. Per, etc.

V. *Item alia.* — Exaltationem nostræ conditionis [e] (humanæ substantiæ) respice, Deus, ut, tua dignatione mundati, sacramentis magnæ pietatis aptemur. Per, etc.

Vere dignum. Ut sensibus nostris dignanter infundas, ne terrenis affectionibus inhærendo, oculos ad cœlestia non levemus: ne infimis voluptatibus occupati, mentes non valeamus attollere quo Salvator noster ascendit; ne diabolica sectando vestigia, a
B Christi consortio recedamus: quia nemo potest summi verique Regis celsitudine delectari, nisi qui pestifera destructa [f] (subversa) Tyranni jura calcarit. Per, etc.

VI. *Item alia.* — [g] Da, quæsumus, omnipotens Deus, illuc subsequi tuorum membra fidelium, quo caput nostrum principiumque præcessit. Per, etc.

Vere dignum. In hac die, qua Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, divini consummato fine mysterii, dispositionis antiquæ munus [h] explicuit; ut scilicet et diabolum cœlestis operis inimicum, **22** per hominem, quem subjugarat, elideret, et humanam reduceret ad superna dona substantiam. Per, etc.

[i] Tribue, quæsumus, Domine, ut illuc tendat Chri-
C stianæ nostræ devotionis affectus, quo tecum est nostra substantia. Per, etc.

[j] Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster unigenitus Filius tuus unitum sibi hominem nostræ substantiæ in gloriæ tuæ dextera collocavit; sed et memoriam, etc.

X.

ORATIONES PRIDIE PENTECOSTEN.

Deus, qui si velis reddere quod meremur, prius deficimus quam merita supplicia perferamus, quæsumus, absolve nostros placatus errores, et, ut possimus ad tua præcepta converti, copiosa propitiatione nos præveni. Per, etc.

Clemens, omnipotens, et misericors Deus, duri-
D tiam nostri cordis averte, qua nos verbera multiplicata metuimus, nec tantis mysteriis collata dona sentimus; et tua nobis inspiratione concede, ut et

[a] In eodem Sacram. Gregor. eadem die, nec non in Missali Romano.

[b] Vox *commercia* varians lectio.

[c] Est in Missali Ambrosiano apud Pamelium tom. I, pag. 374. Prima hæc præfatio Leonina videtur, sicut etiam tertia.

[d] Exstat in Sacram. Gelas. lib. I, n. 63.

[e] Varians lectio voces *humanæ substantiæ* intulit in textum.

[f] *Subversa* varians lectio.

[g] Est in Sacram. Gregorii apud Menardum die Ascensionis Domini. Similis sententia est apud Leonem Serm. 1 in Ascens. Domini c. 4: *Quia igitur Christi ascensio nostra provectio est; et quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis.*

[h] In Sacram. Gelas. lib. I, n. 64, et apud Pamelium tom. II, pag. 569, in quibus hæc præfatio legitur, pro *explicuit* forte melius habetur *explevit.*

[i] Codd. Gregoriani hanc orationem exhibent fer. 4 in albis.

[j] In Gelasiano iisdem verbis exstat lib. I, n. 63. In Gregoriano autem ac in Romano Missali hæc sola mutatio legitur *unitam sibi fragilitatis nostræ substantiam.*

delictis veniam postulemus, et gratias pro nostra sal- A vatione reddamus. Per, etc.

Domine Deus noster, cujus est prima causa miserendi, qua nomen tuum timeamus et amemus: cordibus nostris miseratus infunde, ut quæ tibi non placent, refutantes, sincera tibi voluntate subdamur. Per, etc.

Parce, Domine, parce peccantibus; et ut ad propitiationem tuam possimus accedere, Spiritum nobis tribue corrigendi. Per, etc.

[a] *Item alia.* — [b] Omnipotens sempiterne Deus, qui paschale sacramentum quinquaginta dierum voluisti mysterio contineri, præsta, ut gentium facta dispersio divisione linguarum, ad unam confessionem tui nominis cœlesti munere congregetur, Per, etc.

Supplices tuam, Domine, clementiam deprecamur, ut qui prævenis semper mala merita nostra miserendo, B tibi placita [c] fieri piis actibus et jejuniis salubribus expiando. Per, etc.

[d] Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, **23** ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parcimoniæ studio reformetur. Per, etc.

[e] Annue, misericors Deus, ut qui divina præcepta violando, paradisi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis redeamus accessum per tuorum custodiam mandatorum. Per, etc.

Adesto, Domine, fidelibus tuis, adesto supplicibus: et terrestribus non deseras adjumentis, quos cœlestium rerum facis esse participes. Per, etc.

Sacri nos, Domine, muneris operatio mundet et foveat [f] (renovet), et donis societ sempiternis. C Per, etc.

Vere dignum. Qui, ut ad id quod facta est, reparetur humana conditio, in uno eodemque homine suum cuique convenienter attribuis. Corpus alitur escis, anima jejuniis saginatur; nisi competentibus sustentata cibis membra non serviunt, absque continentia non viget mentis imperium. In qua diversitate substantiæ sic tuo moderamine nos gubernas, ut quia sine his non potest constare, quibus refovetur alterutrum, hac temperie sumi præcipias, qua utrumque vegetetur: ac simul alimonia carni non desit, unde subsistat; et adsit observantia, unde mens polleat. Per, etc.

[g] Sacris cœlestibus, Domine, vitia nostra purgentur, ut muneribus tuis possimus semper aptari. Per, etc.

Supplicem tibi, Domine, plebem placatus intende, et in tua misericordia confidentem clementia largiore comitare; ut quia sine te non potest omnino consistere, tuis beneficiis temporalibus gubernetur, ut proficiat ad æterna. Per, etc.

IN PENTECOSTEN ASCENDENTIBUS A FONTE.

I. — Præsta nobis, ineffabilis et misericors Deus, ut adoptio, quam in idipsum sanctus Spiritus advocavit, [h] nihil in dilectione terrenum, nihil habeat in confessione diversum. Per, etc.

[i] Propitius, Domine, quæsumus, hæc dona sanctifica, et hostiæ spiritalis oblatione **24** suscepta, nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per, etc.

[j] Vere dignum. Qui ascendit super omnes cœlos, sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum sanctum in filios adoptionis effudit: unde lætantes inter altaria tua, Domine virtutum, hostias tibi laudis offerimus, etc.

[k] Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro his quos ex aqua et Spiritu sancto regenerare dignatus es, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, placatus accipias, eorumque nomina ascribi jubeas in libro viventium. Per, etc.

[l] Communicantes, et diem Pentecosten sacratissimum celebrantes, quo Spiritus sanctus apostolos plebemque credentium præsentia suæ majestatis implevit: sed et memoriam venerantes, etc.

[m] Benedic, Domine, et has tuas creaturas (fontis) mellis et lactis; et pota famulos tuos ex hoc fonte aquæ vitæ perennis, qui est Spiritus veritatis, et enutri eos de hoc lacte et melle, quemadmodum patribus nostris Abraham, Isaac, et Jacob [n] *promisisti* introducere te eos in terram promissionis, terram fluentem melle et lacte. Conjunge ergo famulos tuos, Domine, Spiritui sancto, sicut conjunctum est hoc mel et lac, quo cœlestis terrenæque substantiæ signi-

[a] Hæc formula *Item alia*, a Muratorio omissa, in codice legitur. Est Missa quidem distincta, et instituta post institutum in vigilia Pentecostes jejunium, de quo in sequentibus orationibus et præfatione fit mentio.

[b] Hanc orationem habet Sacramentarium Gelasii lib. I, n. 80, in Dominica Pentecosten. Gregorianum D autem in Sabbato ante Pentecosten.

[c] Rectius *facias*.

[d] Habetur hæc oratio in Gelasiano, et in Gregor. Menardi feria 7 hebdomadæ tertiæ Quadragesimæ. In Gregorianis autem codicibus a Muratorio editis, et in Romano Missali feria 5 post Dominicam Passionis.

[e] Iidem codd. Muratorii hanc orationem referunt sabbato ante Pentecosten *ad descensum fontis*.

[f] *Renovet* est varians lectio.

[g] Est in Gelas. lib. I, n. 79.

[h] Hæc Leoninam syntaxim spirant.

[i] Hæc oratio occurrit etiam in Sacram. Greg. et in Missali Rom. fer. 2 post Dominicam Pentecostes.

[j] Tota hæc præfatio est in Gelas. ad vigilias Pentecostes lib. I, n. 78, in Gregoriano autem, et in Missali Rom. usque ad verbum *effudit*.

[k] Similis est, nonnullis intermediis verbis additis, in Gelas. in nocte cœnæ lib. I, n. 45; et repetitur in vigilia Pentecostes n. 78. Non absimilis est quoque in Gregor. et in Missali Rom. in Paschate et Pentecoste.

[l] Est in Gelas. lib. I, n. 78, et in Gregoriano Menardi.

[m] Hæc benedictio lactis et mellis exstat in Ordine Romano Hittorpii in Sabbato Sancto tom. I, pag. 37. Lactis ac mellis usum post baptisma memorant Tertullianus *De Corona milit.* c. 3, et lib. I adversus Marcionem, ac S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos. Vide Martene *De antiq. Ecclesiæ Ritibus* tom. I, lib. I, c. 1, art. 15. Post pauca vox *fontis* perperam intrusa, in Ordine Romano Hittorpii jure omittitur.

[n] Supplevimus verbum *promisisti* ex laudato Ordine Romano Hittorpii.

ficatur unitio in Christo Jesu Domino nostro. Per quem hæc omnia, etc.

II. *Item alia.* — [a] Da nobis, quæsumus, Domine, per gratiam Spiritus sancti novam tui Paracliti spiritalis observantiæ disciplinam, ut mentes nostræ, sacro purgatæ jejunio, cunctis reddantur ejus muneribus aptiores. Per, etc.

25 [b] IN JEJUNIO QUARTI MENSIS.

[c] Concede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis; ut contra spiritales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per, etc.

Deus, cujus mysteriis mundamur et pascimur, præsta ut eadem sic temporaliter celebremus, ut nobis experiamur æterna. Per, etc.

Præsumptio et Reparatio primi hominis.

Vere dignum. Qui post illud ineffabiliter institutum divinæ humanæque naturæ consortium, Sponsi filios usque ad ejus abscessum non posse jejunare præmonuit; ne rudes animos parvulorum, supernis eruditionibus imbuendos, oneraret austerioribus disciplinis, sed proficientibus exercitia majora servaret: quibus uberiore dono Spiritus sancti sufficienter instructis jejunii subsequentis primitias dedicavit; ut quia post creationem primi hominis initium peccati concupiscentia ministrarat, post reparationem generis humani continentia fieret origo virtutum. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui paschalis solemnitatis arcanum [d] hodierni mysterii plenitudine perfecisti, da, quæsumus, ut filii tuæ adoptionis effecti, quam Dominus noster Jesus Christus ad te veniens dereliquit, mereantur pacem. Per, etc.

[e] Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per, etc.

Hostias populi tui, quæsumus, Domine, miseratus intende; et ut tibi reddantur acceptæ, conscientias nostras sancti Spiritus salutaris adventus emundet. Per, etc.

Vere dignum. In die solemnitatis hodiernæ, quo humanam de varia superstitione **26** substantiam spiritu veræ perficis religionis unitam. Per, etc.

[f] Adesto, Domine, quæsumus, populo tuo, et quem mysteriis cœlestibus imbuisti, ab hostium furore defende. Per, etc.

XI.

IN DOMINICUM PENTECOSTEN.

Adesto, Domine, precibus nostris, ut adoptio, quam in idipsum, etc. [g]

Propitius, Domine, quæsumus, hæc dona sanctifica, etc. [h]

Vere dignum. Hæc tibi nostra confessio, Pater gloriæ, semper accepta sit, de cordibus filiorum promissionis emissa: quia nihil sublimius collatum Ecclesiæ tuæ probamus exordiis, quam ut Evangelii tui præconia linguis omnium credentium ora loquerentur; ut et illa sententia, quam superbæ quondam Turris exstructio meruit, solveretur, et vocum varietas ædificationi [i] ecclesiasticæ non difficultatem faceret, sed augeret potius unitatem. Per, etc.

Contra [j] inimicos catholicæ professionis.

I. — Exaudi, Domine, preces nostras, et sicut profanas mundi caligines sancti Spiritus luce evacuasti; sic hostes Romani nominis, et inimicos catholicæ professionis expugna. Per, etc.

Contra Imperatores.

Deus, qui vastatoris antiqui perfidiam virtute Filii tui et sancti Spiritus destruendo, dedisti nobis de captivitate victoriam: concede, quæsumus, ut qui nos impetere moliuntur, potentiæ tuæ dextera conterantur. Per, etc.

[k] Accipe, quæsumus, Domine, munus oblatum; et dignanter operare, ut quod mysteriis agimus, piis effectibus celebremus. Per, etc.

27 Vere dignum. Clementiam tuam suppliciter exorantes, ut sicut nobis æternæ securitatis aditum Passione Domini Jesu Christi et sancti Spiritus illuminatione reserasti, sic etiam tranquillitatem vitæ præsentis indulgeas, per quam tanti doni particeps devotio quieta proficiat, et negligentia [l] et terror

[a] Est in Gelasiano lib. I, n. 79, in Gregoriano Muratorii die sabbati ante Pentecosten, et apud Pamelium tom. I, p. 378.

[b] Hic titulus perperam intrusus videtur: sequentia enim ad jejunium in vigilia Pentecostes pertinent, ut annot. 29 (*mox n.* [d]) patebit. Forte oratio mox subjecta, et lucubrata eo tempore, quo nondum jejunium vigiliæ Pentecostes erat institutum, antea descripta erat fer. 4, in jejunio mensis quarti, pro quo quidem a Leone condita videtur. Post institutum vero jejunium vigiliæ traducta fuit a feria 4 ad hunc vigiliæ diem, quo jejunium post paschale tempus inchoabat: et cum ipsa oratione titulus etiam per oscitantiam transcriptus fuit. Hinc sequentia cum oratione præcedenti ad eamdem Missam referenda sunt, ut in Gelasiano Sacramentario copulantur sub titulo: *In vigilia Pentecostes.*

[c] Est in Gelasiano in vigilia Pentecostes n. 79, et iterum n. 83, fer. 4, in jejunio mensis quarti: ac in Gregorianis codd. et in Missali Rom. feria 4 Cinerum. Nonnulla hic sunt ex Leonis serm. 78, c. 2, sicut et in sequenti præfatione. Stylus certe atque sententiæ concinunt cum serm. 78 et 79 a Leone lucubratis in jejunio mensis quarti.

[d] Voces *hodierni mysterii* non diebus jejunii quarti mensis, sed festo Pentecostes congruunt; unde hæc alia Missa est perperam assuta cum antecedenti sub titulo: *In jejunio mensis quarti.*

[e] Est in Gregor. Sacramentariis et in Romano Missali feria 6 post Dominicam Pentecostes. De hujus orationis institutione ac sensu vide inferius annot. 35 (*Infra n. j*).

[f] Legitur in laudatis Sacramentariis et Missali Rom. feria 2 post Pentecosten.

[g] Quæ sequuntur, repetitio sunt orationis primæ superius descriptæ ascendentibus a fonte.

[h] Repetitur hic oratio, quæ loco indicato est pariter secunda.

[i] Magis placeret *Ecclesiæ.*

[j] Hic indicari videntur Vandali Ariani, qui an. 455, sub festum Pentecostes, Romæ imminebant: tres enim dies post idem festum in Urbem ingressi sunt, uti ostendimus in admonitione ad serm. 84. Hæc ergo et sequens oratio, sicut etiam duæ paulo ante descriptæ, *Da, quæsumus*, et *Adesto, Domine*, quibus contra ejusmodi hostes divinum auxilium deposcitur, Leonem habere possunt auctorem.

[k] Hæc oratio in Sacram. Gregor. et in Missale Rom. traducta legitur fer. 4 Pentecostes.

[l] Erat in editis, *et error*. Cum vero de hostibus Vandalis Romam impetentibus his in orationibus agatur, uti monuimus annot. 35 (*Supra, n. j*), legendum

illatus, ad fidei transferatur augmentum. Per, etc.

II. *Item alia.* — [a] Purificet nos, quæsumus, Domine, muneris præsentis oblatio, ut dignos sacra participatione perficiat. Per, etc.

[b] PRÆCES F.

[c] Mentes nostras, quæsumus, Domine, sanctus Spiritus divinis præparet sacramentis, quia ipse est omnium remissio peccatorum. Per, etc.

Communicantes, et diem sacratissimum Pentecosten celebrantes, quo apostoli apostolorumque discipuli omnium charismatum spiritalia dona sumpserunt; sed et memoriam venerantes, etc.

[d] Adsit nobis, Domine, quæsumus, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur inimicis. Per, etc.

XII.

IN JEJUNIO MENSIS QUARTI.

[e] Adesto, Domine, supplicibus tuis, ut hoc solemne jejunium, quod animis corporibusque curandis salubriter institutum est, devoto servitio celebremus. Per, etc.

Præsta, Domine Deus noster, ut contra omnes fremitus impiorum mentis puritate vincamus, et qui nos, in sua confidentes virtute, moliuntur affligere, a nobis jejunantibus subjugentur. Per, etc.

28 Offerimus tibi, Domine, quæ dicanda tuo nomine dedisti, suppliciter exorantes ut sicut eadem nobis efficis sacramentum, ita fieri tribuas remedium sempiternum. Per, etc.

[f] Vere dignum. Post illos enim lætitiæ dies, quos in honorem Domini a mortuis resurgentis et in cœlos ascendentis exegimus, postque perceptum sancti Spiritus donum, necessarie nobis hæc jejunia sancta provisa sunt; ut pura conversatione viventibus, quæ divinitus Ecclesiæ sunt collata, permaneant. Per, etc.

[g] Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster, ut cujus exsequimur cultum, sentiamus effectum. Per, etc.

A Adesto, Domine, populis tuis, tua protectione fidentibus, et tuæ se dexteræ suppliciter inclinantes perpetua defensione conserva. Per, etc.

Percipiant, quæsumus, Domine, vitæ præsentis auxilium, et gratiam reperiant sempiternam. Per, etc.

XIII.

MENSE JUNIO

VIII KALENDAS JULII. NATALE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

I. — [h] Virtutem cœlestium, Deus, qui nos annua beati Joannis Baptistæ solemnia frequentare concedis, præsta, quæsumus, ut et securis eadem mentibus celebremus, et [i] ejus patrocinio promerente, plene capiamus securitatis augmentum. Per, etc.

Ad offerenda munera, Domine, læti concurrimus, supplices implorantes ut venerando gloriam Nuntiantis, sumamus gratiam Nuntiati. Per, etc.

B 29 [j] Vere dignum. Exhibentes solemne jejunium quo beati Joannis Baptistæ natalitia [k] prævenimus; cujus genitor eum, Verbi Dei nuntium, dubitans nasciturum, vocis est privatus officio, et eodem recepit nascente sermonem; quique, angelo promittente, dum non credit, obmutuit; magnifici præconis exortu et loquens factus est et propheta; materque pariter sterilis, ævoque non solum puerperio fecunda processit; sed etiam, quo beatæ Mariæ fructum sedula voce [l] (benedictione) susciperet, spiritu Divinitatis impleta est; ipseque progenitus, utpote viæ cœlestis assertor, viam Domino monuit præparari; seraque in [m] (suprema) parentum ætate concretus et editus, procreandum novissimis temporibus disseruit C Redemptorem. Per, etc.

Sanctorum tuorum nos, Domine, patrocinia collata non deserant, quæ fragilitatem nostram et precibus tueantur et meritis. Per, etc.

[n] Omnipotens et misericors Deus, qui beatum Baptistam Joannem tua providentia destinasti, ut perfectam plebem Christo Domino præpararet: da, quæsumus, ut familia tua hujus intercessione Præ-

credimus *et terror*, omissa, ut fieri solet, in codice littera *t* ob concursum similis litteræ in fine præcedentis vocis *et*. In hac autem Vandalica irruptione quæ fuerit Romanorum *negligentia* hoc loco notata, intelligimus ex Prospero in Chronico ad an. 455, ubi post narratam mortem Maximi imperatoris, qui omnibus ex Urbe fugientibus abeundi facultatem concesserat, defensionem ejus ob hanc fugam adeo neglectam tradit, ut *Urbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuerit*, *occurrente sibi extra portas sancto Leone episcopo.*

[a] Sacramentarium Gelasii assignat hanc orationem diei Pentecostes lib. I, n. 80, Gregoriani autem codd. et Romanum Missale feria 3 post Pentecosten.

[b] Forte legendum, *Preces feriales*. Ita Blanchinius.

[c] In Gelasiano Sacram. est *Secreta* in Dominica Pentecostes, in Gregorianis autem codd. et Missali Rom. habetur fer. 3 post Pentecosten.

[d] In Sacram. Gelasii legitur lib. I, n. 81, *ad vesperos infra octavam Pentecosten*; in Gregor. et Missali Rom. est prima oratio fer. 3 laudatæ. In omnibus his Sacramentariis finis est *ab omnibus tueatur adversis*; in nostro vero habetur *inimicis* ea forte de causa, quia hæc quoque oratio Vandalos hostes Romæ, ut diximus, imminentes respexerit.

[e] Nunc legitur in Missali Rom. sabbato ante Dominicam I Quadragesimæ. Adeo vero hæc oratio Leonina est, ut Leonis verba contineat ex serm. 78, c. I. Confer annot. 2 (*Tom. præced. col.* 416, *n.* [f]) in eumdem sermonem.

[f] Est in Gelasiano lib. I, n. 83, et in Gregor. Menardi fer. 4 mensis quarti. Leonem refert, uti monuimus annot. 3 (*Tom. præced. col.* 417, *n.* [c]) in serm. 78.

[g] Exstat in Gregorianis codd. die XIII kal. Febr., in Natali S. Fabiani, et alibi. Missale Romanum insertis vocibus *intercedente B. N. martyre tuo* in communi unius martyris, et alias frequenter exhibet.

[h] Hæc oratio exstat in Sacram. Gregor., exceptis D primis vocibus *virtutum cœlestium*.

[i] Legebatur *eorum*, perperam. Emendationem suppeditarunt exempla Gregoriana.

[j] Confer hanc præfationem cum cod. Ottobon. Gregoriano Muratorii in vigilia S. Joannis Baptistæ pag. 324, et cum alio Menardi, et similia invenies.

[k] Ita noster codex apud Blanchinium, sicut et duo Gregoriani apud Muratorium, qui hoc loco supposuit *celebramus*, eo quod hæc Missa ponatur in *Natali S. Joannis Baptistæ*. Sed sub titulo *in Natali* Missas diei festi et vigiliæ simul collector descripsit.

[l] *Benedictione* varians lectio est textui inserta.

[m] Vox quoque *suprema* inter variantes est recensenda.

[n] In codd. Gregor. legitur.

conis, et a peccatis omnibus exuatur, et [a] ad eum quem prophetavit, inveniant. Per, etc.

II. *Item alia.* — [b] Omnipotens sempiterne Deus, da cordibus nostris illam tuarum rectitudinem semitarum quam beati Baptistæ Joannis vox clamantis edocuit. Per, etc.

[c] Tua, Domine, muneribus altaria cumulamus, illius nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem mundi et cecinit adfuturum, et adesse monstravit. Per, etc.

Vere dignum. In die festivitatis hodiernæ, quo beatus ille Baptista Joannes exortus est, nondum terrena conspiciens, cœlestia jam revelans; lucis æternæ prædicator, priusquam lumen temporale sentiret; testis veritatis, antequam visus; et ante propheta quam natus; maternis visceribus latens, **30** et Unigenitum Dei præscia exsultatione prænuntians; Christique tui, nondum genitus, jam præcursor. Nec mirum, si Filium tuum, Domine, procreatus ostendit quem adhuc utero clausus agnovit; meritoque inter natos mulierum nullus inventus est similis, quia nulli hominum prorsus indultum est, ut exsecutor Divinitatis existeret, priusquam vitam humanæ conditionis hauriret; satisque firmatum, quam esset mirabilis Nuntiatus, cujus tam insignis Nuntius appareret; convenienterque pro lavacri ministerio, quod gerebat, detulit famulatum perfecti baptismatis mysterium consecranti, et ad remissionem peccatorum mortalibus conferendam, huic jure debitam reddidit servitutem, quem mundi tollere dixerat venisse peccatum. Unde cum angelis, etc.

[d] *Beati Joannis Baptistæ nos, Domine, præclara comitetur oratio; et quem venturum esse prædixit, poscat nobis favere placatum. Per, etc.

Magnis mysteriis incitata plebs tua, Domine, [e] per viam salutis et pacis incedat, et beati Præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit, secura perveniat. Per, etc.

III. *Item alia.*—Omnipotens sempiterne Deus, qui etiam in beati Joannis generatione, promenda confessione sacratæ tibi plebis instituis : auge nobis fidei pietatisque constantiam, ut magis magisque fateamur excellentiam Nuntiati, cum tanta sit gloria Nuntiantis. Per, etc.

[f] Vota populi tui, Domine, propitiatus intende, et quorum nos tribuis solemnia celebrare, fac gaudere suffragiis. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam merito huic inter hominum filios nemo prælatus est, quem ab exordio sui, usque in finem tot honorum insignibus, tot charismatum splendoribus consecrasti : decebat enim ut ineffabile Domini sacramentum, quod prophetica voce prædixerat, visibiliter etiam monstraturus, **31** cæteris ejus nuntiis eminentior appareret. Unde cum angelis, etc.

Præsta, quæsumus, Domine, ut sicut de præteritis ad nova sacramenta transimus, ita, vetustate deposita, sanctificatis mentibus innovemur. Per, etc.

Benedic, quæsumus, Domine, plebem tuam, et sanctorum tuorum deprecationibus confidentem, tribue consequi quod sperare donasti. Per etc.

Ad Fontem.

IV. *Item alia.* — [g] Omnipotens sempiterne Deus, qui instituta legalia et sanctorum præconia prophetarum in diebus beati famuli tui Joannis implesti : præsta ut cessantibus significationum figuris, ipsa sui manifestatione veritas eloquatur. Per, etc.

Da, quæsumus, Domine, lumen intelligentiæ parvulis tuis, ut, pro veteris gratia sacramenti præsentis sacrificii gratia succedente, sic gloriemur novis ut non abutamur antiquis. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam plena sunt omnia sæcula misericordia tua, quam, recurrentibus data lege temporibus, etiam in hujus diei festivitate veneramur : agnoscentes ad magnum pietatis tuæ pertinuisse consilium, ut sanctus tuus Joannes, cujus Natalem ad nominis tui gloriam celebramus, tot donis mirabilis nasceretur. Per, etc.

Annue, Domine, precibus nostris, ut sicut de præteritis ad nova sumus sacramenta translati, ita, vetustate deposita, sanctificatis mentibus innovemur. Per, etc.

V. *Item alia.* — [h] Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Joannis nativitate fecisti, da populis tuis spiritalium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis et pacis. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui tuis fidelibus contulisti ut ille quo inter natos mulierum nullus est major, oriretur, et Unigeniti tui gloriosus Præcursor existeret : providentiæ tuæ munus exsequere ut quæ manifestavit testificatio Nuntii, impleat præsentia Nuntiati. Per, etc.

Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, spiritalem tibi, summe Pater, hostiam supplici servitute deferimus, quæ miro **32** ineffabilique mysterio et immolatur semper, et eadem semper offertur;

[a] Vel *ad* abundat, et pro *inveniant* legendum *inveniat*; vel expuncto hoc verbo subroganda sunt verba *pervenire mereatur*, ut ex Sacramentario Gregor. emendavit Muratorius.

[b] In Missa S. Joannis Baptistæ ad fontes hanc orationem præferunt codd. Gregoriani.

[c] Hæc quoque ibidem legitur in prima Missa ejusdem Præcursoris, nec non in Sacram. Gelasii lib. II, n. 26, ac in Missali Romano.

[d] Hæc oratio postrema est ad complendum in Missa vigiliæ S. Joannis Baptistæ in laudatis codd. Gregorianis, et in Romano Missali. In cod. autem Gelasiano lib. II, n. 25, est oratio secunda vigiliæ.

[e] Sequentia habent Sacramentarium Gregorianum, et Missale Rom. in prima oratione vigiliæ.

[f] Hæc oratio exstat in Romano Missali die 16 Sept., in commemoratione SS. Euphemiæ, Luciæ, et Geminiani martyrum, nec non die 23 Nov. pro S. Felicitate.

[g] Est in Sacram. Gelas. lib. II, n. 26.

[h] Est in eodem cod. Gelas. eodem loco, et in mss. Gregorianis, ac in Romano Missali, ipso die S. Præcursoris.

pariterque et devotorum munus, et remunerantis est præmium. Per, etc.

[a] Vere dignum. In die festivitatis hodiernæ, qua beatus Joannes exortus est, qui vocem Matris Domini nondum editus sensit, et adhuc clausus utero, ad adventum salutis humanæ prophetica exsultatione gestivit; qui et genitricis sterilitatem conceptus abstersit, et patris linguam natus absolvit : solusque omnium prophetarum Redemptorem mundi, quem prænuntiavit, ostendit; et ut sacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, sanctificandis Jordanis fluentis ipsum baptismatis lavit auctorem. Unde cum angelis, etc.

[b] Cœlestis doni benedictione percepta, supplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem nobis semper et sacramenti causa sit et salutis. Per, etc.

Quos tuos efficis, Domine, tua pietate circumtege; et fragilibus sanctorum omnium prætende subsidia; ut ad promissiones tuas, te inspirante, currant, te gubernante, perveniant. Per, etc.

XIV.

IN NATALI SANCTORUM JOANNIS ET PAULI.

I. — Omnipotens sempiterne Deus, qui nos idoneos non esse perpendis, etc. [c]

Adjuva nos, Domine, tuorum prece sanctorum, etc.

Vere dignum. Qui non solum debitum mortis antiquæ, etc.

II. *Item alia.* — Sint tibi placita, Domine, populi tui, etc. [d]

Dicata nomini tuo munera, Domine, etc.

Vere dignum. Qui ad majorem triumphum, etc.

III. *Item alia.* — Exaudi, Domine, preces nostras, et ut digna, etc. [e]

Vere dignum. Tui enim operis, Domine, etc.

33 IV. *Item alia.* — Adesto, Domine, quæsumus, Ecclesiæ tuæ votis, adesto muneribus; et quod conscientia nostra non supplet, sanctorum tuorum intercessio compenset et meritum. Per, etc.

Vere dignum. Quia mira sunt opera justitiæ tuæ atque pietatis, cum vel a te devians homo diabolicæ subjicitur potestati, vel ad te per tuam gratiam remeans, non solum jus infesti dominatoris evadit, sed A in eum, sicut probamus in sanctis tuis, accipit tua virtute dominatum. Per, etc.

Sancti tui, Domine, misericordiam deprecentur, ut sacramenta quæ sumpsimus, et præsentis vitæ nobis remedia conferant et futuræ. Per, etc.

[f] Beatis martyribus supplicantibus, Domine, fideles tuos propitiatus intende, ut munera collata custodiant, et pie justeque sperata percipiant. Per, etc.

Qui sunt, Domine, tibi subjecti, benedictiones tuas, te largiente, percipiant, quas humili devotione indesinenter exspectant. Per, etc.

V. *Item alia.* — [g] Quæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum Joannis et Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides et passio fecit esse B germanos. Per, etc.

[h] Hostias altaribus tuis, Domine, placationis imponimus, potentiam tuam in sanctorum tuorum passionibus honorando, et per eos nobis implorando veniam peccatorum. Per, etc.

Vere dignum. Quamvis enim tuorum merita pretiosa justorum, quocumque fideliter invocentur, in tua sint virtute præsentia, potenter tamen nobis clementi providentia contulisti, ut non solum passionibus martyrum gloriosis [i] urbis istius ambitum coronares, sed etiam in ipsis visceribus civitatis sancti Joannis et Pauli victricia membra reconderes, ut interius exteriusque cernentibus et exemplum piæ confessionis occurreret, et magnificæ benedictionis non deesset auxilium. Per, etc.

C **34** VI. *Item alia.* — Honor martyrum beatorum deferre nos tibi munera, Domine, fidenter hortatur, quia per eos nobis credimus profutura. Per, etc.

Vere dignum. Fulget enim vox illa piissima Domini nostri Jesu Christi, qua, mundo subveniens, clementer prædixit : *Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII, 24). Ex quo videmus uberem pullulasse toto terrarum orbe sationem, et de principali cruce prodiisse gloriosarum segetem passionum, quia pro impiis servis sanguinem suum Creator effundens, ut pro immaculato Domino famuli peccatores certatim morerentur, effecit. Propterea, etc.

[a] Missale Ambrosianum apud Pamelium tom. I, pag. 393, hanc præfationem exhibet, nec non legitur inter præfationes antiquas tom. II, pag. 587. Concordant codd. Gregoriani.

[b] Est in mss. Gregor. ac in Missali Rom. fer. 4 post Dominicam Passionis.

[c] Hæc et sequentes orationes cum præfatione habentur supra mense Aprili Missa XXXIX de communi martyrum.

[d] Hic repetuntur orationes et præfatio Missæ XL insertæ mensi Aprili.

[e] Hic quoque repetuntur preces Missæ XLI mensis Aprilis.

[f] In ms. quidem sic legitur : *Beatis martyribus supplicantibus, Domine, fideles tuos propitiatus intende. Tui sunt, Domine, tibique subjecti, benedictiones tuas te largiente percipiant, quas humili indesinenter exspectant; sed ut munera conlata custodiant, pie justeque sperata percipiant.* In hæc notavit Franciscus Pastor D apud Blanchinium : *Collecta quæ incipit* Beatis martyribus supplicantibus, *nisi emendetur, lectoris vexabit ingenium. Ni fallor tamen, facili negotio restituitur, si dicamus in unam eamdemque collectam duplicem fuisse confusam ab antiquario, ut colligitur ex geminato verbo* PERCIPIANT. Emendationem ejus, quam Muratorius recepit, retinuimus. Solum idem Pastor pro *humili* alterutrum legendum monuit, vel supplendo *devotione*, vel scribendo *humiliter*, etc.

[g] Est in Gelas. Gregor. et Missali Rom., ex quibus suppleta fuit præpositio *de* ante vocem *beatorum*.

[h] Legitur in Sacramen. Gelas. et Gregor.

[i] Hic cœmeteria indicantur in quibus antiquiores martyres erant sepulti; cum SS. Joannes et Paulus in ipsis Urbis visceribus essent tumulati. Similiter in præfatione Missæ primæ S. Xysti VIII idus Augusti : *Quibus* (martyribus) *urbis hujus præcipue coronatus est ambitus.*

VII. *Item alia.* — Propitius, Domine, quæsumus oblationem nostræ servitutis intende; et ut sanctorum tuorum precibus commendetur, indulge. Per, etc.

Vere dignum. Cujus inspiratione succensi beati martyres ad passionis gloriam cucurrerunt; non timentes qui corpus occiderent, sed eum qui corpus animamque mittere poterat in gehennam; atque ideo illos persecutio sæva non perdidit, sed beata confessio sublimavit. Per, etc.

VIII. *Item alia.* — Oblata munera nomini tuo, Domine, nostræ sanctificationi proficere, tuorum precibus concede sanctorum. Per, etc.

Vere dignum. Quia tuæ virtutis esse cognoscimus, ut sancti tui, secundum magnificam Domini nostri Jesu Christi cœlestemque doctrinam, sanctas animas odiendo diligerent, et non servando, potius custodirent; hanc simul pietatis imitationem nobis et præsidium relinquentes. Per, etc.

[a] Da, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut tuorum commemoratione sanctorum temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per, etc.

35 Exsultet plebs tua, Domine, placitorum fulta præsidiis, quibus et sanctificationem referat, et subsidia propriæ fragilitatis acquirat. Per, etc.

XV.

IN NATALI APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

I. — [b] Deus, qui hunc diem beatorum apostolorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ, toto terrarum orbe diffusæ, eorum semper magisterio gubernari, per quos sumpsit religionis exordium. Per, etc.

Munera plebis tuæ, Domine, quæsumus, beatorum apostolorum fiant grata suffragiis; ut pro quorum triumphis tuo nomini deferuntur, ipsorum digna perficiantur et meritis. Per, etc.

Vere dignum. [c] Qui secundum promissionis tuæ ineffabile constitutum, apostolicæ confessioni superna [d] dispensatione largiris, ut in veritatis tuæ fundamine solidata nulla mortiferæ falsitatis jura prævaleant; et quantalibet existat errantium multitudo, [e] illi sint redemptionis tuæ filii, et illis Ecclesia tota numeretur, qui ab electorum tuorum [f] principali traditione non dissonant. Per, etc.

XVI.

Conjunctio [g] oblationis virginum sacratarum.

Hanc etiam oblationem, Domine, tibi virginum sacratarum, quarum ante sanctum altare tuum oblata nomina recitantur, quæsumus, placatus accipias. Pro quibus majestatem tuam supplices deprecamur ut propositum castitatis, quod te auctore professæ sunt, te protectore custodiant. Per, etc.

II. *Item alia.* — [h] Apostolorum tuorum precibus, Domine, quæsumus, plebis tuæ dona sanctifica, ut, quæ tibi tuo grata sunt instituto, fiant gratiora patrocinio supplicantium. Per, etc.

Vere dignum. Teque laudare mirabilem Deum in sanctis tuis, in quibus magnificatus es vehementer; per ipsos Unigeniti tui **36** sacrum corpus exornans, et in ipsis Ecclesiæ tuæ fundamenta constituens. Quorum beatissimum Petrum, gratiæ tuæ electionisque primitias, in apostolicæ dignitatis culmen ascitum, ita ad confitendum te Deum vivum et Dominum nostrum Jesum Christum secreta tui revelatione docuisti, ut in cognoscenda Unigeniti tui gloria nullis carnis et sanguinis impediretur obstaculis. Pro qua magistra omnium credentium fide, confessorem tuum cœlorum clavibus præfecisti, ut cui ad te per te fuerat accessus, per ipsum cæteris ad regnum tuum pateret introitus. Huic quoque beatum apostolum Paulum ad salutem gentium non impari vocatione consocias; quem magnis laboribus præparatum, gratia tua et mentem mutavit et nomen. Hujus igitur triumphi diem hodierna devotione celebrantes, hostias tibi, Domine, laudis offerimus, cum angelis, etc.

III. *Item alia.* — Oblationes populi tui, Domine, quæsumus, apostolorum tuorum passio beata conciliet, et quæ nostris [i] (minus) non aptæ sunt meritis, fiant tibi placitæ tuorum deprecatione justorum. Per, etc.

Vere dignum. Qui Ecclesiam tuam in tuis fidelibus ubique pollentem apostolicis facis constare doctrinis, ut per quos initium divinæ cognitionis accepit, per eos usque in finem sæculi capiat regni cœlestis augmentum. Per, etc.

IV. *Item alia.* — Munus hoc, Domine, quæsumus, apostolica pro nobis interventio prosequatur, ut quod tremente servitio per nos vovemus (*Al.* oblatum est), eorum nobis precibus efficias sacramentum. Per, etc.

Vere dignum. Tu etenim [j] tribuis, Domine, ut prædicationis apostolicæ claritatem nulla juris inferni subdola doctrina subvertat, nulla prævaricatio veritatis offuscet. Per, etc.

37 [k] Perceptis, Domine, sacramentis, subdito

[a] Est in Sacrament. Gregor. ac in Missali Romano in communi unius martyris, et alibi.

[b] Hæc oratio est in Gelas. Sacrament. lib. II, n. 31, et in Gregor. ac Missali Rom. fere eadem.

[c] Hæc præfatio Leonina videtur, sicut et plura in sequentibus hujus festi.

[d] In sequenti Missa XIV, in qua hæc præfatio repetitur, pro *dispensatione* legitur *dignatione*.

[e] In eadem Missa XIV : *Illi tamen redemptionis tuæ sint filii, et illis Ecclesia cuncta numeretur.*

[f] Vox *principali* deest in Missa citata.

[g] Oblationes virginum quæ Deo erant consecratæ ad sacrum altare memorant Augustinus epist. 3 ad Victorianum presbyterum, et Ambrosius in serm. ad Virginem lapsam. Hinc autem earum nomina ante ipsum altare in scriptis oblata ac recitata cognoscimus.

[h] Hæc oratio legitur in Sacrament. Gregor. Menardi, et in Missali Rom. die festo Conversionis S. Pauli, et alibi, cum fit commemoratio hujus apostoli.

[i] Vox *minus* est varians lectio, quæ deest in Sacram. Gelasii, ubi hæc oratio legitur. Mox codex habet *apta* et *placitæ*. In Galasio cohærentius *aptæ* et *placita*. Sed placuit corrigere *aptæ*, et retinere *placitæ;* nam ad *oblationes* hæc adjectiva referuntur.

[j] Codex hoc loco habet *tribues*, sed in Missa VIII, in qua hæc præfatio repetitur, melius *tribuis*. Ibidem postea pro *subvertat* legitur *commaculet*.

[k] In Sacram. Gelas. et Greg. ac in Romano Missali, si pauca excipias, similis est collecta in Natali S. Pauli.

corde rogamus et petimus ut intervenientibus beatis apostolis, quæ pro eorum celebrata sunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per, etc.

[a] Gregem tuum, Pastor bone, placatus intende; et per apostolos tuos pervigili protectione custodi, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos eidem contulisti [b] (*Al.* præfecisti) operis tui vicarios esse pastores. Per, etc.

V. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili sacramento jus apostolici principatus in Romani nominis arce posuisti, unde se evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet : præsta ut quod in orbem terrarum eorum prædicatione manavit, Christianæ devotionis sequatur universitas. Per, etc.

Præsta, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, Domine, de tantis digne gaudere principibus, et illam sequi pia devotione doctrinam, qua [c] delectos tibi greges sacris mysteriis imbuerunt. Per, etc.

Vere dignum. Quia non mundi reges et proceres, non facundos aut divites, sed abjectos et pauperes, ineruditos atque ignobiles elegisti, quibus majestatis tuæ potentiam, et coæterni tibi Filii revelares arcanum; ut non possibilitatis humanæ, sed doni probaretur esse divini; [d] et quæ præcipua videbantur in sæculo, absque te Deo monstrarentur inania; et quælibet inania, per te docerentur esse sublimia : cum, ita dispensante virtute, non de gloriosis humilia, sed de humilibus gloriosa penderent; et ille quondam Petrus piscator exiguus, repente factus apostolus, non potentibus subjaceret, sed eos potius salubri rete concluderet; nec cuiquam esset ambiguum, in secreta beatitudine collocatum jus habere dimittendi delicta mortalium, cujus meritum cerneret toto orbe venerandum regnare post mortem. Beatum quoque apostolum Paulum, Domine, simili dignatione glorificas; qui dejectus in terris levatur in cœlum, captus oculis corporalibus, lucem vidit æternam; atque uno eodemque modo contumax tuus et vindictam sensit et gratiam; tantaque felicior ultione, particeps divinorum [e] meruit esse post pœnam. Per, etc.

38 VI. *Item alia.* — [f] Offerimus tibi, Domine, preces et munera : quæ, ut tuo sint digna conspectu, beatorum apostolorum tuorum, quæsumus, precibus adjuventur. Per, etc.

Vere dignum. Qui Ecclesiam tuam, in apostolica soliditate fundatam, ab infernarum eruis terrore portarum; ut in tua veritate consistens, nulla recipiat consortia perfidorum. Per, etc.

VII. *Item alia.* — Quæ tuo nomini, Domine, sunt dicata, quæsumus, Ecclesiæ tuæ principum commendet oratio. Per, etc.

Vere dignum. Qui Ecclesiam tuam sempiterna pietate non deserens, per apostolos tuos jugiter eam et erudis et protegis. Per, etc.

VIII. *Item alia.* — [g] Apostolica pro nobis interventio, quæsumus, Domine, prosequatur munus oblatum : ut quod tremente servitio nos vovemus, ejus precibus efficiatur acceptum. Per, etc.

Vere dignum. Tu enim tribuis, Domine, ut prædicationis, etc. [h]

Celebratis, Domine, quæ pro apostolorum tuorum beata passione peregimus, ipsorum, quæsumus, nobis fiant intercessione salutaria, in quorum Natalitiis sunt exsultanter impleta. Per, etc.

Audi, Domine, populum tuum tibi corde subjectum, et tuitionem mentis et corporis eidem, rogantibus sanctis apostolis tuis, præsta continuam.

IX. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem beatorum, etc. [i]

Suscipe, Domine, munera plebis tuæ pro beatorum apostolorum triumphis oblata; et quia nostris meritis non est digna fiducia, placentium tibi precibus fiat grata devotio. Per, etc.

Vere dignum. Quia tui est operis tuæque **39** virtutis, ut beatorum apostolorum Petri et Pauli gloriosa confessio nec capiatur unquam falsis, nec perturbetur adversis; sed cœlestis eruditio, sicut per eos ab ipsa veritate suscepta posterisque mandata est, ita iisdem suffragantibus intemerata perduret. Per, etc.

X. *Item alia.* — Offerimus tibi, Domine, preces et munera, etc. [j]

[k] Vere dignum. Qui ineffabili sacramento jus apostolici principatus in Romani nominis arce posuisti, unde se evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet, ut quod in orbem terrarum eorum prædicatione manasset, Christianæ devotionis sequeretur universitas; salubrique compendio et hi qui ab illorum tramite deviassent haberentur externi, et tantummodo filii veritatis existerent, qui a principali nullatenus traditione discederent. Per, etc.

Post infirmitatem.

XI. *Item alia.*—Vere dignum. Qui nos ideo temporalibus salubriter flagellas incommodis, quia æternarum rerum non vis subire dispendium; et quoniam facilis est in securitate prolapsus, malis potius præsentibus

[a] Has sententias et formulas invenies in præfatione Sacram. Gelasiani in octavis apostolorum Petri et Pauli, n. 36, et in Gregoriani ac Missalis Romani præfatione de Apostolis.

[b] Verbum *præfecisti* est varians lectio.

[c] In simili oratione Missæ XXII habetur *dilectos*.

[d] Codex habet erronee, *quamque universa præcipua viderentur in sæculo*. Emendationem a Blanchinio inductam et a Muratorio receptam retinuimus.

[e] Supple *gaudiorum*, vel aliquid simile.

[f] Est in Sacram. Gregor. Muratorii, ac in Missali Rom. die octavæ SS. apostolorum Petri et Pauli. Mox ante vocem *preces* codex inserit *quæsumus*, quod verbum melius transtulimus ante vocem *precibus* auctoritate ejusdem codicis, qui n. 40 hanc orationem repetens, hac sola variatione concludit, *apostolorum tuorum, quæsumus, precibus expientur*.

[g] Affinis est in nonnullis alia licet syntaxi expressis hæc oratio primæ orationi Missæ IV supra descriptæ.

[h] Repetitur anterior præfatio Missæ IV.

[i] Sequentia eadem sunt in prima oratione Missæ I, excepta voce *magisterio*, pro qua hic habetur *moderamine*.

[j] Vide supra collectam Missæ VI.

[k] Hæc præfatio Leonem spirans in orationem primam Missæ V traducta fuit usque ad vocem *universitas*.

castigatos ad divina proficere, quam mundana prosperitate permittis a sempiternæ beatitudinis itinere deviare; per quæ providentiæ tuæ [a] beneficia, cognoscentes apostolicis nos institutionibus erudiri, diem gloriosæ passionis eorum subdito corde veneramur. Per, etc.

F C SP

XII. *Item alia.*— Quæsumus, Domine, Deus noster, quæ in hoc altari proposita oculis tuæ majestatis offerimus, beatorum apostolorum tuorum supplicationibus propitiatus assume. Per, etc.

Vere dignum. Qui Ecclesiam tuam in apostolica soliditate, etc. [b]

[c] Peractis solemniter, Domine, quæ pro apostolorum tuorum beata celebravimus passione, ipsorum, quæsumus, nobis fiant intercessione **40** salutaria, in quorum Natalitiis sunt exsultanter impensa. Per, etc.

Audi, Domine, populum tuum, tota tibi mente subjectum, et apostolicam tuitionem supplici decerne propitiatus: ut corpore et corde protectus, quod pie credit appetat, quod juste sperat obtineat. Per, etc.

XIII. — Munera quæ deferimus, Domine, benignus assume, [d] et quia nostris impediuntur offensis, apostolorum tuorum precibus adjuventur. Per, etc.

Post infirmitatem.

Vere dignum. [e] Nos enim temporalibus flagellas incommodis, quia æternarum rerum non vis subire dispendium; meliusque est malis præsentibus castigatos ad divina proficere, quam prosperitate mundana a beatitudinis sempiternæ tramite deviare. Inter quæ præceptis nos apostolicis, pariterque cognoscimus præsidiis erudiri; et idcirco horum solemnia celebrantes, hostias tibi laudis offerimus. Per, etc.

[f] Cœlestibus refecti sacramentis et gaudiis, supplices, Domine, te rogamus, ut quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per, etc.

[g] Gregem tuum, Pater bone, placatus intende; et per beatos apostolos perpetua protectione custodi, quos totius Ecclesiæ præstitisti (*Al.* Filii tui vicarios) esse pastores. Per, etc.

XIV. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, da populis tuis præcipuorum apostolorum natalem diem plena devotione venerari; ut quorum doctrinis ad confessionem Deitatis unius institutus est mundus,[h] eorum suffragantibus meritis divinæ serviat unitati. Per, etc.

[i] Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces et A hostias apostolica commendet oratio, ut quod pro illorum gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per, etc.

Vere dignum. [j] Qui secundum promissionis tuæ inviolabile constitutum, apostolicæ confessioni, etc., *ut supra in præfatione Missæ* I, *usque* dissonant; ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, quæ, te dispensante, devota obsequitur, quidquid sedes **41** illa censuerit, quam tenere voluisti totius Ecclesiæ principatum. Per, etc.

[k] Perceptis, Domine, sacramentis, supplices te rogamus ut, intercedentibus beatis apostolis, quæ pro illorum veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad medelam. Per, etc.

[l] Familiam tuam, Domine, propitius intuere, et B apostolicis defende præsidiis; ut eorum precibus gubernetur, quibus nititur, te constituente, principibus. Per, etc.

XV. *Item alia.* — [m] Omnipotens sempiterne Deus, qui fragilitati nostræ consulens, assidua nos sanctorum celebritate solaris: da nobis, sub patronis talibus constitutis, et continua securitate muniri, et salutari gaudere profectu. Per, etc.

Grata tibi munera nostra sint, Domine, quæ et tuis sunt instituta præceptis, et sanctorum festivitas gloriosa commendat. Per, etc.

Vere dignum. Qui inter errorum caligines mundanorum luminaria multiplicis beatique martyrii coruscare tribuisti, ut in conspectu generis humani mirabilis appareret in eorum agone mutatio, qua prævalendo C deficiunt persequentes, et deficiendo prævalent interempti; quo illorum sævientium memoria ac potestas evanuit, horum obeuntium mors ubique pretiosa fulget et nomen; illorum nulla supersunt regiæ potestatis insignia, istorum virtutem monstrat effectus; et quid de utrisque geratur, non solum fide cernitur, sed etiam visibiliter approbatur. Per, etc.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut intervenientibus sanctis tuis, sacrosancta mysteria quæ frequentamus actu, subsequamur et sensu. Per, etc.

Adesto, Domine, populo tuo, cum sanctorum tuorum patrocinio supplicanti, ut quod propria fiducia non præsumit, suffragantium meritis consequatur. Per, etc.

XVI. *Item alia.* — Deus, qui Ecclesiæ tuæ in sanD ctis montibus fundamenta posuisti: da ut nullis erro-

[a] Legendum videtur *beneficio*. Post pauca in Missa XVII, ubi hæc præfatio iterum legitur, pro *subdito corde* habetur *multiplici solemnitate*.

[b] Præfatio Missæ VI hic repetita.

[c] Paucis mutatis iterum se prodit oratio secunda Missæ VIII.

[d] Particula *et* suppleta fuit exigente contextu.

[e] Affinis est præfatio num. 10.

[f] Exstat in Missali Romano die 22 Sept. in festo SS. Mauritii et sociorum.

[g] Hæc quoque oratio similis est collectæ ultimæ Missæ IV.

[h] In Missa XIX, ubi affinis oratio legitur, sic: *Ipsorum nunc quoque suffragiis divinæ pareat unitati.*

[i] In Gelasiano habetur in Natali S. Petri n. 30, in Gregoriano vero in Natali S. Pauli. Romanum Missale præfert hanc orationem die Cathedræ S. Petri, et cum fit ejusdem commemoratio.

[j] Hæc præfatio ex duobus compacta, nimirum ex præfatione Missæ I, ubi aliquot variantes notavimus. A vocibus autem *ipsaque sit* ad finem usque affinia invenies in præfatione Missæ XIX.

[k] Non sensu, sed verbis differt aliquantulum hæc oratio ab ea quæ supra describitur Missa IV. Similis est in Romano Missali in vigilia S. Andreæ.

[l] Sacram. Gregorianum hanc orationem refert ad vesperas in Natali S. Petri.

[m] Hic revocatur oratio Missæ XXXVIII mensis Aprilis de communi martyrum; et idem est de tribus aliis collectis sequentibus, quas in eadem Missa reperies.

rum subruatur incursibus, nulla mundi perturbatione A quatiatur; sed apostolica semper et institutione sit firma, et interventione secura. Per, etc.

42 [a] Offerimus sacrificium, Domine, quod pro reverentia beatorum apostolorum Petri et Pauli majestati tuæ jugiter et reddimus et debemus. Per, etc.

[b] Vere dignum. Apud quem, cum beatorum apostolorum Petri et Pauli continuata festivitas, æterna celebritas, et triumphi cœlestis perpetuus sit natalis; nos tamen beatæ confessionis initia recolentes frequenti tribuis devotione venerari, ut crebrior honor, impensus sacratissimæ passioni, majorem nobis prosit ad gratiam. Per, etc.

[c] Beatorum apostolorum, Domine, quæsumus, intercessione nos adjuva, pro quorum solemnitate percepimus tua sancta lætantes. Per, etc.

Adesto, Domine, fidelibus tuis, nec eos ullis mentis et corporis patiaris subjacere periculis, quos beatorum apostolorum Petri et Pauli munit gloriosa confessio. Per, etc.

F̄ Ē S̄P̄

XVII. *Item alia.* — [d] Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in apostolica soliditate fundatam ab infernarum eruis terrore portarum, præsta ut in tua veritate persistens, nulla recipiat consortia perfidorum. Per, etc.

Quæ in hoc altari proposita, Domine, oculis tuæ majestatis offerimus, etc. [e]

Post infirmitatem.

Vere dignum. Qui nos ideo temporalibus salubriter flagellas incommodis, etc. [f]

[g] Æternæ pignus vitæ capientes, humiliter imploramus, ut apostolicis fulti patrociniis, quod in imagine gerimus sacramenti manifesta perceptione sumamus. Per, etc.

Tuere, Domine, plebem tuam, et beatorum apostolorum defende subsidiis. Tui famuli famulæque sunt, Domine, tibique subjecti. Benedictiones tuas jugiter assequantur, quas suppliciter et indesinenter exspectant. Per, etc.

F̄ Ē S̄P̄

XVIII. *Item alia.* — [h] Exaudi nos, Deus salutaris noster, et apostolorum tuorum nos tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per, etc.

Suscipe, quæsumus, Domine, munera plebis tuæ, quæ pro beatorum apostolorum Petri et Pauli natalitiis obtulerunt; et eorum tibi placita meritis propitius esse concede. Per, etc.

43 Vere dignum. Qui Ecclesiam tuam sempiterna pietate, etc. [i]

[j] Sumpto, Domine, sacramento, beatis apostolis intervenientibus deprecamur ut quod temporaliter gerimus, capiamus æternum. Per, etc.

[k] Protege, Domine, populum tuum, et apostolorum patrocinio confidentem perpetua defensione conserva. Per, etc.

XIX. *Item alia.* — [l] Omnipotens sempiterne Deus, da populis tuis præcipuorum apostolorum Petri et Pauli Natalem, etc.

[m] Vere dignum. Quia tui operis tuæque virtutis est ut beatorum apostolorum Petri et Pauli gloriosa con-
B fessio, cujus annua vota celebramus, nec capiatur umquam falsis, nec perturbetur adversis; sed ut potius tui corporis ubique devota compago, te dispensante, suscipiat, quod sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius Ecclesiæ principatum. Per, etc.

[n] Concede, quæsumus, Domine, beatos apostolos tuos intervenire pro nobis: ita enim nos salvari posse confidimus, si eorum precibus Ecclesia gubernetur, quibus utitur, te constituente, principibus. Per, etc.

[o] Perceptis, Domine, sacramentis, subdito corde rogamus et petimus ut intercedentibus beatis apostolis tuis nobis proficiant ad medelam, quæ pro illorum gesta sunt passione. Per, etc.

XX. *Item alia.* — [p] Omnipotens sempiterne Deus,
C qui nos eorum multiplici facis celebritate gaudere, quorum nostræ fragilitati patrocinia contulisti: da, quæsumus, ut illorum sæpius iterata solemnitas nostræ sit tuitionis augmentum. Per, etc.

Hostias populi tui, Domine, propitius intuere: ut quod nostra fiducia non meretur, **44** per eos quos nobis constituisti præsules, incessabiliter largiaris. Per, etc.

Vere dignum. Qui ut hanc sedem regimen Ecclesiæ totius efficeres, et quod hæc prædicasset ostenderes ubique servandum, simul in ea et apostolicæ principem dignitatis, et magistrum gentium collocasti. Per, etc.

Repleti [q] benedictione cœlesti, suppliciter imploramus ut quæ fragili celebramus officio, per beatos
D apostolos tuos nobis prodesse sentiamus auxilio. Per, etc.

[a] Exstat in Sacram. Gelasii lib. II, n. 36

[b] Est ibidem n. 31.

[c] Invenitur in Gregoriano Sacramentario Menardi, et in Missali Rom. die VIII kal. Augusti in festo S. Jacobi apostoli.

[d] Præfatio anterioris Missæ VI in orationem hic immutatur. Hæc autem oratio legitur in Sacrament. Gregoriano Menardi die natali S. Petri.

[e] Vide supra orationem primam Missæ XII.

[f] Habes hanc præfationem in Missis XI et XIII.

[g] Est in Gelasiano lib. II, n. 36.

[h] Ibidem legitur n. 33, et in codd. Gregorianis.

[i] Repetitur præfatio Missæ VII.

[j] Habetur in Gelas. n. 34

[k] In codd. Gregor. et in Missali Rom. legitur inserta Missæ diei octavæ SS. apostolorum.

[l] Vides hic iterari collectam superioris Missæ XIV.

[m] Hæc præfatio conflata est ex duabus. In prima repetitur præfatio Missæ IX, in secunda connectitur præfatio Missæ XIV.

[n] Est in Gelasiano lib. II, n. 33.

[o] Affinis est oratio Missæ XIV. Hanc vero eamdem singulari numero expressam refert Sacramentarium Gelas. n. 32 in Natali S. Pauli.

[p] Exstat in eodem Sacram. Gelas. ibidem

[q] Desideratur *Domine;* legitur autem in Missali Rom. hæc vox in Missa votiva de angelis, ubi hanc orationem angelis aptatam invenies.

Protector in te sperantium, Deus, respice populum supplicantem, et apostolico interveniente suffragio, perfice miseratus pia desideria singulorum. Per, etc.

XXI. *Item alia.* — Placatus, quæsumus, Domine, quidquid pro peccatis meremur averte; nec apud te delicta nostra prævaleant, sed misericordia tua semper exorta prævincat. Per, etc.

[a] Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium apostolorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quæsumus ut celerem tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per, etc.

[b] *In Jejunio.*

Munera, Domine, tuæ glorificationis offerimus, quæ tibi pro nostris grata jejuniis, eorum, quæsumus, deprecatio, quorum solemnia celebramus, efficiat. Per, etc.

Vere dignum. Qui in montibus sanctis cœlestis Hierusalem fundamenta posuisti, quæ duodecim solidata lapidibus apostolorum, chorum Ecclesiæ tuæ spiritali constructione declarat; ostendens nobis, et in Trinitate quadriformis Evangelii constare mysterium, et in unoquoque Evangeliorum Trinitatis plenitudinem contineri; simulque fragilitati nostræ, per tuam gratiam, fuisse provisos hujus dispensationis magistros, suffragatores, et præsules; ut sacri muneris venerabile sacramentum nihil amplius, nihil minus, nossemus esse quærendum. Per, etc.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, **45** quæsumus, ut pro nobis eorum non desit oratio, quorum nos donasti patrocinio gubernari. Per, etc.

Præsta populo tuo, Domine, quæsumus, consolationis auxilium; et diuturnis calamitatibus laborantem respirare concede. Da veniam peccatis, et cor ejus ab iniquitate custodi; ut quia humana fragilitas incessabiliter meretur offensam, intervenientibus sanctis tuis, indulgentia lapsis continuata subveniat. Per, etc.

XXII. *Item alia.* — [c] Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem beatorum apostolorum Petri et Pauli martyrio consecrasti : da Ecclesiam tuam, toto terrarum orbe diffusam, eorum sequi pia devotione doctrinam, per quos sumpsit religionis exordium. Per, etc.

[d] Præsta, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, Domine, de tantis digne gaudere principibus, et illam perseveranter regulam custodire, qua iidem, inter verum falsumque dissidentes, dilectos (*Forte* delectos) tibi greges sacris mysteriis imbuerunt. Per, etc.

P SP F E

XXIII. *Item alia.* — Apostolorum, Domine, beatorum Petri et Pauli desiderata solemnia recensemus. Præsta, quæsumus, ut eorum supplicatione muniamur, quorum regimur principatu. Per, etc.

Munera tibi, Domine, lætantes offerimus, quæ beatorum apostolorum Petri et Pauli Natalitiis [e] nobis intercessionibus, confidimus profutura. Per, etc.

Vere dignum. [f] Qui prævidens quantis nostra civitas laboratura esset incommodis, apostolici roboris in eadem præcipua membra posuisti. Sed, o felix, si tuos præsules, [g] Roma, cognosceres, et tantos digne studeres celebrare rectores! Nulli te hostes impeterent, nulla prorsus arma terrerent, si eorum famulata doctrinis veraciter atque [h] (veraci fidelique proposito) fideliter eos proposito Christianæ sinceritatis ambires; cum tibi sufficienter appareat quæ benemeritis **46** dona conferrent, qui tuentur etiam peccatores. Per, etc.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui nostris fatigamur offensis, sacris mysteriis expiemur; et qui merito nostræ iniquitatis affligimur, apostolicis satisfactionibus protegamur. Per, etc.

[i] Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator et custos, ut apostolicis (gubernata) munita præsidiis, et conversatione tibi placeat, et secura deserviat. Per, etc.

XXIV. *Item alia.* — [j] Largiente te, Domine, beati Petri et Pauli Natalitium nobis lumen effulsit. Concede, quæsumus, ut hodierna gloria passionis, sicut illis magnificentiam tribuit sempiternam, ita nobis perpetuum munimen operetur. Per, etc.

Oblatio tibi, Domine, votiva defertur. Precamur

[a] Exstat in Gelas. lib. II, n. 33, inter preces ad vesperum. Est oratio festi omnium apostolorum, ad quod etiam sequens præfatio refertur. Hoc autem festum infra octavam apostolorum celebratum fuisse constat ex laudato Sacrament. Gelasii n. 35, et de hoc quidem omnium apostolorum festo, ut optime notavit vener. card. Thomasius, in epistola S. Hieronymi ad Chromatium citata a Cassiodorio scribitur : *Ut dies varii non videantur dividere quos una dignitas apostolatus in cœlesti gloria fecit esse sublimes.* Porro hæc oratio in Sacrament. Greg. apud Menardum, et in Missali Romano ad festum *omnium sanctorum* kal. Novemb. traducta fuit.

[b] Hæc collecta jejunii in Missa omnium apostolorum, cui inserta est, aliquando recitata fuit, et fortassis indicat aliquod extraordinarium jejunium, quod vel Leonis ævo in gratiarum actionem post liberatam Romam a Barbaris ipso die S. Petri, ut vidimus in admonitione ad serm. 84, vel alia de causa infra octavam SS. apostolorum Petri et Pauli indictum, cum die omnium apostolorum concurrerit. In Sacramentario autem Gelasii hæc oratio describitur in vigilia SS. Petri et Pauli lib. II, n. 29.

[c] Aliquam habet affinitatem hæc oratio cum ea quæ in Missa I primo loco exhibetur.

[d] Similis fere est oratio Missæ V.

[e] Corrupta codicis lectio. Muratorius cum Blanchinio emendandum credidit *pro nobis intercedentibus.* Magis placeret *nobis eorum intercessionibus.*

[f] Duo hujus præfationis characteres omnino congruunt cum serm. 84 S. Leonis, qui in octava quidem SS. Apostolorum Petri et Pauli habitus fuit. Nam et indicatur irruptio qua Roma a Vandalis fuit impetita, ac eorumdem apostolorum festo et patrocinio liberata; simulque neglectus a Romanis ipsorum sanctorum cultus innuitur; quod utrumque apertius in eo sermone explicatur, uti Acamius optime animadvertit pag. 71. Hinc eidem auctori hæc præfatio non immerito tribuenda videtur.

[g] Codex *Romana*, perperam.

[h] Uncis inclusa sunt varians lectio.

[i] Exstat in Sacram. Greg. in vesperis Natalis S. Petri. In cod. Greg. Menardi et in Missali Rom. die 25 Julii in festo S. Jacobi apostoli. Mox *gubernata* est varians lectio.

[j] Apud Gelas. legitur lib. II, n. 31.

ut pariter ad laudem tui nominis, et apostolicæ reverentiam dignitatis, et ad nostrum proveniat sanctificata præsidium. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam beatus Petrus et Paulus apostoli tui, quod in lacrymis seminarunt, in gaudio metere nunc probantur. Et qui euntes ibant et flebant, non morte perterriti, sed ut beatæ perciperent plenitudinem passionis, gloriosi sanguinis semina pretiosa mittendo, venientes ecce nunc veniunt in exsultatione totius Ecclesiæ, fructum victoriæ sempiternæ, et præsentibus referentes præmiis et futuris. Per, etc.

XXV. *Item alia.* — Apostolorum tuorum precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica, etc. [a]

P F E SP

[b] Hostias, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, apostolica prosequatur oratio, per quam nos expiari tribuis et defendi. Per, etc.

Vere dignum. [c] Tui enim muneris tuæque virtutis est ut Ecclesia tua in apostolica soliditate fundata, infernarum non vincatur terrore portarum, et in tua veritate **47** consistens, nulla recipiat consortia perfidorum. Per, etc.

Beatorum apostolorum, Domine, quæsumus, intercessione, etc. [d]

Adesto, Domine, fidelibus tuis, etc. [e]

XXVI. *Item ad sanctum Paulum.* — Apostolico, Domine, quæsumus, beatorum Petri et Pauli patrocinio nos tuere, et eosdem quorum tribuisti solemnia celebrare, securos fac nostros semper esse custodes. Per, etc.

Munera supplices, Domine, tuis altaribus adhibemus, quantum de nostro merito formidantes, tantum beati Petri et Pauli, pro quorum solemnibus offeruntur, intercessione confisi. Per, etc.

Vere dignum. Cujus providentia donisque concessum est ut festivitatem nobis annuam beatorum Petri et Pauli triumpho præstet insignem, par mundo venerabile, apostolatus ordine primus et minimus, sed gratia et passione particeps : hic princeps fidei confitendæ, ille intelligendæ clarus assertor; hic Christum, Filium Dei vivi, pronuntiavit divinitus inspiratus : ille hunc eumdem, Verbum, Sapientiam Dei atque Virtutem, vas factus electionis astruxit; hic Israeliticæ delibationis instituens Ecclesiam primitivam, ille magister et doctor gentium vocandarum; sic, dispensatione diversa unam Christi familiam congregantes, [f] tempore licet discreto, recurrens una dies, in æternum et una corona sociavit. Per, etc.

XXVII. *Item alia.* — Intende, precamur, Altissime, vota quæ reddimus : et tibi placita fieri, eorum precibus pro quorum deferuntur honore concede. Per, etc.

Vere dignum. [g] Suppliciter exorantes ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras, et per beatos apostolos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus dirigatur quos operis tui vicarios contulisti præesse pastores. Per, etc.

48 XXVIII. *Item alia.* — [h] Solemnitatis apostolicæ multiplicatione gaudentes, clementiam tuam deprecamur, omnipotens Deus, ut tribuas jugiter nos eorum confessione benedici et patrociniis confoveri. Per, etc.

Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, et apostolorum Natalitia nos tuorum continua devotione venerari, et in suis crebrius honorare principiis. Per, etc.

[i] Populi tui, Deus, institutor et rector, peccata quibus impugnatur expelle; ut semper et tibi placitus, et tuo munimine sit securus. Per, etc.

XVII.

MENSE JULIO.

VI IDUUM JULIARUM.

[j] *Natale sanctorum martyrum Felicis, Philippi, in cœmeterio Priscillæ. Vitalis, et Martialis, et Alexandri, in cœmeterio Jordanorum. Et Silani, in cœmeterio Maximi, via Salaria. Et Januarii, in cœmeterio Prætextati, via Appia.*

[k] Exaudi, Domine, preces nostras, et interveniensibus sanctis tuis, preces nostras placatus admitte. Per, etc.

Suscipe, Domine, propitius oblationes nostras, et tuorum deprecatione sanctorum, pietati tuæ perfice benignus acceptas. Per, etc.

Item alia. — Beatorum martyrum tuorum nos, Domine, precibus et intercessione defende; ut qui nostræ conscientiæ fiduciam non habemus, placentium tibi meritis protegamur. Per, etc.

Suscipe, quæsumus, Domine, tuorum munera famulorum, quæ intercedentibus sanctis tuis, prosint nobis et ad piæ devotionis officium, et ad tuæ sanctificationis effectum. Per, etc.

[l] Repleti, Domine, benedictione cœlesti, sanctorum

---

[a] Sequitur ut in prima oratione Missæ II.

[b] Est in Sacram. Gregor. et in Missali Rom. in Natali SS. Petri et Pauli.

[c] Affinis est præfatio Missæ VI.

[d] Habes hanc orationem supra in Missa XVI.

[e] Ibidem hæc quoque oratio sequitur.

[f] Vide quæ de hac sententia indicavimus in præfatione huic Sacramentario præmissa, num. 5.

[g] Eadem est præfatio in Gelasiano lib. II, n. 56, et fere eadem in Gregor. in Natali S. Petri ac in Romano Missali de communi apostolorum.

[h] Apud Gelas. lib. II, n. 33.

[i] Exstat in codd. Gregorianis et in Missali Rom. feria 5 ante Dominicam Passionis.

[j] Hoc martyrum festum VI idus Julii cum eorumdem cœmeteriorum mentione similiter designatur in vetustissimo Catalogo Bucheriano. Sunt autem septem fratres S. Felicitatis filii, qui in diversis cœmeteriis sepulti noscuntur. Nulla autem horum martyrum missa propria, sed communes subjiciuntur de martyribus, eo quod in singulis festis orationes et præfationes e communibus sumerentur; nisi forte ad hos pertineat missa III, cujus præfatio fratres martyres et genitricem commemorat.

[k] Sacram. Gregor. et Missale Rom. hanc eamdem, non sensu, sed verbis aliquantulum diversam orationem exhibent die 7 Octobris in Natali S. Marci papæ.

[l] In Natali S. Hermetis die 28 Augusti codd. Gregoriani et Missale Rom. hanc orationem præferunt.

tuorum concede suffragiis, ut quæ humiliter gerimus, A salubriter sentiamus. Per, etc.

49 *Item alia.* — [a] Deus, qui nos sanctorum tuorum et solemnitate lætificas, et imitatione suscitas ad profectum, præsta ut quos veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo, etc.

In jejunio.

I. — Sint tibi, quæsumus, Domine, nostri munera grata jejunii, quia tunc eadem in sanctorum tuorum digna commemoratione deferimus, si et actus illorum pariter subsequamur. Per, etc.

Vere dignum. Quia tu es mirabilis in omnibus sanctis tuis, quos et nominis tui confessione præclaros et suscepta pro te fecisti passione gloriosos. Unde sicut illi jejunando orandoque certarunt ut hanc possent obtinere victoriam, ita nos potius quæ exercuere sectantes, convenientius eorum Natalitia celebramus. Per, etc. B

Repleti, Domine, [b] munificentia gratiæ tuæ, benedictione copiosa, et pro nostræ servitutis obsequiis, et pro celebritate sanctorum, cœlestia dona sumentes, gratias tibi referimus. Per, etc.

Familiam tuam, Domine, supplicantem oculis tuæ miserationis intende; ut quæ, te inspirante, deposcit, sanctorum martyrum patrocinio consequatur. Per, etc.

II. *Item alia.* — Protector noster aspice, Deus, et misericordiam tuam humiliter implorantes clementer exaudi. Per, etc.

Ad humilitatis nostræ preces, Domine, placatus intende; nec nos in foveas et diaboli laqueos patiaris incidere, quos tantis sanctorum martyrum præsidiis C munire dignaris. Per, etc.

[c] Omnipotens et misericors Deus, qui nos sacramentorum tuorum et participes efficis et ministros, præsta, quæsumus, ut in iisdem proficiamus et fidei consortio, et digno servitio. Per, etc.

Vere dignum. Qui nos ideo frequentibus sanctorum martyrum festivitatibus benignus exerces, ut ad constantiam fidei et ad perseverantiam pietatis beata commemoratione perducas, pariter nobis in eorum contemplatione constituens et salutiferæ confessionis exemplum, et copiosæ protectionis auxilium; atque ad spem nostræ per eos promissionis invitans, quorum adhuc latentem gloriam jam tamen etiam in hujus vitæ regione manifestas. Per, etc.

50 [d] Domine Deus noster, multiplica super nos D gratiam tuam, et quorum celebramus gloriosa certamina, tribue subsequi in sancta professione victoriam. Per, etc.

Erudi, Domine, quæsumus, populum tuum spiritalibus instrumentis, et quorum præstas solemnia venerari, fac eorum et consideratione devotum, et defensione securum. Per, etc.

III. *Item alia.* — Præsta nobis, omnipotens et misericors Deus, ut sanctorum martyrum tuorum copiosa victoria, sicut eis perpetuum dat triumphum, ita nobis continuum præstet auxilium. Per, etc.

Accipe, quæsumus, Domine, munera populi tui pro martyrum festivitate sanctorum; et sincero nos corde fac eorum Natalitiis interesse. Per, etc.

Vere dignum. Quia licet in omnium sanctorum tuorum tu sis, Domine, provectione mirabilis, in his tamen speciale tuum munus agnoscimus, quos et fratres sorte nascendi, et magnifice præstitisti passione germanos; ut simul esset et veneranda [e] gloria genitricis et florentissima proles Ecclesiæ. Per, etc.

Cœlesti munere satiati, quæsumus, Domine Deus noster, ut hæc nos dona martyrum tuorum deprecatione sanctificent. Per, etc.

IV. *Item alia.* — [f] Da nobis, quæsumus, Domine, sanctorum martyrum passionibus gloriari; ut eorum semper et patrociniis confidamus, et fidem congrua devotione sectemur. Per, etc.

Offerimus, Domine, munera tuorum tibi solemnitatibus grata sanctorum, suppliciter exorantes ut quod ad illorum pertinet gloriam, nobis prosit ad veniam. Per, etc.

Vere dignum. Qui sic tribuis, Ecclesiam tuam sanctorum martyrum commemoratione proficere, ut eam semper illorum et festivitate lætifices, et exemplo piæ confessionis exerceas, et grata tibi supplicatione tuearis. Per, etc.

Et sanctorum tuorum exsultatione gaudentes, et sacramenti tui perceptione satiati, gratias tibi referimus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Per, etc.

V. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui in sanctis tuis es ubique mirabilis, quæsumus clementiam **51** tuam, ut sicut illis eminentem gloriam contulisti, sic ad consequendas misericordias tuas eorum nos facias precibus adjuvari. Per, etc.

Plebis tuæ munera, quæsumus, Domine, propitiatus intende; et quæ sanctis mysteriis exsequendis temporaliter nos offerre docuisti, ad æternam nobis proficere fac salutem. Per, etc.

Vere dignum. Qui non solum pro salute mundi persecutionem sustinuit impiorum, sed fidelibus suis etiam hæc dona concessit, ut ejus fierent aut passione aut confessione consortes. Per, etc.

VI. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui inter innumera beneficia, sanctorum tuorum nos solemnitatibus præcipue consolaris, præsta, quæsu-

[a] Est in Gregor. Sacramentariis, et in Rom. Missali die 22 Nov. Natali S. Cæciliæ.

[b] Redundantia fortassis videbuntur verba *munificentia gratiæ tuæ.*

[c] Est in Missali Rom. die 7 Aug. Natali S. Donati martyris.

[d] In eodem Missali et apud Menardum legitur die 31 Octobr. in vigilia omnium sanctorum.

[e] Codex hic inserit aliam particulam *et*, quæ hic potius quam ante vocem *veneranda* abundare videtur. Forte hæc Missa est propria SS. septem fratrum S. Felicitatis filiorum, uti diximus annot. 1 (*Col.* 59, *n* i).

[f] Est in Gregor. Menardi, ac in Missali Rom. die 21 Decemb. Natali S. Thomæ apostoli.

mus, ut ad cœlestis operis instituta, et recordatio beata nos incitet, et oratio justorum digna perducat. Per, etc.

Concede, quæsumus, Domine Deus noster, ut inter adversa quæ peccatorum debitis sustinemus, quod fiducia nostra non obtinet, martyrum tuorum nobis intercessio consequatur. Per, etc.

Sanctis intervenientibus, Domine, tibi servitus nostra complaceat, et obsequia munerum fiant præsidia devotorum. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam martyrum beatorum pro confessione nominis tui venerabilis sanguis effusus, [a] sicut tua mirabilia manifestat, qui perficis in infirmitate virtutem, ita nostris studiis dat profectum, et infirmis apud te præstat auxilium. Per, etc.

VII. *Item alia.* — Aspice, quæsumus, Domine, quæ oculis tuæ majestatis offerimus, ut tuorum deprecatione sanctorum et tuitionem nobis præbeant et medelam. Per, etc.

Vere dignum. Congaudet namque totum corpus Ecclesiæ de sublimium glorificatione membrorum, et quælibet ejus infirmæ portiones **52** ad suam quoque pertinere non ambigunt dignitatem quidquid excellit partium in eadem compage magnarum : quia sicut superioribus ima connexa sunt, ita summa [b] debent humilibus unitatis effectum. Per, etc.

XVIII.

Incipiunt orationes et preces diurnæ.

I. — Omnipotens sempiterne Deus, qui nulli nos inferre mandasti, quod nobis non optamus inferri, præsta, quæsumus, ut nec fingamus aliis, nec aliorum fictionibus illudamur. Per, etc.

Deus, qui humani generis fida societate lætaris, da, quæsumus, ut et nos liberam præbeamus omnibus charitatem, et illi non pro bonis mala reddere moliantur. Per, etc.

Oblatio tibi, Domine, nostra defertur, quæ ut *tuo* sit digna conspectu, te, quæsumus, largiente mentis nostræ sinceritate promatur. Per, etc.

[c] Vere dignum. Qui nos spiritalibus erudiens institutis, sic doces illorum jugiter relaxare, qui nobis adversantur, offensas, ut eorum non incidamus insidias, sic dissimulare culpas, ut, sub specie gratiæ nocere cupientium, declinemus, in qua student perseverare, malitiam. Tu, etenim, Domine, mittens in medium nos luporum, manere vis simplices similitudine columbarum, et astutos fieri more serpentum; non utique, ut cuiquam noxii simus, sed ut sollicite dolos caveamus alienos. Ita mites ad omnes esse nos [d] jubes, ut pariter corripere præcipias inquietos. Longe aliud quippe est contumeliam præterire, aliud, ne per improvidam benignitatem capiamur intendere : quoniam et tua clementia ea lege nostros resolvit errores, ut nos denuo, ne deteriora subeamus, errare prohibeat, nec sibi quisquam aut non cessum judicet fuisse delictum, aut læsum se fortassis existimet, si facultas eidem potius subtrahatur subsiciva lædendi, cum hoc ipso magnum beneficium talibus conferatur, ut mali esse dediscant vel impossibilitate peccandi. Per, etc.

[e] Redemptionis nostræ munere vegetati, **53** quæsumus, Domine, ut hoc nobis perpetuæ salutis auxilium fides semper vera perficiat. Per, etc.

Salva, quæsumus, Domine, plebem tuam, et benedictionis sanctæ super eam effunde clementiam ; ut inter conditionis humanæ et diabolicæ fraudis incursus, indulgentia tua laboranti continuata succurrat. Per, etc.

II. *Item alia.* — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et, ut nos ab hostibus dignanter eripias, a tibi non placitis prius moribus benignus emunda. Quia sine dubitatione defendes quos tuis perspexeris convenire mandatis. Per, etc.

Deus, qui prudentem sinceramque concordiam tuorum cordibus inesse voluisti, da nobis legitimæ dilectionis tenere mensuram; ut qui a justæ pacis puritate dissentiunt, in nobis tamen, quod merito debeant lacerare, non habeant. Per, etc.

Præsta nobis, quæsumus, Domine, terrena despicere et amare cœlestia, ut per hæc sacra quæ gerimus, et a transituris desideriis expiari mereamur, et incipiamus inhærere perpetuis. Per, etc.

[f] Vere dignum. Qui sic rationabilem non deseris creaturam, ut et quibus modis placere tibi et qualiter possit impetrare quæ poscit, ostendas; præcipiens ut te principaliter toto corde venerantes, consequenter et universos homines, sicut nosmetipsos,

[a] Codex hic habet *simul et tua*, et post pauca, *quo perficis*, ac omittit *ita*. Emendavimus ex Missa XXXII de pluribus martyribus descripta mense Aprili, ubi hæc præfatio legitur, et solum in fine aliquid immutatum est.

[b] Cod. perperam, *debet..... affectum.*

[c] In margine codicis notatur : *Culpas relaxare fratri, corripere etiam inquietos non omitti, sicut scriptum est.* Hæc præfatio cum sequentibus Missis usque ad quintam (uti observavit Muratorius in præfatione c. 3, p. 23) ab aliquo pontifice lucubrata fuit, qui aliquos inimicos passus, ab ipsis adhuc timebat. Respicere autem hæc posse ille existimat schisma contra Damasum papam ab Ursicino excitatum anno 367, vel illud Eulalii contra Bonifacium I an. 419. Addit et Bassi exconsulis accusationes an. 433 contra Xystum III conflatas, quas tamen monumentis innixas fatetur, quæ dubiæ sunt fidei (adjicere poterat) quæque P. Coustantius spuria demonstrat. Probabilius vero credimus indicari rebellionem a clericis commotam adversus Zosimum, cujus fit mentio in ejus epist. 14, apud eumdem Coustantium scripta an. 418. Confer hujus notas et notitiam epistolarum ejusdem pontificis non exstantium apud laudatum editorem num. 32. De Manichæis a Leone perstrictis hæc Acamius interpretatur. Non assentimur : neque enim ullum hic hæresis aut hæreticorum indicium est; neque eos adversus Leonem ullam persecutionem excitasse aut calumnias sparsisse quispiam tradidit. Stylus quidem Zosimum potius quam Leonem hujus præfationis auctorem præfert.

[d] Codex *inbues*. Blanchinius optime correxit *jubes*; quod si minus placeat, legendum monet *imbuis*.

[e] Invenies hanc orationem in codd. Gregorianis et in Missali Rom. die sabbati ante Dominicam in Albis.

[f] In cod. hæc marginalis notatio affigitur : *Pro dilectione fraterna orandum.* Sub finem legendum fortassis, *et eos, quos amamus.*

tamquam consortes nostri generis, diligamus; tunc A circa eos verum probantes affectum, ut quemadmodum nos purgari desideramus a vitiis, ita et eorum quos amamus optemus. Quibus præceptis duobus totam legem sine difficultate complentes, bona præsentia sumamus et æterna. Per, etc.

Da nobis, Domine, quæsumus, ambire quæ recta sunt, et vitare quæ noxia; ut sancta quæ capimus non ad judicium nobis, sed proficiant potius ad medelam. Per, etc.

Tuere, Domine, quæsumus, famulos tuos, et a terrenis erroribus expeditos ad virtutum tuarum fac instituta proficere; sicque temporalibus auxiliis foveantur, ut magis gaudeant sempiternis. Per, etc.

III. *Item alia.* — [a] Ecclesiæ tuæ, Domine, voces placatus admitte, ut destructis adversantibus universis, **54** secura tibi serviat libertate. Per, etc.

Præsta, Domine, quæsumus, ut toto tibi corde subjecti, tumentium voluntatum respuamus afflatus. Per, etc.

Hostias, quæsumus, Domine, nostræ devotionis assume; et per sacrificia gloriosa subditorum tibi corda purifica. Per, etc.

[b] Vere dignum. Cujus inspiratione beatus Paulus apostolus Ecclesiæ dicens: *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*Rom.* XII, 17), evidenter ostendit non esse prorsus quo malis actibus vel in hac vita possimus abscondi: dum te non latemus interius, et extrinsecus humanos quoque non vitamus aspectus. Nihil ergo juvat eos qui dedecora sua notasque non cernunt, et quia ipsi se non C vident, æstimant nec ab aliis se videri. Cum enim idem clamat Apostolus: *Quæ secundum faciem sunt, videte* (II *Cor.* X, 7): quemadmodum se celare posse confidunt, qui, sicut scriptum est, per dulces sermones suos seducentes corda fallacia (*Rom.* XVI, 18), et sicut Evangelium ait, Christum in cubile requirentes, palam manifesteque declarant quid et dictis exsequantur et factis. Nec eos fulcit aut munit, quia, ut se valere contendant, volumina divina percurrunt, cum per hæc ipsi potius improbos mores suos et profiteantur et damnent, nescientes, [c] jam de pœna divini venire judicii, quod traduntur in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt (*Rom.* I, 28). Quapropter hujusmodi declinantes actu, et solo miserantes quo debemus affectu; et ideo, etc.

Annue, quæsumus, Domine Deus noster, ut per hoc tuæ sapientiæ sacramentum circumspecta moderatione vivamus. Per, etc.

[d] Da Ecclesiæ tuæ, Domine, non superbe sapere, sed tibi placita humilitate proficere, ut proterva despiciens et matura quæque desiderans, exerceat liberam charitatem. Per, etc.

IV. *Item alia.* — Absolve, [e] Domine, quæsumus, iniquitates nostras, et ut tua dona mereamur percipere, fac nos amare justitiam. Per, etc.

Concede nobis, Domine Deus noster, ut et te tota mente veneremur, et omnes homines rationabili diligamus affectu. Per, etc.

Consecra, quæsumus, Domine, quæ de terrenis fructibus nomini tuo dicanda mandasti; ut et gratam tibi nostram facias servitutem, et Sacramentum nobis B perpetuæ salvationis instituas. Per, etc.

[e] Vere dignum. Qui fideles tuos mutua faciens lege concordes, veram pacem tali **55** fœdere nexisti, ut nec alteri quisquam moliretur infligere quod sibi nollet inferri; et bona quæ suis utilitatibus tribui cuperet a consorte naturæ, hæc eidem ipse quoque præstaret[f]: quatenus dum per alterutram pietatem se reperiunt communes in singulis, semetipsam [f] diligens, esset mens una cunctorum. Per, etc.

Satiati participatione cœlesti, et gratias tibi referimus, Domine Deus noster, et ut nobis sit perpetua, deprecamur. Per, etc.

Beneficiis tuis, Domine, quæsumus, populus fidelis semper exsultet, ut te instruente dispositus et conversatione tibi placeat, et quæ votis expetit salubriter assequatur. Per, etc.

V. *Item alia.* — [g] Omnipotens sempiterne Deus, qui superbis resistis, et gratiam præstas humilibus, tribue, quæsumus, ut non indignationem tuam provocemus elati, sed propitiationis tuæ capiamus dona subjecti. Per, etc.

[h] Majestatem tuam supplices exoramus [i] ut nec terreri nos lacerationibus patiaris injustis, nec captiosis adulationibus implicari; sed potius amare concedas, qui veraciter arguunt quam qui fallaciter blandiuntur. Per, etc.

[j] Offerimus tibi, Domine, munus quod sicut duplici sumentes corde condemnat, ita sincera capientes mente justificat. Per, etc.

[k] Vere dignum. Qui nos sic pietate pariter atque D justitia vis esse perfectos, ut et cautelæ nostræ non desit socianda benignitas, et indiscreta non subripiat

[a] Codd. Gregoriani habent hanc orationem inter quotidianas, Missale Rom. inter communes *contra persecutores Ecclesiæ*. In illis pro *adversantibus*, est *adversitatibus;* in Missali additur *et erroribus*. In codice Gelasiano habetur lib. III, n. 67, *contra judices male agentes*.

[b] Nota marginalis in codice: *Arguit improbos, sed et orat pro eis.*

[c] Sex voces sequentes, quæ in codice rejiciuntur post verbum *conveniunt*, hic perspicuitatis gratia, monente Blanchinio, Muratorius in sua editione collocavit; quod nos haud immutandum credidimus.

[d] Est fere eadem in Romano Missali die 15 Junii Natalitio SS. Viti et Modesti.

[e] In margine codicis annotatur: *Orandum pro iis qui malevoli sunt.*

[f] Cod. inserit *fieret*, quod verbum est varians lectio verbi *esset*, et melius expungendum fuit.

[g] Hanc orationem habent Sacramentaria Gelas. et Gregor. sub titulo: *In contentione.* Magnam hujus partem exhibet Missale Rom. in orationibus communibus *ad postulandam humilitatem.*

[h] Notatio marginalis in ms., *Contra lacerantes vel adulantes.*

[i] Sequentia usque ad *amare* leguntur in codd. Gregorianis et Gelasii, in Missa *contra obloquentes.*

[j] Nota marginalis in ms., *Pro duplici corde.*

[k] Alia marginalis notatio: *Orandum pro persequentibus.*

facilitas charitati. Præcipis enim ut pro nostris oremus inimicis, pro calumniantibus supplicemus, nec desinamus misericordiam tuam persequentibus impetrare; non utique ut in iisdem nequitiis perseverent, quia hoc imprecari est potius quam salutaria postulare; sed ut ab his iniquitatibus expediti, ad modesta sese sanaque convertant. Cum enim, docente te, Domine, probos mores nobis optare debeamus, tunc proximos nostros, sicuti nosmetipsos, vere diligimus, si eis quæ nos habere cupimus expetamus. Per, etc.

Recreati, Domine, sacri muneris gustu, quæsumus, non inde sumentibus nobis vertatur ad pœnam, sed fideliter libantibus prosit ad veniam. Per, etc.

56 Tua, Domine, protectione confidens, benedictionem suppliciter imploratam devota tibi familia consequatur; ut tuo secura munimine, nec temporalibus destituatur auxiliis, et bonis aptetur æternis. Per, etc.

VI. *Item alia.* — [a] Omnipotens et misericors Deus, a bellorum nos, quæsumus, turbine fac quietos : quia bona nobis cuncta præstabis, si pacem dederis et mentis et corporis. Per, etc.

[b] Protector noster, aspice, Deus, et ab hostium nos defende formidine; ut omni perturbatione submota, liberis tibi mentibus serviamus. Per, etc.

Suscipe, Domine, munera familiæ tuæ; quibus et nostris, quæsumus, sis placatus erroribus, et sanctificationem tuæ nobis redemptionis opereris. Per, etc.

[c] Vere dignum. Agnoscimus enim, Domine Deus noster, agnoscimus, sicut prophetica dudum voce testatus es, ad peccantium merita pertinere ut servorum tuorum labore quæsita [d] sub conspectu nostro manibus diripiantur alienis; et quæ desudantibus famulis nasci tribuis, ab hostibus patiaris absumi. Totoque corde prostrati supplices exoramus ut præteritorum concedas veniam delictorum, et ab omni mortalitatis incursu continuata miseratione nos protegas. Quia tunc defensionem tuam non diffidimus adfuturam, cum a nobis quibus offendimus dignanter expuleris. Per, etc.

Sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi refectione vegetati, supplices te rogamus, Deus, ut hoc remedio singulari, et ab omnium peccatorum nos contagione purifices, et a periculorum munias incursione cunctorum. Per, etc.

Miserere, Domine, deprecantis Ecclesiæ, [e] et ad inclinantes tibi sua corda propitiatus intende, ut quos divinarum *rerum* sinis esse participes, nec peccatis fieri permittas obnoxios, nec opprimi patiaris adversis. Per, etc.

VII. *Item alia.* — [f] Miserere, Domine, populi tui, et continuis tribulationibus laborantem propitius respirare concede. Per, etc.

57 [g] Vox clamantis Ecclesiæ ad aures, quæsumus, Domine, tuæ pietatis ascendat; ut percepta venia peccatorum, te fiat operante devota, te protegente secura. Per, etc.

Nomini tuo, Domine, munera, quæsumus, dicata sanctifica, ut et sacramentum nobis æternæ vitæ præbeant et profectum. Per, etc.

[h] Vere dignum. Inter quælibet enim mundi pericula sola est a te non recessisse prosperitas, cum in tua misericordia confidentes nulla adversa percellant, sed potius exerceant ad salutem. Per, etc.

[i] Vivificet nos, quæsumus, Domine, participatio tui sancti mysterii, et pariter nobis expiationem tribuat et munimen. Per, etc.

Auxiliare, Domine, plebi tuæ, et toto tibi corde subjectæ præsta conversationis effectum : quia bonis omnibus hanc replebis, si tibi placere perfeceris. Per, etc.

VIII. *Item alia.* — [j] Ab omnibus nos, quæsumus, Domine, peccatis propitiatus absolve, et eos qui nos impugnare nituntur expugna. Per, etc.

Comprime, Domine, quæsumus, [k] os iniqua loquentium, et eos qui nos moliuntur insimulare confuta. Per, etc.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut per hæc cœlestis vitæ commercia, declinantes laqueos falsitatum, ad veritatem tuam, concessa nobis divinitus via et tramite, dirigamur. Per, etc.

[l] Vere dignum. Qui famulos tuos informare digneris, ut non tam nos exagitet inepta laceratio superborum, quam potius moveat miseratio lacerantium. Quoniam, sicut nos convenit præcavere ne veraciter impetamur, sic eorum qui a veritate sunt devii, flere debemus interitum, quæsumus *ut* vel illis correctionem suppliciter exorando subvenire possimus, vel nobis fructum pietatis acquirere. Per, etc.

Quos refecisti, Domine, cœlesti mysterio, propriis alienisque propitius absolve delictis; ut divino munere purificatis mentibus perfruamur. Per, etc.

[a] Sub rubrica *Orationum tempore belli* legitur hæc oratio in codd. Gregor. Muratorii.

[b] Est in Missali Rom. inter communes *contra persecutores et male agentes.*

[c] Notam hanc marginalem codex affigit : *Pro peccatis hostes infestari certissimum; unde enixius supplicandum Deo.*

[d] Cum stylus hujus præfationis Leoninus videatur, direptio Romanæ urbis et agrorum depopulatio sub Leone Magno a Vandalis peracta an. 455 hic indicatur potius quam quæ Innocentio I pontifice contigit an. 410.

[e] Codex, *et inclinantium.* Blanchinii emendationem a Muratorio receptam retinuimus, ex quo etiam deinaddita vox *rerum.*

[f] Est in Romano Missali fer. 3 post Dominicam quartam Quadragesimæ.

[g] Hæc oratio legitur in Sacram. Greg. inter orationes quotidianas.

[h] Marginalis nota codicis : *In periculis vel prosperitate gratias referendas Deo.*

[i] In Sacram. codd. Gregor. apud Muratorium legitur Dominica XIII Pentecostes, apud Menardum Dominica XIV, in Missali Rom. Dominica XII.

[j] Sic incipit collecta *pro peccatis* in mss. Gregor. Muratorii, et progreditur usque ad *et eos*, ac stylum subinde mutat.

[k] Pro *os* in cod. perperam *Deus.*

[l] In margine ms., *Pro lacerantibus orandum*

[a] Porrige dexteram, quæsumus, Domine, plebi tuam misericordiam postulanti, per quam et errores decliuet humanos, et solatia vitæ mortalis accipiat, et sempiterna gaudia comprehendat. Per, etc.

58 IX. *Item alia.* — Libera nos, Domine, quæsumus, a nostrorum debitis peccatorum, atque ut nos a malis omnibus propitiatus eripias, iniquitates nostras, quibus juste [b] retribuuntur, absolve. Per, etc.

[c] Contere, quæsumus, Domine, hostes populi tui, et delicta nostra, quorum merito nobis dominantur, emunda; ut, cum tibi placitam puritatem mentibus nostris infuderis, largiaris et pacem. Per, etc.

Accipe, Domine, quæsumus, sacrificium singulare, quod majestati tuæ semper et redditur et debetur. Per, etc.

Sit nomini tuo, Domine, hoc sacrificium, cum exhibetur, acceptum, ut efficiatur jugiter exigendum. Per, etc.

Vere dignum. Qui nos castigando sanas et relevando benignus erudis, dum mavis salvos esse correptos, quam perire neglectos. Per, etc.

Supplices te rogamus, Domine Deus noster, ut qui percepimus cœlestis mensæ substantiam, ad vitam [e] pertingamus æternam. Per, etc.

Tui sunt, Domine, populi, qui ministerium nostræ vocis exspectant. Quæsumus clementiam tuam ut salutaria ejus poscentibus, quidquid fiducia non habet deprecantis, gratia tua, quæ bonorum nostrorum non indiget, largiatur. Per, etc.

X. *Item alia.* — Adesto, Domine, supplicibus tuis, et sperantes in tua misericordia cœlesti protege benignus auxilio. Per, etc.

Respice, Domine, quæsumus, pietatis tuæ subsidium postulantes. Da indulgentiam reis, ut nobis subvenias propitiatus afflictis. Per, etc.

[f] Sanctificationem tuam nobis, Domine, his mysteriis placatus operare, quæ nos et a terrenis purget vitiis, et ad cœlestia dona perducat. Per, etc.

[g] Vere dignum. Qui nostras mentes expiando justificas, et immortalitatis efficis justificando capaces. Per, etc.

Repleamur, Domine, gratia muneris sacri, et quæ gustu corporeo dulci veneratione contingimus, dulciora mentibus sentiamus. Per, etc.

Familiæ tuæ, Domine, preces miseratus **59** intende, et toto tibi corde subjectam prosequere, sustenta, circumtege; ut quæ te gubernatore confidit, et nullis implicetur malis, et bonis omnibus expleatur. Per, etc.

XI. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, cujus viæ misericordia est semper et veritas, præsta,

A quæsumus, ut qui a tua clementia confovemur, crescamus etiam religionis augmento. Per, etc.

Da nobis, quæsumus, Domine, tua digne tractare mysteria, ut et miserationibus tuis congrua respondeamus obsequia, et fiducialius speranda poscamus. Per, etc.

[h] Vere dignum. Pietatem tuam votis omnibus expetentes, ut humanarum rerum prosperitate percepta, terrenis eatenus consolationibus gratulemur, ne gaudia quærere superna cessemus, sed quidquid lætitiæ temporali impenditur, eruditioni proficiat sempiternæ. Per, etc.

Quæsumus, Domine, Deus noster, quos sacramentis reficis, sustenta præsidiis, et quos beneficiis temporalibus refoves, pasce [i] (divinis) perpetuis. Per, etc.

B Ecclesiam tuam, Domine, perpeti miseratione prosequere, ut inter sæculi turbines constituta, et præsenti jucunditate respiret, et æternæ beatitudinis percipiat claritatem. Per, etc.

XII. *Item alia.* — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et apostolicis intercessionibus confidentes, nec minis adversantium, nec ullo perturbemur incursu. Per, etc.

Auxiliare, Domine, temporibus nostris, ut tua nos ubique dextera protegente, et religionis integritas, et Romani nominis securitas reparata consistat. Per, etc

Supplices quæsumus, Domine, ut munus trepida servitute propositum, non de nostris meritis æstimetur, sed quod a te institutum est, offerentium tua

C sanctificetur dignatione præsentum. Per, etc.

[j] Vere dignum. Cujus nobis etiam ipsa medetur austeritas, dum peccandi coercet affectum, dum ad supplicandum tibi mens humana fit promptior, dum gratior redit post adversa tranquillitas, et inter hæc, probata fides eruditur ad præmium. Per, etc.

Libera nos ab omni malo, propitiusque concede ut, quæ nobis poscimus relaxari, ipsi quoque proximis remittamus. Per, etc.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut quod nobis ad immortalitatis pignus esse voluisti, **60** ad salutis æternæ tribuas provenire suffragium. Per, etc.

[k] Inclinantes se, Domine, majestati tuæ propitiatus intende, ut qui divino munere sunt refecti, cœlestibus semper muniantur auxiliis. Per, etc.

D XIII. *Item alia.* — Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, in tua semper devotione gaudere, quia perpetua est et plena felicitas, si bonorum omnium jugiter serviamus auctori. Per, etc.

Quæsumus, omnipotens Deus, ne ad dissimulationem tui cultus prospera nobis collata succedant, sed

[a] Exstat in Sacram. Greg. Muratorii inter preces quotidianas tom. II, p. 256.

[b] Sic codex, et recte, cum ad *mala* referatur.

[c] Est in Gelasiano lib. III, n. 58.

[d] Nota marginalis in codice: *Post infirmitatem*.

[e] Cod., *pertineamus*, male. Blanchinii emendatio placuit.

[f] Ita Sacram. Greg. et Missale Rom. feria 3 post Dominicam II Quadragesimæ.

[g] In margine codicis: *De justitia*

[h] Nota marginalis in cod.: *Dum prosperitas redundat, eruditio superna quæratur*.

[i] *Divinis* est varians lectio.

[j] In margine codicis: *Admonet, ad supplicandum nos esse promptiores*.

[k] Invenitur in Sacram. Greg. et in Missali Rom. fer. 4 Cinerum.

ad gratiarum actionem, tibi propensius exhibendam, A potius nos semper accendant. Per, etc.

[a] Hostias tibi, Domine, deferimus immolandas, qui temporali consolatione significas, ut promissa non desperemus æterna. Per, etc.

[b] Vere dignum. Quoniam sicut tua clementia non solum beneficia præstat immeritis, sed affectum quoque nobis, quo gratias referamus, inspirat, ita nos convenit laudes tuas, quia non possumus competenter explere, saltem sine cessatione depromere; ut quas numquam sufficienter exsolvimus, numquam reddere desinamus. Per, etc.

Observationis annuæ celebritate gratulantes, ut eorum quorum actionibus inhæremus, plenis effectibus gaudeamus. Per, etc.

Ecclesia tua, Domine, cœlesti gratia repleatur et B crescat; atque ab omnibus vitiis expiata percipiat sempiternæ redemptionis augmentum; ut quod in membris suis copiosa temporum prorogatione veneratur, spiritalium capiat largitate donorum. Per, etc.

XIV. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, mentes nostras, quæsumus, ad opera tibi placitura converte, ut correptio tua non sit negligentibus major causa pœnarum, sed fiat eruditio paterna correctis. Per, etc.

Deus, qui sacra legis omnia constituta, in tua et proximi dilectione posuisti, da nobis horum propitius efficientiam mandatorum, quia impossibile *esse* sibi nullus excusat, quod tanta brevitate concluditur, tanta æquitate præcipitur. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui offerenda tuo C nomini tribuis, et oblata devotioni nostræ servitutis ascribis, quæsumus clementiam tuam ut, quod præstas unde sit meritum, proficere nobis largiaris ad præmium. Per, etc.

61 [c] Vere dignum. Qui mutabilitatem nostram ad incommutabilia ita justus et benignus erudis, ut nec fragilitatem destituas, et coerceas insolentes; quo pariter instituti pia conversatione et cœlestibus sacramentis, sic bonis prætereuntibus nunc utimur, ut jam possimus inhærere perpetuis. Per, etc.

Exaudi, Deus, orationem nostram; et tua sancta, quæ sumpsimus, non ad judicium nobis provenire patiaris, sed ad remedium propitiationis immensæ. Per, etc.

Placidus aspice, Domine, plebem tuam, et quam D doni tui facis esse consortem, a malis omnibus corporis et mentis emunda; ut noxia perturbatione cessante, liberum tibi semper exhibeant famulatum. Per, etc.

XV. *Item alia.* — Concede nobis, Domine, quæsumus, gratiam tuam, per quam boni esse possimus, et præsta, [d] ut eamdem studiis competentibus exsequamur. Per, etc.

Deus, quem injustitia nostra incessanter offendit, da nobis rectæ conversationis effectum, per quem consequamur et veniam. Per, etc.

Oblatio nos, Domine, quæsumus, sacranda purificet, ac sui ministerio pariter et participatione dignos efficiat. Per, etc.

[e] Vere dignum. Qui curam nostri ea ratione moderaris, ut proventus exterior de internorum qualitate procedat. Nullis quippe forinsecus miseriis affligemur, si vitia frenemus animorum; nec visibili dedecori subjacebit, qui fœdis cupiditatibus obviarit; nulla inquietudo prævalebit extrinsecus, si agamus corde sincero; nullis subdemur hostibus, si pacem teneamus internam. Ita sicut a nemine magis quam a nobis lædimur, sic noxia cuncta succumbent, si nosmetipsos ante [f] vincamus. Per, etc.

Tribuat nobis, Domine, quæsumus, sanitatem mentis et corporis sacramenti tui medicina cœlestis; ut hujus operatione vegetati tam præsentia quam æterna subsidia capiamus. Per, etc.

Consequatur, Domine, quæsumus, tuæ benedictionis auxilium, quod supplex poscit Ecclesia; percipiat indulgentiam; boni operis instruatur; temporalium necessitatum consolatione respiret; ad gaudia sempiterna perveniat, et assumat æterna. Per, etc.

62 XVI. *Item alia.* — Adjuva nos, Deus salutaris noster, et quibus supplicandi tibi præstas affectum, tribue tuæ propitiationis effectum. Per, etc.

Mysteria tua, Domine, debitis servitutis exsequentes, supplices te rogamus ut quod ad honorem tuæ majestatis offerimus, nobis proficiat ad salutem. Per, etc.

[g] Vere dignum. Cujus et propitiationis exordium principaliter inde sentimus, cum tuorum sensibus dignanter infundis totis tibi mentibus supplicare, nec humanis opibus, sed tua virtute confidere; et indeficientem gratiam comprobamus, cum nos vel in hac devotione tribuis permanere, vel de perceptis beneficiis, non in nobis, sed in tuo nomine gloriari. Per, etc.

Satiati munere salutari, tuam, Domine, misericordiam deprecamur, hoc eodem sacramento quo nos temporaliter vegetas, efficias perpetuæ vitæ participes. Per, etc.

Auxiliare, Domine, famulis tuis, et in tua pietate fidentibus jugiter esto propitius; ut et præsentia pericula, te protegente, declinent, et futura gaudia, te largiente, percipiant. Per, etc.

XVII. *Item alia.* — [h] Parce, Domine, parce populo tuo, ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per, etc.

Exaudi, Domine, plebem tuam, et quod non habent

[a] Hanc habent idem Sacram. Greg. et Missale fer. 3 post Dominicam Passionis.

[b] In margine cod., *Inspiratione Dei gratiæ referuntur.*

[c] Nota marginalis : *Coercet insolentes.*

[d] *Quæsumus*, antea præmissum, hic superflue reperitur in ms.

[e] In margine codicis : *Pro vitiis quibus subjacemus orandus Deus.*

[f] Ita codex. Apud Muratorium *vincemus* ex emendatione a Blanchinio indicata, quæ tamen necessaria non videtur.

[g] Nota margin. in cod. : *Non confidere in divitiis, nisi in Dei gratia tantum, suadet.*

[h] Occurrit hæc oratio in codd. Gregor. et in Missali Rom. feria 5 ante Dominicam I Quadragesimæ. In laudatis autem codd. repetitur inter orationes *pro peccatis.*

merita supplicantum, tua nos semper gratia præveniens largiatur. Per, etc. A

Altaribus tuis, Domine, munera nostræ servitutis inferimus, quæ placatus [a] accipias, et acceptum tibi nostrum, quæsumus, famulatum, et sacramentum nostræ redemptionis efficiant. Per, etc.

Vere dignum. A tua enim numquam est laude cessandum, quæ et inter angustias necessarium præstat auxilium, et in prosperitate gratiarum tibi referens actionem, quanto nos memores facit esse beneficii, tanto nobis tua magis dona conciliat. Per, etc.

[b] Quæsumus, Domine Deus noster, ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subjacere periculis. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, populi fidelis institutor et rector, in familia sacramento tui nominis acquisita, gratiæ tuæ dona custodi; ut bona quæ te auctore percepit, **63** te protegente serventur ([c] *Aliter*, te largiente copiosius augeantur). Per, etc.

XVIII. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, da nobis voluntatem tuam fideli mente retinere, et pia conversatione depromere; ut Ecclesia tua a profanis vanitatibus expiata, non aliud profiteatur verbis, aliud exerceat actione. Per, etc.

Exaudi nos, Domine Deus noster, et a pravitatibus mundi tuorum discerne corda fidelium, ut qui Dominum sua voce pronuntiant, in diabolicam non recidant servitutem. Per, etc.

Ut tibi grata sint, Domine, munera populi tui, ab omni, quæsumus, nos contagio perversitatis emunda, nec falsis gaudiis inhærere patiaris, [d] quos ad veritatis tuæ præmia venire promittis. Per, etc.

Vere dignum. Qui Ecclesiam tuam a diabolica simulatione vis esse purgatam, atque ut a fictis sincera discernas, ex operum qualitate fructus intelligi præcipis voluntatum; ad te pertinere non reputans, quos vel dissimulare quæ tua sunt, vel his contraria perspexeris operari. Unde benedicimus te, Domine, teque debita servitute laudamus. Per, etc.

Adesto nobis, omnipotens et misericors Deus, et sacramenta quæ sumpsimus, nec nostris excessibus, nec alienis permittas violari peccatis. Per, etc.

Gregem tuum, Pastor bone, placatus intende, et oves quas pretioso sanguine redemisti, diabolica non sinas incursione lacerari. Per, etc.

XIX. *Item alia.* — [e] Suscipe, quæsumus, Domine, preces nostras, et clamantium ad te pia vota propitius intuere. Per, etc.

[f] Exaudi, Domine, quæsumus, gemitum populi tui, nec plus apud te valeat offensio delinquentium quam miseratio tua, semper indulta fletibus supplicantium. Per, etc.

Sacrificium tibi, Domine, celebrandum placatus intende; quod et nos a vitiis nostræ **64** conditionis emundet, et tuo nomini reddat acceptos. Per, etc.

[g] Vere dignum. Qui ideo differs vota poscentium, ut in ipsa quoque deprecationis diuturnitate proficiant; et tardius postulata præstando, fidelium tuorum mentibus præstare cognosceris devotionis augmentum. Per, etc.

Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut sicut nos corporis et sanguinis sacrosancti pascis alimento, ita divinæ naturæ facias esse consortes. Per, etc.

B Cœlestibus, Domine, quæsumus, præsidiis muniantur, qui in tua protectione confidentes, in te solo Præsule gloriantes, tuo semper foveantur auxilio. Per, etc.

XX. *Item alia.* — Exaudi, Domine, preces nostras, et celeri nos propitiatione lætifica. Per, etc.

[h] Intende, Domine, quæsumus, supplices tuos; et pariter nobis indulgentiam tribue benignus et gaudium. Per, etc.

[i] Hostias, Domine, suscipe placatus oblatas, quas sanctificando, nobis, quæsumus, efficias salutares. Per, etc.

[j] Vere dignum. Qui cœlestibus disciplinis ex omni parte nos instruens, qualiter a fidelibus tuis falsos fratres discerneremus [k] ostendens, Unigeniti tui voce pronuntias: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 20). De his sunt enim inflati sensu carnis C suæ, et non tenentes caput. De his sunt qui terrena sapientes, ita deprecantium te verba [l] fastidiunt, quia animales atque carnales, quæ sunt spiritus Dei, stulta mente non capiunt. De his sunt reprobi circa fidem, qui nescientes quæ loquantur, neque de quibus affirment, sæpe subvertere conati sunt et conantur. De his sunt subdoli operarii, qui introeunt explorare Ecclesiæ libertatem, quam habet in Christo, ut eam secum in turpem redigant servitutem. De his sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis; non solum [m] viduarum facultates, sed devorantes etiam maritarum. Isti jam nec justos appetunt se videri, nec saltem deforis sunt, vel dealbati, vel loti, sed palam, pudore calcato, de pravis D conversationibus suis etiam gloriantur, et domi forisque spurcitiam contrahentes, non tam **65** referti sunt ossibus mortuorum, quam magis ipsi sunt mor-

[a] Cod. *accipiens*, et infra, *efficiat.*

[b] Missale Rom. hanc orationem exhibet in Dominica XXIII post Pentecosten, et in communibus orationibus, *contra persecutores Ecclesiæ.*

[c] Adverbium *aliter* textui insertum in codice, variantem innuit.

[d] Sic codex. Muratorius, *quibus.*

[e] Affinis est oratio codd. Gregor. Muratorii in precibus matutinalibus, apud Menardum vero inter orationes quotidianas.

[f] Hanc referunt iidem codd. in orationibus *pro peccatis.*

[g] Nota marginalis in cod.: *Ideo tardius impetratur, ut perseveret oratio postulantis.*

[h] Codd. Gregor. Muratorii hanc orationem exhibent in precibus matutinalibus seu vespertinalibus.

[i] Est in iisdem mss. in Missa de quotidianis diebus.

[j] Notatio marginalis: *De falsis fratribus.* Hæc præfatio Leonina videtur, in qua quorumdam falsorum fratrum corrupti mores describuntur. Quinam vero hi fuerint divinare nolumus.

[k] *Ostendens* abundat ex varianti lectione, nisi mavis legere *ostendis*, et infra, *pronuntians*, uti Blanchinius monuit.

[l] Nota marg., *De fastidiosis;* et post nonnulla, *De subdolis.*

[m] Alia marginalis notatio in codice: *Devoratores viduarum et maritarum.*

tui. Quibus evangelica sententia convenienter exclamat: *Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt* (*Matth.* vi, 23)? Nam cum in his quæ videntur obscura sint, et malæ famæ nigra dedecore, satis evidenter apparet hæc eos in occulto gerere, quæ etiam turpe sit dicere. Isti non solum ad tuam gratiam venientes sui fœditate deterrent, sed etiam intrinsecus [a] fratribus constitutis, pro quibus Christus est mortuus, offendiculum suæ perversitatis opponunt. Tales cavere nos jubes, per Apostolum tuum dicens: *Separate vos ab omni fratre inordinate ambulante* (II *Thess.* iii, 6). Et ea nos præcipis operari, quæ videntes cuncti vere fideles tui, te cœlestem Patrem collaudent atque magnificent; a quo rationabilis conscientiæ bonæque famæ donum omne perfectum optimumque descendit. Per, etc.

[b] Quod ore sumpsimus, Domine, quæsumus, mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per, etc.

Famulos et famulas, Domine, quæsumus, intuere, quibus in te sperare donasti; ac pariter eis, et quæ tibi placeant postulare, et [c] potius postulata concede. Per, etc.

XXI. *Item alia.* — [d] Concede nobis, Domine, veniam delictorum, et eos qui nos impugnare moliuntur expugna; quia sub tuo munimine constitutis nulla diaboli nocebit obreptio. Per, etc.

Protector in te sperantium, Deus, exaudi preces nostras, et miserere nostri; ut corpore et mente vegetati tuis semper inhæreamus officiis. Per, etc.

Supplices te rogamus, Deus, ut munera quæ deferimus, et devotionis gratiam nobis conferant, et salutem. Per, etc.

[e] Vere dignum. Quia Ecclesiæ tuæ filios sicut erudire non cessas, ita non desinis adjuvare, ut recte facienda cognoscant, et possibilitatem capiant exsequendi. Per, etc.

Sumentes dona cœlestia, gratias tibi referimus, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus. Per, etc.

Protege, Domine, fideles tuos, et quos spiritali cibo vivificare dignatus es, perpetua salvatione comitare. Per, etc.

66 XXII. *Item alia.* — Auge fidem tuam, Domine, quæsumus, miseratus in nobis; quia pietatis tuæ subsidia non negabis, quibus in te credendi contuleris firmitatem. Per, etc.

Da nobis, Domine, quæsumus, in te tota mente confidere; quoniam sicut superbis in sua virtute præ-

A sumentibus semper obsistis, ita non deseris in tua misericordia gloriantes. Per, etc.

Munera, Domine, quæsumus, offerentes, ut et ab omnibus mundare peccatis, et a cunctis nos protegere digneris adversis. Per, etc.

[f] Vere dignum. Quia cum omne opus bonum a te inchoari constet, et perfici hanc ipsam quam nobis tribuis perseverantiam supplicandi, certi sumus impetrare nos posse, quæ poscimus. Per, etc.

[g] Tribue nobis, Domine, cœlestis mensæ virtute satiatis, et desiderare quæ recta sunt, et desiderata percipere. Per, etc.

Tu esto, quæsumus, Domine, populi tui munimen et custos; tu vitæ præsentis sustentator et rector; tu collator æternæ. Per, etc.

B XXIII. *Item alia.* — Tuere, Domine, quæsumus nos famulos tuos, ut a peccatis omnibus abstinentes, prompta tibi voluntate famulemur. Per, etc.

Grata tibi sit, quæsumus, Domine, tuæ plebis oblatio, per quam et sanctificationem referat, et quæ pie precatur obtineat. Per, etc.

[h] Vere dignum. Quia fragilitatem nostram miseratus intendens, et mentem nobis tribuis supplicandi, et tua supplicibus dona largiris. Per, etc.

[i] Adesto nobis, Domine Deus noster, et quos tuis mysteriis recreasti, perpetuis defende præsidiis. Per, etc.

Familiam tuam, Domine, benignus illustra, et benedictionis tuæ largitate confirma; ut te in omnibus ducem, te mereatur habere custodem. Per, etc.

XXIV. *Item alia.* — Omnipotens et misericors

C Deus, ad cujus beatitudinem sempiternam, non fragilitate carnis, sed alacritate mentis ascenditur, fac 67 nos atria supernæ civitatis et te inspirante semper ambire, et tua indulgentia fidenter intrare. Per, etc.

Deus, qui cum muneribus nullis indigeas, ipse nobis munera cuncta largiris, accipe propitius quæ de tuis donis tibi nos offerre voluisti; non solum nostræ reputans devotioni quæ tua sunt, sed etiam per hæc nos ad cœlestia regna perducens. Per, etc.

P S F E

Gratias tibi, Domine, laudesque persolvimus, qui nos corporis et sanguinis dilectissimi Filii tui Domini nostri communione vegetasti; misericordiam tuam suppliciter exorantes, [j] ut hoc tuum, Domine, sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed

D fiat intercessio salutaris ad veniam.

XXV. *Item alia.* — Protege, quæsumus, Domine, [k] Romani nominis ubique rectores, ut his tua virtute

[a] Alia nota margin. in cod.: *Subversores fratrum. Cavendum ab eis.*

[b] In Sacram. Gelasiano legitur fer. 7 post Dominicam tertiam Quadragesimæ; in codd. autem Gregor. Muratorii ac in Missali Rom. fer. 5 post Dominicam Passionis.

[c] Forte legendum *propitius*.

[d] Inter preces matutinales hanc præferunt codd. Gregor. Muratorii usque ad verbum *expugna*.

[e] In marg., *Recte agendum*.

[f] Notatur in margine codicis: *In operibus Dei gratias agendum*.

[g] Est in Missali Rom. Dominica V post Pascha, et in vigilia Ascensionis.

[h] Nota marg.: *Humilibus adesse Deum in cunctis operibus eorum.*

[i] Legitur Dominica Passionis tum in Sacram. Gregor., tum in Missali Rom.

[j] Sequentia inserta sunt orationi post communionem communem pro vivis et defunctis, quæ item legitur in Missis Quadragesimæ.

[k] Ex hoc et similibus locis, in quibus Romani *rectores*, vel *principes* plurali numero appellantur, non nemo collegit hoc Sacramentarium compactum fuisse eo tempore quo duo imperatores regnabant, alter in Oriente, alter in Occidente. Sed quam hæc ratio sit

vincentibus, pax populi tui secura proveniat. Per, etc. A

[a] Prætende nobis, Domine, misericordiam tuam, ut quæ votis expetimus, conversatione tibi placita consequamur. Per, etc.

[b] Exaudi, Domine, preces nostras, ut redemptionis nostræ sacrosancta commercia et vitæ nobis conferant præsentis auxilium, et gaudia sempiterna concilient. Per, etc.

P F C SP

Sacramentorum tuorum benedictione satiati, quæsumus, Domine, ut per hæc semper emundemur a vitiis et periculis [c] caveamus.

Adesto, quæsumus, Domine, plebi tuæ; ut quæ [d] sumpsit fideliter, et mente simul et corpore, te protegente, custodiat. Per, etc.

(68) XXVI. *Item alia.* — Exaudi, Domine, preces nostras, et ut tuis nos muneribus jugiter prosequaris, majestati tuæ fac semper devotos. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos donis tuis prævenis dignanter immeritos, da ut tibi gratias referentes, efficiamur et meriti. Per, etc.

[e] Offerimus tibi, Domine, munera quæ dedisti, ut et creationis tuæ circa mortalitatem nostram testificentur auxilium, et remedium nobis immortalitatis operentur. Per, etc.

[f] Vere dignum. Quia, cum nostra laude non egeas, grata tibi tamen est tuorum devotio famulorum; nec te augent nostra præconia, sed nobis proficiunt ad salutem. Quoniam sicut fontem vitæ præterire, causa moriendi est, sic eodem jugiter redundare, effectus est sine fine vivendi. Per, etc.

Libentes, Domine, dona cœlestia, præsidium nobis inesse gaudemus, et inter ista quæ transeunt, [g] eorum quæ sunt mansura confidimus. Per, etc.

Protege, Domine, famulos tuos; subsidiis pasce corporeis; et spiritalibus enutriens alimentis, a cunctis hostibus redde securos. Per, etc.

XXVII. *Item alia.* — Converte nos, Domine, tuæ propitiationis auxilio; ut castigatio peccatoribus convenienter adhibita fiat correctio salutaris. Per, etc.

Respice, quæsumus, Domine, preces nostras, et his muneribus præsentiam tuæ majestatis intersere; ut quod nostro servitio geritur, te potius operante formetur. Per, etc.

[h] Vere dignum. Cujus propitiationem in hac primum parte sentimus, cum ea quæ tibi sunt placita et nobis salutaria desideramus appetere. Dum enim sine te nihil recti (69) velle possimus, aut agere, aut perficere; indubitanter est gratiæ, quidquid convenienter operamur. Per, etc.

[i] Cœlestia dona capientibus, quæsumus, Domine, non ad judicium provenire patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium providisti. Per, etc.

Adesto, Domine, populis qui sacra donaria contigerunt, ut nullis periculis affligantur, qui te protectore confidunt. Per, etc. B

XXVIII. *Item alia.* — Magnificentiam tuam, Domine, prædicamus, suppliciter implorantes ut qui nos imminentibus periculis exuisti, a peccatis quoque benignus absolvas: ut beneficia nobis majora concedas, et tuis nos facias parere mandatis. Per, etc.

Munera nomini tuo, Domine, cum gratiarum actione deferimus, qui nos [j] ab infestis hostibus liberatos paschale sacramentum secura (*Al.* placida) tribuis mente suscipere. Per, etc.

[k] Vere dignum, Majestatem tuam totis sensibus deprecantes, ut sic vitia nostra depellas, sicut corporum ferales exstinguis inimicos; nec captivitatem quam extrinsecus submovisti, sustinere nos patiaris internam. Sed ut noxia quæque discutias, et prospera C jugiter largiaris, semper nos et quæ prava sunt declinare perficias, et amare quæ justa sunt. Per, etc.

Laudes tuas, Domine, non tacemus, quia nos a malis quæ merebamur expediens, bona tua præstas celebrare lætantes. Per, etc.

Da, quæsumus, Domine, fidelibus tuis in sacra semper actione persistere, ut qui tua miseratione sunt digni fiant pietatis officio digniores. Per, etc.

XXIX. *Item alia.* — [l] Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit ut tibi a fidelibus tuis

---

imbecillis, ex eo patet quod eædem formulæ leguntur etiam in nonnullis orationibus Sacramentarii Gelasiani libro III. Etenim num. 59 orat. 3, *Romani imperii propitiare principibus*; n. 6 orat. 2, *Propitius Romani nominis esto principibus*, et in secreta: *Romani imperii defende rectores*, et n. 61 orat. 1, *Romani imperii adesto rectoribus*, etc. Hæ quidem orationes lucubrari potuerunt sub duobus imperatoribus; at in Sacramentarium referri potuisse etiam post sublatum ultimum Occidentis imperatorem, demonstrat Sacramentarium Gelasii, quo pontifice unus imperator in Oriente dominabatur.

[a] Inter orationes quotidianas postrema est in codd. Gregor. Muratorii.

[b] Sacrament. Greg. Menardi et Missale Rom. hanc orationem præferunt fer. 5 post Pascha.

[c] Cod., *caveamur*, male.

[d] Cod., *sumpsere*, quod retineri posset, cum *plebs* multitudinem significans pluralem numerum recipere possit. At infra cohærenter legendum esset *custodiant*. Mox pro *simul*, codex habet *sibi*.

[e] Codd. Gregor. Muratorii hanc orationem interserunt postremæ Missæ dierum quotidianarum.

[f] Nota marginalis in ms.: *Fontem vitæ toto corde diligendum, id est, Christum Redemptorem nostrum.* Hæc præfatio est in codd. Greg. hebdomada XVIII post Pentecosten.

[g] Cod., *et eorum quæ mansura*. Locus in vulgatis emendatus; sed non plane satisfacit. Magis placeret, *ea quæ sunt mansura.*

D [h] In margine codicis: *Indubitanter gratia* (Forte, *gratiæ*) *Dei reputandum quidquid agimus fidei ministri.*

[i] In Sacram. Gelas. et in Gregor. apud Menardum legitur fer. 5 post Dominicam IV Quadragesimæ; in codd. vero Greg. apud Muratorium, et in Missali Rom., feria 5.

[j] Si Hunni hic indicarentur, uti putat Acamius part. II, § 9, pax cum his a Leone inita dicenda esset ante Pascha. Cur autem hac in re dubitemus, intelliges ex annot. 7 (*Col.* 281, *n.* [a]) in dissert. 1 Quesnelli ad an. 452. Mox *placida* est varians lectio.

[k] In margine: *Orandum ut vitia a nobis Deus depellat.* Dein pro *corporum* in cod. erronee est *quorum*.

[l] Est in Gelasiano lib. III, n. 8. Mss. Gregor. Muratorii, Dominica XIII post Pentec.; in Missali autem Rom., Dominica XII.

digne et laudabiliter serviatur, tribue ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per, etc.

Suscipe, quæsumus, Domine, munera quæ de tuis offerimus collata beneficiis, et **70** quod nostræ devotioni concedis effici temporalis, tuæ nobis fiat præmium redemptionis æternæ. Per, etc.

P F E SP

XXX. *Item alia.* — [a] Ne despicias, Domine, quæsumus, in afflictione clamantes, sed laborantibus celeri succurre placatus auxilio. Per, etc.

Respice nos, omnipotens et misericors Deus, et ab omnibus tribulationibus propitiatus absolve. Per, etc.

Mitte, Domine, quæsumus, Spiritum sanctum, qui et hæc munera præsentia nostra tuum nobis efficiat sacramentum, et ad hoc percipiendum nostra corda B purificet. Per, etc.

[b] Vere dignum. Quia te sine cessatione prædicantibus, nec adversa prævalent, nec prospera negabuntur. Per, etc.

[c] Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis cœleste mysterium, et cujus exsequimur actionem, sentiamus effectum. Per, etc.

Plebs tua, Domine, quæsumus, benedictionis sanctæ munus accipiat, per quod et noxia quæque declinet, et optata reperiat. Per, etc.

XXXI. *Item alia.* — [d] Omnipotens sempiterne Deus, qui nos et castigando sanas, et ignoscendo conservas, præsta supplicibus tuis ut et tranquillitatis optatæ consolatione lætemur, et ad correctionis effectum dono tuæ pacis utamur. Per, etc. C

Preces nostras, Domine, propitiatus admitte, et a terrenis effice contagiis expiatos, quos cœlestibus tribuis servire mysteriis. Per, etc.

[e] Vere dignum. Per quem nos eruis a peccatis, a periculis exuis, et ad gaudia sempiterna perducis. Per, etc.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut mensæ tuæ sancta libantes, non ad judicium nobis, sed ad præsidium sempiternum cœlestia dona sumamus. Per, etc.

Respice, Domine, propitius populum tuum, atque ad tuam misericordiam pertinentes **71** et temporalibus (*Al.* [f] præsentibus) sustenta beneficiis, et æternis (*Al.* futuris). Per, etc.

Orationes matutinæ, vel ad vesperum. D

[g] Deus, qui diem discernis et noctem, actus nostros A a tenebrarum distingue caligine, ut semper quæ sancta sunt meditantes, in tua jugiter luce vivamus. Per, etc.

Annue, Domine, precibus nostris, et tuis servitiis inhærentes, pervigili protectione custodi. Per, etc.

Domine Deus noster, diurno labore fatigatos soporis quiete nos refove; ut adjuti necessario fragilitatis auxilio, et corpore tibi simus et mente devoti. Per, etc.

Propitiare, Domine, quærentibus misericordiam tuam, et statum Romani nominis ubique defende [h] (*Al.* et Romani nominis ubique protege principatum), ut pax salusque perpetua tuorum possit vigere populorum. Per, etc.

Item ad vesperum.

[i] Quæsumus, Domine Deus noster, diei molestias noctis quiete sustenta, ut necessaria temporum vicissitudine succedente, nostra reficiatur infirmitas. Per, etc.

Exaudi nos, omnipotens sempiterne Deus, et ne sine terminis operum fragilitas humana deficiat, ipsa mutabilium rerum varietate nos refove. Per, etc.

Adesto, Domine, precibus nostris, et die noctuque protege, ut quibuslibet alternationibus temporum tua semper incommutabilitate [j] firmemur. Per, etc.

XXXII. *Item alia.* — Respice propitius, Domine, quæsumus, afflictionem populi tui, et ne ad perdendum peccata nostra prævaleant, [k] sed ad salvandum nos tua potius misericordia copiosa prævincat. Per, etc.

Propitius intuere munera, Domine, quæsumus, quæ tuis altaribus exhibemus, ut quod *nostra fragilitate* defertur, tua virtute sacretur. Per, *etc.*

P F C

[l] Sumpsimus, Domine, sacri dona mysterii, humiliter deprecantes ut quæ in tui commemoratione nos facere præcepisti, in **72** nostræ proficiant infirmitatis auxilium. Per, etc.

Rege, Domine, quæsumus, tuorum corda fidelium; et ut bona tua te largiente percipiant, ipsorum primitus bonas esse concede (*Al.* effice) voluntates. Per, etc.

XXXIII. *Item alia.* — [m] Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et charitatis augmentum, et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per, etc.

Deus, qui plenitudinem mandatorum in tua et

[a] Fere eadem invenitur in codd. Gregor. in serie orationum *pro peccatis*, et in Missali Rom. inter orationes communes *pro quacumque tribulatione.*

[b] Nota marginalis in cod.: *Adversa repelli, prospera ministrari.*

[c] In Missali Rom. legitur Dominica VIII post Pentec., ac in die S. Valentini 14 Febr. In Sacram. Greg. Muratorii Domin. IX post Pentec.; apud Menardum vero die S. Valentini.

[d] Exstat in cod. Gelasii lib. III, n. 37, in mss. Gregor. et Pamel., ac in Missali Romano, *ad repellendam tempestatem.*

[e] In margine cod., *A peccatis sive periculis nos Christus redemit.*

[f] *Præsentibus*, et dein *futuris* sunt variantes lectiones.

[g] Exstat in Gelas. lib. III, n. 84.

[h] Uncis inclusa ex varianti lectione a collectore textui inserta.

[i] Hæc est penultima orationum vespertinalium in mss. Gregor. Muratorii.

[j] Cod., *firmetur*, perperam.

[k] *Sed* abundat.

[l] Est in Missali Rom. inter communes orationes *pro quacumque necessitate.*

[m] Hanc exhibet codex Gelas. lib. III, n. 9. In Gregor. Muratorii, Dominica XIV post Pentec.; apud Menardum, Domin. XV; in Missali Rom., Domin. XIII.

proximi dilectione posuisti, hanc nobis gratiam largire propitius, ut quia in multis offendimus, tua charitas abundet in nobis, per quam peccata mundantur. Per, etc.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, oblationes familiæ tuæ propitiatus intende, ut hæc piæ devotionis obsequia et rectores sanctificent et regendos. Per, etc.

Deus, qui [a] fideles tuos ad veram vis innocentiam pervenire, fac nos per indulgentiam tuam illius participes sanctitatis, quæ nec sibi noxia, nec cuiquam inveniatur adversa. Per, etc.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da servis tuis hunc charitatis affectum, ut bona pro malis reddere tuo incitentur exemplo, et de inimicis suis correctione magis cupiant, quam ultione gaudere. Per, etc.

Propitiare, Domine, supplicum votis, et populi tui oblationibus precibusque susceptis, omnium nostrum ad te corda converte. Per, etc.

P F E

Incipiunt preces diurnæ cum sensibus necessariis.

XXXIV. — Omnipotens sempiterne Deus, Romanis auxiliare principibus, ut tua virtute roboratis, omnis hostilitas nec viribus possit prævalere, nec fraude. Per, etc.

[b] Nostris, quæsumus, Domine, propitiare temporibus, ut tuo munere dirigantur et Romana securitas et devotio Christiana. Per, etc.

Supplices, Domine, deprecamur, ut per hæc dona sacrificii singularis, et abolitio peccatorum, et tua nobis sanctificatio præbeatur. Per, etc.

[c] Vere dignum. Qui ineffabilibus modis hostes nostros etiam in tuam pateris contumeliam prosilire, ut quia nos de eorum **73** sævitia vindicari pro nostris actibus non meremur, dum ad ultionem tuæ rediguntur injuriæ, nobis licet improbis consulatur; te pariter admonente, cum peccatoribus ista præstentur, quanta possis ministrare correctis. Per, etc.

Tua nos, quæsumus, Domine, miseratio gloriosa purificet, et dignos, quibus sua beneficia præstet, efficiat. Per, etc.

Fidelem populum, quæsumus, Domine, potentiæ tuæ muniat invicta defensio, sanctumque sibi cœlesti dispensatione percipiat; ut pio tibi semper devotus affectu, et ab infestis liberetur inimicis, et in tua jugiter gratia perseveret. Per, etc.

XXXV. *Item alia.* — Supplicandi tibi, quæsumus, Domine, da nobis sine cessatione constantiam, ut

A quos non deseris in tribulatione subjectos, copiosius foveas majestatem tuam jugiter exorantes. Per, etc.

Præsta, quæsumus, Domine, ut hac oblatione mundati, sumamus et deprecandi fiduciam, et gratiam, quæ justa (*Al.* bona) sunt, impetrandi. Per, etc.

In jejunio.

Vere dignum. Tantoque propensius agere, quod pro nostro modulo nitimur operari, quanto jejuniis et orationibus [d] speramus consequi nos posse quæ poscimus; præsertim dum præstitorum testificatio spem tribuat petendorum. Per, etc.

Domine Deus noster, qui salutaria et prævides solus et tribuis, tu, quæsumus, et mentibus nostris largire semper [e] affectum tuam misericordiam postu- B landi, et quæ nobis sunt utilia, placatus intende. Per, etc.

Exaudiat vos Dominus Deus noster, et pro sua quemque necessitate clamantem benignus aspiciat; solatia propitius administret, quæ humana poscit infirmitas; peccata quæ adversantur avertat; pariterque corporibus vestris et mentibus semper profutura concedat. Per, etc.

XXXVI. *Item alia.* — Domine Deus noster, quæsumus, concede propitius ut Ecclesia tua jugiter et religione crescat et pace. Per, etc.

74 Conciliet nobis misericordiam tuam, Domine, munus oblatum, nostræque simul protectioni proficiat et saluti. Per, etc.

[f] Vere dignum. Qui non solum peccantibus nobis C veniam tribuis, sed hostibus nostris potenter obsistis; et quos perpeti, malis operibus, promeremur, magnifica pietate depellis; ut nos ad tuæ reverentiæ cultum et terrore cogas et amore perducas. Per, etc.

[g] Tantis, Domine, repleti muneribus, ut salutaria semper dona capiamus, præsta, quæsumus, ut a tua numquam laude cessemus. Per, etc.

Porrige, quæsumus, dexteram, Domine, populo deprecanti; et cui tribuis supplicandi benignus affectum, præbe placatus auxilium; ut te ductore confidens, et mala cuncta declinet, et omnia quæ bona sunt apprehendat. Per, etc.

XXXVII. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, Ecclesiæ tuæ concede propitius ut mortiferis (*Al.* [h] sacrilegis) oblectationibus amputatis, æterni- D tatis tuæ potius delectatione lætetur. Per, etc.

Auxiliare nobis, misericors Deus, et ut cunctos hostes expugnare possimus, præsta, quæsumus, ut nostros vincamus errores. Per, etc.

[a] Cod., *fidelium tuorum.* Ex contextu autem patet legendum *fideles tuos*, vel addendum *corda*, aut *mentes.*

[b] Invenitur in codd. Muratorii inter orationes quotidianas.

[c] Nota marginalis : *De contumelia hostili, quæ ad correctionem fidelium constat.*

[d] Cod., *expiemur.*

[e] Cod., *effectum.*

[f] Notatio in marg. cod., *Omne adversum ad correctionem pertinet.*

[g] Est in mss. Gregor. Muratorii, et in Missali Rom. Dominica prima post Pentecosten.

[h] *Sacrilegis* varians lectio prima manu textui inserta; secunda vero *sacrilegiis*, quæ est varians lectio substantivi *oblectationibus.* Hæc Missa videtur esse contra spectacula, ut innuunt illa præfationis : *Dum scilicet aguntur crimina, vel canuntur.* Concinunt quæ S. Leo disserit serm. 84, cap. 1.

Repelle, Domine, quæsumus, a nobis sacrilegas A voluntates, et tribue ut divina (*Al.* beata) mysteria castis jucunditatibus celebremus. Per, etc.

[a] Vere dignum. Suppliciter exorantes, ut omnis a nostro discedat corde profanitas, et quod professione respuimus, actione vitemus: quia nimis est exsecrandum, ut cum vanæ superstitionis ipsos quoque removeris sectatores, a fidelibus tuis diabolica figmenta tractentur: [b] quia hoc ipso pravi spiritus *sectatores* non dubium est, quod factis probantur et dictis, labem moribus irrogare, dum scilicet vel aguntur crimina, vel canuntur. Promptiusque debemus, omni rite pestiferæ vetustatis abolito, cœlestis vitæ novitate gaudere: quia tunc propitiatio superna non deerit, si, cunctis abominationibus abdicatis, ad veræ Divinitatis salutaria mandata currentes, laudes B ejus sancta voce cantemus. Per, etc.

Lætificet nos, quæsumus, Domine, Sacramenti veneranda solemnitas, pariterque mentes nostras et corpore et spiritali sanctificatione 75 fecundet, et castis gaudiis semper exerceat. Per, etc.

Purifica, Domine, quæsumus, familiam tuam, et ab omnibus contagiis pravitatis emunda. [c] [Tuis donis exsultent, te semper ubique collaudent:] ut redempta vasa sua Domini passione non spiritus immundi rursus inficiant, sed salvatio sempiterna possideat. Per, etc.

XXXVIII. *Item alia.* — [d] Omnipotens sempiterne Deus, ab hostium nos defende formidine, ut omni perturbatione submota, liberis tibi mentibus serviamus. Per, etc. C

Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, ut et inter quaslibet angustias constituti non desinamus tuo nomini supplicare, et cum propitiatio nobis cœlestis impenditur, a tua numquam laude cessemus. Per, etc.

Placatio tua nobis, Domine, sit propinqua, quam etsi nostris operibus non meremur, interveniente sacrificio singulari, tua percipiamus miseratione præventi. Per, etc.

[e] Vere dignum. Tu enim nos per evangelicæ relationis exemplum, quod meritis non valemus, januam misericordiæ tuæ pulsando diutius, impetrare posse docuisti; atque ideo supplices te rogamus, ut et perseverantiam nobis tribuas deprecandi, et pium pandas tuæ propitiationis auditum. Per, etc. D

[f] Sentiamus, Domine, quæsumus, tui perceptione sacramenti subsidium mentis et corporis, ut in utroque salvati de cœlestis remedii plenitudine gloriemur. Per, etc.

Effunde, quæsumus, Domine, Spiritum gratiæ super familiam tuam, et ab ea quidquid diabolicæ fraudis irrepit, quidquid terrenæ labis incurrit, expelle; ut interius exteriusque mundata et puram tibi devotionem semper exhibeat, et facilius possit assequi quod rationabiliter et convenienter exposcit. Per, etc.

XXXIX. *Item alia.* — Annue, quæsumus, omnipotens Deus, ut sacramentorum tuorum gesta recolentes, et temporali securitate relevemur, et erudiamur legalibus institutis. Per, etc.

76 [g] Da nobis, Domine Deus noster, ut et mundi B cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, et Ecclesia tua tranquilla devotione lætetur. Per, etc.

[h] Protege nos, Domine, quæsumus, tuis mysteriis servientes, ut divinis rebus et corpore famulemur et mente. Per, etc.

[i] Vere dignum. Qui profutura tuis et facienda provides, et facta dispensas, mirisque modis Ecclesiæ tuæ gubernacula moderaris, ut exerceatur adversis, et prosperis sublevetur: ne vel impugnatione succumbat, vel securitate torpescat, sed subdito tibi semper affectu, nec in tribulatione supplicare deficiat, nec inter gaudia gratias referre desistat. Per, etc.

[j] Repleti sumus, Domine, muneribus tuis; tribue quæsumus, *ut* et eorum emundemur effectu, et muniamur auxilio. Per, etc.

C Adveniat, quæsumus, Domine, misericordia sperata supplicibus, et iisdem cœlestis munificentia tribuatur, qua et recte poscenda cognoscant, et postulata percipiant. Per, etc.

XL. *Item alia.* — Præsta nobis, Domine, quæsumus, auxilium gratiæ tuæ, ut sine qua nihil boni possumus, eadem largiente, digne quæ tua sunt, et cogitare valeamus et facere. Per, etc.

Concede nobis, Domine Deus noster, ut celebraturi sanctorum *solemnia*, non solum observantiam corporalem, sed, quod est potius, habeamus mentium puritatem. Per, etc.

[k] Vere dignum. Tua nobis enim munera conferre posse confidimus abundantiam devotionis et pacis, ut et securitatem tribuat recte curata religio, et sa- D cris solemnitatibus famuletur concessa securitas (*Al.* tranquillitas). Per, etc.

[a] In margine codicis: *Orandum, ne profanitas in nobis subripiat.*

[b] Cod. mendose: *Qui hoc ipso pravi spiritus, non dubium est.* Blanchinii emendationem a Muratorio receptam retinuimus, licet alia forte melior correctio subsit.

[c] Uncis inclusa perperam in textum videntur inlata. Paulo post codex mendose, *inficiat, sed salutatio.*

[d] Affinis oratio legitur in cod. Gelas. lib. III, n. 61, et in Missali Rom. inter orationes communes *contra persecutores et male agentes.*

[e] Nota marginalis in ms., *Diutius pulsandum, ut impetretur.*

[f] Legitur in codd. Greg. Muratorii, Dominica XII post Pentec.; apud Menardum, Domin. XIII; in Missali Romano, Domin. XI.

[g] Est in mss. Greg. Muratorii, Dominica V post Pentec.; apud Menardum, Domin. VI; in Missali Rom., Domin. IV.

[h] Exhibetur in Missali Rom. inter communes *contra persecutores Ecclesiæ.*

[i] In margine codicis: *Ecclesia Dei exercetur adversis, ut prosperis sublevetur.*

[j] Codd. Gregor. Muratorii hanc orationem præferunt Dominica VII post Pent.; codex Menardi, Domin. VIII; Missale Rom., Domin. VI.

[k] Notatio in marg. codicis: *Poscendam abundantiam devotionis.*

Tribue nobis, Domine, quæsumus, ut mysterii salutaris et intellectu proficiamus et cultu. Per, etc.

Famulos et famulas tuas, Domine, cœlesti visitatione circumda; mentibus eorum atque corporibus rorem tuæ benedictionis infunde; ut sacris solemnitatibus convenienter aptati et sanctificationis gratiam referant, et quæ pie precantur obtineant. Per, etc.

77 XLI. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, tota nos ad te mente converte, ut qui talia dona præstas immeritis, præbeas majora devotis. Per, etc.

Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, qui nos et præsentibus simul bonis cumulas et futuris. Per, etc.

[a] Vere dignum. Qui cum desidiosis et duris operariis immensa præsidia *largiaris*, quanta toto tibi corde subjectis conferre possis, ostendis, et dum hæc largiris indignis, dignos fieri, quibus meliora tribuantur, hortaris. Per, etc.

Gratias tibi referimus, Domine, qui nos a temporalibus facis respirare pressuris, ut ad gaudia sempiterna promoveas. Per, etc.

Perfice, Domine, misericordias tuas populo supplicanti, quem tuorum largitate donorum, et instantius gratiam postulare majorem, et fiducialius sperare concedis. Per, etc.

XLII. *Item alia.* — Respice, Domine, quæsumus, afflictionem populi tui, et ab omnibus necessitatibus liberatum, secura tribue tibi mente servire. Per, etc.

Lætifica nos, Domine, quæsumus, consolationibus tuis, et ut nobis dona cœlestis gratiæ largiaris, veniam propitiatus impende. Per, etc.

Devotionem, quæsumus, Domine, nostræ mentis informa, ut cum oblationibus hostiarum purum tibi pectus exhibeat. Per, etc.

[b] Vere dignum. Qui Ecclesiam tuam et fovere beneficiis, et non desinis exercere promissis; ut dum postulata concedis, confidentius facias speranda deposci, gratiarumque etiam actiones, etiam si jugiter offerantur, sine cessatione debeamus; cum et præstitorum præconia non taceantur, et de præstandis necessarie supplicatur. Per, etc.

Vivificent nos, Domine, tui munera sacramenti, ut divina participatione semper mereamur augeri. Per, etc.

Famulos et famulas tuas, quæsumus, Domine, propitius intuere, ut ea semper cupiant, 78 quæ tibi placita, et ea semper, quæ sunt eis salubria, consequantur. Per, etc.

A XLIII. *Item alia.*—Adesto, Domine, plebi tuæ, et in tua misericordia confidenti opem tuæ propitiationis impende. Per, etc.

Ad aures misericordiæ tuæ, Domine, supplicuni vota perveniant, et ut possimus impetrare quæ poscimus, fac nos semper tibi placita postulare. Per, etc.

Purifica nos, Domine, iisdem quibus servitium dependimus sacramentis, ut oblatio tibi nostra sacrificium pariter reddatur et actio. Per, etc.

[c] Vere dignum. Quia tu semper in nostra perficiens infirmitate virtutem, Ecclesiam tuam inter adversa crescere tribuisti; ut cum putaretur oppressa, tunc potius exaltata prævaleret; dum simul et experientiam fidei [d] declarat afflictio, et per te superata vitæ

B præsentis efficit gloriosam. Per, etc.

Cœlestis vitæ munere vegetati, quæsumus, Domine, ut quod est nobis in præsenti vita mysterium, fiat æternitatis auxilium. Per, etc.

Præsta famulis tuis, Domine, abundantiam protectionis et gratiæ. Da salutem mentis et corporis. Da continuæ prosperitatis augmenta, et tibi semper fac esse devotos. Per, etc.

XLIV. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, Romani nominis defende rectores, ut in tua dextera confidentes fiant cunctis hostibus fortiores. Per, etc.

Da, quæsumus, Domine Deus noster, gratiæ tuæ donis, et justificari nos semper, et instrui, quos quotidianum tibi sacrificium præcipis exhibere. Per, etc.

[e] Vere dignum. Qui ideo præsentium rerum prospera

C plerumque suspendis, ne his retenti, cœlestia non quæramus, et tunc eadem magis benignus impendis, cum hæc in tui nominis cultum transferimus prom· ptiores. Per, etc.

Majestati tuæ, Domine, debitas laudes offerimus, qui nos et temporalibus subsidiis refoves, et [f] pascis æternis. Per, etc.

[g] Esto, quæsumus, Domine, propitius plebi tuæ, ut de die in diem quæ tibi non placent respuentes, tuorum potius repleantur 79 dilectionibus mandatorum, et mortalis vitæ consolationibus gubernati proficiant ad immortalitatis effectum. Per, etc.

XLV. *Item alia.* — Custodi, Domine, populum tuum, et ut eidem perpetuam misericordiam largiaris, tuo semper nomini fac devotum. Per, etc.

D Auxiliare, Domine, supplicibus tuis, ut opem tuæ gratiæ consequantur, qui in tua pietate confidunt. Per, etc.

Deus, qui mysteriorum tuorum dignanter operaris

[a] Alia nota marginalis : *Præsidia divina semper adesse duris et desidiosis operariis, id est nobis.*

[b] Item in margine : *Ecclesiam suam Dominus semper fovet, et non desinit exercere promissis.*

[c] Alia marginalis notatio : *Ecclesia Dei, cum putatur oppressa, tunc potius exaltata prævalet.*

[d] Cod., *declinarat*. Blanchinius emendandum credidit *declinat*. Correctio Muratorii magis placuit.

[e] In marg. codicis : *Suspenduntur nobis prospera, ut velocius cœlestia ambiamus.*

[f] Cod. secunda manu, *pacis æternæ;* prima vero, *pacis æternis :* quæ correctionem indicarunt.

[g] Hæc oratio usque ad *mandatorum* est in mss. Greg. Muratorii, ac in Romano Missali fer. 5 post Dominicam Passionis, ubi tamen pro *dilectionibus* habetur *delectationibus*. Hinc etiam confirmatur lectio nostri codicis *respuentes* et *repleantur*, et consequenter *gubernati proficiant*, ut ne opus sit corrigere *respuens*, *repleatur*, *gubernata proficiat*, quam correctionem Muratorius recepit. *Plebs* enim multitudinis nomen cum adjectivis ac verbis pluralis numeri jungi potest.

effectus, præsta, quæsumus, ut sacris apta muneribus fiant nostra servitia. Per, etc. A

[a] Vere dignum. Qui humanum genus justa sinceraque decernis societate constare; et ideo cuncta refutando docuisti quæ præpediunt æquitati, quia per hæc turbatur tranquilla concordia; injustitiamque præcipis esse vitandam, ut unanimitas inoffensa permaneat, nobisque est magnopere festinandum, ut quæ tibi non placent renuentes, ea potius appetamus quibus possimus habere placatum. Per, etc.

Subsidio nostræ salutis accepto, supplices, Domine, te rogamus, ut quos tanti mysterii tribuis esse consortes, eosdem dignos efficias. Per, etc.

Adesto, Domine, propitius plebi tuæ, et ut eam perpetua bonitate non deseras, piis operibus indesinenter exerce: quia omnia dona præstabis, quibus B concesseris religionis augmentum. Per, etc.

XIX.

MENSE AUGUSTO.

[b] IV NONAS AUGUSTI.

Natale sancti Stephani in cœmeterio Callisti via Appia.

I. — [c] Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias martyrum in sancti levitæ Stephani sanguine dedicasti, tribue, quæsumus, ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus supplicavit. Per, etc.

Offerimus hostias nomini tuo, Domine, quantum de nostro merito [d] trepidi, tantum de sanctorum tuorum suffragiis confidentes. Præsta, quæsumus, ut nobis et veniam conferant et salutem. Per, etc.

Vere dignum. Tuæ etenim, Domine, victoriæ **80** C celebrantur, tuorum prædicatur potentia triumphorum, quoties sanctorum martyrum solemnia recoluntur; quia tu in eis et fortitudinem dimicandi, et palmam fecisti florere justitiæ. Inter quos beatus levita Stephanus gloriosus effulsit. Quem sancto Spiritu redundante non solum operum qualitas indicabat, sed tantum etiam cœlestis magnificabat gloriæ claritudo, ut eam persequentium cernere non posset intuitus. Qui sic in ministrando strenuus et fidelis apparuit, ut eidem apostolicarum committeretur prærogatio sancta mensarum. Ita castitate pariter et largitate præcipuus, ut viduarum curam misericors et pudicus expleret. Eatenus divinis instructus eloquiis, ut palam concilia vinceret Judæorum; in tantum Filii tui confessione inflammatus, ut post ejus crucem primus D susciperet passionem. Ita regna cœlestia mente jam penetrans, ut adhuc constitutus in terris, stantem a dextris virtutis tuæ ipsum, pro quo lapidabatur, intenderet; et cœlo vim faciens, quam nomine præferebat, meritis præriperet jam coronam. Per, etc.

Lætamur, Domine, tuorum celebritate sanctorum. Præsta, quæsumus, ut quos veneramur obsequio, adesse nobis sentiamus auxilio. Per, etc.

Da, quæsumus, Domine, fidelibus tuis hunc charitatis affectum, ut sanctorum tuorum celebritate ferventes, nullis implicentur erroribus, nullis adversitatibus affligantur; *sed* salutaribus proficiant institutis, vitalibusque præsidiis adjuventur. Per, etc.

II. *Item alia.* — [e] Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum virtute multiplici Ecclesiæ tuæ sacrum corpus exornans, primitias martyrum gloriosi levitæ Stephani sanguine dedicasti, da nobis diem Natalis ejus honore præcipuo celebrare, quia non diffidimus eum fidelibus tuis specialiter suffragari, qui Dominicæ charitatis imitator, etiam pro persecutoribus exoravit. Per, etc.

Præsta nobis, quæsumus, Domine Deus noster, ut, sicut in tuo conspectu mors est pretiosa sanctorum, ita ejus merita venerantium accepta tibi [f] reddatur oblatio. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam non solum nobis **81** tu per Jesum Christum Dominum adoptionis tuæ filiis contulisti, ut ille tristis aculeus sævientis inferni, et qui ejus acceperat potestatem, diabolus calcaretur, morsque pœnaliter contracta peccato, dum pro justitia toleratur, transiret ad præmium; tantumque superabundantis gratiæ tuæ largitas emineret, *ut non* solum hoc in ipso nostræ redemptionis *auctore*, sed etiam in eum credentium confessione perciperet humana substantia; hujusque muneris victoriæque principium, sanctus Stephanus novi Testamenti levita primus et martyr initiaret post Domini passionem. Per, etc.

III. *Item alia.* — Propitius tribue, Domine, ut hac oblatione mundemur, pro qua sancti tui, inter supplicia [g] dimicando (*Al.* confitendo) sempiternam gloriam sunt adepti. Per, etc.

Vere dignum. Tu enim nobis hanc festivitatem beati (*Al.* [h] sancti) Stephani passione venerabilem consecrasti, cui tantum gratiæ Spiritus sanctus infudit, ut levitici primus officii pietatis operarius dis-

[a] Notatio marginalis: *Refutanda cuncta quæ præpediant æquitati.*

[b] Sic codex. Muratorius cum vidisset subjectas Missas S. Stephani protomartyris, cujus Inventio III nonas agitur, edidit III *nonas*. At titulus, IV *nonas Augusti Natale S. Stephani in cœmeterio Callisti via Appia*, concinens cum Indiculo Bucheriano, refertur ad S. Stephanum papam et martyrem in cœmeterio Callisti sepultum, cujus quidem Missam hac die præfert Sacramentarium Gregorianum. Perperam autem collector huic titulo S. Stephani protomartyris Missas subjecit, quas post diem Natalis Domini adhibitas ipsa præfatio Missæ VII ostendit, ut in præfatione Sacramentario præmissa observavimus n. 8. Plura in his S. Stephani Missis, præsertim præfationes, Leonis stylum et spiritum exhibent

[c] Sacramentaria Gelas. et Greg. hanc orationem præferunt die 26 Decembris; Romanum vero Missale in octava die 2 Januarii.

[d] Cod., *trepidantum*. Emendationem Blanchinii recepimus.

[e] Hæc oratio legitur in Missali Gothico card. Thomasii, n. 5.

[f] Cod. perperam hoc loco habet *reddat*. Correximus ex eadem oratione repetita inferius Missa IV. Muratorius ex ingenio emendavit *acceptam tibi reddant oblationem*.

[g] In Missa V, ubi eadem hæc oratio cum præfatione repetitur, pro *dimicando* legitur *dimicantes*, nec varia lectio *confitentes* pro *confitendo* adjicitur.

[h] *Sancti* varians lectio codici inserta. Mox in præfatione Missæ V, *passione sacrasti, cui tantam gratiam*,

pensatione mensarum, viduarum gubernaculo castitatis exemplum, clarus virtute signorum, verbi tui potentia [a] perfidiam destruens Judæorum, lapidantibus veniam fervore charitatis implorans, cœlorum sibi patente secreto, a dextris virtutis immensæ Filium hominis cerneret constitutum, [b] regnumque Domini Salvatoris, nondum consummato certamine, palam solus aspiceret, quod sanctis omnibus ostensum est post agonem. Per, etc. A

IV. *Item alia.* — [c] Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias martyrum gloriosi levitæ Stephani sanguine dedicasti, da nobis diem Natalis ejus honore præcipuo celebrare, quia non diffidimus eum fidelibus tuis specialiter suffragari, qui Dominicæ charitatis imitator, etiam pro persecutoribus supplicavit. Per, etc.

Donorum omnium, Deus, auctor atque largitor, qui sanctorum virtute multiplici Ecclesiæ tuæ sacrum corpus exornas, da eum in ipsorum defendi prece membrorum, de quorum excellentia gloriatur. Per, etc. B

[d] Præsta nobis, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut in conspectu tuo, etc.

82 Vere dignum. Quoniam tu nobis non solum per Jesum Christum Dominum contulisti ut ille tristis aculeus evidentis inferni, et qui ejus acceperat potestatem, diabolus calcaretur; sed ut hoc etiam in eumdem Filium tuum credentium confessione, etc. [e]

V. *Item alia.* — [f] Propitius tribue, Domine, quæsumus, ut hac oblatione, etc.

Vere dignum. Tu enim nobis hanc festivitatem, etc. [g]

VI. *Item alia.* — Offerendorum tibi munerum, Deus, auctor et dator, præsta, ut [h] *sacrificium* quod sanctis martyribus in persecutione contulit claritatem, nobis fiat in devotione præsidium. Per, etc. C

Vere dignum. In die solemnitatis hodiernæ, qua sanctus Stephanus primitivus tuæ fidei candidatus, ob hoc infidelium persecutione lapidatus est, ut confessionis sacræ lapis vivus existeret; et quod insigni decoratus vocabulo præferebat, impleret corona martyrii. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in terrena substantia constitutos divina tractare concedis, præsta, deprecantibus sanctis tuis, ut eadem consequamur conversatione cœlesti. Per, etc.

Conserva, quæsumus, Domine, filiorum tuorum tibi subditam servitutem, ut intervenientibus sanctis, tua redemptione sint digni, tua semper gratia sint repleti. Per, etc. D

VII. *Item alia.* — [i] Deus, qui nos Unigeniti tui clementer incarnatione redemisti, da nobis patrocinia tuorum continuata sanctorum, quibus capere valeamus salutaris mysterii portionem. Per, etc.

[j] Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatus Stephanus levita magnificus, sicut ante alios imitator Dominicæ passionis et pietatis enituit, ita sit fragilitatis nostræ promptus adjutor. Per, etc.

Inter nostræ redemptionis miranda beneficia, et sanctorum martyrum gloriosa solemnia, **83** cum muneribus, Domine, tuæ laudis occurrimus, agentes gratias et de remedii largitate et de provisione suffragii. Per, etc.

[k] Vere dignum. Beati Stephani levitæ simul et martyris Natalitia recolentes, qui fidei, qui sacræ militiæ, qui dispensationis et castitatis egregiæ, qui prædicationis mirabilis, qui constantiæ, qui confessionis ac patientiæ nobis exempla veneranda proposuit; et ideo nativitatem Filii tui merito præ cæteris passionis suæ festivitate subsequitur, cujus gloriæ sempiternæ primus martyr occurrit. Per, etc.

VIII. *Item alia.* — Hostias, Domine, suppliciter immolamus, in sanctis nobis collata martyribus salutaris tui subsidia prædicantes. Per, etc.

Vere dignum. Tu es quippe mirabilis in sanctis tuis, et ideo licet in singulis quæ ad cultum Divinitatis aspiciunt competens debeamus officium, in cunctis tamen te sine dubio prædicamus, quem in beatorum triumphis martyrum mirabilia cuncta pronuntiant. Per, etc.

[l] Gratias agimus, Domine, multiplicatis circa nos miserationibus tuis, qui et Filii tui nativitate nos salvas, et martyrum beatorum deprecatione sustentas. Per, etc.

Deus, generis institutor et reparator humani, præsta, quæsumus, ut plebs tua et sacramentis instructa salutaribus, et fulta præsidiis, sic præsentia dona percipiat, ut capere mereatur æterna. Per, etc.

IX. *Item alia.* — Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut per cuncta mundi spatia martyrum tuorum facis victorias propagari, sic, te auxiliante nobis, eorum sentiamus ubique præsentiam. Per, etc.

[m] Grata sint tibi, Domine, munera, quæsumus, devotionis hodiernæ, quam beati Stephani martyris tui commemoratio gloriosa depromit. Per, etc.

Vere dignum. Hac festivitate lætantes, qua [n] dica-

[a] In præfatione Missæ v, *Judaicam destruens constanti voce perfidiam, lapidantibus veniam Christi verus sectator implorans.*

[b] Codex hic, *regnum*. In præfat. autem Missæ v, *præmiumque suum, nondum*, et paulo post, *ostenditur*.

[c] Hæc oratio constructa partim ex prima oratione Missæ I, partim ex oratione prima Missæ II.

[d] Rursus hic adducitur secunda oratio Missæ II.

[e] Sequitur præfatio Missæ II.

[f] Vide supra orationem primam Missæ III

[g] Resumitur præfatio Missæ III, ubi hujus variantes dedimus.

[h] Vox *sacrificium* addita est ex simili oratione Missæ I in Natali S. Xysti.

[i] Est in Sacramentariis Gregorianis die 26 Decembris.

[j] Legitur in Sacram. Gelasii lib. I, n. 6.

[k] Hæc præfatio est in codd. Gregor. Pamelii et Menardi, nec non in calce ms. Ottoboniani apud Muratorium pag. 292, tom. II.

[l] Exhibetur in Sacram. Gelas. lib. I, n. 6, et in codd. Gregor. Pamelii ac Menardi.

[m] Est in iisdem Sacramentariis Gelas. n. 6, et Gregor. apud Pamelium.

[n] Indicari videtur perantiqua basilica S. Stephani in monte Cœlio, quam a Simplicio papa dedicatam Pontificalis liber tradit. Codex mendose, *quo dicata nomini tuo basilica*.

tum nomini tuo basilicam beatus Stephanus martyr suo honore signavit, levita venerandus, castitatis exemplum, fidelis apostolicæ dispensator alimoniæ, novi Testamenti inter contradicentes promptus assertor, primus cœlestis martyrii dedicator. Per, etc.

Et sacramentis tuis, Domine, et gaudiis optatæ celebritatis expleti, quæsumus, eorum **84** nobis precibus dent medelam, quorum recordationibus exhibentur. Per, etc.

[a] Protegat, Domine, quæsumus, populum tuum et participatio cœlestis indulta convivii, et deprecatio collata justorum. Per, etc.

XX.

[b] VIII IDUS AUGUSTI.

Natale sancti Xysti in cœmeterio Callisti; et Felicissimi et Agapiti in cœmeterio Prætextati, via Appia.

I.—Deus omnium fortitudo sanctorum, qui illis ad hanc gloriam veniendi copiosum munus gratiæ contulisti, nostris, quæsumus, veniam concede peccatis, ut eorum solemnia digne celebrare possimus. Per, etc.

Offerendorum tibi munerum auctor et dator, præsta ut hoc sacrificium singulare, quod sanctis tuis in passione contulit claritatem, nobis tribuat in devotione præsidium. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam inter innumeras toto mundo martyrum palmas, quibus urbis hujus præcipue coronatus est ambitus, etiam hunc nobis venerabilem diem beati Xysti sacerdotis et martyris tui sanguine consecrasti. Per, etc.

II. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctis tuis non solum credere in Filium tuum, sed etiam pro eodem pati posse donasti, nostræ quoque fragilitati divinum prætende subsidium, ut misericordiam sempiternam, pro qua illi felices animas exhalarunt, nos saltem sincera confessione mereamur. Per, etc.

Magnificasti, Domine, sanctos tuos suscepta passione pro Christo. Præsta, quæsumus, ut nos etiam suppliciter celebrata purificet. Per, etc.

Vere dignum. Natalem diem sancti martyris et sacerdotis tui Xysti debita festivitate recolentes, qui apostolici pontificatus dignus in sua ætate successor, et passione fortissimus imitator, persecutoris gladium intrepida cervice suscepit, gaudens pro eo se capite truncari, a quo non possit abscindi. Per, etc.

III. *Item alia.* — Tribue, quæsumus, Domine, sanctos tuos et jugiter orare pro nobis, et semper clementer audiri. Per, etc.

85 Sancta tua nobis, Domine, quæsumus, intervenientibus qui tibi placuere, proficiant ad salutem, nec reatus mortalitatis reddat indignos, quos tua redemptio præstat innocuos. Per, etc.

[c] Vere dignum. In die festivitatis hodiernæ, qua beatus Xystus pariter sacerdos et martyr devotum tibi sanguinem exsultanter effudit, qui ad eamdem gloriam promerendam doctrinæ suæ filios incitabat, et quos erudiebat hortatu, præveniebat exemplo. Per, etc.

Da nobis, Domine, fidei tuæ miseratus augmentum, ut quæ sanctos martyres tuos usque ad sanguinem retenta glorificat, nos etiam justificet, veraciter hanc sequentes. Per, etc.

[d] Adsint nobis, Domine, patrocinia tibi grata sanctorum, et quæ pro illorum solemnitate deferimus eorum commendet oratio. Per, etc.

Vere dignum. Qui sancto martyri tuo Xysto ac præcipue sacerdoti, non solum propriæ passionis triumphum, sed ut etiam subjectis sibi ministris Ecclesiæ proficeret, contulisti. Gloriosum denique virum nec inferior beatitudo discipuli, nec tardior est secuta victoria. Per, etc.

IV. *Item alia.* — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et intercedentibus sanctis tuis, ab hostium nos defende propitiatus incursu. Per, etc.

Suscipe, Domine, munera passionibus tuorum dicata sanctorum, et quæ illis inter persecutiones fortitudinem ministrarunt, nobis præbeant inter adversa constantiam. Per, etc.

Vere dignum. Qui sanctum Xystum sedis apostolicæ sacerdotem hodierna die felici martyrio coronasti. Pro quibus operibus tuis atque muneribus, multiplici gratiarum actione lætantes, hostias tibi laudis offerimus. Per, etc.

Prodest quidem, Domine, continuata censura peccantibus. Sed temperetur, quæsumus, tuorum intercessione sanctorum; ut non deficiamus infirmi, sed per tuam gratiam possimus nos emendare correpti. Per, etc.

Defende, quæsumus, Domine, plebem tuam, in sola tuæ misericordiæ venia confidentem; et intervenientibus sanctis tuis, quidquid eidem debetur pro castigatione delicti, transeat ad consolationis effectum. Per, etc.

86 V. *Item alia.* — Adesto, Domine, martyrum deprecatione sanctorum, et quos pati pro tuo nomine tribuisti, fac tuis fidelibus suffragari. Per, etc.

Dominus Deus noster, tuis nos purifica sacramentis et quorum nos tribuis interesse mysteriis, concede remediis gaudere perpetuis. Per, etc.

Vere dignum. Tibi enim festiva solemnitas agitur, tibi dies sacrata celebratur, qua sancti Xysti præsulis apostolici Natalitia prælibantes, quibus in confessionem tui nominis venerabilis ejus sanguis effusus est, annua majestati tuæ vota persolvimus. Per, etc.

[a] Legitur in Sacram. Greg. Menardi, et in Missali Rom. die 27 Sept. Natali SS. Cosmæ et Damiani.

[b] In Indiculo Bucheriano, VIII *idus Augusti Xysti papæ in Callisti et Prætextati* (corrige ex nostro Sacramentario, *et in Prætextati*), *Agapiti et Felicissimi.*

[c] Exstat in Sacrament. Greg. apud Menardum, et inter præfat. codicis Ottob. Greg. apud Muratorium tom. II, p. 328.

[d] Est alia Missa cum alia præfatione, licet collector distinctum numerum non præfixerit.

[a] Refecti cibo potuque cœlesti, Deus noster, te supplices exoramus ut in quorum hæc commemoratione percepimus, eorum muniamur et precibus. Per, etc.

Prætende, Domine, misericordiam tuam, et esto populi tui defensor et custos, ut sanctorum tuorum veneranda solemnia securo possit frequentare conventu. Per, etc.

VI. *Item alia.* — [b] Fac nos, quæsumus, Domine, sanctorum tuorum semper festa sectari, quorum suffragiis protectionis tuæ dona sentiamus. Per, etc.

Concede, quæsumus, Domine Deus noster, ut per tua semper sacramenta vivamus, quia protegere [c] non desistis quos tuis semper indulseris inhærere mysteriis. Per, etc.

Vere dignum. Adest enim nobis sancti sacerdotis et martyris tui Xysti desiderata festivitas; quam annua recursione venerantes, hostias tibi laudis offerimus cum angelis, etc.

Repleti sumus, Domine, misericordia tua, et benedictione sanctorum, et securitatis munere relevati. Per, etc.

VII. *Item alia.* — Deus, qui nos ad sancti pontificis et martyris tui Xysti natalitia tribuisti pervenire lætantes, præsta, quæsumus, ut sicut securis eadem mentibus, ita dignis celebremus officiis. Per, etc.

Accipe munera, Domine, quæ in eorum 97 tibi solemnitate deferimus, quorum scimus patrociniis liberari. Per, etc.

Vere dignum. Cognoscimus enim, Domine, tuæ pietatis effectus, quibus nos [d] adeo gloriosi sacerdotis et martyris tui Xysti semper honoranda solemnia, nec inter præteritas mundi tribulationes omittere voluisti, et nunc reddita præstas libertate venerari. Per, etc.

In Natali sanctorum Felicissimi et Agapiti.

Magnificantes, Domine, clementiam tuam, supplices exoramus ut qui nos sanctorum tuorum frequentibus facis natalitiis interesse, perpetuis tribuas gaudere consortiis. Per, etc.

Da nobis, omnipotens Deus, ut sanctorum tuorum te semper commemoratione laudare, quia refovere curabis quos in honore tuo perseverare concesseris. Per, etc.

[e] Accepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore sanctorum, quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per, etc.

Vere dignum. Qui nos sanctorum Felicissimi et Agapiti festa semper optanda fecisti celebrare gaudentes, et qui dedisti fidem inter adversa constantem, reddes beneficia (*Al.* munera) libertatis. Per, etc.

[f] Præsta, Domine, quæsumus, ut quorum memoriam sacramenti participatione recolimus, fidem quoque proficiendo sectemur. Per, etc.

Respice subditam tibi, Domine, familiam tuam, et cujus exaudire preces in mœrore dignatus es, actionem gratiarum propensius intuere. Per, etc.

XXI.

IV IDUS AUGUSTI.

Natale sancti Laurentii.

I. — Deus, qui nos sanctorum martyrum munitione conservas, da Ecclesiam tuam digne talium celebrare solemnia, et illos tibi jugiter supplicare pro nobis. Per, etc.

[g] Vere dignum. Prævenientes natalem diem beati Laurentii, qui levita simul martyrque venerandus et proprio claruit gloriosus officio, et memoranda refulsit passione sublimis. Per, etc.

[h] Sumpsimus, Domine, pignus redemptionis æternæ. Sit nobis, quæsumus, intervenientibus sanctis tuis, vitæ præsentis auxilium, pariter et futuræ. Per, etc.

Adesto, Domine, populo tuo, et quem 98 sanctorum tuorum tribuis frequentationibus interesse, protectione perpetua fac securum. Per, etc.

II. *Item alia.* — Concede nobis, Domine, gratiam tuam in beati Laurentii martyris celebritate multiplicem, ut de tanti agone certaminis discat populus Christianus et firma solidari patientia, et pia exsultare victoria. Per, etc.

Pro beati Laurentii martyris passione veneranda, hostias tibi, Domine, suppliciter immolamus, ejus oratione placituras, pro cujus meritis offeruntur. Per, etc.

Vere dignum. Et tuam magnificentiam propensius exorare, qui nobis hunc diem sancti Laurentii martyrio tribuisti venerandum, quem ita omni genere pietatis imbueras, ut idem tibi ara atque sacrificium, idem sacerdos esset et templum. Per, etc.

[i] Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris. Ejus, quæsumus, semper interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, Ecclesiæ tuæ votis propitiatus aspira, ut beati Laurentii martyris meritis adjuvetur, cujus passione lætatur. Per, etc.

III. *Item alia.* — Magnificasti, Domine sanctos

[a] Codd. Greg. exhibent hanc collectam die 24 Augusti in festo S. Eusebii presbyteri; Missale Rom. eodem die, et alibi sæpius.

[b] Idem Missale hanc orationem præfert die 9 Junii in festo SS. martyrum Primi et Feliciani.

[c] Ita codex. Magis arrideret *non desistes*, quod Muratorius recepit.

[d] Cod., *ideo*, male.

[e] In mss. Gregor. et in Romano missali legitur die 22 in Natali SS. Timothei, Hippolyti et Symphoriani, et alibi.

[f] Exstat in Rom. Missali die 1 Aug. in commemoratione SS. Machabæorum.

[g] Hæc est Missa vigiliæ sub eodem titulo una cum cæteris diei festi.

[h] In codd. Gregor. eadem est die 11 Augusti in Missa S. Tiburtii. Missale Rom. modica varietate eamdem habet eodem die, et in festo S. Bartholomæi.

[i] Codd. Gregor. et Missale Rom. habent hanc collectam die 18 Aug. et alibi.

tuos suscepta passione pro Christo. Præsta, quæsumus, ut, etc. [a] A

Vere dignum. Quoniam tu es omnium sanctorum insuperabilis fortitudo, qui inter mundanæ conversationis adversa, præcipua nos beatorum martyrum glorificatione solaris, et ad sublimia exempla patientiæ, triumpho nos sancti Laurentii, quem hodie celebramus, accendis. Per, etc.

Repleti, Domine, donis tuis in tuorum festivitate sanctorum, præsta, ut hæc sancta mysteria, quæ celebramus votis, experiamur auxiliis. Per, etc.

IV. *Item alia.* — [b] Suscipe, quæsumus, Domine, munera pro sanctorum tuorum commemoratione exsultanter oblata, et quod illos fecit **89** passione gloriosos, nos devotione reddat innocuos. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam tuis donis atque muneribus, beati Laurentii martyris passionem hodierna B solemnitate veneramur, qui pro confessione Jesu Christi Filii tui diversa supplicia, spiritu fervente, suscipiens, subjectos ignes, et crudeli ingenio persequentum mutata tormenta, immutabili virtute superavit, ac fluentibus membris, solida parte victor mente permansit. Per, etc.

[c] Excita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum cui sanctus Laurentius levita servivit, ut, eodem nos replente, studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit. Per, etc.

V. *Item alia.* — Accepta tibi sit, Domine, nostræ servitutis oblatio, et salutaris nobis, beati Laurentii precibus, pro cujus commemoratione defertur, existat. Per, etc. C

Vere dignum. Quo pietatis officio, pro solemnitate sancti Laurentii martyris, sacrificium tibi laudis offerimus, quia tua factum est operante virtute, ut nullis calumniis impiorum, nulla sævitia persequentum, nulla dirarum atrocitate pœnarum, vir tuo ignitus Spiritu vinceretur. Per, etc.

VI. *Item alia.* — [d] Oblata tibi, Domine, munera populi tui pro tuorum honore sanctorum suscipe propitius, quæsumus, et eorum nos intercessione sanctifica. Per, etc.

Vere dignum. Beati Laurentii annua vota repetentes. Qui dispensator egregius, et usque ad sanguinem, nominis tui confessor eximius, simul in alendis pauperibus, ecclesiasticæ pietatis et testificationis Filii tui Domini nostri, præbuit martyr beatus exemplum. Per, etc. D

[e] Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et intercessione sancti Laurentii martyris tui, perpetuam nobis misericordiam benignus impende. Per, etc.

VII. *Item alia.* — [f] Accipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, et beati Laurentii suffragantibus **90** meritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per, etc.

Vere dignum. Et pro honore beati Laurentii martyris tui hostias tibi laudis offerimus. Per, etc.

Repleti gustu gratiæ tuæ, et cœlestis mensæ dulcedine vegetati, gratias tibi referimus. Per, etc.

Annue, quæsumus, Domine, precibus familiæ tuæ, et quod nostris actibus non meremur, sanctorum tuorum nobis concede suffragiis. Per, etc.

VIII. *Item alia.* — Cum sanctorum tuorum, Domine, supplicationibus imploramus, ut sacris muneribus offerendis gratam tibi nostri ministerii facias servitutem. Per, etc.

Vere dignum. Quidquid enim sanctorum tuorum meritis adhibemus, ad tuam laudem recurrit et gloriam, qui in eorum semper es [g] virtute mirabilis. Per, etc.

[h] Sancti Laurentii nos, Domine, precatio justa tueatur, et quod nostra conscientia non præsumit, ejus nobis, qui tibi placuit, oratione donetur. Per, etc.

IX. *Item alia.* — Supplices te rogamus, Deus, ut interventu beati Laurentii martyris, et tua in nobis dona multiplices, et tempora nostra disponas. Per, etc.

[i] Debitum nostræ reddimus servitutis, suppliciter exorantes ut suffragiis ejus in nobis tua munera tuearis, pro cujus honoranda confessione hostiam tibi laudis offerimus. Per, etc.

Vere dignum. De tua misericordia postulantes ut quorum ad honorem nominis tui merita celebramus, pia quoque opera nitamur imitari. Per, etc.

Tuere nos, Domine, precibus sancti Laurentii martyris tui, ut gratia tua semper mereamur augeri, qui talium præsidiis confidimus patronorum. Per, etc.

X. *Item alia.* — Læta nos, Domine, quæsumus, sancti Laurentii martyris tui festivitas semper excipiat, quæ et jucunditatem nobis suæ glorificationis **91** infundat, et tibi nos reddat acceptos. Per, etc.

Perfice nobis, Domine, fructum gratulationis hodiernæ, ut precibus beati Laurentii martyris tui, ejus Natalitia votiva præcurrens, perfectis gaudiis expleatur oblatio. Per, etc.

Vere dignum. Tuam misericordiam deprecantes ut mentibus nostris beati Laurentii martyris tui tribuas jugiter suavitatem, qua et nos amemus ejus meritum passionis, et indulgentiam nobis semper fidelis ille patronus obtineat. Per, etc.

Gratias tibi, Domine, quoniam sanctum Lauren-

[a] Eadem invenitur in secunda Missa S. Xysti VIII idus Aug.

[b] Affinis est oratio in codd. Greg. ac in Missali Rom. die 26 Dec. Natali S. Stephani.

[c] Est in omnibus mss. Greg. die S. Laurentii, in Missali autem Rom. in die octavæ ejusdem.

[d] Leges hanc orationem in Romano Missali die 9 Octobr. Natali SS. Dionysii et sociorum. Dein in cod. pro *nos* perperam *nobis*.

[e] In Sacram. Greg. ac in Missali Rom. est prima oratio Missæ in vigilia sancti Laurentii.

[f] Est in codd. Greg. et in Missali Rom. die S. Laurentii.

[g] Cod., *servitute*. Blanchinius optime emendavit.

[h] Invenitur in Sacram. Gelasii lib. II, n. 43, ad Vesperas, et in Gregor. Menardi atque Pamelii.

[i] Affinis est oratio Missæ S. Thomæ apostoli in Missali Romano.

tium martyrem tuum te inspirante diligimus, ut ejus Natalitia [a] præeuntes piis semper intercessionibus foveamur et meritis. Per, etc.

XI. *Item alia.* — Auge, quæsumus, Domine, fidem populi tui, de sancti Laurentii martyris festivitate conceptam, ut ad confessionem tui nominis nullis properare terreamur adversis, sed tantæ virtutis intuitu potius incitemur. Per, etc.

Adsint nobis, Domine, patrocinia tibi grata sanctorum, ut quæ pro illorum solemnitate deferimus, eorum commendet oratio. Per, etc.

[b] Vere dignum. In die solemnitatis hodiernæ, qua beati Laurentii hostiam tibi placitam casti corporis glorioso certamine suscepisti. Prunis namque superposita stridebant membra viventia, nec tamen erat pœna patientis, sed piæ confessionis incensum. Neque terreno liberari cruciatu martyr optabat, sed coronari deprecabatur in cœlis. Per, etc.

XII. *Item alia.* — Annue, quæsumus, Domine, precibus nostris ut sancti Laurentii martyris tui solemnia, quæ cultu tibi debito prævenimus, prospero suscipiamus effectu. Per, etc.

[c] Muneribus nostris, Domine, sancti Laurentii martyris tui festa præcedimus, ut quæ conscientiæ nostræ præpediuntur obstaculo, illius meritis grata reddantur. Per, etc.

Vere dignum. Quamvis enim sanctorum tuorum, propagante te, Domine, toto orbe [d] clara sit gloria, de beati tamen solemnitate Laurentii peculiaris præ cæteris Roma **92** lætatur; cujus [e] nascendo civis, sacer minister, [f] et dicatum nomini tuo munus est proprium. Qui per tuam gratiam, commissæ sibi dispensationis executor egregius, ut ad martyrium perveniret; emeruit pro præmio, et quo cœlestis existeret consecutus est passionem. Per, etc.

Intercessio beati Laurentii martyris tui, Domine, de sua nobis confessione nascentium mereatur plenitudinem gaudiorum. Per, etc.

Exsultet populus tuus, Domine, quæsumus, in sancti commemoratione Laurentii; et cujus de votivo lætatur officio, suffragio relevetur optato. Per, etc.

XIII. *Item alia.* — [g] Adsit nobis, Domine, sancti Laurentii martyris in tua glorificatione benedictio, cujus nobis est hodie facta suffragium in tua virtute confessio. Per, etc.

A Offerimus hostias, Domine, in sancti Laurentii martyris tui hodierna festivitate (*Al.* confessione) gaudentes, quæ nobis, operante te, Domine, et auxilium contulit et profectum. Per, etc.

Vere dignum. Pretiosam mortem sancti Laurentii martyris tui exsultantibus animis celebrantes, quam, te vincente, diaboli cernimus esse victricem. Per, etc.

[h] Da nobis, omnipotens Deus, ut beati Laurentii martyris tui veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per, etc.

Ad octavas.

XIV. *Item alia.* — Sanctorum tuorum nos, Domine, continua solemnitate comitare, ut qui nostris meritis impedimur, eorum qui tibi placuerunt precibus adjuvemur. Per, etc.

B Ut sacrificia nostra, Domine, propitiatus intendas, sancti Laurentii nos martyris tui commendet oratio. Per, etc.

Vere dignum. Quia in sanctorum tuorum semper es virtute gloriosus. Et quoties illorum festa recolimus, te mirabilem confitemur. Per, etc.

Sancti Laurentii nos, Domine, solemnitas repetita tueatur, et misericordiæ tuæ intercessio beata conciliet. Per, etc.

93 [i] IDIBUS AUGUSTI.

Natale sanctorum Hippolyti et Pontiani.

I. — Deus, qui nos in sanctorum martyrum multiplicatione custodis, da ut quorum solemnia frequentamus, incessabili juvemur auxilio. Per, etc.

[j] Respice, Domine, munera populi tui, sanctorum C festivitate votiva, et tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per, etc.

[k] Vere dignum. Tibi enim, Domine, festiva solemnitas agitur, tibi dies sacrata celebratur, quam sancti Hippolyti martyris tui sanguis in veritatis tuæ testificatione profusus magnifico nominis tui honore signavit. Per, etc.

[l] Sacro munere satiati, supplices, Domine, deprecamur ut quod debitæ servitutis celebramus officio, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per, etc.

Deus, qui Ecclesiam tuam innumeris sanctorum patrociniis et glorificas et tueris, præsta ut quorum celebrat conventum, experiatur devota suffragium. Per, etc.

II. *Item alia.* — Perpetuis nos, Domine, sancto-

[a] Hoc verbum *præeuntes* indicat hanc Missam spectare ad vigiliam.

[b] Est in Sacram. Gelas. lib. II, n. 43.

[c] Hæc oratio pertinet ad vigiliam S. Laurentii. In cod. Gelas. refertur in vigilia omnium apostolorum lib. II, n. 34.

[d] Ita codex. Apud Muratorium, *data*.

[e] Notent hæc qui S. Laurentium Romanum negant.

[f] Valde luxata hæc præfatio est, et difficilius sanari potest. Muratorius ex suspicione Blanchinii pro *et dicatum* edidit *dedicatum*.

[g] Est apud Gelas. lib. II, n. 43, et in Gregor. Menardi.

[h] In Sacram. Gelas. paucis mutatis accommodatur vigiliæ S. Laurentii, n. 42. In Gregor. codd. Muratorii aptatur Missæ unius confessoris, et in Ro- D mano Missali Missæ communi confessoris pontificis, nec non vigiliæ S. Bartholomæi apostoli, et aliis festis.

[i] In Indiculo Bucheriano, *Idibus Augusti. Hippolyti in Tiburtina et Pontiani* (papæ) *in Callisti*. Duo diversa cœmeteria distinctas Missas postulasse videntur, alteram de S. Hippolyto celebratam in cœmeterio via Tiburtina, de S. Pontiano alteram in cœmeterio Callisti. Sequens Missa communis est S. Hippolyto accommodata; unde eadem aliorum sanctorum Missis, inserto ipsorum nomine, aptata legitur.

[j] Hæc oratio est secreta in Missa S. Hippolyti tum in codd. Gregor., tum in Romano Missali.

[k] Vide supra præfationem Missæ V S. Xysti.

[l] Legitur in mss. Gregorianis, et in Romano Missali die 2 Junii Natali SS. Marcellini et Petri, ac in aliis festis.

rum tuere præsidiis, et quanto fragiliores sumus, A tanto magis necessariis attolle suffragiis. Per, etc.

[a] Quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum tuorum cœlestibus mysteriis celebrata solemnitas indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat. Per, etc.

Vere dignum. Qui non solum malis nostris bona retribuis, sed ut miseris uberiora dona concedas, qui digne pro nobis possint intercedere, contulisti, et quod nostra conscientia non habebat, intercessio supplet tibi grata justorum. Per, etc.

[b] Sancti martyris Agapiti, Domine, quæsumus, veneranda festivitas, salutaris auxilii nobis præstet augmentum. Per, etc.

Plebs tua, Domine, lætetur tuorum semper **94** honore sanctorum, et eorum percipiat intercessione votiva subsidia, quorum patrociniis gratulatur. Per, etc. B

XXIII.

III KALENDAS SEPTEMBRIS.

Natale sanctorum Adaucti et Felicis.

I. — Da nobis, omnipotens Deus, ut eorum semper festa sectemur, quorum digna pro nobis interventione confidimus. Per, etc.

Sanctorum Felicis et Adaucti natalitia recensentes, munus offerimus, quod eorum tibi, Domine, quæsumus, intercessione sit gratum. Per, etc.

Vere dignum. Sanctorum martyrum gloriam cum exsultatione recolentes, in quibus mirabiles tuæ majestatis effectus, et patrocinia nobis provisa cognoscimus. Per, etc.

Gratias tibi referimus, Domine, qui nos et cœlestis participatione sacramenti, et tuorum reficis celebritate justorum. Per, etc.

II. *Item alia.* — [d] Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut sicut nos jugiter sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per, etc.

Tanto placabiles, quæsumus, Domine, nostræ sint hostiæ, quanto sanctorum martyrum tuorum, pro quorum solemnitatibus exhibentur, tibi grata sunt merita. Per, etc.

Vere dignum. Quamvis enim semper in tui gaudeamus actione mysterii, copiosius tamen ejus munere gratulamur, cum pro martyrum solemnitate sanctorum, per quos tibi commendamur, offertur. Per, etc.

Donis cœlestibus, cum sanctorum tuorum recordatione, satiati gratias tibi referimus. Per, etc.

A Pro familia tua, Domine, quæsumus, sanctorum martyrum venerabilis intercedat oratio, ut quorum solemnia devota mente non deserit, eorum piis adjuta præsidiis, et consolationem referat et salutem. Per, etc.

95 III. *Item alia.* — Quæsumus, Domine Deus noster, ut non desinant sancti tui pro nostris supplicare peccatis, a quibus tu voluisti pro peccatoribus exorari. Per, etc.

[e] Præsta nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut nostræ humilitatis oblatio et pro tuorum grata sit honore sanctorum, et nos corpore pariter et mente purificet. Per, etc.

Vere dignum. Orantes potentiam tuam, ne dicant gentes : *Ubi est Deus eorum?* Sed ut dignanter ostenB das quia non plus ad perdendum nos valeant nostra delicta, quam ad salvandum vel patrocinia copiosa justorum, vel tuæ majestatis invicta clementia. Per, etc.

Supplices te rogamus, Deus, ne aut malis propriis aggravemur, aut infestemur ab hostibus, qui tantis sanctorum tuorum meritis commonemur. Per, etc.

IV. *Item alia.* — Sanctorum tuorum, quæsumus, Domine, quorum nos assiduis festivitatibus consolaris, defende præsidiis. Per, etc.

Salutari sacrificio, Domine, populus tuus semper exsultet, quo et debitus honor sacris martyribus exhibetur, et sanctificationis tuæ munus acquiritur. Per, etc.

C Vere dignum. Te in tuorum glorificantes honore sanctorum, qui et illis tribuisti beatitudinem sempiternam, et infirmitati nostræ talia præparasti suffragia, quæ possis audire pro nobis. Per, etc.

Exaudi, Domine, quæsumus, preces nostras, ut populus tuus, sub tantis patrociniis constitutus, et a suis offensionibus liberetur, et ab omnibus protegatur adversis. Per, etc.

V. *Item alia.* — [f] Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio, ut eorum nobis fiat supplicatione salutaris, pro quorum solemnitate defertur. Per, etc.

Vere dignum. Sacrificium quippe suum hodie frequentat Ecclesia, et festivitatem dudum muneris immolati annua festivitate concelebrat, quo, pro ejus D confessione vel nomine, qui eam sanguine suo redemit, impenso, obsequium proprii cruoris exhibuit. Per, etc.

96 VI. *Item alia.* — [g] Sanctorum tuorum nobis,

[a] Habes hanc orationem post communionem in Missa SS. Primi et Feliciani die 2 Junii apud Menardum, et in Missali Romano.

[b] Hæc nova Missa videtur, cui titulus esse debuisset XV *kal. Septembris. Natale sancti Agapiti;* quo quidem die notatur hoc festum cum sua Missa in Sacram. Gelasii lib. II, n. 48, et in codd. Gregorianis. Alii malunt perperam scriptum fuisse *Agapiti* nomen pro Hippolyti. Sed duarum Missarum in unam confusio apud nostrum collectorem nonnumquam occurrit.

[c] Hoc die Missa SS. Adaucti et Felicis in mss Gregorianis legitur. Sola prima Missa propriam orationem habet.

[d] Sic codd. Gregor. et Missale Rom. in Natali eorumdem martyrum die 30 Augusti.

[e] Exstat in Missali Rom. inter communes unius confessoris non pontificis.

[f] Orationis hujus frequens est usus in mss. Greger. Muratorii die 8 Augusti Natali SS. Cyriaci et sociorum, 28 Aprilis S. Vitalis, etc. In Missali Rom. est inter communes de martyre non pontifice.

[g] Est in codd. Greg. et in Missali Rom. die SS. Cosmæ et Damiani, ac in eodem Missali aptatur etiam

Domine, pia non desit oratio, quæ et munera nostra A conciliet, et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per, etc.

Vere dignum. Qui Ecclesiæ tuæ, toto orbe propagandæ, non solum tui Unigeniti passionem sempiterna providentia contulisti, sed ad majorem gloriam conferendam mutuas mortes tibi impendere pretiosa devotione tribuisti. Per, etc.

[a] Votiva, Domine, dona percepimus, quæ sanctorum nobis precibus et præsentis, quæsumus, vitæ, pariter et æternæ tribue conferre præsidium. Per, etc.

VII. *Item alia.* — Adesto, Domine, populo tuo, et concede misericordiam tuam cum sanctorum tuorum patrociniis supplicanti, ut quia tua gubernatione confidit, nullis adversitatibus opprimatur. Per, etc.

[b] Vere dignum. Ecce enim, sicut sacer sermo pro- B nuntiat, *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Nec potest aliatenus explicari, quibus modis hæc interfectio gloriosa pensetur. Moriuntur abjecti, et orbis terrarum capiunt principatum. Moriuntur mundanæ eruditionis ignari, et exeunt doctrinæ cœlestis auctores. Moriuntur captores piscium, et efficiuntur hominum piscatores. Moriuntur soliti maria perscrutari mediocris artis officio, et redduntur sæculi examinatores et judices. Et ideo cum angelis, etc.

XXIV.

MENSE SEPTEMBRI.

[c] XVIII KALENDAS OCTOBRIS.

Natale sanctorum Cornelii et Cypriani.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos multiplici C sanctorum tuorum festivitate lætificas, præsta ut quorum commemoratione gaudemus, præsidio muniamur. Per, etc.

Oblationes populi tui, Domine, quæsumus, placatus intende, quibus et sanctorum martyrum celebramus in honorem tui nominis passionem, et nobis indulgentiam suppliciter imploramus. Per, etc.

97 [d] *Preces* H *in sancta Euphemia.*

Vere dignum. Immensa sunt enim opera tua, et vere magna (*Al.* mirabilia). Tibi hominem, diabolica quondam fraude prostratum, sic per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, sui tribuisti victoris esse [e] victorem, hunc eumdem ejus adversarium, ut eum non solum virilis sexus tuorum deinceps fidelium subjugaret, sed etiam feminea superaret infirmitas, et quæ est in sua conditione fragilior, substantiæ spiritalis inimico fortior redderetur; deceptionemque Evæ matris ulciscens, de hoste generis humani, qui aditum per illam mortis invenerat, triumpharet; quas ineffabilis gloriæ tuæ vices in sanctæ martyris Euphemiæ passione [f] venerantes. Per, etc.

Accipe, Domine, quæsumus, nostræ servitutis officia, ut, suffragantibus sanctis, quod ad honorem tuæ majestatis offerimus, perpetuam nobis conferant vitam. Per, etc.

Perceptis, Domine, cœlestibus sacramentis, gratias agimus pio nomini tuo qui et sanctorum tuorum nos assidua festivitate comitaris, et divino munere vivificare non desinis. Per, etc.

Respice propitius, Domine, ad debitam tibi tui populi servitutem, ut inter humanæ fragilitatis incerta nullis adversitatibus opprimatur, qui de tua protectione confidit. Per, etc.

Item alia. — [g] Beatorum martyrum, pariterque pontificum Cornelii et Cypriani nos, Domine, quæsumus, *festa* tueantur, et eorum commendet oratio veneranda atque lætificet. Per, etc.

Plebis tuæ, Domine, munera benignus intende, quæ majestati tuæ pro sanctorum martyrum Cornelii et Cypriani solemnitatibus sunt dicata. Per, etc.

[h] Vere dignum. Tuamque in sanctis martyribus Cornelio simul etiam Cypriano, prædicare virtutem, quos discretis terrarum partibus greges sacros divino pane pascentes, una fide, eademque die, diversis licet temporibus, consonante, parique nominis tui confessione coronasti. Per, etc.

Sacro munere vegetatos sanctorum martyrum Cornelii et Cypriani natalitia nos 98 tibi, Domine, quæsumus, commendet oratio. Per, etc.

Ad defensionem fidelium, Domine, quæsumus, dexteram tuæ majestatis extende; et ut perpetua pietatis tuæ protectione muniantur, intercessio pro his non desit martyrum continuata sanctorum. Per, etc.

XXV.

[i] XVI KALENDAS OCTOBRIS.

In Natali sanctæ Euphemiæ.

I. — [j] Præsta, Domine, quæsumus, ut sicut san-

festo SS. Innocentium et aliis solemnitatibus. D

[a] Missale Rom. hanc orationem exhibet in festo SS. Innocentium et alibi.

[b] Hæc præfatio ad apostolos pertinet.

[c] In Indiculo Bucheriano hac die notatur. XVIII *kal. Octobris Cypriani Africæ, Romæ celebratur in Callisti;* ubi excidit *Cornelii* nomen, quod una cum Cypriano hac eadem die præferunt tam nostrum Sacramentarium, quam Gelasianum et Gregorianum. Horum quidem martyrum antiquiorem cultum declarat etiam Canon Missæ, ubi *Cornelii et Cypriani* nomina leguntur.

[d] *Preces* H. hoc est *habendæ*, describendæ erant infra in Missa sanctæ Euphemiæ, cui totus contextus convenit; extra suum itaque locum hic insertæ sunt.

[e] Locum hunc ita restituendum censet P. Blanchinius: *Victorem, ut hunc eumdem ejus adversarium non solum virilis sexus*, etc.

[f] Magis placeret *veneramur*.

[g] In Sacram. Gelasii lib. II, n. 57, tres priores orationes hujus Missæ inveniuntur: dum priores tantum cum præfatione sunt in cod. Gregor. Menardi hoc eodem die festo; prima hæc in Missali Rom.

[h] Hæc præfatio legitur in codd. Gregor. Muratorii tom. II, p. 335.

[i] Sanctæ Euphemiæ mentio deest in Indiculo Bucheriano. Hoc tamen die hujus sanctæ martyris Missa refertur in Sacramentariis Gregorianis; in Gelasiano vero recensetur idibus Aprilis. Forte hujus martyris Chalcedone celebris post Chalcedonense concilium, in quo S. Euphemiæ nomen multis in locis laudatur, cultus in Romanam Ecclesiam inductus fuit vivente S. Leone, cujus quidem ingenio sequentes præfationes indignæ non sunt.

[j] Est in Missali Rom. die 12 Julii Natali SS. Naboris et Felicis.

eterum tuorum Natalitia celebranda non deserunt, ita A jugiter suffragia comitentur. Per, etc.

Gratanter ad munera dicanda concurrimus, quæ nomini tuo, Domine, pro solemnitate sanctæ martyris Euphemiæ supplices immolamus. Per, etc.

Vere dignum. In hac celebritate gaudentes, qua sancti Spiritus fervore præclarus beatæ martyris Euphemiæ sexus fragilitate pretiosior sanguis effloruit, et virtute feminea rabiem diabolicæ persecutionis elidens, geminatæ gloriæ triumphum virginitas implevit et passio. Per, etc.

II. *Item alia.* — Suscipe, Domine, quæsumus, hostias lætantis Ecclesiæ, quas pro sanctæ martyris Euphemiæ natalitia passione majestati tuæ prompta devovit. Per, etc.

Vere dignum. Sanctæ martyris Euphemiæ Natalitia B recolentes rerum diversitate mirabili : ut diabolus, qui virum per imbecillitatem mulieris impulerat in ruinam, viri conditione [a] nunc in Christo reparante victoriam, per muliebrem quoque fragilitatem mutuo dejiceretur obtritus. Per, etc.

III. *Item alia.* — Sacrificium tibi, Domine, nostræ servitutis offerimus, quod ad honorem nominis tui in sanctæ martyris Euphemiæ festivitate debemus. Per, etc.

Vere dignum. Hodiernæ festivitatis lætitiam 99 recensentes, quam nobis sanctæ martyris Euphemiæ veneranda confessio fecit insignem. Per, etc.

[b] Sanctificet nos, Domine, quæsumus, tui perceptio sacramenti ; et intercessio sanctæ martyris Euphemiæ tibi reddat acceptos. Per, etc. C

Exsultet, Domine, Christianæ plebis humilitas, quia in martyrum commemoratione sanctorum tua mirabilia veneratur, et eorum tibi precibus adjuta complaceat. Per, etc.

XXVI.

[c] PRIDIE KALENDAS OCTOBRIS.

Natale basilicæ Angeli in Salaria.

I. — Omnipotens sempiterne Deus, apud quem, cum totius rationabilis pia merita creaturæ semper accepta sint, certum est magis esse præcipua, quæ reliquam spiritalem superant dignitatem, grata tibi sit, quæsumus, nostra festivitas, pro veneratione ejus oblata, qui tuæ majestatis arcanis, naturali per tuam gratiam decore servato, devotis semper excubiis est propinquus. Per, etc. D

[d] Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes ut easdem, angelico pro nobis interveniente suffragio, et placatus accipias, et ad salutem nostram provenire concedas. Per, etc.

Vere dignum. Teque profusis gaudiis prædicare in die festivitatis hodiernæ, qua in honorem beati archangeli Michaelis sacrata nomini tuo loca divinis sunt instituta mysteriis ; quamvis enim illius sublimis gloriosæque substantiæ sit habitatio semper in cœlis, tuorum tamen fidelium præsumit affectus, pro tuæ reverentia potestatis, per hæc piæ devotionis officia, quoddam retinere pignus in terris astantium in conspectu tuo jugiter ministrorum. Et ideo cum angelis, etc.

II. *Item alia.* — [e] Munus populi tui, Domine, quæsumus, dignanter assume, quod non nostris meritis, sed sancti archangeli tui Michaelis deprecatione sit gratum. Per, etc.

Vere dignum. Teque in omni factura tua laudare mirabilem, in quo principaliter angelica natura præcellit, quæ, etsi humano generi corporeo conspectu subtrahitur (*Al.* negatur 100 aspectu), fidei tamen videtur intuitu. Dignumque est per honorificentiam nos eorum, tuam [f] suspicere majestatem, per quos multa præsidia nostræ salutis operaris, tuamque magnificentiam hoc potius prædicare, quod te præcelsarum atque cœlestium potestatum Dominum confitentur. Per, etc.

III. *Item alia.* — Oblatio tibi, Domine, sit nostra semper accepta, quæ angelis tuis sanctisque precantibus, et indulgentiam nobis referat, et remedia procuret æterna. Per, etc.

Vere dignum. Multoque magis in archangelis angelisque tuis tua præconia non tacere, quia ad excellentiam tuam recurrit et gloriam, cum angelica creatura, quæ a conditione sui tuis subjecta servitiis, probabilis exstitit, honoratur, et cum illa sit digna venerari, tu, quam sis immensus, et super omnia præferendus, ostenderis. Per, etc.

Sumpsimus, Domine, votiva mysteria ; quæsumus clementiam tuam, ut eorum nobis fiant deprecatione salutaria, quorum celebrantur affectu. Per, etc.

[g] Defende, Domine, familiam tuam ; et toto tibi corde prostratam ab hostium tuere formidine. Nec bona tua difficulter [h] inveniant, pro quibus et sancti tui, et angelicæ tibi supplicant potestates. Per, etc.

IV. *Item alia.* — Deus, qui in auxilium generis humani cœlestia simul et terrena disponis, in inferiore

[a] Hic deesse videtur *mutata*, vel aliquid simile.

[b] In Missa Natalis S. Euphemiæ legitur in codd. Gregor. Muratorii ; apud Menardum vero, et in Missali Rom. die 29 Nov. Natali S. Saturnini.

[c] In utroque Sacram. Gelas. et Gregor. hoc festum notatur III *kal. Octobris*. Codd. Greg. hunc titulum præferunt : *Dedicatio basilicæ S. Angeli*, vel *S. Michaelis*. In vetustissimo Martyrologio, uti vocant, Hieronymiano die 29 Septembris legitur : *Romæ milliario VI dedicatio basilicæ S. Michaelis*, quam ex nostro Sacramentario in via Salaria constitutam agnoscimus. Qui hoc festum Gelasio tribuunt (non ob dedicationem basilicæ, de qua hic sermo est, sed ob apparitionem S. Michaelis in monte Gargano) posteriores scriptores sunt, ex quibus nostro Sacramentario fides detrahenda non est.

[d] Hac die legitur in codd. Gregorianis et in Missali Romano.

[e] Est in Sacram. Gelasii lib. II, n. 59.

[f] Cod., *suscipere*.

[g] Prima pars hujus orationis, aliquot verbis intersertis, traducta est in orationem *Defende* inter communes Romani Missalis *pro congregatione et familia*.

[h] Muratorius ex conjectura Blanchinii emendavit *inveniat, pro qua*. Sed idem Blanchinius in correctionibus Sacramentario præfixis monuit retinendum *inveniant, pro quibus*, ut codex exhibet, cum familia nomen sit multitudinis, quæ pluralem numerum recipere potest.

mundi parte laborantes, supernorum nos, quæsumus, A præsidiis refove propitius ministrorum. Per, etc.

In honorem beati archangeli Michaelis, loca nomini tuo dicata, mystico frequentamus obsequio. Præsta, quæsumus, eorum nos gaudere suffragiis, quorum sublimia merita recensemus. Per, etc.

Vere dignum. Qui non solum nos sanctorum tuorum confessionibus benignissime consolaris, sed etiam ad cœlestium familiaritatem provehis potestatum, non tantum martyrum intercessione sustollis, sed ipsorum quoque patrociniis erigis angelorum. Per, etc.

101 V. *Item alia.* — Sanctorum, Domine, sancta deferimus, quæ, cum in omnium justorum tibi commemoratione sint placita, multo magis in angelicæ veneratione substantiæ grata tuis aspectibus esse confidimus. Per, etc.

Vere dignum. Qui sicut nos per Apostolum tuum dignanter informas, jam conversationem nostram in cœlis esse, benignus instituis, ut illuc attollamur mente, ubi quos veneramur assistunt, et in excelsa tendamus, quæ in beati archangeli Michaelis *festivitate* contemplamur affectu. Per, etc.

[a] Beati archangeli Michaelis interventione suffulti, supplices, Domine, te precamur, ut, quos honore prosequimur, contingamus et mente. Per, etc.

Plebem tuam, quæsumus, Domine, perpetua pietate custodi; ut secura semper et necessariis adjuta subsidiis spirituum tibimet placitorum pia semper veneratione lætetur. Per, etc.

XXVII.

Admonitio jejunii mensis septimi; et orationes et preces.

[b] Annua nobis est, dilectissimi, jejuniorum celebranda festivitas, quam mensis septimi solemnis recursus indicit. Quarta igitur et sexta feria succedente, solitis eamdem conventibus exsequamur; sabbatorum die hic sacras acturi vigilias, ut per observantiam competentem, Domino purificatis mentibus supplicantes, beatissimo Petro apostolo suffragante, et præsentibus periculis exui mereamur, pariter et futuris. Per, etc.

I. — [c] Deus, qui delinquentes perire non pateris, donec convertantur et vivant, debitam, quæsumus, peccatis nostris suspende vindictam, et præsta propitius ne dissimulatio cumulet ultionem, sed ut potius emendatio prosit ad veniam. Per, etc.

Populi tui, Deus, defensor et rector, concede propitius ut a delictis omnibus abstinentes, et necessariis foveamur alimentis, et ab infestis hostibus liberemur. Per, etc.

Super oblata.—Præsta nobis, omnipotens Deus, ut dicatum nomini tuo sacrificium purgatis moribus offeramus. Per, etc.

Vere dignum. Quia tu quidem nobis jejunia **102** salubriter [d] indidisti, quibus, carnis lege sedata, purior animus emineret. Sed cum in ipsis nostris observationibus a noxiis et illicitis non vacamus, non hoc te jejunium delegisse prophetica voce testaris. Quoniam non solum prodesse non poterit castigatio corporalis, si spiritus noster nefandis cogitationibus implicetur; sed hoc constat esse deterius, si etiam terrena conditione mitigata, mens ab iniquitatibus non quiescit. Et ideo tu nobis, Domine, largire placatus, ut exterius parcimonia convenienter adhibita, intrinsecus a pravis intentionibus temperemus, ut B continentiam valeamus exercere perfectam. Per, etc.

[e] *Postcommunio.*—Annue, quæsumus, Domine, ut et tuis semper solemnitatibus occupemur, et mysteriis eorum mente pariter congruamus et corpore. Per, etc.

Super populum. — [e] Sanctificata jejunio tuorum corda filiorum, Deus habitator, illustra, et quibus præstas devotionis affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per, etc.

II. *Item alia.* — Exaudi, Domine, preces nostras, ut in omni natione, quod Verbi tui promissum est Evangelio, compleatur; et plenitudo adoptionis obtineat, quod prædixit testificatio veritatis. Per, etc.

[f] Intende, quæsumus, Domine, sacrificium singulare, ut hujus participatione mysterii, quæ speranda C credimus, exspectata sumamus. Per, etc.

Vere dignum. Tuum est enim omne quod vivimus, quia licet peccati vulnere natura nostra vitiata sit, tui tamen est operis, ut ad terrena generati, ad cœlestia renascantur.

Visita, quæsumus, Domine, familiam tuam, et corda sacris dicata mysteriis pervigili tuere pietate, ut remedia salutis æternæ, quæ te miserante percipiunt, te protegente custodiant. Per, etc.

III. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, in cujus arbitrio regnorum omnium jura consistunt, protege Romani nominis ubique rectores, ut **103** eorum votiva prosperitas, pax tuorum possit esse populorum. Per, etc.

[g] Adesto, Domine, fidelibus tuis, et quos cœlesti- D bus instituis sacramentis, [h] et quibus substantiam tribuis corporalem, a terrenis conserva periculis. Per, etc.

Exaudi, Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi, ut

[a] In omnibus Sacramentariis Gelas. et Gregor. ac in Missali Romano hac eadem festivitate legitur.

[b] Hæc habetur in Ordine Romano in indictione jejunii mensis decimi.

[c] His prioribus verbis incipit in ms. Vat. Gregoriano apud Muratorium quinta præfatio quadragesimalis. Missæ hujus jejunii mensis decimi etiam in Gelasiano codice subjiciuntur Missæ S. Michaelis.

[d] Legendum videtur *indixisti*.

[e] Fere eadem est in codd. Greg. et in Missali Rom. fer. 4 post Dominicam Passionis. Apud Gelasium habetur feria 7.

[f] Exstat apud Menardum hebdomada 4 ante Natale Domini.

[g] In margine codicis : *Ante cibos*.

[h] Blanchinius monuit verba *et quibus substantiam tribuis corporalem* non esse variantem lectionem, uti primis curis notaverat, ac ex iisdem Muratorius innuit; nam hæc oratio dicenda erat soluta statione in die jejunii *ante cibos*.

nullis perturbationibus impediti liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per, etc.

Vere dignum. Qui rationabilem creaturam, ne temporalibus dedita bonis, ad præmia sempiterna non tendat, ea dispensatione dignaris erudire, ut nec castigatione deficiat, nec prosperitatibus insolescat; sed hoc potius fiat ejus gloriosa devotio, [a] quo nullis adversitatibus obruta superetur. Per, etc.

[b] Omnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuam supplices exoramus ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed fiat intercessio salutaris ad veniam; sit abolitio peccatorum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum. Hæc nos communio purget a crimine, et cœlestis gaudii tribuat esse consortes. Per, etc.

IV. *Item alia.* — Da nobis, Domine, rationabilem, quæsumus, actionem, ut te solum sincera mente venerantes, et fiducialius quæ tua sunt postulemus, et facilius assequamur. Per, etc.

Omnium nostrum, Domine, quæsumus, ad te corda converte, ut ab his quibus offenderis abstinentes, non iracundiam tuam, sed misericordiam sentiamus. Per, etc.

Munera tua, Deus institutor, illustra, et per has hostias, quibus te placari voluisti, sanctifica misericors immolantes. Per, etc.

Vere dignum. Cujus et potentia sunt creata, et providentia reguntur universa; ideoque hac nos teneri lege merito censuisti, ut te, sub quo sunt omnia, non timentes, cuncta paveamus, et rursus nulla penitus formidemus, si unum te fideliter omnium revereamur auctorem. Per, etc.

Largire nobis, omnipotens Deus, a quo omne bonum est, ut te habentes nullis indigeamus auxiliis. Per, etc.

Tibi placitam, Deus noster, populo tuo tribue voluntatem, quia tunc illi prospera **104** cuncta præstabis, cum tuis aptum feceris institutis. Per, etc.

V. *Item alia.* — [c] Festina, quæsumus, ne tardaveris, Domine, et præsidium nobis tuæ pietatis impende; ut opportunis consolationibus subleventur, qui in tua miseratione confidunt. Per, etc.

[d] Devotionis nostræ tibi, Domine, quæsumus, hostia jugiter immoletur; quæ et sacri peragat instituta mysterii, et salutare tuum nobis potenter operetur. Per, etc.

Vere dignum. Tuaque opera continuatis laudibus prædicare; quia justa semper et bona sunt. Quæ potenter efficiunt, ut rationabiles voluntates, aut inter

A ista proficiant ad salutem, aut de cœlesti nullatenus vigore causentur. Per, etc.

Sit nobis, Domine, quæsumus, cibus sacer, potusque salutaris, qui et temporalem vitam muniat, et præstet æternam. Per, etc.

[e] Adesto, Domine, famulis tuis, et opem tuam largire poscentibus; ut his, qui te auctore et gubernatore gloriantur, et creata restaures, et restaurata conserves. Per, etc.

VI. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, cordibus nostris benignus infunde, ut a terrenis intentionibus temperantes, propensius cœlestia meditemur. Per, etc.

Multiplices, Domine, incursus, quos mundus ingerit, tu repelle; ut hæc dona cœlestia tranquillis cogi-
B tationibus capere valeamus. Per, etc.

[f] Vere dignum. Qui non tantum nos a carnalibus cibis, sed ab ipsius animi noxiis delectationibus præcipis jejunare. Nam si ideo delicias corporales abnuimus, ne spiritum nostrum obtusis sensibus hebetemus: quanto magis ab ipsius mentis debemus excessibus abstinere, ut inordinatis affectibus expedita supernæ lucis possit pertingere claritatem! Per, etc.

[g] Salutari tuo, Domine, satiati, supplices deprecamur, ut cujus lætamur gustu, renovemur effectu. Per, etc.

Da salutem, Domine, populo tuo mentis et corporis, et perpetuis consolationibus tuorum **105** reple corda fidelium, ut interius exteriusque relevati, et pia tibi devotione complaceant, et tua semper bene-
C ficia consequantur. Per, etc.

Tribue, quæsumus, Domine Deus noster, ut donis interioribus fecundemur, ne exterioribus mereamur egere subsidiis. Per, etc.

VII. *Item alia.* — [h] Da, quæsumus, Domine, ut jejunando robore satiemur, et abstinendo cunctis efficiamur hostibus fortiores. Per, etc.

[i] Accepta tibi sint, Domine, quæsumus, nostri dona jejunii; quæ et expiando nos tua gratia dignos efficiant, et ad sempiterna promissa perducant. Per, etc.

Vere dignum. Cujus ineffabilis sapientia sic incommutabiliter perseverat, ut in ea nec sine justitiæ perpetuitate benignitas, nec absque æterna sit bonitate justitia. De quibus ita nos miseranda temeritate
D conquerimur, quando non secundum nostra desideria, vel fructuum qualitas, vel prospera quæque proveniunt, quasi ipsi tua præcepta studeamus implere, ac non iisdem potius perniciosa dissimulatione con-

[a] Blanchinio et Muratorio magis placuit *quod*.

[b] Ex hac oratione duæ factæ sunt. Prima pars fere tota traducta est in orationem quæ in Missali Romano legitur inter communes *pro vivis et defunctis*, et recitatur Dominicis et ferialibus diebus Quadragesimæ. Altera vero pars incipiens a verbis *Hæc nos communio* invenitur in codd. Gregor. ac in Missali Rom. feria 2 Dominicæ secundæ Quadragesimæ, et alibi sæpius.

[c] Est in codd. Greg. et in Rom. Missali fer. 4 post Dominicam III Adventus.

[d] Legitur in iisdem mss. et Missali Dominica III Adventus.

[e] In iisdem codd. et Missali habetur fer. 5 post Dominicam secundam Quadragesimæ.

[f] Notatio marginalis in cod., *In jejunio*.

[g] Est in Gelas. lib. II, n. 60, et in codd. Gregor. Muratorii, ac in Missali Rom. feria 4 post Dominicam tertiam Adventus.

[h] Nota marg., *In jejunio*. Codices Gregoriani, et Missale Rom. hanc orationem exhibent in jejunio mensis septimi die sabbati.

[i] Est in iisdem codd. ac Missali feria 6 jejunii mensis septimi. Missale Rom. eamdem repetit fer. 4 post Dominicam tertiam Adventus.

temptis, non solum percelli mediocribus alimentis, sed universa mereamur sustentatione privari; nisi quod ideo tua nos clementia non deserit, ut simus et de exiguitatis castigatione solliciti, et de non abnegata pietate devoti. Per, etc.

[a] Vegetet nos, Domine, semper et innovet tuæ mensæ sacra libatio, quæ fragilitatem nostram et inter mundi tempestates gubernet et protegat, et in portum perpetuæ salutis inducat. Per, etc.

[b] Tueatur, Domine, dextera tua populum deprecantem. Purificet, sustentet et erudiat, ut consolatus in præsenti, ad bona futura proficiat. Per, etc.

In jejunio.

VIII. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui nos ad observantiæ hujus annua festa perducis, concede propitius ut piæ devotionis effectus substantiam nobis et mentium præstet et corporum. Per, etc.

[c] Deus, qui pro nostrorum fructibus animorum prodire facis sufficientiam corporalem, ne exterioribus mereamur egere subsidiis, **106** præsta, quæsumus, ut donis interioribus fecundemur. Per, etc.

[d] Domine Deus noster, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis nostræ præsidium condidisti, tuo quoque nomini munera jussisti dicanda constitui, tribue, quæsumus, ut et vitæ nobis præsentis auxilium, et æternitatis efficiant sacramentum. Per, etc.

Vere dignum. Pascunt enim tua sancta jejunia, [e] et esuries sacrata nos reficit, si per continentiam salutarem conscientiæ nostræ tribuli spinæque deficiant, et fruges pura succedat; si vitiorum sterilitas optanda proveniat, et ubertas adsit jucunda virtutum. Inopia quippe culparum præstat redundantiam prosperorum. Hinc est quod restringendo copias, et mediocria non negando, sic nos tua moderatione disponis, ut ad superna tendentes, et temporalibus usquequaque non deseramur alimentis, et sustentaculis sic transeuntibus gubernemur, ut eorum tenuitate correpti proficiamus æternis. Per, etc.

Perpetuo, Domine, favore prosequere, quos reficis divino mysterio, et quos imbuisti cœlestibus institutis, salutaribus comitare solatiis. Per, etc.

Defensio tua, Domine, quæsumus, adsit humilibus, et jugiter protegat in tua misericordia confidentes, ut necessariis quibus indiget humana conditio, competenter adjuti, ad immortalitatis dona perveniant. Per, etc.

Imitatio plebis in jejunio mensis decimi.

Hæc hebdomade nobis mensis decimi sunt recensenda jejunia. Quapropter fidem vestræ dilectionis hortamur ut eadem quarta et sexta feria solitis processionibus exsequentes, sabbatorum die hoc ipsum vigiliis solemnibus expleamus, quatenus apostolicis suffragantibus meritis, propitiationem Dei nostri perseverantia debitæ servitutis obtineat. Per, etc.

IX. *Item preces.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui nos et sustentationibus annuis et solemnitatibus consolaris, præsta, quæsumus, ut quod ex his pro nostræ conversationis qualitate subtrahitur, omnipotentiæ tuæ copia suppleatur. Per, etc.

Concede, quæsumus, Domine, morum nos correctione relevari, quia cum hæc **107** dona contuleris, cuncta nobis utilia non negabis. Per, etc.

Super oblata.—[f] Deus, qui humani generis utramque substantiam præsentium munerum et alimento vegetas, et renovas sacramento, tribue, quæsumus, ut eorum et corporibus nostris subsidium non desit et mentibus. Per, etc.

Vere dignum. Qui sempiterno consilio non desinis regere quod creasti. Nosque delinquere manifestum est, cum supernæ dispositionis ignari, de secretorum tuorum dispensatione causamur, ac tunc potius recte sentire cognoscimur, cum non nostra, sed tua providentia confidentes, pietatem justitiamque tuam jugiter perpendimus exorandam : certi quod qui injustos malosque non deseris, multo magis quos tuos esse tribuisti, clementi nullatenus gubernatione destituis. Per, etc.

Postcommunio. — [g] Guberna, quæsumus, Domine, temporalibus adjumentis, quos dignaris æternis informare mysteriis. Per, etc.

Super populum. — Rege, Domine, populum tuum, et gratiæ tuæ, quæsumus, in eo dona multiplica, ut et ab omnibus liber offensis, et temporalibus non destituatur auxiliis, et sempiternis gaudeat institutis. Per, etc.

X. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui sic hominem condidisti ut temporalibus beneficiis competenter instructum ad cœlestia dona provehe-res, præsta, quæsumus, ut sicut per illicitos appetitus de indultæ beatitudinis regione decidimus, sic per alimoniam tuo munere distributam, et transitoria sustentetur humanitas, et amissa recuperetur æternitas. Per, etc.

Vere dignum. Glorificantes et de præteritis Creatorem, et de venturis fructibus exorantes, ut cum de perceptis non invenimur ingrati, de percipiendis non judicemur indigni; sed exhibita potius solemni devotione jejunii, cum subsidiis corporalibus profectum capiamus animarum. Per, etc.

Percepimus, Domine, gloriosa mysteria, quibus in terris positos, jam cœlestium facias esse consortes. Tu inter ista, [h] per quæ vivimus, guberna nos, Domine, quæsumus, ut ad illa perducas. Per, etc.

[a] Hanc reperies in cod. Greg. Menardi fer. 5 post Dominicam Passionis.

[b] Consonant mss. Greg. Muratorii in Missa sabbati post Dominicam Passionis.

[c] Nota marginalis in cod., *Ante cibos*.

[d] Legitur in codd. Greg. Muratorii ac in Missali Rom. fer. 5 post Domin. Passionis.

[e] Codex habet, *et esuriens*. Sed notavit Blanchinius *esuriens* scriptum fuisse pro *esuries*, uti alibi præfertur *thensauris* pro *thesauris*, *obtunsis* pro *obtusis*, *quotiens* pro *quoties*. Hinc necessaria non est emendatio quam recepit Muratorius *esurientes sacrata libatio nos reficit*.

[f] Hæc exhibetur in Missali Rom. inter communes, *tempore famis*.

[g] Ibidem in eodem communi legitur.

[h] Codex *quæ* sine *per*. Blanchinius mallet *quo*. Muratorii emendationem prætulimus.

A Adesto, Domine, supplicibus tuis, et spem suam in tua misericordia collocantes tuere **108** propitius; ut a peccatorum labe mundati in sancta conversatione permaneant, et consequentes sufficientiam temporalem, promissionis tuæ perficiantur hæredes. Per, etc.

XI. *Item alia.* — Concede, quæsumus, Domine, ut ad preces tuas corda nostra flectamus, et esse tibi possibilia cuncta fidentes, non de elementorum profutura nobis speremus effectu, sed de tua virtute suppliciter imploremus. Per, etc.

Virtutum cœlestium, Deus, qui plura præstas quam petimus aut meremur, tribue, quæsumus, ut tua nobis misericordia conferatur, quod nostrorum non habet fiducia meritorum. Per, etc.

[a] Deus, qui prævenis vota poscentium, tribue, quæsumus, ut et corporeis non destituamur alimentis, et ab hostium formidine liberemur. Per, etc.

Domine Deus, qui fragilitati nostræ quæ congruant, et prævides solus et provides, præsta ut et præsentibus fulciamur auxiliis, et instruamur æternis. Per, etc.

Tua nos, Domine, quæsumus, pietate dispone, quia nullis egebimus adjumentis, si tuæ providentiæ clementia gubernemur. Per, etc.

Dirige, Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam dispensatione cœlesti, ut quæ ante mundi principium in tua semper est præsentia præparata, usque ad plenitudinem gloriamque promissam, te moderante, perveniat. Per, etc.

Tanto, quæsumus, Domine, placatus assume, quanto sacrandas nomini tuo has specialiter hostias [b] indidisti, ut quidquid nostræ non expletur servitutis officio, indulgentiæ tuæ dignatione pensetur. Per, etc.

Vere dignum. Quia tuæ rationis imaginem, mundanis regionibus constitutam, et humanis non desinis fovere subsidiis, et reformare divinis. Consequens enim fuit ut transactis terræ fructibus, cœleste semen oriretur, et alimonia vitæ mortalis expleta, germen immortalitatis existeret. Atque escis carnalibus expeditis, cibus nasceretur mirabiliter animarum, ac tempore frumenti, vini et olei mox peracto, ineffabiliter ederetur, qui filiis Dei, ad similitudinem proficientibus angelorum, hoc totum, non solum de cœlo substantia deferret et nomine, sed panem præberet æternum. Per, etc.

Gratiam tuam nobis, Domine, semper accumulet divini participatio sacramenti, et sua nos virtute mundando, tanti muneris capaces efficiat. Per, etc.

Absolve, Domine, quæsumus, tuorum delicta populorum; et quod [c] mortalitas contrahit **109** fragilitate, purifica, ut cuncta pericula mentis et corporis, te propellente, declinans, tua consolatione subsistat, ac tua gratia promissæ redemptionis perficiatur [d] hæreditas. Per, etc.

XII. *Item alia.* — Quæsumus, omnipotens Deus, ut et mentes nostras cœlestibus corrigas institutis, et beneficia tua non desinas præstare correctis. Per, etc

Ad hostes nostros, Domine, superandos, præsta, quæsumus, ut auxilium tuum jejuniis tibi placitis et bonis operibus impetremus. Per, etc.

Ad altaria, Domine, veneranda cum hostiis laudis accedimus. Fac, quæsumus, ut et indulgentiam tuam nobis concilient et favorem. Per, etc.

[e] Vere dignum. Qui nos ideo, collectis terræ fru-
B ctibus, per abstinentiam tibi gratias referre voluisti, ut ex ipsius devotionis genere nosceremus non hæc ad exuberantiam corporalem, sed ad fragilitatis nos sufficientiam percepisse, et quod ex his parcius sumeremus, egentium proficeret alimento, ut et salutaris castigatio mortalitatis insolentiam mitigaret, et pietas imitatores nos tuæ benignitatis efficeret; sicque donis temporalibus uteremur, ut disceremus inhiare perpetuis. Per, etc.

[f] Prosint nobis, Domine, quæsumus, sumpta mysteria, pariterque nos et a peccatis exuant, et præsidiis tuæ propitiationis attollant. Per, etc.

Respice, Domine, familiæ tuæ preces, et opem tribue suppliciter imploranti; ut congruis subsidiis in confessione tui nominis perseveret. Per, etc.

C XIII. *Item alia.* — Mores nostros, Domine, quæsumus, tua pietate compone, ut et nulla nobis dominentur adversa, et salutaria cuncta non desint. Per, etc.

[g] Ut cunctis nos, Domine, foveas adjumentis, tuis apta propitius disciplinis. Per, etc.

Sacrificium deferimus de perceptione tuorum, Domine, præstitorum, ut percipienda securius uberiusque sumamus. Per, etc.

110 Vere dignum. Simulque pro munere generali quo vivimus, et pro singulis quibusque subsidiis tuam munificentiam prædicare; [h] ne conlatis ingrati beneficiis, conferendis probemur indigni, meritoque transeuntium rerum potius consolationibus adjuve-
D mur, si bona mansura non segnius, sacro jejunio purgatis sensibus, appetamus. Per, etc.

Præsta, Domine, quæsumus, ut temporalibus non destituamur auxiliis, quos alimoniis pascis æternis. Per, etc.

[a] In margine cod., *Ante cibos*.

[b] Magis placeret *indixisti*.

[c] Codex mendose *mortalitatis*, nisi legendum sit plurali numero *contrahunt*, et similiter in sequentibus.

[d] Sic codex. Muratorius, *hæres*.

[e] Est præfatio feriæ 4 mensis septimi in codd. Gregorianis. Leonina dictio in hac et aliis hujus tituli præfationibus præferri videtur.

[f] In Sacramentario Greg. Menardi fer. 6 mensis decimi.

[g] In codd. Gregor. Muratorii exstat inter orationes vespertinas et matutinas; apud Menardum vero inter orationes quotidianas.

[h] Codex, *ne non latis*, mendose. Muratorius emendavit, *ut non latis*. Blanchinii correctionem secundis curis Sacramentario præmissam recepimus, quippe quæ præfertur in hac eadem oratione inferius repetita § 29, Missa XI, ex qua paulo post scripsimus *segnius* pro *signius*, uti hoc loco codex erronee exhibet. In eadem Missa XI pro *sensibus* habetur *mentibus*.

[a] Succurre, Domine, quæsumus, populo supplicanti, A et opem tuam tribue benignus infirmis, ut sincera tibi mente devoti, et præsentis vitæ remediis gaudeant et futuræ. Per, etc.

XIV. *Item alia.* — Ad te corda nostra, Pater æterne, converte, quia nullis necessariis indigebunt, quos tuo cultui præstiteris esse subjectos. Per, etc.

Deus, qui populum tuum sic corripis delinquentem, ut benigna consolatione non deseras, da, quæsumus, ut indignatio debita reis precantibus transferatur ad veniam. Per, etc

Ad preces nostras, Domine, quæsumus, propitiatus intende, ut sacris altaribus servientes, et fidei veritate fundati, et mentis sint puritate conspicui. Per, etc.

Vere dignum. Qui Christi tui beata passione nos B reparas, conserva in nobis operam misericordiæ tuæ, ut in hujus celebritate mysterii, perpetua devotione vivamus. Per, etc.

XXVIII.

Consecratio episcoporum.

[b] Exaudi, Domine, supplicum preces; ut quod nostro gerendum est ministerio, tua potius virtute firmetur (*Al.* peragatur). Per, etc.

[c] Suscipe, Domine, quæsumus, munera famuli tui illius, et propitius in eodem dona custodi. Per, etc.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro illo famulo tuo quem ad pontificalem gloriam promovere dignatus es, quæsumus, Domine, placatus accipias, ut quod divino munere consecutus est, divinis C effectibus exsequatur. Per, etc.

111 Adesto, misericors Deus, ut quod actum est nostræ servitutis officio, tua benedictione firmetur. Per, etc.

[d] Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hos famulos tuos cornu gratiæ sacerdotalis, benedictionis tuæ in eos effunde virtutem. Per, etc.

[e] Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacratis famulantur ordinibus: Deus, qui Moysen famulum tuum, secreti familiaris affatu, inter cætera cœlestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti; ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum D caperet secutura posteritas; ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati; cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est, et pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animorum: quia et illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda poscebant.

Et idcirco his famulis tuis, quos ad summi sacerdotii ministerium delegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in horum moribus actibusque clarescat. Comple in sacerdotibus tuis mysterii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructos, cœlestis unguenti fluore sanctifica. Hoc, Domine, copiose in eorum caput influat; hoc in oris subjecta decurrat; hoc in totius corporis extrema descendat; ut tui spiritus virtus et interiora horum repleat, et exteriora circumtegat. Abundet in his constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. [f] Tribuas eis cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam et plebem universam. Sis eis auctoritas, sis eis potestas, sis eis firmitas. Multiplices super eos benedictionem et gratiam tuam, ut ad exorandam semper misericordiam tuam, tuo munere idonei, tua gratia possint esse devoti. Per, etc.

112 *Benedictio super diaconos.*

[g] Domine Deus, preces nostras clementer exaudi, ut quæ nostro sunt gerenda servitio, tuo prosequaris benignus auxilio, et quos sacris ministeriis exsequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione justifices. Per, etc.

[h] Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium diaconii vocare dignatur, benedictionem gratiæ suæ clementer effundat, et consecrationis indultæ propitius dona conservet. Per, etc.

Deus, consolator sacrarum magnifice dignitatum, quæsumus ut hos famulos tuos quos ad officium levitarum vocare dignaris, altaris sancti ministerium tribuas sufficienter implere, cunctisque donis gratiæ redundantes, et fiduciam sibi tuæ majestatis acquirere, et aliis præbere facias perfectæ devotionis exemplum. Per, etc.

[i] Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, [j] hono-

In codd. Gregor. refertur inter orationes *pro peccatis*. In fine Muratorius, *et futuris*. Lectionem codicis, quam et Gregor. codd. retinent, secuti sumus.

[b] Hanc orationem habet Sacram. Gelas. lib. I, n. 99, et cod. Remensis a Menardo laudatus not. 765.

[c] Est apud Gelas. ibidem, et in Pontificali Romano, *de Consecratione episcoporum*.

[d] Ibidem legitur apud Gelasium et in Romano Pontificali.

[e] Hanc orationem, quæ in iisdem libris Gelasiano et Pontificali, nec non in Gregoriano Menardi invenitur, Quesnellus uti Leoninam sermonibus S. pontificis subjecit.

[f] In cod. Gelasii hoc loco adduntur aliquot periodi quæ etiam in mss. Ratold. et Remensi, nec non in Pontificali Romano, et in Ordine vulgato receptæ fuerunt. At absunt ab aliquibus Ordinibus apud Martene, a Gregoriano Menardi, et a codice Rodradi laudato ab eodem Menardo not. 777. Nostrum Sacramentarium omnium vetustissimum has periodos additamenta esse demonstrat.

[g] Legitur apud Gelasium lib. I, n. 22.

[h] Vide Gelas. ibidem, Pontificale Rom. et Sacramentarium Gregor. Menardi.

[i] Exstat in tribus libris laudatis.

[j] Ita codex, sicut etiam apud Menardum, cujus nota 746 legenda est, ubi lectio *honorum* a Muratorio suscepta expungitur. Post pauca *disponis* habet codex

rum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor. Qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponens per Verbum, Virtutem, Sapientiamque tuam Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, sempiterna providentia præparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus Ecclesiam tuam, cœlestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem totius mirabilem compagis unitam, in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris; sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens, electis ab initio Levi filiis, qui mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quæsumus, Domine, placatus intende, quos tuis [a] sacrariis servituros, in officium diaconii suppliciter dedicamus. Et nos quidem, tamquam homines, divini sensus et summæ rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, Domine, quæ nobis sunt ignota, non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor peccatorum, tu scrutator es animorum, tu veraciter in eis cœleste potes **113** adhibere judicium, et vel indignis donare quæ poscimus. Emitte in eos, Domine, quæsumus, Spiritum sanctum, quo, in opus ministerii fideliter exsequendi, munere septiformi tuæ gratiæ roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas et spiritalis observantia disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctæ plebis acquirant, et bonum conscientiæ testimonium præferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per, etc.

Consecratio presbyteri.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, quibus, quod ejus dignatione suscipiunt, ejus exsequantur auxilio. Per, etc.

[c] Exaudi nos, Deus salutaris noster, et super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus, et gratiæ sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per, etc.

[d] Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum omnium, et omnium dignitatum quæ tibi militant distributor, per quem proficiunt universa,

A per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationabilis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum. Unde sacerdotales gradus et officia levitarum sacramentis mysticis instituta creverunt, ut cum pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis et operis adjumentum sequentis ordinis viros et secundæ dignitatis [e] eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentum mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleazaro et Ithamar, filiis Aaron, paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares et frequentioris officii sacramenta sufficeret meritum sacerdotum.

Hac providentia, Domine, apostolis Filii tui, doctoB res fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, quæsumus, hæc adjumenta largire, qui quanto magis fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus, Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem. Innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis. Acceptum a **114** te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent. Sint probi cooperatores ordinis nostri. Eluceat in eis totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. Per, etc.

XXIX.

In natale episcoporum.

C I. — Operis tui, Deus, initiator et custos, *suscipe* gratiarum propitius actionem, quod, anni *cursu remeante*, votiva recolimus sumpta primordia dignitatis, ut quæ tuis sunt principiis instituta, tuis regantur aucta præsidiis. Per, etc.

[f] Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut fidelibus tuis ordinatum præbeamus affectum, eisque nos similiter diligendi spiritum benignus infunde, ut in tua fide, spe et charitate sincera sacrificium tibi placitum deferatur et plebis et præsulis. Per, etc.

Vere dignum. Teque propensius exorare ut in me, quem ad sacerdotale ministerium, nullo præditum suffragio sanctitatis, sed sola gratiæ dignatione, promovisti, tua dona prosequendo perficias, et cum proD vectu temporis, bonorum mihi potius operum des profectum. Hæc namque gloriæ pontificalis erit vera festivitas, hæc certa lætitia, si per rationabilem regulam præsidendi, populus tuus et numero [g] cura regentium, et incrementum gregis atque salubritas, gaudium est et corona pastorum. Per, etc.

cum Sacramentario Gelasii. Sed retinuimus emendationem congruentiorem *disponens*, quam exemplar Menardi comprobat.

[a] Blanchinius primis curis: *Vel lege* sacris aris, *vel quod magis placeret*, sacris altaribus, *ut in Pontificali Romano*. Cum vero codex Gelasii habeat *sacris*, cod. Gregorii *sacrariis*, correctione opus non esse idem Blanchinius secundis curis notavit.

[b] Est apud Gelas. lib. I, n. 20, in Gregor. Menardi, et in Rom. Pontificali.

[c] Est in iisdem libris.

[d] Legitur in iisdem. Hanc orationem esse Leoninam Henricus Valesius pernovit, et Quesnellus post Leonis sermones recusit.

[e] Noster codex, et Gelasianus mendose *elegeris*. Paulo post utrique codd. *Moyse*.

[f] Gelas. lib. I, n. 101, ex una duas effecit.

[g] Locus depravatus, quem aliis emendandum relinquimus.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus A famulus ac sacerdos, pro eo quod me, nulla prorsus justitia confidentem, sed ineffabilis misericordiæ largitate tribuisti sacerdotalem subire famulatum, quæsumus, placatus accipias, et tua pietate confirmes quod es operatus in nobis, diesque meos clementissima gubernatione disponas. Per, etc.

Qua oblatione totius mecum gratulantis Ecclesiæ, tu Deus in omnibus.

Omnipotens et misericors Deus, qui nos ad celebritatem venire hujus diei contulisti, præsta, quæsumus, ut tui perceptione sacramenti, et securitas nobis optata (*Al.* profutura) proveniat, et religionis integritas. Per, etc.

Da, quæsumus, Domine, familiæ tuæ cum suis pacem habere rectoribus, ut quorum honore congau- B dent, de eorum sancta conversatione lætentur, tuaque gratia tribuatur et moderatio gubernantium, et obedientia subditorum. Per, etc.

115 II. *Item alia.* — Deus, qui magna nimis, et de parvis miranda potenter operaris, misericordiæ tuæ dona in me placatus exsequere, ut ubi nulla conscientiæ meæ te digna sunt merita, sola pietatis tuæ semper clara sit gratia. Per, etc.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui dignaris infima, abjecta non despicis, attolle quos suscitas, et guberna quos erigis. Da mihi famulo tuo sufficientiam commissi moderaminis. Da Ecclesiæ tuæ pacem, cui me præesse voluisti, ut in uno eodemque spiritu sit tibi grata devotio et plebis et præsulis. Per, etc.

[a] Deus mundi creator et rector, ad humilitatis meæ preces placatus attende, et me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensæ largitate clementiæ, cœlestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris altaribus fac ministrum, ut quod mea celebrandum voce depromitur, tua potius sanctificatione firmetur. Per, etc.

Omnipotens sempiterne Deus, hostilia, quæsumus, arma confringe, ut imperturbatis mentibus agere tua sancta possimus. Per, etc.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut ab improbis voluntatibus recedentes, præceptorum tuorum rectitudine subsequamur, et qui deviis etiam desiderata concedis, præsta meliora correctis. Per, etc.

Omnis a nobis, te, Domine, quæsumus, expiante, D pravitas humana discedat, ut puris sensibus et mentibus tua mysteria celebremus. Per, etc.

Vere dignum. Majestatem tuam cunctis sensibus deprecari, ne propriis jucunditatibus occupati, aut familiam dissimulare commissam, aut nitamur vexare subjectam; sed Evangelii tenore monstrante, conservis cibaria ministrantes tempore competenti, Dominico reperiamur adventu, famulosque tuos cum dilectione corripere, et cum necessaria studeamus amare

censura, totumque servitium delegatum rationabiliter exsequentes, non reatum de neglecto Domini subeamus augmento, sed divinorum nobis multiplicata proveniat dispensatio talentorum. Per, etc.

Deus, qui nos sacramentis tuis pascere non desistis, tribue, quæsumus, ut eorum nobis indulta refectio vitam conferat sempiternam. Per, etc.

Respice, Domine, propitius familiam tuam, et perpetuam largire misericordiam supplicanti, ut sine qua nihil potest a se dignum prorsus efficere, per eam salutaria tua **116** præcepta (*Al.* quæ præcipis) mereatur implere. Per, etc.

III. *Item alia.* — Deus, qui Ecclesiam tuam in dilectione tuæ Divinitatis et proximi cuncta servare cœlestia mandata docuisti, da nobis spiritum pacis et gratiæ, ut universa familia tua et toto tibi corde sit devota, et pura sibi voluntate concordet. Per, etc.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da nobis gratia tuæ dignationis augeri, et [b] mortalitatis conscientia trepidos, pietatis eruditione confirma, ut te omnia in omnibus operante, profectus gregis tui sit forma pastoris. Per, etc.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, gratiæ tuæ in nobis dona prosequere, et quod possibilitas non habet fragilitatis humanæ, tuo spiritu miseratus impende, ut sacris altaribus servientes, et fidei integritate fundati, et mentis sint claritate conspicui. Per, etc.

[c] Deus, qui dierum nostrorum numeros temporumque mensuras majestatis tuæ potestate dispensas, C propitius ad humilitatis nostræ respice servitutem, ut tuæ pacis abundantia tempora nostra cumulentur. Per, etc.

Deus, qui nec Ecclesiæ tuæ usque ad consummationem te sæculi defuturum, nec inferni portas apostolicæ confessioni prævalituras esse promisisti, in nostra quoque perfice propitius infirmitate virtutem, et divinæ pollicitationis effectum, dum etiam infirmis tuis inesse dignaris, ostende. Quia præsentiam tuam sine dubitatione sentimus, cum et singulis quibusque temporibus convenienter optanda dispensas, et nos a totius adversitatis incursu perpeti protectione custodis. Per, etc.

Memento, Domine, quod es operatus in nobis, et non quid mereamur, sed collati gratiam tui muneris intuere, ut sicut me sacris altaribus tua dignatio pontificali servire præcepit officio, ita dignum præstet et merito. Per, etc.

Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, ut declinemus noxios appetitus, et reatum nobis ingerentia desideria respuamus, quia tunc exteriores hostes superare poterimus, si vincamus internos. Per, etc.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut per gratiam tuam nosmetipsos, sicut te dignum est, exhibentes, tuis fidelibus ministremus rectæ conversa-

[a] Est in Gelas. lib. I, n. 100, in cod. Menardi tom. III, col. 227, nec non in Missali Rom. inter orationes communes num. 20, paucis mutatis

[b] Codex hoc loco *mortalis*. Emendationem suppeditavit hæc eadem oratio repetita inferius num. 5.

[c] Paucis mutatis exstat apud Gelasium lib. I, n. 102.

tionis exemplum. Et populi tui salvatio sempiterna fiat præmium sacerdotis. Per, etc.

117 [a] Purifica nos, misericors Deus, ut Ecclesiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ sunt, sacra (*Al.* pia) munera deferentes, fiant expiatis mentibus gratiores. Per, etc.

Vere dignum. Teque de tuis magnificare muneribus. Quis enim hoc dignus existat officio, nisi gratia tuæ miserationis præventus aptetur? Cum ergo tui doni, non nostri sit meriti, tuæ nihilominus gubernationis intererit, ut non sit negligentibus pœna perpetua, sed potius exsequentibus competenter fiat causa remunerationis æternæ. Per, etc.

[b] Munerum tuorum, Domine, largitate gaudentes, supplices deprecamur ut quibus donasti hujus ministerii facultatem, tribuas sufficientem gratiam ministrandi. Per, etc.

[c] Gaudeat, Domine, quæsumus, populus, tua semper benedictione confisus, et cœlestium rerum frequentatione proficiat, ut et temporalibus beneficiis adjuvetur, et erudiatur æternis. Per, etc.

IV. *Item alia.* — Da nobis, quæsumus, Domine, sanctæ regimen disciplinæ, ut per tuam gratiam et moderatio gubernantum, et obedientia proveniat subditorum. Per, etc.

[d] Tribue, quæsumus, Domine, fidelibus tuis, ut jejuniis paschalibus convenienter aptentur, et suscepta solemniter castigatio corporalis ad fructum cunctarum transeat animarum. Per, etc.

Aufer a nobis, Domine, quæsumus, iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur sensibus introire. Per, etc.

Vere dignum. Qui singulis quibusque temporibus convenienter adhibenda dispensas. Aptius siquidem atque decentius his diebus [e] episcopalis officii suscepta principia celebramus, quibus et Ecclesiæ totius observantia devota concurrit, et ipsius, cui sacerdotale ministerium deputatum est, natale colitur sacramenti. Dumque restrictius castigatiusque viventes in summi pontificis proficiendo membra transferimur, adeptum temporaliter hunc honorem, potius fieri speramus æternum. Per, etc.

118 [f] Præsta, Domine, quæsumus, ut et de nostræ gaudeamus provectionis augmento, et de congruo sacramenti paschalis obsequio. Per, etc.

Benedictionem tuam, Domine, populo supplicanti benignus accumula, ut et de bona conversatione sui præsulis semper exsultet, et de sacræ festivitatis celebritate lætetur. Per, etc.

V. *Item alia.* — Domine Deus, Pater gloriæ, fons bonorum, qui licet Ecclesiam tuam toto terrarum orbe diffusam largitate munerum ditare non desinas, sedem tamen beati apostoli tui Petri tanto propensius [g] intueris, quanto sublimius esse voluisti; da mihi famulo tuo hujus providentiæ tuæ dispositionibus exhibere congruenter officium, certus te universis Ecclesiis collaturum quidquid illi præstiteris, quam [h] cuncta respiciunt. Per, etc.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus da nobis gratiæ tuæ dignatione augeri, etc. [i]

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me nulla præditum fiducia meritorum, ineffabilis gratiæ munere, familiæ tuæ præsidere tribuisti, at tolle quos suscitas, et guberna quos erigis, ut quorum auctor tu bonorum, sis ipse perfector. Per, etc

[j] Deus, cujus universæ viæ misericordia est semper et veritas, operis tui dona prosequere, et quod possibilitas non habet fragilitatis humanæ, tuis beneficiis impende, ut cœlestibus mysteriis servientes et fidei integritate fundati, et mentis luceant puritate conspicui. Per, etc.

Domine Deus, Pater gloriæ, fons bonorum, etc. [k]

Omnipotens et misericors Deus, qui benigne semper operaris, ut possimus implere quæ præcipis, dilectarum tibi ovium adesto pastori, quia tui est muneris tuæque virtutis ut et regendi obedientes, et probabiles possint esse rectores. Per, etc.

Deus misericors, Rex æterne, da servituti nostræ prosperum cursum. Et ut tibi in populi tui devotione placeamus, tu sancto præside gregi, et ad tuorum observantiam **119** mandatorum tu omnium dirige voluntates. Per, etc.

[l] Deus, cujus arbitrio omnium sæculorum ordo decurrit, respice propitius ad nostræ tempus ætatis, et ut tibi servitus nostra complaceat, tua in nobis dona conserva. Per, etc.

Deus, dierum temporumque nostrorum potens et benignus moderator, collatis in me per gratiam tuam propitiare muneribus, et in hunc affectum dirige cor plebis et præsulis, ut nec pastori obedientia gregis, nec gregi desit cura pastoris. Per, etc.

VI. *Item alia.* — Deus, qui propter Ecclesiæ tuæ

[a] Codices Greg. Muratorii, et Missale Rom. hanc orationem præferunt fer. 5 post Dominicam IV Quadragesimæ.

[b] In cod. Gelas. lib. III, n. 37, hæc oratio assignatur *in Natali presbyteri*.

[c] Hæc exstat inter orationes quotidianas codicum Gregor. apud Muratorium.

[d] Gelasius lib. II, n. 60, hanc orationem in diem sabbati mensis septimi transtulit. Sub finem codex mendose, *cunctis transeat*. Ex Gelasio emendavimus.

[e] Hic ordinatio pontificis indicatur, quæ in quadragesimale jejunium voce *observantiæ* designatum, et oratione secunda expressum sub Paschatis tempus incidit. Sunt qui putant hæc aptari Felici III, qui ordinatus fuit die 6 Martii an. 483. Sed cum Zosimus consecratus fuerit die 18 Martii, ut omnes nunc eruditi conveniunt, utri potius hæc Missa congruat divinare nolumus.

[f] Legitur in Gelas. lib. I, n. 97, *in Natali consecrationis diaconi*.

[g] Voces, *intueris, quanto sublimius*, quæ hoc loco in ms. desunt, suppletæ fuerunt ex hac eadem oratione paulo post repetita; ex qua etiam mox addimus *hujus*.

[h] Legendum videtur *cunctæ*.

[i] Eadem est ac oratio secunda Missæ III.

[j] Parum differt a tertia oratione ejusdem Missæ III.

[k] Repetitio hujus orationis in hac eadem Missa, Collectoris aut amanuensis oscitantiæ tribuenda.

[l] Legitur apud Gelasium lib. I, n. 98, et lib. III, n. 37.

gubernacula disponenda, sic ejus principes sublimasti, ut minimos quosque non deseras, præsta, quæsumus, ut apostolicæ fidei, doctrinæque vestigia vel longe sequamur, imitando, quæ, licet infirmo, comitamur officio. Per, etc.

[a] Ad gloriam, Domine, tui nominis, annua festa repetentes sacerdotalis exordii, hostiam tibi laudis offerimus, suppliciter exorantes ut cujus ministerii vice tibi servimus immeriti, suffragiis ejus reddantur accepti. Per, etc.

Vere dignum. Cum exsultatione trepidos, et cum pavore lætantes. Sicut enim de tuo munere gratulamur, ita de nostra fragilitate metuimus. Et quantum de humanæ conditionis excessibus formidamus, tantum de tua gratia, quæ virtutem perficit in infirmitate, confidimus; propensius implorantes ut quem tantæ sedis honore decorasti, moribus existere non patiaris indignum, et cujus formæ successorem nomine præstitisti, quantocumque etiam bonæ conversationis annisu fieri tribuas sectatorem. Per, etc.

Præsta, quæsumus, Domine, cum accessu temporum recti moderaminis incrementum, ut quod dignitate præferimus, justis actionibus exsequamur. Per, etc.

Multiplica, Domine, quæsumus, in Ecclesia tua spiritum gratiæ quem dedisti; ut per dignum pontificis institutum, crescat tuorum devotio sancta fidelium. Per, etc.

VII. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, origo cunctarum perfectioque virtutum, da nobis, quæsumus, et exercere quæ recta sunt, et **120** prædicare quæ vera, ut instructionem gratiæ tuæ præbeamus et agendo tuis fidelibus et docendo. Per, etc.

Suscipe, Domine, quæsumus, oblationes et preces quas et pro reverentia paschali supplices adhibemus, et pro solemnitate [b] recolenda primordii sacerdotalis offerimus, ut eorum nobis intercessione sint prospera, quos nobis hujus muneris et doctores constituis et patronos. Per, etc.

Vere dignum. Teque profusius implorare, ut quod nunc pii nobis est oneris, perpetui sit honoris. Neque nos magis oblectet prærogativa fastigii, quam competens actio dignitatis, [c] atque secundum beatum apostolum Paulum docentem : *Episcopatum qui desiderat, bonum opus concupiscit*, sacri nominis veritatem sanctæ conversationis in nobis monstret effectus. Et qui loco cæteris præsidemus, cunctis rationabili subdamur affectu. Nec nos extollat noxia potestatis

A elatio, sed potius modestos efficiat administratio legitima charitatis. Per, etc.

Deus, qui bona cuncta et inchoas benignus et perficis, da nobis, sicut de initiis tuæ gratiæ gloriamur, ita de perfectione gaudere. Per, etc.

[d] Repleantur consolationibus tuis, Domine, quæsumus, tuorum corda fidelium, pariterque et de Ecclesiæ præsulum, et de suo referant gaudia votiva profectu, ac temporalibus solatiis incitati, promptius æterna desiderent. Per, etc.

VIII. *Item alia.* — Deus, qui licet universum genus humanum cœlesti lege disponas, Ecclesiam tamen tuam speciali dispensatione moderaris, et dignum tibi nos exhibere ministerium concede propitius, et dignos per tuam gratiam ministros offerre.

B Per, etc.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quod fragili supplemus officio, tuo potius perficiatur effectu. Per, etc.

Omnium nostrum, Domine, quæsumus, hostias propitius intuere, ut et quod actum est per obsequium deputatum, et fidelium vota populorum, tua potius dignatione firmetur. Per, etc.

Vere dignum. Suppliciter implorantes ut nostram pariter et eorum quos per tui muneris largitatem sacræ familiæ subrogamus antistites, bene tibi placitam perficias servitutem. Per, etc.

121 *Pro episcopo offerendum.*

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus (*illius*

C et *illius*) famulorum tuorum, quibus summum sacerdotium contulisti, quæsumus, benignus efficias, et tua in eis dona prosequaris. Per, etc.

Ecclesiam tuam, Domine, benignus illumina, ut et gregis tui proficiat ubique successus, et grati fiant nomini tuo, te gubernante, pastores. Per, etc.

Da, quæsumus, Domine, ut et fideles tui diligant præsules suos, et ab eis mutuo diligantur, atque ut perpetuo perseverent, præsta, quæsumus, ut [e] utrisque justitia non desit, et pietas. Per, etc.

IX. *Item alia.* — [f] Largire nobis, Domine, quæsumus, spiritum cogitandi quæ bona sunt, promptius et agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per, etc.

Da nobis, Domine, quæsumus, ut in tua gratia

D veraciter confidentes, et quæ te digna sunt postulemus, et jugiter postulata sumamus. Per, etc.

Dicatæ tibi, Domine, quæsumus, capiamus oblationis effectum, ut a terrenæ vetustatis conversa-

[a] Est in cod. Gelas. lib. I, n. 100, et in Gregor. Menardi tom. III, p. 227.

[b] Indicatur anniversaria solemnitas et commemoratio diei natalis, quo quis ad pontificatum assumptus fuit. Hæc autem oratio eo die qui cum paschali tempore concurrit adhibita cognoscitur. Cui autem pontifici id conveniat, aliis dijudicandum relinquimus. Forte cum anniversaria dies natalis Zosimi aut Felicis III in Quadragesimam incideret ex annot. 74 (*Col.* 119, *n.* [e]), hoc autem tempore episcopi multis officiis occupati, ad synodum quæ in anniversario pontificis haberi solebat ex admonitione in primum sermonem S. Leonis n. 3, Romam accurrere non possent, ea solemnitas post Pascha translata fuit.

[c] Cod. mendose, *ut quæ*.

[d] Est in Gelas. lib. I, n. 100, et apud Menardum tom. III, p. 228 Operum S. Gregorii.

[e] Cod., *utrumque*, perperam.

[f] In Gelasio est Missa IV, *pro Dominicis diebus;* in codd. Greg. Muratorii, Dominica IX post Pentec.; apud Menardum, Domin. X; in Missali Rom., Domin. VIII. In nostro codice hic incipiunt Missæ communes.

tione mundati, cœlestis vitæ profectibus innovemur. A
Per, etc.

Vere dignum. Ut qui te auctore sumus conditi, te reparatore salvemur, et qui faciles a tua rectitudine discrepamus, ad eam tua miseratione revocemur; nec relinquamur nostris excessibus, sed tuæ subdamur clementer et incessabiliter voluntati. Per, etc.

Perfice, Domine, quæsumus, benignus in nobis, ut quæ sacris mysteriis profitemur, piis actionibus exsequamur. Per, etc.

Plebem tuam, Domine, quæsumus, interius exteriusque restaura, ut quam corporeis non vis delectationibus impediri, spiritali facias vigere proposito, et sic rebus foveas transituris, ut tribuas potius inhærere perpetuis. Per, etc.

X. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui B nos ab hostibus defendis immeritos, præsta, quæsumus, ut et morum nobis adsit et fidei rectitudo, **122** qua pietatis tuæ mereamur augmenta. Per, etc.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut propitiationis tuæ nobis collata securitas non nos efficiat negligentes, sed potius ad cultum nominis tui reddat acceptos. Per, etc.

[a] Sacris, Domine, mysteriis expiati, et veniam consequamur et gratiam. Per, etc.

Vere dignum. Clementiam tuam toto corde poscentes, ut qui nos a corporalibus tueris adversis, ab hostibus quoque mentis expedias, et quos exteriore tribuis tranquillitate gaudere, interius facias esse pacificos. Per, etc.

[b] Repleti, Domine, muneribus sacris, da, quæsu- C mus, ut in gratiarum semper actione maneamus. Per, etc.

Guberna, Domine, quæsumus, tuam placatus Ecclesiam, ut potenti moderatione directa, et incrementa libertatis accipiat, et in religionis integritate persistat. Per, etc.

XI. *Item alia.* — Ad te corda nostra, Pater æterne, converte, quia nullis necessariis indigebunt, quos tuo cultui præstiteris esse subjectos. Per, etc.

[c] Ut cunctis nos, Domine, foveas adjumentis, tuis apta propitius disciplinis. Per, etc.

Sacrificium deferimus de perceptione tuorum, Domine, præstitorum, ut percipienda securius uberiusque sumamus. Per, etc.

Vere dignum. Simulque pro munere generali quo D vivimus, et pro singulis quibusque subsidiis tuam munificentiam prædicare; ne collatis, etc. [d]

Præsta, Domine, quæsumus, ut temporalibus, etc. [e]

Succurre, Domine, quæsumus, populo supplicanti, etc. [f]

XII. *Item alia.* — Omnipotens et misericors Deus, propitiationis tuæ dona multiplica, et cunctis hostibus cœlesti virtute compressis, augmentum nobis tribue religionis et pacis. Per, etc.

Virtutum cœlestium Deus, promissionis tuæ munus exsequere, ut evangelicæ veritati rebellantium corda subdantur. Per, etc.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, gratiam tuæ placationis intersere, ut et collata **123** nobis remedia tuearis, et conferenda perficias. Per, etc.

Vere dignum. Supplicantes ut [g] te nos placatus devoto facias corde sectari: quia sicut totius adversitatis est causa tuis non obedire præceptis, ita præcipue prosperitatis effectus est, bonorum omnium sequi convenienter auctorem. Per, etc.

[h] Tua nos, quæsumus, Domine, sancta purificent, et operationes suæ perficiant nos pacatos. Per, etc.

[i] Moveat pietatem tuam, quæsumus, Domine, subjectæ tibi plebis affectus, et misericordiam tuam supplicatio fidelis obtineat, ut quod meritis non præsumit, indulgentiæ tuæ largitate percipiat. Per, etc.

XIII. *Item alia.* — [j] Peccata nostra, Domine, propitiatus absolve, et quidquid pro peccatis meremur, miseratus averte. Per, etc.

[k] Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut viam tuam devota mente currentes, surripientium delictorum laqueos evadamus. Per, etc.

Purificet nos, Domine, cœlestis executio sacramenti, et ad tuam magnificentiam capiendam divinis effectibus semper instauret. Per, etc.

Vere dignum. Ut qui te auctore subsistimus, te dispensante dirigamur. Non nostris sensibus relinquamur, sed ad tuæ reducti semper tramitem veritatis, hæc studeamus exercere quæ præcipis, ut possimus dona percipere quæ promittis. Per, etc.

[l] Sumpti sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, et noxia semper a nobis cuncta depellat. Per, etc.

Adesto, Domine, fidelibus tuis, et tua sancta celebrantibus auge devotionis effectum, ut et tibi sem-

[a] Hæc oratio habetur in mss. Gregor. ac in Missali Rom. fer. 3 post Dominicam III Quadragesimæ.

[b] Est in Gregor. Sacramentario Menardi, ac in Missali Rom. die Dominica post Ascensionem Domini.

[c] Hæc et sequens oratio supra habentur in Missa XIII, § 17, pro jejunio mensis decimi. Hinc autem in sequenti *securius* emendavimus pro *securi*, quod hoc loco mendose codex præfert.

[d] Sequitur ut in præfatione Missæ laudatæ.

[e] Consimilem habes ibidem.

[f] Similis est in eadem Missa XIII, ita ut, si primam orationem excipias, reliqua cum eadem Missa conveniant.

[g] Codex *tibi*, quod cum non congrueret verbo *sectari*, Muratorius mutavit hoc verbum in *famulari*. Facilius emendavimus *te*, retento *sectari*, cum probe respondeat subjecto verbo *sequi*.

[h] Affinis est in Missali Rom. in sabbato post Dominicam IV Quadragesimæ. In codd. vero Gregor. eodem die eadem est, excepta voce *pacatos*, pro qua habent *placitos*. Est etiam in Gelas. lib. I, n. 54.

[i] Est in mss. Gregor. inter orationes *pro peccatis*.

[j] In codd. Greg. Muratorii habetur inter orationes matutinales vel vespertinales; apud Menardum vero inter quotidianas.

[k] Hanc uterque codex Muratorii refert inter orationes quotidianas.

[l] In Gregor. mss. et in Missali Romano habetur fer. 6 post Dominicam Passionis.

per exhibeant debitam servitutem, et ad remedia A jugiter æterna proficiant. Per, etc.

XIV. *Item alia.*—Respice nos, rerum omnium Deus creator et rector, et ut tuæ propitiationis sentiamus effectum, toto nos tribue tibi corde servire. Per, etc.

Ad tua, Domine, beneficia fiducialiter **124** impetranda, quæsumus ut exercere quæ tibi sunt placita, et velle nobis largiaris et posse. Per, etc.

Deus, auctor sinceræ devotionis et pacis, da, quæsumus, ut et majestatem tuam convenienter hoc munere veneremur, et sacri participatione mysterii fideliter sensibus uniamur. Per, etc.

Vere dignum. Qui ideo nos imaginem tuam benignus existere voluisti, ut tenorem summæ justitiæ pariter et pietatis imitemur, quod brevi compendio poterimus implere, si per tuam nobis gratiam con- B cedatur ut et te nostrum nitamur amare factorem, et nosmetipsos veraciter libereque diligere quos fecisti. Per, etc.

[a] Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos uno cœlesti pane satiasti, una facias pietate concordes. Per, etc.

Confirma, Domine, quæsumus, tuorum corda filiorum, et gratiæ tuæ virtute corrobora, ut et in tua sint supplicatione devoti, et mutua dilectione sinceri. Per, etc.

XV. *Item alia.* — Quæsumus, omnipotens Deus, ne multitudinem nostræ pravitatis attendas, sed a peccatis abstrahe fragiles, et ad ea quæ recta sunt, tuorum dirige voluntates. Per, etc.

Non retribuas nobis, quæsumus, Domine, quæ C malis operibus promeremur, sed quos jure corripis a veritate digressos, protege tua miseratione correctos. Per, etc.

Prosint nobis, Domine, frequentata mysteria, quæ nos a cupiditatibus terrenis expediant, et instituant amare cœlestia. Per, etc.

Vere dignum. Ut divinam jugiter gratiam subsequentes, justitiam tuam, quam delictis nostris incessanter offendimus, actu meliore placemus. Et quibus merita debetur pœna perversis, indulgentia tribuatur ab iniquitate cessantibus. Per, etc.

Ab omni errore nos, Domine, quæsumus, expient sacramenta quæ sumpsimus, et dulcedinem mentibus nostris tuæ suavitatis infundant. Per, etc.

[b] Da populo tuo, Domine, quæsumus, spiritum D veritatis et pacis, ut et te tota mente cognoscant, et quæ tibi sunt placita toto corde sectantes, bonorum tuorum semper munere potiantur. Per, etc.

125 XVI. *Item alia.* — Protector in te sperantium Deus, præsta, quæsumus, ut majestatem tuam sine cessatione laudemus, et ut tibi possimus jugiter famulari, salutem nobis tribue mentis et corporis. Per, etc.

[c] Misericordiæ tuæ remediis, quæsumus, Domine, fragilitas nostra subsistat, ut quæ sui conditione defecit, tua vegetatione reparetur. Per, etc.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut interius nobis exteriusque conferant hæc mysteria sanitatem, quæ famulis tuis in utroque voluisti præbere subsidium. Per, etc.

[d] Vere dignum. Qui famulos tuos ideo corporaliter verberas, ut mente proficiant, potenter ostendens quam sit pietatis tuæ præclara salvatio, dum præstas ut operetur nobis etiam infirmitas ipsa medicinam. Per, etc.

Deus, qui diligendo castigas, et castigando nos refoves, præsta ut de utroque tibi gratias semper referre valeamus. Per, etc.

[e] Tuere, Domine, populum tuum, et ab omnibus peccatis clementer emunda, quia nulla ei nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Per, etc.

XVII. *Item alia.*— Eripe nos, Domine, quæsumus, ab his quæ divinæ sunt contraria voluntati. Et quia tui operis est omne quod vivimus, præsta ut tui famuli tibi placere possimus. Per, etc.

Quæsumus, Domine, ne nos tales patiaris existere quibus merito dominentur adversa. Sed hujusmodi potius effici tribuas, qui beneficiis tuis non perpetuo judicemur indigni. Per, etc.

Oblati sacrificii, Domine, quæsumus, præstet effectus, ut eidem convenienter aptemur. Per, etc.

Vere dignum. Majestatem tuam devotis mentibus implorantes, ut sicut ex te habemus esse quod sumus, sic per gratiam tuam et bene velle sumamus, et bonum posse quod volumus. Per, etc.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut mysteriorum virtute sanctorum vita nostra firmetur. Per, etc.

Plebs tua, Domine, sacramentis purificata cœlestibus, quod sumit intelligat, quod gustu delibat moribus apprehendat, quod **126** justis orationibus expetit tua miseratione percipiat. Per, etc.

XVIII. *Item alia.* — Magnificamus, Domine, clementiam tuam, qui et veniam peccatoribus, et miseris præstas auxilium. Per, etc.

Nomini tuo, quæsumus, Deus æterne, da gloriam, cum et immeritis benefacere non omittis. Per, etc.

Vere dignum. Referentes gratias et precantes ut tibi nos placitos esse perficiens, quibus succurris indignis, propitieris acceptis. Per, etc.

Quanto te, Domine, prædicare sufficimus, [f] qui pariter immeritis tribuis de mœrore lætitiam. Per, etc.

Da, quæsumus, Domine, populum tuum ad te toto

[a] Hæc oratio est in codd. Gregorianis et in Missali Rom. fer. 6 ante primam Dominicam Quadragesimæ. Rursum in eodem Missali et in iisdem codd. ipso die Paschatis, ubi idcirco mutatæ sunt voces *uno cœlesti pane* in has *sacramentis paschalibus*.

[b] Invenitur in mss. Greg. Muratorii inter orationes quotidianas.

[c] Est in codd. Greg. ac in Missali Rom. fer. 4 in jejunio mensis septimi.

[d] Notatio marginalis in codice: *Post infirmitatem*.

[e] Habetur fer. 6 ante Dominicam primam Quadragesimæ tum in codd. Greg., tum in Missali Romano.

[f] Codex mendose, *qui perire meritis*. Blanchinii emendationem orationis subsequentis textus approbat.

corde converti : quia quos oefendis etiam delinquentes, majori pietate tueris sincera tibi mente devotos. Per, etc.

XIX. *Item alia.* — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut inter innumeros vitæ præsentis errores, tuo semper moderamine dirigamur. Per, etc.

Fac nos, quæsumus, Domine, quæ sunt recta sectari, integritatem conscientiæ diligere semper et famæ. Per, etc.

Sacrificii tui, Domine, [a] salutaris effectibus et nos expiari, et tua nos confidimus remedia promereri. Per, etc.

Vere dignum. Qui cum summa sis Ratio, nosque rationales effeceris, certum est tantum nos a tua participatione discedere, quantum ab æquitatis tramite deviamus, et tantum in tua similitudine [b] permanere, quantum non divellimur ab ordine veritatis. Per, etc.

Sancta tua nos, Domine, quæsumus, et vivificando renovent, et renovando vivificent. Per, etc.

[c] Fideles tuos, Domine, benedictio desiderata confirmet, quæ eos et a tua voluntate numquam faciat discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per, etc.

XX. *Item alia.* — [d] Præsta, Domine, quæsumus, ut mentium reprobarum non curemus obloquia, sed eadem pravitate calcata quæ domui tuæ **127** conveniunt rationabiliter exsequamur. Per, etc.

Quæsumus, virtutum cœlestium Deus, ut despectis falsitatibus impiorum, conscientiæ famæque nostræ profutura sectemur. Per, etc.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut hujus oblationis effectus et tibi non placita refutare, et præstet nobis amare quæ recta sunt. Per, etc.

Vere dignum. Ut nos ab operariis iniquitatis dignanter expedias, et nec proprio reos fieri patiaris excessu, nec alienis impietatibus præbere consensum. Sed mores nostros et moderatione componas, ut tam in nobis quam in aliis quæ sunt justa servemus. Per, etc.

Ab occultis nostris munda nos, Domine, et ab alienis pravitatibus benignus absolve, ut tua sancta pura mente sumamus. Per, etc.

Familiam tuam, Domine, propitiata majestate circumspice, ut nec suis infecta sit vitiis, nec externis obligata peccatis, sed ab utrisque libera tibi semper et purgata deserviat. Per, etc.

XXI. *Item alia.* — Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut toto tibi corde famulemur, quia nulla nobis prævalebit hostilitas, si in te, Domine, veraciter confidamus. Per, etc.

Hujus nobis, Domine, quæsumus, sacrificii placatione succurre, cujus remediis dignaris absolvere peccatores. Per, etc.

Vere dignum. Quia, dum beneficia tua largiris indignis, magna pietate nos admones, multo potiora dona sumpturos si præceptionum tuarum et eruditionibus proficiamus et factis. Per, etc.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur ut nos et cœlestibus expiare mysteriis, et perpetuis non desinas fovere præsidiis. Per, etc.

Tuere propitius, Domine, quæsumus, familiam tuam, et quam benigna defensione non deseris, propensius tibi redde subjectam, ut gratiam tuam, quam sumit indebita, copiosius devota percipiat. Per, etc.

XXII. *Item alia.* — Deus, qui justitiam diligis et injusta condemnas, da nobis, quæsumus, et amare quæ recta sunt, et perversa vitare. Per, etc.

Veritatis auctor et misericordiæ, Deus, **128** qui nos et sollicitudine non pigros esse, et neminem lædere voluisti, præsta, quæsumus, ut nulli noxia cupiamus inferre, et vexare molientium caveamus incursus. Per, etc.

Ab occultis nostris tua nos, Domine, sancta purificent, et ab externis erroribus perpetua virtute defendant. Per, etc.

Vere dignum. Misericordiam tuam, Domine, deprecantes, ut nos divinis rebus tribuas studere veraciter, nec sub specie religionis sacros impugnare patiaris effectus. Quoniam sibi modis omnibus inimici sunt qui tuæ voluntati nituntur esse contrarii, propriæ [e] potius salutis operantes excidium, quam tuis dispositionibus adversa mente nociturі. Per, etc.

Muneris divini perceptio, quæsumus, Domine, semper a nobis et peccata nostra submoveat, et externa depellat. Per, etc

Populum tuum, Domine, quæsumus, posside cœlestibus institutis, ut omnia vitando quæ mala sunt, et bona cuncta sectando, non indignationem tuam, sed jugiter misericordiam consequatur. Per, etc.

XXIII. *Item alia.* — Concede, omnipotens Deus, ut et gaudiorum plenitudinem consequamur, et majestati tuæ propensius simus devoti. Per, etc.

[f] Offerimus, Domine, laudes et munera, pro concessis beneficiis exhibentes gratias, et pro concedendis suppliciter deprecantes. Per, etc.

Vere dignum. Qui facis mirabilia magna solus, et non tantum pro peccatis nostris non retribuis quæ meremur, sed insuper etiam consolationis tuæ dona præstas immeritis; magis nos ad cultum nominis tui pio largiens munere provocari, quam debita castiga-

[a] Mendose pariter in cod., *servimus effectibus*. Muratorii emendationem suscepimus.

[b] Cod., *permaneamus*, male.

[c] Legitur sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ in Romano Missali.

[d] Prima pars hujus orationis est in Gelasio lib. III, n. 67, et in cod. Gregor. Muratorii et Pamelii inter preces contra obloquentes.

[e] Cum in ms. desit *potius*, Blanchinius primis curis, et ex eo Muratorius hanc lectionem liberius substituerunt : *Qui propriæ salutis operantes excidium, tuis dispositionibus adversa mente nituntur*. At emendatio quam idem Blanchinius secundis curis notavit, quæque unius adverbii *potius* additione textum sanat, probabilior visa est.

[f] Hanc exhibent codd. Gregor. et Missale Rom. in orationibus communibus *ad repellendas tempestates*

tione compelli, et clementer indulgens ut servilis metus in affectum transeat filiorum. Per, etc.

Toto tibi, Domine, corde substrati, bonitatem tuam supplices exoramus ut nos et temporalibus præsidiis fovere non desinas, et æternis instruere non omittas. Per, etc.

Lætetur, Domine, quæsumus, populus tuus, tua dextera sublevatus, et a tribulatione respirans, continuis protegatur auxiliis, et religiosa conversatione proficiens, et præsentibus bonis gaudeat et futuris. Per, etc.

[a] Precamur, omnipotens Deus, omnes propitiatus a nobis remove pravitates, et cunctas benignus depelle nequitias. Per, etc.

XXX.

129 *Ad virgines sacras.*

[b] Respice, Domine, propitius super has famulas tuas, ut virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante suscipiunt, te gubernante custodiant. Per, etc.

Deus, castorum corporum benignus habitator, et incorruptarum Deus amator animarum; Deus, qui humanam substantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in Verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam quorumdam bonorum, quæ in novo sæculo sunt habenda, perducas, et obstrictos adhuc conditione mortalium, jam ad similitudinem provehas angelorum: respice, Domine, super has famulas tuas, quæ in manu tua continentiæ suæ propositum collocantes, ei devotionem suam offerunt, a quo ipsa vota sumpserunt. Quando enim animus mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis, et stimulos ætatis evinceret, nisi tu hanc flammam clementer accenderes, tu hanc cupiditatem benignus aleres, tu fortitudinem ministrares? Effusa namque in omnes gentes gratia tua, ex omni natione quæ est sub cœlo, in stellarum innumerabilem numerum novi Testamenti hæredibus adoptatis, inter cæteras virtutes quas filiis tuis, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed de tuo spiritu genitis indidisti: etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit, ut cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac super sanctum conjugium initialis benedictio permaneret; existerent tamen sublimiores animæ, quæ in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent sacramentum, nec imitarentur quod nuptiis agitur, sed diligerent quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas, et æmula integritatis angelicæ, illius thalamo, illius **130** cubiculo se devovit, qui sic perpetuæ virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuæ virginitatis est filius. Implorantibus ergo auxilium tuum, Domine, et confirmari se benedictionis tuæ consecratione cupientibus, da protectionis tuæ munimen et regimen, ne hostis antiquus, qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidiis, ad obscurandam perfectæ scientiæ palmam, per aliquam serpat mentis incuriam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus decet inesse nuptarum. [c] Sit in eis, Domine, per donum Spiritus tui, prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas. In charitate ferveant, et nihil extra te diligant; laudabiliter vivant, laudarique non appetant. Te in sanctitate corporis, te in animi sui puritate glorificent. Amore te timeant, amore tibi serviant. Tu eis honor sis, tu gaudium, tu voluntas. Tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium, tu in injuria defensio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina. In te habeant omnia, quem elegere super omnia. Per, etc.

XXXI

Incipit velatio nuptialis.

Exaudi nos, omnipotens et misericors Deus, ut quod nostro ministratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per, etc.

Suscipe, Domine, quæsumus, pro sacra lege conjugii munus oblatum, et cujus creator es operis, esto dispositor. Per, etc.

Hanc igitur oblationem famulæ tuæ (*illius*), quam

[a] Codex in marg., *In jejunio*.

[b] Hæc et sequens oratio leguntur in Gelas. lib. I, n. 103, in codd. Greg., *in benedictione virginis ab episcopo dicenda;* in Ordine Romano apud Hittorpium, et in Pontificali Rom. Leonis eloquentiam et sententias præferunt.

[c] His formulis usque ad finem proponitur *consecratio virginum* in codd. Greg. Muratorii. Cæterum non paucæ variantes in his præferuntur.

[d] In Gelas. Sacramentario lib. III, n. 52, ubi hæc tota Missa legitur, excepta oratione *Suscipe*, et in codd. Remensi Menardi, ac Gellonensi apud Martene de antiq. Eccl. Ritibus, lib. I, cap. 9, a. 5, inscribitur: *Incipit actio nuptialis.* Verum *actio* non orationes, sed Canon Missæ appellatus fuit, ut plura videre licet apud Ducangium v. *Actio*, qui idcirco notavit Menardum, cum n. 1134 *actionem nuptialem* esse docuit Missarum solemnia, in quibus nuptiæ benedicuntur. Id autem Menardus ex hoc sui codicis titulo docuit, quo *actio nuptialis* vocatur Missa in nuptiis benedicendis celebrata. Sed errorem in hanc inscriptionem irrepsisse, quæ ex Gelasiano in alia Sacramentaria videtur fuisse traducta, ex nostro codice detegimus. *Velatio* autem *nuptialis* appellatur hæc Missa, eo quod in benedicendis sponsis velamen iisdem imponeretur. Hujus ritus mentionem facit S. Ambrosius in epist. 19 ad Vigilium n. 17, scribens: *Ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oportet.* Eumdem vero ritum apud Romanam quoque Ecclesiam viguisse testatur Siricius epist. 7 editionis P. Coustantii n. 3: *Nos sane nuptiarum vota non aspernantes accipimus, quibus velamine intersumus.* Huc referri etiam videntur illa Nicolai I, ad consulta Bulgarorum c. 3: *Ambo ad nuptialia fœdera perducuntur, et primum quidem in Ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per sacerdotis manum, statuuntur, sicque demum benedictionem et velamen cœleste suscipiunt.* Hunc ritum tangunt etiam S. Isidorus Hispalensis lib. II de Officiis, c. 19, et Gratianus caus. 30, q. 5, c. 7. Quatuor orationes sequentes exstant etiam in Missali Rom. ad Missam *pro sponso et sponsa;* ex quinta vero aliquæ tantum sententiæ excerptæ fuerunt.

tibi offerimus pro famula tua (*illa*), quæsumus, Domine, placatus aspicias. Pro qua majestatem tuam supplices exoramus ut sicut eam ad ætatem nuptiis congruentem pervenire tribuisti, sic consortio maritali tuo munere copulatam, desiderata sobole gaudere perficias, atque ad optatam seriem cum suo conjuge provehas benignus annorum. Per, etc.

Quæsumus, omnipotens Deus, instituta **131** providentiæ tuæ pio favore comitare; et quos legitima societate connectis, longæva pace custodi. Per, etc.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste; ut quod, te auctore jungitur, te auxiliante servetur. Per, etc.

Pater, mundi conditor, nascentium genitor, multiplicandæ originis institutor, qui Adæ comitem tuis manibus addidisti, cujus ex ossibus ossa crescentia parem formam admirabili diversitate signarent, hinc ad totius multitudinis incrementum, conjugalis thori jussa consortia, quo totum inter se sæculum colligarent, humani generis fœdera nexuerunt. Sic enim tibi placitum necessario, ut quia longe esset infirmius, quod homini simile, quam quod tibi Deo feceras, additus fortiori sexus infirmior, unum efficeret ex duobus, et pari pignore soboles mixta manaret; dum per ordinem flueret digesta posteritas, ac priores [a] ventura sequerentur, nec ullum sibi finem in tam brevi termino, quamvis esset caduca posteritas. Ad hæc igitur [b] venturæ hujus famulæ tuæ, Pater, rudimenta sanctifica, ut bono et prospero sociata consortio, legis æternæ jura custodiat. Memineritque se, Domine, non tantum ad licentiam conjugalem, sed ad observantiam [c] Dei, sanctorumque pignorum custodiæ delegatam. Fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat feminarum. Sit amabilis, ut Rachel, viro; sapiens, ut Rebecca; longæva et fidelis, ut Sara. Nihil ex hac [d] subcisivus ille auctor prævaricationis usurpet, nixa fidei mandatisque permaneat. Muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Uni thoro juncta [e] contactus vitæ illicitos fugiat. Sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœlestibus erudita. Sit fecunda in sobole; sit probata et innocens; et ad beato- A rum requiem [f] atque ad cœlestia regna perveniat. Per, etc.

XXXII.

132 MENSE OCTOBRI.

De siccitate temporis.

[g] Deus, in quo vivimus, movemur et sumus, pluviam nobis tribue congruentem, ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per, etc.

Domum tuam, Domine, quæsumus, propitiatus inhabita, et subditorum tibi fidelium corda purifica, ut bene placitis inhærendo, cuncta quæ bona sunt mereantur accipere. Per, etc.

[h] Exaudi nos, Domine Deus noster, et Ecclesiam tuam inter mundi turbines fluctuantem, clementi B gubernatione moderare, ut tranquillo cursu portum perpetuæ securitatis inveniat. Per, etc.

[i] Respice, quæsumus, Domine, nostram propitius servitutem, ut quod offerimus sit tibi munus acceptum, sit nostræ fragilitati subsidium. Per, etc.

Vere dignum. Ad cujus immensam pertinet gloriam ut non solum mortalibus tua Deitate succurreris, sed de ipsa etiam mortalitate nostra nobis remedium provideris, et perditos, unde (*Al.* quo) perierant, inde salvaris. Per, etc.

[j] Quæsumus, omnipotens Deus, ut inter ejus membra numeremur, cujus corpori communicamus et sanguini. Per, etc.

[k] Familiam tuam, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio, et ab omni pravitate defensam C donis cœlestibus prosequatur et ad bonorum præmia gratiæ suæ largitate perducat. Per, etc.

II. *Item alia.*—Omnipotens sempiterne Deus, sensibus nostris propitiatus intende, ut a terrenis delectationibus abstinentes, propensius cœlestia meditemur. Per, etc.

Præsta, Domine, quæsumus, ut per hæc, quæ his oblationibus sunt agenda, salvemur. Per, etc.

Vere dignum. Clementiam tuam profusis **133** precibus implorantes, ut conditionis humanæ respiciens facultatem, quibus tanta remedia providisti, tribuas, ut eorum per tuam gratiam sint capaces. Per, etc.

Mentes nostras et corpora, Domine, quæsumus,

---

[a] Mendosissima est hæc oratio in omnibus mss. Sacramentariis. Legendum videtur *venturi*. Mox *proponerent* habent cæteri codd. pro *posteritas*.

[b] In aliis codd. laudatis legitur : *Datæ sint* (Leg. *sunt*) *legis* (Al. *leges*) *instituta ventura* (Al. *venturæ*). *Quapropter hujus famulæ tuæ*, etc. Num librario nostro aliquid hoc loco exciderit, an posteriores ad hunc obscurum locum aliqua ratione explicandum aliquid adjecerint, ignoramus. Blanchinio placeret expungere præpositionem *ad* et vocem *venturæ*, ita ut legatur : *Hæc igitur hujus famulæ tuæ, Pater, rudimenta sanctifica*, etc.

[c] Legendum ex aliis sacramentariis, *fidei*. Mox pro *delegatam* alii codd. habent *diligatam*, forte *obligatam*.

[d] Duo codd., *subdolus*. Gelas., *susciptivus*. Dein *nexa* pro *nixa* in cæteris mss.

[e] Sic noster et cæteri codices. In Missali Rom. D omissa est tantum vox *vitæ*. Hinc probare non possumus emendationem a Blanchinio primis curis indicatam et a Muratorio textui insertam, *contactus vitet illicitos. Sit*, etc. Idem Blanchinius curis secundis hunc locum correctione non indigere professus est.

[f] Quidam codices, *usque ad cœlestia*.

[g] Est apud Gelas. lib. III, num. 44, in mss. Gregor. ac in Missali Rom., *ad pluviam postulandam*.

[h] Legitur in codd. Gregor. Muratorii in serie orationum vespertinalium vel matutinalium.

[i] In Missali Rom. est Dominica XI post Pentecosten; in Gregor. codd. apud Muratorium Dom. XII; apud Menardum XIII.

[j] In iisdem codd. ac in Missali legitur sabbato post Dominicam III Quadragesimæ.

[k] Habetur in mss. Gregor. apud Muratorium inter orationes quotidianas, et rursum inter paschales.

operatio tuæ virtutis infundat, ut quod participatione sumpsimus, plena redemptione capiamus. Per, etc. A

Proficiat, quæsumus, Domine, fidelis populus tuæ pietatis instinctu, et salubri compunctione devotus, gratanter quæ præcipis exsequatur, ut quæ promittis accipiat. Per, etc.

III. *Item alia.* — [a] Indulgentiam nobis, Domine, tribue peccatorum, ut instituta paschalia tibi placitis sensibus operemur. Per, etc.

[b] Muneribus nostris, Domine, precibusque susceptis, et cœlestibus nos munda mysteriis, et clementer exaudi. Per, etc.

Vere dignum. Suppliciter exorantes ut et securitatem nobis temporum tribuas, et religionis augmentum, quo magnum pietatis tuæ sacramentum et quietis celebremus mentibus et devotis. Per, etc. B

[c] Divini muneris largitate satiati, quæsumus, Domine Deus noster, ut in hujus semper participatione vivamus. Per, etc.

[d] Conserva, Domine, quæsumus, familiam tuam, et benedictionum tuarum propitius ubertate purifica, ut et eruditionibus tuis multiplicetur et donis. Per, etc.

IV. *Item alia.* — Propitiare, Domine, in te confidentibus populis, et [e] ad custodiam Romani nominis dexteram tuæ protectionis extende, ut regnum majestati tuæ deditum tua semper sit virtute defensum. Per, etc.

Suscipe, Domine, quæsumus, hostias mentium tuo nomini devotarum, quibus nos et a terrenis contagiis expiari, et cœlestibus contulisti propinquare consortiis. Per, etc. C

[f] Vere dignum. Cujus ineffabili gratia circa nos hoc singulare mysterium est, ut dudum perditi atque prostrati, ad eam nunc gloriam rediremus, qua per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, genus electum, regale sacerdotium, populus acquisitionis **134** et gens sancta vocaremur. Per, etc.

[g] Hoc nobis tuum, quæsumus, Domine, sacramentum sit abolitio peccatorum, sit fortitudo fragilitatis humanæ, sit contra mundi pericula firmamentum. Hæc nos communio purget a crimine, et cœlestis gaudii tribuat esse consortes. Per, etc.

V. *Item alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, in protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula, ut hostibus nostris tua virtute compressis, secura tibi serviat Romana devotio. Per, etc.

Suscipe, Domine, quæsumus, hostias, quas tibi pro salute tuæ plebis offerimus, et sacramentis cœlestibus servientes, ab omni culpa liberos esse concede. Per, etc.

Vere dignum. Qui per ineffabilem potentiam Verbi tui, sicut humani generis es conditor, ita benignissimus reformator. Per, etc.

VI. *Item alia.* — Deus, qui remedia salutis humanæ in præsentis mysterii solemnitate posuisti, da nobis ut sicut hæc apostolorum tuorum prædicatione cognovimus, ita eorum suffragiis consequamur. Per, etc.

Munera, quæsumus, Domine, tuæ plebis propitiatus assume, ut quæ fidei pietate [h] profitentur, sacramentis cœlestibus apprehendant. Per, etc.

Vere dignum. In cujus resurrectione mirabili mors occidit redemptorum, et orta est vita credentium. Et ideo cum angelis, etc.

XXXIII.

Super defunctos.

I. — Omnipotens sempiterne Deus, qui contulisti fidelibus tuis remedia vitæ post mortem, præsta, quæsumus, propitius ac placatus, ut anima famuli tui (*illius*) a peccatis omnibus expiata, in tuæ redemptionis sorte requiescat. Per, etc.

[i] Hostias tibi, Domine, humili supplicatione deferimus, ut anima famuli tui (*illius*), per hæc piæ placationis officia, perpetuam misericordiam consequatur. Per, etc.

135 [j] Hanc igitur oblationem (*illius*) famuli tui, quam tibi offert pro anima famuli tui (*illius*), quæsumus, Domine, propitiatus accipias, et miserationum tuarum largitate concedas, ut quidquid terrena conversatione contraxit, his sacrificiis emundetur, ac mortis vinculis absolutis, transitum mereatur ad vitam. Per, etc.

II. — [k] Omnipotens et misericors Deus, in cujus omnis humana conditio potestate consistit, animam famuli tui (*illius*), quæsumus, ab omnibus absolve

[a] Cod. in margine: *Prope Pascha.*

[b] Muratorii codd. et Missale Rom. hanc orationem exhibent in Dominica Septuagesimæ et alibi.

[c] Est in iisdem codd. et Missali in Missa sabbati post Dominicam Passionis.

[d] In mss. Greg. Muratorii legitur inter orationes quotidianas.

[e] In superiori Missa, et in alia paulo post subjecta n. 6, festorum paschalium fit mentio. Forte hæc et sequens intermediæ Missæ, quibus contra Romanos hostes divinum auxilium petitur, lucubratæ fuere occasione Attilæ, quem sub Pascha irruisse in Italiam non improbabiliter quidam existimant.

[f] Congruit cum præfatione Gelasii lib. I, n. 65, in Dominica post Ascensionem.

[g] Paucis initio mutatis eadem repetitur supra § 27, D n. 3. Confer ibi annot. 26 (*Col.* 107, *n.* [h]).

[h] Pluralis numerus frequenter adhibetur, cum *plebs* nomen multitudinis verbum dirigit. Hinc non est necessaria emendatio singularis numeri *profitetur* et *apprehendat.*

[i] Exstat apud Gelas. lib. III, n. 100, et in ms. Vat. Gregoriano apud Muratorium in Missa plurimorum defunctorum.

[j] Hæc leguntur etiam in Sacram. Gelasii lib. III, n. 104. Codicis lectionem retinuimus, ut ne opus sit delere voces (*illius*) *famuli tui*, et scribere *offerimus*. Solum codex habet mendose *offeret* pro *offert*.

[k] Invenitur in cod. Gelas. lib. III, n. 98, et in ms. Vat. Gregoriano apud Muratorium in Missa defunctorum, qui desideratam pœnitentiam consequi non potuerunt.

peccatis, ut pœnitentiæ fructum, quem voluntas ejus A optavit, præventus mortalitate non perdat. Per, etc.

[a] Satisfaciat tibi, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui (*illius*), sacrificii præsentis oblatio, et peccatorum veniam quam quæsivit inveniat; [b] et quod officio vocis implere non potuit, desideratæ pœnitentiæ compensatione percipiat. Per, etc.

Hanc igitur oblationem, etc. (*ut supra*).

III. — Omnipotens et misericors Deus, apud quem voluntas habetur humana pro factis, præsta, quæsumus, ut animæ famuli tui (*illius*) ad perfectum remedium consequendum pœnitentiam desideranter voluisse sufficiat. Per, etc.

Animæ famuli tui, quæsumus, Domine, per hæc sacramenta redemptionis æternæ remissionem **136** tribue peccatorum, ut devotio pœnitentiæ, quem B gessit ejus affectus, perpetuæ salutis consequatur effectum. Per, etc.

[c] Deus, a quo inspiratur humanis cordibus omne quod bonum est, sicut animæ famuli tui pœnitentiam velle donasti, sic indulgentiam tribue miseratus optatam. Per, etc.

[d] Deus, cui soli competit medicinam præstare post mortem, præsta, quæsumus, ut anima famuli tui (*illius*) terrenis exuta contagiis, in tua redemptionis parte numeretur. Per, etc.

His, quæsumus, Domine, sacrificiis, quibus purgationem et viventibus tribuis et defunctis, animam famuli tui benignus absolve, ut resurrectionis diem spe certæ gratulationis exspectet. Per, etc.

[e] Præsta, Domine, quæsumus, animæ famuli tui C misericordiam sempiternam (*Al.* immensam), ut eam mortalibus nexibus expeditam lux æterna possideat. Per, etc.

[f] Fidelium, Deus, animarum conditor et redemptor, famulo tuo cunctorum remissionem tribue peccatorum, ut quam semper optavit indulgentiam consequatur. Per, etc

IV. — [g] Beati martyris tui Laurentii, Domine, quæsumus, intercessione nos protege, et animam famuli tui (*illius*) episcopi sanctorum tuorum junge consortiis. Per, etc.

137 [h] Oblationes nostras, Domine, quæsumus, propitiatus intende, quas et ad honorem sancti martyris tui Laurentii nomini tuæ majestatis offerimus, et pro requie famuli tui (*illius*) episcopi suppliciter immolamus. Per, etc.

Vere dignum. Qui nos sanctorum tuorum et commemoratione refoves, et oratione defendis. Per, etc.

Hanc igitur, etc., et in numerum tibi placentium censeri facias sacerdotum. Per, etc.

V. — [i] Adjuva nos, Domine Deus noster, beati Laurentii martyris tui precibus exoratus, et animam famuli tui (*illius*) episcopi in beatitudinis sempiternæ luce constitue. Per, etc.

Memento, Domine, quæsumus, animæ famuli tui (*illius*) episcopi, et quem in corpore constitutum sedis apostolicæ gubernacula tenere voluisti, in electorum numero constitue sacerdotum. Per, etc.

[j] Suscipe, Domine, quæsumus, hostias pro anima famuli tui (*illius*) episcopi, ut cui pontificale donasti meritum, dones et præmium. Per, etc.

Hanc igitur, etc., ut qui beati Petri apostoli sedem vicario *est* secutus officio, tuæ *quoque gratiæ*

[a] Est apud Gelas. et in Vat. ms., de quibus annotatione superiori.

[b] In cod. et exinde in editis perperam inseritur *Per*, et a capite inchoat: *Et quod officio*, cum tamen præsens oratio continuet, ut ex Gelasiano et Vaticano codicibus liquet. Hic autem in marg. codicis additur: *Hanc igitur*, quæ innuunt eamdem orationem in antecedenti Missa descriptam hic quoque repetendam, uti sane eadem repetitur in laudatis codd.

[c] Legitur in cod. Gelas. lib. III, n. 98, et in Vat. Gregor. apud Muratorium n. 107.

[d] Apud Gelas. n. 100, et in Missali Rom., *pro pluribus defunctis*.

[e] Apud Gelas. ibidem.

[f] Concinit cum oratione quam pro pluribus defunctis exhibent cod. Gelasii lib. III, n. 95, ms. Vat. D Gregor. apud Muratorium n. 110, et Missale Romanum.

[g] In Gelasiano Sacram. hæc oratio et prima Missæ sequentis leguntur lib. III, n. 95; sed *Laurentii* nomen omittitur, pro quo formula communis *illius* substituta est, qua significatur uno eodemque Missæ officio et Natale sanctorum, vel sancti alicujus celebrasse veteres, et suffragium præstitisse episcopo qui eodem die obiisset. Ex nostro autem Sacramentario colligitur obitum alicujus Romani pontificis incidisse in diem festum, vel infra octavam S. Laurentii. Id nulli alii Romano antistiti a sæculo quarto ad quintum convenire potest, nisi Xysto III. Hunc sane, qui juxta corpus S. Laurentii sepultus in Pontificali traditur, infra octavam hujus martyris e vivis excessisse probabilissimum nobis est. Leo enim ejus successor consecratus fuit die 29 Sept. anni 440, ut annot. 1 (*Col.* 193, *n.* [a]) in dissertationem 1 Quesnelli, ad eumdem annum 440 ostendemus. *Defuncto autem Xysto* III *episcopo quadraginta et amplius diebus Romana Ecclesia sine antistite fuit, mirabili pace atque patientia adventum diaconi Leonis exspectans*, inquit Prosper in Chronico ad an. 440. Duo hic observanda: primum, non dici *quadraginta dies* tantum, sed *quadraginta et amplius*, quæ verba tres vel quatuor circiter dies supra quadraginta significare possunt; dein hos dies intermedios referri non ad ordinationem Leonis, sed ad ejus adventum in Urbem. Esto autem is ordinatus fuerit die 29 Septembris die Dominico, ut mos erat, Romam tamen reverti potuit dies aliquot ante, ita ut Dominica ordinationis causa exspectanda fuerit. His autem præmissis, si ab adventu Leonis diebus aliquot ante Dominicam quæ tum incidit in diem 29 Septembris, ascendas per dies *quadraginta et amplius*, commode pervenies ad aliquam diem infra octavam S. Laurentii, qua Xystum III obiisse cognosces. Et si quidem Xystus ordinatus fuit die 24 Julii an 432, die Dominico, computatis annis octo et diebus 19 ejus pontificatui tributis a Prospero, invenies eum obiisse die 11 Augusti, secunda infra octavam S. Laurentii. Forte aliquæ ex his orationibus quæ in anniversario mortis ejus usui fuere, Leonem ipsius successorem habent auctorem.

[h] Est in Gelas. lib. III, n. 97.

[i] Idem ibidem n. 95.

[j] Invenitur apud eumdem Gelas. ibidem n. 93, et in ms. Gregor. Menardi, ac in Missali Romano in Missa pro defuncto sacerdote.

largitate perpetuam dignitatis apostolicæ percipiat portionem. Per, etc.

[a] Præsta, quæsumus, Domine, ut anima famuli tui (*illius*) episcopi, quam in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorasti, in cœlesti sede gloriosa semper exsultet. Per, etc.

[b] Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum (*illum*) fecisti vigere pontificem, præsta, quæsumus, ut eorum perpetua quoque sede potiatur. Per, etc.

XXXIV.

[c] *Sancti Silvestri.*

Deus, confitentium te portio defunctorum, preces nostras, quas in famuli tui Silvestri episcopi depositione deferimus, propitiatus **138** assume; ut qui nomini tuo ministerium fidele dependit, perpetua sanctorum tuorum societate lætetur. Per, etc.

Hanc igitur oblationem, quæsumus, Domine, placatus intende, quam in sancti Silvestri confessoris et episcopi tui commemoratione suppliciter immolamus, ut et nobis proficiat hujus pietatis affectus, et illum beatitudo sempiterna glorificet. Per, etc.

Majestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus ut anima famuli tui [d] Simplicii episcopi ab omnibus quæ humanitus attraxit exuta, in sanctorum censeatur sorte pastorum. Per, etc.

XXXV.

MENSE NOVEMBRI.

In natale sanctorum quatuor Coronatorum.

I. — [e] Annua martyrum tuorum, Domine, vota recurrimus, majestatem tuam suppliciter deprecantes ut cum temporalibus incrementis prosperitatis æternæ capiamus augmentum. Per, etc.

Pro martyrum natalitiis, Domine, tua muneribus cumulamus altaria. Da, quæsumus, ut gaudia nobis sancta succrescant, quibus proficiat nostræ devotionis affectus. Per, etc.

[f] Vere dignum. Celebrantes sanctorum natalitia patronorum, quia dum tui nominis per eosgloria frequentatur, nostræ crescit fragilitatis auxilium. Per, etc.

II. *Item alia.* — [g] Hostias tibi, Domine, pro martyrum tuorum commemoratione deferimus, supplicantes ut indulgentiam nobis pariter conferant et salutem. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam tu magnificaris in tuorum laude sanctorum. Et quidquid ad eorum pretiosam pertinet passionem, tuæ sunt opera miranda potentiæ; qui hujus fidei tribuis clementer ardorem; qui suggeris tolerantiæ **139** firmitatem; qui largiris in agone victoriam. Per, etc.

[h] Sanctorum tuorum nos, quæsumus, Domine, semper festa lætificent, et majestati tuæ perpetua placatione commendent. Per, etc.

[i] Præsta, Domine, quæsumus, ut sicut populus Christianus martyrum tuorum temporali solemnitate congaudet, ita perfruatur æterna, et quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per, etc.

XXXVI.

In natali sanctæ Cæciliæ.

I. — Propitiationem tuam, Domine, quæsumus, sentiamus de celebritate præsenti, ut oblationibus nostris, sanctæ (*illius*) [j] intercessione susceptis, et indulgentiam nobis tribuas, et salutaria dona concedas. Per, etc.

Vere dignum. In die festivitatis hodiernæ, qua sancta Cæcilia in tui nominis confessione martyr effecta est. Quæ dum humanis devota nuptiis, thalamos temporales contemneret, sponsum sibi, qui perpetuus esset, præsumpto præmio castitatis adhibuit, et æternitatem vitæ maluit, quam ut mundo procrearet originem. In cujus gloriam etiam illud accessit, ut Valerianum, cui fuerat matrimonii jure copulanda, in perpetuum sibi socians martyr casta consortium, secum duceret ad coronam. Per, etc.

Exsultamus pariter, et de percepto pane justitiæ, et de tuorum, Domine, festivitate sanctorum; quia interventionibus tibi placentium confidimus, nobis ad perpetuam vitam cessura (*Al.* profutura) quæ sumpsimus. Per, etc.

[a] Est in iisdem codd. ac Missali, nec non in Vat. Greg. Muratorii in orationibus ad pontificem ordinandum pag. 272. Post pauca Muratorius *in cœlesti sede*, ut in Missali legitur. At præpositionem *in* delent omnes etiam Gelasiani et Gregoriani codices.

[b] Vide Gelas. lib. III, n. 92; cod. Gregor. apud Menardum. et Missale Rom. pro episcopo defuncto.

[c] Hæc Missa non pertinet ad diem festum S. Silvestri, qui cadit in diem ultimam Decembris; sed pro ejusdem depositione olim lucubrata, et a Collectore inventa, Missis defunctorum ab eodem subjecta fuit.

[d] Quidam putant librarii oscitantia scriptum fuisse *Simplicii* nomen pro *Silvestri*, de quo in duabus orationibus præcedentibus, ita ut hæc sit oratio *postcommunio* Missæ S. Silvestri. Sed cum a nostro Collectore alienum non sit inter communes Missas orationes quasdam describere, quæ alicujus sancti nomen insertum præferunt, ut de S. Tiburtio, de S. Gregorio, et de S. Laurentio vidimus, ita hic orationibus communibus pro defunctis subjecit orationes Silvestri et Simplicii nomen exhibentes, quæ e communibus pro defuncto episcopo, ut videntur, sumptæ, in eorum depositione recitatæ fuerunt.

[e] Habetur in Sacram. Gelasiano lib. II, n. 62, ubi post pauca æque ac in nostro codice legitur *recurrimus*, ut ne opus sit emendare *recolimus*.

[f] Vide similem præfationem in cod. Vat. Gregoriano apud Muratorium pag. 340, et in alio cod. Menardi p. 139. Porro vox *patronorum* antiquitatem Ecclesiæ sanctorum quatuor Coronatorum nomine dedicatam ostendit.

[g] Est apud Gelas. lib. II, n. 62, ac in Missali Rom. die 29 Julii in commemoratione SS. Felicis, Simplicii et sociorum.

[h] Gelasius ibidem.

[i] Legitur in Missali Rom. die 29 Julii natali SS. Felicis et sociorum. Sub finem in cod., *celebrant*, *comprehendant* plurali numero, eo quod populi nomen numero multitudinis sæpe accipiatur, ut alibi observavimus.

[j] Cod. *interveniente*, forte pro *interventione*, uti mox in alia oratione *interventionibus*. Muratorius cum Blanchinio emendavit *intercessione* ex eadem oratione repetita in Missa SS. Clementis et Felicitatis. Hæc oratio communis est, ut ex ipsa formula *illius* agnoscitur; ac propterea festo etiam SS. Clementis et Felicitatis accommodata fuit.

Auxilium tuum, Domine, nomini tuo subdita poscunt corda fidelium, ut quia sine te nihil possunt implere quod justum est, tua misericordia largiente, et quæ recta sunt apprehendant, et omnia sibi profutura percipiant. Per, etc.

II. *Item alia.* — [a] Omnipotens sempiterne Deus, qui eligis infirma mundi, ut fortia quæque confundas, da nobis in festivitate sanctæ martyris Cæciliæ congrua devotione gaudere, ut et potentiam tuam in ejus passione laudemus, **140** et provisum nobis percipiamus auxilium. Per, etc.

Bonorum omnium, Deus, auctor atque largitor, qui ut humanum genus ad confessionem tui nominis provocares, etiam in fragili perfecisti conditione martyrium, præsta, quæsumus, ut Ecclesia tua, hoc exemplo commonita, nec pati pro te metuat, et cœlestis præmii gloriam concupiscat. Per, etc.

[b] Super has, quæsumus, hostias, Domine, benedictio copiosa descendat, quæ et sanctificationem nobis clementer operetur, et de martyrum nos solemnitate lætificet. Per, etc.

[c] Vere dignum. Qui perficis in infirmitate virtutem, qua beata gloriosaque Cæcilia, despecto mundi conjugio, ad consortia superna contendens, nec ætate nutabili præpedita est, nec revocata carnis illecebra, nec sexus fragilitate deterrita. Sed inter puellares annos, inter sæculi blandimenta, inter supplicia persequentum, multiplicem victoriam virgo casta et martyr explevit, et ad potiorem triumphum secum ad regna cœlestia, cui fuerat nupta, perduxit. Per, etc.

III. *Item alia.* — Fiant, Domine, tuo grata conspectui munera supplicantis Ecclesiæ, et ut nostræ saluti proficiant, adsit intercessio beata sanctorum. Per, etc.

Vere dignum. Qui, ut de hoste generis humani major pompa duceretur, non solum per Christum Dominum nostrum diabolicam destruxisti tyrannidem, nec tantum pro subversione protoplasti, per virilem sexum martyrum beatorum meritam deceptori reciprocas ultionem, sed etiam in Evæ matris inimicum, per femineam conditionem, retorques jure vindictam; ut qui male in sua paradisi felicitate fidentem sexum utrumque prostraverat, nunc ab utroque per tuam gratiam calcaretur. Quod sancta Cæcilia hodierna confessione testificans (*Al.* perficiens), ne de fide tamen connubii promissa discederet, eum quem conjugem fuerat habitura (*Al.* quem fuerat susceptura conjugio), fecit comitem passionis. Per, etc.

IV. *Item alia.* — [d] Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut **141** sanctæ Cæciliæ martyris et annua solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo. Per, etc.

Sanctæ Cæciliæ festa recolentes, preces offerimus, hostias immolamus. Præsta, Domine, quæsumus, ut cum præsidio temporali et vitæ nobis præbeant incrementa [e] perpetuæ. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam sicut humanum genus in utroque sexu diabolus merito pravæ confessionis elisit, sic [f] utroque confessione magnifica per tuam gratiam triumphatur. Clariorque victoria est cum sublimis illa substantia, quæ similem se jactabat Altissimo, et in hominis casu Dei opus subruisse plaudebat, feminea conditione superatur. Cujus gloriæ nobis diem beata Cæcilia martyr illustrat, quæ nuptiis deputata terrenis, nupsit in cœlo, et mundano dicata conjugio, divinum est sortita consortium; ipsumque temporalem virum, cui mortali fuerat more nectenda, martyrii fœdere secum virgo casta fecit æternum. Per, etc.

V. *Item alia.* — [g] Quæsumus, virtutum cœlestium Deus, ut sacrificia pro sanctæ Cæciliæ solemnitate delata, desideriorum nos temporalium doceant habere contemptum, et ambire dona faciant cœlestium gaudiorum. Per, etc.

Vere dignum. Quia vicissitudo nobis est hodie collata mirabilis, cum ille noster inimicus, qui hominem paradisi felicitate conspicuum, et totius mortis ignarum, dum propria integritate fidendo præsidia divina non quæreret, viperea calliditate subvertit, nunc inter hujus mundi miserias, et in exsilio damnatæ conditionis humanæ, a mortali fragilitate, sed in te fidente, prosternitur. Et cum prima mulier viro suo dux fuisse referetur ad lapsum, nunc confessio puellaris, virum præcedens, ducit ad præmium. Per, etc.

[h] Exaudi nos, Deus salutaris noster, ut sicut de sanctæ Cæciliæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per, etc.

Respice, Domine, quæsumus, plebem tuam, de sanctæ Cæciliæ martyris glorificatione gratulantem, et beneplacitum fieri tribue sacratarum tibi mentium famulatum, ut qui in sanctis tuis te honorare non desinunt, perpetua donorum tuorum largitate **142** potiantur, et quod visibiliter exsequuntur, invisibiliter apprehendant. Per, etc.

XXXVII.

IX KALENDAS DECEMBRIS.

Natale sanctorum Clementis et Felicitatis.

I. — [i] Omnipotens sempiterne Deus, qui in omnium sanctorum tuorum es virtute mirabilis, da nobis in beati Clementis annua solemnitate lætari, qui Filii

[a] Invenitur in Sacram. Gelasii lib. II, n. 64. Orationis hujus principium convenit cum initio orationis quæ legitur in codd. Gregor. et in Romano Missali die natali S. Agnetis, et alibi. Finis vero diversus est.

[b] Est in codd. Greg. ac in Missali Rom. die 3 Maii natali SS. Alexandri et Sociorum, et alibi.

[c] Hanc præfert Missale Gothicum apud card. Thomasium in Missa S. Cæciliæ.

[d] In natali S. Priscæ die 18 Januarii hanc orationem habent codd. Gregor. et Missale Rom

[e] Codex mendose *perpetua*.

[f] Muratorius ex postilla Blanchinii corrigendum credidit *utriusque;* sed posteriorem ipsius Blanchinii retractationem non observavit. Lectio codicis cum verbo *triumphatur* satis probe cohæret.

[g] Est apud Gelas. lib. II, n. 64, et in Missali Ambrosiano apud Pamelium.

[h] Apud Gelas. ibidem, et in Missali Rom. in communi virginum.

[i] Refertur in cod. Greg. Menardi, et apud Pamelium, tom. II, pag. 354.

tui martyr et pontifex, quod ministerio gessit, testimonio comprobavit, et quod prædicavit ore, firmavit exemplo. Per, etc.

Propitiationem tuam, Domine, etc. [a]

[b] Vere dignum. Sancti Clementis martyris tui Natalitia celebrantes, qui cognationem reliquit et patriam, et post odorem tui nominis terras mariaque transmittens, abnegansque semetipsum, crucem peregrinationis assumpsit, ut te per apostolorum tuorum vestigia sequeretur. Cui tu, Domine, secundum promissionem Filii tui, tam in præsenti sæculo quam futuro, centupli muneris præmia repensasti. Nam beatissimi Petri mox tradito disciplinis, parentes, quos in genitali solo perdiderat, in externa regione [c] restituis; quos terrenæ generationis amiserat, divinæ reddis naturæ participes. Deinde magistri sui [d] vicarium, per ordinem subrogando, Romanæ Urbis, cujus propter te despexerat dignitatem, tenere constituis principatum, proque transitoria claritate; cœlesti facis honore conspicuum. Postremo martyrii gloria sublimatum, pro temporalibus gestis æternam provehis ad coronam. Per, etc.

II. *Item alia.* — Ascendant ad te, Domine, preces nostræ, et tuorum vota fidelium munera suppliciter oblata concilient, quod etiamsi nostris operibus non meremur, quæsumus, sanctorum nos intercessione mereamur. Per, etc.

Vere dignum. Merito etenim, Domine, de triumphis tuorum martyrum gloriamur, quia in victoriis eorum tua mirabilia confitemur, sancti Clementis hodie sacerdotis **143** et martyris tui festivitate gaudentes; quem beati apostoli Petri eruditionibus institutum, et in pontificatum apostolicæ sedis evectum, atque in martyrii inclyti [e] fine gloria coronatum, habitatio cœlestis excepit. Per, etc.

III. *Item alia.* — Beati Clementis sacerdotis et martyris tui natalitia veneranda, Domine, quæsumus, Ecclesia tua devota suscipiat, et fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per, etc.

Intercessio sancti Clementis sacerdotis et martyris, misericordiæ tuæ, Domine, munera nostra conciliet, ut, quod merita nostra non supplent, sanctorum tuorum deprecatione pensetur. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam per sancti Spiritus largitatem beatus ille Clemens hodiernæ nobis exsultationis affectum magnificæ passionis agone sacravit; qui mundo nobilis, amore Christi nobilior, pio labore conspicuus, et inter parentum vel inquisitione vel receptione mirabilis, apostolicæ prædicationis fidelissimus alumnus acceptus, sacerdos refulsit egregius et martyr insignis. Per, etc.

IV. *Item alia.* — Accipe, quæsumus, Domine, hostias, tua nobis dignatione collatas, quoniam et te creante procedunt, et tu causas humanæ salutis et gloriæ, quibus tibi gratæ sunt, condidisti. Per, etc.

Vere dignum. Beati nobis enim Clementis hodie præconia repetenda sunt. Qui divina inspiratione flammatus reliquit patriam, in tuis prædicatoribus [f] sequendo, et amissos parentes alienis invenit in terris. In exteris regionibus humilis, Christi secutus est gloriam, et summam recepit civitatis propriæ dignitatem. Præsentem vitam Christo postposuit, et meruit triumphum beatitudinis sempiternæ. Per, etc.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut pro honore nominis tui, quorum celebramus insignia, continuis etiam precibus foveamur. Per, etc.

In Natali sanctæ Felicitatis.

I. — Misericors et omnipotens Deus, qui nos e virtute in virtutem debita veneratione (*Al.* servitute) currentes, tuorum facis precibus **144** gaudere sanctorum, præsta ut quorum solemnitatibus consolamur, orationibus adjuvemur. Per, etc.

[g] Intende munera, Domine, quæsumus, altaribus tuis pro sanctæ Felicitatis martyris tuæ commemoratione proposita, ut sicut per hæc beata mysteria illi gloriam contulisti, nobis indulgentiam largiaris. Per, etc.

Vere dignum. In exsultatione festivitatis hodiernæ, qua beata genitrix sacratum tibi gregem, carne procreatum, per tuam gratiam morte perfecit. Ecce vere in qua, sicut scriptum est, fabricavit sibi sapientia domum, septem columnis instructam. Ecce quæ, quod nomine prælibavit, rebus implevit, et non solum fecunditatis prosperitate gloriosa, sed cum eadem etiam mansit et inter adversa Felicitas, quam eidem nec mors auferre potuit, sed effecit potius sempiternam. Per, etc.

[h] Libantes, Domine, mensæ tuæ beata mysteria, quæsumus ut martyrum interventione sanctorum et præsentem (*Al.* temporalem) nobis misericordiam conferant et æternam. Per, etc.

Protege, Domine, plebem tuam, et quam martyrum tuorum assidua tribuis festivitate devotam, tibi semper placitam fieri precibus concede justorum. Per, etc.

II. *Item alia.* — [i] Da nobis, Domine Deus noster, sanctorum martyrum palmas incessabili devotione venerari, ut quos digna mente non possumus cele-

[a] Repetitur hic oratio prima, quæ legitur supra in prima Missa diei natalis S. Cæciliæ.

[b] Est in Missali Gothico card. Thomasii die natali S. Clementis. Hæc porro, et tertia ac quarta præfationes sumptæ sunt ex libris Recognitionum sancto Clementi attributis, quos Rufinus Latine reddiderat, quosque Gelasius postea inter apocryphos recensuit.

[c] In nostro codice, sicut et in Missali Gothico erronee, *restitues*. Post nonnulla vero solus noster codex *constitues*, recte autem Missale Gothicum *constituis*.

[d] *Vicarius* hic pro successore accipitur, ut apud alios auctores frequenter invenitur, ipseque contextus ostendit. Post pauca loco vocis *proque* codex librarii oscitantia habet *pro quæ;* in Missali Gothico, *pro quo*.

[e] Cod. perperam, *finis*.

[f] Aliquid hoc loco deest.

[g] Est in Missali Rom. die 7 Martii in Natali SS. Perpetuæ et Felicitatis, et in communi plurimarum virginum et martyrum, et alibi.

[h] Apud Gelas. lib. II, n. 92, in Natali S. Cæciliæ.

[i] Refert hanc orationem Missale Rom. in locis annot. 92 (*Supra, n.* [g]) indicatis.

brare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. A Per, etc.

Fidelium tuorum munera, Domine, pro sanctorum martyrum solemnitate assume, et ut tibi nostra sint grata servitia, gratiæ tuæ largitate concede. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam magna sunt opera tua, Domine, et immensa magnalia, per quæ nobis lætitia hodiernæ festivitatis accessit. Vere enim Felicitatis filii, et vera est suorum Felicitas filiorum, quos et casto fetu sancti conjugii mater fecunda progenuit, et rursus confessionis sacrosanctæ visceribus martyr beata conceptos, per fidem denuo felicius peperit martyres ad coronam. Per, etc.

[a] Præsta, Domine, quæsumus, intercedentibus sanctis tuis, ut quæ ore contigimus, pura mente capiamus. Per, etc.

[b] Libera, Domine, quæsumus, a peccatis et hostibus tibi populum supplicantem; ut in sancta conversatione viventes, nullis affligantur adversis. Per, etc.

145 III. *Item alia.* — Sancti martyres, Domine, quæsumus, et nominibus suis nobis suffragentur et precibus, ut et Clemens tuus sapientem clementiam sequi, et tibi sacrata Felicitas nos poscat veraciter esse felices. Per, etc.

In sanctorum tuorum passionibus pretiosis te, Domine, mirabilem prædicantes, munera votiva deferimus. Præsta, quæsumus, ut sicut illorum tibi grata sunt merita, sic nostræ servitutis accepta reddantur officia. Per, etc.

Vere dignum. Hodie quippe, Domine, et tuo munere celebratur magnifica mater et martyr. Præclara progenies simili passione. Gloriosa in talibus membris Ecclesia. Meritoque in omnibus beata Felicitas. Per, etc.

Repleti sumus, Domine, sacramentis et gaudiis quæ in sanctorum tuorum celebritatibus et frequentamus et sumimus. Per, etc.

Semper, Domine, quæsumus, fac populum tuum sanctorum martyrum patrocinio gratulari, ut beneficia tua, quæ propriis obsecrationibus obtinere non sufficit, justorum tuorum suffragiis incessanter accipiat. Per, etc.

XXXVIII.

VIII KALENDAS DECEMBRIS.

Natale sanctorum Chrysogoni et [c] Gregorii.

Exsultamus, Domine, multiplicata festivitate sanctorum, quia non diffidimus tua nos dona sumpturos, pro quibus impetrandis tanta nobis patrocinia contulisti. Per, etc.

Perfice, Domine, votiva mysteria, et quæ in martyrum veneratione te prædicant, suffragia nobis perpetuæ redemptionis existant. Per, etc.

Vere dignum. Quia pectora martyrum beatorum sic ignis ille cœlestis inflammat, ut omne quod in hujus mundi luce jucundum est, amore tui nominis refutetur, et subeatur quidquid temporaliter est acerbum, ut promissionis tuæ præmia capiantur. Per, etc.

Patientia pretiosa justorum tuæ nobis, Domine, quæsumus, affectum dilectionis accumulet, et in cordibus nostris sacræ fidei semper exerceat firmitatem. Per, etc.

B Deus, qui sanctis tuis dedisti piæ confessionis 146 inter tormenta virtutem, largire fidelibus populis inter hujus mundi tentamenta constantiam veritatis, ut sicut illos sanctus Spiritus roborando sempiternam provexit ad gloriam, sic istos jugiter tua gratia gubernando ad misericordiam perducat æternam. Per, etc.

XXXIX.

PRIDIE KALENDAS DECEMBRIS.

Natale sancti Andreæ apostoli.

I. — [d] Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, beati apostoli tui Andreæ intercessionibus sublevari, ut per quos Ecclesiæ tuæ superni muneris rudimenta donasti, per eos subsidia perpetuæ salutis impendas. Per, etc.

C [e] Respice, quæsumus, Domine, munera quæ pro beati Andreæ apostoli tui commemoratione deferimus, suppliciter exorantes ut ejus interventionibus adjuvemur, pro cujus meritis immolantur. Per, etc.

[f] Vere dignum. Quia Ecclesiam tuam in apostolicis tribuisti consistere fundamentis. De quorum collegio beati Andreæ solemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non tacemus. Per, etc.

[g] Sumpsimus, Domine, divina mysteria, beati apostoli tui Andreæ festivitate lætantes, quæ sicut tuis sanctis ad gloriam, ita nobis, quæsumus, ad veniam prodesse perficias. Per, etc.

Tribue, Domine, quæsumus, familiæ tuæ, ut exsultationem cordis sui, quam de beati Andreæ apostoli tui veneratione percepit, et secura concelebret, D et tota semper mente sectetur. Per, etc.

II. *Item alia.* — Supplices te rogamus, Deus, competentibus gaudiis diem nos celebrare concedas, quo

[a] Est in codd. Greg. ac in Missali Rom. fer. 2 post Dominicam III Quadragesimæ, et in festo S. Theodori.

[b] Habetur in codd. Greg. Muratorii in serie orationum quotidianarum.

[c] Missa S. Chrysogoni, cujus nomen olim in Canone insertum fuit, VIII kal. Dec. in Sacramentario Gregoriano legitur. At S. Gregorii nullibi hoc die mentionem invenimus. Sicuti vero aliquot sanctorum martyrum, qui in hoc Sacramentario mense Decembri memorantur, notitiam alibi non facile reperies, ita etiam hujus S. Gregorii mentionem in aliis monumentis non inveniri nihil sit mirum. De hoc item supra mense Aprili Missa XXIII, in quam vide annot. 40 (*Col.* 31, *n.* [1]).

[d] In Sacramentario Gregor. assignatur vesperis ejusdem sancti apostoli.

[e] Hujus orationis prima pars in Romano Missali aptatur festo S. Apollinaris die 23 Julii.

[f] Exstat in cod. Gelas. lib II, n. 69, et in Vatic. Greg. apud Muratorium in Missa vigiliæ, et in alia festi ejusdem apostoli; in Gregoriano autem Menardi in Natali S. Thomæ apostoli.

[g] Hanc orationem præferunt codd. Gregoriani, et Missale Rom. in Natali S. Andreæ.

majestatis tuæ confessione magnifica beati apostoli tui Andreæ sacer natalis illuxit, pariterque nobis devotionis hujus tempora largiora tribuas et profectum. Per, etc.

[a] Sacrandum tibi, Domine, munus offerimus, quo beati Andreæ solemnia recolentes, purificationem quoque nostris mentibus imploramus. Per, etc.

Vere dignum. In festivitate præsenti, qua beati Andreæ apostoli tui venerandus sanguis effusus est. Qui gloriosi apostoli tui **147** Petri pariter sorte nascendi, consortio fidei, [b] apostolicæ collegio dignitatis, et martyrii est claritate germanus, ut quos in hujus vitæ cursu gratia tua tot vinculis pietatis obstrinxerat, similis in regno cœlorum necteret et corona. Per, etc.

Prosit nobis, quæsumus, Domine, sacramenti tui perceptio salutaris pro tuorum commemoratione sanctorum, ut nos et a vitiis mortalitatis expediat, et perpetuæ socios miserationis efficiat. Per, etc.

Esto protector, Domine, populi tui propitiatus et rector, eique, deprecantibus sanctis tuis, remissionem tribue peccatorum; præsta vitæ melioris effectum; temporalia benignus præbe solatia, et æternitatis promissa dona largire. Per, etc.

III. *Item alia.* — Omnium virtutum, Deus, bonorumque largitor, da, quæsumus, ut beati apostoli tui Andreæ semper nobis adsint et honoranda solemnia, et desiderata præsidia. Per, etc.

Oblatis muneribus, Domine, plebs fidelis exsultet, quia pariter apostolicæ gaudia passionis [c] et in eis te prædicare mirabilem confidit ad suæ pertinere salutis augmenta. Per, etc.

Vere dignum. Qui per cultum nominis tui, venerationemque sanctorum, nobis remedia mirabiliter operaris. Hoc ipso namque jejunio, quod, beati apostoli tui Andreæ festa prævenientes, oculis tuæ majestatis offerimus, simul et continentiam salutarem capiamus mentis et corporis, et profutura nobis observatione proficiamus, et mitigatis sensibus corporis, puriores tantis natalitiis præparemur. Per, etc.

Erudiamur, Domine, quæsumus, his celebritatibus et juvemur, quibus beati apostoli Andreæ cœlestem nobis tribuant martyria præventa lætitiam. Per, etc.

Referat, Domine, populus Christianus, quos pia devotione præsumpsit, sanctæ gratulationis effectus, ut beati apostoli tui Andreæ simul fiat et veneratione jucundus et intercessione securus. Per, etc.

IV. *Item alia.* — [d] Majestatem tuam, Domine, suppliciter **148** exoramus ut sicut Ecclesiæ tuæ sanctus Andreas apostolus exstitit prædicator et rector, ita sit perpetuus suffragator. Per, etc.

Beati apostoli Andreæ, Domine, solemnia recensemus, ut ejus auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi hostias laudis offerimus. Per, etc.

[e] Vere dignum. Adest enim dies magnifici votiva martyrii, quo venerandus Andreas germanum se beati apostoli Petri tam prædicatione Christi tui quam confessione monstravit, et apostolicæ numerum dignitatis simul passione supplevit et gloria; [f] ut quibus erat una causa certaminis, una retributio esset et præmii. Per, etc.

Quæsumus, omnipotens Deus, ne nos mundanis sauciari patiaris incursibus, quos tuæ providentiæ constitutis, apostolica præsidia non relinquunt. Per, etc.

Præsta, Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam sub tantis gaudere principibus, et intellectu capere, quod devotione sectatur, ut tuis dispositionibus gubernata, quos præsenti veneratur obsequio, participatione perpetua contingere mereatur. Per, etc.

XL.

MENSE DECEMBRI.

VIII KALENDAS JANUARII.

Natale Domini, et martyrum, [g] *Pastoris, Basilei, et Joviani, et Victorini, et Eugeniæ, et Felicitatis, et Anastasiæ.*

[h] Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem et mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti, da, quæsumus, nobis [1] (Jesu Christi Filii tui) ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps. Per, etc.

[j] Da nobis, quæsumus, omnipotens et misericors Deus et sempiterne Pater, ut Nativitatis Domini nostri Jesu Christi solemnia, quæ præsentibus officiis prævenimus, sic nova sint nobis, et continuata permaneant, sic perpetua perseverent, ut pro sui miraculo nova semper existant. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam quidquid Christianæ professionis devotione celebratur, de **149** hac sumit solemnitate principium, et in hujus muneris mysterio continetur. Hoc in ipsis generis humani parentibus declaratum est, Apostolo protestante, cum de primis hominibus loqueretur : *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

[a] Est in iisdem codd. Greg. ac in Missali in Missa vigiliæ ejusdem apostoli.

[b] Vide Pamelium tom. I, p. 436.

[c] Hæc oratio videtur mendosa, ac in ea aliquid desideratur.

[d] Invenitur apud Gelas. lib. II, n. 69, in omnibus codd. Gregorianis, et in Missali Rom.

[e] Confer hanc præfationem cum fusiori codicis Ottobon. Gregoriani apud Muratorium die 3 kal. Decembris.

[f] Hic quædam deesse videntur. Vide Pamelium tom. I, p. 436, et laudatum cod. Ottobon. tom. II Muratorii, p. 343.

[g] Quatuor priores sanctos martyres hac die VIII kal. Jan. in nullis kalendariis aut Martyrologiis invenimus. Similiter Muratorius tom. II Anecdot. Latinorum pag. 191, e papyraceo documento indicem prodidit oleorum sanctorum cum aliquot sanctorum martyrum nominibus, quæ aliunde ignota sunt.

[h] Legitur in cod. Gelas. lib. I, n. 5, et in omnibus codd. Gregorianis inter orationes de Natali Domini. In Missali Romano paucis additis describitur in ordine Missæ dicenda, dum sacerdos aquam in calice miscendam benedicit.

[1] Voces *Jesu Christi Filii tui* sunt varians lectio. Muratorius omisit *ejus*.

[j] Exstat in cod. Gelas. lib. I, n. 5. Mox voces *et sempiterne Pater* abundare videntur ex varianti lectione.

Hoc patriarchæ diversis actionibus et vocibus signaverunt. Hoc illa legis observantia figuralis asseruit. Hoc prædixerunt cunctorum præconia prophetarum. In hoc cæremoniarum veterum plenitudo est. In hoc præsens cœlestium ministratio gratiarum. In hoc bonorum pollicitatio futurorum. In quo, dum manifestissime comprobantur quæ fuerant prædicta compleri, rationabiliter credimus et prudenter quæ promittuntur esse ventura. Per, etc.

[a] Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, ut qui Nativitatem Domini nostri Jesu Christi nos frequentare gaudemus, dignis conversationibus ad ejus mereamur pertinere consortium. Per, etc.

[b] Largire, quæsumus, Domine, famulis tuis fidei, spei et charitatis augmentum, ut qui de Nativitate Domini nostri tui Filii gloriantur, et adversa mundi, te gubernante, non sentiant, et quæ temporaliter celebrare desiderant, sine fine percipiant. Per, etc.

II. *Item alia.* — [c] Deus, qui beatæ (*Al.* sacræ) Virginis partum, sine humana concupiscentia procreatum, in Filii tui membra venientem paternis fecisti præjudiciis non teneri, præsta, quæsumus, ut hujus creaturæ novitate suscepta, vetustatis antiquæ contagiis exuamur. Per, etc.

Vere dignum. *Ecce enim*, sicut per os locutus est prophetarum, *Virgo in utero accepit, et peperit Filium, et vocatum nomen ejus Emmanuel, et nobiscum Deus est; quia Verbum caro factum habitavit in nobis. Ecce puer natus est hodie; parvulus datus est nobis, et factus est principatus, cujus potestas super humeros ejus; et vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis, super solium David et super regnum ejus, ut confirmet illud et corroboret amodo et usque in sempiternum.* In quibus omnibus evidenter Deum hominemque cognoscimus, qui suscipiendo quod nostrum est, dignatus est nobis conferre quod suum est. Unde profusis gaudiis, etc.

150 III. *Item alia.* Munus populi tui, Domine, placatus intende, quo non altaribus tuis ignis alienus, nec irrationabilium cruor effunditur animantum, sed sancti Spiritus operante virtute, sacrificium jam nostrum, corpus et sanguis est ipsius sacerdotis. Per, etc.

Vere dignum. Hoc præsertim die quo ipsum salutis nostræ sacramentum in lucem gentium revelasti, et ab uteri virginalis arcano ineffabili editione promisisti: *Erigens nobis cornu salutis in domo David pueri tui, ad dandam scientiam salutis populo tuo in remissionem peccatorum eorum, per viscera misericordiæ* A *Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Benedictus qui venit in nomine Domini; qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo, Deus Dominus et illuxit nobis*, ut nos de tenebris et de umbra mortis, regnum perpetuæ (*Al.* æternæ) lucis efficeret. Unde profusis, etc.

[d] Omnipotens sempiterne Deus, qui in Domini nostri Jesu Christi Filii tui Nativitate tribuisti totius religionis initium perfectionemque constare, da nobis, quæsumus, in ejus portione censeri, in quo totius salutis humanæ summa consistit. Per, etc.

IV. *Item alia.* — [e] Grata tibi sit, Domine, quæsumus, hodiernæ festivitatis oblatio, ut tua gratia largiente, per hæc sacrosancta commercia in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Per, etc.

B [f] Vere dignum. Tuæ laudis hostiam jugiter immolantes, cujus figuram Abel justus instituit, agnus quoque legalis ostendit, celebravit Abraham, Melchisedech sacerdos exhibuit; sed verus agnus et æternus Pontifex, hodie natus, Christus implevit. Unde profusis, etc.

Concede, quæsumus, Domine Deus noster, ut qui ad destructionem diaboli, et remissionem natus est hodie peccatorum, et a culparum subreptione nos expiet, et ab hostium incursione defendat. Per, etc.

[g] Da, quæsumus, Domine, populo tuo inviolabilem fidei firmitatem, ut qui Unigenitum tuum in tua tecum gloria sempiternum, in veritate nostri corporis natum de matre Virgine confitentur, et a præsentibus liberentur adversis, et mansuris gaudiis inserantur. C Per, etc.

151 V. *Item alia.* — [h] Da nobis, omnipotens Deus, ut sicut adoranda Filii tui Natalitia prævenimus, sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Per, etc.

[i] Tanto nos, Domine, quæsumus, promptiore servitio hæc præcurrere concede solemnia, quanto in his constare principium nostræ redemptionis ostendis. Per, etc.

Vere dignum. Solemnitas enim, Domine, cœlestis pacis ingreditur. Quæsumus ut per eam gratiam, per quam tibi reconciliatus est mundus peccatorum remissione cunctorum, nos quoque delictis omnibus expiati, remediis tuæ pietatis aptemur, et mysterium quod exstitit mundo salutare, principalis recorda- D tione muneris assequamur. Per, etc.

Deus, qui nos sacramenti tui participatione contingis, virtutis ejus effectus in nostris cordibus operare, ut suscipiendo muneri tuo per ipsum munus aptemur. Per, etc.

[a] Codd. Gregor. et Missale Rom. hanc orationem exhibent in Missa diei Natalis Domini.

[b] Est ibidem, et apud Gelas. lib. I, n. 5.

[c] Legitur in Gelas. lib. I, n. 3 et in mss. Gregorianis eodem festo. *Mox sacræ* est varians lectio, vel supplendum, ut apud Gelasium, *beatæ Mariæ sacræ Virginis partum.*

[d] Codd. Greg. hanc orationem hoc eodem festo exhibent.

[e] Est in Missali Gothico card. Thomasii in Missa vigiliæ Nativitatis Domini, et apud Pamelium tom. II, p. 188.

[f] Confer Gelas. lib. I, n. 4, et Pamelium eodem tom. II, p. 550.

[g] Describitur in codd. Gregor. inter orationes de Natali Domini.

[h] Est Missa vigiliæ Nativitatis Domini. Hæc oratio est apud Gelasium lib. I, n. 1, et in Gregoriano Sacramentario, ac in Missali Rom.

[i] Apud Gelas. ibidem.

Benedictio tua, Domine, super populum supplicantem copiosa descendat, ut qui, te factore conditus, te est reparatus auctore, te jugiter operante salvetur. Per, etc.

VI. *Item alia.* — Deus, qui restaurationem conditionis humanæ mirabilius operaris, quam substantiam condidisti, tribue, quæsumus ut simul perficiatur in nobis et quod creavit Verbi tui divina generatio, et quod ejus hominis facti gloriosa Nativitas reformavit. Per, etc.

Tot sensibus hodiernum, Domine, sacrificium celebramus, quo nobis ipsius sacrificii sunt nata primordia. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam magnificum nostræ commercium reparationis effulsit, cum de homine veteri homo novus [a] curatus existit; cum de mortalitate mortalitas, cum humana conditio de ipsius humanæ conditionis confecta medicatione sanatur, et de obnoxia generatione peccato, totius peccati nescia proles exoritur; ac non solum nostra a Verbo tuo suscepta fragilitas perpetui sit honoris, sed nos quoque mirando consortio reddis æternos. Per, etc.

152 VII. *Item alia.* — Exsultantes, Domine, cum muneribus ad altaria veneranda concurrimus, quia et omnium nobis hodie summa votorum, et causa nostræ redemptionis exorta est. Per, etc.

Vere dignum. Quoniam vere magnum, quod sine exemplo est singulare, quod sine humana ratiocinatione mirabile, tuæ pietatis editum sacramentum. Atque ideo sicut primis fidelibus exstitit in sui credulitate pretiosum, ita [b] nunc excusabilem conscientiam non relinquit, quæ salutaris mysterii veritatem, toto etiam mundo testificante, non sequitur. Ut enim in principio difficile videretur, cum ad hoc sacramentum genus humanum diceretur esse venturum, sic opus majestatis immensæ negari nefas est, cum cernitur ubique conspicuum. Unde profusis, etc.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut sancta tua tibi placito corde sumamus, et quidquid in nostra mente vitiosum est, ipsius doni medicatione curetur. Per, etc.

VIII. *Item alia.* — Deus, qui humanum genus, a suo principe lethaliter sauciatum, Christi tui nativitate salvare dignaris, præsta, quæsumus, ut non hæreamus in perditionis auctore, sed ad Redemptoris nostri consortia transferamur. Per, etc.

Oblatio tibi sit, Domine, hodiernæ festivitatis accepta, qua et nostræ reconciliationis processit perfecta placatio, et divini cultus nobis est indita plenitudo, et via veritatis et vita regni cœlestis apparuit. Per, etc.

[c] Vere dignum. Quia nostri Salvatoris hodie lux vera processit, quæ clara nobis omnia et intellectu manifestavit et visu. Quibus non solum præsentem vitam suo splendore dirigeret, sed ad ipsam nos majestatis immensæ gloriam perduceret intuendam. Per, etc.

[d] Da nobis, Domine, quæsumus, ipsius recensita nativitate vegetari, cujus cœlesti mysterio pascimur et potamur. Per, etc.

153 IX. *Item alia.* — Ut ad salutaris hodiernæ generationis exordium pertinere mereamur, apostolicis tribue nos, Domine, quæsumus, precibus adjuvari. Per, etc.

Præsenti sacrificio, Domine, tua generaliter exsultet Ecclesia, quo infirmitatis ejus sunt assumptæ primitiæ, ut divinæ particeps fieret ipsa potentiæ. Per, etc.

Vere dignum. In die solemnitatis hodiernæ, quo licet ineffabile, tamen utrumque conveniens editur sacramentum, quia et mater Virgo non posset nisi sobolem proferre divinam, et Deus, homo nasci dignatus, congruentius non deberet nisi Virgine matre generari. Propterea, etc.

[e] Præsta, misericors Deus, ut natus hodie Salvator mundi, sicut divinæ nobis generationis est auctor, ita et immortalitatis sit ipse largitor. Per, etc.

Deus, qui creationem conditionis humanæ diabolicis non es passus perire nequitiis, remedia tuæ propitiationis exsequere, ut in eadem non prævaleat inimica subreptio, sed redemptio tuæ miserationis (*Al.* pietatis) obtineat. Per, etc.

XLI. [f] *In Natali sancti Joannis Evangelistæ.*

I. — [g] Omnipotens sempiterne Deus, qui hujus diei venerandam sanctamque lætitiam beati apostoli tui Joannis Evangelistæ festivitate tribuisti; Da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, et amare quod credidit, et prædicare quod docuit. Per, etc.

[h] Deus, qui per os beati apostoli tui Joannis Evangelistæ Verbi tui nobis arcana reserasti, præsta, quæsumus, ut quod ille nostris auribus excellenter infudit, intelligentiæ competentis eruditione capiamus. Per, etc.

Munus populi tui, Domine, quæsumus apostolica deprecatione sit gratum, ut Ecclesia tua eorum semper intercessionibus adjuvetur, quorum jugiter instruitur disciplinis. Per, etc.

[i] Vere dignum. Beati apostoli tui Joannis Evange-

[a] Codex, *Existeret curatus, mortalitate mortalitas.* Ex contextu emendatum, atque suppletum est; nec oportuit corrigere *immortalitas*, quippe *mortalitas* ad verbum *sanatur* referenda est.

[b] Hæc in Eutychianos scripta videntur, qui veritatem incarnationis Verbi negabant. Contra hos vero catholici (uti traditur oratione ultima Missæ IV) unigenitum Dei Patris Filium *in veritate nostri corporis natum de matre Virgine confitentur.* A Leonis stylo non distat.

[c] Vide Pamelium tom. II, p. 550.

[d] Invenitur hæc oratio in codd. Greg. ac in Missali Romano in vigilia Nativitatis Domini.

[e] Apud Gelas. lib. I, n. 4, et in codd. Gregorianis. In laudato Missali ultimo loco describitur hoc die festo.

[f] Missæ S. Stephani protomartyris, quæ Missis diei Natalis Domini subjiciendæ erant, leguntur initio mensis Augusti, indeque repetendæ.

[g] Est in codd. Gregor. hoc loco: in Missali autem Rom. die natali S. Bartholomæi.

[h] Legitur apud Gelas. lib. I, n. 7, et in mss. Gregor. ad Vesperas hujus festi.

[i] Hæc præfatio paucis mutatis refertur in cod.

listæ Natalitia venerantes. Qui Domini nostri Jesu Christi Filii tui vocatione suscepta, terrenum respuit patrem, ut posset invenire cœlestem, retia sæculi, quibus implicabatur, abjecit, ut æternitatis dona mente libera sectaretur; nutantem fluctibus navem reliquit, ut in ecclesiasticæ **154** gubernationis tranquillitate consisteret; a piscium captione cessavit, ut animas, mundanis gurgitibus immersas, calamo doctrinæ salutaris abstraheret; destitit pelagi profundo mari, secretorum scrutator redditus divinorum. Eo usque procedens, ut et in cœnæ mysticæ sacrosancto convivio in ipsius recumberet pectore Salvatoris, et eum in cruce Dominus constitutus, vicarium sui, matri Virgini, filium subrogaret, et *in principio Verbum, quod Deus erat apud Deum*, præ cæteris ostenderet prædicandum. Per, etc.

Præsta nobis, Domine, quæsumus, apostolicis doctrinis et precibus adjuvari, ut quod præsentibus celebramus officiis, perpetuæ salvationis (*Al.* redemptionis) gaudiis assequamur. Per, etc.

Prosequere, Domine, populum tuum, ut apostolorum Natalitia beata sanctorum et temporali consolatione fultus semper exerceat, et æterna miseratione redemptus agnoscat. Per, etc.

II. *Item alia.* — Natalitia sancti Joannis apostoli, quæsumus, Domine, munera capiamus, ut suis precibus gloriosis, et credendum nobis jugiter postulet, et sequendum beatus Evangelista quod docuit. Per, etc.

[a] Supplicationibus apostolicis beati Joannis Evangelistæ, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, Domine, commendetur oblatio, cujus magnificis prædicationibus eruditur. Per, etc.

Vere dignum. Beati Joannis apostoli gloriam recensentes. Qui ab Unigenito tuo sic familiariter est dilectus, et immensæ gratiæ revelationibus inspiratus, ut omnem transgrediens creaturam, excelsa mente conspiceret, et evangelica voce proferret, quia *in principio erat Verbum, et Deus erat Verbum*, [b] *qui hoc erat in principio apud Deum*. Dicendo quippe *erat*, perpetuitatem sine initio demonstravit. Addendo *et Deus erat Verbum, et hoc erat in principio apud Deum*, et distinctionem protulit personalem, et unam te cum Filio tuo patefecit habere Deitatem. Qua majestatis æternæ claritate deprompta, summæ Divinitati cederet vocata gentilitas, et hæreticorum confutata versutia, nec confusionem prætenderet unionis, nec consempiternitatis minueret veritatem. Per, etc.

Miserator et misericors Domine, qui nos continuis cœlestium martyrum non deseris sacramentis, præsta, quæsumus, ut quæ sedulo celebramus affectu, grato tibi percipiamus obsequio. Per, etc.

155 [c] Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra, ut apostolicis beati Joannis Evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat, quæ de tua fidelibus retributione promisit. Per, etc.

XLII.

In natali Innocentum.

I. — [d] Deus, qui bonis tuis infantum quoque tui nescia sacramenti corda prævenis, tribue, quæsumus, ut nostræ conscientiæ fiduciam non habentes, indulgentia semper copiosa præveniat. Per, etc.

Suscipe, Domine, quæsumus, devotorum munera famulorum, et tuis divinis purifica servientes pietate mysteriis, quibus etiam justificas ignorantes. Per, etc.

[e] Vere dignum. Pretiosis enim mortibus parvulorum, quos, propter Filii tui Domini nostri et Salvatoris infantiam, bestiali sævitia Herodes funestus occidit, immensa clementiæ tuæ dona cognoscimus. Fulget namque magis sola gratia quam voluntas, et clara est prius confessio quam loquela; ante passio quam membra passionis existerent; testes Christi, qui ejus nondum fuerant agnitores. O infinita benignitas! cum pro suo [f] *nomine* trucidatis, etiam nescientibus, meritum gloriæ perire non patitur; sed proprio cruore perfusis, et salus regenerationis expletur, et imputatur corona martyrii. Per, etc.

[g] Hodiernæ solemnitatis effectum sumpsimus, Domine, gaudia magna de parvis, suppliciter exorantes ut hanc abundantiam in nostra quoque salvatione defendas. Per, etc.

[h] Lætetur semper Ecclesia tua, Domine, tuorum celebritate sanctorum, et misericordiæ tuæ jugiter experiatur effectum, quo et fragilitas humana subsistat, et divina supplici redemptio non negetur. Per, etc.

II. *Item alia.* — [i] Deus, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosius operaris in minimis, da nobis, quæsumus, in eorum celebritate gaudere, qui Filio tuo Domino nostro testimonium præbuerunt etiam non loquentes. Per, etc.

[j] Adesto, Domine, muneribus, innocentum festivitate sacrandis, et præsta, quæsumus, ut eorum sinceritatem possimus imitari, **156** quorum tibi dicatam veneramur infantiam. Per, etc.

Vere dignum. Audivimus enim prophetam dicentem quod *Rachel plorans filios suos, noluerit consolari, quia non sunt*. Mœrebat ergo quod de ejus sobole non venirent, qui tanto sunt munere coronati. De Liæ quippe sunt stirpe progeniti, quorum divina gratia prævenit et sensum; intelligentiam passio, et

Greg. Ottobon. Muratorii, apud Menardum tom. III, col. 10, et apud Pamelium tom. II, p. 551.

[a] Vide Gelas. lib. I, n. 7, et Pamelium tom. I, pag. 508, et tom. II, pag. 190.

[b] Pro *qui* legendum videtur *et*. Muratorius, *et quia*.

[c] Fere eadem est in codd. Greg. ac in Missali Romano.

[d] Confer Gelas. lib. I, n. 8.

[e] Est in omnibus codd. Gregorianis.

[f] Suppleta est vox *nomine* ex laudatis Sacramentariis, quæ hanc præfationem repetunt.

[g] Est apud Pamelium tom. II, pag. 309.

[h] Idem ibidem, pag. 308.

[i] Est in codd. Greg. Menardi, Muratorii atque Pamelii.

[j] Legitur apud Gelas. lib. I, n. 8, et apud Menardum tom. III pag. 12.

martyrii palma mirabilis præcessit ætatem; ut etiam A veneranda nostri Salvatoris infantia coætaneis testificationibus existeret gloriosa. Per, etc.

Annue, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut eos, quorum Natalitia recensemus, per tuam gratiam beneplacitos fecit ætas exitu, sic nos tuæ pietati salutaris humilitas præstet acceptos. Per, etc.

Tribue, Domine, quæsumus, fidelibus tuis, ut, sicut ait Apostolus, non efficiantur pueri sensibus, sed malitia innoxii reperiantur [a] ut parvuli, ut martyres festivitatis hodiernæ, quos meritis æquare non possunt, mentis simplicitate sectentur.

XLIII.

In jejunio mensis decimi.

I. — Deus, qui singulis quibusque competenter aptanda temporibus sempiterno cernis intuitu, da B nobis, quæsumus, ut cum rerum vicissitudine mundanarum ad bona quoque perpetua piæ devotionis crescamus accessu. Per, etc.

Dies nostros, Domine, placatus intende, et quos præsenti cursu multiplicas, justis operibus redde securos. Per, etc.

[b] Ecclesiæ tuæ, Domine, munera placatus assume, quæ et misericors offerenda tribuisti, et in nostræ salutis potenter efficis transire mysterium. Per, etc.

Vere dignum. Quia per ea quæ conspiciuntur instruimur quibus modis ad invisibilia tendere debeamus. Denique commonemur, anni docente successu, de præteritis in futura, et ad novitatem vitæ de vetustate transire, ut terrenis sustentationibus expediti, cœlestis doni capiamus desiderabilius ubertatem, et C per eum cibum qui beneficiis prærogatur alternis, perveniamus ad victum sine fine mansurum. Per, etc.

[c] Tuorum nos, Domine, largitate donorum et temporalibus attolle præsidiis, et renova sempiternis. Per, etc.

Diversis plebs tua, Domine, gubernata subsidiis, et præsentia pietatis tuæ remedia capiat et futura, ut transeuntium rerum necessaria **157** consolatione foveatur, et fiducialius ad æterna contendat. Per, etc.

II. *Item alia.* — [d] Cognoscimus, Domine, tuæ circa nos clementiæ largitatem. Et ideo fiducialius imploramus ut quos pascere non desinis immeritos, et digne tibi servire perficias, et donis uberioribus pro- D sequaris.

[e] Da, quæsumus, Domine, nostris effectum jejuniis salutarem, ut castigatio carnis assumpta ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Per, etc.

Suscipe, Domine, sacrificium cujus te voluisti dignanter immolatione placari, et præsta, quæsumus, ut hujus operatione mundati, beneplacitum tibi nostræ mentis offeramus affectum. Per, etc.

Vere dignum. Qui nos tamquam [f] nutrimentis parvulorum instituens, dispensatis mentis et corporis alimentis, per humanorum foves crementa proventuum, donec immortalem satietatem, pro nostro quisque modulo, finita mortalitate capiamus. Per, etc.

Mysteriis tuis, Domine, veneranter assumptis quæsumus, ut contra nostræ conditionis errorem, et contra diabolicas armemur insidias. Per, etc.

Sit plebi tuæ, Domine, continuata defensio divini participatio sacramenti, ut carnalibus vitiis non teneatur obnoxia, ut spiritali delectatione sit libera, ut majestati tuæ plena sit devotione subjecta, ut salvationem mentis et corporis et incessabiliter expetat, et affluenter accipiat. Per, etc.

III. *Item alia.* — [g] Supplices, Domine, te rogamus, ut fructuum terrenorum commodis sufficienter adjuti, ad te omnium proficiamus auctorem. Per, etc.

[h] Cordibus nostris, quæsumus, Domine, benignus infunde, ut sicut ab escis corporalibus temperamus, ita sensus quoque nostros a noxio retrahamus excessu. Per, etc.

[i] Hujus nobis parcimoniæ, quæsumus, Domine, præbe mensuram, ut quod licentiæ carnis auferamus, salutarem nobis fructum mentis acquirat. Per, etc.

Subde tibi nostras, quæsumus, Domine, **158** voluntates, ut semper et fide quæ præcipis, et actione sectemur. Per, etc.

Precamur, omnipotens Deus, ut de transitoriis [j] opibus ea potius operemur quibus ad æterna gaudia consequenda et spes nobis suppetat et facultas. Per, etc.

Pacem nobis tribue, Domine, mentis et corporis, ut nostræ fragilitati et manifesti subjiciantur hostes, et invisibiles excludantur. Per, etc.

[k] Præsta, Domine, quæsumus, ut dicato muneri congruentem nostræ devotionis offeramus affectum. Per, etc.

[a] *Ut* pro *et* exigente Pauli sententia scriptum fuit.

[b] Est in Gelas. lib. II, n. 85, fer. 4 mensis decimi, et apud Pamelium tom. II, pag. 362.

[c] In margine codicis : *Post cibos.* Exstat apud Gelas. loc. cit. et in codd. Gregor. ac in Romano Missali fer. 5 post Dominicam primam Quadragesimæ.

[d] In eodem margine : *Ante cibos.*

[e] Est in omnibus codd. Gregor. ac in Missali Rom. in sabbato post Dominicam secundam Quadragesimæ.

[f] Muratorius prætulit correctionem *nutritius parvulorum instituens;* sed non est necessaria : sicut nec paulo post opus est scribere *incrementa* pro *crementa*, licet hoc nomen minus est usitatum, uti Blanchinius secundis curis animadvertit.

[g] In marg. codicis : *Post cibos.*

[h] Habes hanc orationem in mss. Gregorianis et in Missali Rom. feria 2 post Dominicam III Quadragesimæ.

[i] Est in Gelas. lib. II, n. 85, fer. 6 mensis decimi.

[j] Muratorius, *operibus.* Retinuimus lectionem codicis *opibus*, cum verbum *operemur* de largitione eleemosynæ hic accipiatur, quemadmodum laudatus Blanchinius secundis curis monuit.

[k] Gelas. loco laudato, et apud Pamelium tom II, pag. 362.

Vere dignum. Quoniam salubri mendicate jejunio, necessaria curationi tractamus, et per observantiæ competentis obsequium, de perceptis grati muneribus, de percipiendis efficimur gratiores, ut non solum terrena fertilitate lætemur, sed nativitatem panis æterni purificatis suscipiamus mentibus honorandam. Per, etc.

[a] Sumpsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva sacramenta. Præsta, quæsumus, ut et temporalis vitæ nobis remedia præbeant et æternæ. Per, etc.

Tuere, Domine, plebem tuam, et sacra solemnia recolentem cœlestis gratiæ largitate prosequere, ut visibilibus adjuta solatiis, ad invisibilia bona promptius incitetur. Per, etc.

IV. *Item alia.* — [b] Respice, Domine, propitius ad plebem tuam, et quam divinis tribuis proficere sacramentis, ab omnibus absolve peccatis. Per, etc.

Succurre, Domine, quæsumus, populo tuo, et nullum sequi patiaris errorem, quem tuæ vis complicem fieri veritatis. Per, etc.

Quæsumus, omnipotens Deus, Ecclesiæ tuæ tempora clementi gubernatione dispensa, ut cum solemnitatum multiplicatione sanctarum, et intellectum rerum cœlestium capiat et profectum. Per, etc.

Præsta, quæsumus, Domine, spiritalibus gaudiis nos repleri, ut quæ actu gerimus mente sectemur. Per, etc.

Offerimus tibi, Domine, munera, supplicantes ut quæ subditis (*Al.* piis) celebramus officiis, plenis affectibus exsequamur. Per, etc.

Vere dignum. Qui non solum ineffabilis **159** in excelsis, sed etiam immensus probaris in minimis. Nam cum Filius tuus, Dominus noster, Jesus Christus, mundum diceret universum in suum nomen esse cessurum, quis non veluti putaret absurdum? quis, cum fieri videat, neget esse divinum? cernensque promissa compleri, merito secutura [c] non dubitet quæ pariter prædicata sunt esse ventura? Sicut autem beatiores illi qui nondum apparentia crediderunt, ita nos et inexcusabiliores, si nec experta fateamur, et nihilominus gratiores existimus, si quæ manifesta non sunt confidimus adfutura. Per, etc.

[d] Refecti vitalibus alimentis, quæsumus, Domine, quod tempore nostræ mortalitatis *exsequimur*, immortalitatis tuæ munere consequamur. Per, etc.

Super populum tuum, Domine, quæsumus, benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemptio sempiterna firmetur. Per, etc.

V. *Item alia.* — Esto, Domine, propitius plebi tuæ, et temporali consolatione non deseras, quam vis ad æterna contendere. Per, etc.

[e] Sacrificiis præsentibus, Domine, quæsumus, intende placatus, ut et devotioni nostræ proficiant et saluti. Per, etc.

Vere dignum. Qui non solum peccata dimittis, sed ipsos etiam justificas peccatores, **160** et reis non tantum pœnam relaxas, sed donas et præmia. Per, etc.

[f] Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, sacramentum hoc in Ecclesiis tuis indifferenter intelligi, ut unus Christus in Dei atque hominis veritate, nec a nostra divisus natura, nec a tua discretus adoretur essentia. Per Christum Dominum nostrum.

Laudent te, Domine, ora nostra, laudet anima, laudet et vita; et quia tui muneris est quod sumus, tuum sit omne quod [g] vivimus. Per Christum Dominum nostrum.

[h] ✠ ✠ ✠

Suscipite, venerabiles martyres, etsi indigni cultoris offer..... vota totius populi pro..... attendite; ut qui de vestrorum meritorum estis remuneratione securi, sitis de nostrorum criminum remissione sollicili.

Incipit benedictio fontis.

Precem tibi fundimus, Domine rerum, genitor æterne, omnipotens Deus, cujus Spiritus ferebatur super aquas, cujus oculi excelsi aspexerunt super Jordanem fluvium, dum tingeret Joannes in pœnitentiam confitentes peccata sua. Ideoque petimus sanctam gloriam tuam ut sit absconsa manus tua in hanc aquam, ut emundes et purifices deteriorem hominem, qui baptizabitur ex ea, et mortiferis delictis renascatur ac reviviscat per hominem novum, renatum in Christo Jesu, cum quo vivis et regnas in unitate Spiritus sancti in sæcula sæculorum.

[a] Extat in Missali Rom. et in codd. Gregorianis die 28 Januarii S. Agnetis secundo.

[b] Invenitur apud Gelas. loc. cit., ex quo emendatum fuit *proficere* pro eo quod in cod. mendose legitur *profiteri*.

[c] Ita codex, et recte; nec opportuna est correctio *jam dubitet*.

[d] Legitur apud Gelas. lib. II, n. 85, fer. 6 in jejunio mensis decimi, et in codd. Gregor. ac in Romano Missali fer. 5 in Cœna Domini; ex quibus suppletum fuit verbum *exsequimur*, quod in codice luxato non legebatur.

[e] Est in mss. Greg. Muratorii, ac in Missali Rom. in Missa sabbati post Dominicam 3 Adventus.

[f] Hæc oratio contra Eutychianorum errorem a Leonis sensibus et stylo non discrepat.

[g] Cod., *viremus*.

[h] Hæ tres cruces, quæ post præcedentem orationem describuntur in codice, Sacramentarii finem indicare videntur, ita ut sequentia additioni extraneæ tribuenda sint.

MONITUM.

Ex tribus Pontificalis Romani præfationibus, quas Leonis stylum referentes ejus Sermonibus Quesnellus subjecit, duæ in præmisso Sacramentario editæ sunt. Tertiam vero, quam in eodem inventum iri nihil ambigimus, si non deesset ea pars quæ Quadragesimæ tempore ad pœnitentium reconciliationem pertinet, hic

subjicimus. Addenda pariter esset præfatio *Exsultet* in benedictione Cerei paschalis, si bene Leonis esse fetum (ut nonnullis visum est a Mabillonio laudatis in notatione ad Missale Gothicum) probabile crederemus. At cum ejus stylus a Leonino alienissimus sit, nullique codices, quod sciamus, huic opinioni suffragentur, solum præfationem, seu potius allocutionem archidiaconi pro reconciliatione pœnitentium, quæ Leonem spirat, nostro Sacramentario non opitulante, ad vetustiorem Gelasianum codicem, ubi integrior et plenior est, exactam, hoc loco appendimus.

[a] ALLOCUTIO

[b] ARCHIDIACONI AD EPISCOPUM PRO RECONCILIATIONE PŒNITENTIUM.

Adest, o venerabilis pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ et salutis humanæ, [c] qua mors interitum, et vita accepit æterna principium : quando in vinea Domini Sabaoth sic novorum [d] plantatio facienda est, ut purgetur [e] execratio vetustatis. Quamvis enim a divitiis bonitatis et pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen et largior est per indulgentiam remissio peccatorum, et copiosior per gratiam assumptio renascentium. Augemur regenerandis, crescimus reversis. Lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde gaudium de assumptione vocatorum, hinc [f] lætitia de absolutione pœnitentium. Inde est quod [g] supplex tuus, posteaquam in varias formas criminum neglectu mandatorum cœlestium et morum [h] probabilium transgressione cecidit, humiliatus atque prostratus prophetica [i] ad Deum voce clamat dicens : *Peccavi, impie egi, iniquitatem feci, miserere mei, Domine*. Evangelicam vocem non frustratoria aure capiens, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*; manducavit, sicut scriptum est, panem doloris; lacrymis stratum rigavit; cor suum luctu, corpus afflixit jejuniis, ut animæ suæ reciperet quam perdiderat sanitatem : Unicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod et singulis prodest, et omnibus in commune succurrit. [k] Hic ergo, dum ad pœnitudinis actionem tantis [l] excitatur exemplis, sub conspectu ingemiscentis Ecclesiæ, venerabilis pontifex, protestatur et dicit : *Iniquitates meas ego agnosco, et delictum meum contra me est semper. Averte faciem tuam a peccatis meis, Domine, et omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me*. Quo ita supplicante, et misericordiam Dei afflicto corde poscente, redintegra in eo, apostolice pontifex, quidquid diabolo [m] scindente corruptum est, et orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, ut qui antea in suis [n] perversitatibus displicebat, tunc jam placere se Domino in regione vivorum [o] cum devicto mortis suæ auctore gratuletur. Per Dominum.

[a] Hanc Quesnellus edidit ex Pontificali Romano part. III : *De reconciliatione pœnitentium, quæ fit in quinta feria Cœnæ Domini*, et ex Ordine Romano Hittorpii. In Gelasiano Sacramentario legitur lib. I, n. 38.

[b] In cod. Gelas. diacono hæc allocutio tribuitur.

[c] Al., *quo*, vel *quia*.

[d] Pontificale addit *palmitum*; et mox *sarcienda* pro *facienda*. Sequimur codicem Gelasii, cum quo concinit Ordo Romanus, *Hittorpii*.

[e] Cod. Gel., *et curatio*. Lectionem Ordinis Rom. et Pontificalis præferendam duximus; sicut et in sequentibus *et largior*, pro quo in Gelas. perperam legitur *et largitor*.

[f] Magis placuit lectio ejusdem Ord. Rom. et Pontif. Codex Gelas., *lætitiæ*.

[g] Pontif., *supplices famuli tui*, et sequentia numero plurali.

[h] Leg., *improbabilium*. Al., *probatorum*.

[i] Al., *ad Dominum*.

[j] Pontif. addit *suum*.

[k] Huc usque Quesnellus ex Romano Pontificali, Sequentia in Gelas. cod. et Ordine Romano.

[l] Al., *excitatus*.

[m] Ord. Rom., *suadente*.

[n] Idem Ord. addit *sibi*.

[o] Idem Ord. omittit *cum*.

ADMONITIO IN LIBROS DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM.

1. Hos libros Quesnellus nomine Leonis inscriptos edidit. Cur vero nos eidem pontifici adimendos, ac in appendicem rejiciendos putavimus, patebit ex observationibus secundæ Quesnellianæ dissertationi subjectis, quibus ejus argumenta ad calculos revocabimus. Vulgati primo fuerunt iidem libri inter S. Ambrosii Opera ex codice qui Ambrosii nomen præferebat, et non solum multis scatebat erroribus, verum etiam carebat longo illo testimonio quod S. Gelasius papa ex hoc opere recitaverat. Joannes Sotellus in editione Lovaniensi anni 1565 hos libros S. Prosperi Aquitani Operibus inseruit auctoritate trium mss. exemplarium S. Martini Lovaniensis, Camberonensis, et Bonefiensis, quæ illis Prosperi nomen præfigunt; sed nihil emendavit in textu, supplevit nihil. In Duacensi autem editione Operum S. Prosperi anni 1576, ex eodem codice Camberonensi Joannes Olivarius supplevit quidem locum insignem qui deerat, at variantes margini affigens, textum intactum plerumque reliquit. Quesnellus præter has variantes manuscripti Camberonensis usus est alio codice Thuaneo, Prosperi, ut aliunde credimus, nomine inscripto, et horum duorum exemplarium subsidio nonnulla errata in textu emendavit. Novissimus S. Prosperi editor Parisiensis anni 1711 adhibuit tertium codicem Joliensem melioris notæ, cui Prosper item inscribitur; ac ex eo non pauca loca restituit.

2. Nos tres mss. libros Vaticanos præcipue contulimus. Primus est codex Vat. Reginæ 293 pergamenus in quarto, sæculi circiter XI, ubi Prospero libri ascribuntur hoc titulo : *Incipit liber primus Prosperi de vocatione omnium gentium*. Hic autem codex notam habet præfixam in fronte : *Liber S. Petri sanctique Rodoberti de Cella*; quæ bibliothecam indicat ad quam idem codex olim pertinebat. Alter est Vat. 268, item pergamenus in-folio, ejusdem circiter sæculi, qui Ambrosio opus adjudicat. Tertius est Vat. 262, in-quarto, sæculi XV, qui nomen Prosperi in fronte exhibet. Licet autem hic codex recentior sit, seniores tamen lectiones ut

plurimum suppeditavit, nec non locum illum quem in cæteris frustra quæsitum ex hoc uno ms. restituimus. Ne in citandis his codicibus prolixiores simus, primum ms. indicabimus numero arabico 1, secundum numero 2, tertium numero 3, sic: *Vat.* 1, 2, vel 3. Præter hos sunt alii tres codices, Vat. Palatinus 236 sæculi IX vel X, Vat. 558 sæculi XI, et 559 sæculi XV, qui Prosperum pariter præferunt; et unus Vat. 281 sæculi XIV, qui Ambrosium præfigit.

3. Horum autem codicum recensio duo observanda suggerit, quæ non inutilia fortassis erunt ad conjiciendum auctorem. Primo falsum est codices Vaticanos qui Ambrosium præferunt esse vetustiores illis qui Prosperi nomine inscribuntur. Neque enim Vat. 268 est nongentorum annorum, sed XI circiter sæculo scriptus agnoscitur; cum codex Palat. 236 uno vel altero etiam sæculo anterior sit; sicut etiam ille quem Hincmarus habuit, dum pluribus in locis sub Prosperi nomine hoc opus allegavit. Codices vero Vat. Reg. 293 et Vat. 558 ejusdem sæculi sunt ac ille qui Ambrosio prænotatur. Secundo ex codicibus hactenus adhibitis tres tantum Ambrosium præferunt, nimirum Vat. 268 et 281, nec non ille ex quo primum hi libri sub Ambrosii nomine prodierunt, et hi omnes æque multis erroribus corrupti sunt, ac longo illo testimonio quod capite 7 libri I, ex mss. Prosperum præfigentibus restitutum fuit, omnes similiter carent; adeo ut ex uno eodemque exemplari pariter corrupto et diminuto derivati noscuntur. Octo autem codices Prosperi nomine præsignantur, Camberonensis, Tbuaneus, Joliensis, Palat. 236, Vat. Reg. 293, Vat. 262, 558 et 559, omnesque multo emendatiores sunt, nec insigne illud testimonium omittunt.

4. Ex his autem duabus observationibus quamdam conjecturam auctori discernendo utilem inferre et proponere liceat. Cum omnes codices qui Ambrosium signant æque luxati et corrupti ex unico vitiato exemplari proficiscantur, primi illius librarii oscitantia vel arbitrio fieri potuit ut vel nomen Prosperi, quod erat in vetustioribus mss. in Ambrosium mutaret, vel (quod probabilius est, et frequentius aliis in operibus accidit) libros sine auctoris nomine subjecerit Ambrosii Operibus; ex quo alii posteriores amanuenses occasionem sumpserint tribuendi illos Ambrosio; cui tamen iidem certe nequeunt ascribi, uti Quesnellus evidenter ostendit dissert. 2, nec antiquioribus temporibus atque codicibus ascriptos scimus. Econtra cum omnes codices Prosperum præferentes emendatiores et non ita diminuti sint, ac nonnulli etiam vetustiores, palam est hos ab originali antiquissimo ac sinceriori profectos, cui pariter nomen Prosperi inscribebatur. Hinc autem nonne conjicere licet aliquem Prosperum vere esse horum librorum auctorem, licet quis Prosper fuerit ignoretur? Ita quidem conciliantur probe omnia. Difficultates enim a Quesnello objectæ dissert. 2 contra sententias Prosperum ingerentes, id solum evincunt horum librorum auctorem non esse Prosperum Aquitanum. At si dicatur esse aliquis alius Prosper aliunde non cognitus, qui sub Leonis ævum et ante Gelasium vixerit, ea objecta nihil officiunt, et hac ratione antiquiorum, et plurium, et emendatiorum exemplarium fides intacta relinquitur. Simili quoque via conciliari potest auctoritas Cassiodorii, qui libros *de Promissionibus et Prædictionibus Dei* Prospero tribuit. Id per errorem accidisset, si Prosperum Aquitanum intelligere necesse esset; illorum enim librorum auctor Africanus perspicitur. At Cassiodorius Prosperum duobus in libris constanter vocat; patriam autem non designat, cumque ipse huic auctori sit fere suppar, in ejus nomine allucinatus non ita facile dicendus est, cum alius Prosper intelligi queat: sed illi potius per non leve præjudicium allucinati credendi sunt, qui Prosperum Aquitanum a Cassiodorio appellatum præsumentes, duplex hujus testimonium rejiciendum ac errore notandum putarunt. Quidni igitur idem accidere potuit in casu nostro?

5. Gelasii papæ textus nihil repugnat, cum *Magistrum Ecclesiæ* honoris gratia illum potuerit appellare, qui vel tunc in mss. Prosper nuncuparetur; neque enim hinc cogimur dicere hos libros sine auctoris nomine fuisse editos; quod tamen ex sola Gelasii citatione, qua nomen omittitur, nonnulli colligendum existimarunt.

6. Neque moveat quod quidam addunt, ita potuisse errare codices in tribuendis his libris Prospero, uti errarunt in vindicandis eidem libris *de Vita contemplativa*, qui Julianum Pomerium habent auctorem. Alii enim codices inventi sunt, et a novissimo Prosperi editore laudantur, qui hos libros Juliano Pomerio vindicant; cujusmodi etiam sunt unus Vat. Reginæ 291 sæculi XI, et alius Ambrosianus mille annorum a Muratorio indicatus tom. III. Antiquit. Italic. pag. 847, in quo dum excerpta ex antiquis scriptoribus describuntur, unum ex cap. 21 lib. II *de Vita contemplativa* sic allegatur : *Incipit de tertio* (legendum *secundo*, nisi alia divisio obtinuisset) *libro Pomerii ad Julianum*. Econtra vero nulli codices hactenus inveniri potuerunt qui libros *de Vocatione* alii ascribant nisi Prospero vel Ambrosio; ac propterea cum Ambrosii esse nequeant, unus Prosper restat, quem cum non cogamur Aquitanum intelligere (nullus enim codex Aquitanum vocat), alium Prosperum possumus credere, etsi quis ille fuerit non liqueat. Hanc conjecturam, quæcunque sit, lectorum judicio subjicimus, eorum præcipue qui alios codices inspicere et conferre poterunt.

DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM

LIBRI DUO.

Jam hos libros, minus recte S. Leoni quam Prospero Aquitano tribuendos, inter hujus Patris Opera edi curavimus, tomo scilicet nostro LI, quo requirendi sunt. Quod autem spectat ad elucidationes quibus in editione Balleriniana opus illustratur, eas in tomo præsenti integre producimus. Vide infra. Quesnelli in illud thema dissertationem cum subjectis Balleriniorum observationibus. EDIT.

PRÆTERITORUM

SEDIS APOSTOLICÆ EPISCOPORUM AUCTORITATES.

DE GRATIA DEI.

Quesnellus hunc libellum S. Leoni adjudicavit; alii vero auctores rectius Prospero Aquitano voluerunt adscribendum. Quorum amplexi sententiam, varias quibus niteremur auctoritates inter Opera Prosperi tomo nostro LI retulimus. Vide cæterum infra dissertationem tertiam Quesnelli, et in eam Balleriniorum observationes. EDIT.

[a]EPISTOLA AD SACRAM VIRGINEM DEMETRIADEM,

SEU

DE HUMILITATE TRACTATUS,

Quem LEONI MAGNO *Quesnellus* [b] *attribuit.*

ARGUMENTUM.

Magnis laudibus veram humilitatem commendat, adversamque illi superbiam suis depingit coloribus; tum devotam Christo virginem hortatur ut elationem caveat, seque sinceræ humilitatis præsidio muniat.

259 CAP. I. *Quanta fuerit Demetriadis nobilitas et virtus.* — [c] Cum splendidissimæ sanctimoniæ tuæ sublime propositum super humilitatis fundamenta consistere pie et sapienter intelligis, in hoc usque, o sacra Virgo Demetrias, dignationem tuæ dignitatis inclinas, ut provectiones tuas etiam meo stylo exigas adjuvari. Quod ego, ad tenuitatem facultatis meæ respiciens, omnibus modis recusarem, neque tam maturo et erudito animo cohortatiunculas meas adhibere præsumerem, nisi **260** fiduciam efficiendi id quod jubetur a jubente conciperem, et tuis meritis atque orationibus confiderem esse præstandum, ut *oriatur in deserto aqua* (*Psal.* CVI, 35); et *fiant in sicca terra flumina* (*Ps.* CIV, 41; *Isaiæ* XLIII, 19). Unde collaborandum tibi mecum est, ut qui *sapientiam præstat parvulis, et linguas mutorum facit disertas* (*Sap.* X, 21), jubeat de cordis mei ariditate profluere, quod sitis tua digne possit haurire. Quæ ergo materia stylo dabitur, et unde loquendi tecum causa sumetur? Si laudes tuas scribere aggrediar, et majorum seriem, quæ per te multum illustratur, evolvam, onerosum me forte et impudentem videri posse arbitror, qui vel humanæ tibi gloriæ tentationem A adulando ingeram, vel tuis ac tuorum prædicationibus ingenium meum par esse præsumam. Si vero de commendando virginitatis bono disseram, superflua erit ejus nunc propositi insinuatio, quod tu a primo ætatis tuæ flore **261** [d] sine humanis cohortationibus elegisti: et de quo inter ipsa principia multi, [e] qui tunc in Ecclesia præeminebant, merito non siluerunt. Valde enim mirabile erat, et inter præcipua divinæ gratiæ exempla numerandum, quod virgo Anicia, super omne fastigium [f] Trabeatæ nobilitatis evecta, de cujus fecunditate avis atque atavis responsura posteritas et familiæ votis exspectabatur et patriæ, converso repente animo, desiderio cœlestium nuptiarum declinasti mortale conjugium, et ut omnem prosapiam tuam etiam hujus virtutis titulo consecrares, [g] prima stirpis tuæ perpetuam te virginem Filio B virginis spopondisti. Illam ergo ætatem tuam et illa principia rationabiliter doctissimi viri suis adhortationibus incitarunt, et licet plantationi suæ summus agricola valida ad profectum tuum incrementa præberet, cooperatores tamen gratiæ Dei opportune piam adhibuere culturam, ut germen tenerum fortitudinis robur acciperet, et dignos generositate sua

[a] Nullus hactenus codex usui fuit cum quo hæc epistola relegeretur. Omnes enim editiones e prima transcriptæ fuerunt; unde nihil emendari potuit. Nos quatuor Vaticana exemplaria mss. invenimus, signata num. 262, 268, 281 et 284. Duo priora potissimum contulimus, ac ex iisdem plura loca corrigemus.

[b] Confer dissert. 4 Quesnelli, et in eam nostras C observationes.

[c] In vetustis Ambrosii editionibus hic titulus præfigitur: *Ambrosius episcopus sacræ virgini Demetriadi.* In editione autem Lovaniensi an. 1565, *Prosper episcopus sacræ virgini Demetriadi;* ex qua inscriptione Prosperum Aquitanum fuisse episcopum nonnulli putarunt. Sed hæc inscriptio ex arbitrio solius editoris Lovaniensis profecta est. Cum enim is nullum hujus epistolæ codicem habuerit, eamque transcripserit ex Ambrosii editione, ex sola præsumptione quod hujus auctor esse non posset Ambrosius, Prospero illam ex aliquot conjectationibus attribuit; ac eamdem transcribens ex Ambrosii vulgatis, in inscriptione Ambrosii nomen, retentis cæteris ac etiam voce *episcopi*, proprio marte mutavit in Prosperum. In quatuor autem memoratis codicibus Vaticanis nulla ejusmodi inscriptio legitur. In duobus Vat. 268 et 281 hæc epistola subjicitur libris *de Vocatione omnium gentium* Ambrosio ascriptis; at sine ullo auctoris nomine ipsa D describitur cum titulo: *Incipit de vera humilitate ad sacram virginem Demetriadem.* In Vat. 262, post eosdem libros *de Vocatione* Prospero attributos, interpositis aliquot paginis albis, sine ullo titulo invenitur. In solo cod. Vat. 284 hæc inscriptio præfertur: *Ambrosii ad Demetriadem virginem.* Vide plura in observ. ad dissert. 4 Quesnelli.

[d] Demetriadem, hortante Augustino, nuptiis contemptis, quæ ipsi paratæ erant, virginitatis propositum suscepisse, discimus ex ejusdem doctoris epist. 143, nunc 188, ad Julianam, quam Auctor, cum verba textui inserta scripsit, non legerat.

[e] « Vide Aug. epist. 143, nunc 188, ad Julianam Demetriadis matrem, et 179, nunc 150, ad Probam et Julianam. Item Hieronymi epist. 8, et Innocentii papæ I epist. 14. Vide etiam quam Pelagius hæresiarcha ad hanc ipsam virginem scripsit epistolam, cui Auctor hanc videtur opposuisse pro antidoto. » QUESN.

[f] Duo nostri codd. Vat. quos contulimus habent mendose, *trahens beatæ nobilitatis;* uti etiam in editionibus legebatur ante emendationem Quesnellianam, quæ postremo editori S. Prosperi placuit. Quesnellus autem hanc notationem adjecit: « Trabea insigne erat consulum, augurum et regum; de quo vide Bayfium de Re vestiaria c. 11, apud quem et antiquiores laudatos invenies. »

[g] Editi cum Vat. 262, *primam stirpis tuæ perpetuam virginem.* Correctionem suppeditavit alter vetustior codex Vat. 268.

fructus propositi tui arbor afferret. Nostris autem paginis quid erit loci? Et post ornatissima scripta excellentium magistrorum, quid utilitatis in eo, quem indicere dignata es, sermone reperies, nisi forte quia et illorum doctrinis et tuis studiis ad subliniores gradus virtutum consuetudo proficit, [a] cavendæ te elationis admoneam, et humilitatis tibi sinceritatem fida suggestione commendem, ut in omnibus actionibus in quibus tibi es bene conscia numquam audeas esse secura.

CAP. II. *Veras virtutes a falsis esse discernendas.* — De hoc igitur congruentissimo [b] tibi et saluberrimo bono, quod Dominus donaverit disseramus, ut inspectioni nostræ non tantum visibilia ejus, sed etiam occulta reserentur. Est enim multiplex virtutis istius qualitas, et licet in exterioribus quoque pulchra sit, in intimis tamen suis multo est speciosior, multoque luculentior; ubi nihil obscurum, nihil turbidum, nihil est inquietum : quia *pax multa diligentibus legem Dei, et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII, 165). Accessuri autem ad beatæ humilitatis intuitum, **262** omnem illam abjectionem, quæ ignavos et inconstantes animos deprimit, repellamus; nec generale nomen ita nos a judicio discretionis excludat, ut omnes quoquomodo humiles putemus esse laudabiles. Imitatur quidem plerumque necessitas voluntatem, et ab imagine modestiæ parum differt forma segnitiæ. Sed aliud est quod gravat, aliud quod exercet; nec in eumdem finem venit labor indeclinabilis miseriæ, et expetitæ fortitudo patientiæ. Unum est paupertatis vocabulum, sed non una mens pauperum : quia non idem est gaudere bene expensis divitiis, quod aut gemere de non acquisitis, aut dolere de perditis. Timoris etiam quo Deus metuitur, nulla est in appellatione distinctio; sed aliud est timere quia peccaveris, aliud timere ne pecces; et ibi est formido de supplicio, hic sollicitudo de præmio. Ob hoc enim de illo servili metu dicitur quia *perfecta charitas foras mittit timorem* (I *Joan.* IV, 18); de hoc vero liberali : *Timor Domini* [c] *sanctus, manens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 10). Remota itaque illa specie humilitatis, quæ tota sine fructu est, voluntarios tantum pendamus affectus, qui etiamsi in gradibus meritorum inveniuntur impares, non sunt tamen ab ipsa virtute discordes.

CAP. III. *Primum humilitatis bonum, dilectionem et concordiam inter homines servare.* — Prima ergo humilitatis ratio in communis vitæ versatur officiis, quibus et divina clementia conciliatur, et societas humana connectitur. Multum enim ad roborandum dilectionem valet, cum secundum doctrinam apostolicam, *invicem se homines honore præveniunt* (*Rom.* XII, 10), et alteri alterum superiorem existimantes,

A amant servire subjecti, et nesciunt tumere prælati; cum et pauper divitem non sibi dubitat anteferre, et dives pauperem sibi gaudet æquare; cum et sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, et pauperes non extolluntur de communione naturæ; cum denique non plus tribuitur magnis opibus quam bonis moribus; nec major ducitur phalerata iniquorum potentia quam rectorum inhonora justitia. Ab hoc æquo et modesto jure concordiæ, in **263** quo nullum [d] est de gradu superiore certamen, nec felicitas aut inflat propria, aut urit aliena, pulchre et mirabiliter a plerisque proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ et se extra omnem constituit dignitatem, et mavult apta esse injuriis accipiendis, quam idonea repellendis; ut impleatur quod ait Dominus :
B *Qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo* (*Matth.* V, 40). [e] Illudque quod Apostolus docet dicens : *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini* (I *Cor.* VI, 7)? Tales enim multum ad imitationem ipsius Domini nostri et Salvatoris accedunt; qui *cum dives esset, pauper factus est* (II *Cor.* VIII, 9); et, *cum malediceretur, non maledicebat; et percutienti se non comminabatur* (I *Pet.* II, 23); et quoniam dixerat: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt* (*Matth.* V, 44); ut hujusmodi benevolentiam confirmaret exemplo, ipse pro iis a quibus crucifigebatur orabat.

CAP. IV. *Verum humilem, gloriam et opes sæculi*
C *fastidire.* — Qui ergo fideliter et scienter intelligunt quo opere salvati et quo pretio sint redempti, nolunt de mundi hujus sapientibus, nolunt esse de fortibus : quoniam, sicut ait Apostolus, *quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* (I *Cor.* I, 27) : id est, ut nemo se placere Deo per mundi sapientiam putet, quæ tota carnalis est, et a vera sapientia cum omni sua vanitate destruitur : *Dominus enim novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt* (*Ps.* XCIII, 11). Cum itaque discipuli veritatis humanam gloriam fugiunt, et a temporalium amore desciscunt, ut quæ
D Dei sunt sapiant, non quæ hominum, proficiunt sensibus, non deficiunt; neque vigorem cordis amittunt, sed excellentissimæ intelligentiæ lumen accipiunt; **264** viventes quidem in hoc mundo, sed omnes mundi strepitus relinquentes, ut *redimant tempus, quia dies mali sunt* (*Ephes.* V, 16). Quo autem pretio quies hujus temporis aptius comparatur, quam ut ipsi mundo omnes divitiæ, omnes dignitates et uni-

[a] Sic melius ex eodem ms. Vat. Vulgati cum alio cod. Vat., *cavendam*.

[b] Addidimus *tibi* ex mss. et ex editionibus Prosperi.

[c] Vocem *sanctus*, quæ est etiam in psalmo, adjecimus ex utrisque mss. Vat. In recentiori 262, pro *manens* legitur *permanens*.

[d] Verbum *est* supplevimus ex iisdem codd

[e] Editi *Illud* sine conjunctione enclitica *que*. Hanc autem maxime necessariam nostri codices suggesserunt.

versarum cupiditatum materiæ refundantur, et sancto beatoque commercio ematur Christiana libertas, fiantque filii Dei de paupertate divites, de patientia fortes, de humilitate sublimes? Non enim, ut dilectores hujus sæculi putant, pravi cordis aut segnis est animi terrenas opes spernere, honores occiduos fastidire, nec ibi gloriam quærere ubi *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur* (*Ps.* IX, 23). Unde si vere intelligatur, contemptus iste rerum præsentium ad quæ tendat, et qualia concupiscat, nihil hujusmodi mentibus rectius, nihil invenietur [a] erectius, quæ sacratissimis desideriis universa transcendunt, neque ad ullam creaturam quamvis potentem atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilium et invisibilium [b] ambiunt creatorem; cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui servire regnare est.

CAP. V. *Non solos pauperes, sed etiam divites humilitate Christiana ornari posse.* — Sed hæc virtus quæ temporalis copiæ et [c] potentiæ negligens ad vitam æternam [d] angusta via et ardua enititur, non debet voluntarios pauperes in consortium Christianæ humilitatis admittere; eos autem a societate boni hujus excludere, qui ampla prædia, magnifica patrimonia, et multas in hoc sæculo possident facultates: cum in populo Dei multi semper qui divitiis bene uterentur exstiterint, nec ullo modo vel dici vel cogitari liceat quod Abraham, et Isaac, et Jacob, quorum se esse Deum Dominus protestatus est (*Exod.* III, 6), ideo vera humilitate caruerint, quia pauperes non fuerunt. Aut quod vir sacratissimus Melchisedech, Domini et Salvatoris nostri præferens formam (*Hebr.* VII, 3), non fuerit perfecte humilis, quia et sacerdotio eminebat et regno. Vel quod beato Job, **265** de quo Deus pronuntiat, dicens: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo* (*Job* II, 3)? Ideo virtus ista defuerit, quia *erant* (sicut scriptum est) *in possessione ejus septem millia ovium, et tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis;* A *eratque vir ille magnus inter omnes Orientales* (*Job* I, 3). [e] Qui si tunc istius gratiæ particeps factus est, quando omnibus facultatibus perditis, universa quoque familia filiisque privatus, et *percussus vulnere pessimo a planta pedis usque ad verticem capitis, testa saniem radebat, sedens in stercore* (*Job* II, 7), [f] ad imaginem elationis tentationisque postmodum revocatus est, quando corporis incolumitate renovata, *septem rursus filiorum triumque filiarum factus est pater, et duplo in universam substantiam est ditatus augmento* (*Job* XLII, 10, 13). Absit autem ab animis fidelium tam irreligiosa persuasio, ut cuiquam sanctorum, quibus Deus et divitias est largitus et honores, ad capiendum veræ humilitatis meritum credatur [g] vel opulentia obfuisse, vel dignitas; cum eis ad hu- B jus virtutis provectum utraque profuerint. Quamvis enim tota *vita hominis tentatio sit super terram* (*Job* VII, 1, *juxta LXX*), et tam abundantia quam inopia, materia soleat esse peccati, cum vel dives extollitur ad superbiam, vel pauper prosilit ad querelam, exstiterunt tamen in omni tempore, et in nostra quoque ætate non desunt, sicut et boni pauperes, ita et boni divites. Nec frustra beatus apostolus Paulus Timotheum admonet, dicens: *Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum; bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum: ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI, 17, C 19). Quod utique fieri in universa Ecclesia, quæ per totum mundum est diffusa, non dubium est, et pauperes Christi non eorum tantum facultatibus sustineri, qui ut expeditiores Dominum sequerentur, simul se omnibus suis opibus exuerunt; sed eidem operi etiam illorum substantias deservire, qui possessionibus suis non aliter quam rebus pauperum præsunt, [h] et ecclesiasticæ utilitati sub quadam procuratione famulantur, elaborantes singuli pro suarum virium portione, ut ad victum atque vestitum familiæ Dei necessaria conferantur, et simul prospi-

[a] Hæc nostrorum codicum lectio melior, quam vulgata *electius*.

[b] « P. Nannius vult legendum esse *abeunt*. » QUESN.

[c] Editi habebant *patientiæ*. Quesnellus *sapientiæ* ex ingenio reposuit, ea ratione ductus quia voci *patientiæ* sensus reluctatur, ut in annotatiuncula professus est; et hanc lectionem postremus editor Prosperi suscepit. Sed veram lectionem *potentiæ*, quæ antecedentibus maxime congruit, nostri codices suppeditarunt.

[d] « Prius ita lectum est: *Ad vitam æternam angusta et ardua mittitur*; in hujus ultimæ vocis locum substituendum esse *enititur* ante nos conjecit nonnullus. Petrus Nannius Alcmarianus in scholiis ad S. Ambrosium Basileæ an. 1551 primum editis, putat in hunc modum posse corrigi, *per angusta et ardua mittit*; optime id quidem, si pro *mittit* posuisset *enititur*. Similis loquendi modus in serm. 2 de Jej. Pent. c. 1: *Nam quia angusta et ardua declinantes*, etc., qui est Matth. VII, v. 14: *Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam*; quem Leo noster ita semper repræsentat: *Angusta et ardua via quæ ducit ad vitam*, ut serm. 5 de Nativ. Dom. c. 1, septimo de Quadrag. c. 1, etc., ex quo et nonnulla probatio elicitur, qua hanc ipsam epistolam S. Leoni vindicetur. » QUESNELLUS. — Hinc autem edidit: *Ad vitam æternam per angusta et ardua enititur*. Sed huic arbitrariæ emendationi lectionem nostrorum mss. Vat. D textui insertam prætulimus.

[e] Editi: *Quasi tunc*; et post nonnulla Quesnellus ante voces *ad imaginem elationis* addidit *aut*, quod in editis deerat. Utroque autem modo lectio corrupta, de qua novissimus Prosperi editor nonnihil conjecit; sed codicibus destitutus, Quesnelli lectionem secutus est. Nostri codices veram lectionem præbuerunt.

[f] Ob corruptam lectionem *Quasi* Quesnellus addidit *aut*, ut antecedenti annotatione monuimus. Vera autem lectione inducta nostrorum mss. præsidio, hoc additamento opus non est. Mox *tentationisque* ex iisdem mss. addidimus.

[g] Quesn., *et opulentia*. Correximus ex editis Prosperi nostrisque codicibus.

[h] Ita ex mss. Vat. Editi: *Ut ecclesiasticæ utilitati*... *famulentur*.

cientes ut in domibus ipsorum sub justo sanctoque A moderamine omnes et benignitas foveat, et disciplina contineat: dicente Apostolo: *Si quis autem suorum, et* **266** *maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (I *Tim.* v, 8).

CAP. VI. *Omnes sanctos Ecclesiæ filios aliis rebus dispares, sola humilitate pares effici.* — Cum itaque Ecclesia Dei, quæ est corpus Christi, ita sit multimoda varietate contexta, ut in unum decorem etiam quæ non sunt paria concurrant, et de omni genere hominum, de omni gradu officiorum, de omni mensura operum, de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis inseparabilis connexio et indifferens pulchritudo, nec desit soliditati quod non defuerit portioni, tantaque ibi sit pax tantaque concordia ut non possit esse nisi omnium quod est etiam singulo- B rum, indubitanter apparet copulatricem quamdam esse virtutem, qua sibi confœderatur et concinit multiplex sanctorum unitas et speciosa diversitas. Hæc autem virtus vera humilitas est quæ inter quoslibet meritorum gradus numquam sui potest esse dissimilis. Nam et in officiorum vicissitudine, et in mansuetudinis lenitate, et in voluntariæ paupertatis electione, invenitur multa distantia, et alter altero in propositi sui devotione aut major aut minor est; in vera autem humilitate nihil divisum, nihilque non solidum est; et ideo, omnes participes suos unum facit, quia inæqualitatem ipsa non recipit.

CAP. VII. *Veram humilitatem in perfecta et integra gratiæ confessione consistere.*— Hujus igitur boni proprietas in confessione est gratiæ Dei, quæ tota re- C pellitur nisi tota suscipitur. Sicut enim alienus est a numero fidelium et a sorte sanctorum qui in aliquo a catholica veritate dissentit, ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur, quasi homo auxilio Dei in quadam actionum suarum parte egeat, in quadam autem parte non egeat, sitque ullum tempus ullumve momentum quo perniciosum illi esse non possit si ab eo Spiritus sanctus defuerit; qui utique secundum veræ Deitatis essentiam ubique totus est, et omnia comprehendit; sed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos destiterit gubernare. Cessatio quippe auxilii ejus pro absentia accipitur, quam sibi insanissime utilem putat qui in iis quæ recte gesserit se magis quam **267** D Deum gaudet operatum. Plene ergo et veraciter confitenda est gratia Dei, de cujus hoc primum munere est ut auxilium ipsius sentiatur. Propter quod dicit Apostolus: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata* [a] *sunt nobis* (I *Cor.* II, 12). Unde si quis est qui aliqua se habere existimat bona, quorum non Deus largitor sit, sed ipse sibi auctor existat; manifestum est hunc non Dei spiritum habere, sed mundi, et de illa sæcularis sapientiæ tumere doctrina, de qua dicit Dominus: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* (I *Cor.* I, 19)? Secundum quam, sicut ait Apostolus, quidam *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est cor insipiens eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I, 21). Videsne qualis superbis retributio debeatur, et quali mercede repleantur, qui si quo modo ad cognitionem veritatis accesserint, suæ hoc sapientiæ tribuunt, et de naturali ingenio gloriantur; tamquam Deum, non Dei munere, sed proprii intellectus facultate cognoverint? Omnia quidem elementa mundi, et universæ creaturarum naturæ, hoc ipsa sui exigunt specie, ut *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur* (*Rom.* I, 20); et in pulchritudine cœli et terræ quædam [b] sunt paginæ ad omnium oculos semper patentes, et auctorem suum numquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum et eloquia Scripturarum. Sed quidquid illud est quo corporeorum sensuum exteriora pulsantur, in agro cordis cui impenditur ista cultura, nec radicem potest figere, nec germen emittere, nisi ille summus et verus agricola potentiam sui operis adhibuerit, et ad vitalem profectum ea quæ sunt plantata perduxerit. Sive enim contemplatio creaturarum, sive sacrorum series voluminum, sive scientia disserentium, sincero et assiduo testimonio prædicet veritatem, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 7.)

CAP. VIII. *Superborum ruinam omnium esse gravissimam.* — Inter omnes igitur lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est gravior quam superborum ruina; maxime cum ipsa elatio in Dei tendit injuriam. Nam aliter inflantur, qui cupiditate extollentiæ singularis omnibus appetunt anteferri; **268** aliter vero intumescunt, qui Dei auxilium refutantes, quæ fieri sine ipsius opere non possunt, ex sua perfici virtute contendunt, et spem suam a Domino auferunt, atque ad se transferunt: ut adimpleatur in eis quod scriptum est: *Maledictus homo qui spem habet in homine, et firmat carnem brachii sui, et a Domino discedit cor ejus* (*Jer.* XVII, 5). Hæc superbia a diabolo sumpsit exordium: qui quoniam sua, quam a Creatore acceperat, potentia et dignitate sibi placuit, seque auctoris sui gloriæ comparavit, cum iis angelis quos in consensum impietatis suæ traxerat, a cœlesti [c] humilitate dejectus est. Et ideo primis hominibus nocere potuit, quia illis male credulis per mendacia venenata persuasit ut meliores se futuros putarent, si [d] in libertatem sui arbitrii prosilirent, quam si in legis datæ custodia permanerent.

CAP. IX. *Superbiam, qua quis suorum sibi vult auctor esse bonorum, omnis esse peccati initium.* — Sive itaque in lapsu diaboli, sive in prævaricatione

[a] Sic nostri codd. Vulg., *sint.*
[b] Unus cod. Vat., *sint.*
[c] Forte, *sublimitate.*

[d] Sic Quesnellus cum editione Parisiensi S. Ambrosii an. 1569, sicut et in novissima editione Prosperi. Al., *in libertate*; et ita nostri codices.

hominis, initium peccati superbia est, quæ congruenter et avaritia nominatur, quia utraque appellatio eum significat appetitum qui et suam mensuram concupiscat excedere, et non dignetur dives esse, nisi propriis : tamquam habeat hoc simile Deo, ut bonorum suorum ipse sibi [a] fons, ipse sibi sit copia. Hæc autem elatio de perverso usu donorum Dei nascitur. Nam si conditor naturarum nulla pulchra, nulla sublimia naturis rationabilibus contulisset, unde se extollerent non haberent. [b] Nemo enim de iis quæ non accepit superbit, nec inflari quisquam de eo potest, quod a participatione ejus alienum est. Numquam gloriatur de sobrietate temulentus, neque de benevolentia invidus, aut de lenitate sævus, vel de castitate extollitur impudicus. Ipsa se a virtutibus vitia secernunt, et cum in peccatis agitur, non insita per naturam, sed ex mala voluntate concepta [c] ut propria diliguntur : quia, sicut scriptum est, *mendax de proprio loquitur* (*Joan.* VIII, 44). Cum autem in bonis et rectis actibus laudabilis vita ducitur, Dei est quod geritur, Dei est quod amatur. *Omne* enim *datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17). Unde quia inter vitia aut nulla est aut rara jactantia, et facile spernitur qui de opprobrio gloriatur, malum superbiæ maxime virtutibus est cavendum, quia nullis opportunius insidiatur, quam quibus laus justa debetur.

269 CAP. X. *Ex bonis operibus superbiam et Pelagianam hæresim esse natam; nec non et Pelagianorum reliquias.* — Cum ergo per ineffabilem misericordiam Dei captivis libertas, perditis salus, mortuis vita reparatur, cum in sacramento crucis et resurrectionis Christi ad novitatem redit vetustas, et ad innocentiam regeneratur impietas, antiquus hostis malignius fremit et acrius inardescit, et cum innumeris nocendi artibus humanum genus nitatur evertere, serens discordias, incitans iras, acuens cupiditates, suadens turpia, falsa commentans et errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus uritur de virtute stantium quam lætetur de fragilitate labentium. Multi enim servientes Deo, et in lege ejus die ac nocte meditantes, *crucifixerunt carnem suam cum desideriis et concupiscentiis*, omniumque illecebrarum incentiva domuerunt; non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus depravati, mundum istum nec dilexere obsequentem, nec timuere terrentem. Tantam itaque firmitatem, et tam sublime propositum qua impugnatione diabolus posset adoriri, nisi ut quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem; [d] et inde novissima instrueretur tentatio, unde nocuit prima deceptio? Non itaque desidiosis et tepidis, neque inertibus et incultis, sed magis quibusdam animis sedulis et bonorum actuum probitate luculentis, per gloriam irrepsit humanam; et quos impulsione non movit, elatione dejecit. Quanto enim clariores erant meritis, tanto eos aptiores suis invenit insidiis. In paradiso namque Ecclesiæ constitutos, et virtutum deliciis abundantes, ad confidentiam liberi incitavit arbitrii, ut profectus suos in se constituerent, et ad arborem propriæ voluntatis manum præsumptionis extenderent. Restiterunt quidem huic impietati recta [e] innumerabilium corda sanctorum, et non solum docti quique pontifices, verum etiam universales Ecclesiæ plebes, apostolicæ sedis [f] exemplo, insaniam novi dogmatis horruerunt. Sed invenerunt [g] quidam viperina consilia, quibus doctrinæ suæ virus infunderent, et quorum linguam per dolos falsæ rationis armarent. Hinc illa erat naturæ humanæ fraudulenta laudatio, et illæsæ per omnes homines originalis defensio dignitatis; hinc **270** Adæ peccatum exemplo posteris asserebatur nocuisse, non transitu; et quam illi possibile fuerat non violare mandatum, tam liberum esse unicuique declinare delictum; hinc evacuatio baptismatis parvulorum, qui sola adoptione donari, nullo [h] autem reatu dicerentur absolvi; hinc postremo divinæ gratiæ simulata et insincera confessio, quæ secundum merita daretur, non ex qua merita nascerentur. Quam [i] partem superbæ prædicationis quidam sibi, cum cætera abnuerent, servaverunt. Sed hoc eos aut nimis imperite aut valde nequiter fecisse non dubium est, ut omnium hominum generalem ruinam meritorum privilegio sublevarent; et cum inter nostros originalis peccati vulnera faterentur, inter suos tamen hoc tenere ostenderent, quod primorum hominum prævaricatio solis imitatoribus obfuisset; naturalem autem facultatem nihil sui in alieno amisisse peccato, cui et possibile esset et liberum per voluntariam devotionem promereri gratiæ largitatem.

CAP. XI. *Omnes in peccato natos, a salute alienos esse, nisi in Christo renascantur.* — Verum istam damnati dogmatis portionem catholicæ mentes facile intelligunt, et merito detestantur. Dicente enim Domino Jesu : *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus; non enim veni vocare justos, sed peccatores* (*Luc.* V, 31) : convincuntur isti in superbia etiam sine voce clamare : Sani sumus, opus medico non habemus; quæ nobis exspectanda sunt præsidia de ope gratiæ, qui-

[a] Editio Prosp., *sit fons.*

[b] Vulg. corrupte : *Non enim.* Nostri codd. emendationem præbuere.

[c] Sic Quesn. probe correxit, cum in editis et nostris etiam mss. mendose legatur, *et propria.*

[d] Ita nostri codd. et editi Prosperi. Quesn., *ut inde.*

[e] Antiquæ edit. Prosp., *innumerabilia.* Emendationem Quesn. nostri codices approbant.

[f] Carpit hunc locum Quesnellus dissert. 4, c. 6, n. 5, ac si Auctor romanæ sedis gloriam elaturus, eidem tribuat, quod Africanis Prosper asserit. Sed quo sensu et quam vere Auctor scripserit, ex ipsomet Prospero demonstrabimus in observ. ad citatam dissertationem num. 8 et seqq.

[g] Ita cum Quesn. nostri codd. In postrema edit. Prosperi, *quosdam.*

[h] Sic iidem mss. libri. Editi, *tamen.*

[i] His postillam Quesnellus affixit : *Pelagianorum reliquiæ Semipelagiani*, ac si ad Semipelagianos sequentia pertineant. Sed hæc spectare ad quosdam occultos Pelagianos ostendemus pluribus in observ. ad dissert. 2, n. 4.

bus suppetunt vires de incolumitate naturæ? Non autem frustra Joannes protestatur et dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Nec frustra scriptum est: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus unius diei vita est super terram* (*Job* XIV, 4, *juxta LXX*); et: *Quis poterit facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es* (*Ibid. juxta Vulg.*)? Propter quod, sicut nunc in Ecclesia manet constitutio Salvatoris dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5); ita sacratissime erat in lege præcautum ut natus puer, nisi die circumcideretur octavo, exterminaretur anima ejus de populo suo (*Gen.* XVII, 14), nullum in hæreditate Israel habitura consortium. Quæ omnia, et multo plura documenta, non tanta cura sacris paginis Spiritus sanctus inseruisset, si talis esset natura in filiis Adam, qualis in ipso est principaliter instituta. **271** Sed quia Filius Dei venit ut solveret opera diaboli (I *Joan.* III, 8), et ut quæreret ac salvaret quod perierat (*Luc.* XIX, 10), manifestum est omnes in Adam damnationi obnoxios esse nascendo, nisi in Christo liberati fuerint renascendo. Unde vigilanter nobis considerandum est in ipso regenerationis munere quid geratur. Quamvis enim ad unum concurrant omnes ejusdem mysterii portiones, aliud tamen est quod visibiliter agitur, aliud quod invisibiliter celebratur; nec idem est in sacramento forma, quod virtus, cum forma [a] humani ministerii adhibeatur obsequio, virtus autem per divini operis præstetur effectum; ad cujus utique potentiam referendum est quod dum homo exterior abluitur, mutatur interior; et fit nova creatura de veteri, vasa iræ in vasa misericordiæ transferuntur, et in corpus Christi convertitur caro peccati; de impiis justi, de captivis liberi, de filiis hominum fiunt filii Dei, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis; sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 13). Quod quia indubitanter accepimus, verissimum est quod Apostolus docet, dicens: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14). Unde videant cujus se haberi filios velint, qui definierint omnes homines voluntate propria regi, cum idem Apostolus protestetur et dicat: *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9).

CAP. XII. *In solo Deo esse gloriandum, a quo omnis virtus, gloria et sapientia est.* — Refutata igitur superborum impia vanitate, quibus in peccatum etiam illa quæ in eis videntur laudanda vertuntur, nos illam humilitatem [b] cui virtus et gloria Deus est eligamus, scientes prophetam David cecinisse de sanctis: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in tua justitia exaltabuntur: quoniam gloria virtutis eorum tu es* (*Psal.* LXXXVIII, 17). Qui et alibi piissime confitetur Dominum in sanctis suis esse laudandum, dicens: *Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ* (*Psal.* LXVII, 36). [c] Huic etiam Jeremias concordat et dicit: *Hæc dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere et scire quia ego sum Dominus* (*Jerem.* IX, 23, 24). Ipse vero intellectus et scientia unde habeantur, pandunt Proverbia Salomonis, et dicunt: *Quoniam* **272** *Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus* (*Prov.* II, 6). [d] Et in Ecclesiaste libro ipsius legimus quod et corda et opera justorum in manu Dei sint, et tantum in studiis suis proficiant, quantum eos ille provexerit. *Quantumcumque*, inquit, *laboraverit homo ut quærat non inveniet. Et quodcumque* [e] *dixerit sapiens ut sciat, non potest invenire, quia universum hoc vidit cor meum, quia justi et sapientes, et operationes eorum in manu Dei* (*Eccle.* VIII, 17; IX, 1). Tale est quod Apostolus prædicat, dicens omne verbum bonum et omne opus sanctum [f] donum esse Spiritus sancti, sine quo nihil recte agatur. *Ideo*, inquit, *notum vobis facio quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu, et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero sunt gratiarum, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu;* [g] *alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I *Cor.* XII, 3).

CAP. XIII. *Sine Christi operantis in nobis auxilio nihil boni nos agere; nec ita auferri liberum arbitrium, sed juvari.* — Sunt et alia innumerabilia testimonia quæ ex paginis et novi et veteris Testamenti quadam conclamatione confirment hanc esse veræ humilitatis excellentissimam dignitatem, ut omnia quæ hominem faciunt christianum ad divinæ gratiæ donum referantur. Sed tantam multitudinem sententiarum in unum congerere immodicum fuit, præsertim cum mihi sermo esset ad sanctimoniam tuam, cui ex formula eorum quæ commemoravimus omnia se aut recordanti offerent aut legenti, licet quædam etiam brevissima tantæ sint plenitudinis, tantæque virtutis, ut nullo adversantis ingenio possint in sensum alium detorqueri.

[a] Editi cum uno nostro cod. Vat. addunt *cum*. Melius delevimus auctoritate alterius ms.

[b] Ita Quesn. et novissimus editor Prosperi. Vulg. anteriores cum recentiori ms. Vat., *cui virtus et gloria Dei est*. Alius cod. Vat., *cui virtus est gloria Dei*.

[c] Editi, *Hinc etiam*. Nostrorum codicum lectio melior.

[d] Vulg., *Unde in Ecclesiastæ libro*, vel *in Ecclesiaste*. Nostros cod. Vat. prætulimus.

[e] Iidem codd., *dilexerit*.

[f] Cum in anterioribus editis haberetur *donum est*, Quesnellus, omissa voce *donum*, ex *est* scripsit *esse*. Nostri codd. veram integramque lectionem dedere.

[g] Sic iidem mss. libri Vat. Editi, *alteri*

Nam quæ contradictio admitti potest in eo quod ipsa Veritas discipulis suis per Evangelium Joannis dixisse narratur : *Sicut palmes*, inquit, *non potest facere fructum nisi manserit in vite, sic nec vos*, **273** *nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum, quia sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 4, 5). Nonne convincitur palmes elatus quod omni fertilitate vacuatur, si vitis ubertate non alitur? Quis enim sine auxilio gratiæ fructum potest afferre justitiæ, aut quis audet dicere se a Christo non dividi, qui Christum in se diffitetur operari? An forte verendum est ne liberum tollere videamur arbitrium, cum omnia per quæ propitiatur Deus ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens [a] luce veritatis ostenditur : operante enim Spiritu Dei juvatur arbitrium, non aufertur : et hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserentis medici curata revalescat, et gaudeat se non interrogantem edoctam, et non quærentem esse quæsitam, quia impletur quotidie quod Isaias propheta prædixit : *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt intelligent* (*Isa.* LII, 15). Quomodo autem hoc fiat Joannes docet dicens : *Scimus quia ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est; et scimus quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus* (*Joan.* v, 19, 20). Quod utique nunc [b] quoque eadem potentia Dominus indesinenter operatur, qui ait : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20).

CAP. XIV. *In nullo gratiæ operationem ab humana voluntate præveniri.* — Ut ergo misericordiam Dei quærainus, Dei misericordia est qui ait : *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero* (*Rom.* IX, 15). Unde mire per Jeremiam idem Dominus manifestat, quod Dei gratiam nemo præveniat merito suo, sed propter dilectionem qua Deus diligit etiam aversos ad misericordiam trahi. *Dilectione*, inquit, *æterna dilexi te : propterea traxi te ad miserationem, quia ædificabo te, et ædificaberis, virgo Israel* (*Jerem.* XXXI, 3). Cui sententiæ Joannes quoque apostolus congruit dicens : *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos*; et infra : *Nos ergo diligamus, quoniam Deus prior dilexit nos* (I *Joan.* IV, 10, 19). Paulus quoque apostolus in eadem est sententia, dicens in Epist. ad Timoth. II : *Collabora Evangelio secundum virtutem Dei qui nos liberavit et vocavit vocatione* [c] *sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quæ* **274** *data est nobis ante tempora æterna* (II *Tim.* II, 8, 9). Ad Titum etiam scribens, docet nullo bono hominis merito Dei

A gratiam præveniri. *Eramus*, inquit, *et nos insipientes aliquando, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis Spiritus sancti quem effudit abunde in nos per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ* (*Tit.* III, 3-7). Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus alienari quidem non potest a propria hominis voluntate, siquidem nihil recte faciet nisi quod volens egerit; sed ut ad id quod æquum et utile est animi tendat intentio, de illius æternæ et incommutabilis volun-
B tatis inspiratione concipitur. Et sicut arte medici fit in oculis caligantibus, ut possint videre quod non vident, nec tamen non ipsorum est visio quam medicina contulerit, ita in cordibus tardis et hebetibus per Spiritum sanctum acies obducta tergitur, et de vero lumine tenebrosæ jam et deficientes lucernæ lumen accipiunt; nec tamen nisi ipsarum erit quidquid fulgoris acceperint. Unde dicit Dominus : *Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut ardeat* (*Luc.* XII, 49)? Et idem jubet ut lucernæ nostræ sint semper ardentes, ut scilicet superno igne accensus animus non tepescat, sed studeat semper ardere; ac si vigorem ejus aliqua turbarit adversitas, unde cœpit inflammari, inde poscat igniri.

C CAP. XV. *Ideo dari præceptum ut præcipientis quæratur auxilium, cui homo obediendo cooperetur.*—Proinde quia manifestissime et prophetica, et evangelica, et apostolica doctrina, nec superbos nos vult esse, nec desides cooperatores nos esse oportet gratiæ Dei, ut illam excitantem, juvantem, locupletantem et quotidie provehentem, vigilanter et sobrie subsequamur, numquam cessantes ab actione gratiarum, quia inter secunda vitæ istius et adversa, quibus gemina semper tentatione pulsamur, si proficimus, inde alimur; si stamus, inde subsistimus; si recidimus, inde reparamur. Dicit enim Spiritus per prophetam David : *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Non itaque frustra præcipitur ut boni simus, cum **275** dicitur : *Declina a malo, et fac*
D *bonum* (*Psal.* XXXVI, 23, 24, 27). Sed nec frustra per Jeremiam dicit Dominus : *Timorem meum dabo in cor eorum, et visitabo eos ut bonos eos faciam* (*Jerem.* XXXII, 40, 41). Nec superflua erat præceptio Pauli apostoli ad Romanos dicentis : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII, 21); cum Corinthiis dicat : *Oramus autem ad Deum ut nihil mali faciatis* (II *Cor.* XIII, 7). In omnibus enim monitis Dei atque mandatis una eademque ratio est et divinæ gratiæ et humanæ obedientiæ; nec ob aliud unquam

[a] Erat in Vulg., *veritatis ostenditur*, sine vocula *luce*. Quesnellus defectum suspicatus, notavit in postilla : *Videtur hic deesse* VOCE, *aut quid simile*. Unus e nostris codd. supplevit *luce*; alius alia ratione, *veritas ostendit.*

[b] Vox *quoque* addita ex vetustiore cod. Vat.

[c] In eodem ms. posteriori manu voci *sancta* superadditur *sua*.

datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium. Voces enim docentium et litteræ paginarum quæ ad eruditionem audientium vel legentium Deo serviunt, non carent ejus virtute cui serviunt; et quando id quod jubetur [a] obedienter perficitur, tunc effectus divini operis declaratur.

CAP. XVI. *Quantopere cavenda sit in bonis operibus elatio, quæ omnia corrumpit.* — Vigilant autem tentatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, surrepat elatio, et ut homo de bono opere in se potius quam in Domino glorietur. Sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet dicens : *Cum timore et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et operari pro bona voluntate.* (*Philip.* II, 12, 13.) Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis et tremoris : ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi conscia et laudis avida in superbiæ rapiatur excessus, et fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. Sed contra hoc periculum quid beatus Petrus in prima Epistola prædicet audiamus: *Si quis*, inquit, *loquitur tamquam sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in sæcula* (I *Petr.* IV, 11). [b] Idem in Epistola secunda : *Gratia*, inquit, *vobis adimpleatur in recognitione Domini nostri Jesu Christi, qui nunc omnia nobis divina virtute sua, quæ ad vitam et pietatem pertinent, donavit per agnitionem suam, qui vocavit nos propria gloriæ virtute; per quam maxima nobis et pretiosa promissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem* (II *Petr.* I, 2, 4). Si ergo omnia quæ ad vitam et pietatem pertinent Deus nobis divina sua virtute donavit, nihil magis fugiendum est quam appetitus hujus concupiscentiæ, quæ virtutem negat divini operis, amore propriæ dignitatis; **276** et cum aliæ cupiditates ea tantum bona quibus adversantur, imminuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul universa corrumpit. Cum itaque totius superbiæ generale nomen odiosum sit, sive illa de honore suo, seu de nobilitate, vel [c] de immodicis opibus intumescat, hæc pars ipsius omnibus tentationibus nocentior invenitur, quæ videtur iis quas perditas cupit, amica esse virtutibus. Sed quia sublimiora quæque gravius corruunt, gaudet princeps superbiæ, eos quos potuerit sua impulsione prosternere, ad celsiora crevisse.

CAP. XVII. *Per humilitatem homo vere Deo subditur et unitur.* — Huic autem malo firmissimum bonum humilitatis occurrit. Quam ideo diximus veram, quia omnium virtutum inexpugnabilis fortitudo, et quædam suorum est vita membrorum. Discernimus enim illam ab iis officiis quæ potest etiam cum mundi sapientibus habere communia, et in eo proprietatem ipsius definimus, quod per omnia Deo subditur. Nec potest quidquam de meritis suis perdere, quorum causas atque profectus non in se, sed in suo auctore constituit. Dignum quippe est ut imago Dei Deo splendeat, et inde pulchra, inde sit compta, dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV, 7); alioquin adultera est, et a divino aliena conjugio, si alterius cujusquam decorem in speculo sui cordis ostentat, aut ullis aliis monilibus acquiescit ornari, nisi illis quæ de thesauris sponsi per sancti Spiritus pignus accepit.

CAP. XVIII. *Demetriadi magis humilitate opus esse, propter et virginitatis puritatem et familiæ splendorem.* — Si autem quælibet anima Christiana hujus debet continentiæ soliditate muniri, quia omnes nuptiale sacramentum in quocumque vocationis suæ ordine susceperunt, quanto magis personæ tuæ dignitas præsidio hujus virtutis armanda est, cui de opulentissimis gratiæ Dei donis tam multiplex se ingerit materia gloriandi. Quamvis enim communis tibi sit cum multarum virginum puritate virginitas, non tamen facile reperitur quæ possit tibi magnificentia domus et splendore antiquissimæ familiæ comparari. De quibus ut non superbias, nec tibi hoc ipsum, quod eis Christum præposueris, **277** ascribas; [d] ipse est vera humilitas, vera charitas, vera virginitas. Ab omni quippe contaminatione mens libera est, quæ sive in se, sive in proximo nihil diligit, *nisi quod* [e] ex Deo esse non ambigit. Nam amare aliquid quod non ex opere et spiritu Dei sit, non est casta dilectio, et sufficit tentatori sublimes et claras animas hac illusione violasse, ut quas ad illicita non impulit, [f] placendi sibi ad elationem dejecerit.

CAP. XIX. *Sine charitate, quæ non quærit quæ sua sunt, nihil prodesse.* — De hac charitate sine dubio Apostolus loquebatur, et istius proprietatem subtilissimis discretionibus eliquabat dicens : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi pro-*

[a] Prætulimus *obedienter* auctoritate vetustioris cod. Vat. Al., *ab obediente*.

[b] Quesnellus, *Item in Epistola*. Novissima editio Prosp., *Item idem in Epistola*. Cod. Vat. 262, *Idem ipse in Epistola*. Vetustioris mss. lectionem adoptavimus.

[c] Particulam *de* ex mss. et ex edit. novissima Prosp. inseruimus.

[d] Vulg., *ipsa*. Prætulimus lectionem mss. Vat. 268, quæ æquissima quidem videtur, et sequentibus etiam congruentior.

[e] Ita ex eodem cod. Editi, *ex Deo esse novit*. Alius cod. 262, pro *non ambigit* habet *novum didicit*; ubi forte *natum* scribendum fuit.

[f] Editi ante Quesn., *placendo sibi ad elationem*. Quesn. ex arbitrio emendavit *de elatione*. Utrique nostri codd., *placendi sibi*; sed unus *ad elationem*, alius *adulationem*, quod pro *ad elationem* errore librarii scriptum videtur. Id autem prætulimus.

dest (I *Cor.* XIII, 1-3). In quarum definitionum formula multo laboraremus obscuro, nisi sequentia demonstrarent quæ esset species istius charitatis, cui soli tot operum labores, tot virtutum merita [a] non perirent. Esto enim ut multiplex loquendi peritia, quæ non solum ad omnem [b] humanæ facundiæ artem, sed etiam ad angelici eloquii pervenerit facultatem, si charitate careat, inutili æris sono et tinnitui sit comparabilis cymbalorum : esto ut habens prophetiam et scientiam, habens fidem dæmonibus imperantem, nihil sit, quia charitate sit vacuus; [c] verum ut etiam ille ab hac esse possit alienus, qui in alimoniam pauperum suas distribuerit facultates, vel qui corpus suum igne torrendum pro Christi confessione tradiderit, incredibile videretur, nisi beatus Paulus hoc diceret. Qui tamen cum ejusdem charitatis B membra describeret, doceretque qualis esset hæc virtus, sine qua nullæ possint prodesse virtutes: **278** *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt* (I *Cor.* XIII, 4, 5), et reliqua.

CAP. XX. *Vanam proprii meriti gloriam omni esse peccato nocentiorem.* — Inflatio ergo et ambitio, et propriorum bonorum superba defensio possunt destruere eleemosynas, possunt evacuare martyria; si et magnas opes amore quis humanæ laudis effundat, et sæva supplicia, non ea fortitudine quam Deus tribuit, sed ea quam de se præsumpsit excipiat. Hoc est enim propria fiducia inflari, hoc vanam gloriam quibuslibet ambire dispendiis, hoc postremo est nolle C habere quæ Dei sunt, et ibi suum constituere meritum, ubi divinum cessarit auxilium. Hæc superbia omni peccato nocentior, omni genere est elationis [d] insanior. A quibuslibet enim lapsibus delictorum facile surgitur, quando opem a reparatore suo poscit elisus. Huic autem ruinæ nihil subvenit, quia aut difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut etiam si intellexerit, non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur; nec umquam ibi proficit cura, ubi morbus est ipsa medicina.

CAP. XXI. *Superbiæ virus sola humilitate et charitate, quæ se invicem complectuntur, excludi.* — [e] Hunc autem corruptissimum pestilentiæ istius statum spiritus veræ humilitatis et veræ charitatis excludit; in nullo enim hæ virtutes ab invicem dividuntur, et D ambarum tam indiscreta connexio est, ut qui in una

A earum construitur, simul utraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas. Et si illa recolamus quæ sine bono charitatis infructuosa esse Apostolus definivit, inveniemus eadem similem habere [f] qualitatem, si eis humilitas vera defuerit. **279** Quem enim fructum habebit, aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cum jactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Unde quia in [g] destructionem superbiæ, et humilitas tendit et charitas, de utraque habeatur dictum quidquid de una est disputatum.

CAP. XXII. *Nihil boni esse a nobis quando nec ipsa recta oratio.* — Superest nunc, sacratissima Dei virgo, ut sobrio castoque judicio sancti cordis tui [h] arcana discutias, et aculeo totius elationis obtrito, investiges in te atque dinumeres quæ et qualia tibi sponsus tuus dona contulerit; quæ a me non oportuit recenseri, ne aut plura contexerem, aut pauciora percurrerem. Verecundiæ enim tuæ onerosa foret etiam vera laudatio, et ipse contra disputationem meam facerem, si cui ab humana gloria continentiam suasissem, ad eamdem te tuis præconiis incitarem. Ipsa ergo aulam tuæ mentis ingredere : et in secretario purissimæ conscientiæ tuæ, qualia tibi reposita sint ornamenta circumspice : et quidquid ibi splendidum, quidquid pulchrum pretiosumque repereris, divini operis et muneris esse ne dubites, ita ut in omnibus bonis opulentiæ tuæ, et gratiam donatoris, et jus proprietatis agnoscas. Accepisti enim quæ habes, et quidquid tibi diligentia tui laboris accrevit, per ipsum tibi est auctum, per quem fuerat inchoatum. Itaque utendum tibi est [i] his quæ largitus est Deus : et ab eodem semper est petendum ut donis ejus fideliter et scienter utaris. Quid enim nobis boni potest esse sine ipso; quandoquidem etiam ut recte oremus, ex ipso est, dicente Apostolo : *Nam quid oremus sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda scit quid desideret Spiritus, quoniam secundum Deum postulat pro sanctis* (*Rom.* VIII, 26, 27). Et ne dubium esset de quo spiritu loqueretur, jam supra dixerat : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. Itaque ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quoniam sumus filii Dei. Si autem filii, et* **280** *hæredes, hæ-*

[a] Edit. Duac. et Colon. Prosperi, *non præirent.*

[b] Ita edit. Prosperi. Al., *humanam.*

[c] Quesn. addit vocem *verum*, quæ et in nostris mss. et in editis deest. Eam nihilominus sensui fere necessariam cum novissimo Prosperi editore retinuimus.

[d] Forte, *insanabilior.* QUESN. — Post pauca unus Vat. ms. cod., *opem reparatoris sui;* alius, *opem reparatori suo.*

[e] Quesn., *Hinc autem;* et dein cum cæteris editis, *ipsius flatum.* Nostri codd. meliorem lectionem dedere.

[f] Cum in editis esset *charitatem*, Quesnellus *vanitatem* substituit; et hanc notam subjecit : « In omnibus codicibus excusis legitur, *charitatem;* quod quam a mente auctoris alienum sit nemo non videt. Aliquis in margine hujus loci tomo III Opusculorum de Gratia, Lovanii an. 1648 editorum, scripsit *veritatem;* quod etsi sensum aliquem efficere queat, censeo tamen commodius aptiusque *vanitatem*, vel *inutilitatem*, aut aliam ejusdem energiæ vocem substitui debere, ut ex contextus serie quisque intelliget. » Hæc ille. Omnem autem difficultatem submoverunt nostri codd., qui *qualitatem* congruenter exhibent.

[g] Editi habebant *in districtione.* Quesn. emendandum putavit *in districtionem.* Nostri codd. Vat. melius.

[h] Editi, *arcam;* male. Emendatum ex mss. Vat.

[i] Sic iidem codd. Al., *eis.*

redes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut [a] *et conglorificemur* (*Rom.* VIII, 15-17).

CAP. XXIII. *Omnem rectum affectum, cogitatum et sermonem nostrum esse a Deo.* — Implet igitur Spiritus sanctus organum suum, et tamquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum. Qui ideo cum die Pentecostes in apostolos plebemque credentium, sicut a Domino fuerat promissus, influeret, in specie linguarum apparuit ignearum, et loquelis omnium nationum eos super quos insederat fecit effari; ut dubium non esset per ipsius inspirationem, utilem affectum, rationabilem sermonem animis fidelium ministrari; sicut ipse Dominus discipulis suis insinuavit et dixit : *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis.* (*Matth.* X, 19.) Quod [b] ne in solo magnarum tribulationum tempore credamus fieri, non autem in pace præstari, audiamus Apostolum definientem quod ipsæ quoque cogitationes nostræ, nisi a Deo nobis insitæ fuerint, rectæ esse non possint. *Fiduciam*, inquit, *talem habemus per Christum ad Deum; non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II *Cor.* III, 4, 5).

CAP. XXIV. *Quidquid virtutis et charitatis sancti habent in hac vita, a Deo habent : quoniam et in cœlo quidquid habituri sunt, ab illo erit; ab eo portio a quo erit plenitudo.* — Unde cum sanctorum animis ex Deo sit [c] utilis meditatio, justa petitio, efficax actio, ex Deo sit in fide firmitas, in tribulatione patientia, in persecutione victoria, magna est in vera humilitate felicitas, cui Deus dilectio, Deus sapientia, Deus consilium, Deus fortitudo est. Nec dubie ista subjectio jam ex magna parte in illius futuræ beatitudinis est constituta consortio, ubi *Deus erit omnia in omnibus* (I *Cor.* XV, 28); **281** quod ideo in hac vita ad plenum non potest obtineri, quia nondum mortale nostrum induit immortalitatem, nec corruptio transiit in incorruptionem; caro adhuc contra spiritum, et contra carnem spiritus concupiscit; nec invenitur in ullo hominum tanta concordia, ut legi mentis lex quæ membris est insita non repugnet. Propter quod ex omnium sanctorum persona accipitur quod Joannes apostolus ait : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Cum tamen idem ipse dicat : *Qui natus est ex Deo peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* (I *Joan.* III, 9). Utrumque ergo verum est, quia et nemo sine peccato est, in eo quod nemo est sine lege peccati; et qui natus [d] est ex Deo, peccatum non facit : quia per legem mentis, id est per charitatem quæ Dei semen est, peccatum **282** non facit. *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum* (I *Petr.* IV, 8); et [e] sine ea nullum prodest bonum, per quam deletur omne peccatum. Dum igitur *corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15), non quidem obtinetur ut jam [f] omnia in omnibus Deus sit, quia nullus est sine tentationis stimulo et sine mutabilitatis incerto : sed quia *omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17), sine dubio inde habetur virtutum omnium portio, unde habebitur plenitudo; et tanto quisque est beatior, Deoque conjunctior, quanto plus in eo fuerit divinæ gratiæ quam actionis humanæ. *Benedic* itaque *Domino in omni tempore, et laus ejus in tuo ore sit semper* (*Psal.* XXXIII, 1); anima autem tua non acquiescat nisi in Domino laudari. Superbi quidem refragabuntur, sed mansueti hæc [g] audient, et lætabuntur (*Ibid.*, 3).

[a] Conjunctio *et* ex nostris mss. addita.

[b] Ita ex Vat. 268. Alius Vat. 262, *ut non in solo.* Dein ex eodem Vat. 268 *non autem* scripsimus, pro quo editi habebant cum alio Vat., *sed etiam.* Sub finem capitis Quesnellus, *sic quasi ex nobis.* Delevimus autem *sic* ope nostrorum codd. et edit. Prosperi.

[c] « In aliis omnibus hujus epistolæ editionibus pro *utilis* legebatur *ut illis;* quæ adeo levis immutatio cum vitiosa interpunctione totum sensum tam egregiæ sententiæ subvertebat. Etsi porro ex sola conjectura eam restituimus, nihilo tamen minus de emendatione securi sumus. Ne quis tamen surreptam sibi antiquam lectionem queratur, en eam repræsentamus : *Unde cum sanctorum animis ex Deo sit ut illis meditatio justa, petitio efficax, actio ex Deo sit, in fide firmitas,* etc. » QUESN.

[d] Verbum *est* a Quesnello deletum ex nostris codd. et Prosperi editis revocavimus.

[e] Editi, *sine qua*, et postea, *per quam;* quod cum careret sensu, Quesnellus, retentis vocibus *sine qua*, correxit *per hanc.* Sed potius retinendas voces *per quam* et emendandum *sine ea* unus præstantior noster codex Vat. docuit.

[f] Mendose legebatur in vulgatis, *anima.* Quesnelli emendationem *omnia* probant nostri codd.

[g] Unus cod. Vat., *audiant et lætentur.*

ADMONITIO IN SEQUENS BREVIARIUM.

1. Sequens opusculum Leoni nostro inscriptum his verbis, *Disputatio sanctissimi Leonis papæ in hæreticos*, cum nobis instantibus in Ambrosiana bibliotheca ejusdem Opera quærerentur, inventum fuit in ms. codice signato litt. I, num. 119, cumque crederetur ineditum, ejusdem exemplar diligenter transcriptum ad nos transmissum fuit. Hoc idem opusculum in eadem bibliotheca contentum cum eodem titulo memorat Ludovicus Muratorius tom. II Antiquit. medii ævi dissert. 44, pag. 928, ubi tamen indicans codicem signatum litt. P et num. 154, diversum exemplar videtur innuere, nisi forte hæ notæ deinceps mutatæ fuerint. Ipse quoque haud impressum opusculum credidit; utrum autem Leonis sit dubium reliquit. Idem opusculum cum Leonis pariter nomine invenimus in vetusto ms. Patavino Patrum Eremitanorum SS. Philippi et Jacobi aliquot S. Cypriani Operibus subjectum, et adjuvante P. Mag. Antonio Manentio conferre etiam potuimus. Ibi autem hæc inscriptio legitur : *Breviarium papæ Leonis adversus hæreticos sive schismaticos.*

2. Cum eodem *Breviarii* titulo, sed sine auctoris nomine hunc eumdem tractatum una cum Leonis Operibus olim repererat P. Jacobus Sirmondus in duobus codicibus Corbeiensi et Pithœano hanc illi inscriptio-

nem præfigentibus: *Breviarium adversus Arianos*, aut *Breviarium adversus hæreticos*; editus autem fuit ab eodem, et legitur tom. I Oper. var. pag. 224, ac exinde tom. VII Biblioth. Patrum pag. 8. Titulus vero a Sirmondo præfixus est hujusmodi: *Breviarium fidei adversus Arianos hæreticos, in quo trium divinarum personarum æqualitas plurimis Scripturæ sacræ locis et argumentis liquido comprobatur, auctore incerto, sed antiquissimo.* Licet autem incertum auctorem protulerit, eo quod in duobus laudatis codicibus nullus auctor nominetur, cum tamen hoc Breviarium, inquit in præfatione, *Leonis Operibus utroque in codice intextum sit, ævoque non impar videatur, veniebat in mentem haud abs re Breviarium fidei credi posse, quod a Juliano Coensi episcopo missum, Leo papa nondum ad se pervenisse significat epist.* 60 (nunc 113), *ab eoque, quisquis est auctor, mutuatos videri tum Eugenium Carthaginensem in Ratione fidei, quam suo collegarumque nomine obtulit Hunerico regi, tum Idatium in libro adversus Varimadum Arianum.*

3. Quesnellus not. 2 in laudatam epistolam 113, hujc conjectationi et opinioni Sirmondi refragatur, et jure quidem, ut ex eadem notatione liquebit. Breviarium quidem fidei a Juliano Coensi ad Leonem papam missum cum ibidem recte statuatur non fuisse aliud nisi ipsam definitionem fidei editam in concilio Chalcedonensi, quæ *Tractatus fidei* alibi pluries vocatur, ab hoc opusculo plane diversum agnoscitur. Neque in Oriente pro Orientali Ecclesia scriptum videtur, sed in Occidente pro iis Occidentis partibus in quibus Ariani dominabantur, ac baptisma iterabant, quod in illis postremo opusculi capite reprehenditur. Id autem Arianis Orientis, quod sciamus, non congruit; sed Africanis vel Hispanis, qui sub Vandalis vel sub Gothis baptismum iterasse traduntur. Quoad Africanos, id cum Leonis ævo maxime congruit. Auctor enim libri *de Promissionibus et Prædictionibus*, qui fuit Afer, scripsitque vivente Valentiniano III ante an. 455, loquens de his hæreticis ait: *Pugnat* (Arianus) *exsufflando et rebaptizando membra agni, quæ jam Christus suo sanguine sacraverat.*

4. Addemus vero observationem non levem. In nostro Breviario num. 24 habetur: *Sicut panem jam semel coctum si aliquis remittat in aquam, et velit recommiscere et coquere, perdet pristinam dignitatem, et in nigredinem terramque convertitur; sic talis efficitur quicumque in se permittit baptismum iterari.* Cum hæc eadem similitudo eodem consilio et argumento Genserico Ariano objecta fuerit a Sebastiano Comite viro catholico apud Victorem Vitensem lib. I de Persec. Vandalica, nonnulli dubitant num his Sebastianus hanc similitudinem ex nostro Breviario jam apud Africanos vulgato didicerit. Sed Victor Vitensis eumdem Comitem ejusdem similitudinis et argumenti palam tradit auctorem. *Cui* (Genserico), inquit, *Sebastianus rem inveniens miram multisque necessariam, pro tempore acute respondit* (*Vid. Tillem. Vit. Eug. art.* 12, *t.* XVI). Integrum textum recitabimus suo loco annot. 55 (*Infra, col.* 00, *n.* *). Hinc autem verisimilius videtur nostri Breviarii auctorem ex Sebastiani Comitis responso apud Afros celebri, quippe quod nec Gensericus, nec alii Ariani potuerunt solvere, hoc argumentum sumpsisse. Sebastiani Comitis factum contigit circa annum 449, ac propterea in laudata hypothesi Breviarium paulo post ab Africano scriptum dici deberet adversus Arianos Africam occupantes; quod cum Leonis pontificatu ac posterioribus ejus annis concurrere potuit.

5. Chifletius in præfatione ad Ferrandum diaconum scribit se hoc Breviarium fidei Alcuino diacono ascriptum reperisse in cod. ms. Carthusiæ Portarum. At huic auctori, quem tres libros de Trinitate edidisse certum est, hoc opusculum adjudicari nequit, tum quod ab ejus stylo alienissimum est, tum quod rebaptizatio ab Arianis usurpata Alcuini ætati non convenit; sicut nec convenit interpretatio vetus nonnullorum locorum sacræ Scripturæ, quæ in eodem opusculo adhibetur.

6. Cum porro Leoni nostro in duobus vel tribus mss. exemplaribus inscribatur, et in duobus aliis a Sirmondo inventis inter ejusdem pontificis Opera fuerit insertum, etsi ob manifestum scriptionis discrimen ipsi pontifici attribui non posse videatur, aliquid tamen fortassis habuit cum eodem conjunctum, quod ad nostram notitiam non pervenerit; ac propterea non immerito in hac appendice haud prætermittendum credidimus.

BREVIARIUM ADVERSUS ARIANOS.

Jam hoc Breviarium *edidimus tomo nostro* XIII, *col.* 653, *ubi videsis.* EDIT.

ADMONITIO IN OPERA SEQUENTIA.

Quesnellus *Vitæ* et *Opusculis* S. Hilarii Arelatensis, quæ a Leonis Operibus non disjungenda credidit, hanc præfatiunculam præfixit.

« Tantus est Leonem inter et Hilarium ætatis, ingenii, eloquentiæ, dignitatis, rerumque actarum nexus, ut hujus Vitam et Opuscula illius scriptis appendi necessitas pene fuerit. Necessitatem auxit, saltem quoad Hilarii Vitam, et infinitus prope mendorum, quibus scatet, numerus, et exemplarium penuria. Quod Vitam hanc attinet, in ms. codice Arelatensi, quem clarissimus vir D. Saxius Arelatensis Ecclesiæ canonicus nobiscum pro sua humanitate communicavit, illius auctor dicitur Reverentius Hilarii successor. Nullus est porro hujus nominis successor Hilarii; qui vero in ejus locum proxime suffectus, Ravennius est, quem Vitæ hujus auctorem non esse Vita ipsa clamat. Præterea vix dubitandum quin hæc ipsa sit Vita quam ab Honorato Massiliensis Ecclesiæ episcopo Hilarii alumno scriptam esse, testis est Gennadius in Catalogo illustrium virorum cap. ult., quod et ipsa Vita suggerit, ex qua constat ejus auctorem exsequiis Hilarii interfuisse. *Sanctorum*, inquit Gennadius, *Patrum Vitas ad ædificationem posterorum coaptat ipse* (Honoratus) *legendas, præcipue nutritoris* (legisse Barralis videtur *meritoris*), *sui sancti Hilarii Arelatensis episcopi.* Hanc periisse putat Philippus Labbeus in dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis, quia eam distinguit ab ea Hilarii vita quam Chronologiæ Lirinensi inseruit Barralis, et quæ apud Surium exstat. At illa Barraliana Hilarii Vita non alia est quam quæ ab Honorato scripta, ut optime conjecerat Barralis ipse, qui ex membrano, ut ait, perantiquo ms. monasterii Lirinensis eam edidit. Crediderim ego Reverentium illum, cui Vitæ scriptum tribuit codex Arelatensis, alium non esse ab Honorato, qui servata nominis sui significatione sub Reverentii nomine latitare voluerit: honor quippe et reverentia idem sonant. Favent conjecturæ plurium scriptorum ejusdem ævi exemplum, qui vel tacito nomine proprio, vel etiam sub alieno, tractatus varios emiserunt. Opuscula alia *aliqua et parva* Hilarius, ut habet Gennadius, *edidit, quæ eruditæ animæ et fidelis linguæ indicio sunt, in quibus præcipua et ad multorum utilitatem necessaria opera Vitam S. Honorati decessoris sui composuit.* Hanc nos ad

codicem ms. Arelatensem, et ad Bollandianam editionem, relectam damus; cui adjicimus Metrum in Genesim Leoni PP. nuncupatum, et perbrevem epistolam ad Eucherium Lugdunensem episcopum scriptam. Narrationem de miraculis S. Genesii, quæ apud Surium Hilarii nomine decorata legitur, abhorret ab ejus facundia, stylumque potius redolet Honorati Massiliensis, quem et testatur Gennadius plura ad Vitas SS. Patrum pertinentia scripsisse. Homilias pene infinitas ab Hilario dictas scribit Trithemius, quarum plures forsan inter Eusebianas seu Eucherianas delitescunt. Sed his discernendis nec vacamus, nec sufficimus. Aliquot alia enumerat Vitæ ejus scriptor cap. 11: *Gratia ejus*, inquit, *ex his operibus quæ eodem dicendi impetu concepit, genuit, ornavit, protulit, potest absque hæsitatione dignosci; Vita scilicet antistitis Honorati, homiliæ in totius anni festivitatibus expeditæ, Symboli expositio ambienda; epistolarum vero tantus numerus; versus etiam fontis ardentis.* Nonnulla etiam sæcularis eruditionis scripta ejus indicant hæc capitis 1 verba: *Inexhaustum facundiæ fontem, philosophicorum dogmatum interiorem veramque doctrinam præclara posteris tradita ejus eloquio monumenta testantur.* Ex tot tamque præclaris sancti et facundi præsulis lucubrationibus nihil præter paucula hæc ad nos usque pervenisse et miramur et dolemus. Saltem his, et quidem longe quam antea emendatioribus utere, lector, et vale. » Hactenus Quesnellus.

Quid autem circa hæc nobis videatur, quidve novi huic editioni per nos accesserit, ex duabus admonitionibus, quarum alteram sancti Hilarii Vitæ, alteram ejus Opusculis præmittemus, quisque cognoscet.

SANCTI HILARII

EPISCOPI ARELATENSIS

VITA ET OPUSCULA.

Transtulimus hæc opuscula ad suum peculiarem locum tomo nostro L, *ubi videsis.* EDIT.

PASCHASII QUESNELLI

DISSERTATIONES IN S. LEONIS MAGNI OPERA

CUM ANNOTATIONIBUS ET OBSERVATIONIBUS CRITICIS BALLERINIORUM IN EASDEM.

ADMONITIO IN PRIMAM QUESNELLI DISSERTATIONEM.

Sequentem dissertationem de Vita et rebus gestis S. Leonis omisissemus libentius, et novam ac exactam ejusdem pontificis Vitam facilius digessissemus. Alia enim ab eo omissa sunt quæ maxime notanda videntur; alia non admodum accurate juxta chronologicum ordinem exposita, confusionem pariunt. Quædam conjectationibus non satis firmis extulit, et nonnulla suis præjudiciis indulgens, perperam distraxit. Adde quod aliquot lectiones et chronicæ notæ emendatæ, aliquot epistolæ hactenus ineditæ, aliquot etiam documenta post Quesnellum vulgata novam lucem attulere, ex quibus non pauca vel emendanda vel adjicienda sunt. Hæc omnia incommoda novæ Vitæ conscriptione facile declinari poterant. At cum ex instituti nostri ratione omnia quæ Quesnellus suæ editioni inseruit, nobis recudenda sint, primam ejus dissertationem edere coacti, ne eamdem vitam bis repeteremus, a nova Vita lucubranda omnino abstinendum credidimus. Quesnellianos autem defectus in annotationibus indicantes, eisdem, ut fieri poterit, remedium aliquod afferemus; speramusque fore ut æqui lectores necessitati qua astringimur condonaturi sint, si in hoc nostro profecto graviori labore non eam S. pontificis Vitam commodius digestam inveniant, quam ex mente nostra exhibendam crederemus.

DISSERTATIO PRIMA

De Vita et rebus gestis S. Leonis Magni Ecclesiæ Romanæ episcopi; in qua servato annorum ordine cum præclare ab eo gesta, tum scripta ejus singula recensentur.

399 I. Sanctus Leo pontifex Romanus hujus nominis primus, (a) in Tuscia natus esse dicitur ab auctore libri Pontificum Romanorum, quem secuti sunt plerique alii Historiæ Pontificum Urbis scriptores. Romanum tamen ut fuisse credam, antiquioris melliorisque notæ scriptoris testimonio adducor. Prosper enim Leoni æqualis et familiaris, cum ejus narrat A electionem: *Igitur Leo*, inquit, *legatione publica accitus, et gaudenti* PATRIÆ *præsentatus, quadragesimus septimus Romanæ Ecclesiæ episcopus ordinatur.* Roma igitur Leonis patria fuit, teste Prospero. Sed quid aliena conquirimus testimonia, qui Leonem ipsum hoc de se clarissime profitentem habemus? In epistola enim 27 (*nunc* 31), cap. 4, excusans se quod

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Volaterani inter Tuscos hunc pontificem civem suum volunt, sed nullo documento probant. Vide Bolland. die 11 Aprilis pag. 16, § 2.

Ephesino concilio secundo præsentiam suam non exhiberet, quod in votis habuerat Theodosius imperator, hanc rationem affert: *Quia rerum præsentium nimis incerta conditio a* TANTÆ URBIS *populis me abesse non sineret, et in desperationem quamdam animi tumultuantium mitterentur, si pro occasione causæ ecclesiasticæ viderer* PATRIAM *et sedem apostolicam velle deserere.* Clara sunt verba, nec interprete indigent. Neque obstat penitus Anastasii seu libri Pontificalis testimonium. Etsi enim vulgati codices Leonem natione Tuscum asserant, at duo codices mss., Regius et Mazarinus, ex quibus variæ lectiones excerptæ ad calcem Regiæ editionis editæ sunt, Leonem *natione Romanum* inscriptum habent; quod et in recentioribus etiam scriptoribus legere me memini. Quarti denique argumenti loco sit, quod inferius dicturi sumus: Leonem scilicet in sinu Romanæ Ecclesiæ educatum et **400** baptizatum, etiam a teneris Sixto presbytero adhæsisse, et in Ecclesia Romana inferioribus ministeriis esse defunctum; ut probabile sit patrem quidem Leonis Quintianum in Tuscia natum, Leonem vero ipsum, patre in urbem Romam sedem laresque transferente, ibidem esse progenitum.

II. De anno ejus natali in antiquis Ecclesiæ monumentis nihil scriptum reperi; nec quidquam certi conjicere licet ex iis quæ de ejus vita nobis supersunt, neque ex ætate qua decessit, quamdiu enim vixerit pariter incertum; tametsi certum non modo illi vitam gloriosam, sed et longam contigisse. Quando enim ad pontificatum assumptus est, jam longa rerum negotiorumque experientia et ætate maturum fuisse oportet, qui tum in Galliis versabatur, ut dissidentes duces Romani exercitus ad concordiam revocaret; immo et multo ante Cœlestino papæ in ecclesiasticarum rerum administratione operam suam navabat. Huc accedit quod complures annos gessit pontificatum.

De suscepto a Leone nostro baptismate occurrit memoria apud Vigilium Tapsensem episcopum initio quarti contra Eutychen libri, seu defensionis epistolæ S. Leonis ad Flavianum CP. Calumnianti enim Eutychianistæ, qui Leonem suggillabat, eo quod verba Symboli referens dixerat fideles *credere in Deum Patrem*, non dixerat, *in unum Deum Patrem*, juxta Nicæni concilii decretum, ita respondet Vigilius: *Sed Romæ et antequam Nicæna synodus conveniret, a temporibus apostolorum usque ad nunc, et sub beatæ memoriæ Cœlestino, cui iste rectæ fidei testimonio reddidit, ita fidelibus Symbolum traditur.* Non dubitem asserere hunc Vigilii locum intelligendum esse de redditione Symboli quæ baptismo præmitti consueverat, vel ipso Leone teste. *Quod,* inquit epist. 24 (*nunc* 28), c. 1, *per* **401** *totum mundum omnium regenerandorum voce depromitur:* et epist. 97 (*nunc* 124), c. 8: *Obliti Symboli salutaris et confessionis quam pronuntiantes coram multis testibus sacramentum baptismi suscepistis.* Sed scrupulum injicit quod asserere videtur Leonem a Cœlestino papa esse baptizatum; quod verum esse non potest, cum et jam sub Zosimo papa acolythus fuerit, ut ex conjectura inferius dicturi sumus, et (quod certissimum est) archidiaconi munere fungeretur circa annum 430, eodem Cœlestino pontifice; ad quem gradum vix septennio post baptismum elapso evectum esse, haud scio an cuiquam probabile videri possit. Vel igitur allucinatus est Vigilius, vel dicendum hoc unum voluisse Vigilium, non a Cœlestino jam pontifice baptizatum Leonem, sed hunc Symbolum reddidisse Cœlestino tunc presbytero Innocentii papæ, vel ab eo etiam presbytero baptizatum; ex Innocentii enim ejusdem epistola ad Decentium Eugubinum episcopum cap. 3, perspicuum est licitum fuisse Romæ presbyteris etiam præsente episcopo baptizare; et ex canone Trullano 78, et Laodiceno 45, presbytero reddi poterat Symbolum. Hæc sunt hujus verba ex pag. 237 codicis antiqui Romani: *Oportet baptizandos et fidei Symbolum accipere, et quinta feria ultimæ septimanæ vel episcopo vel presbytero reddere.* Quod si hoc alicubi licitum, Romæ certe potius quam in alia qualibet Ecclesia propter et majorem baptizandorum numerum, et innumera negotia quibus pontifex impeditus excipiendæ competentium fidei onus in presbyteros rejicere **402** cogebatur. Hoc a pontifice nostro ita usurpatum inde conjicio, quod cum studiose collecti sint omnes ejus sermones, quos pro munere suo ac summa dicendi facilitate ad plebem habuit, non solum in præcipuis solemnitatibus, sed etiam in indictione jejuniorum, et prout sese dabat occasio, nullum tamen habemus ejus sermonem vel de Baptismo ad catechumenos, vel de Symbolo ejusque traditione, quales circumferuntur non pauci ab aliis dicti episcopis. Quod porro potuerit Cœlestinus sub Innocentii pontificatu presbyterum agere, eadem epistola ad Decentium cap. 8 evincit, ubi mentio de Cœlestino diacono jam administrationis ecclesiasticæ participe, qui facile potuit succedente tempore gradum ad presbyteratum facere. Ex baptismo autem Romæ suscepto a Leone confirmatur sententia nostra, qua eum Romæ natum et educatum superius asseruimus.

Obscura sunt ea quæ gessit juvenis usque ad tempora diaconatus. Pennotus scribit allectum primo in numerum clericorum basilicæ Lateranensis. Etsi conjectura est, nolim tamen fidem derogare. Nam aurea illa ætate alebantur ad clericatum juvenes in ipso sacerdotum sinu, ponebantque in sacrario tyrocinium sacerdotii, et per gradus inferiora munia obibant. An tamen per id temporis (a) basilica Lateranensis, ubi Leonem egisse clericum volunt, esset Urbis primaria, an Basilica S. Petri, merito dubitatur. Utut sit, certum est juvenem ea virtute eoque ingenio præditum, ut cæteris et exemplo et admirationi esset.

ANNUS CHRISTI 418; — ZOSIMI PAPÆ 2; — HONORII 24, THEODOSII 11, IMPP.; — HONORIO XII, THEODOSIO VIII, COSS.

Qualis esset Romani cleri de Leone adolescente et acolytho opinio, testantur quæ illi demandata sunt hoc 418 Jesu Christi anno negotia. Iis temporibus grassabatur hæresis Pelagiana, gliscebatque malum artibus Pelagii Cœlestiique, qui pestem hanc orbi invexerant. Nefarii homines aliquandiu dissimulato errore delituerant, illuserantque Zosimo Romano pontifici, qui postremo detectam hæresim publico solemnique anathemate proscripsit. Jamdudum exspectabatur in Africa judicium pontificis; illuc Leo acolythus missus est, ut litteras condemnationis ferret ad Aurelium Carthaginensem, Augustinum Hipponensem, cæterosque Africanæ Ecclesiæ episcopos. Hæc quidem, quæ de legatione Leonis refero, in Annalibus ecclesiasticis non leguntur; sed id Augustinus testatur in epistola ad Sixtum S. R. E. presbyterum, qui postea Cœlestino in pontificatu successit. In hac scribit Sixtum ad Aurelium Carthaginensem breves quidem litteras misisse, sed vehementes in Pelagianos, allatasque cum litteris Zosimi, quibus admonebat Patres Africanos judicii quod pronuntiaverat in Pelagium Cœlestiumque: *Cum litteris,* inquit (*Epist.* 105), *apostolicæ sedis de illorum* (Pelagianorum) *damnatione ad Africam missis tuæ quoque litteræ ad venerabilem senem Aurelium consecutæ sunt, quæ, tametsi breves erant, tuum tamen vigorem adver-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Augustinus epist. 29, n. 10, basilicam S. Petri *remotum esse locum ab episcopi conversatione* testatur. Electionem Bonifacii I in Lateranensi peractam indicat epistola Romanorum presbyterorum ad Honorium pro eodem Bonifacio; et Damasus etiam in eadem basilica consecratus fuit, ut ex libello Marcellini et Faustini ad imperatorem manifestum est.

sus eorum errorem 403 *satis indicabant.* Illæ certe litteræ non aliæ sunt ab iis de quibus idem Augustinus loquitur epist. 104, ad eumdem Sixtum, ubi iterum mentionem facit brevioris epistolæ quam Sixtus miserat ad Aurelium Carthaginensem, allatamque narrat per acolythum Leonem. *Si enim*, inquit (*Epist.* 104), *brevissimam epistolam tuam, quam de hac ipsa re ad beatissimum senem Aurelium per Leonem acolythum direxisti*, *descripsimus.* De Leone Magno tunc acolytho tempora congruunt : hæc enim acciderunt anno Christi quadringentesimo decimo octavo, pontificatus 404 Zosimi secundo. Suadet præterea quod Sixto, cujus litteræ deferebantur, semper addictus fuit Leo noster. Probant denique quæ præstitit Leo in Pelagianos, tum sub Cœlestino Sixtoque pontificibus, quos opera sua consiliisque plurimum juvit; tum quando ipse in illorum locum substitutus Romanam rexit Ecclesiam. In illa porro professione admiratus magnos præsules, lumina Ecclesiæ Africanæ, imprimisque Augustinum, puto, eos æmulari cogitavit, eorumque odiis in Pelagianos exarsit; quod infra describemus.

ANNI CHRISTI 430, 431, 432; — CŒLESTINI PAPÆ 8, 9, 10; — THEOD. 24, 25, 26; — ET VALENT. 7, 8, 9, IMPP.; — CONSULIBUS, AUGUSTIS IISDEM, BASSO ET ANTIOCHO, AETIO ET VALERIO.

I. Quamdiu Leo in acolythatu permanserit incertum est, et a quo ordinatus fuerit diaconus. Hoc certum, diaconatus vel etiam archidiaconatus officio functum eum esse sub Cœlestino papa. Hic enim illius consilio et opera usus est in tractandis ecclesiasticis negotiis, ut inferius narrabimus ex ipso Leone et aliis monumentis. Quis porro credat hominem nondum ad diaconi gradum evectum in partem pontificiæ sollicitudinis a Cœlestino esse vocatum? Deinde Cassiani opus de Incarnatione adversus Nestorium Leoni diacono (*a*) dedicatum est; at vero liquet librum scriptum esse ante synodum Ephesinam sub Cœlestino, quia Cassianus de condemnatione synodica Nestorii nihil meminit, et in Nestorium invehitur quasi nondum ab episcopatu dejectum, sed ejusdem muniis adhuc fungentem in Ecclesia Constantinopolitana, ad quam tamen certum est ipsum non esse reversum post synodum Ephesinam. Hortatur denique cives Constantinopoleos (*b*) uti errorem ejus detestentur, ejusque fugiant societatem; quod supervacaneum esset, nisi adhuc tum Constantinopoli resedisset hæreticus.

II. Mitto fabulas quas multis prosequitur Cassiani quidam laudator, qui dum multa Cassiano affingit, plurima de Leone fabulatur. Unde enim illud hausit, quod narrat, Leonem etiam Innocentio pontifice diaconum fuisse, Cassianum sub Innocentio eodem Romæ egisse cum Leone de dissensionibus Orientis, et de negotiis Joannis Chrysostomi, prope Leonem se socium adjunxisse Cassiano ut vitam solitariam simul cum illo coleret, sed prohibitum ab Innocentio? Neque magis verum illud quam hoc quod confidenter asserit, Massiliensem Cassiani Ecclesiam a Leone archidiacono, ut legato apostolicæ sedis, consecratam. Hæc allata sine probatis testibus, et ab ætate Leonis, et a disciplina Ecclesiæ longe aliena, neque fidem neque responsionem merentur. Bulla Benedicti omnino supposita, quam auctor ille producit, nihil profert aliud præter rumores vagos incertasque hominum traditiones. Ecce verba bullæ Benedictinæ: *Hac diligentia muniendum censuimus prædicti martyris Victoris monasterium apud Massiliensem urbem tempore Antonini imperatoris fundatum. Quod postea a B. Cassiano abbate constitutum, eodem rogante, ut fertur a majoribus natu, a beatissimo Leone Romanæ sedis antistite consecratum, et ejus apostolica benedictione atque auctoritate sublimatum, in quo majores constituentes ecclesiam in honorem SS. apostolorum Petri et Pauli et omnium apostolorum, aliamque in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Joannis Baptistæ, multorum sanctorum collatis pignoribus dedicarunt.* In hac bulla multa sunt quæ incertis majorum relationibus innixa, a vero longe abhorrent. Nec enim archidiaconus potuit dedicare ecclesiam contra regulam et consuetudinem ecclesiasticam, ut somniavit Gnesnæus, neque Leo jam pontifex potuit ipse consecrare ecclesiam Massiliensem, qui dum pontificatum gessit nusquam in Gallias venit, neque vivente Cassiano ad pontificatum evectus est. 405 Jam vero qualia sunt quæ de monasterii fundatione scribuntur sub Antonini principatu, quo tempore nondum in orbe monasteria condita erant, nedum intra Gallias fundata? Sed ab illis fabulosis transeo ad certiora quæ gessit Leo diaconus.

III. Quanta de Leonis nostri opera et consilio fiducia esset Cœlestino papæ in rerum ecclesiasticarum administratione, quamque id per totam Ecclesiam cognitum, testis est Leonis ipsius epistola ad Maximum Antiochenum, cujus lectione edocemur ipsum Cœlestino, velut primarium administrum, adfuisse, ad ipsumque in primis delata esse operosiora negotia, de quibus pontificem instrui necesse erat. Cum enim in Ephesino concilio primo Juvenalis Jerosolymorum episcopus Palæstinæ provinciæ principatum ambiret, Cyrillus sedem apostolicam de insolenti conatu Juvenalis monendam esse existimavit, ne malis artibus commentitiorumque scriptorum prolatione episcopi Romani consensum eliceret. Hac de causa (*c*) scripsit ad Leonem nostrum, ut per eum Cœlestinus de ambitiosis Juvenalis prensationibus certus fieret, atque ab illius subreptione sollicite caveret. Verba Leonis hæc sunt (*Epist.* 92, *nunc* 119, *cap.* 4) : *In Ephesina synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis episcopus ad obtinendum Palæstinæ provinciæ principatum credidit se posse sufficere, et insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus episcopus merito perhorrescens scriptis suis mihi, quid prædicti cupiditas ausa esset, indicavit, et sollicita prece multum poposcit ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.*

IV. Hæc Cœlestinum inter et Leonem necessitudo nostram juvat conjecturam, ex qua credimus circa eadem tempora Cœlestinum Leonis usum stylo, ut (*d*) capitula illa de gratia et libero arbitrio colligeret, quæ hujus pontificis epistolæ ad Gallos subjungi solent, ac vel ejusdem vel Prosperi esse credita sunt ad hanc usque ætatem. Romam accurrerat illo tempore Prosper Aquitanus, opem apostolicæ sedis imploraturus adversus Pelagianorum reliquias, doctrinæque Augustinianæ adversarios tunc apud Gallias numero invalescentes. Horum omnium princeps erat Cassianus, cujus errores Romano episcopo aperuit, et cum Leone, ut par est credere, Prosper communicavit; hocque præsertim significavit, illis exo-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cassiani opus Leoni dedicatum fuit, quia Leone petente fuit scriptum, ut ex ipsa nuncupatoria Cassiani epistola liquet. Potuit autem Leo Cassianum cognoscere, cum is sub Innocentio Romæ aliquandiu versatus est. Perutile autem visum est Leoni ut per Cassianum Constantinopolitanæ olim Ecclesiæ diaconum, et S. Joannis Chrysostomi discipulum, Constantinopolitana Ecclesia moneretur vitare Nestorium.

(*b*) Vide Ibæ Edesseni epistolam, act. 10 Chalcedonensi, et apud Facundum.

(*c*) Confer annot. 24 (*Tom. præced. col.* 1043, *n.* b) in epist. 119.

(*d*) Hæc capitula Leonem non habere auctorem, et probabilius a Prospero elucubrata fuisse sub Sixto III ostenditur in observ. ad dissertationem 3, ubi de occasione etiam hujus opusculi aliquid conjicitur.

sam maxime Augustini doctrinam, quam imprimis ex pontificum sedis apostolicæ decretis pessumdare 406 se existimabant. Hæc occasio fuit ut Romanæ Ecclesiæ scrinia accuratius investigari vellet Cœlestinus, hancque sollicitudinem Leoni demandaret, a quo collecta esse capitula ista dissertatione 3 probabimus. In Gallias reversurus Prosper (a) mandatum accepit ab apostolica sede ut ex ejus auctoritate Augustini doctrinam defenderet, quemadmodum in præfatione ad objectiones Vincentianas se facere testatur; atque ut illius sedis doctrinam exacte perspectam haberet, cum epistola Pontificis ad aliquot Galliarum episcopos accepit ab ipso forsan Cœlestino capitula seu sententias præsulum sedis Romanæ; unde factum postea ut eidem epistolæ annexa circumferrentur.

V. Regressus in Provinciam Prosper (b) scripsit adversus objectiones Vincentianas et contra Collatorem; atque in his opusculis usus esse mihi videtur sententiis Roma asportatis, cum iisdem omnino testimoniis pugnet, quæ in illis leguntur. Post ejusdem Prosperi ab urbe discessum scripsisse crediderim Leonem nostrum aureos (c) libellos *de Vocatione omnium gentium*, quibus Semipelagianorum discutit errores, de his nimirum accurate a Prospero edoctus. Istos a Leone scriptos eo maxime consilio crediderim, ut Cassianum ab errore revocaret. Conjunctus enim cum eo erat amicitiæ vinculo, dolebatque tantum virum in alienas a fide opiniones abreptum, quas quidem eo facilius ac periculosius hauriebant incautæ animæ, quod immixtæ erant opusculis tum sermonis elegantia, tum rerum spiritualium doctrina singulari acceptissimis. Erant certe in his plurima quæ ad bonos mores, quæ ad pietatem vitæque sanctioris institutum pertinebant; sed tamen quædam injecta quæ gratiæ Christi adversabantur. Cassianus quidem Pelagii Cœlestiique nefarias de gratia opiniones scriptis dictisque condemnabat; sed ab Augustini pariter abhorrebat sententia: scilicet sibi in animum induxerat illum impie sensisse de gratia Christi, hunc vero ultra modum excessisse in emendando Pelagio, certosque limites prætergressum æstu quodam abreptum disputationis. Hæc dum falso cogitat de Augustino, quem Ecclesia catholica asciverat sibi magistrum assertoremque gratiæ, in vitium ipse Cassianus incidit. Scribens enim quædam de gratia subtilius disputata, Pelagianismum, si non omnimode, saltem aliquatenus inducebat. Hæc qui postea defenderunt, propterea Semipelagiani appellati sunt, quorum vel auctorem vel primipilum 407 Cassianum fuisse perhibent. Leo interim graviter tulit hæc ab amico publicari. Ne tamen causæ Ecclesiæ et gratiæ Christi videretur deesse aut amicitiam neglexisse, ejusmodi consilium instruit. Scribit librum cui titulus est *de Vocatione omnium gentium*, tacitusque nomina Augustini Cassianique prætermittit, ut videatur causam suscepisse Ecclesiæ, non personarum, et potius velle amicum emendare quam prodere. Immo suum ipse nomen reticet, et quasi velo obducta facie pugnat; ne dum hostem petit, amicum cernat qui vim et æstum certaminis mitiget. Scio equidem de auctore operis hujus dubitatum esse, aliis alia dicentibus. Nonnulli Ambrosio, quidam Prospero, alii Hilario Syracusano Prosperi socio. Prioris constat non esse opus, quia Pelagianorum meminit, qui non nisi post tempora Ambrosii exstitere. Sed neque Prosperi est, ut copiose alio in loco disserimus, unique Leoni postliminio vindicamus; quod stylus characterque scriptionis probat, id tempus quo scriptum est, id res ipsa quæ dicitur. Sed de iis alias.

VI. Sed et insignem illam epistolam ad Demetriadem, quæ hactenus in Operibus aut S. Ambrosii aut S. Prosperi lecta est, (d) Leoni quoque tamquam suo auctori reddimus. Hæc vero quibus de causis scripta est paucis recenseo. Demetrias virgo orta e familia Aniciorum, non minus virtute quam genere inclyta, capta a Gothis Roma fugit in Africam, dumque manet Carthagine, S. Augustinum forte de virginitate loquentem audivit, adeoque ejus virtutis retinendæ desiderio exarsit, ut illico se virginem Deo sacram professa, meditata sponsalia dissolveret. Certatim laudavere Patres clarissimæ virginis institutum. S. Hieronymus Innocentiusque PP. elegantes de hac re litteras ad Demetriadem miserunt. Ipse Pelagius, cui vita austerior famam æstimationemque paraverat, nondum rupto ulcere quod venis alebat, ad eamdem litteras misit, an precibus Julianæ, quæ mater erat Demetriadis, an sponte sua sit impulsus ad scribendum, incertum est, sed constat litteras toxico Pelagiano infectas. Latens virus sensit Augustinus, cavitque detegendo ne alii hoc scripto quasi contagione aliqua contaminarentur. Post aliquot annos scripsit et ad Demetriadem S. Leo: quo tempore et quo in loco scripserit, haud facile dictu; sed quantum conjectura assequi possum, id accidit antequam ad pontificatum assumeretur. Certe in epistola longo intervallo post prima illius consecrationis tempora scribere se innuit. *Si vero*, inquit (*Epist. ad Demetriad. c.* 1), *de commendando virginitatis bono disseram, superflua erit ejus nunc propositi insinuatio, quod tu a primo ætatis tuæ flore sine humanis cohortationibus elegisti, et de quo inter ipsa principia multi qui tunc in Ecclesia præeminebant*, 408 *merito non siluerunt*. Quæ verba satis notant neque illam in primo ætatis flore tunc fuisse, diemque obiisse qui antea illam scriptis suis laudaverant. Demetrias itaque annum plus minus quadragesimum aut quadragesimum quintum agebat, crediderimque ipsam per id temporis Romam rediisse. Nam Vandali infesto exercitu vastaverant Africam, nec, opinor, Demetrias, quæ patriam reliquerat metu Gothorum, populante Genserico Africam, in peregrina regione remansit. Res certe adeo feliciter Vandalo cessit, ut videatur in Africam venisse tantum ut videret et vinceret: Hipponam et Cyrtham, quæ aliquandiu restiterant, cepit; Carthaginemque ipsam expugnavit anno 439. Annales ecclesiastici et Leo ipse commemorant iis miserrimis temporibus hominum magnam turbam profugisse in Italiam. Nec vereor asserere eamdem esse Demetriadem quæ, postquam Gensericus Romam diripuit, basilicis restituendis animum adjecit, et quæ via Latina ad tertium ab Urbe lapidem basilicam in memoriam S. Stephani exstruxit. Apportaverat scilicet ex Africa reliquias sancti hujus protomartyris, cujus corpus ab aliquot annis inventum divinitus fuerat: exinde ejus reliquiæ toto orbe in honore erant, sed præsertim in Africa nomen Stephani venerabile, ex quo Orosius historicus ossa aliquot in hanc provinciam devexerat. Demetrias itaque sanguine et nobilitate clara, nobiliorque virtutibus, facile innotuit Leoni, qui cum ea amicitiam contraxit, cum eoque sancta virgo communicavit epistolam Pelagii quo tempore vulnus recruduerat. Idcirco cœpit ille altera ad eamdem epistola emendare hæretici errores; et quanto magis vires humanæ voluntatis, posthabita Christi gratia, Pelagius extulerat, tanto magis satagit Leo labem voluntati hominis per

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Hoc mandatum non adeo certum est uti creditur; de quo vide observ. in dissert. 3, num. 7.

(b) Responsionem Prosperi adversus objectiones Vincentianas ab eo scriptam antequam Romam accederet, et ante epistolam Cœlestini ad Gallos, satis probabiliter ostendemus in observ. ad dissert. 3, n. 7.

(c) Hos a Leone abjudicabimus in observ. ad dissert. 2, ex quibus tota hæc quam Quesnellus intexit narratio corruit.

(d) Epistolam quoque ad Demetriadem Leoni adimemus in observ. ad dissert. 4.

peccatum malam detegere, profligatasque liberi arbitrii ad bonum vires ostendere, quibus reparandis gratia Christi pretio sanguinis comparata sola idonea est. Sic docuit virginem humiliter et modeste de se sentire, et Christi merita tanti parta tantique nobis data non flocci æstimare.

Circa annum 430 vel 431 indicta forsan jam synodo Ephesina; cum Nestorius in Oriente dogma suum propagaret, modo per susurros, modo per litteras, modo per publicos ad populum sermones, Cœlestinus PP. nihil in Occidente omittebat quod ad nefariam hæresim citius opprimendam conferre posset. Leo Cœlestini sollicitudinem opera sua et industria, quantum poterat, adjuvabat: intelligensque non solam auctoritatem seu imperatorum, seu pontificum, hæreticorum malitiæ opponendam, sed et eorum scripta scriptis idoneis destruenda: Joannem Cassianum adhortatur uti pro incarnatione adversus Nestorium scribat. Multa **409** Leonem impulerunt ut Cassiani imprimis manum et industriam advocaret. Erat quidem ille vel Scytha, ut multi scribunt, vel Gallus, ut Holstenius (*Præf. in Reg. monachor. cap.* 3) et Norisius (*Hist. Pelag. lib.* II, *cap.* 1) multis probant; sed in Oriente educatus, ubi hæresis hæc invaluerat, discipulus diaconusque S. Chrysostomi, quem pietas cum singulari conjuncta doctrina, memoriaque recens peractæ in exsilio vitæ celebrem non modo fecerant, sed et eos qui ejus disciplinam documentaque hauserant. Erant præterea Joanni Cassiano suæ animi ingeniique dotes eximiæ, sacrarum litterarum notitia haud vulgaris, pietatis sanctitatisque fama per Orientem juxta Occidentemque celebrata. Erat quoque Ægypti Syriæque eremo notus; et si forte Nestorianismi virulentia speluncas aliquot monachorum attigerat, depellere morbum poterat. Adde quod acta Massiliæ vita, conditaque monasteria, vitæ asceticæ institutum, concursus piorum doctorumque hominum, qui vitæ arctioris desiderio illecti ad eum confugerant, illum per Occidentem clarum reddiderant. Quid dicam scripta utilia Christianis, quæ haud mediocrem Cassiano laudem pepererant, et magnorum hominum conciliarant amicitias, Leonisque præcipue archidiaconi, qui rem utilem Ecclesiæ credidit, si Cassianus Scripturarum doctrina, sanctorumque Patrum traditione invalescentem jam hæresim penitus jugularet?

Denique Cassianus, ut diximus, Ecclesiæ CP. diaconus erat, sanctique Joannis Chrysostomi discipulus, cujus propterea doctrina tamquam a suo Chrysostomo hausta, acceptissima futura erat civibus cleroque Constantinopolis. **410** Sed et noverat Nestorianos plurimum sibi spondere præsidii ex Pelagii reliquiis, quos ut a spe sua dejiceret, Cassianum illis opponere voluit (*a*) Semipelagianorum antesignanum, qui simul et Nestorianos Nestorianorumque fautores Pelagianos exagitaret, et semetipse ab eorum communione ac doctrina longius removeret. Quæ cum attentius considero, facile persuadeor Cassianum sive Prosperi sive Leonis victus scriptis ad saniorem mentem jam tunc rediisse, aut saltem sensa sua aliquandiu silentio pressisse. Fas enim non est credere eum hæreticis a Leone objiciendum esse, nisi catholice in omnibus sentiret, omnemque adversus Augustinum deposuisset suspicionem; et revera eum in libro suo de Incarnatione impense laudat, magnisque accenset Ecclesiæ magistris.

Scripsit igitur septem libros de Incarnatione, quos Leoni dedicavit, ut testatur epistola quam operi suo

A præfixit, ubi Leonem suscipiendam charitatem suam, nec non Romanæ Ecclesiæ ac divini ministerii decus appellat; quam epistolam his claudit verbis: *Tua ergo hæc res, tuum negotium, tui pudoris opus est: ora et obsecra, ne imperitia mea periclitetur electio tua, et opinioni tantæ nobis non respondentibus, etiamsi ego per obedientiæ veniam bene pareo, tu tamen per inconsiderantiam judicii male imperasse videaris* (*Cassian. epist. ad Leon.*). Quæ verba satis testantur quo in pretio erat Romæ Leo, quem Cassianus annis gloriaque cumulatus honorificis adeo sermonibus prosequitur, cujus preces et adhortationes pro imperio erant.

ANNUS CHRISTI 433, SIXTI III PAPÆ 2; — THEODOSII 26; — VALENTINIANI 9, IMPP.; THEODOSIO XIV ET ANICIO MAXIMO COSS.

Cœlestinus PP. anno 432 e vita decedens Romanam sedem Sixto III reliquerat. Post unum vel alterum, ut videtur, pontificatus annum, Anicius quidam Bassus
B exconsul, opibus et potentia odia sua metiens, Sixtum accersit stupri illati virgini consecratæ, fœdaque calumnia Valentinianum Augustamque ab ejus communione segregat; magnam præterea potentum, cleri populique partem in pontificem per fas nefasque concitat. Leo diaconus tam certus calumniæ quam fidens innocentia pontificis, Sixtum non modo non fugere, sed illi patrocinari et publice deprecari innocentiam. *Tum ecce Leo*, ut Acta referunt, *si delicta mea contra me sunt, quare probatio non fit?* Res æqua visa est. Valentinianus illico senatum et populum, Sixtus clerum congregat. Omnes aderant in basilica Heleniana. Tum pontifex *hæc conversus ad Valentinianum: Intrent qui separaverunt Filium a Matre, et comprobent universa velamina cordis sui. Augustus autem Valentinianus tacebat. Respondit Leo diaconus, et dixit: Justa petitio, non abscondatur* (*Acta concilii Romani pro purgatione Sixti PP. cap.* 4 *et* 5). Sixto res bene feliciterque cessit, **411** suffragante Leone; nam a calumniis vindicatus est, et accusatores rei calumniarum
C convictique a sacris prohibiti sunt. Hæc **412** ex actis synodi Romanæ (*b*) valde depravatis, et quibus vix aliquam fidem habere velis.

ANNUS CHRISTI 439; — SIXTI PAPÆ 8; — THEODOSII 32, VALENTINIANI 15, IMPP.; — THEODOSIO XVII ET FESTO COSS.

I. Quid per totum septennium ab ineunte Sixti pontificatu egerit Leo noster, Ecclesiæ annales non produnt, si illam quam modo retulimus pontificis defensionem ab eo susceptam excipias. Sed quin magna Ecclesiæque admodum utilia egerit vir ad Ecclesiæ victoriam, ut Patres Chalcedonenses loquuntur, præparatus, dubitare non sinunt, quæ ad annum 439 referuntur in Prosperi Chronico.

Res igitur hoc anno contigit, quæ testatur quibus odiis Leo noster tum alios hæreticos, tum maxime Pelagianos insequebatur. *Hac tempestate*, inquit Prosper in Chronico, *Julianus Eclanensis jactantissi-*
D *mus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Sixtus papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit; et ita omnes catholicos de rejectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim apostolicus gladius detruncasset.* Quæ fuerit Leonis prudentia atque sagacitas, eventus compro-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæc conjectatio omnino gratuita est. Romanis Semipelagianos haud cognitos scimus, nisi postquam S. Prosper S. Augustini doctrinam adversus ipsos vindicaturus, an. 431 Romam accessit. Hoc autem anno Cassiani libri de Incarnatione contra Nestorium editi fuerunt. Leo igitur cum ab eo ante aliquanto, nimirum anno saltem 430, hoc opus petiit, Semipelagianismum ipsius detexisse nullo documento probabitur; tantum abest ut hoc opus eo consilio, quod Quesnellus ingerit, eidem commisisse affirmari queat.

(*b*) Hæc acta non solum valde depravata, sed prorsus supposititia demonstrantur a P. Coustantio tom. I Epist. Rom. pontif. in appendice pag. 111.

bavit. Fallax enim hæreticus iterum Ecclesiam per- A turbare aggressus est, et stylo impetere Christi Servatoris gratiam, ut clarum fuerit ipsum tunc aliud pectore alere, aliud ore profiteri.

II. Interea tumultus militares imperium premebant. Aetius Albinusque duces exercitus Romani in Galliis dissidebant, odiaque eruptura erant ad bellum intestinum, si foverentur, et prope impendebat ruina imperii, obstrepentibus undequaque Barbaris, intrantibusque provincias signis infestis. Quæritur imminenti malo remedium: occurrit Leo archidiaconus, qui reconciliare animos ducum posset. Vir erat prudentiæ singularis probatæque rerum experientiæ, negotiis perficiendis idoneus, neutri contendentium partium invisus, gratus ambobus, aut sermonum vi qua pollebat persuadere pacem, vel auctoritate nominis iram animorum frangere poterat. Retinebatur quidem Romæ rebus Ecclesiæ; sed, ut ipse loquitur, *absentem fecit longæ peregrinationis necessitas*. Adiit exercitum, cum ducibus de obliterandis
B injuriis egit, monuit ne bella cierent intestina, dum hostis ad fores fremeret, tantumque valuit ut animos sapientia placare, et gratiam inter duces posset reconciliare. Hoc postremum diaconi Leonis opus fuit.

ANNUS CHRISTI 440; — LEONIS PAPÆ 1; — THEODOSII 33, VALENTINIANI 16, IMPP.; — VALENTINIANO V ET ANATOLIO COSS.

I. Interim Sixtus diem obiit (*a*) kalendis Aprilis, ut Prosper chronographus scribit. Tum reipublicæ Christianæ opus erat summo pontifice, qui Christianorum contentiones auctoritate et sapientia componeret, eo præsertim tempore quo res Ecclesiæ 413 turbatissimæ erant, seu sæviente hæreticorum furore, seu discordiis plusquam civilibus lacerantibus Ecclesiam, seu corruptela vitioque grassantibus, sive Barbaris distrahentibus imperium.

In ea itaque rerum perturbatione, cum tot mala, veluti facto agmine, imperio Ecclesiæque incumberent, ad cumulumque accederet mors Sixti PP. Roma
C viduata pontifice in luctu versabatur. Deus tamen providit ne quid detrimenti pateretur Ecclesia, suffecto in locum Sixti Leone, cui par summæ pietati doctrina, exploratamque multos annos ecclesiasticæ rei administratio; adeo ut Romani non viderentur præsulem amisisse. Quando electus est, profuit Leoni, quod raro accidit, tum abfuisse Roma; nam et eo ardentioribus votis quæsitus est quod abesset, et certum fuit meritis non ambitu adiisse pontificatum. Unde Leo ipse, *In humilitate nostra*, inquit (*Serm.* 1 *in Natali sui*), *memor fuit nostri Dominus, et benedixit nobis, qui fecit mihi mirabilia magna solus.*

Sanctus Prosper scribit Sixtum kalendis Aprilis decessisse. *Quo*, inquit, *defuncto quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine antistite fuit, mirabili pace atque patientia adventum diaconi Leonis exspectans, quem tunc inter Aetium et Albinum amicitiæ redintegrandæ causa Galliæ detinebant.* Nec ipsa reditus mora sine laude fuit, *quasi*, ut ait idem S. Pro-
D sper, *ideo longius esset abductus* [Al. *longus esset adventus*], *ut electi meritum et eligentium judicium probaretur.*

II. Continuo legatio honorifica ad eum missa est, ut totius cleri suffragia voluntatemque populi Romani, omnium bonorum vota cognosceret, rogareturque omnium nomine ut reditum maturaret, Ecclesiamque sua præsentia solaretur. Etsi Leo ab honoribus longe erat alienus, paruit tamen: nam repudiare munus quod non ambierat, obsequi Deo non erat, et fugere pontificatum per speciem virtutis, prodere erat Ecclesiam, et quasi sedem direptioni dare; qui erant tunc temporis ambitus quorumdam hominum, hæreticorumque molitiones, qui oculatum vigilantemque episcopum reformidabant. Venit itaque Romam, et acclamatione populi totiusque cleri lætitia exceptus, tandem ordinatus est episcopus Romanæ Ecclesiæ. *Igitur*, pergit Prosper, *Leo diaconus legatione publica accitus, et gaudenti patriæ præsentatus, quadragesimus septimus Romanæ Ecclesiæ episcopus ordinatur.*

III. Sed quam pias cogitationes sanctosque motus conceperit, quando ad summum Ecclesiæ culmen evectus est, operæ pretium paucis addiscere. Afficiebatur quidem gaudio, non, ut plerumque fit, quod potentiorem cathedram nactus orbi Christiano immineret, sed quod pluribus famularetur inserviretque; quasi alii honorem sibi detulissent, ipse laborem caperet. Id ipse testatur: *Non tam præsidere*, inquit (*Serm.* 4, *nunc* 5, *in Assumptione sua, c.* 5), *quam servire gaudemus.* Aliud lætitiæ argumentum erat quod multa sibi condonata intelligeret, seque vel immeritum pluribus bonis cumulatum esse, 414 quo vehementius Deum amaret: *Vera mihi in gloriam Dei causa est lætandi, qui mihi, ut a me multum diligeretur, multa dimisit; et ut mirabilem faceret gratiam suam, in eum munera sua contulit, in quo meritorum suffragia non invenit* (*Serm.* 1, *nunc* 2, *in Assumpt. sua*). Sed retinebatur gaudium illud metu peccandi in tanta negotiorum turba et magnitudine muneris, quod innumeris sciebat esse obnoxium periculis. *Ipsa*, inquit, *operis magnitudo creberrima est offensionis occasio* (*Serm.* 4, *nunc* 5, *in Assumpt. sua, cap.* 2). Neque timor ille inertis pusillique animi erat, adeo ut laborem reformidaret, sed prudentis provisique gubernatoris, qui vasta maria cogitans, periculaque reputans animo, fugit quidem regimen, quoniam se imparem casibus putat, et tamen a clavo manum non amovet, et non tam sua fidens industria, quam bono siderum influxu, per syrtes et per brevia navim securus circumducit. *Domine*, inquit, *audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua et expavi; quid enim tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti? Et tamen non desperamus neque deficimus, quia non de nobis, sed de illo præsumimus, qui operatur in nobis* (*Serm.* 2, *nunc* 3, *in Assumpt. sua, c.* 1). Trepidabat itaque periculo proximus, sed fidens Dei auxilio regere Dei populum aggressus est: *Etsi enim*, inquit, *necessarium est trepidare de merito, religiosum tamen gaudere de dono: quoniam qui mihi oneris* [Al., *honoris*] *est auctor, ipse mihi fiet administrationis adjutor; et ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem* (*Serm.* 1 *in Assumpt. sua*).

IV. Nihil igitur sibi tribuens, sed omnia bona auctori Deo accepta referens, et virtute et nomine Christi, quem non modo ovium custodem, sed Pastorem pastorum esse sciebat, rem Christianam summo studio promovebat, hunc sibi non defuturum ra-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Sixtum tertium kalendis Aprilis obiisse Prosper non tradit, ut idem Quesnellus pervidit et monuit § 12, ad an. 461, n. 1. Neque auctor Pontificalis in sincerioribus codicibus eamdem diem signat. Nos vero Sixtum III excessisse die 11 Augusti ex nostro vetustissimo Sacramentario probabilius collegimus annot. 23 (*Col.* 135, *n.* g) in § 33. Cum porro post Sixti III obitum *quadraginta amplius diebus* Romana Ecclesia Leonis adventum exspectaverit, ut Prosper testatur, hujus ordinationem diei 29 Septembris quæ anno 440 erat Dominica, assignandam credimus. Hac enim die singulis annis sub S. Leone episcoporum conventus habebatur ex epist. 16, c. ult. In die autem anniversaria ordinationis Romanorum pontificum episcopalem conventum celebrari consuevisse discimus ex serm. 2, cap. 2, et ex aliis testimoniis quæ in admonitione præmissa serm. 1 indicata invenies. Confer laudatam annotationem in Sacramentarium, ex qua hæc dies ordinationis Leonis non modicum confirmatur

tus, qui ad consummationem sæculi nobis adfuturum pollicitus est. *In hac ergo materia trepidationis*, inquit, *quæ nobis esset dependendæ fiducia servitutis, nisi non dormitaret neque obdormiret qui custodit Israel; nisi dignaretur non solum custos ovium, sed ipsorum etiam Pastor esse pastorum... quandoquidem pie et veraciter confitemur quod opus ministerii nostri in omnibus quæ recta agimus, Christus exsequitur, et non in nobis, qui sine illo nihil possumus, sed in ipso, qui possibilitas nostra est, gloriamur* (*Serm.* 4, *nunc* 5, *in Assumpt. sua, c.* 2). Illa modestiæ, humilitatis suique diffidentiæ argumenta sunt: ecce grati in Deum animi specimen. Divina in se merita sæpe revolvens animo palam hæc et publice prædicabat; et si quando de assumptione sua ad pontificatum concionabatur, audientium animos oraque populi sollicitabat ad redhibendam gratæ suæ mentis significationem, imparem se tot beneficiis reputans. *Laudem Domini loquatur os meum, et nomen sanctum ejus anima mea ac spiritus, caro et lingua benedicat; quia non verecundæ, sed ingratæ mentis indicium est beneficia tacere divina; et satis dignum est a sacrificiis Dominicæ laudis obsequium consecrati sacerdotis* 415 *inchoare: quia in humilitate mea memor fuit nostri Dominus, et benedixit nobis, quia fecit mihi mirabilia magna solus, ut præsentem me cerneret vestræ sanctitatis affectio, quem fecerat necessitas longæ peregrinationis absentem*; et iterum: *Magnificate, dilectissimi, Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in invicem, ut tota ratio solemnitatis hodiernæ ad laudem sui referatur auctoris* (*Serm.* 1 *in Assumpt. sua*). Hæc gratitudo beneficentiæque divinæ memoria accendebat vehementer sanctum præsulem ad amorem in Deum, ad eaque suscipienda quæ e re Christiana esse duceret, nec ullis umquam laboribus aut periculis a sancto illo proposito deterritus est.

Sed enim omnes virtutes quibus quasi tot sideribus ejus pontificatus præfulsit, commemorare singulas longum est, nec tam hujus loci quam totius hujus operis, qua vigilantia gesserit pontificatum, qua sedulitate et constantia Ecclesiam administraverit, quam egerit prudenter, quot bella adversus hæreticos confecerit feliciter, quot labores pro Christiana et publica re pertulerit, quam prope perditis deploratisque rebus non cesserit, stylo persequi ardui laboris est. Hæc antequam qualitercumque expediam, breviter dicere aggredior quam tristia fuerint tempora cum pontificatum Leo assumpsit, magnum certe attritis rebus Ecclesiæ et imperii præsidium.

V. Postquam Theodosius senior vita decessit, Barbari vel ætatem vel socordiam posteriorum principum despectui habentes, velut torrens ruptis repagulis Romanum imperium invaserunt. Præfecti, quibus tutela principum et reip. cura erat, tum mutuis odiis certare, et æmulatione potentiæ, externæ injuriæ locum facere. Gothi Alarico duce Romam ceperunt. Exinde seu urgente fato imperii, seu ulciscente Deo vitia mortalium res ire in deterius; barbarorum examina irruere in provincias, et prout quisque plus ferro aut copiis valebat, regiones devastare: pulsis vel subactis incolis, in quæ inciderant loca sedes ponere et ex laceris reip. partibus nova regna condere. Etsi per ea tempora Persæ, Sarraceni, Zanni, Isauri Hunnique Orienti imminebant, fœda tamen hæc tempestas in primis Occidenti incubuit Britanniæ vexatæ Pictorum Scotorumque incursionibus, Franci trajecto Rheno sedes in Galliis posuerunt, Burgundiones Ararim Rhodanumque insederunt, Novempopulaniam occupant Gothi, cum ea parte Hispaniarum quæ magis ad Pyrenæos pertinet. Hæc quidem sub Honorii principatu. Nec felicior Valentiniani quam patrui fortuna fuit, nec promptior animus ad resarcienda reip. damna. Etsi Aetii ducis virtute videbatur Occidentis imperium movere humeros, tamen obtrectatio, invidia, intestinaque ducum odia prope magis noxia reip. quam barbarus et multiplex hostis. Ad hæc recens Littorii clades strenui ducis, qui Aetium virtute et rei bellicæ fama prope adæquabat. In eo statu erat occidentale imperium.

416 VI. Verum nec quietior Ecclesiæ res erat. Barbarus non minus fidei catholicæ quam reipublicæ Romanæ infensus. Burgundio, Gothus et Vandalus, Arianismo imbuti vi et armis cum imperio fidem labefactabant. Nec modo foris hostis ingruebat, domi invalescebat hæreticorum audacia, dumque res turbidæ erant, velut cancer hæc labes illæsas partes vitiabat. Orientem infestabant Nestoriani, et ex capite eliso multa renascebantur. Manichæorum impietas nondum exstincta tot plagis quas acceperat, reparatis viribus infestabat Occidentem. Quid referam Priscilliani monstra, quæ iterum terrebant Hispanias? Adde Pelagianorum pravitatem, quæ novo auspice Juliano jamdiu vexabat Ecclesiam. Hic novis artibus, eloquentiæ viribus, ingenio et industria bellum asperum redintegravit, horumque soboles infausta Semipelagiani, quorum doctrina eo nocentior quo vita sanctior austeriorque vivendi disciplina; malumque immedicabile quod mentem lædit, dum titillat. In eo rerum statu erant Ecclesia imperiumque cum Leo pontificatum adeptus est. Sed instabat aliud malum longe gravissimumque Eutychetis audacia, ad quam potissimum reprimendam divinitus Leo ad hoc Ecclesiæ culmen evectus est, ut ibi tanquam in specula et propugnaculo staret adversus imminentem hæreticum. Tunc enim Deus, sicut olim provisum consultumque Ecclesiæ voluit quoties religioni tempestas sævior impendebat. Sic Athanasius columen fuit catholicæ doctrinæ, bacchante Arianorum furore. Sic nuper Cyrillus Alexandrinus, dum Nestorius turbaret Ecclesiam. Sic Augustinus contra Pelagianos Manichæosque invictus pro religione stetit. Sed Leonis certamina victoriasque infra describemus, mirabimurque quod non impar tot hostibus imperium Christi tam fortiter defenderit.

VII. Leoni episcopo prima cura fuit asciscere sibi homines eruditione et doctrina præclaros, rerum ecclesiasticarum peritia et morum integritate *insignes*, quorum consiliis rem gereret, eosque *paratos* ac *intentos* haberet, ne falleretur eorum pravis artibus, qui rem Ecclesiæ ex commodo æstimant, et quod fere fit, sacra profanaque juxta quæstui habent. Inter eos quos in partem laborum assumpsit, Prosper Aquitanus primas obtinebat (doctissimum illorum temporum Scaliger appellat) jam notus orbi Christiano; nam ut gratiæ Christi defensor, Augustini doctrinæ studiorumque hæres, Pelagianismi reliquias stylo persequebatur. Jamdudum Leoni charus, ex quo sub Cœlestino Romam Prosper venit, ut adversus hostes Augustini Romanum pontificem concitaret. Leoni Prosperoque non deerant, quæ vulgo amicitiarum sunt vincula, mirabilis animorum ingeniorumque concentus, studia eadem ad promovendas res Ecclesiæ, utrique summa pietas doctrinaque singularis. Erat Leo in Galliis cum electus est episcopus, ut dictum est; Prosperum secum adduxisse mihi facile persuaserim, ut illi esset, 417 sicut olim Hieronymus Damaso, a consiliis epistolisque. Plurimum certe Leonem re et opera Prosper juvit, præcipue adversus hæreticos, quibus clanculum et per cuniculos fidem catholicam oppugnare statutum.

VIII. Magnum etiam pastoralis sollicitudinis argumentum fuit in Leone, quod statim atque in pontificali specula positus est, plebem sibi commissam non vitæ solum exemplo excitare, sed proprii etiam oris officio erudire aggressus est. Immo primus omnium Romanorum pontificum istud muneris in se recepit, si qua Sozomeno fides, cum hæc scribit (*a*): *In eadem urbe* (Roma) *nec episcopus, nec alius quisquam*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Οὔτε δὲ ὁ ἐπίσκοπος, οὔτε ἄλλος τις ἐπ' ἐκκλησίας ἐνθάδε διδάσκει. Sozom. lib. VII, c. 1.

in Ecclesia populum docet. At (*a*) Sozomeno hac in A re assentiri vix ac ne vix quidem possumus.

Primum enim quales episcopi qui docendi munere, quod omnium præcipuum est, sese abdicant? *Præconis officium suscipit*, inquit Gregorius papa I, *quisquis ad sacerdotium accedit* (*S. Gregorius Magnus, Registri lib.* I, *epist.* 14). Et ut Leoni coævus aut suppar Julianus Pomerius scribit, *quicumque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sui sceleris dabit; ille autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus qui eo tacente perierint perit* (*Lib.* I *de Vita contemplat. cap.* 20).

IX. 2. Hoc ante Leonem usitatum esse a Pontificibus Romanis persuadet (*b*) sermo Leonis 82, habitus in Natali septem fratrum Machabæorum, ubi Sixti III prædecessoris sui laudes prosequens, eos loquendi modos **418** usurpat, qui publice edoctos a Sixto pontifice Romano significant. *Magnificus*, inquit, *structor parietum, sed magnificentior* ÆDIFICATOR ANIMARUM *ultra ævi sui terminos opera pietatis extendens; ut utilitatibus* INSTITUTIONUM *ejus etiam in ipso frueretur devota posteritas, et habitando quod condidit, et faciendo quod* DOCUIT. De publicis et solemnibus sermonibus ad populum habitis hæc intelligi puto, *ædificator animarum; institutionum ejus utilitas; docuit.* Publice enim populum non moneret ut revocaret in memoriam tradita sibi a pastore suo documenta, si hæc paucis tantummodo et intra privatæ domus secreta effudisset. *Omnia ergo*, inquit, *dilectissimi, quæ oculis cernitis et mente meministis, ad profectum vestræ ædificationis assumite.*

X. 3. Multoties Leo officii sui esse dicit sermonem habere ad populum, sibique metuit imputari ad culpam, si huic ministerii sui parti defuerit. Serm. 3 de Epiphania : *Tamen ut nostri nihil desit officii, loqui de eadem festivitate quod Dominus donaverit audebo.* Serm. 7 de Passione, c. 1 : *Non ita*, inquit, *mihi divini operis consideranda est magnitudo, ut vel diffidam* DE SERVITUTE QUAM DEBEO; *cum sacramentum salutis humanæ non liceat taceri, etiamsi nequeat explicari.* Serm. 11 : NON EST LIBERUM *sacerdoti in tanto divinæ misericordiæ sacramento fidelis populi auribus subtrahere sermonis officium.* Serm. 2 de Resurrectione, cap. I : *Adjiciendum est etiam nostri sermonis* OFFICIUM, *ut sicut pia exspectatione* REPOSCERE VOS CONSUETUDINIS DEBITUM **419** *sentio, ita solemnitati sacratissimæ lectionis subjungatur exhortatio sacerdotis.* Non ita profecto loqueretur pontifex, nisi longo usu ac consuetudine firmatum invenisset in Ecclesia Romana prædicandi morem.

XI. 4. Sanctus Leo scribens ad Maximum Antiochenum et ad Theodoritum diserte asserit : *Non permittendum ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat. Cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore et excellentiora membra suum officium impleant, et inferiora superioribus non resultent.* Quod decretum cum ab Antiocheno episcopo omnibus diœcesis suæ metropolitanis atque episcopis notum fieri velit, indicium est hoc semper ab omnibus episcopis per universam Ecclesiam observatum esse, ut ipsi verbo Dei gregem Christi pascere satagerent; nec alioqui eum putasse *suum ab episcopo officium impleri*, nisi prædicationis obiret munus, si legitime B impeditus non fuerit (*Conc. Trident. sess.* 5 *de Ref. c.* 2, *et sess.* 23, *cap.* 1).

XII. 5. Sozomenum falsi redarguit sermo Liberii papæ, quem totum descripsit S. Ambrosius lib. III de Velandis Virginibus, habitumque esse tradit in basilica S. Petri die Natalis Dominici ad ipsius Ambrosii sororem Marcellinam, quæ tunc virginitatem cum aliis nonnullis profitebatur. Quod enim objiciunt aliqui non fuisse sermonem ad populum, sed exhortationem dumtaxat ad Marcellinam, allocutionemque privatam, præter consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quis non videat hoc gratis dici, et solum negando exsufflari? Quid enim desideratur ut solemnis dicatur hic sermo? Habitus est in basilica S. Petri, in qua omnia pontificii sui munia obibant Romani episcopi; habitus est in maxima Natalitii Dominici solemnitate; habitus est coram ingenti ac numerosa plebe, quam gemina festi Dominici et consecrationis virginum solemnitas in basilicam acciverat; cui etiam interfuit Bononiensis episcopus. Quid amplius requiritur? Contra conC suetudinem porro Ecclesiæ suæ egisse Liberium in tanta solemnitate, in tanto plebis concursu, in tam augustæ basilicæ luce, qui dixerit, haud scio an satis Liberii honori consulat. Probabile magis est hoc ex Ecclesiæ suæ more pontificem egisse, eumque occasione consecrandarum virginum, post maximam sermonis partem, quæ de mysterio Natalis Domini erat, pauca tantummodo subjunxisse ad virgines. Clarum

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Sozomenum Romanæ disciplinæ parum peritum demonstrant, quæ de presbytero pœnitentium confessionibus excipiendis apud omnes Occidentales ac præsertim apud Romanam Ecclesiam præposito tradit lib. VII, c. 16, ut in notis probat Henricus Valesius. Errasse autem manifeste, cum lib. V, c. 39, scripsit, Romæ nec episcopum, nec quemquam alium populum docere, si id generatim intelligendum sit, testimonia a Quesnello subjecta evincunt, quibus addi potest Prudentius, in hymno 2 de Coronis, ubi Romanam S. Hippolyti basilicam describens, summum pontificem consuevisse ad populum sermocinari testatur.

> Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
> Tollitur; antistes prædicat unde Deum.

Idipsum etiam confirmatur ex nostro vetustissimo Romanæ Ecclesiæ Sacramentario, quod initio hujus tomi edidimus, in quo mense Julio, § 17, Missa IX, oratione ultima habetur : *Tui sunt, Domine, populi, qui ministerium nostræ vocis exspectant.* Si hoc exspectabat populus, Romani utique pontifices prædicare solebant. Et mense Septembri, § 29, in *Natali* episcoporum, Missa VII : *Da nobis, quæsumus, et exercere quæ recta sunt, et prædicare quæ vera, ut instructionem gratiæ tuæ præbeamus et agendo tuis fidelibus, et docendo.* Si vero hæc Sozomeni propositio restringenda credatur ad solum diem Paschatis, ut secundis curis Quesnellus censuit (vide infra, n. 12, circa medium), nullum, quod nobis adhuc innotescat, monumentum editum est, quo id quoque falsum convinci queat. Num vero hæc Quesnelli interpretatio obvia sit, et contextui congrua, nonnulli fortassis dubitabunt. Unum hic addemus, nihil movere debere Cassiodorium Romanarum rerum peritum, cui tribuitur Tripartita Historia, in qua hoc Sozomeni testimonium descriptum legitur. Cum enim in Tripartita edenda Cassiodorii consilium fuerit, ecclesiasticam historiam ex tribus Græcis scriptoribus ab Epiphanio Scholastico Latine redditis compactam Latinis D proponere, nihil in versione Epiphanii emendavit, sed ipsa litterali ipsius versione usus est. Hinc quæ ex Sozomeno in Tripartita recitantur, nihil ex Cassiodorio auctoritatis acquirunt, sed tota fides est penes Sozomenum, cujus interpretationem ab Epiphanio conditam Cassiodorius intactam reliquit. Vide quæ hac de re Quesnellus animadvertit dissert. 6, n. 16, ubi errorem de jejunio diei sabbati apud Romanam Ecclesiam in Socrate detegit, qui tamen in Tripartita verbis Socratis Latine redditis receptus legitur.

(*b*) Hunc sermonem a Leone abjudicavimus, et Augustino vindicatum in appendicem rejecimus, ac propterea pro concionibus Romani pontificis astruendis testimonium ex eo excerptum nihil probat

est enim non esse integrum hujusmodi sermonem apud Ambrosium, qui ea solum scriptis suis inseruit, quæ subjectæ tunc materiæ congruebant, et sorori suæ accommodata erant.

6. De Zephirino papa antiquiorem adhuc testem adduco Tertullianum, ex quo id saltem certum habemus, in reconciliatione pœnitentium Romanos pontifices concionem ad populum habuisse; in libro enim de Pudicitia quem jam ab Ecclesia catholica alienus conscripsit, Zephirinum papam inducit fideles in gratiam pœnitentium ad misericordiam 420 commoventem; ita cap. 13: *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens... in eum hominis exitum quantis potes misericordiæ illecebris bonus pastor et benedictus papa concionaris, et in parabola ovis capras tuas quæris*, etc. Falsum est igitur quod aiunt, nullum sermonem Leonis antiquiorem reperiri, qui a Romano episcopo habitus sit. Quod etsi verum esset, non inde tamen roboris plurimum caperet Sozomeni sententia. Cum enim nullum Mediolanensis alicujus episcopi, aut Arelatensis, aut Ravennensis, aut Hipponensis sermonem habeamus dictum a prædecessoribus Ambrosii, Hilarii, Petri Chrysologi aut Augustini, quis propterea dixerit nullos istarum Ecclesiarum episcopos his quos recensui ætate superiores sermonem ad populum suum habuisse? Satius est igitur fateri hallucinatum esse Sozomenum falsisque rumusculis deceptum; vel cum sancto Gregorio Magno dicendum: *Sozomeni historiam sedes apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur* (*Greg. Reg. epist. lib.* VI, *ind.* 15, *epist.* 31 *ad Eulogium Alex.*).

Non alia tunc occurrebat animo ex ista difficultate evadendi via, cum primæ editioni incumbebam. Aliam quarto post anno sibi fecit in præfatione ad novam magni Cassiodori editionem vir doctissimus Joannes Garetius congregationis Benedictinæ S. Mauri alumnus. Auguratur videlicet in locum Cassiodori sui ex Sozomeno decerptum mendum irrepsisse, auguriumque suum codicis Santheodoriciani suffragio roborat, ubi pro verbo *docet* legitur *dicit*. Quæ quidem lectio, inquit, alium omnino ac verissimum sensum efficit. Ibi enim de cantico Alleluia agit Cassiodorus in hunc modum: *Apud Romanos in uno quoque anno semel psallunt* Alleluia *primo die Paschæ, ita ut Romani pro juramento habeant ut hunc hymnum audire mereantur. In qua Ecclesia* (subjungit continuo Tripartita) *neque episcopus, neque actor quisquam coram populo dicit*, supple illud primum Alleluia paschale.

Conjecturæ lubens subscriberem, nisi veritas obstaret. Ecquis enimvero hymnum illum dicit, si neque episcopus neque quisquam alter illum dicit coram populo? Ad quid audiendum concurrerent Romani, si neminem dicentem haberent? at vero unico fulcitur codice ms. sexcentorum fere annorum Tripartitæ historiæ. Sed quid hic inter tantos tot editionum editorumque codices qua excusos, qua mss. tam Tripartitæ Historiæ quam Sozomeni, quem tandem fontem adire tutius est, quam rivuli umbram persequi? Quis enim asserere audeat corruptum fuisse Græci auctoris textum, tot criticis eruditorum virorum lucubrationibus vexatum, apud quorum neminem nulla umquam vel minima labis suspicione laboravit? Enimvero ut facile a genuina voce *docet* Latini interpretis, ad affinem *dicit* deflectere oscitans scriba potuit; ita a Græcarum vocum illis respondentium 421 una ad alteram lapsus longe difficillimus.

Quid igitur? Huic viri docti conjecturæ nostram illam de errante Sozomeno suspicionem anteferimus? minime. Sed novam, utraque posthabita, proferimus sententiam opinione, ni fallor, majorem. Certum enim mihi est de publica concione Sozomenum hoc loco scribere, sed paschali, scriptorisque verba sic explicanda, apud Romanos quotannis semel cantari Alleluia primo Paschatis die; et ita solemnem illis esse sacri hujus cantici ritum, ut ad illud audiendum et psallendum omnes ad ecclesiam confluerent, et multi etiam pro juramento ac voto haberent, ut hunc hymnum audire et canere mererentur. Quippe illa sacra Paschatis die solus hic brevissimus hymnus pro omni concione erat, cum in ea Urbe neque episcopus neque alius quisquam ad populum in ecclesia congregatum illa die concionem haberet.

Hanc esse mentem Sozomeni, materiæ ipsius quam tractat inspectio probat. Toto enim superiori capite quod est 18 de sola paschali festivitate sermonem habet; in præsenti vero seu 19 et de Paschate plurima, et nihil nisi occasione Paschatis disserit, varias Ecclesiarum consuetudines hunc solum in finem referens, ut discrepantes olim in festivitatis istius die Ecclesias excuset, alias SS. Petri et Pauli, alias S. Joannis traditiones varias observantes. *Stultum enim*, inquit ille, *nec immerito, existimabant* (episcopi) *consuetudinum causa ab se invicem separari eos qui in præcipuis religionis capitibus consentirent.* Post quæ subjicit varios Ecclesiarum usus, inter quos Romanum semel cantandi in Paschate Alleluia, aliosque subjungit ad illud festum non pertinentes; *cujus tamen causa*, inquit caput claudens, *in hunc de istis rebus sermonem sum delapsus.*

Sic intellectus Sozomenus non jam amplius dicendus est rem falsam de Romana Ecclesia scripsisse, ut antea senseram; neque etiam quærendum, ut quærit eruditus Garetius, *qui fieri potuerit ut* Cassiodorus Sozomenum excerpens, *ea quæ præcedunt et quæ subsequuntur prætermiserit, et illa tantum exscripserit quæ falsa esse constantissime noverat.* Nam et vera sunt ea quæ excerpsit, et verum non est cætera ab eo non fuisse excerpta, de illa nimirum consuetudine occasione Arii orta, ut apud Alexandrinos solus episcopus concionaretur. *Quid enim* sibi volunt hæc superioris capitis seu 38 verba: *In Alexandria presbyter non facit sermonem, et hæc res* 422 *initium accepit ex quo Arius Ecclesiam conturbavit?* Hæc igitur non prætermisit, sed in caput superius transtulit Senator.

Porro quod tam verum sit pontifices Romanos in die Paschatis sermonem ad populum habere non fuisse per ea tempora solitos, quam falsum est aliis temporibus non publice docuisse, cum Sozomenus sic intellectus asserat, nec alius scriptor contrarium umquam docuerit, non potest in dubium probabili aliqua ratione revocari: præsertim cum nec Leonis nostri, nec alicujus ante sextum sæculum pontificis Romani sermones ulli paschales appareant. Nam quod duo Leonini huic solemnitati ascripti legantur in superioribus editionibus, erratum esse editorum suo loco probavimus ex sermonis utriusque contextu, allatis etiam rationibus, insuper auctoritate Hincmari episcopi Remensis et Flori Lugdunensis, illosque non in paschali festivitate, sed sabbato sancto dictos fuisse demonstravimus. Vide monitum utrique præfixum, et observa illam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem ultra sexti sæculi initia me consulto non extendere, quia homiliæ a Gregorio Magno in eadem solemnitate dictæ ad populum rem aliter postmodum se habuisse manifestum faciunt.

XIII. Quid primo pontificatus sui triennio egerit Leo noster pro Ecclesiæ rebus, scriptores silent, nec ex ullis ejus epistolis certo discimus. (*a*) Duas

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Duas alias epistolas nos initio posuimus, alteram ad episcopum Aquileiensem, alteram ad Septimum Altinatem, quas circa an. 442 scriptas in admonitione ostendimus. Econtra ex duabus epistolis, quas sub initium pontificatus Leonis datas existimavit Quesnellus, prima ad episcopos Africanos in hac editione erit duodecima, eo quod exaratam credamus post annum 445, secunda vero ad Rusticum erit

hnic vacuo intervallo assignavimus, quas per id temporis scriptas esse plura mihi persuadent, ut fusius in notis expendimus. Populata superioribus annis Africa, ipsaque Carthagine a Vandalis capta anno 439, plurima hominum multitudo ad transmarina se contulit, vel fractis navibus imposita, ut narrat Victor Vitensis (*De Persec. Vandal.*), vel sponte immanitati Vandalorum se subducens. Mauritania Cæsariensis adhuc tum Romanis parebat, ex qua Romam plurimi commeantes Leonem monuerunt de ordinationibus illicite et contra statuta canonum in ea provincia usurpatis. Romæ tunc temporis versabatur Potentius episcopus, ut puto, Africanus, cui ab urbe *proficiscenti Leo curæ suæ vicem commisit, ut de episcopis quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet inquireret* (*Epist.* 1, *nunc* 12, *ad Africanos episc., cap.* 1). Qui et epistolam a Leone accepit ad Africanos perferendam, quæ temporum injuria excidit. Potentius in provinciam reversus accurata, ut rogatus fuerat, relatione per litteras significavit, quæ mala Mauritaniæ Cæsariensis Ecclesiam affligerent. Unde sancto pontifici nata occasio iterum scribendi ad **423** Africanos hujus provinciæ episcopos. Exstat (*a*) præclara illa epistola, ubi episcopos vitiose creatos condemnat, eos in primis qui scientia et moribus egebant; monet non cito manus imponendas episcopis, nec ad hoc culmen evehendos, nisi per gradus et post longam meritorum experientiam; arcendos a sacerdotio qui secundas uxores, aut viduas, aut priore dimissa alteram duxerant, cum quibus ut dispensaretur nec captandæ Afrorum gratiæ occasio, nec temporum necessitas, nec summa ministrorum ecclesiasticorum inopia Leonem potuerunt impellere.

XIV. Mitius porro agendum censuit cum iis qui ex laicis statim ad episcopatum provecti erant; sed indulgentiam esse, non legem, neque consuetudinem; nec præjudicare se contrariis apostolicæ sedis statutis suisve decretis. Verba ejus contra episcopos, qui festinantius inconsultiusque manus imponunt, non sunt omittenda: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (I *Tim.* v, 22). *Quid est cito manus imponere, nisi ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari* (*Epist.* 1, *nunc* 12, *c.* 2).

Hæc etsi vel ex sola Scripturarum traditionisque scientia scribere potuerit sanctus Leo, aliunde tamen edoctum scimus, quantus esse debeat ordinandorum delectus. Narrat enim auctor opusculi quod *Pratum spirituale* vocant, sanctum Leonem cœlitus A admonitum ut in primis attenderet ad eos quos ad sacrum Ecclesiæ ministerium adlegeret, quorum Deus ab eo rationem exposceret. *Cum descenderet*, inquit, *abbas Amos Jerosolymam, et patriarcha ordinatus esset, venerunt omnes monasteriorum eremi abbates, ut adorarent eum; inter quos adfui et ego cum abbate meo. Cœpitque patriarcha dicere patribus: Orate pro me, patres; magnum enim onus et intolerabile mihi* **424** *injunctum est, sacerdotiique dignitas me terret immodice. Petri et Pauli similium est regere rationales animas; ego autem infelix et peccator sum. Plus enim quam cætera timeo ordinationis sarcinam; nam inveni scriptum quia beatissimus et æqualis angelis Leo papa, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, quadraginta dies perseveravit ad sepulcrum apostoli Petri, vigiliis et orationibus insistens, petensque ab apostolo ut pro se apud Deum intercederet, ut dimitterentur sibi peccata sua. Impletis diebus quadraginta apparuit ei apostolus Petrus, dicens ei: Oravi pro te, et dimissa sunt tibi omnia peccata tua, præterquam impositionis* B *manuum. Hoc solum abs te requiretur* (*Pratum spirit. Joan. Moschi, cap.* 149, *quod caput Græc. etiam exstat*). Hæc in illo libro, quem septimæ synodi Patres approbarunt, cum ex eo retulerunt aliqua action. 4.

XV. Eadem Africana clades, quæ epistolæ Leonis ad Mauritaniæ episcopos occasionem dedit, plurimos ex Africanis regionibus ad Gallicana littora compulit transmeare: quorum aliqui, cum ignorarent a cujus sectæ hominibus baptismatis sacramentum accepissent, (*b*) hinc orta dubitatio apud Galliarum Ecclesias quidnam facto opus. Rusticus episcopus Narbonensis Romanum episcopum consulendum censuit tum ea de re, tum de aliis plurimis ecclesiasticæ disciplinæ capitibus. Respondit Leo prolixiore epistola (*Epist.* 2, *nunc* 147), quam secundo loco posuimus, his ad id rationibus adducti, quas in notis videre est. Mire elucet hac in epistola Leonis nostri prudentia, scientia canonum et apostolica charitas, qua primum Rusticum animo propter occurrentia C scandala despondentem, et de secessu cogitantem erigit, consolatur, hortaturque ne episcopali oneri tranquillioris vitæ amore illectus se subtrahat; tum doctissimas suas responsiones subjicit circa sacramenta baptismi, ordinis, pœnitentiæ et matrimonii, clericorum continentiam, virginum consecrationem, et alia hujusmodi ad mores et regimen Ecclesiæ pertinentia.

425 ANNUS CHRISTI 443; — LEONIS PAPÆ 4; — THEODOSII 36, VALENTINIANI 19, IMPP.; MAXIMO ET PATERIO COSS.

I. Prima Leonis (*c*) congressio adversus Manichæos fuit. Romam complures nefariæ illius sectæ

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

epist. 167, quippe quam traditam putamus post diem 9 kal. Nov. an. 458. Admonitiones his singulis præmissæ conferendæ sunt.

(*a*) Hanc epistolam duplici forma editam dedimus; et eam partem quam Quesnellus repudiavit veluti supposititiam, luculenter vindicavimus. Vide admonitionem, in qua etiam duplicis editionis seu formæ causam assignavimus n. 14. Inde patebit non solum Potentium, sed post hunc etiam David Africanum episcopum aliosque Afros Romam transmigrasse, et novis, quæ supervenerunt, notitiis, primæ scriptioni alia Leonem addidisse, quæ integram epistolam constituunt. Quantum Romanæ sedis auctoritati tribuerent Africani, et quanto zelo S. pontifex emendationi corruptelarum quæ irrepserant, ac restitutioni disciplinæ prospiceret, ex hoc documento discimus. De appellatione quoque episcoporum Africæ ex causa Lupicini episcopi cognoscere licebit.

(*b*) Cum epistolam nobis 167 ad Rusticum Narbonensem scriptam probavimus post diem IX kal. Nov. an. 458, aliæ causæ dubitandi Africana clade posteriores inciderunt, ut ex admonitione quisque intelliget.

(*c*) Huic congressioni adversus Manichæos duo præcesserunt. Primo duæ epistolæ, quæ desiderantur, circa dubium Paschatis an. 444, altera ad S. Cyrillum Alexandrinum, ad Paschasinum Lilybetanum D altera. Exstabat sola Paschasini responsio. Fragmentum responsionis S. Cyrilli in hac editione accedit. Utraque serius scripta fuit an. 443. Paschalem diem anno præcedenti indici consuevisse colligitur ex epist. 131 et 138 scriptis an. 454. In his enim agitur de Paschate an. 455; et cum in epist. 131, c. 2, data die 9 Martii an. 454, *imminere* traditur dies indictionis, qui formatis inscribebatur; tum vero ex epist. 138, qua idem Pascha Gallis indictum fuit, hanc indictionem factam liquet v kal. Augustas ejusdem anni 454. Ante indictionem vero, ubi dubitatio incideret, conciliandæ erant Orientalium sententiæ. Hinc hæ epistolæ ad Cyrillum et Paschasinum scriptæ pro dubie die paschali anni 444, ut responsiones opportune acciperentur, non modicum ante indictionem dirigendæ

homines venerant, rebus in Africa profligatis, devastataque a Vandalo provincia. Hæreticorum hæc colluvies diu latuit sub larva piorum hominum, qui impietatem vultu, incessu, simplici habitu vitaque severiore dissimulabant. Palam sinceræ fidei, clanculum flagitiosæ profligatæque doctrinæ, prompti aliis instillare virus suum; tantaque industria celabatur hoc malum, ut percipi posset non auctores flagitii deprehendi. Toto prope biennio, seu suis se tegerent artibus, seu illis Leonis vigilantia formidolosa erat, latuit pontificem hæc hominum nequitia; sed quæ tandem prodita est ineunte tertio pontificatus anno. Quod ubi compertum habuit Leo, monuit publice Christianos ne se falli sinerent ficta virtutis imagine, et fallaci pietatis umbra; quandoque vitam corruptam, pravos mores vitiaque his fraudibus tegi. *Nihil ergo*, inquit (*Serm. 4 in Epiphan. cap. 5*), *cum hujusmodi hominibus commune sit cuiquam Christiano, nulla cum talibus habeatur societas nullumque consortium. Prosit universæ Ecclesiæ quod multi ipsorum Domino miserante detecti sunt, et in quibus sacrilegiis viverent eorumdem confessione patefactum est.* Modum præterea rationemque edocuit agnoscendi eos qui sceleratæ huic sectæ nomen dederant, sacrum illis in honore lunæ solisque primum secundumque septimanæ diem, et utrumque jejunantes transigere. In uno crimine multiplex sacrilegium, et quod astra tamquam deos colerent, et quod diem Dominicum disciplinamque Ecclesiæ violarent. *Nulla vos*, ait (*Serm. 4 Quadrag. cap. 5*), *contagionis hujus aspergat impietas, qui sua maxime abstinentia polluuntur servientes creaturæ potiusquam Creatori, et luminaribus* **426** *cœli stultam abstinentiam devoventes; quos nemo esse ambigat Manichæos, qui in honore solis et lunæ die Dominico et secunda feria deprehensi fuerint jejunare. Uno enim perversitatis opere bis impii, bis profani sunt, qui jejunium suum et ad siderum cultum et ad resurrectionis Christi instituere contemptum.*

Certiora deinde subjungit indicia. Fideles Christiani, quæ erat consuetudo illorum temporum, Christi corpori et sanguini, ut loquuntur, sub utraque specie communicabant. Manichæi, ne palam fieret sua impietas, a sacris mysteriis non abstinentes, sub una specie corpus sumebant, sed sanguinem Christi sub altera haurire illis religio erat; quoniam vinum dæmonis opus malique principii inventum reputabant. Admonuit Christianos Leo hujus perniciosi dogmatis. *Cum*, inquit, (*Ibid. cap. 5*), *ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant; ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant; quod ideo vestram voluimus scire sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines et ex his manifestentur indiciis, et quorum detecta fuerit sacrilega simulatio, notati et proditi a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* Demum vehementi omnes oratione adhortatur uti in perquirendis illis hæreticis operam non denegent suam. *Magna enim*, inquit, *pietas est prodere latebras impiorum, et ipsum in eis cui serviunt diabolum debellare.* Tum ut odiosa sit omnibus hæc hæresis, præcipua ejus capita recenset, et quasi in brevi tabella delineat. Quemadmodum Manichæi legem, psalmos et prophetas re dictoque repudiant, qua impietate Christum opinione tantum natum asserunt, **427** ejus passionem, mortem, re-

A surrectionem puta puraque somnia et apparentia oculis ludibria credunt; ut baptismi elevant virtutem, mores disciplinamque Ecclesiæ depravant; totam denique Christianam convellunt religionem. *Nihil*, ait D. Leo, *apud eos sanctum, nihil integrum, nihil verum. Cavendi sunt, ne cuiquam noceant; prodendi, ne in aliqua civitatis parte consistant.*

III. Amplius conqueritur quorumdam simplicitatem qui pravos illorum mores æmulantur. Manichæi mixti Christianis ad basilicam S. Petri ire consueverant, ubi ad vestibulum ventum erat, illico vertere se ad solis ortum, et inclinatione corporis et nutu oculorum solem salutare orientem. Prisca quidem religio et antiqua Christianorum disciplina, verum usu nefando incestata, *partim*, ut loquitur sanctus Leo, *ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu*. Pariter damnosa et fidelibus, et recens initiatis: quoniam illi Manichæorum sacrilegia æstimare videbantur, dum idem atque illi agebant: bis peccandi occasio; nam dum solem salutare non vetabantur, colere B perseverabant. Abolere consuetudinem Leo statuit, ut erroris offendiculum tolleret. Id vero ex usu pro temporum locorumque opportunitate ritus Ecclesiæ et disciplinæ leges figendi refigendique penes sacerdotes æqua semper fuit potestas; etsi fidei sua semper ratio et una eademque integritas manet, nec illa hominum arbitrio, nec temporum mutationibus obnoxia est.

IV. Postquam Leo crebris concionibus ab illa secta fidelium animos avocavit, inquirit in Urbe eos qui hac labe imbuti sunt; complures inventos emendat, et ad sanitatem revocat, et ab ipsismet clandestina secretaque sacrilegia edocetur, libros eorum innumeros comburit; utque de secta constet, testataque sit omnibus Manichæorum nequitia, (*a*) conventum frequentem advocat. Leo et judicium et consessum (*Epist. 15 ad Turibium, et homil. 5, de Jejunio mens. decimi*), Valentinianus Augustus consessum vocat (*Novel. in Manich.*), Baronius concilium dicit (*An. 445*). Sed non opus concilio (quod revera sanC ctus Prosper non commemorat), quoniam non de proscribenda nova hæresi, aut de asserenda fide agebatur, sed de pœna juxta canonem Ecclesiæ sanciendа; neque concilium est ubi cum *sacerdotibus* pars senatus et pars plebis est. Quidquid sit, **428** frequenti cœtu adfuere Manichæorum electi electæque, velut nefariæ superstitionis antistites. Rogati de secta reserarunt detestanda dogmata, multa de eorum cæremoniis horrendisque institutis, turpia flagitia obscenaque sacra confessione publica palam facta sunt. Pudet referre. Aderat puella decennis vitiata; aderat et corruptor virginis cum duabus mulierculis consciis, et ipso episcopo infando criminis ordinatore. Per ordinem omnia exposita: qui fuerint ritus, qui episcopi sacerdotesque sacrilegæ religionis, quibus in locis vetitos cœtus agerent, quas in provincias labes hæc penetravit. Hortatu sancti Leonis multi ad bonam frugem redierunt, et coram ejurata hæresi dicto, scriptoque condemnata, pœnitentiæ leD gibus subjecti sunt; alii, quibus potior turpitudo religionis, acti in exsilium, in eaque loca deturbati ubi contagione grex Christi contaminari non poterat. Edictis præterea principum coercita insania est. Valentinianus uno aut altero anno post, constitutione ad Albinum præfectum prætorio directa eos publico crimine teneri declarat, militare prohibet arcet a

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

erant; ac proinde traditæ credendæ sunt ineunte an. 443, vel etiam an. 442, et forte illa præsertim ad Cyrillum an. 441. Sane pro solvendo dubio Pachatis an. 455 Leo scribere cœpit an. 451, ut liquet ex epist. 88, c. 4.

Alterum, quod congressionem cum Manichæis præcessit, est epistola 4 ad Campanos data die 10 Octobris an. 443. Manichæos enim detectos fuisse solum sub hujus anni finem, satis ostendimus in admonitione ad epist. 1, n. 23.

(*a*) De hoc conventu et de gestis in eo habitis, quibus Manichæi detecti fuerunt, vide quæ diximus in dissert. de Epistolis deperditis n. 4. Hic conventus habitus quidem fuit sub finem anni 443, at sermones ubi de iisdem jam detectis sermo est, huic conventui præcessisse Quesnellus perperam narrat. Et licet sermones 5 de jejunio decimi mensis, et 4 de Nativitate Domini eodem anno habiti fuerint, sermones tamen 4 de Epiphania, et 4 de Quadragesima in sequentem annum 444 rejiciendi sunt.

communi hominum consortio, testandi facultatem adimit, et ab omni pariter hæreditatis successione amovet; defensorum et judicum auxilia illis non permittit; demum sancit valituras leges, quæ contra eos diversis temporibus latæ sunt.

V. Legitur et Leonis epistola ad episcopos Italiæ contra Manichæos (*Epist.* 8, *nunc* 7), anno 444 scripta post detectam Romæ damnatamque eorum perfidiam, quæ et per provincias (*a*) ad omnes episcopos missa est. Hujus meminit Idatius episcopus et scriptor illorum temporum æqualis. Laudi non modo vigilantia Leonis fuit, sed etiam exemplo. Tum per Occidentem, tum per Orientem facta inquisitio de hac hæresi. Episcopi certatim hæc monstra fugare e suis latibulis, et hac perniciosa labe liberare provincias. Hoc præsertim nomine laudatur a Theodorito Leonis fides. *Hujus quidem*, inquit (*Epist. nunc* 52 *ad S. Leonem*), *possunt quoque multa alia inveniri indicia : sufficit autem et vester zelus in nefandos infaustosque Manichæos, quem vestra nuper sanctitas aperuit, ostendens vestræ in Deum pietatis studium.* Baronius ad annum 444 hæc refert; nos anno uno citius retulimus. **429** Prosper enim, qui forte conventui interserat, Maximo Paternoque coss. gesta scribit, scilicet ad annum 443. Epistola quidem Leonis ad episcopos Italiæ data est anno sequenti, sed ad finem Januarii; unde colligo rem gestam anno superiore : nam inquirere de Manichæis, conventicula eorum et cœtus detegere, extorquere ab eis confessionem, consessum de hac re habere, hortari ad pœnitentiam, reluctantes plectere exsilio, non est negotium aliquot dierum; nec epistola ad episcopos scripta est nisi re gesta, ut ipse Leo profitetur. Est præterea sancti Leonis homilia 5 de Jejunio decimi mensis ubi de hac causa loquitur ut modo peracta, immo ut nondum confecta, quod cadit potius in Decembrem anni 443 quam in annum 444. Eosdem insectatur pontifex in sermone 4 in Quadragesima cap. 5, ubi, *ne penitus*, inquit, *latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiunt; sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant*, hisque indiciis illos deprehendi posse admonet : unde non absurde colligi videtur et prius non imperatam fuisse communionem sub utraque **430** specie, ac postea fuisse si non præceptam, saltem maxime commendatam.

VI. Iis (*b*) ita feliciter adversus Manichæos pro fide gestis, sanctus Leo labentem seu temporum, seu hominum vitio disciplinam restituere instituit. De hac re epistolam ad episcopos Campaniæ, Piceni et Tusciæ scribit (*Epist.* 3, *nunc* 4), quæ temporis ordine (*c*) eam quam de Manichæis scriptam esse diximus, A antecedit. In ea servos vetat fieri sacerdotes, aliosque promoveri, nisi qui et natalium et morum nobilitate vigeant; ne id sit in dedecus Ecclesiæ et fraudem dominorum. *Debet enim*, inquit (*Ibidem, cap.* 1), *esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus; ut a castris Dominicis, quibus nomen ejus ascribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.* Similiter vetat ordinari viduarum maritos aut digamos, quod est contra canonem Ecclesiæ et S. Pauli apostoli auctoritatem; qui ejusmodi sunt, et ab officio et a sacerdotio removet. Jubet demum acriter animadverti in quemlibet clericum qui usuras exercet, negans id laicis licitum, nedum clericis.

ANNUS CHRISTI 444; — LEONIS PAPÆ 5; — THEODOSII 37, VALENTINIANI 20, IMPP.; — THEODOSIO XVIII ET ALBINO COSS.

I. Magna (*d*) hoc anno de die Paschatis disputatio fuit. Variæ olim de hac celebritate in Ecclesia contentiones, quæ tandem compositæ in Nicæna synodo, B decretumque ut post æquinoctium Dominica proxime sequenti quartam et decimam lunam celebritas fieret. Quoniam Alexandriæ florebat ars inspiciendi computandique cursum astrorum, Alexandrino episcopo data provincia, ut quotannis diem orbi Christiano indiceret; exstantque hodie Theophili Alexandrini episcopi epistolæ aliquot paschales. Ille vero diligentius investigatis lunæ solisque conversionibus (*e*) cyclum ediderat qui in usu et pretio fuit tempore Leonis Magni. Igitur ex computo hujus episcopi anno Christi 444 Pascha rejectum ad 23 diem Aprilis; in Occidente vulgo vitium fuisse in cyclo creditum est : nec paschalem diem eo usque differendum. Leo super hanc controversiam Cyrillum primo Alexandrinum pontificem consuluit, deinde **431** Paschasinum Lilybæi episcopum, cujus præclara in concilio Chalcedonensi memoria est. Uterque cyclum Theophili confirmavit; idque Paschasinus ex computo Hebræorum approbat, et miraculo quod sub pontificatu Zo- C simi accidit. Paschasini epistola edita est, qua cyclum Theophili paschalemque diem hujus anni ad 23 diem Aprilis ab injuria vindicat. Baronius existimavit de die 25 Aprilis fuisse controversiam; sed allucinatio est, unde error alter in annalibus : nam hanc de Paschate contentionem in annum 455 rejicit, quod undecim annorum est metachronismus, et duas de eadem re controversias simul miscet. Non est hujus loci de his exactius disserere. Cæterum haud dubium est Leonem Cyrillo Paschasinoque assensum esse. Prosper enim, qui Romæ versabatur, Leonique familiaris erat, nec Alexandrinorum alioqui computo

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) In tabula collectionis 5 vocatur *Epistola generalis de Manichæis*; et codices collect. 2 et 5 hanc inscriptionem exhibent : *universis episcopis per diversas provincias constitutis*. Ex quibus discimus hanc constitutionem fuisse encyclicam datam *a pari* ad episcopos diversarum provinciarum; ac propterea in aliquo codice, quem Quesnellus vidit, missa traditur *per illum acolythum*, ubi formula *illi* posita pro nomine proprio acolythi, qui in ipsis litteris nominabatur, plures fuisse acolythos indicat, qui diversa exempla in diversas provincias detulerunt.

(*b*) Alterum Leonis factum hic recensendum est ex coævo auctore libri de Promissionibus part. IV, c. 6 : *In Italia quoque nobis apud Campaniam constitutis, dum venerabilis et apostolico honore nominandus papa Leo Manichæos subverteret, et contereret Pelagianos, et maxime Julianum, ambiens tum quidam Florus*, etc. Hinc Leonem, quo tempore Manichæos subvertit, Pelagianos etiam et Julianum contrivisse cognoscimus, de quo plura in admonit. ad epistolam 1, n. 23, ubi et Prosperi libellos contra eosdem Pelagianos Romæ oblatos memoravimus.

(*c*) Epistola 4 ad Campanos data 10 Octobris an. 443, non solum ordine præcedit epistolam 7 ad episcopos Italiæ, sed ipsum etiam conventum quo Manichæi detecti fuere; alias in ea de vitandis Manichæis jam detectis ita monuisset episcopos Campaniæ, ut Italiæ episcopos monuit epist. 7 data initio anni sequentis.

(*d*) Disputatio seu potius disquisitio de die Pascha- D tis an. 444 non hoc anno, sed antecedentibus fuit. Vide annot. 1 (*Col.* 202, *n.* •) in annum præcedentem. Quæ autem fuerit quæstionis hujus ratio, exactius explicatur in notationibus ad Fragmentum epistolæ S. Cyrilli ad Leonem, quod epistolæ 3 Paschasini præmisimus.

(*e*) Non cyclus seu periodus Theophili annorum 418, quæ incipiebat ab an. 475, sed laterculus ejusdem annorum centum, qui inchoabat ab anno 380, seu potius computatio Alexandrinorum ex hoc laterculo deducta causam dedit controversiæ de die paschali an. 444. Anno enim 65 ipsius laterculi, qui respondebat anno Christi 444, Pascha notabatur die 23 Aprilis; cum Latini ex suo cyclo annorum 84, quem Prosper emendaverat, Pascha hujus anni evehendum contenderent ad diem 26 Martii. Confer annotationes memoratas in Cyrilli Fragmentum.

favebat, hæc habet in Chronico : *Hoc anno*, inquit, A *Pascha Domini* IX *calend. Maii celebratum est, nec erratum est, quia inde* XI *calendarum Maiarum dies Passionis fuit, ob cujus reverentiam Natalis urbis Romæ sine circensibus transiit.*

II. Sub (*a*) finem ejusdem anni Anastasius Thessalonicensis episcopus Nicolaum presbyterum cum litteris ad Leonem mittit (*Epist.* 4, *nunc* 6), rogatque ut more decessorum suorum ejus vices in Illyricum gerat. Benigne respondet Leo, annuensque ejus petitioni significat, quemadmodum olim Siricius Anisio ejus prædecessori bene de apostolica sede merito vices in Ecclesias Illyrici commiserat, sic se suas illi committere. Monet deinde ut eorum sequatur exempla, quorum privilegiis utitur; caveat ut sacerdotes vita et moribus, non gratia, ambitu, aut emptis suffragiis **432** sacerdotium adipiscantur; itidem digamos arcet a sacerdotio, et digamum esse vult, qui duxit uxorem ante baptismum, et qua sublata jam initiatus baptismo alteram duxit. (*b*) Denique sacerdotes, sicut episcopos, non alia quam die Dominica B consecrandos pronuntiat. Aliis insuper litteris metropolitanos monet se suas vices episcopo Thessalonicensi dedisse, nec tamen ideo Ecclesiarum imminui jura, immo conservari hac ratione disciplinam et leges Ecclesiæ (*Epist.* 5, *episcopis Illyrici*). Altera est epistola Leonis ad eosdem metropolitanos (*Epist.* 12, *nunc* 13, *ad episc. per Achaiam*) data anno 446, qua susceptas æquo animo litteras Leonis constat.

III. Ad (*c*) eadem prope tempora refero ea quæ dicuntur in opere *de Promissionibus Dei*, quod vulgo, sed falso, Prospero tribuitur. Illic mentio Leonis, quod adversus Pelagianos Julianumque eorum principem arma moverit. *In Italia quoque*, dicit ille auctor, *nobis apud Campaniam constitutis, dum venerabilis et apostolico honore nominandus papa Leo Manichæos subverteret, et contereret Pelagianos et maxime Julianum*, etc. (*De Promis. et Præd. Dei divid. temp. c.* 6). Ex quibus verbis constat adversus Pelagianos a Leone gestum bellum in Campania; nam et auctor C ille ideo videtur meminisse Campaniæ, *nobis in Campania constitutis*, et Julianus Eclani episcopus erat, quod oppidum fuit Campaniæ. Neque vero, opinor, Pelagianismum per Campaniam solummodo grassantem profligare nitebatur, sed et per cæteras Italiæ provincias, et maxime per Aquileiensem; quod ex binis Leonis epistolis accipio, quarum altera ad episcopum Aquileiensem est, altera ad Septimium Altini episcopum; cujus rei Photius mentionem facit, cum Pelagianos dicit renovatis erroribus iterum **433** gratiam Christi oppugnasse; sed Leonem a Septimio admonitum virtute Leonis simillima hostes afflixisse. En verba Photii, quæ ex genuinis actorum exemplaribus videtur accepisse : EXEMPLAR ACTORUM AB OCCIDENTIS EPISCOPIS ADVERSUS NESTORIANA DOGMATA, *ubi hæc habentur : Cum temporis deinde progressu sectæ hujus homines per hæresis suæ abjurationem Ecclesiæ restituti essent, iterum malum ab ipsis principium sumpsit, ut Septimio episcopo renascens eadem lues, antequam longius serperet, fuerit reprimenda, datis ad Leonem Romæ tunc sedem apostolicam tenentem litteris; qui Leo fervent zelo contra impios depugnavit* (*Photius lib.* I *Biblioth. cod.* 54). (Hic Nestoriana dicit dogmata pro Pelagianis, propter affinitatem doctrinæ.) Rescripsit Leo Septimio, sed et episcopo provinciæ metropolitano, quem Nicetam mendosi codices appellant. Leguntur hodie ad eos episcopos epistolæ. Utrumque accendit in Pelagianos, sed metropolitanum maxime redarguit, quod reviviscentem hæresim non opprimat, quod ad communionem admissi Cœlestiani, non prius de erroribus exacta condemnatione. Monet ut synodum illico provincialem cogat, ne longius serpat malum, et ne quis ficta emendatione dolo malo labem dissimulet, a Pelagianis Cœlestianisque nemo ad Ecclesiam admittatur, nisi prius publica detestatione hæreseos approbatis manu et subscriptione, quæcumque ad excidendam hydram hanc, tum Ecclesia universalis, tum (*d*) apostolica sedes synodalibus decretis sancivit.

IV. Hoc loco Annales Ecclesiasticos emendare oportet, seu horum doctissimus conditor aliorum mendis, seu sua sit deceptus conjectura. Auctorem scilicet operis *de Promissionibus Dei*, Prosperum esse scribit, atque ita illum longis itineribus per Italiam Africamque circumducit; tum illi nova bella contra Pelagianos attribuit : quæ omnia ex hoc eodem manant. Non enim Prosperi est illud opus, sed ignoti anonymique cujusdam Africani, cujus stylus dicendique character quam longe a Prosperiano distet, quivis æquus rerum æstimator facile judicet. Hujus quippe oratio humilis, jejuna et simplex; Prosperi loquendi genus abundans, dives, viribus et nervis valens, locuples sententiis. Frustra *quis dixerit* exaratum hoc opus a Prospero juvene, cum sit hominis ætate provecti, ut et ipse auctor de se testatur, et ex multis locis constat. Gennadius certe horum temporum suppar, **434** texens catalogum librorum Prosperi, libri *de Promissionibus Dei* non meminit. Neque quæ anonymus ille de se commemorat bene Prospero conveniunt : nam adolescentiæ annos scriptor ille in Africa transegit, ut ipse testis est, cum de Cœlestis templo Carthaginensi in Africa

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Non sub finem, sed sub initium hujus anni, nimirum pridie idus Januarii, ad Anastasium et ad metropolitas per Illyricum Leo respondit; ac propterea Anastasii ad Leonem epistola ac Nicolai presbyteri transmissio pertinent ad an. 443. Huic autem facto præmittenda erat alia Leonis epistola ad eumdem Anastasium, qua eum monuerat *ut de statu Ec-* D *clesiarum vestrarum*, inquit epist. 5 ad Illyrici metropolitas, c. 5, *certiores subinde sua relatione nos faceret.* Huic autem monitioni obsequens Anastasius laudatas litteras ad Leonem per Nicolaum presbyterum direxit. Confer dissert. de Epistolis deperditis, n. 5 et 6.

(*b*) Nonnulla hic a Quesnello omissa supplenda sunt. Episcopos Illyrici a metropolitis inconsulto Thessalonicensi ordinari vetat S. Leo. Ipsos autem metropolitas ab episcopo Thessalonicensi jubet ordinari. Mandat ut ad synodum quisquis episcopus fuerit evocatus, accurrat. Causas majores et appellationes apostolicæ sedis judicio ex traditione veteris instituti reservat.

(*c*) Hoc loco facta et chronologiam Quesnellus pervertit et aliorsum distrahit. Duo Leonis gesta adversus Pelagianos distinguenda sunt : primum contra illos provinciæ Aquileiensis, qui sine debitis cautionibus recepti fuerant, ut Septimus Altinas monuerat; alterum adversus eos Pelagianos qui Romam ipsam turbare cœperant, quique offerente Prospero adversus eos accusationis libellos evanuere, ut ex horum gestorum ordine quem profert Photius dicendum est. Ad hos postremos Pelagianos, non vero ad primos referendum videtur testimonium auctoris libri de Promissionibus; cumque hoc factum Pelagianorum ab eo copuletur cum gestis adversus Manichæos, utrumque referendum est ad finem anni 443, et primum factum adversus Pelagianos provinciæ Aquileiensis ad anteriorem 442. Vide de his plura in admonit. ad epist. I, n. 23 et seqq. Addendum porro hoc loco est testimonium Gelasii papæ in epist. 5 ad Honorium episcopum Dalmatiæ, ubi hæc Leonis gesta respiciens, eum inter prædecessores suos adversus Pelagianam hæresim fortiter dimicantem recenset: *An fortasse nescitis hanc hæresim ab apostolica dudum sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Cœlestinum, Sixtum, Leonem continuis et ineffabilibus sententiis fuisse prostratam?*

(*d*) Vide quæ animadvertimus in notam 2 et 3 Quesnelli ad epistolam 6, nunc 1.

loquitur. *Nam cum sancta Paschæ,* inquit, *solemnis ageretur festivitas, collecta illic et undique omni curiositate, etiam adveniens multitudo sacerdotum multorum, Pater et dignæ memoriæ nominandus antistes Aurelius cœlestis jam patriæ civis, cathedram illic loco Cœlestis et habuit et sedit; ipse tunc aderam cum sociis et amicis; atque ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat, dum curiosi singula quæque pro magnitudine inspicimus,* etc.

Id igitur accidit sub episcopatu Aurelii Carthaginensis circa annum 420; eumdem porro in Africa versatum Aspare consule, anno scilicet 434, apud eumdem auctorem legimus, ut non dubium sit illi patriam fuisse Africam, ubi ætatem egit, et unde aliquando occasione persecutionis Vandalicæ ad Campaniam Italiæ transmeavit. Prosper vero et natus in Gallia est et educatus, et in Africa numquam se egisse suggerit ipse in epistola ad sanctum Augustinum, cui ignotum se facie testatur. His ita constitutis, discedimus a Baronio, qui ex Photio narrat Prosperum in Campania decertasse adversus Pelagianos. Photius quippe magis eum depugnasse Romæ quam in Campania auctor est; ejus verba sunt: *Post non diu rursum veluti existere atque enasci e mala radice impudenter cum cœpisset hæresis Cœlestiana, Romæ etiam quidam libere pro hæresi locuti sunt, quos Prosper homo sane divinus libellis adversus eos in vulgus editis facile dissipavit exstinxitque, Leone etiamnum, quem diximus, Romanam sedem gubernante* (*Bibliothecæ lib.* I, *cod.* 54). Romæ id actum satis intelligitur et fere sub finem pontificatus Leonis.

V. Neque Baronius verius scripsit a Leone edita quædam adversus Pelagianos scripta, quorum memoria apud Photium, quæque ad nos usque non pervenerint. *Scripsit,* ait Photius, *et sanctus Leo, Romanus episcopus de Pelagianis conversis quomodo debeant recipi, quando convertuntur, scriptis suam opinionem damnantes.* Hic certe sermo est de epistolis ad Aquileiæ Altinique episcopos, quas modo diximus scriptas contra Cœlestianos; sed quas Baronius, prudens, an imprudens, tacuit in Annalibus.

435 ANNUS CHRISTI 445; — LEONIS PAPÆ 6; — THEODOSII 38, VALENTIN. 21, IMPP.; — VALENTINIANO VI ET NOMO COSS.

I. Hoc anno inter sanctos Leonem Hilariumque Arelatensem orta contentio, seu sanctissimis viris humani aliquid contigerit, seu casu rerum, causarumque noxa, quas anno superiori natas esse oportet. Hæc litis occasio fuit. Celidonius provinciæ, ut opinor, Viennensis episcopus, in synodo cui præerat Hilarius, et ubi intererat sanctus Germanus Autissiodorensis, accusatus est quod ante episcopatum viduæ maritus erat, quodque olim dum sæculari administratione fungeretur, sedens pro tribunali reum morti addixerat, et nihilominus ordinatus fuisset episcopus. Visum id contra leges Ecclesiæ, eoque nomine loco motus est, privatusque episcopatu. Celidonius judicium non ferens, Romam venit, expostulavitque injuriam cum pontifice, adversus Hilarium multa conquestus, se premi accusatorum calumnia. Testes et secum adduxerat, qui crimen aut

A verum, aut conflctum a se depellerent. Leo restituit Celidonium in sedem. Hilarius, qui et Romam profectus fuerat, moleste ferens actum in concilio judicium revocari, (*a*) non approbata pontificis sententia ab Urbe discedit, rediitque in Gallias. Leo inopino discessu exacerbatus plenas irarum litteras (*Epist.* 10, *al.* 89) ad Viennensis provinciæ episcopos mittit, et per Valentinianum Augustum egit, ut demandata Aetio (*b*) Præfecto Prætorio provincia Romano judicio sua esset auctoritas; suæque Hilario jura et privilegia Ecclesiæ ademit. Neque vitio verti debet sancto Leoni, si (*c*) fraudem passus est: quis enim tam lynceus est, quem non obnubilet testium perfidia, vel hominum versatile ingenium? De ea re hic festinanter, alias copiosius (*d*).

II. Dum hæc in Occidente geruntur, moritur in Oriente magnus ille Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus. Dioscorus illi suffectus est, vir adumbratæ virtutis, qui specie honesti et ostentatione sanctitatis ad 436 honores summos Ecclesiæ arrepsit.
B Statim atque electus est, de ordinatione ad Leonem per Possidonium presbyterum indidem litteras misit; hunc eumdemque esse existimo quem olim Cyrillus adversus Nestorium Romam miserat. Is porro commoratus aliquamdiu Romæ, Ecclesiæ florentem statum vidit et admiratus est. Abeunti Leo litteras dedit (*Epist.* 11, *nunc* 9), quibus Dioscoro persuadere conatur ut nonnulla in quibus Alexandrina Ecclesia a Romanæ institutis discessisse videbatur, emendaret, memor sancti apostoli Petri, qui primus Alexandrinam gubernarat Ecclesiam. Monet imprimis ne presbyteros diaconosque alia quam Dominica ordinaret, cujus diei initium sit a vespera sabbati; nec semel tantum in basilicis diebus festis offeratur sacrificium: ne ob multitudinem fidelium pars populi sacrificii oblatione privetur: *Sed quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur.* In eadem epistola et auctoritatis et modestiæ exemplum est. Admonetur enim Alexandrinus episcopus sui officii a
C Romano pontifice, sed ex paterno magis fraternoque affectu et charitate, quam ex imperio. *Paterna, igitur,* inquit, *et fraterna collatio debet esse sanctitati tuæ gratissima, et a te taliter suscipi, quemadmodum a nobis eam intelligis proficisci.* Tum subdit: *Quod ergo a partibus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis volumus custodiri; et ideo pie et laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam,* etc. Denique: *Studiose ergo dilectionem tuam et familiariter admonemus, ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat.*

III. Est et ejusdem Leonis ad Anastasium Thessalonicensem epistola (*Epist.* 12, *nunc* 14), quæ quo tempore scripta sit non comperio, sed quam 437 (*e*) ad hunc annum facile referendam existimo, ut in notis fusius habetur explicatum. Hujus scribendæ occasio fuit, quod Anastasius auctoritate metropolitica vel exarchica abutebatur, et magis impetu animi
D quam prudentia vices Leonis agebat. Gravissimis itaque litteris eum castigat, hortaturque ut moderate

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hic duo præsumuntur, quæ falsa sunt: 1° Hilarium Roma discessisse post editam a Leone sententiam, quod ei suppositiliæ epistolæ ad Viennenses innititur, quam in appendicem rejecimus; 2° Hilarium eamdem auctoritatem metropoliticam, quam sibi Leo abstulerat, exercuisse quoad vixit. Vide observ. ad dissert. 5 ejusdem Quesnelli part. III, c. 2, ubi utramque hanc Quesnelli hypothesim falsam ostendemus; atque exinde etiam patebit Hilarium Roma discessisse antequam Leo sententiam ferret epistola 10.

(*b*) Aetius non fuit præfectus Prætorio, sed patricius et utriusque militiæ magister, ut vel ex ipsa Valentiniani novella, nobis epist. 11 exploratum est.

(*c*) Num Leo fraudem passus sit, non ita certo definiri posse patebit ex iis quæ dicemus in observ. ad eamdem dissertationem 5, part. I, c. 3, et part. III, c. 3, n. 2.

(*d*) Dissertationem 5 apologeticam pro S. Hilario Arelatensi allegat in margine; a qua nostræ annotationes et observationes non erunt disjungendæ, ut æquum de tota re judicium feratur.

(*e*) Non ad hunc annum, sed ad sequentem hanc epistolam pertinere patebit ex annotatione sequenti. Huic vero anno 445 affigendæ sunt duæ epistolæ Illyricianorum et Anastasii Thessalonicensis ad Leonem, quæ perierunt. De his in sequenti annotatione redibit sermo.

A et temperanter se gerat, et si quæ in sacerdotibus corrigenda, id ex consilio et charitate faciat, potius quam ex animi commotione **438** et potestate. En moderati animi verba aurea : *Erga corrigendos plus agat benevolentia quam severitas; plus cohortatio quam commotio; plus charitas quam potestas. Sed ab his qui quæ sua sunt quærunt; non Jesu Christi, facile ab hac lege disceditur; et dum dominari magis quam consulere subditis placet, honor inflat superbiam, et quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam.*

ANNUS CHRISTI 446; — LEONIS PAPÆ 7; — THEODOSII 39, VALENTIN. 22, IMPP.; — ÆTIO ET SYMMACHO COSS.

Anno præsenti, Aetio Symmachoque consulibus, Leo ad metropolitanos (a) Achaiæ scripsit epistolam (*Epist.* 13 *ex Holstenio*), quam ex opere posthumo Holstenii, quod *Collectio Romana* inscribitur, huc transtulimus; scriptaque est pro vicariatu Anastasii Thessalonicensis episcopi. Causas majores ad eum referendas censet; objurgat metropolitanum Achaiæ B **439** provinciæ quod invitis Thespiensibus consecrasset episcopum; constituitque ut nullus **440** episcopus alterius sibi vindicet clericum sine illius, ad quem pertinet, potestate.

ANNUS CHRISTI 447; — LEONIS PAPÆ 8; — THEODOSII 40. VALENTINIANI 23, IMPP.; — CALEPIO ET ARDABURE COSS.

I. Pridie (b) kalendas Julii Ardabure et Calepio coss. scripsit sanctus Leo ad Januarium Aquileiensem episcopum (*Epist.* 14, *nunc* 18) contra hæreticos, ne admittantur ad communionem catholicam, nisi publica professione detestati hæresim sint. Et presbyteri diaconique, aut cujuslibet ordinis clerici hoc loco beneficii et gratiæ habeant, si ex hæresi ad Ecclesiam reversi in eo in quo inveniuntur ordine maneant, nec se ultra sperent promovendos. Si Pelagiani sunt, de quibus hic agitur, quosque jam diximus duce Juliano turbare Ecclesiam, hac occasione scriptam esse crediderim istam epistolam. Ex quo Julianus dejectus est ab episcopatu, pulsusque ex Italia, vagus et extorris nullibi sedes certas habuerat. Primo Constantinopolim fugit, sed et inde ejectus post Ephesinam synodum, ubi tam Pelagiana quam Nestoriana hæresis proscripta est, in Gallias migravit tamquam in asylum, non ignarus qui homines illic Augustini de gratia doctrinam oppugnarent. Hilario certe, qui ex monacho Lirinensi creatus Arelatensis episcopus fuerat, Augustiniana de prædestinatione doctrina non admodum placebat, etsi in aliis omnibus, ut Prosper scribit (*Epist. S. Prosperi ad S. Augustinum*), admiratorem se Augustini sectatoremque profiteretur. Tum Faustus abbatem in Lirinensi insula agebat; huc Julianus advehitur infaustus hospes : nam abbatis animum ea labe imbuit, qua Fausti scripta postmodum aspersa sunt. Hæc et alia id genus, quæ multos latent, retecturum se (c) certisque probationibus, tam ex Fulgentio quam ex aliis asserturum, promiserat vir doctissimus Hie-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Codex quidem, ex quo hæc epistola edita fuit, Achaiam præfert; at *Illyrici* certe corrigendum probavimus annot. 2 (*Tom. præced. col.* 663, *n.* h) in ipsam epist. 13. In hac autem epistola, c. 1, memorantur litteræ Illyricianorum ad Leonem, et cap. 3 mentio fit relationis Anastasii ad eumdem pontificem; cumque ea epistola data fuerit die 6 Januarii an. 446, illæ Illyricianorum litteræ, et hæc relatio Anastasii pertinent ad an. 445. Leo Thessalonicensi episcopo omnes Illyrici Ecclesias delegatione apostolica subjecerat, idque omnibus metropolitis Illyrici significaverat epist. 5, scripta pridie idus Januarii an. 444, et ut rescriberent præceperat. Illos responsionem non multum distulisse credibile est. Hinc alias ipsorum litteras desiderari putamus anteriores illis quibus die 6 Januarii reddidit epistolam 13. Ex hac autem epistola discimus sex metropolitas ibidem inscriptos, non vero omnes Thessalonicensi vicario, et Leonis mandatis paruisse; unde S. pontifex C *quorumdam inobedientiam* se correcturum minatur. Porro ex relatione Anastasii idem pontifex cognoverat, Achaiæ metropolitam illicitas ordinationes celebrasse, et inter has distincte memorat ordinationem episcopi Thespiensis, qui incognitus invitis et repugnantibus præpositus fuit. Eodem tempore quo ad episcopos Illyrici idem Leo etiam respondit relationi Anastasii, quæ circa factum metropolitæ Achaiæ præcipue versabatur; ibique alia nonnulla erant inserta, quæ ex cap. 4 ejusdem epistolæ 13 in episcoporum Illyrici notitiam ab eodem Anastasio dirigenda erant. Hanc Leonis responsionem Quesnellus esse credidit epist. 14 ad Anastasium. At factum Attici cum aliam Leonis epistolam, quæ intercidit, Anastasio hoc tempore rescriptam astruit, tum vero epistolam 14 aliis ejusdem Anastasii litteris posterius redditam palam facit. Anastasium scilicet duas ad Leonem de Attici causa epistolas dedisse colligitur ex epist. 14, c. 1. In prima id tantum indicaverat, quod ille ad synodum D *evocatus adesse differret, et excusationem infirmitatis obtenderet.* Huic respondit S. Leo epistola quæ periit, quamque datam credimus eodem die 6 Januarii, quo scripta fuit ad Illyricianos episcopos epistola 13. Hinc cum eodem Anastasio queritur epist. 14, quod non exspectato suo responso, metuens ne forte mitius quam ipse vellet cum Attico agendum Leo præciperet, apud præfectum Prætorio Illyrici egit, ut Atticus Thessalonicam hiemis tempore vi adduceretur. Id contigit ipso hieme exeuntis anni 445, vel ineuntis 446, antequam Leonis responsio Thessalonicam perveniret. Id autem cum Anastasius obtinuisset, alteram epistolam ad Leonem per diaconos direxit, in qua dissimulato hoc violento modo quo Atticum coegerat, id unum referebat *quod frater Atticus Thessalonicam venisset, quodque consensum suum etiam scripturæ professione signasset.* At paulo post has litteras a diaconibus Romam perlatas supervenit idem Atticus cum quibusdam episcopis suæ provinciæ, et de acerbiori ratione qua Anastasius secum egerat, conquestus est coram ipsis Anastasii diaconis, qui nihil reponere ausi sunt. Vides Illyrici Orientalis metropolitam cum aliquot suis comprovincialibus Romam confugere, et apud apostolicam sedem intercedere? Huic autem alteri Anastasii epistolæ Leo rescripsit epist. 14, qua violentum agendi modum ejus reprehendit, aliaque præclara ecclesiasticæ disciplinæ decreta proposuit. Hinc epistola 14 aliquanto post VI id. Januarii anni 446 scripta cognoscitur. Huc referenda est epistola 12 Leonis ad episcopos Mauritaniæ scripta post an. 445, de qua Quesnellus egit ad an. 440. n. 13.

(b) Epistolam ad Januarium scriptam fuisse III kal. Januarii annot. 15 (*Tom. præced. col.* 708, *n.* q) ostendimus. De Pelagianis autem, non vero de Donatistis vel Novatianis ibidem agi colliges ex annot. 5 et 6 (*Ibid., col.* 707, *n.* c *et* e). Quæ autem hujus epistolæ scribendæ occasio fuerit, conjecimus in admonitione præmissa epist. 1, n. 26, ex qua Pelagiana hæresis irrepsisse cognoscetur in Aquileiensem provinciam jam inde a temporibus Zosimi, sub quo libellus distinctus ab illis duobus, quos Julianus aliique episcopi Pelagiani Zosimo obtulere, Augustino episcopo Aquileiensi oblatus fuit a quibusdam, qui in ea provincia Pelagianis erroribus infecti erant. Sicut autem qui ex his ad catholicam fidem redierunt, occasionem dedere epistolis 1 et 2, ita horum reliquiæ huic epistolæ ad Januarium scribendæ causam præbuerunt.

(c) « Quoad hæ probationes non proferantur nobis

ron. Vignier Oratorii D. Jesu presbyter, de Juliano A disserens in limine II tomi supplem. Operum B. Augustini; sed immatura morte præventus fidem præstare non potuit. Julianus porro ex illa insula in Italiam regressus novas turbas ciebat, vindicare se ab errore seu per speciem, seu per fraudem volens; fautoresque ejus eadem moliti redire ad Ecclesiam cupiebant. Hinc illa, opinor, Leonis ad Januarium epistola; si tamen, ut putant nonnulli, de Pelagianis hic agatur; mihi enim potius sermo esse videtur vel de Donatistis, vel de Novatianis. At commodius nostras ea de re conjecturas promemus in dissertationibus nostris.

II. Sed ecce nova bella in Hispania adversus Priscillianistas. Illi dum Suevus, Vandalus, Gothus urbes et provincias populant, renovare errores cœperunt; et dum quisque pro focis dimicat adversus B barbarum, ipsi lethalia animis bella serere, et longe graviora incautis vulnera infligere, quam externus hostis. Turribius Asturicensis episcopus, quoniam morbus ingravescebat, de ea re cum episcopis provinciæ egit; litteras et (*a*) libellum, in quo portenta sectæ continebantur refutabanturque, ad Leonem misit per diaconum suæ Ecclesiæ pervincum. Rescripsit Leo, exstatque ejus epistola (*Epist.* 15, *ad Turribium*), ubi hæresim ex fæce aliarum hæreseon coalitam probat, singulaque ejus capita seorsim conterit. Deinde quid ad excidendum monstrum opus sit, paucis explicat. Turribium episcoposque (*b*) Galleciæ et Lusitaniæ ad concilium vocat aliis litteris ad eos scriptis, **441** quæ exciderunt; si vero inter armorum strepitus cogi generalis synodus nequit, saltem aliquot episcopos convenire jubet, ut simul videant quid pro re Christiana adversus gliscentem C hæresim sit agendum.

III. Mense Octobri ad episcopos Siciliæ Leo gravissimam epistolam misit, eosque increpat, quod die Epiphaniæ baptismum solemniter celebrarent (*Epist.* 16 *ad episc. Siciliæ*). Id vero, quoniam Christus S. Joannis baptismum eo die suscepisse vulgo credebatur. Consuetudinem Ecclesiæ Leo confirmat, qua solitum publice baptismum agere diebus Paschæ et Pentecostes, antiquum esse morem haustum ab apostolis, quem deinde et rationibus non paucis asserit; baptismum esse imaginem resurrectionis, per hoc mysterium hominem Christianum reviviscere, triduanam sepulturam per trinam immersionem denotari, hominem ex aquis tamquam e sepulcro levari. *Ipsa igitur*, inquit, *operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in quo orta est et virtus muneris et species actionis.* Addit et huic celebritati consecratum diem Pentecostes, quasi aliquod Paschæ supplementum, effusum super apostolos hac die Spiritum sanctum, eo die tinctos a Petro **442** tria hominum millia; his et similibus ad retinendum priscum morem Siculos adhortatur. Sub finem epistolæ dat salubre Ecclesiis consilium, ut bis quotannis terni episcopi Romam mittantur, et in commune bonum Ecclesiæ simul conferant ad custodienda decreta SS. Patrum, et errores ab Ecclesia eliminandos : *Cum coram beatissimo apostolo Petro id semper in commune tractandum fuerit, ut omnia ipsius constituta canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant* (*Epist. supra laud.*). Gerardus Vossius, ille catholicus theologus, publicavit alteram Leonis ad eosdem episcopos epistolam (*Epist.* 17, *ad episcopos Siciliæ*), qua prohibet bonorum Ecclesiæ alienationem; nisi in ejus proventum utilitatemque, neque id sine consensu et cleri approbatione, sed in (*c*) hac epistola desidero stylum S. Leonis; neque mihi facile persuadeo binas litteras ad eosdem tam brevi tempore scriptas, illam quidem XII, hanc XI kalend. Octobr., Alipio et Ardabure coss.; hanc tamen, qualiscumque sit, ex epistolis S. pontificis non expunxi. Sed de ejus suppositione plura in observationibus.

IV. Neque hic præteribo memoriam (*d*) epistolæ Leonis, etsi ipsa periit, cujus mentio **443** est in Chalcedonensi synodo. Causa epistolæ hæc fuit.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

interim assensum suspendere licebit, » inquit cardinalis Norisius lib. II Hist. Pelag. c. 13.

(*a*) Addendum est etiam Commonitorium. Libellus porro ante episcopatum a Turribio lucubratus fuit, ex quo non superest nisi epistola nuncupatoria ad Idatium et Ceponium, quam in appendice Epistolarum dedimus. Confer admonitionem huic epistolæ præmissam, et dissertationem de Epistolis deperditis, n. 16.

(*b*) Quatuor Leonis epistolæ in hac causa distinguendæ sunt. Una, quæ superest, responsiva ad Turribium, in qua præcepit ut generalis synodus ex episcopis Tarraconensibus, Carthaginensibus, Lusitanis et Bæticis cogeretur; vel si aliquo impedimento id fieri non posset, Galliciæ saltem episcopi, inter quos error serpebat, omnino convenirent, ut serpenti malo remedium afferretur. Secunda ad episcopos D memoratarum quatuor provinciarum, quos ad idem concilium cogendum excitavit. Cum porro rescisset hos episcopos, non autem Gallicios in Toletana synodo congregandos, tertiam epistolam ad eosdem dedit, præcipiens ut decretum fidei quod edituri essent vel edidissent, ad Balconium Bracarensem Galliciæ metropolitam mitterent. Quartam denique ad synodum peculiarem Galliciæ et ad Balconium metropolitanum direxit. Vide quæ de his egimus in dissertatione de Epist. deperditis, n. 17, 18, 19 et 20.

(*c*) Hanc epistolam 17 in admonitione et annotationibus vindicavimus.

(*d*) Hæc, quæ affiguntur an. 447, Tillemontius not. 10 in Leonem assignanda censet ann. 448. Id pendet ex diversa ratione computandi annos quatuor ab hoc facto ad concilium Chalcedonense, quos alii integros et aliquot mensibus auctos, alii vero incœptos et quibusdam mensibus deficientes computandos credunt. Quot porro commenta hac in re Quesnellus subdole infarcit, ut pontificiam auctoritatem deprimens, judicia apostolicæ sedis concilio generali subjiciat? Integra et simplex facti series, quæ apud ipsum non legitur, fraudem et errorem deteget.

Bassianus Ephesinæ Ecclesiæ presbyter, cum in Memnonis episcopi invidiam incidisset, ut Epheso amoveretur, ab eodem invitus ordinatus fuerat Evazorum episcopus; cumque adduci nequiverit ut ad hanc Ecclesiam regendam accederet, Basilius Memnonis successor violentam ordinationem miseratus, ei Ephesi commoranti dedit nomen et honorem episcopi, aliumque Evazensis Ecclesiæ episcopum consecravit. Post Basilii autem obitum idem Bassianus ab unico tantum Olympio episcopo Theodosiopolis per vim adducto in Ecclesiam, Ephesiorum episcopus institutus fuit. Hæc vis et modus institutionem ejusmodi contra canones factam palam demonstrant. Nihilo tamen minus idem Bassianus Theodosii imperatoris opera a Proclo Constantinopolitano receptus fuit, datisque synodicis ad universum clerum et populum Ephesinum, nec non ad cunctos Asiæ episcopos, per annos quatuor eamdem Ecclesiam pacifice possedit; et non tam clericos quam episcopos ordinavit. Postea vero aliquorum clericorum simultates popularem tumultum excitarunt, quo abductus ab Ecclesia, carceri Bassianus inclusus fuit. Quæ res cum ad imperatorem Theodosium delata fuisset, is Eustathium Silentiarium misit Ephesum, ut de hoc facto cognosceret, atque referret. Nihil autem certum elici potuit adversus Bassianum nisi illegitima ejus institutio. Imperator hac de re scripsisse traditur ad episcopum Alexandrinum, et probabiliter etiam dedit epistolas ad Ro-

Mortuo Basilio Ephesino episcopo, ordinatus est in ejus locum Bassianus contra canones. Post aliquot annos Stephanus, pulso per vim Bassiano, ejus locum occupat; quæ res perturbavit Ecclesiam Ephesinam. De violenta ordinatione Bassiani Stephanus tum apud Leonem, tum apud Alexandrinum episcopum et alios conquestus, litteras a Leone acceperat, quibus Bassianum deponendum esse statuerat; tumultus tamen non quievit, donec Chalcedone adversus Eutychem congregati sunt PP. De vi Bassianus egit adversus Stephanum, actaque coram Patribus causa utriusque retractata ordinatio. Tumque mentio epistolæ sancti Leonis, qua Bassianum loco movendum pronuntiaverat. Verum re examinata, judicio concilii uterque dejectus episcopatu, quoniam utriusque vitiosam ordinationem fuisse compertum est. Illius epistolæ memoria est in actione 11 concilii Chalcedonensis. Bassiani porro depositio, quod velim annotatum, primo acta est per provinciæ episcopos. Tum confirmata judicio non solius Romani episcopi, sed omnium primarum sedium; sic enim habetur in concilio Chalcedonensi (*Act.* 11): *Expulsus est Bassianus a SS. Patribus, et a sanctissimo regiæ Romæ Leone, et a beatissimo sanctæ memoriæ Flaviano Constantinopolitanæ urbis, et ab Alexandrino et Antiocheno, ab his expulsus est regio judicio.* Et iterum : *Et Romanus episcopus eum deposuit, et Alexandrinus eum damnavit.* Nota quod pro damnavit, Græce est καθεῖλε, deposuit; ita ut nihil **444** hoc in negotio uni tribuatur, quod non deferatur alteri.

V. Verum etsi proponebantur et epistola Leonis, et judicia primarum sedium, ventum est tamen ad

A causæ retractationem, nullo e legatis sedis apostolicæ refragante. Dum petuntur suffragia, alii utrumque dejiciendum, alii alterutrum retinendum censuerunt; in horum numero erat Julianus Coensium episcopus, et ipse legatus apostolicæ sedis, qui omisso Leonis, ut aiunt, judicio, existimavit Bassiano suam posse sedem servari : *Julianus reverendissimus Coensium civitatis episcopus, et ipse vicarius Romanæ apostolicæ sedis dixit : Non debent ambo projici* (*Act. concil. Chalc. part.* II, *act.* 12). Tandem depositionis in utrumque sententiam dixerunt judices, (*a*) laudato primum Anatolii CP. tum Paschasini legati suffragio : *Gloriosissimi judices dixerunt : Quoniam placuit universis interlocutio Dei amantissimi archiepiscopi regiæ Constantinopolis Anatolii, et reverendissimi episcopi Paschasini obtinentis locum Leonis Dei amantissimi archiepiscopi senioris Romæ*, etc. (*Ibidem*). Tunc Bassianus, qui nec primarum sedium, nec Leonis ipsius steterat sententiæ, synodi judicio acquievit, quia synodi œcumenicæ summa auctoritas et supremum est B judicium.

Hinc manifestum evadit nequidquam de hoc sibi exemplo blandiri Annalium Ecclesiasticorum auctorem (*Baron. ad an.* 447), scriptoremque nuperum, qui de canonicis episcoporum depositionibus ac judiciis infaustum volumen ad depressionem episcopalis dignitatis edidit (*Opus Gallice scriptum a quodam Davide : De Episcopis canonice judicandis*). Putant enim Leonem suo juri asseruisse de **445** metropolitanis etiam Orientalibus judicandi potestatem, eaque potestate usum in Bassianum; cum id non affirmet Stephanus scriptum a Leone, sed tantummodo Bassianum (*b*) *esse non oportere episcopum : ἄσι τον-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

manum pontificem, ac ad alios primarum sedium, quippe hi omnes rescripsere eum esse removendum. Tillemontius hic observat tom. XV, p. 464, aliud rescribi non potuisse, siquidem sola episcopatus ejus initia, quæ canonibus adversabantur, commemorata fuere; nec quidquam additum fuit de quadriennali pacifica ejusdem possessione a Proclo Constantinopolitano synodicis litteris inducta atque firmata, et a cunctis Asiæ episcopis, totoque clero ac populo recepta; pro qua Cypriani testimonium ex epistola 55 afferri potuisset. Interim imperator, qui Bassianum deposuisse fertur, alium episcopum Ephesiis dandum præcepit. Quadraginta episcoporum concilium Stephanum ordinavit, et Bassianus Constantinopoli infelicem vitam egit; quoad Chalcedonensis concilii tempore ab imperatore Marciano Theodosii successore petiit ut sua causa in concilio expenderetur; in quo tum Bassianus tum Stephanus remoti fuere.

Hæc est sincera rerum gestarum historia, quæ ex sola actione 11 concilii Chalcedonensis colligi potest. Nullum hic concilii Asiani judicium est, quo Bassianus depositus fuerit. Quadraginta episcoporum concilium solam Stephani ordinationem fecit. De Bassiano vero deponendo nullum concilii judicium fuisse ex eo liquet, quod Meliphtongus Juliopolis episcopus cum aliis juxta se sedentibus eum non accusatum et *sine judicio* abjectum affirmavit (t. IV *Conc. Venet. edit. p.* 1615, d; *ibid.* p. 1620, b) : unde in ipso Chalcedonensi concilio Asiæ episcopi eumdem restitui volebant; quod non fecissent, si ipsum judicio habito deponendum putassent. Hujus itaque depositionem *primo actam per provinciæ episcopos* sibi Quesnellus finxit; et multo evidentius in hoc erravit, cum Romani pontificis et aliarum sedium litteras post hoc concilium redditas prodidit, quæ omne concilium præcessere. Fallitur quoque cum Stephanum post ordinationem ad Leonem scripsisse affirmat. Ante ordinationem enim ejus imperator scripsit, ut quid de Bassiano decernendum esset e præcipuarum sedium episcopis disceret. Leonis porro litteræ, quibus imperatori, ut videtur, rescripsit,

eumdem Bassianum ob illegitima episcopatus ejus initia *esse non oportere episcopum*, etsi judicium aliquod apostolicæ sedis præferunt, cum tamen sine examine, ac sine ullis gestis editum fuerit, in re et facto, quæ subreptioni obnoxia sunt, novo et expresso examini aditum non intercludunt, si præsertim circumstantiæ exstiterint quæ pontifici declaratæ non fuerint. Quot nova ipsius Romanæ sedis judicia hac ratione instituuntur, ut ne idcirco apostolicæ sedis auctoritas præjudicium capiat? Ita hic Bassiani pacifica quatuor annorum possessio Procli auctoritate cœpta, cunctisque Asianis episcopis approbantibus firmata, ejusmodi visa est, ut illegitima initia purgasset, novamque cognitionem mereretur. Hanc si Bassianus petiisset ab ipso Leone, non fuisset repulsus. Cum vero Chalcedonense concilium ageretur, dum hanc novam cognitionem petiit a concilio, a Leone, qui concilio per legatos præsidebat, simul petiit (sicut Leoni primum inscripti leguntur quatuor illi Alexandrinorum libelli, qui Chalcedonensi synodo oblati fuere), neque per hoc Leonis judicium subjiciendum credidit auctoritati concilii, sed novis causis allatis novum judicium in concilio, et Leonis ejusdem auctoritate instituendum putavit. Hac de causa legati apostolicæ sedis huic novæ cognitioni non restiterunt, et Julianus Coensis utrosque non debere projici opinari potuit. Leonis tamen judicium sicut præcipue ingestum fuit, ita etiam depositio Bassiani ex Leonis judicio confirmata est. Quod si Bassianus, qui non acquievit Leonis et aliarum præcipuarum sedium rescriptis, judicio concilii paruit, id in causa fuit quia in concilio ipse auditus ac totius causæ examen institutum fuit, nihilque superesse poterat excusationis qua judicium subreptione notaretur (*Act.* 3, *p.* 1267, 1274, 1282, 1290).

(*a*) Primum laudatus fuit Anatolius, non quod præcipuam supra legatos pontificis auctoritatem haberet (quis enim catholicus primam auctoritatem apostolicæ sedi non tribuat? unde initio actionis 11 primus locus legatis tribuitur), sed quia Anatolius primus in hoc negotio sententiam dixerat.

(*b*) Si hoc loco Stephanus Leonis sententiam ex-

τον μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον. Nec illud persuasum habuerunt legati, qui vel quasi de re integra judicarunt, vel etiam sententiam Leonis temperarunt: Romanus enim pontifex **446** dixerat Bassianum esse non oportere episcopum; Julianus legatus pontificis, esse posse episcopum, cum de utroque qui contendebant de episcopatu pronuntiarit non debere ambos projici, significans alterutrum eorum in Ephesina sede esse constituendum: κατὰ μὲν κανόνας οὐδὲ εἷς ὤφειλεν εἶναι, κατὰ δὲ φιλανθρωπίαν ἡ σύνοδος ἢ Ἀσιανὴ ἐπιλέξεται τίς ὀφείλει εἶναι (*Syn. Chalc. Act.* 12).

ANNUS CHRISTI 448; — LEONIS PAPÆ 9; — THEODOSII 41, VALENTINIANI 24, IMPP.; — POSTHUMIANO ET ZENONE COSS.

I. Idibus Martii hujus anni scripsit sanctus Leo ad Dorum Beneventanum episcopum (*Epist.* 18, *nunc* 20). Ille presbyterum recens ordinatum, posthabitis presbyteris aliis, qui ætate meritisque præstabant, in locum superiorem ordinemque evexerat; quin etiam aliqui assentatione ignava jure et loco sponte cesserant. Arguit Leo Dorum prævaricationis, juvenem superbiæ, presbyteros projectæ adulationis. Jubet igitur quemque juxta canones servare prærogativam ordinationis, exceptis qui spontanea abdicatione se hoc honore indignos fecerant, et ipsi ut suo plecterentur judicio inferiores esse vult illi quem sibi prætulerant. *Et ut judicii sui*, inquit, *sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet prætulerunt; omnibus presbyteris in suo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis suæ tempus ascripsit* (a).

II. Leo insuper tanta pro Ecclesia gessit, ut visus sit hactenus præluxisse majoribus, seu dum Priscilliani contaminatum gregem jugulat, seu dum Manichæorum clandestinos motus perimit, aut de profligato Pelagianismo triumphum agit, vel severe vindicat Ecclesiæ disciplinam. Quod alterius summum esset, iter est Leoni ad majora. Hæc quidem fortiter feliciterque, sed adversus saucios hostes, jamque multis debilitatos ictibus. Ecce novus hostis, recens et integer Christi incarnationem oppugnat, fundamentaque Christianæ religionis concutit. Timendus certe; audax illi animus ad concipiendum facinus, promptus ad exsequendum; ingenium laudabile, si ad meliora convertisset. Pietatis professio et fama æque perniciosa, quoniam iis adversus fidem abutebatur. Quid referam gratiam favoremque principum et magnatum amicitias, quas ad promovenda studia per fas nefasque conciliaverat? Verum hæc ut gloriosior Leonis victoria sit. Eutyches ille est, Constantinopolitanus archimandrita, qui a dæmone malo impulsus, novos errores in Ecclesiam serit, utramque naturam in Christo miscens, coalitamque in unam asserens; unde illud consectarium, vel naturam divinam perpessionibus humanisque affectibus obnoxiam, vel quæ humanitus Christo contigerunt, labores et mortem, per quæ salutem nobis peperit, mera fuisse ludibria. Hæc ille, quæ primo latenter cum commensalibus monachis communicabat, tum furtim cum amicis et iis quos noverat novitatis avidos. Eusebius Dorylæi in Phrygia episcopus, cui cum Eutychete amicitia intercedebat, pravam ipsius doctrinam primo amice corrigere; dumque monachum consiliis

A non emendari intelligit, rem religionis potiorem amicitia putans, denuntiare scelus aggreditur, ut opprimatur antequam vires acquirat.

III. Id temporis habebatur Constantinopoli synodus a Flaviano episcopo Constantinopolitano Procli successore, conveneruntque triginta episcopi ad litem dirimendam Florentii Sardorum episcopi Lydiæ metropolitani adversus episcopos suæ provinciæ Joannem **447** Cassiniumque. Eusebius hortatu Flaviani, cui audaciam Eutychis nuntiaverat, rem ad concilium detulit. Patres illico detestari pravitatem, rogare Eusebium ut pro jure amicitiæ adeat Eutychem, persuadeatque meliora. Tum Eusebius abnuere, jam frustra omnem movisse lapidem, sed irrito conatu; non vulnus levi manu leniendum, sed ferro recidendum, priusquam saniores partes occupet; jam Eutychem arma palam adversus Ecclesiam moliri, urbis monasteria circuire, offerre libellum cui subscribant monachi, et in doctrinam nomenque suum jurent. His B auditis, Patres presbyterum diaconumque mittunt, qui de singulis inquirant. Presbyter recta it ad Martynum archimandritam; plurima de Eutyche sciscitatur. Fatetur ille missum Constantinum diaconum ab Eutyche cum scripto cui subscribere rogatur; non aliam in eo fidem, quam quæ in Nicæna synodo jurata, et quæ a Cyrillo tradita receptaque; sed a se longe rejectum cum hac responsione: non esse suam, sed episcoporum rem: Μὴ εἶναι ἐμὸν ὑπογράφειν, ἐπισκόπων δὲ μόνων: *Non est meum subscribere, sed episcoporum tantum est.* Grave reponsum, et posteris retinendum. His synodo renuntiatis, placuit Patribus ut vocaretur Eutyches ad concilium. Semel et iterum accersitus venire contempsit, non fas, inquiens, egredi e monasterio. Tertiam quoque citationem ægrotatione simulata elusit. Sed demum post aliquot dies monachus militari apparatu ad synodum venit. Cum eo Florentius Patritius, turbulenta monachorum phalanx, apparitorum militumque prætorianorum manus. Hanc illi operam præstiterat Chrysaphius eunu-C chus, qui gratia et auctoritate Augusti pro libidine abutebatur; tam Eutychi charus quam infensus Flaviano, quia **448** cum adiit pontificatum, ejus demereri gratiam contempserat. Nihil territi Patres de fide sciscitantur. Rogant Eutychem quid de Christo sentiat? Coram ille non hæsitans confessus in Christo duas naturas antequam Verbum cum carne uniretur, sed coaluisse in unam, ex quo Divinitas cum natura humana in unam hypostasim conjuncta est: Ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν Κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως, μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, μίαν φύσιν ὁμολογῶ; id est: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post vero adunationem, unam naturam confiteor.* Patres docent eam doctrinam esse alienam a fide, obtestantur ut ipse suos revocet errores proscribatque, ac Nicænam confessionem recipiat. Sed dicto non audiens obfirmato animo in sententia persistit: ideoque judicio Patrum sacerdotio motus est, munere archimandritæ et communione D ecclesiastica privatus.

IV. Eutyches cum auctoritate Chrysaphii et tutela principis neque se neque doctrinam tectam sartamque cerneret, ad Romanum pontificem confugit, ratus irritam fore condemnationem, si tantum pontificem suis partibus irretiat. Hoc vero factu facile in ani-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

pressit his verbis *esse non oportere episcopum*, alibi tamen his verbis retulit: *Romanus episcopus eum deposuit*, quæ potestatem deponendi a Leone sibi assertam præferunt. Hæc ex solius Stephani relatione. Si exstarent ipsæ Leonis litteræ, quid Leo scripserit expressius cognosceremus. Quod si iisdem aut similibus verbis usi traduntur etiam alii præcipuarum sedium episcopi, cum tamen peculiare jus in omnes Orientales episcopos Romano pontifici ratione primatus negari nequeat, jus de metropolitanis etiam Orientalibus judicandi eidem negari non potest, nisi ab eo qui vel primatum neget, vel meri ordinis primatum cum heterodoxis eidem attribuat. Sed hoc de jure plura in observat. ad dissertationem 5.

(a) Hic omittenda non erat mentio duarum lucubrationum quæ in hac causa scriptæ fuere, nimirum libelli querimoniæ qui a Paulo presbytero Leoni oblatus fuit, et alterius Leonis epistolæ, quæ desideratur, ad Julium episcopum, cui hujus decreti executionem commisit. De his vide dissert. de Epistolis deperditis, n. 22 et 23.

mum induebat, quia absentem circumvenire in A promptu est, (*a*) sciebatque inter Romanum Constantinopolitanumque episcopum æmulatione cathedræ jamdiu fere simultates: sperabat denique amicum Leonem, cujus animum ante aliquot menses exploraverat. Scilicet scelus suum prius meditatus, ne, si quando erumperet, Leo adversaretur, litteras ad eum miserat, quibus catholicæ fidei homines in suspicionem Nestorianismi adduxerat (*Epist.* 19, *nunc* 20). Leo nihil tale suspicans, laudaverat ejus vigilantiam sollicitudinemque. Periit quidem hæresiarchæ (*b*) epistola, sed ex litteris Leonis ad Theodosium et 449 Flavianum quid scripserit intelligimus. Conqueritur quod cum non diversa a fide sentiret, immerito tamen se se accusatum : quod Eusebius crimen hæresis sibi intulisset, nihil tamen eum in quo argueretur expresse et evidenter ostendisse, quod evocatus ad judicium se sistere non denegasset: quod etsi Nicænæ synodi decretis assentiebatur, 450 privatus communione sit: quod libellus appellationis, quem obtulerat, non fuisset susceptus: hæc et alia quam falso Eutyches scribebat, ex Constantinopolitanæ synodi actis comperimus, quæ Chalcedonensibus sunt inserta, ampliusque aperiemus in dissertatione de ejus causa.

ANNUS CHRISTI 449; — LEONIS PAPÆ 10; — THEODOSII 42, VALENTINIANI 25, IMP.; — ASTERIO ET PROTOGENE COSS.

I. Sanctus Leo nihil horum quæ Constantinopoli gerebantur, admonitus a Flaviano, ne vel innocentem condemnet, vel reum absolvat, ad Theodosium Flavianumque scribit (*Epist.* 20, *nunc* 23, *et* 21, *nunc* 24). Quare (*c*) Flavianus non scripserit, haud diffi-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Nullæ contentiones et simultates inter Romanum et Constantinopolitanum exarsisse traditæ sunt, nisi postquam a Chalcedonensi Constantinopolitanæ sedi tres diœceses Asiæ, Ponti et Thraciæ subjectæ fuerunt: neque hac in re Leo restitit ob æmulationem cathedræ, ac si exinde Romano antistiti præjudicium aliquod crearetur: sed quia hoc canone lædebantur privilegia sedium Alexandrinæ et Antiochenæ, nec non jura metropolitarum earumdem diœceseon, quæ Nicænum concilium sarta tecta servanda præceperat. Cur potius eam æquiorem et veram rationem confugiendi ad Romanum episcopum Quesnellus non allegavit, quia scilicet Eutyches Romanæ sedis prærogativam noverat, qua in Orientales quoque episcopos, cum opus esset, jus exercere poterat?

(*b*) Unam hic Eutychis epistolam ad Leonem Quesnellus memorat, quæ ab eo post condemnationem scripta fuit, huicque Leonem rescripsisse putat epist. 20. At in notatione quam in secunda editione subjecit epistolæ 20, deprehendit hanc redditam alii epistolæ, quam ad eumdem pontificem ante condemnationem Eutyches dederat. Duæ igitur hujus epistolæ distinguendæ sunt. Anno 447, magnæ turbæ excitatæ fuerunt adversus aliquot episcopos Orientales qui in Nestorianismi suspicionem vocabantur. Harum turbarum originem e Constantinopoli profectam Theodoretus notavit epist. 5; Eutyches vero Constantinopolitanus archimandrita præcipuus earum auctor fuit, et dum illos impetivit, in oppositum errorem transiit. Nestorianismi autem nomine eos notavit, qui suo errori adversabantur. Domnus Antiochenus episcopus, Eutychis impietate detecta, primus eidem restitisse, cum synodicam ad imperatorem dedit, a Facundo traditur lib. XII, c. ult. Vide integram hanc synodicam insertam dissert. 7, quæ propterea an. 448 scripta dicenda esset potius quam anno 449, ut eminentissimo Baronio placuit, pro cujus tamen sententia Tillemontius nonnulla affert not. 10 in Theodoretum. Certe autem Eutyches anno 448 primam epistolam ad Leonem dedit, qua Nestorianismum repullulare conquestus est. Huic, quæ desideratur, Leo respondit epist. 20 kal. Junii an. 448, in qua cum ignoraret quo spiritu Eutyches ductus eam Nestorianismi accusationem protulisset (huc enim spectant quæ S. Leo scribit epist. 34), ejus zelum ac sollicitudinem commendavit. Interim Eutyches ab Eusebio Dorylæensi accusatus, a S. Flaviano damnatus fuit in synodo Constantinopolitana die 22 Novembris ejusdem anni 448. In hac post damnationem aliquid de appellatione ejus a nonnullis auditum fuit. Mentitus vero est cum affirmavit se libellum appellationis ad Romanum pontificem obtulisse, qui receptus non fuerit. Hinc autem alteram ad S. Leonem epistolam dedit, cui quatuor documenta adjecit, libellum accusationis Eusebii Dorylæensis, libellum appellationis suæ, quem oblatum et non receptum venditavit, professionem fidei suæ cum contestatione ad populum Constantinopolitanum, et aliquot testimo- B nia plerumque supposititia : de quibus vide dissert. de Epist. deperditis, n. 26. Hanc Eutychis secundam epistolam inter Leoninas edidimus epist. 21. Scripsit eodem tempore ad S. Petrum Chrysologum episcopum Ravennatem : et hæ duæ epistolæ in Italiam missæ videntur una cum litteris imperatoris Theodosii ad Leonem, quibus hic Augustus agente Chrysaphio deceptus, hæretici patrocinium susceperat. Sicut autem in relectione actorum synodi Constantinopolitanæ quidam affirmarunt Eutychen privatim appellasse etiam ad episcopi Alexandrini, Hierosolymitani et Thessalonicensis concilia, ad harum sedium episcopos fortassis epistolas dedit. Sub hoc quoque tempus Flavianus de gestis in Constantinopolitana synodo adversus Eutychen retulit ad Leonem pontificem, ut pluribus dicetur annotatione sequenti.

(*c*) Flavianum paulo post concilium, quo damnavit Eutychen, ad Leonem scripsisse exeunte anno 448, aut serius sub initium anni 449, ostendimus in Ad- C monitione ad epist. 22. Quesnellus ex suis præjudiciis ordinem litterarum Flaviani pervertit, ita ut primam venditarit, quæ secunda est, et secundam, quæ prima fuit. Ibidem autem nos suum cuique tempus restituimus; et cardinalis Baronii sententiam, quam ille perstrinxit, luculenter vindicavimus. Ut autem clarior fiat rerum in causa Eutychis gestarum historia, quæ apud Quesnellum non satis est accurate disposita, Breviarium chronolo-gicohistoricum documentorum hujus anni hac prima notatione appendendum credidimus, ex quo suum cuique tempus ascribere facile erit.

Cum epistola Eutychis una cum imperialibus litteris eidem faventibus sollicite missa fuerit, citius Romam pervenit quam Flaviani litteræ; unde S. pontifex Theodosio rescripsit die 18 Februarii hujus anni 449, antequam Flaviani epistolam acciperet : ex quo etiam factum est ut epist. 23 cum Flaviano questus sit, de tanta re nihil retulisse, et ut cautus, non autem *deceptus*, documenta ad judicium ferendum necessaria postulaverit. Interim vero responsionem ad D Eutychen distulit. Hic autem hæreticus non exspectato pontificis responso, libellum imperatori obtulit, quo, generale concilium petebat, et per Chrysaphium patronum suum egit ut Dioscorus quoque Alexandrinus ad Theodosium scriberet, generalem synodum cogi oportere : quod quidem per imperiales litteras signatas die 30 Martii hujus anni 449, indictum fuit Ephesi kal. Augusti. Dum de hoc concilio convocando murmurabatur, Constantinopolim perlatæ fuerunt duæ memoratæ Leonis epistolæ 23 ad Flavianum, et 24 ad Theodosium, et hac etiam occasione epistola 25 Petri Chrysologi ad Eutychen, ut in admonitione ad eamdem conjecimus. Id ante indictionem synodi accidisse, ex altera Flaviani epistola colligere licet. Cum enim is ex acceptis Leonis litteris deprehendisset Eutychen ad pontificem scripsisse, priorem vero suam epistolam ei nondum fuisse redditam, aliam mox epistolam 26 ad eumdem pontificem dedit, in qua tantum apostolicæ auctoritati attribuit, ut istam ad finem

cile est dictu, seu Eutychem staturum judicio crederet, seu actam causam secundum canonem Ecclesiæ in concilio, **451** condemnatumque legitime monachum suæ parœciæ, non alias audiendum. Baronius credit litteras Flaviani, aut interceptas, aut retardatas A ab Eutyche. Sed tum nihil omnino scriptum a Flaviano, constat ex ipsa Flaviani epistola, cujus initium est : *Pietate*, etc. *Accusatum*, inquit, *eum* (Eutychen) *a reverendissimo Eusebio, et occurrentem in sanctum concilium et voce sua sectam propriam relegentem, alie-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

huic controversiæ imponendum per se sufficere tradiderit, ne concilium, de quo rumor erat, amplius necessarium sit. Hæc post certam indictionem scripta non fuissent. Hinc has Flaviani litteras ante diem 30 Martii exaratas cum Quesnello credimus. Vide hujus textum n. 9.

Eutyches, ut sibi facilem in concilio jam indicto defensionem præpararet, recognitionem actorum synodi Constantinopolitanæ obtinuit, ac si ea diminuta et corrupta essent. Sed si pauca quædam leviora excipias, quæ non visa sunt actis inserenda, nihil falsatum evinci potuit ab Eutychis defensoribus. Hæc autem recognitio, in qua mentio fit epistolæ Leonis paulo ante receptæ, facta fuit in Constantinopolitano conventu diebus 8 et 13 Aprilis. Interim Leo priorem Flaviani epistolam 22 se jam accepisse indicat epistola 27, data 21 Maii; qua eidem epistolæ Flaviani paucis rescripsit, pleniorem responsionem quam citius transmissurus; ubi si turbas adversus eumdem episcopum excitatas innuit, de quibus in ejus epistola 22 nullum indicium est, has ex aliis aliorum litteris satis detexerat. Ex verbo autem *rescribimus* (nisi legendum sit *rescribemus*), quo Leo utitur in epist. 27, ipsum in pleniore epistola, quam promittit, lucubranda hoc quoque tempore fuisse occupatum colligere licet: hæc enim ob rei gravitatem maturius studium exigebat. Nondum, cum hæc scribebat, de legatis transmittendis cogitabat, vel eos non ita brevi parandos sperabat. Hinc pleniorem epistolam per eum qui litteras Flaviani attulerat dirigendam spondet. Cum autem ob rerum difficultatem et indictionem concilii Ephesini jam imminentis legatos sollicitius dirigendos duxerit, his pleniorem epistolam 28 ad Flavianum perferendam tradidit, in qua (cum antea scripta fuisset) legati solum in fine memorantur additione quadam, ut videtur, posteriori, qua nullam synodi mentionem facit. Una cum hac celeberrima epistola 28 aliæ ad Theodosium, ad Pulcheriam, ad archimandritas Constantinopolitanos, ad synodum Ephesinam, et ad Julianum Coensem scriptæ idibus Junii signantur, et iisdem legatis traditæ sunt. His profectis altera Flaviani epistola 26 ad Leonem pervenit, cui pontifex respondit epist. 36, die 20 Junii, eodemque die aliam ad imperatorem epist. 37 misit, cujus causam annot. 1 (*Tom. præced. col.* 811, *n.* c) in hanc epistolam indicavimus. Tertiam porro epistolam S. Flavianum ante Ephesinum latrocinium ad Leonem dedisse per Basilium diaconum, quæ ad nos non pervenit, evicisse credimus annot. 2 in epist. 38, qua S. Leo eidem respondit die 23 Julii. Confer inferius annot. 6 (*Col.* 224, n. e). Novas litteras eidem Flaviano dedit die 11 Augusti, quibus de iis quæ gerebantur cognoscendis sollicitudinem suam significavit. Vide epist. 39.

Die 8 hujus mensis Ephesinum concilium, seu potius latrocinium cœpit, de quo satis Quesnellus hoc anno num. 11 et seqq. S. Flavianum non multo post hoc latrocinium, dum duceretur in exsilium, nimirum sub finem Augusti, obiisse ostendimus in admonitione ad epist. 54, n. 1. Neque Menologia Græcorum, quæ ejus festum signant die 18 Februarii, iis auctoritatibus quas ibidem allegavimus opponi queunt: nam præter quamquod recentioris ætatis sunt, certe ad Februarium anni 450 Flaviani mors protrahi non potest, cum Anatolius subrogatus fuerit ante finem hujus anni 449. Cum porro prima translatio ejus in Urbem Februario anni 450 affigi nequeat, quippe quæ post mensem Julium ejusdem anni contigit, aliam posteriorem sive translationem, sive festivitatem Februarii mensis iisdem Menæis indicari necesse est. Hæc porro mors aliquandiu occultata fuit, seu ut successori eligendo cautius prospiceretur, seu ut præcaveretur a tumultu qui a clero et populo Flaviani studiosissimis timeri poterat. Hinc *acclamationes* Constantinopolitanæ plebis pro Flaviano, ac si adhuc viveret, contra Ephesinum latrocinium circa initium Octobris anni 449 in gesta publica relatæ fuere, quæ cum litteris cleri et populi Constantinopolitani ad Leonem transmissæ sunt sub idem tempus, quo S. pontifex ejusdem mortis pariter inscius ad eosdem scripsit epist. 50 et 51 idibus Octobris. Confer annot. 4 (*Tom. præced. col.* 866, n. 1) in epist. 59. Eodem quoque tempore Martinus et Faustus archimandritæ litteras ad eumdem dedere, quibus suam pro Flaviano ac pro recta fide constantiam declarabant, et eadem occasione probabiliter scripsit etiam Pulcheria Augusta; unde tribus his epistolis simul B acceptis S. Leo eadem die respondit per epist. 59, 60 et 61, mense Martio anni sequentis.

Causa vero scribendarum epist. 50 et 51 idibus Octobris Leoni fuit notitia de infelici exitu latrocinii Ephesini ad eumdem perlata ab Hilaro diacono, qui ex eodem conciliabulo statim post S. Flaviani condemnationem mirum in modum effugit. Hic autem Romam pervenit eo tempore quo ob anniversarium diem Natalis Leonis, concilium episcoporum habebatur die 29 Septembris. Auditis autem quæ perperam gesta fuerant, ut his remedium apponeretur; synodus Romana producta videtur usque ad diem III iduum Octobris, quibus diebus Leonis, vel etiam synodi nomine plures epistolæ transmissæ fuerunt. Vide epist. 44 usque ad epist. 51, in quibus una est Hilari diaconi ad Pulcheriam Augustam. In epist. 44 ad Theodosium imperatorem scripta, et epist. 45 ad eamdem Pulcheriam reprobato Ephesino latrocinio, concilium in Italia habendum Leo postulavit. Theodoretus Cyri episcopus in eodem latrocinio depositus, apud eumdem pontificem appellationem interposuit epist. 52. C

Publicata subinde Flaviani morte cum aliquis eidem subrogandus esset, imperator Constantinopolitanæ Ecclesiæ clericis præcepit ut quosdam aptiores regimini sibi proponerent, inter quos ipse potiorem eligeret. Dissidentibus autem illis inter se ea forte de causa quod alii aliquem Flaviano adhærentem vellent, alii autem excluderent, idem imperator e clericis aliarum Ecclesiarum, qui Constantinopoli ob alia negotia degerent, episcopum eligendum mandavit. Ita omnium, ut præfertur, suffragio Anatolius Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, qui in regia urbe suæ Ecclesiæ res agebat, electus, et in synodo ab ipso Dioscoro Alexandrino ordinatus fuit. Scripsit statim Anatolius ad S. Leonem epistolam de ordinatione sui, cujus insigne fragmentum dedimus epist. 53. De eadem quoque ordinatione scripserunt etiam ad eumdem pontificem ordinatores ejus, Theodosius imperator, et Pulcheria Augusta. Hæc sub finem hujus D anni 449 contigisse probavimus in admonit. ad epist. 53. Interim S. pontifex Leo novas ad imperatorem litteras VIII kal. Januarii, quibus ut concilium in Italia cogeretur, iterum institit. Hæ litteræ vitiata chronica nota editæ plures difficultates promoverunt. Emendato autem mense ex nostro præstantissimo codice Ratisponensi nihil difficultatis superest. Vide epist. 54. Etsi vero nullæ imperatoris litteræ a Leone acceptæ hic indicentur, haud tamen ambigimus quin his litteris Leo respondeat Theodosii epistolæ, quam post latrocinium Ephesinum eidem dedisse ostendimus in dissert. de Epist. deperditis, n. 38

numque existentem **452** *a recta fide damnavimus, sicut docebunt vestram sanctitatem omnia quæ super eo sunt gesta, quæque direximus cum nostris his litteris* (*Epist. nunc* 26). Vides ut nihil litterarum vel gestorum synodi ante hanc epistolam acceperat Leo a Flaviano. Et paulo post: *Sed his ita gestis litteræ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per Comitem Pansophium, per quas sumus edocti quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque* **453** *calliditate* (*Ibid.*). Ex quibus liquet pariter (*a*) non ante Flavianum de litteris ad Leonem ea de re scribendis cogitasse, quam cum didicit pontificem improbis Eutychis artibus deceptum, falsam de judicio Constantinopolitano cepisse opinionem. Enimvero quamdiu intra Ecclesiæ Constantinopolitanæ limites sese labes ista continuit, opus non fuit ut collegarum opem imploraret Flavianus. Episcopus nempe universis catholicam veritatem totam in solidum a Christo Domino creditam non ignorabat, quam pro sua quisque virili defendere teneretur, erroresque contra insurgentes opprimere tamquam ordinarius judex in ea quam sortitus est Ecclesiæ portione. At ubi monitus a Leone rescivit hæresiarcham Occidentem litteris suis pervasisse, suum virus spargere, atque a sæculi potestatibus insidias parari catholicæ doctrinæ, tum Romanum pontificem adire sui putavit officii, quo videlicet et de re tota instrueretur, quod Ecclesiæ capiti debebatur, et qua pollebat apud Augustum gratia ageret sollicite, ne late serperent hæreticorum artes, nec turbarentur Ecclesiæ convocatione concilii, in quo timendum merito erat ne auctoritate plurimum valituri essent homines improbi.

Cæterum Leo non edoctus ea quæ de Eutyche gesta erant, ad Augustum scribens de **454** hæreticorum judiciis hæc statuit: nullum judicium pronuntiandum nisi re diligenter examinata. *Necesse est*, inquit (*Epist.* 21, *nunc* 24), *jam locum subreptionibus non patere; sed prius de quibus eum æstimat arguendum, instrui nos oportet, ut possit de bene cognitis congrue judicari.* (*b*) Non presbyterum nota hæreseos inurendum, nisi sensu in quo peccaverit clare exposito: *Sed cum presbytero hæreseos crimen intenderet, quem tamen sensum in eo arguerit, non evidenter expressit* (*Ibidem*) (*c*). Non bene reprehendi eum esse alienato a

A fide animo, qui quæ Nicænis statutis decreta sunt, palam profitetur: *Asserens se Nicænæ synodi constituta servantem frustra de fidei diversitate culpatum* (*Ibid.*). Illa ad Theodosium, hæc ad Flavianum. Non festinanter, sed lente exercenda judicia, cum maxime de recidenda communione agitur, nec tam in errore confodiendo quam in emendando errantem laborandum; nec adeo animo indulgendum specie defendendæ veritatis, ut locus charitati non sit. *Decet enim*, inquit (*Epist.* 20, *nunc* 23), *in talibus causis hoc maxime provideri, ut sine strepitu concertationum et custodiatur charitas, et veritas defendatur.*

III. Flavianus rescripsit ad Leonem, et acta Constantinopolitanæ synodi in causa Eutychis simul cum epistola ad eum misit. Sed tardius Leoni reddita est. Cum nihil Flavianus **455** de epistola audiret, alteram misit in qua (*d*) prioris meminit, et actorum quæ simul miserat. Baronius deceptus codicum præpostero ordine, eam quæ secundo scripta, primo scri-B ptam credidit, et revera primum locum hactenus obtinuit in editis codicibus. Sed contrarium ex ipsius epistolæ serie evincitur, quæ videlicet prioris meminit cum actis Constantinopolitani concilii missæ, et insuper ex epistola 34 (*nunc* 38) ad Flavianum scripta Julii die 23, ubi testatur se (*e*) alteram illam epistolam non accepisse, nisi legatis suis jam in Orientem profectis. Qui quidem nondum urbem reliquerant Junii die 17, quemadmodum docent epistolæ 32 et 34 (*nunc* 36 *et* 38) ad Flavianum, ex quibus inter se collatis liquido apparet inter hujus et illius scriptionem legatos ad synodum missos sese viæ dedisse.

IV. Ex hac utraque epistola pietatem Flaviani agnoscimus, vigilantiamque pastoris qui suæ bene consulit Ecclesiæ. Scribit quam rite et secundum canonem in Eutychen animadverterit, non indicta causa damnatum; deinde ejus errores commemorat. Hæc Flavianus, non quod suam auctoritatem cum Eutyche committat, sed ut rei gestæ admoneat pontificem romanum ejusque episcopos, caveantque ne in his locis pullulet hæresis, C et ipse Theodosius admoneatur a Leone quos errores quosque tumultus in orbem invehat unius monachi improbitas. *Sed ne multa dicens*, ait Flavianus, *longam faciam epistolam, olim quidquid egerimus misimus* **456** *ad beatitudinem vestram litteras, quibus litteris*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cum ex præcedenti annotatione pateat Flavianum hoc de negotio, quod fidem tangebat, ad Leonem retulisse, antequam pontificis litteris excitaretur, quæ hic subjiciuntur falsa esse manifestum est.

(*b*) Leonis verba libellum accusationis Eusebii Dorylæensis episcopi respiciunt, in quo S. pontifex desideravit sensum quem ille in Eutyche hæresi notaverat apertius exponi, ut de eo ipse posset judicium ferre. Non ergo hic Leo *statuit* (hoc enim verbo quod a Quesnello præmissum fuit, sequentia reguntur) *non presbyterum nota hæreseos inurendum; nisi sensu in quo peccaverit clare exposito.*

(*c*) Integra Leonis verba de libello Eutychis loquuntur, in quo ille *asserebat se Nicænæ synodi constituta servantem frustra de fidei diversitate culpatum.* Hæc ex Eutychis verbis non sunt Leonis decretum, quo statuerit *non bene reprehendi eum esse alienato a fide animo, qui quæ Nicænis statutis decreta sunt palam profitetur.* Solum Leo Eutychis protestationem, cum nihil exploratum haberet, et e contra similem professionem in accusatoris ejus libello legisset, suspendendum judicium credidit, quoad exploratiora documenta transmitterentur. Cum porro hæc documenta accepit, non dubitavit hæreseos condemnare Eutychen, licet Nicæna statuta se tenere et sequi etiam atque etiam profiteretur.

(*d*) In epistola 22, quam nos primam esse ostendimus, nulla anterioris epistolæ mentio fit. Quesnelli, qui hanc ipsam secundam esse contendit, intererat prioris epistolæ mentionem in ea detegere. In id autem usus est antiquæ versionis verbis, ut in Leoninis editionibus legebantur, *olim quidquid egerimus misimus ad beatitudinem vestram litteras, quibus litteris docuimus*, etc. At cum hæc non cohæreant cum originali Græco, a Romanis editoribus Conciliorum hic locus ad Græcum textum sic emendatus fuit: *De iis quæ de eo dudum egimus, misimus ad beatitudinem vestram litteras, quibus docuimus*, etc., ubi pro *olim* repositum fuit *dudum*, quæ particula non ad epistolam *dudum* scriptam, sed ad anteriora gesta in Eutychen refertur. Verbum autem Græcum ἀπεστείλαμεν Latine redditum *misimus*, hoc loco non de anterioribus, sed de iisdem quas Flavianus scribebat litteris D acceptum probavimus annot. 17 (*Tom. præced. col.* 727, *n.* [b]) in epist. 22, ubi alia hujus significationis exempla protulimus.

(*e*) In epistola 38, non *alteram*, sed tertiam Flaviani epistolam, quæ desideratur, indicari vidimus annot. 2 (*Ibid.*, *col.* 812, *n.* [c]) in epist. 38. Cum autem Leo direxit epistolam 36, ad Flavianum datam, non die 17, sed 20 Junii, uti probavimus annot. 4 (*Ibid.*, *col.* 811, *n.* [a]) in eamdem epist. 36, jam acceperat secundam Flaviani epistolam, et tunc legati jam profecti erant in Orientem, quemadmodum ex emendata, seu potius restituta ejusdem epistolæ lectione *subsecutos* cognoscetur; de quo vide annot. 3, ita inter diem 13 Junii, quo signatæ fuerunt cum epist. 28 aliæ litteræ per eosdem transferendæ, et diem 20 ejusdem mensis, quo notatur epist. 36, legati transmiserunt in Orientem, ac post eorumdem discessum tertia brevior Flaviani epistola allata fuit.

docuimus et presbyterio eum esse nudatum, quia sic captus est; et jussimus eum cum monasteriis nullam habere rationem, et exclusimus eum a communione nostra: ut sanctitas vestra hoc cognoscens quod circa illum actum est, omnibus episcopis sub beatitudine vestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem: ne nescientes aliqui quid ille sentiat, quasi ad orthodoxum vel per litteras vel per aliquam conjunctionem loquantur (*Epist.* 22, *nunc* 27, *Flaviani ad S. Leon.*, *cap.* 4).

V. Admonet hoc loco lectorem cardinalis Baronius (*Ad ann.* 449, *n.* 5), ut attendat *ex veteri instituto absque controversia confiteri eosdem inter se altercantes Flavianum et Eutychetem, legitimum et præcipuum judicem controversiarum ecclesiasticarum esse Romanum pontificem, ad quem tam actor quam reus sponte currunt sua jura prosecuturi*. Pontificiæ dignitati majori quam quisquam alius reverentia advolvor ego; sed quoniam omnibus Ecclesiæ episcopis cum Romano (*a*) communis dignitas, ipso etiam Leone hoc profitente (*Epist.* 12, *nunc* 14, *c.* 11), absit ut quam B in uno veneror, in cæteris calcari velim. Ultro agnoscimus Romanum pontificem pro legitimo, ac si cum singulis episcopis comparetur, pro præcipuo controversiarum ecclesiasticarum judice; sed quis propterea ferat Flavianum, quem et sedis prærogativa, et sanctimonia singularis, et fidei constantia ad martyrium usque perseverans tantopere commendare debuerant, cum rebelli, imperito, obscuro ac malæ frugis monacho componi committique, exauctoratum presbyterum cum suo ac tantæ sedis **457** episcopo, judicem cum reo; et utrumque velut de communi dividendo altercantem coram Leone sisti, quasi de incerto causæ exitu dimicaturum. Absit tanta a sacratissimo episcoporum cœtu injuria. Non sane actor Flavianus, cardinalis illustrissime, sed judex; non damnandum traducit Eutychen, sed damnatum a se producit; nec novum a Leone judicium petit, sed latam a se sententiam cura pontificis Romani collegis Occidentalibus notam fieri postulat: ut omnes communi fidei causæ communibus curis, communi opera C ac sollicitudine adlaborent.

VI. Acceptis litteris Flaviani Leo opem operamque suam adversus Eutychen pollicetur: perque illustrem virum Rhodanum epistolam mittit, quam primum ex codice cardinalis Grimani in publicum emittimus, quam et secuta est (*b*) alia ad Theodosium (*Epist.* 23, *nunc* 54), in qua Nicænæ fidei se inhærere profitetur, Nestorii et Eutychis dogmata condemnat, postulatque synodum intra Italiam congregari. In ea ampliores litteras promittit per Flaviani nuntium; fuitque illa celebrata adeo ad Flavianum epistola A (*Epist.* 24, *nunc* 28), divinum Magni Leonis opus, laudata Chalcedone, Patribus approbata, et retenta ad fidem Ecclesiæ de incarnatione Christi explicandam, ut hac quasi Lydio lapide sincera adulterinaque fides probetur. Gelasius papa hunc, qui vel unum ex ea apicem sustulerit, ferit anathemate. *Probamus*, inquit, *epistolam B. Leonis papæ ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum destinatam, cujus textum quispiam si usque ad unum iota disputaverit* [Al. *disputaverit*], *et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit* (*Concil. Rom. de Libr. apocr.*). Apud scriptores tam illorum temporum quam posteriorum præclara de ea memoria est. Viridarium, seu, ut vulgo vocant, *Pratum spirituale* (an opus Joannis Moschi, an Sophronii Jerosolymitani, nihil refert; certe opus antiquum, synodo septimæ, act. 4, Photio aliisque receptum) narrat epistolam Leonis divinitus approbatam. *Narravit* **458** *nobis et hoc abbas Mennas ejusdem cœnobii Pater, audisse se eumdem abbatem Eulogium Alexandrinum patriarcham, dicentem: Cum profectus essem Constantinopolim, fruitus sum contubernio domini Gregorii Romani archidiaconi et singularis viri, qui narravit mihi de sanctissimo ac beatissimo Leone Romano pontifice, dicens haberi scriptum in Ecclesia Romana quod cum scripsisset epistolam ad sanctum Flavianum Constantinopolitanum episcopum contra impios Eutyhetem et Nestorium, posuerit illam super tumulum principis apostolorum Petri; et orationibus ac vigiliis ac jejuniis vacans oraverit ipsum summum apostolum dicens: Si quid ut homo vel minus caute posui, tu cui a Domino Salvatore nostro Jesu Christo et hæc sedes et Ecclesia commissa est, emenda. Post quatuor dies* [Al. *post quadraginta dies*] *apparuit ei apostolus et dixit: Legi et emendavi. Sumensque epistolam de sepulcro B. Petri aperuit eam, et invenit apostolica manu emendatam* (*Prat. spirit. cap.* 147, *quod caput Latine tantum exstat*). Sed, ut scite scribit eminentissimus cardinalis Baronius, præstat audire potius sententiam Petri quam visionem Petri: *Firmiorem*, inquit, *habemus propheticum sermonem* quavis visione. Etenim majorem sibi (*c*) ea epistola fidem vindicat ex divinis Scripturis, traditionibus sanctæ Ecclesiæ, communi sanctorum Patrum consensu, et ex publica concilii œcumenici Chalcedonensis assertione et prædicatione, quam ex recensita modo visione. Istam quippe epistolam actione 5 approbavit: Ὅτε δὴ τῇ τοῦ μεγάλου πέτρου ὁμολογίᾳ συμβαίνουσαν, καὶ κοινήν τινα στήλην ὑπάρχουσαν κατὰ τῶν κακοδοξούντων; id est: *Utpote et magni illius Petri confessioni congruentem, et communem quamdam columnam existentem adversus perverse sentientes.* Olim hæc integra epistola (*d*) pu-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) *Communem* quidem *dignitatem* episcopalis honoris Leo admisit in episcopis et Romano pontifice; at simul *ordinem* hierarchicum *generalem non esse* monuit, cum pro diversitate gradus hierarchici auctoritate distinguantur, omnibusque episcopis Romanus pontifex eo primatu præsit, qui non meri honoris, sed præcipuæ jurisdictionis primatus est, ut omnes D catholici profitentur. Vide quæ in hunc locum epistolæ 14 animadvertimus annot. 52 (*Tom. præced. col.* 675, *n.* [e]). Porro ad Romanum pontificem controversiarum præcipuum judicem hanc causam ab Eutyche delatam appellationis libello, idque cum accepisset Flavianus, hunc quoque secundis litteris idem judicium postulasse, contra Quesnelli nisus probaturi sumus in observationibus ad dissert. 6, ex quibus ea quæ hic obtruduntur adversus Baronium quam inania sint perspicietur.

(*b*) Quesnellus deceptus chronica nota huic epistolæ subjecta in vulgatis VIII *kal. Junias*, eamdem scriptam hic prodidit ante judicium Leonis editum epist. 28, ad Flavianum. Ipse vero de errore hujus chronicæ notæ suspicatus est in secunda editione. Nos ex probatissimo ms. Ratisponensi emendavimus, VIII *kal. Januarias*. Vide annot. 8 (*Tom. præced. col.* 856, *n.* [i]) in epist. 54. Hinc de concilio in Italia convocando tum solum pontifex egit, cum in latrocinio Ephesino omnia per vim et præpotentiam gesta liberum concilium postularent, ut illatis malis facilius remedium afferretur.

(*c*) Hujus epistolæ celebritatem pluribus demonstravimus in admonit. ad ipsam epist. 28, eamque Flavianus etiam antequam ederetur ex apostolicæ sedis auctoritate per sese idoneam futuram putavit, quæ toti controversiæ finem imponeret, adeo et necessarium non esset concilium generale; et S. Petrus Chrysologus epist. 25 eidem acquiescendum Eutychen monuit, eo quod Petrum in suis successoribus vivere et docere quærentibus veritatem certum haberet. Postquam vero edita fuit, etiam antequam cogeretur synodus Chalcedonensis, tota Ecclesia illam suscepit, eidemque subscripserunt omnes catholici episcopi, non ut vim et auctoritatem illi adjicerent, sed ut se catholicos probarent, et ne, si renuerent, hæretici haberentur. Vide plura in eadem admonitione. De subjectis autem comparationibus et confirmationibus doctrinæ a Leone definitæ confer dicenda annot. 22 (*infr.*, *col.* 263, *n.* [a]) ad an. 451.

(*d*) Confer eamdem admonitionem in epist. 28, n. 5.

blice, quod ex ms. codice Romano Baronius notat, in Ecclesia Romana tempore Adventus legebatur; ex ms. codice Bibliothecæ Regiæ accepimus idem olim factitatum in Ecclesiis Galliarum.

459 Interea dum Leo Flavianusque bono Ecclesiæ pariter consulunt, Eutyches (*a*) novas turbas excitat; decreta synodi Constantinopolitanæ perfringendi cupido incessit (*Baron. ann.* 449, *n.* 39). Ea de re libellos supplices dat imperatori, actaque synodi diminuta falsataque arguit. Theodosius Chrysaphii eunuchi sermonibus deceptus, retractari acta jubet, omniaque ad amussim examinari, an quid omissum, mutilum adulteratumque reperiatur. Eam ob rem (*b*) eosdem episcopos, qui superiore anno synodum fecerant, jubet iterum cogi, sed illis Thalassium episcopum Cæsareæ in Cappadocia præficit, amoto Flaviano Constantinopolitano, cui jus et prærogativa sedendi aufertur. Concilium II Constantinopolitanum vocatur a cardinali Baronio; quamquam vix isto nomine dignandum. Appendicem ego dixerim synodi superiori anno habitæ CP., vel concilii œcumenici præludium quod ad kalendas Augusti indictum legimus. Aprili igitur ineunte habetur conventus: ad examen acta revocantur; nihil depravatum, aut immutatum reperitur; omnia uti gesta erant ita scripta esse omnes approbant. Tum Eutychis procuratores vana spe delusi (*c*) appellationem ad sedem apostolicam proferunt. Constantinus reverendus diaconus dixit: *Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit sanctum concilium sanctissimi episcopi Romani, Alexandrini, et Jerosolymitani, et Thessalonicensis;* hæcque actibus non contineri conquerebantur. Patritius Florentius id confirmabat; dum concilium solveretur, inter strepitus surgentium locutum sibi Eutychen de provocatione ad concilium Romanum, idque Flaviano discedenti renuntiatum. Unde hæc Basilius episcopus: *Et hæc in gestis non sunt inserta. Magnificentissimus Patritius dixit: Turba facta et dissoluto conventu, dixit ad me silenter appellans et Romanum, et Ægyptium, et Jerosolymitanum* 460 *concilium. Et ego arbitratus indecens esse latere hoc sanctissimum et reverendissimum archiepiscopum Flavianum, abscedens dixi ei: Basilius reverendissimus episcopus dixit: Jam in veritate dico adhuc ipso conventu sedente et proponente hoc sancta synodo, ut diceret iste duas naturas inseparabiles et inconfusas in uno Domino, idque post adunationem, scio quia dixit religiosus archimandrita Eutyches: Si præceperint mihi Patres Romanus et Alexandrinus, dico hoc ipsum; hoc autem non quasi appellans dixit, sed dicens: Non sum ausus dicere propter Patres.* Rogati Patres de appellatione nihil auditum omnes responderunt. (*d*) Eutyches ad concilium Romanum, Alexandrinum

A Jerosolymitanumque appellat, ratus, ut ea erant tempora, auctoritate episcoporum primarum sedium aut numerosiore synodo sententiam alterius posse irritam fieri. De Antiocheno silentium, quia episcopi hujus diœceseos Nestorianismi suspecti erant.

VIII. Eutyches dum hac via omnes aditus interclusos intelligit, alio se vertit, ad Dioscorum scilicet Alexandrinum episcopum. Hunc audax feroxque animus odiaque privata in Flavianum, præter invidiam æmulationemque sedium, Chrysaphiique potentiam, facile impulerunt in partes Eutychis. Ab iis in perniciem Flaviani et Eusebii Dorylæi conjuratur. Primum itaque Dioscorus ad imperatorem scribit; aliamque synodum postulat. Imperator petitioni subscribit, eamque ad kalend. Augusti Ephesum indicit; omnia ex composito sic ordinata sunt opera Chrysaphii. Dioscorus jubetur per litteras imperatoris concilio (*e*) præsidere; allegere ad synodum decem metropolitanos suæ diœceseos, aliosque aliunde decem B episcopos, qui sanctitate et doctrina plurimum florerent; rejecto nominatim Theodoreto, quia in Anathematismos sancti Cyrilli Alexandrini scripserat, aut magis quia Dioscoro 461 infensus, Eutychianæ doctrinæ aperte contrarius. Synodum prius opinor meditatam, etiam ante conventum Constantinopolitanum. Nam dum consuleretur de procuratoribus Eutychis admittendis, qui scilicet criminis accusabatur, et eam ob rem ipsum episcopi adesse vellent, Meliphtongus episcopus dum diceret super ea re sententiam, reum quidem præsentem volebat, posse tamen per procuratores audiri, si ita Augusto visum, rem scilicet iterum examini subjiciendam, quoniam imperator jusserat universalem synodum fieri, ubi de majoribus causis decernendum: Εἰ καὶ μάλιστα οἰκουμένικη ἐκελεύσθη, γενέσθαι σύνοδος, καὶ περύλανται τὰ καιριώτερα τὴν ὤν πραγμάτων ἐν ἐκείνῃ τῇ συνόδῳ; id est: *Præcipue quia universalem præcepit fieri synodum, et (f) necesse est majores causas in illud reservare concilium.*

IX. Hæc de synodo jam indicta disserebat Meliph-C tongus v idus Aprilis. Immo Flavianus ad S. Leonem scribens statim post acceptas primas ejus litteras jam tum de concilio cogendo rumorem divulgatum testatur. Porro datæ videntur Flaviani litteræ ante Constantinopolitanum conventum mensis Aprilis, 1° quia ante istum pervenisse Leonis litteras, quibus statim respondit Flavianus, narrat Seleucus episcopus in eo conventu; 2° quia de solo priore conventu Flavianus ad Leonem sermonem facit; de altero procul dubio non taciturus, si jam conflatus esset; 3° litteris Flaviani respondet Leo 21 Maii, non statim illis acceptis, sed exspectata occasione: *Pervenisse*, inquit, *ad nos tuæ dilectionis epistolas, ut primum venientis*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæ novæ turbæ excitatæ fuerunt ab Eutyche mense Aprili, antequam dogmaticam epistolam 28 S. pontifex scriberet. De his autem turbis plura annot. 1 (*supra, col.* 220, *n.* [e]).

(*b*) Ex triginta quatuor Patribus qui huic conventui interfuere, quindecim tantum pertinent ad antecedentem synodum, in qua Eutyches damnatus fuit.

(*c*) Quam scilicet Eutyches se in anteriori synodo interposuisse præferebat.

(*d*) Eutychis appellationem ad Romanum pontificem, quam duplici ex capite Quesnellus subvertere studuit dissert. 6, nos in observationibus ad eamdem dissertationem constituimus; ibique etiam egimus de hominis causam desperatam agentis perfugio ad alios atque alios episcopos, et ad diversas synodos, ut moras longiores necteret, et alicubi, si fieri posset, Flaviani sententiam rescindendam curaret.

(*e*) Hic respicitur alia Theodosii imperatoris epistola sub ipsum concilii tempus data ad Dioscorum Alexandrinum, in qua idcirco *primatus* eidem in hac causa tributus videtur, quia imperator Eutychis dolis deceptus, cum ejus patrocinium suscepisset, eum concilio, seu verius latrocinio Ephesino præficiendum credidit, quem Eutychis defensorem agnoverat, eique etiam comites addidit Juvenalem Jerosolymorum episcopum, et Thalassium episcopum Cæsareæ Cappadociæ, propterea quod hos sciebat Dioscoro *consentaneos futuros*. Hic usurpatus a Dioscoro primatus re-D prehenditur a S. Prospero in Chronico integro, a Rustico diacono in notatione ad hanc imperatoris epistolam, et a Victore Tunonensi in Chronico. Liberatus etiam in Breviario tradit pontificis legatos huic primatui Dioscori restitisse; sed contra vim quid poterant? S. Leo id non obscure improbans epist. 89, ad Marcianum, legatum suum Chalcedonensi præsidere voluit. Vide annot. 9 (*Tom. præced. col.* 931, *n.* [o]) in eamdem epistolam, ubi et hanc primatus usurpationem in Chalcedonensi ipsi Dioscoro a Lucentio objectam vidimus.

(*f*) Hæc Meliphtongus episcopus eo consilio dixit ut causam ad universalem synodum jussu imperatoris delatam, a conventu Constantinopolitano eximeret; non vero eo ut non alibi quam in generali concilio de majoribus causis decerni posset.

filii nostri Rodani opportunitatem reperimus, indicamus. Ex quo, vix ante kalendas Aprilis scriptas Flaviani litteras, facile statueris.

Ex quibus liquet non errorem, quod Baronio placet, irrepsisse in diem quo datæ sunt litteræ Theodosii ad Dioscorum ad tertium kalend. April.; immo litteras ejusdem Theodosii de convocatione synodi receperat **462** Leo III idus Maii, quas missas ante mensem solidum oportuit, quod Leo testatur ad Pulcheriam Augustam scribens (*Epist.* 27, *nunc* 31, *c.* 4). Sed ea quæ prius ab Augusto ordinata fuerant postea immutata haud dubium est. Nam (*a*) pauci primum episcopi convocati, deinde mutata sententia plures, ex actis pseudosynodi Ephesinæ liquido constat : nam centum et amplius adfuisse leguntur. Permissum igitur non modo Ægyptiis, sed Orientalibus venire ad concilium. Archimandritæ et monachi Constantinopolitani, quia Eutychen repudiaverant, non admissi : unus instar omnium adfuit Barsumas e Syria archimandrita scelere et perfidia notus, acer Eutychianæ impietatis vindex. Quin etiam postmodum vocatus Leo pontifex Romanus, ut patet ex ejus epistolis (*Epist.* 27, *nunc* 31, *c.* 4, *et epist.* 33, *nunc* 37); et ipse adesse synodo rogatus rescripsit non esse consuetudinem Romani episcopi extra Romam conciliis interesse; nec ea esse tempora, Hunno hoste ingruente, quibus civitatem deseratur; nec opus synodo ad fidem defendendam, quæ tam evidens sit : de qua tamen si cogitandum esset, expedire magis (*b*) ut in Italiæ partibus congregaretur (quod obtinere non potuit), ne tamen fidei videatur deesse, mittere se qui suas vices gerant, quique causæ adeo manifestæ sufficiunt. Ita legati a Leone missi sunt Julius episcopus Puteolanus, Renatus presbyter tituli S. Clementis, Hilarus diaconus, et Dulcitius notarius.

Hæc sic legere dedignatus non esset P. Christianus Lupus, qui nostra tam amaris ac virulentis scriptis insectatus est, illis se difficultatibus facile expedisset, quas aliter solvere non potuit quam per verbum *nescio*. Is in scholiis ad cap. 44 Monumentorum Ephesinorum, quorum editioni immortuus est, p. 262, sacram Theodosii jussionem pro congreganda II Ephesina synodo discutiens hæc habet : *Est data consulatu Posthumiani et Zenonis, eodem anno quo S. Leo suas ad Eutychen rescripsit litteras, et quo S. Flavianus suam adversus* **463** *eumdem celebravit synodum. Et quidem tertio kalendas Aprilis. At vero hæc epistola data est kalendis Juniis; ista vero synodus cœpit sexto idus Novembris. Porro istud Ephesinum concilium fuit indictum ad retractandum illius synodi de Eutychete judicium. Hinc quæritur quomodo illius indictio posset istius celebrationem præcessisse ad medium annum. Quin et Ephesinum latrocinium scribitur actum eodem anno sexto idus Augusti, tribus mensibus ante S. Flaviani synodum. Eadem est quæstio de Rescripto Magni*

A *Leonis. Respondeo esse mendum. Aliud nescio.* At aliud addiscere poterat; ac primum quidem epistolam Leonis ad Eutychetem datam kalendis Junii anni 448 nullo modo pertinere ad Flaviani judicium seu primum seu secundum, cum illud primum septem fere mensibus epistola præiverit; sed potius ad Domni synodum, ex qua cum Theodosium Antiochenus monuisset de renovata per Eutychetem Apollinaris hæresi, Eutyches pariter Leonem scriptis litteris monendum censuit de repullulante, ut calumniabatur, Nestorii per Domnum aliosque Orientales errore; licet nec Domni nec alterius cujusquam nomen expresserit. Hæc monueram et hoc præsenti loco, et ad Leonis epistolam ad Eutychem datam. 2° Cum Ephesinam pseudosynodum, quæ sexto idus Augusti anni 449 certissime celebrata est, placuerit Patri Lupo assignare anno 448, quo videlicet Posthumianus et Zeno gesserunt consulatum, et quo Leo scripsit kalendis Junii ad Eutychetem, et Flavianus de

B eodem judicium habuit, non mirum quod Ephesinam synodum tribus mensibus Constantinopolitana Flaviani antiquiorem inveniat, cum novem potius mensibus junior fuerit. 3° Sanctionem Theodosii pro convocanda synodo Ephesina consulibus Posthumiano et Zenone datam asserit, erratum Latinæ editionis secutus, cum scripta fuerit post consulatum eorumdem, ut Græci fontes (*c*) ipsaque rerum series indicant.

X. Sanctus Leo plures simul epistolas per legatos in Orientem misit, in quibus legatorum meminit : datæ sunt eodem die, scilicet idibus Junii. His tradita illa adeo prædicata epistola ad Flavianum (*Epist.* 24, *nunc* 28), aliæ ad Theodosium imperatorem (*Epist.* 26, *nunc* 29), ad Pulcheriam Augustam, ad Julianum Coensem episcopum (*Epist.* 27, *nunc* 31, *et epist.* 30), ad Faustum et Martinum archimandritas CP. (*Epist.* 25 *et* 31, *nunc* 35 *et* 34), ad episcopos synodi Ephesinæ (*Epist.* 23, *nunc* 32), quibus significat plenius se ad Flavianum (*Epist.* 29, *nunc* 33) de sua sententia

C scripsisse. Sunt et duæ aliæ ad Julianum Coensem et Pulcheriam eodem die datæ, qua superiores. Cur **464** (*d*) binæ simul eodem die ad eosdem epistolæ, nihil certi affirmem, an occasione nuntii qui legatos anteverteret, an metu ne legati adire Augustam prohiberentur, quod certe accidit, ut ex epist. 41 (*nunc* 45) satis apertum est. Nam altera epistola ad Pulcheriam breviter complectitur ea quæ per legatos scripta; et legatos (*e*) retentos aliquamdiu Romæ, ex breviore epistola (*Epist.* 32, *nunc* 36) quam iterum ad Flavianum XII kalend. Julii dedit, accepimus. *Cum per ea*, inquit, *quæ ipsi portabunt scripta, sis plenius instruendus.* Et iterum : *Subsecuturos significo, quos in hac re placuit destinare.*

XI. Jam dies concilio indictus appetebat, cum Augustus ad Elpidium scribit; jubet eum adesse concilio cum armatis militibus ad pacem securitatem-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæc Quesnellus scripsit ratus epistolam imperialem, qua concilium Ephesi cogendum indictum fuit die 30 Martii, soli Dioscoro datam fuisse, ut vulgata inscriptio præfert. At hæc epistola die eodem data fuit a pari ad alios quoque episcopos, ut post recitatas easdem litteras in actis Ephesinis Chalcedonensi insertis act. 1, notat. t. IV Concil. Ven. edit., col. 874 : *Eodem tenore scriptum est et aliis reverendissimis episcopis, ut in synodum convenirent;* et Julius Leonis legatus easdem litteras ad Leonem quoque *simili* (non vero *eodem*) *tenore* datas prodidit; quæ aliquod tantum verborum discrimen ob peculiarem in Romanam sedem reverentiam indicant, ut exposuimus annot. 29 (*tom. præced. col.* 793, *n.* 1) in epist. 31. Hinc quæ de mutata imperatoris sententia Quesnellus subjicit falsæ hypothesi innituntur, dum omnes episcopi eadem die ad concilium acciti fuerunt; Dioscori vero nomen in editis litteris legitur, eo quod is Ephesino latrocinio omnia suo arbitrio gerens, scriptam ad se

D epistolam actis inseruit.

(*b*) Hæc de synodo cogenda in Italia non leguntur in epistolis citatis in margine 31 et 37, sed in epist. 54, quæ ob errorem chronicæ notæ pertinere videbatur ad synodum Ephesinam, cum ex nostra emendatione posterior sit latrocinio Ephesino, cui ut remedium quæreretur, liberam synodum in Italia cogendam Leo a Theodosio petiit.

(*c*) Addendum *et veteres codices Latini*, in quibus observante Baluzio t. IV Concil. col. 873, not. *a*, legitur *P. C. Zenonis et Posthumiani*, ubi siglæ *P. C.* post consulatum indicant.

(*d*) De hac re vide admonitiones præmissas epistolæ 30 ad Pulcheriam, et 35 ad Julianum.

(*e*) Legatos non retentos, sed jam profectos in Orientem, cum Leo scripsit breviorem ad Flavianum epistolam 36, XII kal. Julii, ex emendata ejusdem lectione vidimus paulo

que synodi, mitti in vincula turbatores concordiæ imperans. Hæc in speciem honesta, sed reipsa ad profligandam fidem, opprimendosque catholicæ doctrinæ vindices. Vetantur episcopi, qui prius condemnaverant Eutychem, sententiam dicere: immo judicium de suo in Eutychem judicio expectare imperantur. Missæ præterea litteræ ab Augusto ad Proconsulem provinciæ, ad magistratus et duces exercitus, ut exsecutioni mandent decreta concilii. Demum ad ipsam synodum, ubi Flavianum ut turbulentum et novas res in religione molientem, Eutychem vero honorifice compellat, ut virum probum et catholicæ veritatis tenacem.

Rebus ita compositis habetur synodus ab cxxx episcopis, quos inter eminebant Domnus Antiochenus, Juvenalis Jerosolymitanus, Flavianus Constantinopolitanus, Thalassius Cæsareæ in Cappadocia. Flaviano locus fuit post Jerosolymitanum episcopum. Eusebius Dorylæi, non ut judex, sed ut reus admissus. Præsidebat Dioscorus. Legati sancti Leonis absentiam ejus causis et rationibus deprecantur: cumque ad lectionem ejus litterarum atque imprimis epist. ad Flav. se accingunt, deluduntur a Dioscoro. Aliis rebus legendis consumptum tempus; de fide non statim actum. Eutyches introductus continuo cœpit diluere labem hæreseos, confessionemque fidei proponere. Palam lecta est, falsitatis et simulationis plena, et ambage verborum perplexa. Retractata deinde acta ejus condemnationis. Frustra intercessere legati, frustraque obtestati, ut Leonis epistolæ legerentur. Lecta aliquot scripta S. Cyrilli. Dum lectio fiebat, Eustathius Berithi episcopus contenta voce, ut omnes audirent, dixit, non esse sententiam S. Cyrilli et S. Athanasii ut duæ in Christo dicerentur **465** naturæ. Οὔ δου, inquit, *τοιγαρονὺ νοεῖν φύσους, αλλὰ μίαν φύσιν τοῦ λόγου σεχσαχωμένην.* Non capiebat mentem illorum Patrum, qui promiscue *φυσιν* naturam pro hypostasi et persona aliquando usurpant. Cæteri episcopi vel minis territi, vel promissis corrupti, ne hiscere quidem, immo vel nutu, vel silentio, vel voce prodere fidem Ecclesiæ. Sic Eutyches triumphanti similis ab omnibus admittitur: declaratur innocens, solvitur ab excommunicationis vinculo.

XII. Neque hic stetit furor Dioscori. Pudet referre: non modo innocens prædicatur Eutyches, contra Flavianus ille vindex fidei, columen religionis, condemnatur cum Eusebio Dorylæi: uterque loco et sede moti sunt, et ut faces seditionis et Nicænæ fidei corruptores. Ita, ut Leo noster habet (*Epist.* 43, *nunc* 47, *cap.* 1), *In Flavianum veteres æmulationes et privata odia desæviunt. Æmulationes* propter sedis CP. splendorem in dies crescentem: *odia privata*, quæ in sanctum episcopum Chrysaphius exercebat. Iconii episcopus, quod in gratiam Flaviani accedens ad pedes Dioscori, ejus iracundiam frangere tentaverit, non modo repulsam passus est, sed furens Dioscorus milites, qui erant ad fores, vocat. Ecce complures illico magno numero et majore tumultu locum implevere, minaces vultu et catenis, quas ostentabant truculenti. Tum trepidare omnes episcopi, formidine et metu percelli, et in Flaviani condemnationem subscribere. Plurimi cum eo pontifices proscripti condemnatique: inter quos Ibas Edessenus episcopus, Theodoretus Cyrensis, et ultimus omnium Domnus

A Antiochenus, sed et quicumque jurare in verba hæretici abnuit, depositionis pœna mulctatus est. *In cujus synodi gesta*, ut scribit Liberatus, *timore episcopi subscripserunt in Eutychetis absolutionem et orthodoxorum episcoporum depositionem hæresim non recipientium, et quomodo omnibus gestis ejus contradixerunt*, vel, ut legendum conjicio, *et quoquomodo omnibus gestis ejus contradicentium.*

XIII. Flavianus audito judicio appellationem interposuit: est enim in Liberati Breviario statim a Flaviano datum apostolicæ sedis legatis libellum appellationis; de qua alius erit dicendi locus. Tum hæretici fremere itaque ultra modum succendi, percutere Flavianum, et indignis modis magnum pontificem accipere: adeo ut vi dolorum plagarumque exhalarit animam; atque ita pro fide martyr mortem oppetierit. Verum varia **466** de ejus morte fama est. Prosper ait, quod *sanctus Flavianus inter manus eorum a quibus in exsilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transivit.* Nicephorus refert triduo post decessisse.
B Apud Marcellinum Comitem et in Menologio Græcorum invenio ad Epypam Lydiæ relegatum, ibique tædio, dolore, et tormentis confectum, exanimatumque: quibus similia habet Breviculus Eutychianistarum. *Ducitur*, inquit, *in exsilium Flavianus, et apud Epypam, quæ est Lydiæ civitas, seu superveniente, seu ingesta morte defunctus est.* Libellus synodicus, cap. 85 calcibus occisum dicit. Cædis auctorem acta Chalcedonensis synodi Barsumam monachum arguunt. Evagrius lib. xi Hist. cap. 11, ex Eusebii Dorylæi fide Dioscoro ejus mortem tribuit, a quo calcibus impetitus, ab Ecclesia extrusus et interfectus dicitur. Sane ejus impulsu pessime affectum nemo dubitat. Plurimi in concilio Chalcedonensi Dioscorum percussorem et homicidam Flaviani, et alterum Cainum appellaverunt.

Cæterum in tanta rerum desperatione legati sedis apostolicæ non cecidere animo; sed obfirmate restiterunt conatibus hæreticorum adversus condemnatio-
C nem Flaviani: quæque gesta erant palam contestati. Unde et (*a*) illi violata fide publica in custodiam dati, unus Hilarus fuga elapsus post varias circuitiones et fortunas tandem adnavigavit Romam. *Ita sicut latrocinium* absoluta pseudosynodus Ephesina.

XIV. Interea vehementer angebat Leonem cura synodi, anxie nuntia et litteras Flaviani exspectans, volvebat animo, quid posset monachus factiosus, et spado gratia et auctoritate potens. Super hæc scribit ad Flavianum (*Epist.* 35, *nunc* 39): ejus silentium conqueritur. Sed demum edoctus ab Hilaro diacono ut sese res haberent, non ita dolori indulsit, ut negligeret remedium. Confestim igitur concilium cogit. (*b*) Visum Patribus ut Leo ad Theodosium scribat, ponatque ante oculos miseram Ecclesiæ faciem, quæ vulnera religio accepit ex latrocinio Ephesino, quo in discrimine versatur fides catholica, si Dioscorus et Eutyches pro libidine omnia gerant decernantque. Quod si consultum velit huic malo, cogendam syno-
D dum generalem: hoc votum esse omnium episcoporum *suarum partium;* neque alio quærendum remedium, postquam per vim omnia tractata Ephesi, post constestationem legatorum, Flavianique appellationem, secundum **467** Nicænæ synodi decreta: sic per ea tempora Sardicenses canones appellabant. Appellationem ipse Leo explicat (*c*) de appellatione

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hilarium legatum effugisse scimus: quid Julio Puteolano, et Dulcitio apostolicæ sedis notario acciderit, ignoramus. Renatum vero presbyterum ante ipsam synodum in Delo insula morte fuisse præventum, ex Breviculo Historiæ Eutychianistarum manifestum est (*Tom.* V *Conc. col.* 173).

(*b*) Id et Leoni et Patribus simul visum est, ut in difficillimis hujus temporis circumstantiis latrocinio Ephesino remedium afferretur; et S. pontifex, ut facilius Theodosii animum permoveret, omnium episcoporum petitionem ac lacrymas repræsentat.

(*c*) Hic Quesnellus postillam apposuit, qua lectores remittit ad dissert. 8 de appellatione Flaviani: ubi ut eludat appellationem ab eo interjectam ad Romanum pontificem, eamque ad synodum episcoporum occidentalium interpositam ostendat, pluribus laborat. Sed nostræ observationes eidem dissertationi subjectæ omnes ejus conatus, ut confidimus, disjicient. Ibi etiam quæ hic subduntur ex synodo Sardicensi ac epistola Gallæ Placidiæ explicabuntur.

ad synodum episcoporum suarum partium seu Occidentis, cui ipse præsit Romanus pontifex. *Omnes*, inquit, *partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus et lacrymis supplicant sacerdotes, ut quia et nostri fideliter reclamarunt, et iisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit, generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari : quæ omnes offensiones aut repellat, aut mitiget, nec aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum : convenientibus utique Orientalium provinciarum episcopis....* Et infra : *Quam autem post appellationem interpositam hoc necessario postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ a totius mundi sunt sacerdotibus constituta* (*Epp.* 39 *et* 49, *nunc* 43 *et* 44). Quæ Leonis ratiocinatio, qua ex canonibus Sardicensibus necessitatem synodi arguit, vana omnino esset, nisi persuasum habuisset eam fuisse mentem synodi, ut per Romanum pontificem, Occidentalium synodum intelligeret, qui vellet; non exclusis utique ab illa Orientalibus. Galla Placidia de ea re ad Theodosium scribens appellationem Flaviani eo modo explicat. Διά τὸ, inquit, λίβελλον στεῖλαι πρὸς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον, καὶ πρὸς πάντας τοὺς ἐπισκόπους τῶν μερῶν τούτων : id est : *Et quod libellum miserit ad apostolicam sedem, et ad omnes episcopos harum partium.*

Eo tempore, eodemque die multas litteras Leo in Orientem misit : ad Pulcheriam (*Epist.* 41, *nunc* 45) nomine concilii Romani epistolam cum exemplari illius quam ad Theodosium miserat. Aliam dedit ad Flavianum Constantinopolitanum (*Epist.* 42, *nunc* 49), ad Julianum Coensem (*Epist.* 44, *nunc* 48), et ad Anastasium Thessalonicensem (*Epist.* 43, *nunc* 48); cui plurimum gratulatur quod ab Ephesino concilio abfuisset. Reperiuntur et aliæ tres epistolæ, quas Leo verbis synodi pariter scripsit : quarum una ad archimandritas (*Epist.* 47, *nunc* 51), et (*a*) duæ ad clerum populumque Constantinopolitanum (*Epist.* 45 *et* 46, *nunc* 5 *et* 59): in quibus præclara de incarnatione Christi documenta. Quomodo Leo tam brevi tempore concilium fecerit, vix dici potest : sed id temporis crebra concilia, ut decretum erat in synodo Nicæna, et in epistola sancti Leonis ad Siculos episcopos superius diximus quotannis Romam **468** mitti tres episcopos ex ea provincia ad celebrandum concilium ad III kalend. Octob. quo tempore reditus Hilari Diaconi fuit. Seu ita congregata synodus, seu Leo de Ephesina synodo ambigeret, seu fama et rumore admonitus jam ex Occidentis partibus episcopos Romam vocasset, certum ex ejus ad Theodosium, ad Pulcheriam, ad clerum, plebem et archimandritas Constantinopoleos epistolis (*Epp.* 40, 41, 45 *et* 47, *nunc* 44, 45, 50, 51), adversus Ephesinum concilium coactam Romæ synodum, et ejus auctoritate improbata rejectaque decreta Ephesi. Ejusdem rei testem habemus Hilarum Diaconum scribentem ad Pulcheriam Augustam. *Vestra itaque veneranda*, inquit, *clementia cognoscat a præfato papa, cum omni Occidentali concilio, reprobari omnia quæ in Epheso contra canones per tumultus et odia sæcularia a Dioscoro episcopo gesta sunt, et nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quæ per potentiam prædicti, non sine fidei læsione et præjudicio sanctissimi viri innoxiique commissa sunt.* Sed non solum irrita, nulliusque auctoritatis fuit hæc pseudosynodus hac Leonis synodique Romanæ declaratione; sed et suo ipsius vitio, et reclamante universa Ecclesia, quod præclare Baronius explicat, etsi alias dicit non prius reprobatam synodum, quam (*b*) Leo ita sancivisset. Sic ille de ea synodo : *In qua nihil nisi per vim et metum tentatum et extortum : in qua loco sacrorum librorum gladii atque fistes : in qua suffragiorum libertas fuit vincta catenis : in qua pro Dei laudibus auditæ sunt militum minæ : in qua perfidus hæresiarcha patronus : in qua hæresis est stabilita : in qua nullus est a sanctis Patribus servatus ordo judicii, nulla viguit censura canonum et decretorum : in qua siluerunt episcopi : in qua de oppressa fide catholica impietas triumphavit, et de manubiis lapsorum episcoporum diabolus trophæa erexit, atque tandem de cæde martyris superbus tyrannus Dioscorus triumphavit.* Prudenter porro Leo nomine concilii Romani ad Orientem scribens, a pseudosynodi vocabulo abstinet, ne offendat Theodosium jam sermonibus et calumniis synodi exacerbatum : nec minus caute ab Augusto concilium in partibus Occidentis impetrare statuerat.

XVI. Theodoritus Cyrensis episcopus per ea tempora audivit se absentem condemnatum **469** Ephesi, depositumque. (*c*) Appellationem et ipse interposuit ad synodum Occidentis, quod scribit ad Renatum presbyterum Romanum unum ex legatis. (*d*) *Hac igitur de causa*, inquit, *tuam oro sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo et beatissimo archiepiscopo, ut apostolica utatur auctoritate, et præcipiat ad vestrum convolare concilium.* Et iterum in epistola ad Anatolium Patricium : (*e*) *Tuam magnificentiam oro ut hanc gratiam a triumphatore imperatore obtineas, ut ad* **470** *Occidentem accedam et ab illis Deo dilectissimis et sanctissimis episcopis judicer.*

Romam quidem Theodoritus non venit, et tamen, ut Acta Chalcedonensis synodi habent, sedi suæ restitutus est : an expresso judicio concilii Romani, an rescissa reprobataque pseudosynodo Ephesina, vel data receptaque communione, non asseram. Hoc tamen probabilius. Sed de tota Theodoriti causa alibi fusius (*f*).

ANNUS CHRISTI 450; — LEONIS PAPÆ 11; — THEODOSII 43, VALENTINIANI 26, IMPP.; — VALENTINIANO XIV ET AVIENO COSS.

I. Præsenti anno mense Martio datæ leguntur a.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Sola epistola nobis 50 data est hoc anno 449. Alia vero 59 scripta fuit circa medium Martii anni sequentis, ut probavimus annot. 48 (*Tom. præced. col.* 871, *n.* m) in eamdem epistolam.

(*b*) Etsi irritum per se esset latrocinium Ephesinum, quatenus nihilominus Leonis declaratio necessaria fuerit, in observ. ad dissert. 8 explicatum invenies n. 14.

(*c*) De appellatione Theodoreti conferendum est quid Quesnellus, in dissert. 10 disputavit, et quid nos in observationibus ad eamdem dissertationem annotavimus : ex quibus eum ad apostolicam auctoritatem appellasse certum fiet.

(*d*) Διά τοι τοῦτο τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην παρακαλῶ πεῖσαι τὸν ἁγιώτατον καὶ ὁσιώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῇ ἀποστολικῇ χρήσασθαι ἐξουσίᾳ, καὶ εἰς τὸ ὑμέτερον ἀναδραμεῖν κελεῦσαι συνέδριον (Theodor., ep. 116, ad Renat.).

(*e*) Ἀντιβολῶ τὴν ὑμετέραν μεγαλοπρέπειαν ταύτην αἰτῆσαι τὴν χάριν τὸν καλλινικὸν κορυφὴν (sic), ὥστε με τὴν ἑσπέραν καταλαβεῖν, καὶ παρὰ τοῖς ἐν ἐκείνῃ θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις δικάσασθαι. (Theodor., epist. 119, ad Anatolium Patricium.)

(*f*) Quæ hoc anno 449 a Quesnello omissa sunt de ordinatione Ravennii Arelatensis, paucis attingemus. Post S. Hilarii mortem comprovinciales episcopi Ravennium Arelatensis Ecclesiæ presbyterum, Leonique cognitum ac probatum, dum in Hilarii causa Romæ fuit, successorem consecrarunt. Tum et Ravennius, et ordinatores ad Leonem scripsere, quibus is respondit ep. 40 et 41 die 22, vel cum lectione Sirmondi die 26 Augusti hujus anni 449. Cum porro ex Ravennii clericis Romam missis S. Pontifex intellexisset, Petronianum quemdam vagum, sese per Gallias jactare Romanæ Ecclesiæ diaconum, et hoc nomine diversas Ecclesias circuire, aliam epistolam 42, ad eumdem Ravennium, dedit die 26 ejusdem mensis, qua omnes episcopos admoneri jubet, ut eum, ne ulterius hoc usurpet, ab omnium Ecclesiarum communione expellant.

Leone epistolæ (*a*) duæ : una ad Pulcheriam Augustam (*Epist.* 48, *nunc* 60), altera ad Faustum et Martinum presbyteros (*Epist.* 49, *nunc* 61) : in utraque pastoralis elucet vigor constansque pro fide sollicitudo. Ad eumdem hunc annum pertinere arbitror tum epistolas Valentiniani imperatoris (*Epist.* 50), et Augustarum ad Theodosium imperatorem, tum synodum Romanam quam commemorant. Aliam enim hanc esse a synodo A cujus nomine scripsit Leo plures epistolas statim post cognita Dioscori latrocinia mense Octobri anni præcedentis, hæc persuadent. 1° Congregata fuit hæc synodus in festo sancti Petri apostolorum principis, ut diserte dicit Valentinianus : *Post venerabilem noctem diei apostoli, et a Romano episcopo et ab aliis cum eo ex diversis provinciis congregatis rogatus sum scribere vestræ mansuetudini de fide* (*b*). Junio igitur 471

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Non duæ tantum ep. 60, ad Pulcheriam, et 61, ad Martinum et Faustum, scriptæ fuerunt hoc anno 450, verum etiam ep. 59, ad clerum et populum Constantinopolitanum, quæ ob supposititiam chronicam notam exarata credebatur an. 449.

(*b*) Festum diem Cathedræ S. Petri hic indicari, non vero festum mensis Junii, probavimus in admonitione ad imperiales litteras præmissa epistolæ 55. Ut autem omnis confusio tollatur, et omissiones aliquot Quesnelli suppleantur, Breviarium chronologico-historicum rerum gestarum hujus anni appendimus. Ephesini latrocinii scandalis remedium Leo B sperabat, si concilium liberum in Italia cogeretur. Hoc jam ipse a Theodosio cogendum petierat ep. 43, 44 et 54. Nullum tamen responsum acceperat, cum imperator Valentinianus, Placidia, et Eudoxia Augustæ Romam accesserant die 21 Februarii. Die autem 22, cum ad celebrandum festum Cathedræ S. Petri in basilica hujus apostoli convenissent, S. pontifex cum multis episcopis, qui ex diversis provinciis coiverant, ab iisdem Augustis obtinuit ut ad Theodosium scriberent epistolas 55, 56 et 57, quibus reprobatis gestis Ephesinis idem generale concilium hisce in circumstantiis maxime necessarium efflagitarent. Aliam quoque epistolam 58 eodem consilio ad Pulcheriam dedit Placidia Augusta : et ex his omnibus litteris quantum Romani pontificis auctoritati tributum fuerit, quisque perspiciet. His transmissis sub finem Februarii, Romam tandem mense Martio allatæ fuerunt epistolæ cleri et populi Constantinopolitani, Pulcheriæ Augustæ, et archimandritarum Martini et Fausti, quas circa Octobrem anni superioris C scriptas vidimus. Ex his Leo lætitia affectus est, cum fidei causam in ipsa regia urbe tot defensoribus vindicatam deprehendit : quos in rectæ fidei constantia confirmat epist. 59 et 61, datis die 17 Martii, eodemque die epist. 60 Pulcheriam magis magisque excitat, ut remediis procurandis sua auctoritate vehementius insistat.

Hactenus Leo de suis epistolis anno antecedenti scriptis et de Flaviani morte nihil resciverat. Post diem vero 17 Martii et fortassis mense Aprili accepit litteras de ordinatione Anatolii, ex qua Flaviani mortem agnovit. Multa hac in re Leonem turbarunt, inter quæ illud præcipue ipsum pupugit, quod epistolæ ab imperatore, Anatolio, et ordinatoribus ejus hac occasione directæ, *præter id quod ad ordinationem novi antistitis pertinebat, nihil nobis*, inquit, *de compressis vel abdicatis erroribus indicarunt*. In hac rerum obscuritate *nihil interim in alterutram partem temere rescribendum putavit, non dilectionem* (Anatolio) *ne-* D *gans, sed manifestationem catholicæ veritatis exspectans*. Confer ep. 70 (*nunc* 91). Cum vero non tam ex hac expressæ professionis fidei novi episcopi dissimulatione, quam ex Dioscori ordinatoris iniquitate aliisque circumstantiis difficillimis de Anatolii fide plurimum suspicaretur, ac ex imperatoris patrocinio maximum fidei periculum metueret ; antequam responsum daret, maturiorem tractatum in hac causa habuit. Romam paulo ante venerant Petronius presbyter et Regulus diaconus cum libello supplici episcoporum Arelatensi Ecclesiæ adhærentium, de qua re Quesnellus agit anno sequenti. Hos Leo *diu* retinuit ob necessitatem fidei, ut tractatui memorato interessent, et universa cognoscerent, quæ per eosdem Ravennio referrentur, ac per Ravennium ad cunctorum consacerdotum notitiam pervenirent, uti traditur in brevi ep. 67, ad Ravennium, hoc anno scripta die 5 Maii. Duo autem potissimum a Gallicanis episcopis S. pontifex desideravit, quæ solis verbis insinuanda, *committenda litteris non fuere*. Primum ut suæ dogmaticæ epistolæ 28, ad Flavianum, subscriberent. Hinc hujus exemplar transmisit, et una cum hac junxit Cyrilli epistolam ad Nestorium, ac priores Flaviani litteras ad Leonem, aliaque in Eutychen gesta, de quibus confer annot. 5 in ep. 67, ubi præterea illud maxime observandum innuimus, easdem Leonis et Cyrilli epistolas ita pari sollicitudine jungi et commendari Orientalibus in ep. 69 et 70, quæ scriptæ fuerunt in Anatolii causa, uti in hac 67, ad Gallicanos directa, junguntur et commendantur : ex quo Petronium et Regulum ob tractatum in eadem causa Anatolii habitum Romæ *diu* fuisse detentos, atque de toto hoc negotio instructos agnoscimus. Secundo perutile existimavit, si iidem Gallicani subsignatis suis ad Flavianum litteris ad imperatorem Theodosium scriberent, ac pro remedio Ephesini latrocinii suas quoque preces interponerent. Hæc satis colliguntur ex ep. 99, qua Gallicani ad Leonem serius rescribentes, dogmaticam ipsius epistolam locupletissimis subscriptionibus commendarunt, et cap. 4 se supersedisse significant a scribendis litteris ad Theodosium, eo quod mortis ejus nuntio accepto, rebusque sub novo imperatore immutatis, *fieri hoc minime necessarium* putassent. Aliquanto post, sive eodem mense Maio vel Junio Theodosii responsa ad Valentinianum et Augustas epistolis 62, 63 et 64 perlata fuerunt, ex quibus ejus animum ab omni remedio alienum Leo cognovit.

In his ambagibus quatuor legatos Abundium et Asterium episcopos, Basilium et Senatorem presbyteros in Orientem mittere, et dilata ad Anatolium responsione solum ad Theodosium atque Pulcheriam scribere ep. 69 et 70, quibus adjecit epistolam 71, ad archimandritas Constantinopolitanos, quæ omnes epistolæ die 16 Julii notantur. Legatis autem, qui post hanc diem transmiserunt, instructio data fuit cum testimoniis Patrum, qui catholicum dogma in epistola Leonis definitum adversus Eutychianam hæresim comprobabant. Hinc autem patet, quid causæ fuerit, cur Leo responsionem ad litteras de ordinatione Anatolii tamdiu distulerit, licet has multo ante accepisset saltem mense Aprili. Rerum difficultas, longioris consultationis ac tractatus necessitas, exspectatio responsionum Theodosii ad imperatoris et Augustarum litteras, legatorum electio et instructio cum testimoniis Patrum non modicam dilationem postularunt.

Quo tempore legati Constantinopolim pervenerint, ignotum est. S. Leo cum scripsit ep. 75 die 8 Novembris, eos quidem jam pervenisse confidebat. At quamvis Marciani litteræ 73 per Maximinum Comitem allatæ fuissent, ex quibus ejus assumptionem ad imperium intellexerat, nullum tamen de eorum adventu nuntium acceperat. Solum in ep. 76 Marciani, data die 22 Novembris legati cum honore suscepti commemorantur. Theodosio autem vita functo die 28 Julii, Marcianoque ad imperium evecto, rerum facies mutata est. Novus enim imperator, Pulcheria ejus uxore maxime coadjuvante, ad reparanda fidei scandala primas cogitationes et curas intendit. De assumptione sua ad imperium scribens ad Leonem epistolam 73, exeunte Augusto, vel ineunte Septembri, de concilio quam citius cogendo studium suum

mense anni CCCCL celebrata, non Octobri anni præcedentis. 2° Rescribens Theodosius ad Valentinianum, et ad Augustas, dicit se de his quæ Leo commemoraverat, **472** jam ad eum scripsisse *fusius, plenius, apertius, plenissime, ac sæpe*. At cum statim post receptas Ephesinas turbas scripserit Leo ad Theodosium, ex synodo Octobris, si ex eadem **473** synodo ad eumdem Augustum datæ sunt a Valentiniano litteræ de hoc eodem negotio, quomodo crebra imperatoris rescripta Leonem prius accepisse credemus, quam Valentinianum? 3° Seras admodum litteras dedisse Theodosium ad Leonem, et vix ante mensem Junium hujus anni videri ab eo esse receptas, patet ex epistolis 62 et 63 (*nunc* 69 *et* 71), quibus de receptis primum litteris et gratias agit Theodosio, et monet presbyteros Constantinopolitanos. Nullas certe Leonis ad imperatorem litteras habemus a die 15 Octobris anni 449, quo primum die synodum intra Italiam poposcerat, (*a*) usque ad 16 Julii anni 450; et ex epistola 49 (*nunc* 61) ad Martinum et Faustum presbyteros constat die 17 Martii nondum quidquam pontificem audivisse de receptis primis illis synodalibus litteris ante quinque menses scriptis: quo silentio mire anxius erat Leonis animus. Surda quippe aure ejus de synodo intra Italiam cogenda petitionem Theodosius exceperat. Unde ubi primum se dedit occasio Augustum Augustasque alloquendi, quod per se impetrare non potuerat, ipsorum litteris et instantia conatus est obtinere. 4° Synodum Romæ tunc coactam esse, rebus Ecclesiæ ita perturbatis, credibile facit antiqua consuetudo episcoporum, qui undique e remotioribus etiam regionibus convenire consueverant ad sanctorum memorias, ut natalium eorum diem concelebrarent. Ita Romam ad sepulcrum apostolorum, Turones ad sanctum Martinum solemne fuit episcopis concurrere. 5° Diversas synodos fuisse, inde etiam manifestum fit, quod S. Leo in epistola 52 (*nunc* 69) disertis verbis scribit synodum quæ cum ipse propriis litteris concilium in Italia celebrandum petierat, *ob hanc causam Romæ convenisse*, et quidem ante 15 diem Octobris. Synodum vero seu conventum episcoporum, *quorum multitudine circumseptus* Leo Valentinianum Augustasque convenit, et ad scribendum hortatus est, occasione solemnitatis apostolicæ, et, ut loquuntur Augustæ, *pro principatu proprii loci seu dignitate* collectus fuerat.

II. Quod vero solemnem apostoli festivitatem, de qua in imperatoriis litteris mentio, de die dedicationis basilicæ Sancti Petri **474** interpretari magis eligit cardinalis Baronius, ut de eadem synodo autumnali anni 449, a qua plures epistolas missas in Orien-

A tem a Leone diximus, intelligendus sit episcoporum conventus a Valentiniano notatus; nemo hactenus assentiri cardinali abnuit. In eam tamen sententiam ire nequeo. Primo enim quis non natalem apostoli diem statim cogitet cum DIES APOSTOLI, ut in ea fit epistola, appellatur? 2° Quis putet episcopos, qui ad tertium kalendas Octobris ex canone veteri et consuetudine Romana, Romam convenire soliti erant, adhuc mense Novembri convenire consuevisse ad dedicationem basilicæ celebrandam? Et quis Baronio fidem commodet, cum eamdem synodum, quam tertio kalendas collectam fatetur usque ad decimum octavum Novembris diem perseverasse scribit, quo die occurrit dedicatio basilicæ Sancti Petri; atque ita per quinquaginta dies episcopos synodum habuisse? quis hoc, inquam, sibi persuadeat, præsertim cum jam a 15 die Octobris absoluta synodus videatur, datis nimirum ex ea litteris ad Orientales partes?

Sic igitur sese res ista, ni fallor, habuit. Scripserat Leo ad Theodosium ex synodo autumnali anni
B 449, synodumque in Italiæ partibus congregari poposcerat: votis non annuit Theodosius ab Eutychianis circumventus, unumque hoc rescripsit, synodum necessariam non esse, Nicænam sufficere, cujus fidei ac decretis standum. Hoc responsum suggerit epist. 52 (*nunc* 69) ad Theodosium: *Omnibus quidem*, inquit, *vestræ pietatis epistolis, inter eas sollicitudines quas pro fide patimur, spem securitatis nobis maximam præstitistis. Nicænum commendando concilium; adeo ut ab illo, sicut jam sæpe scribitis, non patiamini sacerdotes Domini deviare*. Hæc cum cerneret Leo, remque fidei in Oriente periclitari, Valentiniano cum Placidia et Eudoxia Augustis Romam ad festum sancti Petri occurrenti, obviam factus est cum episcoporum cœtu, qui ad eumdem diem festum convenerant, simulque Augustum Augustasque obtestati sunt, ut litteris apud Theodosium agerent pro fidei causa, synodumque in Italia congregandam impetrarent.
C (*b*) Ex ea synodo Romana puto decretam legationem Abundii **475** Asterii, Basilii et Senatoris, de qua mentio in epist. 52 (*nunc* 69) et sequentibus quæ Julii 16 et 20 diebus datæ leguntur. Tam numerosam enim legationem haud scio, an per illam ætatem esse extra synodum decretam aliquis unquam meminerit. Ne quid hic tamen dissimulem, quod sententiæ nostræ adversari videatur, Galla Placidia in epistola sua ad Theodosium de Flaviano loquitur quasi adhuc superstite. Ἐν τῇ στάσει τῆς ἱερωσύνης ἀβλαβοῦς μένοντος ἐν πᾶσι Φλαυιανοῦ; id est: *In statu sacerdotii illæso manente per omnia Flaviano*. Sed quid si Pa-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

declaravit. 8. Flaviani corpus Constantinopolim transferri, atque Eutychen ex eadem urbe egredi jussit. Statim ac accesserunt Leonis legati, synodus ἐνδημοῦσα coacta fuit; ibique lecta dogmatica Leonis epistola 28, ad Flavianum, cum testimoniis Patrum, quæ per legatos transmissa fuerant, Anatolius, et omnes episcopi, archimandritæ, presbyteri et diaconi eidem epistolæ subscripsere, et Nestorio simul ac Eutychio, eorumque erroribus anathema dixerunt. Hæc gesta quæ laudantur ep. 80 ad Leonem missa fuere per Carterium, Patricium et Asclepiadem Constantinopolitanos clericos, una cum legatorum relatione, ut discimus ex ep. 79. Tres quoque epistolæ ad pontificem directæ: una est epistola 77, Pulcheriæ; aliæ duæ Anatolii et Juliani Coensis, quæ desiderantur. Hac eadem occasione missa videtur altera Marciani epistola 76, ad Leonem, signata die 22 Novembris. Cum enim omnibus his epistolis S. Leo respondeat eadem die 13 Aprilis anni sequentis per epistolas 78, 79, 80 et 81, quas clericis Constantinopolitanis in regiam urbem redeuntibus tradidit; omnes una per eosdem clericos transmissæ ac receptæ videntur. Confer dissert. de Epist. deperditis, n. 45, ubi aliam Marciani epistolam, quæ periit, et hac occasione missa fuerit, haud astruendam ostendimus.

Ab eadem Constantinopolitana synodo *missa est* epistola *almi archiepiscopi* Leonis *iis qui ubique essent metropolitis, et subscripta est*, uti traditur in concilio Chalcedonensi, act. 4, de Photio Tyri, t.
D IV Concil. Ven. edit. col. 1435, d. e. Theodoretus, qui anno superiori eamdem Leonis epistolam ad Flavianum summis laudibus extulit, post Constantinopolitanam hujus anni synodum ad Abundium Leonis legatum scribens, ejus exemplum cum sua subscriptione misit, ac idipsum effecisse Ibam Edessenum et Aquilinum ibidem testatur. His gestis annus 450 concluditur.

(*a*) Intermedio tempore habemus epistolam 54, quam ex certa emendatione datam fuisse die 23 Decembris an. 449, videre est ex annot. 8 (*Col.* 225, *n.* b) in annum præcedentem.

(*b*) Cum hæc Romana synodus habita fuit mense Februario, ut innuimus annot. 2 (*Col.* 235, *n.* b), tum vero legationem Abundii et sociorum a Leone directam post conventum Romæ habitum mense Maio, ex Breviario historico-chronologico ibidem demonstravimus.

cidia Augusta hoc tantum vult, nullam censendam esse ejus a sacerdotio dejectionem? Quid si Flaviani mortem tunc adhuc (*a*) ignorabat Augusta, et forsan ipse pontifex? Joannes Garnerius, qui contrariam opinionem amplexus est, hac præsertim ratione permotus quod incredibile sit *post undecim fere menses nihil in Occidente de morte episcopi tantæ sedis rescitum esse*, cur de mensibus undecim mentionem faciat, nescio; plures enim quam quatuor menses cum decem fere diebus non excurrunt a Februarii 18, cui mortem Flaviani assignat, ad finem Junii, quo festum apostoli occurrit. Mirum autem videri non debet per quatuor hos menses ignoratam Romæ fuisse Flaviani mortem. Superius enim observavimus Leonem per quinque integros menses ignorasse an litteræ synodales ad Theodosium, ad Pulcheriam, ad clerum populumque Constantinopolitanum et ad plures alios scriptæ, receptæ essent : nec videtur quidquam de illis rescivisse ante mensem Julium. Potuit certe potiori ratione serius de Flaviani obitu certior fieri. In Hypepensi enim exsilio ille obierat, unde non statim fortasse nuntius mitti potuit Constantinopolim. Cum autem in ea urbe rescitus est episcopi obitus, non alia prior cogitatio venit in mentem seu Theodosii, seu aliorum, quam de eligendo ordinandoque regiæ urbis episcopo; idque curavere, ni fallor imperator et Dioscorus, ne prius Flaviani mortem Leo addisceret, quam successoris ordinationem; ne Anatolii electio, hominis ex amicitia Dioscori ejusque delectu suspecti, interturbaretur. Revera utrumque ex iisdem nuntiis didicisse Leo videtur nec multis ante 16 Julii diebus, cum illa die primum rescribat de ordinatione Anatolii. Cur enim nobis non liceat æque ac Garnerio argumentatione hujusmodi urgere? **476** *Si*, inquit ille, *ante Februarium mors Flaviani accidisset, quid esset causæ cur S. Leo ne verbum quidem ea de re fecerit, aut certe de Anatolio non scripserit Theodosio, Pulcheriæ, aliisque ante Julium mensem? Cur Theodosius non ante Quadragesimam aut etiam ante Pascha non petierit Anatolium in communionem recipi a S. Leone?* Qua ille ratione de morte Flaviani, eadem ego, longe potiori jure, de nuntio mortis arguere possum, par enim de utroque silentium Leonis ac Theodosii. Cæterum libenter subscribo opinioni viri eruditi (*b*) de die mortis episcopi illius, non quia juvat nonnihil meam de synodo Junii sententiam; sed quia juvatur auctoritate breviculi Historiæ Eutychianistarum, Menologii Græcorum, et alterius quod est Maximi Cythcræi, et tertii ex bibliotheca cardinalis Sirleti; testantur enim pari consensu Flavianum post multas afflictiones ac ærumnas vitam in exsilio finiisse : quod argumento est, non nisi post plures menses illum vita functum. Quidquid porro sit de hoc capite, certe extra dubium videtur mense Octobri vel Novembri anni 449, vel ex synodo autumnali, scriptam non esse hanc Placidiæ epistolam, quandoquidem Theodosius ad has litteras rescribens remittit Augustam ad epistolas a se hoc de negotio, hoc est de concilio in Italia congregando, plenius atque apertius SÆPE, ἐντελέστερον καὶ σα-

A φέστερον πολλάκις, scriptas. Quod procul dubio fieri non potuit, nisi post plures menses ab Octobri, quando primum a Leone scriptum est de synodo ad Theodosium post acceptum de latrocinio Ephesino nuntium. Si quid porro his contrarium scriptum a nobis est ad istas epistolas, ex dictis corrigi velim.

III. Igitur Valentinianus cum matre Placidia Eudoxiaque uxore Romam venit ad tumulum apostolorum in basilica S. Petri. Leo cum magno episcoporum numero imperatorem adiit, de miserando Ecclesiæ statu plurima locutus, quæ mala monachus et spado Ecclesiæ intulerant; quibus injuriis obnoxii defensores fidei, ut omnia per vim acta Ephesi, ut extortæ suscriptiones proscriptionesque episcoporum latæ, et impiis satellitum manibus incestata religio. Super hæc fidem sancti Petri obtestatur, obsecratque Valentinianum et Placidiam, ut labenti Ecclesiæ opem ferant. Hæc gemens ploransque, adeo ut ex miseratione omnibus **477** oborirentur lacrymæ.

B Commotus imperator sermonibus sancti pontificis, et pariter Placidia Eudoxiaque, litteras ad Theodosium scribunt, et Placidia privatim ad Pulcheriam. Rogant Augustum ut non sinat se decipi pravitate Eutychis; caveat ne sub ejus auctoritate invalescat hæresis. Orant enixe ut communi consensu synodus universalis habeatur in Italia, ubi nova perversaque doctrina ad examen revocetur. Theodosius odio in Flavianum et susurris hæreticorum deceptus, respondet non tamquam errorem, sed quasi fidem defendat, se observantissimum avitæ religionis, se fidem Ecclesiæ et majorum traditiones sicut sacrum depositum custodire ; ob eam causam habitum Ephesi concilium, ubi libera suffragia, ubi omnia ex æquo bonoque juxta æstimata sunt. Eadem testatur plenius in epistola ad Leonem scripta esse. *Indicatum est*, inquit, *ad eumdem Leonem latius atque plenius, sicut arbitramur*. Ita Theodosius aversus ab Ecclesia non tam proprio quam aliorum ingenio, nam hæreticos potius quam hæresim fovebat. Dioscorus porro cer-

C tus gratiæ imperatoris, et ferox successu rerum, majora meditatur. Audit ægre Ephesinum concilium pro latrocinio haberi, rescissa Romæ ejus acta. Ira vindictaque impotens facinus intentatum aggreditur, communicata re cum decem episcopis, quos sibi comites asciverat : S. Leonem a communione Ecclesiæ abscindit, quod bonorum animos vehementer commovit, et Orientis Ecclesias toto prope biennio in factiones et schismata divisit. Nam, ut auctor est diaconus Liberatus, *Ægyptii, Thraces, Palæstini episcopi Dioscorum sequebantur ; Orientales, Pontici, Asiani partes sanctæ memoriæ Flaviani ; quod schisma permansit usque ad obitum Theodosii principis* (*Breviar. cap.* 12).

IV. Nondum duo anni effluxerant, cum auctor perfidiæ Eutychianæ Chrysaphius tandem suorum scelerum pœnas luit. (*c*) Augustus sero advertens spadonem in perniciem Ecclesiæ et reip. gratia et auctoritate abuti, hunc bonis honoribusque spoliatum in insulam

D relegat : quod Nicephorus habet (*Lib.* XIV, *cap.* 49), **478** qui et eumdem inter navigandum haustum fluctibus narrat. Cedrenus (*Pag.* 334 *edit. Reg.*) me-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Mense Februario, quo Valentiniani, Placidiæ, et Eudoxiæ epistolas scriptas ostendimus annot. 2 (*Col.* 235, *n.* b), Flaviani mortem et Placidia et pontifex ignorabant. Hæc mors certe istis nota erat die 5 Maii, qua Leo de Anatolii successoris ejus ordinatione consultationem habuit. Hinc falsum est et Flaviani obitum, et electionem Anatolii Leonem didicisse *non multis ante 16 Julii diebus*. Verum quidem est hac primum die pontificem respondisse epistolis quæ Anatolium ordinatum nuntiaverant : at responsionem in aliquot menses distulisse vidimus annot. 2 (*Loc. cit.*), quæ, ut hæc omnia intelligantur, revolenda est.

(*b*) Diei 18 Januarii hujus anni 450 Flaviani mortem assignari non posse, ipsa Anatolii successoris electio, quæ incidit in finem anni 449, ostendit. Vide quæ de tempore hujus mortis diximus annot. 1 (*Col.* 220, *n.* c) in annum præcedentem.

(*c*) Chrysaphius non a Theodosio mulctatus fuit, sed post ejus mortem. Theodorus lector, et Marcellinus necem ejus Pulcheriæ tribuunt. Victor Tunonensis et Prosper eam præcessisse dicunt electioni Marciani. In Chronico Alexandrino interfectus traditur *in porta* (regiæ urbis) *quæ ducit ad Melantiadem*. Quæ igitur hic narrantur ex posterioribus Græcis scriptoribus Nicephoro atque Cedreno, præferenda non sunt.

moriæ prodidit in illa insula a Jordane interfectum, cujus pater jussu eunuchi mortem immeritam subierat; Jordani autem a Pulcheria traditum esse, quæ causa est cur a comite Marcellino dicatur: *Theodosii sororis nutu sua cum avaritia interemptus.*

Theodosius non diu supervixit: morbo alii, alii rupta in venatione ex lapsu vertebra decessisse scribunt; sed omnes boni credidere acceleratum ejus obitum, Deo ita providente, ut discerent principes non hæresim protegendam, audiendosque in rebus religionis eos penes quos auctoritas et jus administrandæ Ecclesiæ. Nicephorus et Cedrenus scribunt ante obitum tactum dolore erroris, et in auctorem convertisse vindictam, expetitis de audacia Chrysaphii pœnis: et ob eam rem in Eudoxiam uxorem averso fuisse animo, quod odio Flaviani multa Ecclesiæ damna attulisset; hanc vero, ne quid acerbius pateretur, per speciem voti persolvendi Jerosolymam concessisse. An statim, an paulo post, ambiguum; certum tamen illuc venisse, et permansisse ad mortem.

V. Ad hanc secundam peregrinationem Eudoxiæ crediderim referendum quod aiunt, (*a*) Eudoxiam filiæ suæ, quæ Valentiniani uxor erat, misisse pro singulari munere catenam, qua vinctus ab Herode olim fuerat apostolorum princeps: si tamen narrationi fides, cujus locuples testis nullus adducitur. Id in prima profectione Jerosolymitana contigisse narrat Baronius. De illa tamen cum plurimi auctores mentionem faciant, Socrates, inquam, Evagrius, Nicephorus, Marcellini Chronicon, Acta S. Melaniæ, etc., mirum est eos de missa Petri catena ne apicem quidem habere. Inscriptionum auctoritas nulla, quia ætas incerta. Sed etsi ad primam referre quis maluerit, incidet nihilominus in Leonis nostri tempora. Cum enim Constantinopoli sub finem anni 438 profecta fuerit Jerosolymam, multas lauras, monasteria, templa, mœnia ipsa civitatis ædificaverit, multasque res **479** alias, teste Evagrio, ad Dei Salvatoris honorem illustrandum ibi gesserit, ante finem anni sequentis 439 Constantinopolim non est regressa, munusque illud Romam transmittere vix potuit ante Leonis pontificatum, quem gerere cœpit ineunte fere sequenti anno. Ut ut sit, occasione harum sancti Petri reliquiarum, omittendum non est, quod testis omni exceptione major Gregorius Magnus, lib. III Reg. epist. 30, ad Constantiam Augustam, de Leone nostro refert. *Cognoscat*, inquit, *tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore; sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima sanctorum corpora ponitur, quod elevatum in Ecclesia, quæ dedicanda, cum veneratione reconditur, et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferrentur. Unde contigit ut beatæ recordationis Leonis papæ temporibus (sicuti a majoribus traditur) dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, et ex ipsa incisione sanguis effluxerit.*

VI. Hanc Gregorii Magni narrationem velut fabulosam explodit anonymus auctor dissertationis de Trisagii origine Calvinianæ sectæ apud Rothomagenses minister, et in exemplum adducit insulsæ credulitatis: cui, ut occurrat, sex regulas quasi totidem oracula

A proponit, ad quas velut ad Lydium lapidem omnes historicorum narrationes examinari vult. *Quarta*, inquit, *regula est: ubi desunt testes æquales aut suppares, non illico fidem adhibendam juniori cuipiam, qui factum illustre, quod primus refert, toti mundo cognitum fuisse pronuntiat. Hujus rei exemplum sit quod Trajanum imperatorem Gregorii papæ I precibus a gehenna liberatum esse ita narrat Damascenus, ut id in toto Occidente communiter notum fuisse asserat.* Et post pauca: *Vellem*, inquit, *hac usi essent regula viri eruditi ad illustrem confutandam fabulam quam habet Gregorius*, etc. Et relatis Gregorii verbis supra descriptis, *Solus*, inquit, *Gregorius id narrat tamquam toti cognitum orbi; et tamen nihil videt, opinor, qui non totam Gregorii narrationem inter fabulas esse recensendam videt.* Nihil videt opinor, qui totam dissertatoris sermocinationem inter deliramenta esse recensendam non videt. Tam iniqua enim est comparatio gemini illius facti, quam tenebrarum cum luce. Tam insulsa B regulæ illius vel etiam ad fabulam liberationis Trajani a gehenna applicatio, ut nihil insulsius. Etsi enim mille testes, non suppares modo, sed et æquales Gregorio proferrentur, nihilo tamen minus fides omnis hujusmodi narrationi abroganda esset, tum quia frustra testium nubem prædices ad id probandum quod testium fidem ac diligentiam omnem præterit, quale est illud omne quod circa animas præsertim a corpore separatas agitur ab omnipotenti Deo; tum etiam **480** quod adversus catholicum fidei dogma, quo docemur ac profitemur in inferno nullam esse redemptionem, nemo umquam testis idoneus fuerit. Et hæc in primis regula ab isto auctore constituenda erat, quæ et omnibus aliis certior, et sæpe sæpius in usum venit ad confutandas narratiunculas pia fraude confictas.

VII. Jam vero quod Gregorianam de facto Leonis narrationem attinet, primum falsum est id ab eo pontifice narrari tamquam toti orbi cognitum, ne apex quidem id indicat. De Romanorum consuetudine disserit Gregorius, hanc facto prædecessoris sui con- C firmat, hujusque Romanos testes adhibet majores suos, qui a Leonis ætate non multum remoti erant; poterat enim Gregorius eos narrantes audire, qui Leonem ipsi vidissent. Deinde cui magis credendum de pontifice Romano narranti, quam alteri ejusdem sedis pontifici, cui Ecclesiæ suæ res ac traditio magis nota esse solent? Quamobrem, ut Joanni Damasceno Græco homini de rebus Occidentalium antiquis et antea non auditis testificanti fides merito negatur; ita Gregorio facile est adhibenda, Romano videlicet de rebus Romæ gestis, nec admodum antiquis, et quibus similia adhuc ejus tempore sub omnium oculis fiebant. Si enim inter fabulas rejiciendum quod de Leone narratur a Gregorio, et circa reliquias hujusmodi et mirabilem eventum earum occasione a Deo concessum, quid de aliis, quos ætate sua contigisse testatur idem Gregorius? Nemo enim Gregorio magis æqualis quam Gregorius ipse: et tamen vir summæ sinceritatis et ingenuitatis Romanorum hanc esse significat consue- D tudinem ut in pyxide brandeum mittatur, ponatur ad sacratissima sanctorum corpora, cum veneratione recondatur in ecclesia dedicanda, et quod per illud tantæ virtutes fiant, ac si illuc specialiter eorum corpora deferrentur.

Denique valeat per me licet quarta hæc heterodoxi

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Si fides adhibenda est versibus qui olim in Ecclesia S. Petri ad Vincula legebantur, et a Floravante Martinello in Roma Ethnico-sacra editi sunt pag. 284, alii posteriori Eudoxiæ, quæ sub ætatem Pelagii papæ floruit, hæc tribuenda videntur. En versus:

Hoc Domini templum Petro fuit ante dicatum
Tertius antistes Sixtus sacraverat olim.
Civili bello destructum post fuit ipsum:
Eudoxia quidem totum renovavit ibidem.
Pelagius rursus sacravit papa beatus
Corpora sanctorum condens Machabæorum,
Apposuit Petri pretiosa ligamina ferri,
Illustris mulier quæ detulit ab Hierusalem,
Et quibus est Petrus Neronis tempore vinctus, etc

Civile bellum, quo hoc templum post Sixtum destructum fuit, nullum, quod sciamus, exstitit Eudoxia imperante. Sicut autem Pelagius hoc templum renovatum sacravit; ita Eudoxiam, quæ illud reædificasse traditur, sub ejusdem pontificis ætatem vixisse cognoscitur. Huic autem feminæ ac tempori sacrorum vinculorum ab Jerosolyma translatio tribuenda.

regula adversus Gregorianam de Leone narrationem, si qui prisci scriptores supersunt qui res Leonis accurate et enucleate prosecuti hanc unam prætermiserint, si adhuc certum est omnes qui de his scripseruut ad nostram usque ætatem pervenisse, si contrarium aliquid uspiam scriptum legitur in antiquis. At si nihil istorum verum est, incassum profecto cadit dissertatoris conatus omnis adversus narrationem sancti Gregorii, et adversus sanctarum reliquiarum venerationem, cujus impatientia et odio motus est, ut hanc historiam inter fabulas relegaret.

VIII. Absente Eudoxia, Chrysaphioque ejecto, sua Pulcheriæ rediit auctoritas, etiam ante decessum fratris: quo e vivis sublato, Marciano viro optimo et forti nupsit; ea tamen lege ut potius eum solio quam toro sociaret: ita femina imperium retinuit et virginitatem, quam Deo voverat, etiam in conjugio custodivit. Utrique par animus erga religionem, quæ sub eorum imperio cœpit reviviscere.

481 Theodosius sub finem vitæ ad Leonem scripserat de Anatolio subrogato in locum Flaviani, ut eum admitteret ad communionem, qui erat a Dioscoro ordinatus, olimque ejus apud Theodosium apocrisiarius. Rescripsit ad imperatorem XVI vel XVII kalend. Augusti se non recusare eum diligere ut fratrem; sed exspectare se ejus de fide sententiam, modo consentanea credat Patrum doctrinæ, qui in Ecclesia utrobique fulserunt, et de Incarnatione ea sentiat, quæ olim Cyrillus, et quæ Ephesina synodus adversus Nestorium definivit; fidem subscriptione testetur coram clero et plebe, et admittat quæ consona veritati catholicæ copiose in sua epistola declaravit. Significat etiam mittere se episcopos Abundium et Asterium cum Basilio et Senatore presbyteris, *per quos*, inquit, *quæ nostræ forma sit fidei possitis dignanter agnoscere;* et ut ipsi testes sint fidei quam Anatolius profitetur, et non vereantur eum ad pacem admittere, qui cum eo in fide consentiat. De eodem argumento litteras scripsit eadem Julii 16 vel 17 die ad archimandritas Constantinopolitanos (*Epist.* 53, *nunc* 71), quibus et de Anatolii silentio expostulat, et eos de missis in causa fidei legatis monet. Nec multo post alias dedit (*a*) ad Pulcheriam Augustam (*Epist.* 54, *nunc* 70), ad Martinum et Faustum presbyteros (*Epist.* 55, *nunc* 74, *et* 56, *nunc* 75), eumdem fidei catholicæ zelum spirantes, in quarum penultima legatos suos dudum Constantinopolim appulisse confidit.

IX. Jam vita decesserat Theodosius, cum Constantinopolim advenerunt legati; jamque Marcianus salutatus erat imperator, cui reddunt litteras Leonis. Anatolius dubiæ sub Theodosio fidei, sub religioso principe nihil hæsitandum ratus, Eutychen cum ejus erroribus detestatur. Olim conjunctissimus Dioscoro, et ab eo ordinatus, contra canonicam regulam Antiochenæ Ecclesiæ episcopum consecraverat: supplex ad Marcianum Pulcheriamque accedit, oratque ut amicitiam et communionem Leonis sibi concilient. Romanus pontifex paci Ecclesiæ consulens ultro assensus est. *Ut quod*, scribit idem anno sequenti (*Epist.* 78, *nunc* 104), *vestro beneficio noscitur consecutus, nullius cupiditatis pravitate turbaret. Nos enim vestræ fidei interventionis habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis auctores ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum quam justiores esse* **482** *voluimus.* Eadem prope ad Pulcheriam sequenti epistola.

Anatolius post adventum legatorum concilium seu consessum episcoporum, qui in regia civitate erant, cogit, ut suam fidem approbet. (*b*) De eo conventu mentio est actione 4 concilii Chalcedonensis, ubi agitatum an concilii nomen mereretur. Εἰ σύνοδον χρὴ καλεῖν τῶν ἐπιδημούντων τῇ βασιλίδι πόλει τὴν συνέλευσιν. Tryphon episcopus Chius respondit: σύνοδος καλεῖται καὶ συνέρχονται, καὶ οἱ καταπονούμενοι τῶν δικαίων ἀπολαύουσιν; id est: *Synodus appellatur, et conveniunt, et laborantes aliqua oppressione sua jura nanciscuntur.* Anatolius (*c*) subjunxit, et illic ecclesiasticas causas tractari, nihilque a se tentatum quod novitati esset affine, sed ex antiqua id consuetudine episcopo Constantinopolitano concessum. Quid vero in eo consessu seu synodo sit actum, ex fragmentis Commentariorum Abundii, qui unus erat ex legatis, licet discere. Refert igitur lectam epistolam sancti Leonis, allata testimonia sanctorum Patrum, qui et Latine et Græce scripserant, collataque simul cohærere et in fidem unam convenire deprehensa. Hæc in synodo coram episcopis: ubi et prolata epistola Leonis ad Flavianum, quam omnes sua subscriptione confirmarunt, et Anatolius, et episcopi, archimandritæ, presbyteri, et diaconi omnes qui aderant. Contra dictum ab omnibus anathema Nestorio et Eutychi, eorumque doctrinæ. Ita hæresis Eutychiana Constantinopoli proscripta est, unaque fides omnium fuit. Ad alios deinde metropolitanos missa est a synodo Leonis epistola, qui cum suæ provinciæ episcopis eam voce et manu approbaverunt; Theodoretus eamdem cum sua subscriptione remisit ad Abundium legatum. Hæc omnia ita gesta esse, ut superius diximus, partim ex Actis Abundii, partim ex actione de Photio post act. 4 Chalcedonensem habemus. Leo ipse ad Paschasinum Lilybæi episcopum scribit in epistola prius inedita, quam modo publicam facimus ex ms. codice cardinalis Grimani (*Epist.* 68, *nunc* 88), a suis allegata sanctorum Patrum testimonia apud Constantinopolim, *et totam Constantinopolitanam Ecclesiam cum monasteriis omnibus et multis episcopis præbuisse consensum, et subscriptionibus suis Nestorium atque Eutychen cum suis anathematisasse dogmatibus.* **483** *Noveris etiam proxime me epistolam Constantinopolitani episcopi accepisse, quæ refert per Antiochenum episcopum missis per provincias suas tractoriis, universos episcopos et epistolæ meæ præbuisse consensum, et Nestorium et Eutychen pari subscriptione damnasse.*

De synodo, priusquam loquendi finem faciamus, addam non contentionis animo, sed veritatis historicæ gratia, hoc concilium non convocatum a legatis, ut est in Annalibus, sed coactum ab Anatolio, quod ipsa fragmenta Actorum Abundii, quæ Baronius retulit (*Ad an.* 449, *n.* 98), commemorant, et (*d*) actio 4 Chalcedonensis de Photio innuit. Ab alio

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæc ad Pulcheriam epistola 70, ob chronicæ notæ emendationem data fuit eodem die 16 Julii quo duæ epistolæ præcedentes.

(*b*) Non de conventu in quo Anatolius Leonis epistolæ subscripsit, sed de alio conventu præcedenti paulo post Anatolii ordinationem habito, in quo favente Theodosio Phœnices provincia cum præjudicio episcopi Tyri in duas divisa fuerat, hæc quæstio in Chalcedonensi agitata fuit, ut ex ipsius actionis quartæ lectione manifestum erit. Vide t. IV Concil. Ven. edit. col. 1435, d, et seqq. Solum in hac quæstione Tryphon Chius, ut probaret eum præcedentem conventum esse synodum, aliorum similium conventuum qui synodi vocabantur, exemplum attulit. Hi porro duo conventus, quorum alter *tunc*, alter vero *nunc* habitus dicitur, si probe distinguantur, aliæ Quesnelli hallucinationes in sequentibus delegentur

(*c*) Hæc ad primum conventum antecedenti notatione indicatum, sequentia autem ad secundum pertinent.

(*d*) In hac actione primum conventum *sub Anatolio* habitum dicitur, de secundo nihil est, ex quo ejus convocatio Anatolio tribuatur. Cum porro S. Leo eo tempore, quo legatos direxit in Orientem, eam mutationem, quæ per Theodosii mortem facta est, nec prævidisset, nec sperasset; de cogendo Constantinopolitano conventu, in quo suam epistolam omnes subscriberent, non cogitavit. Nihil tamen dubii est

certe quam ab Anatolio colligi synodum Constantinopoli nec canones, nec privilegia sedis illius sinebant. Neque vero legati missi sunt concilii faciendi causa, sed, ut ipsi profitentur, *ad insinuandam cunctis fidem catholicam*, et, ut Leo ipse scribit ad Theodosium : *Per quos*, inquit, *quæ nostræ forma sit fidei, manifestatis instructionibus quas misimus, possitis dignanter agnoscere*. Quod et in epist. 54 (nunc 70) ad Pulcheriam uberius edisseriit. *Denique ad fortitudinem sanctarum mentium roborandam* missos legatos scribit in epist. 55 (nunc 74) ad Martinum presbyterum.

Neque etiam verum accitos ex provinciis episcopos ad synodum, sed collectos eos qui in urbe regia erant cum presbyteris et archimandritis, quod supra annotatum, confirmatumque ex actione de Photio intra actionem 4 Chalcedonensem, ubi pauci convenisse dicuntur, nec alii quam qui in urbe forte fortuna reperti sunt : *Quemadmodum et nunc, cum pauci Constantinopoli convenissent, missa est epistola almi archiepiscopi Leonis iis qui ubique essent metropolitis, et subscripta est; sic tunc quæ visa erant præsentibus sanctissimis episcopis allata sunt et subscripta.*

Denique in hac synodo non reconciliati episcopi qui desciverant a fide, nec communione catholicæ Ecclesiæ donati, sed Ecclesiæ suæ communione contenti esse jussi sunt. (*a*) Non expuncta ejusdem synodi decreto nomina Dioscori et Juvenalis : nam Leo epist. 60 (nunc 80) ad Anatolium scribit non tamquam de re gesta, sed **484** tamquam delienda a legatis cum Anatolio. *Quod nostri*, inquit, *ibidem constituti faciendum esse dixerint*. Immo aliis legatis, Lucentio et Basilio, servatam esse hanc provinciam, ex litteris anno sequenti 7 Junii scriptis manifestum est.

Quamquam igitur quæ superius a nobis scripta sunt de subscriptione Constantinopolitanorum cum Anatolio, episcoporum omnium Orientalis diœcesis, et omnium qui ubique essent metropolitarum, simul cum Abundii legatione alios secuti retulerimus, nolim tamen asserere hæc omnia eodem tempore et anno, vel coram ipso Abundio contigisse. Roma is profectus erat circa 17 Julii anni 450; die 8 Novembris nondum de ejus et collegarum adventu Leo certus erat factus, ex epist. 56 (nunc 75) eodem die scripta. (*b*) Ante Pascha anni 451 reversum Romam persuadent litteræ 13 Aprilis hujus anni datæ, quibus et alios legatos tunc missos commendat pontifex, et de prioribus ab Augusta adjutis gratias agit, et de istorum gestis et relatione a se recensitis mentionem facit. *Fratrum nostrorum*, inquit epi t. 60 (nunc 80), *quos Constantinopolim misimus, relatione cognovimus*. Ad istam igitur legationem pertinet sola Anatolii et Constantinopolitanorum clericorum et archimandritarum subscriptio, cum episcopis qui synodo ἐνδημούσῃ de more interfuerant. Nihil amplius revera commemorant Abundii Acta, epistola Pulcheriæ ad Leonem, cui Leo 13 Aprilis anni 450 respondet, et Leo ipse in litteris eodem tempore datis.

Quod Maximum Antiochenum ejusque Orientalis diœcesis episcopos attinet, cum Leo 27 Junii ad Paschasinum scribens *proxime* tunc edoctus esset per Anatolium de his quæ ibidem de Antiocheno narrantur, nonnisi post Pascha id actum esse, postque legatorum discessum ex urbe CP. manifestum inde evadit. Revera quæ in eadem epistola 68 (nunc 88) ad Paschasinum narrantur de Anatolio et Constantinopolitanis, ab his quæ de Maximo et Orientali diœcesi sejunguntur; de istis ut recens actis scribitur, de illis ut jam pridem perfectis. De iisdem Orientalibus Leo epist. 70 (nunc 91) ad Anatolium 26 Junii. *Cum et ipse*, **485** inquit, *indicare dignatus sis quod in suscipiendu catholica fide et damnatione Eutychis atque Nestorii omnes Orientales subscripserint sacerdotes*. Hæc tum primum didicerat; de ipso autem Anatolio ante duos menses.

Demum (*c*) nondum tunc temporis Anatolium e synodo sua ἐνδημούσῃ ad omnes suarum provinciarum metropolitanos Leonis epistolam subscribendam transmisisse, uti in Chalcedonensi de Photio actione narratur, constare mihi videtur tum ex silentio Leonis, qui istud non omisisset ad Paschasinum de duobus aliis capitibus adeo cognatis scribens 24 Junii, tum ex eadem illa actione de Photio, in qua vocula *nunc* rem actam indicat non multo ante mensem Octobrem, quo mense jam inclinato actio illa habebatur. His adde, quod conventui Constantinopolitano, in quo Anatolius subscripsit cum clericis et monachis, *multos* episcopos interfuisse narrat S. Leo, cum paucos actio testetur convenisse in alia congregatione, unde ad metropolitanos suarum provinciarum **486** epistola subscribenda directa est. Nihil autem repugnat quominus coram Lucentio et Basilio legatis Romanis totum id peractum fuerit, unumque fuisse illorum quæ legatis commissa pluries scribit, cap. 3, S. Leo, et de quibus sic Anatolium

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

quin legati mutatis rebus egerint, ut coacto conventu laudata epistola ab omnibus subscriberetur, eademque etiam ex eodem conventu mitteretur ad omnes Orientis metropolitas, ut similiter omnes episcopi eamdem subscriberent.

(*a*) Confer annot. 19 (*Tom. præced. col.* 914, *n.* [r]) in epist. 80, ex qua emendata per nos lectione ejusdem epistolæ, approbata cognoscetur sententia legatorum, qui fuerunt in hac synodo, non vero hanc provinciam aliis legatis postea mittendis fuisse reservatam. In epistola autem 85, data die 9 (non vero 7) Julii an. 451, nulla hac in re potestas novis legatis concessa traditur, sed cap. 2 anterior tantum sententia confirmatur.

(*b*) Abundium cum sociis Romam reversum paulo ante diem 9 Junii an. 451 probavimus annot. 4 (*Tom. præced. col.* 919, *n.* [e]) in epist. 83. Die autem 13 Aprilis Leo eos exspectabat quidem, eorumque de rebus gestis relationem non voce, sed per litteras acceperat. Vide annot. 5 (*Ibid., col.* 913, *n.* [c]) in epist. 80.

(*c*) Hic Quesnellus Leonis epistolam ad omnes metropolitas subscribendam fuisse missam negat e Constantinopolitana synodo, in qua Anatolius et ceteri, qui in regia urbe degebant, agentibus Abundio et aliis Romanæ Ecclesiæ legatis, eidem subscripsere. Alium posteriorem conventum hac de re habitum contendit, cum tamen Theodoretus, qui absens eidem epistolæ hac occasione subscripsit, nulla alia, ut videtur, probabiliori de causa eamdem epistolam abs se subscriptam ad Abundium miserit, nisi quia eo auctore in Orientem missa fuit ; unde initio eidem epistolæ tribuit quod Orientales rectam fidem tenuerint. Alius conventus sine certiori auctoritate astruendus non est. Quæ autem Quesnellus subjicit, infirmissima sunt. Silentium Leonis nihil probat, cum in epistolis non omnes circumstantiæ semper exprimantur. Particula *nunc* in actione de Photio Tyri posteriorem et proximiorem conventum indicat, et opponitur particulæ *tunc* conventus antecedentis ac remotioris; ut ne alium conventum ante concilium Chalcedonense habitum astruere necesse sit. Quod si *pauci* ibidem dicuntur episcopi, Leo vero, epist. 88 de Constantinopolitano conventu scribens, *multos* vocat; triginta vel quadraginta episcopi diversa consideratione ac relatione *pauci* vel *multi* appellari potuere. Eustathio Berytensi episcopo *pauci* dicti sunt relate ad numerum episcoporum, qui in antecedenti conventu litteras sibi faventes firmaverant : quam relationem cum Leo mente non conceperit, eos in rem suam *multos* non male appellavit. Theodoretus, Ibas et Aquilinus idcirco privatim epistolam Leonis subscripsere, quia erant depositi ac exsules, nec ad Orientalium synodos accedere poterant

hortatur epist. 65 : *Annitere itaque, frater charissime, ut quæ Ecclesiæ Dei congruunt, fideliter et efficaciter cum his fratribus, quos tantæ curæ idoneos auctores elegimus, exsequaris.* A

Neque his contraria est epistola Theodoreti ad Abundium legatum, sive notha illa sit, sive germana; privata enim fuit Theodoreti, Ibæ et Aquilini subscriptio, quam commemorat, et ex proprio ipsorum consilio nata; non communis et ex præscripto primatis data. Tres illi proprio sibi epistolæ antigrapho subscripserunt; alii per tractorias per provincias primatis auctoritate et metropolitanorum cura circumductas ad subscriptionem adacti, et in communi autographo omnium subscriptionibus excipiendis destinato satisfecerunt.

(*a*) ANNUS CHRISTI 451; — LEONIS PAPÆ 12; — VALENTINIANI 27, MARCIANI 1 ET 2, IMPP.; — MARCIANO AUG. ET ADELPHIO COSS.

I. Imperium adeptus anno superiori Marcianus

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Breviarium historico-chronologicum hujus quoque anni 451, ut confusio vitetur, præmittendum est. Constantinopolitani clerici, qui post Constantinopolitanam synodum habitam sub finem anni præcedentis transmiserant una cum gestis ejusdem synodi cum legatorum relatione et cum epistolis Marciani, Pulcheriæ et Anatolii, Romam pervenisse videntur non multo post initium anni præsentis 451. B Ex iis quæ Anatolius gesserat et scripserat, Leoni satisfactum fuit; ac proinde is communionem ipsi tribuere non dubitavit. Providendum vero erat et aliis episcopis, qui impietati cesserant, et ad pœnitentiam reversi communionem poscebant. Legati cum hac de re, quæ improvisa accidit, non essent instructi, nec idonea facultate potirentur, apostolicam communionem iisdem concedere non potuerunt. Duo constituerant : primum ut resipiscentes **487** suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti; deinde ne nomina Dioscori Alexandrini, Juvenalis Jerosolymitani, et Eustathii Berytensis, qui fuerunt Ephesini latrocinii capita, ad altare recitarentur. His de causis alios legatos cum congruis instructionibus et facultatibus dirigendos, et Constantinopolitanis clericis revertentibus jungendos pontifex censuit. Abundium vero et socios, quos quam citius remigraturos acceperat, exspectandos duxit, ut ex viva ipsorum voce, quidquid opus esset, plenius C intelligeret. Hinc Constantinopolitanos clericos diutius retinuit, et in epist. 78, 79, 80 et 81, datis idibus Aprilis, quas per eosdem clericos in Orientem misit, legatos novos una directos vel dirigendos indicat. Hæ enim epistolæ paratæ fuerunt ante Pascha, cum novos legatos una dirigere cogitabat. At cum Abundii et sociorum reditus nimium differretur, producta novorum legatorum transmissione solos clericos Constantinopolitanos remittendos duxit idibus Aprilis cum memoratis litteris, quibus eamdem diem apposuit intacto textu, quo novi legati directi significantur. Confer annot. 7 (*Tom. præced. col.* 909, *n.* d) in epist. 78, et annot. 5 (*Ibid.*, *col.* 916, *n.* e) in epist. 81.

Constantinopolitanis clericis jam profectis Tatianus præfectus urbis Constantinopolis epistolam Marciani Leoni tradidit, in qua imperator pro cogenda generali synodo institit. Leo rescripsit die 23 Aprilis, in qua legatos *confestim* dirigendos memorans, D de synodo quid cogitet, ab iisdem plenius explicandum tradit. Mutatis scilicet circumstantiis synodum haud necessariam credebat. Interim Abundius et socii Romam cum aliis Marciani et Anatolii litteris rediere. Ab his de poscentibus communionem plenius instructus, die 9 Junii novos legatos tandem transmisit Lucentium episcopum, et Basilium presbyterum, quibus et Anatolium Constantinopolitanum socium delegationis adjunxit, ut episcopis lapsis non dubia professione Eutychen cum suo dogmate anathematizantibus apostolicam communionem concederent. De impietatis autem capitibus, si forte resipiscerent, et idoneas cautiones præbere viderentur, num recipiendi essent, maturioribus apostolicæ sedis consiliis dijudicandum reservavit. In hanc rem datæ iisdem legatis quatuor epistolæ, 83 ad Marcianum, 84 ad Pulcheriam, 85 ad Anatolium, et 86 ad Julianum Coensem : in quibus pro solis lapsis conciliandis legatos se dirigere affirmans, synodi convocandæ opportunum tempus non esse significat. Die 19 Junii ad Anatolium dedit epistolam 87. Ex hac autem discimus Basilium et Joannem presbyteros ob diluendam Eutychianæ vel Nestorianæ hæreseos suspicionem Romam confugisse. Cumque sese apud apostolicam sedem edita fidei professione purgassent, eosdem cum pace Leo remisit, et Anatolio commendavit.

Paulo post legatorum profectionem Marciani litteræ, quibus concilium Nicææ cogendum kal. Septembris, indictum fuerat die 17 vel 23 Maii, Romam allatæ sunt. Inopinata hæc indictio pontifici accidit. Ne autem imperatoris desiderio obsisteret, in hisce temporis angustiis Leo statim Paschasinum Lilybetanum legatum ad concilium elegit per litteras, quæ desiderantur, ac dein die 24 Junii alium legatum Bonifacium presbyterum misit, ut cum laudato Paschasino, et duobus **488** legatis Lucentio et Basilio antea transmissis concilio præsideret. Huic Bonifacio cum commonitorio aliquot epistolas eodem die signatas dedit, scilicet novam epistolam 88 ad Paschasinum, 89 ad Marcianum, et aliam deperditam ad Lucentium et Basilium, quæ hanc delegationem declarabat. Has epistolas mox subsecutæ sunt aliæ quatuor datæ biduo post, 90 ad Marcianum, 91 ad Anatolium, 92 ad Julianum, quem Constantinopoli jamdiu degentem ac omnium rerum instructissimum, quatuor memoratis legatis adjunxit, et 93 ad synodum.

Duas Marciani et Pulcheriæ litteras Leo videtur accepisse per Theoctistum Magistrianum, per quem binas ad eosdem remisit die 20 Julii, nimirum epist. 94 ad eumdem imperatorem, et 95 ad laudatam Augustam. Iidem Augusti acceptis Leonis litteris per Constantinopolitanos clericos directis die 13 Aprilis, et aliis per Tatianum transmissis die 23 ejusdem mensis, pontificem a synodo tunc cogenda alienum, et legatos pro solis lapsis recipiendis dirigendos cognoverant. Cum autem synodus jam esset indicta die 17 ex Græco, ex Latinis autem antiquis versionibus die 23 Maii, in hanc rem utique sollicitius institere. Pulcheria autem difficultatem movisse videtur circa Leonis consilium, quo nomina principum latrocinii Ephesini e diptycis non recitanda præceperat. Id enim nonnulli, ut ante Anatolius, differendum putabant, quoad illi, nisi resipiscerent, deponerentur. Leo autem rescribens, suam in lapsis ad sanam mentem revocandis et recipiendis sollicitudinem ac indulgentiam commemorans, non alio consilio se vetuisse indicat eorum nomina ad altare recitari, nisi ut qui nondum sui sceleris pœnam ferentes, in impietate adhuc jacebant, hoc saltem stimulo excitarentur ad petendam pacem; quam, si satisfactionem præbeant, iisdem concedendam significat. Quod si in epist. 95 ad Pulcheriam, c. 3, lapsos *pene omnes* reconciliatos commemorat, quod per Lucentium et Basilium legatos fieri debuit, non idcirco credendum est hujus reconciliationis nuntium accepisse hoc tempore; spatium enim dierum circiter quadraginta, ex quo legati Roma discesserant, angustius est quam quod ad iter Constantinopolitanum conficiendum, et ad reconciliationem pene omnibus concedendam, et ad afferendas hac de re ad Leonem litteras necessarium est. Verisimilius est igitur, hæc Leonem idcirco scripsisse, quod reconciliationem fere omnibus, quos eam petiisse jam noverat, a legatis suis traditam

dedit ad Leonem pontificem litteras electionis suæ indices. His non ante idus Apriles hujus anni respondisse **489** videtur pontifex (*a*) ad quas quatuor epistolæ datæ leguntur, ad Marcianum (*Epist.* 58, *nunc* 78), ad Pulcheriam (*Epist.* 59, *nunc* 79), ad Anatolium CP. (*Epist.* 60, *nunc* 80) et ad Julianum Coensem (*Epist.* 61, *nunc* 81), a quibus omnibus et ipse litteras acceperat, per clericos, opinor, Anatolii CP. episcopi, quibus et suas tradidit perferendas.

Enimvero cum fidem suam Anatolius in synodo CP. aperuisset, quam legati sanctorum Patrum doctrinæ epistolæque S. Leonis per omnia concinentem probarunt, ille tres legatos Casterium presbyterum et Patricium Asclepiademque diaconos Romam misit (*b*) ineunte hoc anno, qui Leoni litteras fidei testes darent, vivaque eam voce asseverarent, et, insuper, ut de multis cum eo communicarent, quæ in synodo ventilata erant. Relationem suam de iisdem capitibus junxerunt legati Anatolii litteris. Omnium præcipuum hoc erat.

B Bene multi episcopi, quibus constantia potius quam fides vacillaverat, redire in communionem Leonis flagitabant. Legati summi pontificis eos contentos communione suarum Ecclesiarum esse, auctores fuerant in synodo, donec S. Leo aliter sanciret. Leo mandavit recipi (*Epist.* 60, *nunc* 80), si modo apud legatos Anatoliumque fidem suam testatam facerent, si Eutychis insaniam seque ipsos condemnarent quod seu levitate, seu formidine, Ephesini latrocinii acta rata habuissent. De recitandis nominibus Dioscori Alexandrini, Juvenalis Jerosolymitani, Eustathii Berytensis in diptychis, Anatolium monet, ut id faciat, (*c*) quod legati suaserint; caveat in primis ne quid memoriam Flaviani offendat, neque eorum nomina qui impietatem propugnarunt cum sanctorum memoriis promiscue usurpet. Julianum Coensem Flaviani defensorem illi insuper commendat, Eusebii Dorylæi Ecclesiæ curam gerat, neque id in ejus damnum vertat, quod absit: cum ille pro causa fidei multos pertulerit labores, et suæ sit consors communionis. C Scilicet Eusebius Eutyches accusator exutus ob eam causam episcopatu **490** per pseudosynodum Ephesinam, Romam tamquam in asylum confugit, et fidei confessionem edidit; ut dilueret labem qua se malevoli hæretici asperserant, quique crimen hæreseos, ut fere fit, quoniam erat contrarius, inferebant. In confessione sua decreta priorum synodorum Nicænæ, Constantinopolitanæ, imprimisque Ephesinæ doctrinam professus est, ut Nestorianismi suspicionem

A amoveret: quod ipse in concilio Chalcedonensi publice testatus est. (*d*) *Hanc regulam*, inquit (*Act.* 16), *sanctissimo papæ in urbe Roma ego relegi præsentibus clericis Constantinopolitanis, eamque suscepit.* Hæc verba tempus indicant epistolæ Leonis, quam vult palam omnibus fieri per Anatolium.

II. In epistola ad Marcianum illi breviter Leo gratulatur, quod rem religionis sollicite curet; quod ejus defensionem suscipiat (*Epist.* 58, *nunc* 78). Certe Marciani pietas singularis, amorque adversus religionem vehemens fuit. Imperator salutatus, ut diximus, de sua electione litteras ad Leonem misit (*Epist. Marciani ante* 68, *nunc* 73), sanctis apud Deum precibus juvari se flagitans, significansque quanto desiderio componendæ Ecclesiæ teneretur per generale concilium, quod S. Leo rogaverat. Deinde aliis litteris de adventu legatorum honorifice locutus, invitavit eum in Orientem ad synodum universalem (*Epist. Marciani post* 61, *nunc* 76). Quod si non liceat, exspectare se ejus responsionem, ut ipse ex Illyrico, Thracia et Oriente episcopos ad synodum per litteras vocet. Pulcheria quoque ad Leonem grata scripserat (*Epist. Pulcheriæ post* 58, *nunc* 77); Anatolii doctrinam integram sanamque, ejus subscriptione ratam haberi epistolam ad Flavianum; Augusto visum haberi synodum, ubi de iis quæ ad fidem pertinent decernatur, et de episcopis qui Ephesi defecerant; allatum jussu principis corpus Flaviani Constantinopolim, conditumque honorifice in basilica SS. Apostolorum; exsules extorresque episcopos revocatos, qui in synodo universali cum honore sedi et sacerdotio restituantur. S. Leo rescribit (*Epist.* 59, *nunc* 79) acceptissimum **491** se illi referre, quod causam Ecclesiæ defendat, quodque Nestorio et Eutychi condemnandis serio et feliciter animum appellat. Sed præter et ante has omnes litteras, quas hoc anno in Orientem de Eutychiana hæresi Leo scripsit, est epistola data octavo id. Novemb. anni præcedentis, quam primo publicamus, ad Faustum et Martinum presbyteros (*Epist.* 56, *nunc* 75); quam vult quasi encyclicam communicari omnibus catholicis, ut quisque pro fide viriliter decertet adversus grassantem hæresim.

III. Dum Leo perimendæ Eutychianæ pravitati sedulo laborat, superiori anno ad eum scripsere episcopi Viennensis provinciæ (*Epist. Gallorum ad Leonem, ante epist.* 50, *nunc* 65). Vita migraverat S. Hilarius Arelatensis an. 449, et in ejus locum suffectus Ravennius. Ob Celidonium depositum ab Hilario et restitutum a Leone fuisse irarum causas supra retu-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

præsumeret cum hæc scribebat vel cum hæ litteræ Constantinopolim pervenirent.

Abundius et Senator post Constantinopolitanam legationem in suam Mediolanensem provinciam revertentes, Leonis epistolam tradiderunt Eusebio metropolitæ, cui pontifex præscripserat ut frequentissimam suæ provinciæ synodum cogeret, in qua suam ad Flavianum epistolam omnes signarent. Id factum fuit ea synodica quæ inter Leoninas est epistola 97. Hanc autem Leo accepit legatis ad Orientalem synodum jam profectis, quibus fortassis illam, si citius pervenisset, tradere volebat; quemadmodum fecisset de Gallorum quoque synodica, si maturius reddita fuisset, ut iisdem Gallis rescripsit epist. 102.

Quæ sequuntur, ad synodum pertinent, de qua in breviario ejusdem sermo erit.

(*a*) Marciani epistolæ 73, ob assumptionem ad imperium scriptæ exeunte Augusto, vel ineunte Septembri an. 450, Leo respondit per litteras, quæ interciderunt, datas circa diem 8 Novembris, ut vidimus annot. 2 (*Tom. præced. col.* 908, *n.* [1]) in epist. 78. Alteri autem Marciani epistolæ 76, scriptæ die 22 Novembris, respondit epistola 78, idibus Aprilis.

(*b*) Hæc Constantinopolitanorum clericorum transmissio probabilius incidit sub finem an. 450, ut videre est in dissert. de Epist. deperd., n. 45.

(*c*) Confirmavit S. Leo quod legati antea missi jam judicaverant in conventu anni superioris. Confer annot. 13 (*Supra, col.*, 245, *n.* a) in annum præcedentem.

D (*d*) Hæc Eusebii Dorylæensis verba Quesnellus de professione fidei ab eo Romæ editæ interpretatur, cum hoc tempore nulla alia verteretur nisi fidei quæstio. At in contextu actionis 16 synodi Chalcedonensis referuntur ad canonem pro honore sedis Constantinopolitanæ statutum in concilio Constantinopolitano sub Theodosio seniore. Cum vero huic canoni in Chalcedonensi renovato Deo maxime obstiterit, incredibile videtur eum ab Eusebio lectum suscepisse. Hinc Rusticus huic Eusebii testimonio annotationem affixit: *Aut Eusebius mentitur, aut ad horam S. Leonem fefellit.* Vide tom. IV Concil. Ven. edit. col. 1754, not. 6. Aliquid vero de hoc canone, vel de moliminibus pro sede Constantinopolitana, Leo præsensisse videtur, cum Bonifacio legato ad concilium directo in mandatis dederit, ut *si qui forte civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis.* Sic act. 16 concilii Chalcedonensis.

limus. Hilarius judicio pontificis Romani (*a*) non steterat; id Leo S. eo Arelatensem Ecclesiam suis exuerat privilegiis, juraque metropolis in Viennensem Ecclesiam transtulerat. Cum Hilario exstinctam iram summi pontificis rati episcopi Viennensis provinciæ, pro Ravennio epistolam seu libellum ad eum mittunt, restituique suo metropolitano jura suæ Ecclesiæ poscunt. Scio hanc epistolam falsi suspectam apud nonnullos. Baronius eam ex Arelatensi codice primus suis Annalibus innexuit. Eumdem ms. codicem aut certe similem in D. Thuani bibliotheca nactus sum, cum eadem epistola et responsione Leonis, qui prudenter litem composuit. Viennensi metropoli quatuor Ecclesias attribuens, Valentiam, Tarentasiam Genevam, et Gratianopolim, reliquas subjecit Arelatensi Ecclesiæ, cui reddita quodammodo sua jura, nec tamen Viennensis Ecclesia omni honore privata est. Petronius presbyter et Regulus diaconus Romam delegati, ut libellum Arelatensis provinciæ Leoni darent, Romæ diu detenti sunt, ut quo tandem vergerent molitiones Eutychianæ ipsi perspicerent. Remissi attulere responsionem sancti pontificis, judiciumque de causa provinciæ Viennensis: sed et epistolam Leonis ad Ravennium (*Epist.* 51, *nunc* 66), cui et suam ad Flavianum epistolam dirigit (*Epist.* 52, *nunc* 67), quam cum Galliarum episcopis communicet; adhortaturque uti iidem suam in hac causa commendet. Alia insuper legatis commisit; sed voce potius et dicto, quam scripto. Facile mihi persuaserim rogatum Ravennium, (*b*) ut in synodo epistolam ad Flavianum episcopi Galliarum reciperent, 492 eique solemniter subscriberent; ut Leo apud Orientales, si necesse sit, Occidentalium unum esse animum, unamque fidem, et suam esse doctrinam omnium episcoporum suarum partium ostenderet: quod per litteras non significavit vir cordatus, ne ardentius episcoporum suffragia quæsiisse diceretur, aut tempus synodi nondum publicatæ antevertisse. Ea res in longum protracta; nam ex quo legati Ravennii reversi in Gallias, ad diem quo Romani pontificis legati profecti in Orientem ad concilium, annus est et amplius; et tamen Leo nondum Gallorum responsum acceperat, cum Roma profecti sunt legati ad concilium. Ita enim post absolutam synodum ad eos rescribit: *Optassemus quidem fraternitatis vestræ litteras eo tempore quo promiseratis accipere; ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam synodum vice nostra pro catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio fungeretur* (*Epist.* 77, *nunc* 102, *cap.* 1). Præpostere tandem sibi redditas scribit per Ebredunensem episcopum cum subscriptione quadraginta A trium episcoporum (*Epist. ante* 78, *nunc* 99, *et* 77, *nunc* 102); illis suam doctrinam gratulatur sanctam illæsamque, *et eruditione Spiritus sancti cœlestem*, quamque Eutyches frustra evertere tentaverat; Chalcedonensis quoque concilii felicem exitum illis significat, rogatque ut id Hispaniarum episcopis notum faciant, sicut antea per eosdem missa epistola ad Flavianum cum aliis: quod Idacius scriptor illorum temporum non omisit in Chronico ad olympiadem 130. *De Galliis*, inquit, *epistolæ deferuntur Flaviani episcopi ad Leonem episcopum missæ, cum scriptis Cyrilli episcopi Alexandrini ad Nestorium Constantinopolitanum de Eutychete Ebionita hæretico; et Leonis episcopi ad eumdem responsa, quæ cum aliorum episcoporum et gestis et scriptis ad Ecclesias diriguntur* Sic olim e Galliis fides et doctrina Patrum in Hispanias transmitti solita.

IV. Per eos ferme dies, Ceretius, Salonius et Veranus Galliarum episcopi lecta Leonis ad Flavianum B epistola scribunt ad Leonem (*Epist. nunc* 68); gratulantur ei sanctam sanamque hujus epistolæ fidem, curamque pro eliminanda e Galliis hæresi susceptam, testificanturque quo in loco et æstimatione sit apud se ejus epistola, quam exscriptam mittunt, ut si quid amanuensium vitio erratum sit, si quid adulteratum, vel ipsi detrahere aut addere quidpiam libuerit, id faciat; ut integra sanaque remittatur, quo et episcopi, et laici, 493 qui ejus lectionem avide cupiunt, hanc legant sine periculo errandi, aut suspicione falsi. Justæ petitioni, puto, annuit Leo, et ab iisdem episcopis ad Eusebium Mediolanensem episcopum ita emendatam missam esse non vereor dicere. Nam Eusebius in synodica omnium comprovincialium subscriptione munita, ad Leonem scribit eam sibi a Ceretio redditam. *Quæ ad nos ex vestra*, inquit (*Epist. nunc* 97), *admonitione sancta*, *fratre et coepiscopo nostro Ceretio mutuante, pervenit.* Male in editis codicibus *Cyriaco*, pro *Ceretio*, ut Baronii Annales habent et mss. codices. (*c*) Non ita statim convocata coC actaque synodus ab Eusebio; seu, quod novum erat, ad subscribendum epistolæ cogi episcopos non ex auctoritate œcumenicæ synodi; seu mandatum Leonis super eam rem; seu, Abundius unus ex Legatis S. Leonis et hujus provinciæ, exspectabatur. Hic profecto Constantinopolim reversus Romam accepit a Leone litteras ad Eusebium Mediolanensem; quibus eum hortabatur ut habita synodo provinciæ, omnes episcopi subscriptione sua epistolam encyclicam approbarent. 494 Est Eusebii responsio, qua satisfactum Leoni fuisse accepimus, laudatamque in concilio epistolam (*d*) *ut plenam fidei simplicitate*,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hilarium paruisse Leonis judicio probabimus in observ. ad dissert. 5 Quesn. part. III, c. 2. Solum ante sententiam appellationi restitit, aliaque interposuit, ob quæ metropolitico jure privatus fuit, ut in iisdem observationibus pluribus explicabimus.

(*b*) Quæ Leo Petronio et Regulo in mandatis dederit, et cur voce, non scripto, explicavimus in Breviario historiæ anni præcedentis anno. 2 (*Supra*, *Col.* 235, *n.* b). *In mandatis*, inquam, neque enim Ravennium *rogavit* (quo verbo Quesnellus utitur), sed *mandavit*, ut liquet ex illis epist. 67: *Si hæc ita ut credimus, a quo* MANDAVIMUS, *impleveris*, etc.. hæcque secreta mandata *efficaciter exsequenda* significat. Quesnellus præcipiendi verba sæpius declinat, quod semel monuisse sufficiat.

(*c*) Non aliam Eusebius epistolam a Leone accepit, quam quæ per Abundium et Senatorem missa fuit; et ut primum accepit, Leonis mandato paruit: ac propterea commentitia est ratio dilatæ responsionis, *quod novum esset ad subscribendum epistolæ cogi episcopos non ex auctoritate œcumenicæ synodi.* Enimvero sicut Galli, ita Mediolanensis provinciæ antistites ex sola auctoritate et præcepto pontificis ante concilium œcumenicum suas subscriptiones addiderunt, quemadmodum etiam Constantinopoli et in Oriente factum fuerat. Similiter et Zosimi tractoriæ adversus Pelagianos multo ante omnes et Orientales et Occidentales episcopi subscripserunt sine ulla synodo œcumenica, ut docet Marius Mercator in CommoniD torio edit. Baluzii pag. 138. *Beatissimæ memoriæ episcopi Zosimi epistola, quæ Tractoria dicitur, qua Cœlestius Pelagiusque damnati sunt, et Constantinopolim, et per totum orbem subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata : cui Julianus et reliqui complices ejus subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati, ex omni Italia deturbati sunt.*

(*d*) In epistola Mediolanensium non legitur particula *ut*, quam Quesnellus hic cursivo charactere apposuit, ac si ideo illi Leonis epistolæ subscripserint, quia hanc *plenam fidei simplicitate*, etc., cognoverint. Eam quidem iidem Patres *plena fidei simplicitate fulgere*, etc.. testati sunt; at ex ipsa apostolicæ sedis auctoritate eidem subscripsisse nihil ambigimus. Omnibus enim communis erat, ut credimus, illa S. Petri Chrysologi sententia, qua in epist. 25 Eutychen monens ut Leonis epistolam *obedienter atten-*

prophetarum, evangelistarum, apostolorumque auctoritate firmatam, et B. Ambrosii scriptis consonam, traditioni Patrum, et fidei Ecclesiæ congruentem; contra reprobatos damnatosque, quos sedes apostolica alienos esse a fide pronuntiaverat. Neque hic moror Baronium, qui credidit bis missam Leonis epistolam ad Eusebium Mediolanensem, quod ex Eusebii responsione non colligitur. Mentio quidem duarum epistolarum; alterius de cogenda synodo Mediolani, quam Abundius attulerat; alterius, quæ est ad Flavianum et per Ceretium data, quam majorum fidei cohærere dicit, quas re et argumento diversas fuisse palam est. Ex his alia a nobis per recapitulationem, alia per anticipationem dicta propter affinitatem rerum. Sed revertamur ad Orientem, videamusque apparatus Ecclesiæ ad sedandos tumultus quos Eutychiana hæresis concitavit.

V. Marciano et Leoni par animus (*a*) de celebrando **495** concilio; sed de loco et tempore dispar sententia. Leoni in Italiam cogi et distrahi synodum placebat. Foris hostis externus, Hunnus duce Attila terrebat Occidentem, Orienti minabatur, hæreticorum factio, Dioscori Eutychisque partes plurimi sequebantur, recensque memoria latrocinii Ephesini augebat animum. Leo ipse pontifex adesse concilio vehementer optabat, nec poterat extra Italiam. Imperatori decretum in Orientem convocare. Ibi jugulandam hæresim ubi se prodit. Sic olim majores, qui hæreses Arii, Macedonii Nestoriique ibi exstinxerant ubi natæ. Suam deinde præsentiam magni fore ad victoriam momenti, nec synodi tempus ultra differendum, ne crescat hæreticis audacia, animusque catholicorum longa synodi exspectatione fatiscat.

Eo tempore post quatuor legatorum de quibus diximus reditum, Leo, quod antea per litteras Marciano erat pollicitus, legatos alios Lucentium Asculanum episcopum et Basilium presbyterum Constantinopolim misit; ut eorum qui Ephesi lapsi erant confessionem reciperent, et ad communionem summi pontificis admitterent: et alia illis negotia commiserat, dederatque litteras ad Marcianum binas (*Epist.* 62 *et* 65, *nunc* 82 *et* 83), ad Pulcheriam, Anatolium (*Epist.* 65, *nunc* 85), et Julianum Coensem (*Epist.* 66, *nunc* 86). Marciani fidem laudat, quod non minus bono Ecclesiæ quam reipublicæ consulat; gratias agit quod legatos bene accepisset, novos commendat. Sub finem epistolæ de differenda synodo loquitur, ut ii quos metus belli retinet ad concilium veniant. Pulcheriæ pietatem pluribus prosequitur: de lapsis auctor est indulgentius agendum cum iis qui emendationem pœnitentiamque pollicentur. Rogat deinde Augustam ut longe amoveat Eutychen nimis urbi vicinum; ut eorum careat solatio quorum infecit animos, novumque abbatem curet præponi in ejus locum, qui expurget mentes quas labes Eutychiana corrupit. Anatolium vero admonet se ideo Lucentium et Basilium mittere, ut communi consilio faciant quod visum e re et commodo Ecclesiæ, ut qui ad communionem catholicam redire velint admittantur, sed cum certa professione fidei et detestatione dogmatis Eutychiani. Et si qui gravius deliquisse reperiuntur, remittantur ad apostolicam sedem, ut æstimet quid constituendum. Nomen eorum (*b*) qui prævaricati sunt vetat ad altare recitari. De commonitorio quod sibi clerici obtulerant, addit se mandasse legatis ut dicto et voce responsionem dent. Explicat denique quas spes **496** concipit Ecclesia sub principe cujus affectus non modo Christianus, sed etiam sacerdotalis est. Quarta epistola, quam primum juris publici facimus, Julianum Coensem adhortatur ut legatos re et opera juvet in negotio Ecclesiæ, ubi consilio et prudentia opus, incumbantque fortiter ad fluctus frangendos quos Ephesina tempestas commovit. Ex his epistolis intelligimus quid demandatum legatis sit; nec ad synodum universalem missos, etsi Baronius aliter sentit. Nam Marcianus ad Leonem, et Leo ad Marcianum invicem scripserant de synodo, sed nondum convocata; immo, ut diximus, de loco et tempore erat disceptatio. Fefellit Baronium codex editus. Error est in die quo data vulgo legitur epistola olim 43 nunc 73 (*In hac editione* 90), ubi pro v *kalend. Junii*, restituendum vi *kalend. Julii*, ut habet ms. cod. cardinalis Grimani. Nam cum Baronius existimaret Bonifacium Roma Constantinopolim missum v kalend. Junii, putavit et Lucentium et Basilium eodem missos ad synodum; et quoniam profecti Roma vi idus Junii, et quoniam postmodum legatione perfuncti sunt in synodo Chalcedonensi.

Dum hæc gerebantur, Basilius et Joannes presbyteri, falso suspecti hæresis, ex Oriente Romam sponte propria veniunt, ut suspicionem Eutychianæ vel Nestorianæ pravitatis amoveant. Professi fidem coram sancto pontifice, remissi sunt cum honore et commendatitiis ad Anatolium litteris (*Epist.* 67, *nunc* 87).

VI. Verum etsi Romanus pontifex differri synodum, et in Italia fieri volebat, Marcianus tamen necessitate rerum et votis Orientalium sollicitatus synodi indicendæ consilium cœpit. Leo mentem principis vel fama, vel animo, præsagiens, sed et ex epistola ipsius Marciani cui epist. 63 (*nunc* 83) pontifex re-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

deret, hanc rationem subjecit obligandi vim ex peculiari apostolicæ sedis prærogativa inferentem: *Quoniam beatus Petrus, qui in sua sede vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem*. Eadem sententia ducti Ceretius, Salonius et Veranus episcopi Gallicani, in epist. 68 ad Leonem scripta ob easdem dogmaticas litteras ad Flavianum, protestati sunt: *Merito illic principatum sedis apostolicæ constitutum, unde adhuc apostolici spiritus oracula proferuntur*; ubi *oracula apostolici spiritus* Petrum in sua sede ac successoribus docentem indicant. Adeo vero uti certum fidei oraculum hæc apostolica definitio ab universis Gallicanis suscepta fuit, ut (quod scripserunt in epist. 99 ad eumdem pontificem) hujus doctrinam cum sua conferentes, hanc suam cum illa conformem nacti, *ita se semper ex traditione paterna tenuisse, ut vester*, inquiunt, *apostolatus exponit, jure lætati sint*; dein vero ex hac concordia doctrinæ *gavisi sint, datam sibi occasionem, qua libere ac fiducialiter, suffragante etiam apostolicæ sedis auctoritate, eloquantur, et asserat unusquisque quod credit*. Nullum hi examen necessarium credidere, quo de doctrina earumdem litterarum decernerent, antequam ipsas susciperent; sed ex ipsis potius litteris, quas uti oraculum susceperant, eam quam tenebant, esse catholicam et sanam doctrinam, confirmati sunt. Neque idcirco negarimus ea quæ a Leone definita fuerunt non fuisse examini subjecta, quod in Chalcedonensi concilio factum fuisse Vigilius in Constituto c. 15 testatur. Sed quatenus hoc examen liberum fuerit, salva nihilominus apostolicæ sedis auctoritate, ex ipso Leone explicavimus pluribus annot. 14 (*Tom. præced. col.* 1048, *n.* [1]). in epist. 120. Confer quæ adjiciemus pluribus annot. 1 (*Ibid., col.* 1400, *n.* [d]), ad notas Quesnelli in epist. 97.

(*a*) Vivente quidem et Eutychianos protegente imperatore Theodosio, ut scandalis remedium afferretur, S. Leo concilium in Italia necessarium credidit; at mutatis post illius mortem circumstantiis, parem necessitatem non agnovit, ut ostendimus sub finem annot. 7 (*Tom. præced., col.* 909, *n.* [d]) in epist. 78. Desiderio tamen Marciani novi Augusti obsistere noluit, ut liquet ex epist. 89, 90 et 91.

(*b*) Non de omnibus qui prævaricati sunt, sed de iis qui in hac causa gravius peccavere, et ob hoc superiorem sibi locum in eadem infelici synodo (Ephesina) *vindicarunt*, Leo præcipit, ut, si resipiscant, eorum nomina ad altare non recitentur, antequam ab apostolica sede, expensis omnibus, de iisdem judicium feratur. Vide epist. 85, c. 2.

spondet, ne defuisse Ecclesiæ videretur, siquidem A interesse synodo nequibat, Paschasinum Lilybæi episcopum ad vices suas implendas seligit. Certe judicium Leonis merebatur; forte plures loci et prærogativa sedis illum anteibant, pauci doctrina, sanctitate, et fama adæquabant. Constantia illi haud vulgaris, probataque dura longaque apud barbaros servitute, ut ipse ad Leonem; scientia singularis, nec inexperta Leoni, qui illum de computo paschali consulueral, ejusque responsis steterat; antiquæ disciplinæ ita observans, ut illi a Leone commissa cura mores Ecclesiæ Siculæ emendandi, ut patefit ex epist. 16. Nec alia deerant adjumenta; experientia matura, prudentia cum pari morum gravitate conjuncta. Continuo Leo ad eum scribit epistolam (*Epist.* 68, *nunc* 88) **497** quasi (*a*) ad legationem eum præparans tametsi omittens aut de legatione, aut de synodo proxima dicere. Multa de Eutychianismo disserit, exponitque de incarnatione Christi doctrinam catholicam; epistolam ei ad Flavianum scriptam mittit; quemadmodum Constantinopoli in episcoporum B consessu, Anatolio præside, recepta confirmataque sit commemorat; quid Antiochenus in sua diœcesi, ut subscriptione Orientalium episcoporum eadem muniatur, missis per provincias Tractoriis; demum de paschali cyclo quæstionem ingerit, de qua alias sermo erit. Hæc epistola una est ex Grimani cardinalis ms. codice, dataque reperitur VIII kalend. Julii.

Vix hæc ad Paschasinum Leo, cum ecce imperatoris litteræ, quibus indictam synodum Nicææ Bithyniæ ad kalend. Septemb. nuntiatur. Leo, opinor, nondum convocationis litteras acceperat, cum ad Paschasinum scripsit, etsi Marciani litteræ convocationis solido mense ante scriptæ sunt : nam ad alios episcopos XVI kalend. Junii datæ leguntur. Certe Constantinopoli Romam mensis unius est iter.

VII. Acceptis litteris imperatoris Leo ægre ferebat synodum nec differri, nec fieri in Italia, ut per legatos significaverat, sed plus valuisse Anatolii Orientaliumque vota quam sua. Non tamen erat in animo C summo pontifici pacis consilia comperendinatione omittere. Extemplo de legatis mittendis cogitat, Bonifaciumque presbyterum in Orientem mittit; Paschasinum episcopum eodem ex Sicilia navigare curat, mandatque per eos, ut qui antea legationem susceperant, cum prædictis in synodo suas vices gerant, hisque Julianum Coensem adjungit : *Quoniam*, ait S. Leo (*Epist.* 71, *nunc* 92). *scimus omnium illic actarum rerum majorem te quam nostros habere notitiam.* Mittit de hac re tres epistolas (*b*) ad Marcianum (*Epist.* 69, *nunc* 89), Anatolium (*Epist.* 70, *nunc* 91), et Julianum (*Epist.* 71, *nunc* 92), quæ datæ sunt VI kalend. Julii. Marciano modeste conqueritur temporis angustias, molestias provinciarumque statum evocandis episcopis parum idoneum; sed ea nihilominus amore pacis dissimulanda. Optat ut Paschasinus synodo (*c*) præsideat : ubi licet non asserat pro jure suo legatis suis **498** primum deberi locum, sedendique prærogativam, sed propter Orientalium vel defectionem, vel inconstantiam : *Quia*, inquit, *quidam de fratribus contra turbines falsitatis non valuere catholicam tenere sententiam, prædictum fratrem et coepiscopum* Paschasinum *vice mea synodo convenit præsidere.* Delirat profecto Calvinus cum ex hoc loco jus conciliis œcumenicis præsidendi abjudicare conatur Romanis pontificibus.

In epistola ad Anatolium eadem est expostulatio : iniqua esse tempora propter tumultus bellorum et angustias temporis; plures episcopos ex provinciis remotioribus non adfuturos; deinde, mentione facta legatorum, bene de synodo sperat, acceptis ab eo nuntiis condemnatos ab omnibus episcopis Orientalibus Nestorium Eutychemque. Tertia epistola Julianum Coensem suas partes in synodo agere vult. Has duas posteriores litteras e ms. codice nostro primum publicamus. Sunt præterea aliæ duæ epistolæ datæ (*d*) postridie : altera ad Marcianum (*Epist.* 73, *nunc* 90), quæ reddenda erat in synodo, data XIII kalend. August. non, ut in editis codicibus, VI kalend. Junii; altera ad synodum (*Epist.* 72, *nunc* 93). Vulgata autem (*e*) inscriptio falsa, nondum Chalcedonem translata synodo. Res seipsa clara est, et adhuc Evagrii testimonio certa; ita enim lib. II cap. 4 : *Ac primo Nicæam* (acciti episcopi) *adeo ut cum Leo episcopus Romanus ad eos litteras daret per Paschasinum, Lucentium et cæteros quos eo ad suum locum supplendum miserat, eas sic inscriberet :* EPISCOPIS NICÆÆ CONVOCATIS S. In epistola ad Marcianum Augustum eum in primis obtestatur, ne sinat retractari fidem ut dubiam, quam Patres ab apostolis traditam prædicarunt; neque permittat ea quæ majorum decretis damnata sunt in controversiam adduci, tale enim aliquid Augustum in animo habere ex ejus litteris Leo suspicabatur. Similia prope ad Patres synodi : *Unde, fratres charissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi quod non licet credi.*

VIII. Rebus ita comparatis ad synodum, Lucentius Basiliusque Constantinopolim adveniunt. **499** Ut commonefacti erant a Leone, (*f*) de comperendinatione pluribus disserunt, et cum Anatolio de recipiendis lapsis agunt; auctores turbarum non statim admitti, sed reservari apostolicæ sedi exposcunt, eorum nomina ad altare recitari vetant. Seu legati vehementius instarent, seu pertinacius resisteret Anatolius, et sui hæc esse arbitrii contenderet, res videbatur eruptura in odia intestina, ni malo statim Marcianus et Pulcheria occurrissent. Magnis itineribus jubent litteras Romam ferri ad Leonem. Benigne respondet utrisque sanctus pontifex (*Epist.* 74, *nunc* 94). Marciano quidem dicit se libenter synodum admittere, nec poposcisse intra Italiam celebrari, nisi ut plures ex remotissimis locis adsint; jam profectos ad synodum legatos, qui ad diem veniant, etsi angu-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cum Leo ad Paschasinum dedit epistolam 88, die VIII kal. Julii, indictionem synodi jam acceperat, ut liquet ex epist. 89, eodem die, ut emendavimus, ad imperatorem scripta, in qua legati ad synodum destinati nominantur; ac proinde epist. 88 Paschasinum non præparavit ad legationem, sed novis instructionibus munivit; jam enim antea aliis litteris, quæ desiderantur, eum legatum suum constituerat. Vide annot. 4 (*Tom. præced. col.* 930, *n.* q) in epist. 89.

(*b*) Epistola Leonis ad Marcianum, data VI kal. Julii, est epistola 90, non vero 89, quæ allegatur in textu; hæc enim ex nostra emendatione duobus ante diebus scripta fuit.

(*c*) Præsidendi prærogativam sibi in legatis suis competere S. pontifex indicavit epist. 93, ad synodum Nicææ primum indictam, ubi ait : *In his fratribus Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab apostolica sede directi sunt,* D *me synodo vestra fraternitas æstimet* PRÆSIDERE. Quoad textum vero epistolæ 89, qui a Quesnello subjicitur, confer quæ observavimus annot. 9 (*Tom. præced. col.* 931, *n.* c) in eamdem epist. 89.

(*d*) Epistola 73, nunc 90, et epistola 72, nunc 93, quæ textui affiguntur, non *postridie* datæ sunt, sed VI kal. Julii, uti epistolæ nobis 91 et 92.

(*e*) Inscriptionem ex nostro Ratisponensi emendavimus.

(*f*) Legatos egisse de proroganda synodo, et cum Anatolio concertasse de lapsis, ex eo Quesnellus tradit, quod existimet, hanc ob causam Marcianum et Pulcheriam ad Leonem scripsisse litteras, quibus pontifex respondet epistolis 94 et 95. Eas vero litteras ante adventum legatorum ad Leonem alia de causa directas in breviario ostendimus. Hinc Anatolium legatis pertinacius restitisse, et sui putasse arbitrii reconciliationem lapsorum, falsissimum est.

stiæ temporis premunt; facile concordiam Ecclesiæ restitutum iri, si fides Patrum retineatur prædiceturque majorum doctrina. Multa et ad Pulcheriam scribit (*Epist.* 75, *nunc* 95); sed præsertim de redeuntibus ad Ecclesiam sic statutum, ut petentibus pax non denegetur; etsi hæresis odio et detestatione digna sit, tamen non a misericordia arcendos, qui maculam pœnitentia eluunt: *Sed potius*, inquit (*Ibid.*, *c.* 3), *cum gementibus gemimus, cum flentibus flemus; et sic utimur justitia commotionis, ut non omittamus remedia charitatis*. Addit deinde se id non modo verbis, sed et factis docuisse: abolitionem adeptos complures, qui resciderant quod a se statutum, et condemnaverant quod scriptum; omnia se ex judicio fecisse, ut sine cujusquam detrimento hæresim exstingueret. Immo et circa auctores turbarum, quo citius ad pœnitentiam excitarentur, se quidpiam ex consuetudine disciplinæ imminuisse; non quidem ejusdem pretii et æstimationis apud catholicos fratres, ut fuerant ante facinus impium Ephesi perpetratum; tamen retinere eos et sedem et episcopatus honorem. Sic odiorum semina in ipso ortu consilio et prudentia S. Leo opprimere studebat. Hæc ex epistolis **500** ad Marcianum et Pulcheriam datis XIV kalend. Augusti. Perlatis litteris imperatoris per provincias ad metropolitanos, per eosdem admoniti episcopi continuo complures ad synodum Nicæam, et ibi exspectare Augustum qui et ipse se interfuturum synodo promiserat. Jam kalendæ Septembris præterierant (qui dies dictus ad synodum erat) neque Marcianus aderat (*a*). Tum episcopi scribere ad eum, ut pro more majorum synodum haberi liceat; multos aut ex itineris molestiis, aut mala corporis valetudine deficere. Imperator rescribit visum legatis apostolicæ sedis non fieri synodum, nisi se præsente; se detentum hactenus reipublicæ negotiis; se tamen magis imperio quam Ecclesiæ defuturum; si Chalcedonem accedere velint eo statim profecturum, etsi alio reipublicæ cura avertit animum. Hunni scilicet, duce Attila, id temporis populatis primum Orientis provinciis in Occidentem infestis signis irruperant. Sed et victus Attila ab Aetio acie ordinata in campis Catalaunicis, prædanti magis quam victo similis fugit, et Orientem versus iter cœpit, Illyricumque occupare tentat; sed copiis imperatoris prohibitus. Ea res tum Marcianum Constantinopoli retinebat; et ne procul abesset, Chalcedonem pro Nicæa Patribus insinuavit. Moleste ferebant Patres alio synodum transferri. Rescribunt itaque per Atticum Constantinopolitanum diaconum metuere se, si Chalcedone synodus habeatur, ne Eutyches, qui factione valet, opportunitate loci usus turbas misceat, fallatque Patrum exspectationem. Ad hæc Marcianus daturum se operam ne quid adversus synodum moliatur Eutyches; hortari igitur ut Chalcedonem veniant, ne mora noxia magis sit quam metus et terror.

501 *SYNOPSIS ACTORUM*
Concilii Chalcedonensis.

Patres, acceptis litteris imperatoris, ultro veniunt Chalcedonem; congregataque synodus in basilica S. Euphemiæ martyris **502** extra urbem octavo idus Octobris, et kalend. Novemb. absoluta. Quo tempore actiones fuerunt (*b*) decem et octo. Liberatus in

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Quædam a Quesnello omissa hic subjicimus. Cum imperator belli perturbationibus impeditus, Nicæam, uti optabat, statim non posset accedere, litteras misit ad synodi Patres, petens ut aliquantulum exspectarent. Marciano ob publicam necessitatem alio fortassis profecto, Pulcheria epistolas dedit ad Strategum consularem Bithyniæ, quibus præcepit ut a Nicæa expelleret clericos, monachos et laicos, quos in eam urbem ingressos, et turbas excitantes acceperat. Non multo post episcopi has inducias ægre ferentes ad imperatorem scribunt, nonnullos Patres infirmitate aliisque de causis laborare. Respondit Marcianus publicam necessitatem adhuc impedire ne accederet, ac præterea legatos Leonis nolle synodum nisi secum adire. Suadet autem ut ad Chalcedonem viciniorem urbem transeant, quo facilius excurrere poterit. Huic translationi Patres non statim acquievorunt, eo quod metuerent ne Chalcedone, quæ Constantinopoli proxima est, Eutychis fautores seditiones facile commoverent. Id per Atticum diaconum, ut veteres mss. codices præferunt, non archidiaconum, ut vulgatum Græcum exemplar habet (qua lectione legendum esset *Aetium*) Marciano significatum fuit. Tum imperator litteras Patribus reddit Heraclea X kal. Octobris, quibus præcepit ut nullam perturbationem metuentes sine mora Chalcedonem accurrant.

(*b*) Quot fuerint hujus synodi actiones, definiri certo nequit. Septem, quæ generalem fidei ac disciplinæ causam respiciunt, tum in Græcis, tum in Latinis codicibus conservatæ fuerunt. Immo *plerosque Græcos antiquiores codices continere synodum non nisi in sex actionibus subjunctis canonibus, ut omnino cætera, quæ privato studio fuerunt mota, non habeant*, testatur Pelagius II in epistola ad Eliam et episcopos Istriæ, n. 19, tom. VI Concil. Ven. edit. col. 275. Quæ vero particulares causas tractarunt, non æque proferuntur in mss. libris, qui supersunt. Aliæ enim actiones suppetunt ex Græcis exemplaribus, quæ in Latinis desiderantur, ut actiones de Photio Tyri, et de Caroso atque Dorotheo. Aliæ ex Latinis præsto sunt, quæ desunt in Græcis, ut actio de Domno Antiocheno, quam codices Rustici præferunt. Aliæ etiam in quibusdam Græcis codicibus exstant, quæ nec in aliis Græcis, sicut nec in Latinis leguntur, ut actio in qua lecta fuit Leonis epistola ad synodum scripta, quam in solis mss. Græcis Venetis S. Marci invenimus, et appendici Epistolarum S. Leonis inseruimus. In codice etiam Græco, quo Evagrius usus est, deerant actiones de Photio Tyri, et de Caroso atque Dorotheo; sicut etiam aberant a ms. Alexandrino, quem Liberatus Latine redditum accepit; utrique enim Chalcedonensium actionum historiam describentes, duas has actiones prætereunt. Unus Latinus codex Vaticanus aliam actionem de Domno exhibet a Baluzio vulgatam, et a nobis recudendam in observ. ad dissert. 9, quam in aliis vel Græcis, vel Latinis libris frustra requires. Cum igitur singuli codices aliqua omissione laborent, num ex omnibus saltem exemplaribus hactenus inventis omnes actiones habeamus, an aliquæ adhuc lateant, vel interciderint, ignoramus. Si vero actionibus 19 antea editis addantur actiones duæ, altera de Domno a Baluzio edita, altera de memorata Leonis epistola, quam nos edidimus; Chalcedonenses actiones, quæ ad hoc usque tempus prodiere, sunt una et viginti. Decem autem et octo tantum antea editas computavit Quesnellus, quia editam actionem de Domno spuriam habuit, de quo inferius annot. 27 (*Col.* 267, *n.* a).

Neque solum in numero actionum discrepant codices, verum etiam in ordine. Omnes in prima actione conveniunt. At aliis secunda est actio de depositione Dioscori, quæ in vulgatis tertia præfertur; iidemque secundam vulgatam in tertium locum protrudunt. Ejusmodi sunt Græci codices Veneti S. Marci 164 et 555, nec non Græcum exemplum, ex quo Evagrius hunc ordinem exhibuit. Idem quoque obtinuisse in Græco exemplari, quod adhibuerunt Patres synodi V, colligitur ex collat. 6, in qua protulerunt epistolam Leonis *ex tertia actione eorum quæ Chalcedone sunt acta*, cum tamen ad secundam vulgatam pertineat. Antiqua Latina versio, quæ in Parisiensi codice per Baluzium laudato continetur, similem ordinem præfert. Facundus pariter exemplaria similia se vidisse testatur lib. V, c. 3. Immo etiam Rusticus, licet vulgatum ordinem in sua editione secutus sit, codices

Breviatio quindecim numerat. Sexdecim in Actis reperiuntur, pluribus sub eodem numero collocatis.

503 *Actio I*

In prima actione Paschasinus Lilybæi episcopus et legatus apostolicæ sedis petiit ut Dioscorus e synodo discederet. Id mandatum a Leone, ne ut judex, sed ut reus admitteretur, alioquin se cum collegis discessurum. Ea res altercatione aliquamdiu protracta. Acerbum videbatur primarium Orientis primatem pellere e synodo. Judices dixerunt ut in medio sederet; adeo ut magis reo similis quam judici esset.

A Tum Eusebius Dorylæi episcopus accusandi Dioscori fieri sibi potestatem petiit, se indignis modis acceptum ab eo fidem Ecclesiæ corruptam, Flaviani fuisse percussorem. Lectus deinde libellus accusationis, quem Eusebius primum Marciano dederat, sed qui synodo reservatus. Dioscorus respondit condemnationem Flaviani legitime latam in synodo **504** auctoritate imperatoris congregata. Acta itaque legi poscere, ut de innocentia constet; existimans non tantum esse Patribus otii, ut legendis Actis tempus terant, aut se falsitate Actorum posse accusationem propulsare. Verum cum et id Eusebius exposceret,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

tamen cum eodem ordine allegat, ex. gr., in annotatione ad caput 7, ante gesta, ubi de Leonis epistola ad Flavianum ait: *Quæ non posita cum istis epistolis, eo quod in gestis sancti et universalis concilii Chalcedonensis* TERTIÆ *actioni inserta sit.* Hodie est in secunda. Vulgatum porro ordinem inter codices Græcos tenuisse videntur illi qui Romanis editoribus usui B fuerunt. In Græco cod. Veneto S. Marci 555, licet prima manu de Dioscoro diceretur δευτέρα, *secunda*, et actio in qua epistola Leonis lecta fuit vocaretur τρίτη, *tertia*; secunda tamen manu primo loco erasa voce δευτέρα superinducta fuit vox τρίτη, et secundo loco deleta voce τρίτη superinducta fuit vox δευτέρα. In margine vero actionis de Dioscoro, quæ prior titulo emendationem recepit, hæc notatio legitur: Ἴσθι ὁ ἀναγινώσκων ὅτι κατὰ σφάλμα προτίθεται ἡ γ' πρᾶξις τῆς β', καὶ δεῖ πρότερον ἐκείνην ἀναγινώσκειν μετὰ ταύτην γραφεῖσαν ἔνθα τὸ σημεῖον o-o. *Sciat lector, per errorem præmitti actionem tertiam actioni secundæ, et oportet primum illam legere, quæ post hanc scripta est, ubi signum* o-o. Hic Græcus annotator codicem aliquem antiquiorem nactus videtur, ex quo hunc ordinem et hanc emendationem elicuit. Rusticus quoque et Liberatus eumdem ordinem secuti sunt. Dies certe, qui tum in Græcis, tum in Latinis signatur, actionem in qua lecta fuit Leonis epistola anteriorem, actionem vero de Dioscoro posteriorem probat; illa enim VI C *idus* notatur, ista vero III *idus Octobris*. Solum in ms. Parisiensi interpretationis antiquæ *sub die idus* pro *sub die* VI *idus* legitur, ubi per errorem omissa est nota VI, alias scribendum fuerat *sub die iduum*, vel *idibus*. Hæc autem dierum notatio, quæ in ipsis codicibus diversum ordinem præferentibus custoditur, adeo evidens nobis est, ut hac de re, nisi alii codices aliam chronicam notam exhibeant, ambigendum non sit. Facundus quidem in codicibus hunc ordinem contra autographorum fidem fuisse immutatum, et actionem, in qua Dioscorus depositus fuit, primæ fuisse conjunctam existimat: *propterea quia in actione prima judicatus erat idem Dioscorus episcopatus honore privandus, ut ejus condemnatio proxima sequeretur.* Addit porro: *Cæterum non sola dierum prænotatio, verum etiam tenor ipsarum actionum* (id est secundæ ac tertiæ) *cum legitur, docet quod in codicibus tertia* (de Dioscoro) *fuerit secundæ præposita:* et forte ex hac ratione Facundi Rusticus et cæteri pristinum D ordinem restituere. Vide Tillemontium, not. 45 in S. Leonem, ubi hunc vulgatum ordinem ex actionum contextu luculenter confirmat.

Aliud ordinis discrimen est in actione quæ septem et viginti canones continet. Hæc in vulgatis est actio XV, sicut et apud Liberatum et Rusticum. Concinunt Græci codices, quos Romani editores adhibuere. Codices vero Græci Veneti S. Marci canones exhibent actione 7. Id ipsum erat in Latino codice Acumitensi, quem Rusticus laudat in annotatione ad actionem 15. *Codex Acumitensis. Termini ecclesiastici promulgati a sancta, et magna, et universali synodo, quæ Chalcedone collecta est. Codex idem. Actio* VII. In vetustissimo ms. capituli Veronensis 55, qui ineditam horum canonum e Græco versionem præfert, iisdem canonibus hic titulus præfigitur: *Acta septimæ cognitionis Chalcedonensis.* Duo codices antiquæ versionis, Parisiensis et Reginæ Suecorum a Baluzio laudati, canones subjiciunt post sextam actionem. Concinit Evagrius, qui, lib. II, c. 18, scribit canones imperatore in sexta actione hortante fuisse constitutos. Pelagius II, in epistola ad Eliam et episcopos Istriæ, n. 17, septimæ actioni canones in codicibus, et multis quidem, attributos testatur. *In sexta illius actione*, inquit, *sanctæ fidei professio consummatur; moxque in septima ad institutionem jam fidelium regula canonum figitur; ulterioribus vero actionibus nihil de causa fidei, sed sola negotia privata versantur; quod cum responsales vestri ita esse ambigerent, curæ nobis fuit exploratis multis hoc codicibus demonstrare.* Hanc sententiam plane confirmare videtur Anatolii epistola 101, ad Leonem, quam in lucem edidimus: nam cap. 4, post relationem gestorum Chalcedonensium circa fidem, quæ conclusa sunt actione 6 subdit: *Quoniam vero etiam de aliis rebus oportebat nos considerare, ut tanta synodus omnia videretur agere sine ulla omissione, quæ correctionis indigent atque approbationis tum in canonicis, tum in ecclesiasticis capitibus*, etc.; ubi canones ecclesiasticis causis præmittens, actionem circa canones cæteris actionibus de ecclesiasticis causis præcessisse significat. Mirum accidit in hac actione canonum nec diem notari, nec personas, quæ residerunt, quod tamen in aliis omnibus actionibus servatur. Hac autem de causa Pelagius loco citato, n. 18, non improbabiliter putavit canones proprie non pertinere ad actionem distinctam a sexta præcedenti. Verius diximus ad distinctam diem (diversa enim fidei et canonum materies, licet eadem die constituta, actioni diversæ ascribi potuit). Enimvero cum imperator actioni sextæ præsens, post definitionem fidei et subscriptiones Patrum, antequam Patres dimitteret, quatuor canones sanciendos iisdem proposuit, qui inter 27 inveniuntur; ita illi statim benemerentissimo Augusto videntur satisfecisse, ut consueto exordio opus non fuerit.

Dies in sequentibus actionibus signata ordinem vulgatum approbat. Solum monendum est actiones de Photio Tyrio, et de Caroso atque Dorotheo, quæ e solis Græcis mss. prodiere, licet diem XIII kal. Novembris præferant, ex quo actioni quintæ in vulgatis præmittuntur, in codicibus tamen Græcis Venetis S. Marci post ultimam actionem describi, uti erat etiam in illo Balsamonis, qui in schol. ad can. 29 Chalcedonensem, actionem de Photio scriptam tradit *in fine quartæ synodi*. Id ipsum quoque deprehendit card. Casanata in duobus mss. Vat. Græcis 831 et 1138, ut Baluzius testatur. Id autem ea de causa accidit, quia hæ duæ actiones in omnibus vel plerisque mss. collectionis Chalcedonensis ab initio deerant, postea autem inventæ iisdem in fine additæ fuere. Idem Baluzius et Harduinus cum P. Lupo errorem in die actionis de Photio Tyri suspicantur, eo quod negotia episcoporum post definitionem fidei agitata traduntur. Sed qui hoc tradidere, scriptores sunt quibus hæ actiones in suis codicibus deerant. Eustathii vero Berytensis interlocutio in eadem actione de Photio hanc causam ante definitionem fidei actam ostendit.

et multi falsitatem arguere cogitarent, tum, mutata A sententia, postulavit ut prius de fide ageretur. Contra judices jusserunt relegi Acta pseudosynodi Ephesinæ. Cumque legeretur constitutio Theodosii de synodo, ventum est ad Theodoritum, quem imperator abesse a synodo jusserat. Judices petierunt introduci Theodoritum in concilium, et quoniam a Marciano vocatus, et in sedem a Leone impertita communione restitutus. Illyriciani, Palæstini, sed præcipue Ægyptii episcopi intercessere, et clamoribus petierunt ut non admitteretur. Nihilominus datus locus in medio, ut tamquam accusator sederet. Mediam hanc componendis **505** animis viam iniere judices, tum propterea quod Theodoritus libellum dederat imperatori, quo hæresis calumniam a se depelleret; tum quia licet a Leone receptus esset, (a) causa tamen ejus finita non censebatur.

Certe et eum et alios episcopos Ephesi depositos contra canones fuisse constabat, ubi omnia sicut in latrocinio acta erant. Unde Orientales : *Milites eos magis deposuerunt quam nos, quia quidquid egimus, terrore compulsi sumus*, ut est in Actis. Sed an ideo a culpa vacui? Viderint alii. Melius Ægyptii (b) : *Christianus neminem timet, catholicus neminem formidat; ignis ponatur, et discimus; si homines timerentur, martyres non fierent.* Postmodum acti stimulis conscientiæ episcopi, omnes exclamare (c) : *Omnes peccavimus, omnes veniam postulamus.* Continuata deinde est lectio pseudoephesinæ synodi, accusatusque Dioscorus, quod epistolam sancti Leonis vetuisset legi. Lecta quoque sunt Acta synodi Constantinopolitanæ sub Flaviano, ubi in Eutychem lata condemnatio. Relata et quæ in consessu Constantinopolitano gesta sunt, et scripta aliquot S. Cyrilli, et quædam ex magna synodo Ephesina. Tum omnium propensa in Flavianum voluntas fuit, isque cum Eusebio Dorylæi a labe hæresis vindicatus, et præter jus æquumque motos sacerdotio, privatosque communione pronuntiatum est; Dioscorum Alexandrinum, Juvenalem Jerosolymitanum, Thalassium Cæsariensem Cappadociæ, Eusebium Ancyranum, Eustathium Berytensem, Basilium Seleuciensem auctores latrocinii Ephesini eadem pœna plectendos, qua immerito Flavianum aliosque affecerant, ea conditione : *Si placuerit divinissimo et piissimo Domino nostro*, ut habent Acta, cui et totam actionem hanc referendam censuerunt (d) Patres. *Et omnibus*, inquiunt, *quæ consequenter acta sunt, ad sacrum apicem referendis.* Quod nolim omissum, ut emendentur priores editiones Conciliorum, quæ Baronium quoque in errorem induxerunt : hinc quippe manifestum est statim Marcianum synodo non adfuisse; nec enim ante sextam actionem venisse reperitur, nec necesse erat ad eum referri, quæ eo præsente tractata essent.

506 *Actio II.*

In secunda actione, quæ habita vi idus Octob., de fide actum est, pro qua maxime, ut judices sunt locuti, factum concilium. Omnes continuo assentiri nullam aliam regulam fidei recipiendam, quam quæ olim 318 Patribus Nicææ, et 150 Constantinopoli probata; et adversus Eutychem sufficere fidei expositionem, quam sanctissimus episcopus Leo in epistola sua expresserat; huic se omnes subscripsisse, hanc fidem omnes profiteri, ab omnibus receptam. Lectum deinceps Symbolum Nicænum et Constantinopolitanum, synodicæ epistolæ duæ Cyrilli, altera ad Nestorium, altera ad Joannem Antiochenum, et epistola sancti Leonis ad Flavianum, et (e) allata Patrum testimonia, quæ in Acta relata sunt. Tum Patres unanimiter in has voces prorumpere : *Hæc Patrum fides, hæc apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt; anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt; pie et vere Leo docuit. Cyrillus ita docuit. Cyrilli æterna memoria. Leo et Cyrillus similiter docuerunt. Leo et Cyrillus ita docuerunt; anathema ei qui sic non credit.* Cum vero Syriæ et Palæstinæ episcopi de locis aliquot ex epistola anxie inquirerent, B similibus Cyrilli testimoniis comprobata sunt. Tum omnem ambigendi locum eximere, epistolam Leonis esse illdem Ecclesiæ. *Magnificentissimi judices et amplissimus senatus dixerunt : Post hæc omnia adhuc quis dubitat? Reverendissimi episcopi dixerunt : Nemo dubitat.* Absoluta actio clamoribus Orientalium, qui Dioscorum mitti in exsilium exposcebant, reclamantibus Illyricianis, ut quoniam omnes peccaverant, omnibus parceretur.

Actio III.

III idus Octob. actio tertia fuit. Dioscorus accusatus; Eusebius Dorylæi actorem egit; cumque de hæresi et impietate expostulatio fieret, placuit vocari ad judicium. Iterum tertio vocatus venire abnuit, modo prætexens ægrotationem, modo causatus absentiam judicum. Responsum est, cum de **507** canonicis judiciis quæstio, secundum Ecclesiæ regulam, neque judicibus, neque laicis locum esse (f). *Quando enim quædam canonica examinantur, neque judices neque laicos esse oportet.* Lecti interim libelli in Dioscorum Ischyrionis diaconi Alexandrini, Athanasiique C presbyteri (cujus olim Cyrillus avunculus) et Sophronii, quibus ille pluribus accersebatur flagitiis. Verum Dioscorus cum iterum tertioque vocatus venire contemneret, legati sancti Leonis, si Julianum excipias, qui suo ordine sententiam dixit, tulerunt judicium condemnationis in eum, et quia reus compertus hæreseos, episcopali dignitate et ministerio sacerdotali privatus est, et quod Eutychem canonice excommunicatum recepisset ad communionem, quod vetuisset legi in synodo Ephesina epistolam sancti Leonis, quod sanctum Leonem abscindere a communione ausus, quod ter vocatus ad synodum ad diluenda crimina venire abnuisset.

Rogati Patres ut pariter sententiam dicerent, secundum judicium legatorum pronuntiarunt, et subscriptione sua condemnationem approbarunt. Judicium synodi Dioscoro denuntiatum est : scriptum ea de re ad Alexandrinos, ad Augustum, Augustamque; et quia Dioscorus se sedi suæ restitutum iri jactabat, D commonitorium a synodo ad Constantinopolitanos Chalcedonenseque datum, quo palam fuit spe om-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Dicendum potius : *Nondum tamen suæ sedi actu fuerat restitutus;* quia etsi Leo eum signatis ad Flavianum litteris in communionem recepit, et eatenus eidem aliqua ratione episcopatum restituit, unde judices dixerunt act. 1, col. 874, a : *Restituit ei episcopatum sanctissimus episcopus Leo;* actualis tamen restitutio ab eodem Leone remissa fuit suis legatis in synodo, ut pluribus dicetur in observ. ad dissertationem 10.

(b) Χριστιανὸς οὐδένα φοβεῖται, ὀρθόδοξος οὐδένα φοβεῖται· πῦρ τεθῇ καὶ μανθάνομεν· εἰ ἀνθρώπους ἐφοβοῦντο, μάρτυρες οὐκ ἂν ἦσαν, Act. 1 Chalced.

(c) Πάντες ἡμάρτομεν, πάντες συγγνώμην αἰτοῦμεν. Ib. infra.

(d) Non Patres, sed Imperiales judices ita censuerunt in fine act. 1.

(e) Patrum testimonia ad gesta Chalcedonensia non pertinent : unde nec in Græcis, nec in Latinis codicibus, immo neque in antiquis Conciliorum editionibus in hac actione inveniuntur, sed subjecta tantummodo fuerunt Græcæ Leonis epistolæ ad Flavianum ante gesta descriptæ, et ab editoribus Romanis huc perperam traducta fuerunt. Vide admonitionem nostram in epist. 28, n. 8.

(f) Κανονικῶν γὰρ ἐξεταζομένων, οὔτε ἄρχοντας, οὔτε ἑτέρους τινὰς λαϊκοὺς παρεῖναι χρή, etc. Act. 3 Chalced.

nino sedis ablata Dioscorum ab episcopatu dejectum.

Actio IV.

XVI kalend. Novemb. actio quarta cœpta **508** est breviter; relectis quæ prius acta fuerant, judices rogaverunt quid Patres de epistola sancti Leonis censerent? Synodis Nicænæ et Constantinopolitanæ consentanea continere ex ordine Patres dixerunt; diligenter examinata singula verba; non aliam haberi in ea doctrinam, quam quæ in synodis œcumenicis prædicata; eam esse quam Cyrillus in expositione fidei Ephesi, et in epistolis exposuit, ob eamque causam se illi subscribere. Ex episcopis nonnulli perplexa quædam atque dubia sibi visa esse significarunt. Sed admoniti dubia fieri ex vocabulis et locutionibus, ultro subscripsere, alii aliis verbis. Hæc quorumdam fuerunt: *Aliqua nobis ex ipsa obstiterunt verba, ut partitionem et separationem demonstrantia, sic volentibus sapere, de quibus et ab initio ante* B *vestram clementiam ambigebamus, et tunc a vestra jussi exire magnificentia audivimus a sanctis Patribus, episcopis et presbyteris locum tenentibus sanctissimi et Dei amatoris præcipui archiepiscopi Leonis, quia nullam dicunt partitionem in Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, sed unum eumdemque Dominum Filium Dei; propter quod consensimus et tomo subscripsimus.* Hæc de epistola sancti Leonis ad Flavianum, præsentibus legatis: quorum nullus vel commotus vel conquestus est, quod tanti pontificis epistola a Romana synodo missa a plerisque tum Orientis, tum Occidentis subscripta episcopis, qua demum nulla umquam vel auctorata magis, vel decreta maturius, vel majori splendore publicata, iterum (*a*) examini subjiceretur.

A

Tum judices Patribus significare imperatoris nomine, liberum illis relinqui ut de **509** fautoribus Dioscori statuerent, de Juvenale scilicet Jerosolymorum, de Thalassio Cæsariensi, de Eusebio Ancyriano, de Basilio Seleuciensi, et Eustathio Berytensi. Ii rogati venire in concilium, fide concilii approbata, dicto anathemate in Eutychem, decretisque Patrum sua subscriptione confirmatis, admissi.

Major cum episcopis Ægyptiis concertatio fuit. Subscriptio petebatur. Eutychem exsecrari non verebantur; subscribere recusabant. Prætextus, an causa fuit, morem esse Ægyptiorum, nec licitum subscribere nisi præeunte Alexandrino episcopo; daretur qui subscriberet, facemque præferret, subscriptionem non denegaturos. Magnis altercationibus res acta est, ibaturque in condemnationem episcoporum, cum judices obtinuerunt ut quoniam de fide non ambigebant, subscriptio differretur post ordinationem episcopi Alexandrini; datisque fidejussoribus dimissi sunt. Sic minax procella prudentia et consilio judicum sedata. Tum archimandritæ et monachi introducti, quorum sors diversa fuit, ut dispar erat conditio. Quidam pro Eutyche libellos obtulerunt. Communis vox synodi fuit ut foras mitterentur. Lecti tamen libelli, neque ad condemnationem Eutychis compelli potuerunt. Gratior aliorum ingressus, qui Eutychem exsecrati fidem synodi prædicarunt. Tum

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) In secunda actione cum imperiales judices fidei expositionem postulassent, Patres Leonis epistolam, quam ut *formam* omnes subscripserunt, adversus Eutychis errores sufficere protestati sunt. Sic enim *Cecropius episcopus Sebastopolitanus dixit: Emerserunt quæ ad Eutychem pertinebant, et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo Romanæ urbis, et* C *sequimur eum, et epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi episcopi clamaverunt: Ita omnes dicimus; sufficiunt quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri.* Ut autem judicibus aliqua in parte satisfieret, qui omnium concordiam expetebant, post Nicænum et Constantinopolitanum symbolum, et post litteras Cyrilli contra Nestorium, lecta fuit epistola Leonis adversus Eutychianam hæresim, et nullo peculiari examine statim approbata. *Post lectionem autem prædictæ epistolæ reverendissimi episcopi clamaverunt: Hæc Patrum fides, hæc apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credimus. Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est*, etc. Cum vero Illyriciani et Palæstini episcopi ob diversitatem linguæ de quibusdam locis ejus epistolæ ambigerent, dati fuerunt quinque induciarum dies, ut habito apud Anatolium tractatu ii qui dubitabant instruerentur. Hoc tantum fine, ut dubitantes ad rectum sensum adducerentur, examen institutum fuit; D non vero eo quod Patres de ea epistola, quam jam antea uti fidei *formam* omnes susceperant, citra periculum fidei dubitare quemquam posse crederent: unde Anatolius necessitatem conveniendi in synodo cum definitione pontificis aperte declaravit illis verbis epist. 101: *Opus erat....: ut in rectæ vestræ fidei sensum omnium conveniret intelligentia.* Cum porro in conventu apud Anatolium habito ambigentes fuissent instructi, ut omnium consensus in ipsa synodo palam fieret, omnium episcoporum suffragia actione 4 petita fuere, non vero epistola iterum relecta, nec novo examini subjecta fuit: et ipsorum quoque ambigentium suffragiis patuit utile fuisse examen, ut difficultates, quæ mentem ipsorum impediebant, solverentur; sicque uno omnium spiritu atque consensu catholica fides magis magisque elucesceret, et error proscriberetur. Hoc quidem sensu atque consilio liberum fuisse Patribus examen ejusdem epistolæ, salva nihilominus apostolicæ sedis auctoritate; Leo docuit epist. 120, c. 1. Examen scilicet epistolæ dogmaticæ, quo ea veluti incerta expendatur cum facultate dissentiendi, apostolicæ auctoritati inimicum est; examen vero quo omnium concordia et dubitantium instructio et assensus quæratur, vel quo etiam judicium a pontificio distinctum, sed concors feratur in synodo ab iis qui controversiarum fidei sunt judices, sicque facilius cæteri ad unitatem et obedientiam pertrahantur, eamdem auctoritatem nihil lædit. Hinc S. pontifex, qui epist. 90, c. 2, et epist. 94, in synodo disputari noluit de fide suis litteris constituta, ac si dubium adhuc esset quod iisdem litteris fuerat definitum; examen ejusdem epistolæ in eum tantum finem quo errantes docerentur, et ad veritatem jam definitam suscipiendam adducerentur, non recusavit, idemque ex ipso exitu utile et necessarium agnitum fuit. Confer quæ diximus annot. 14 (*Tom. præced. col.* 1048, *n.* 1) in epist. 120. Hoc eodem sensu cum Vigilius in Constituto c. 15, de eadem epistola scripsit, *his exegit comparationibus* (quod nonnulli perperam obtrudunt) *approbari*, non aliam necessitatem intellexit. Hic nimirum Vigilii scopus erat ostendere epistolam ad Marim Persam, quam Ibæ non esse contendebat, probatam non fuisse a synodo Chalcedonensi. Id ut evinceret, epistolam Leonis opposuit, quæ in eadem synodo approbata fuit. Cui cum Palæstini et Illyrici, nec non Eutychis fautores opponerent discordem videri a Nicæno Symbolo, et a doctrina S. Cyrilli confirmata in concilio Ephesino; ut isti vel docerentur, vel revincerentur, opus fuit ut concordia ejusdem epistolæ cum laudato Symbolo et cum Ephesino concilio, seu cum doctrina S. Cyrilli in hoc concilio confirmata a Chalcedonensibus Patribus in approbationibus ingereretur; et eatenus *his exegit comparationibus approbari*; quod cum factum non fuerit de epistola ad Marim Persam, *quæ*, ut Vigilius subdit, *specialiter Ephesinam primam synodum respuit, et beati Cyrilli exposita dogmata definivit hæretica*, hanc ab iisdem Patribus approbatam dici non posse concludit.

in primis Carosi Dorotheique archimandritarum
510 cœpta est agitari causa. Hi Eutychianæ sectæ addicti erant.

De his actio secuta est XIII kalend. Novemb., quæ quartæ subjicitur, etsi quinta non nominetur. Causa continuata archimandritarum, qui favebant Eutychi. Barsumæ et aliis (a) datæ trium dierum induciæ, ut hoc spatio sibimet consulerent et ad saniora redirent. Monachi superbe conditionem synodi repudiant.

Secuta controversia Photii episcopi Tyri et Eustathii episcopi Beryti; de provincia controversia erat. Eustathius sibi in primam Phœniciam jus attribuerat ex litteris quas pragmaticas vocant. Dirempta judicio synodi causa : redditum jus metropolitani Photio, quo exutus Eustathius est, cautumque ne alias ratio pragmaticorum esset. Quoniam contra canones erant (b) : *Universa pragmatica cessabunt; canones teneant; sic enim et fides custoditur, et unaquæque Ecclesia tutum statum habebit.*

Actio V.

IX. Quinta actione IX kalend. Novemb. Fuit lecta constitutio seu fides synodi. Legati sedis apostolicæ contestati multa deesse ad profligandam hæresim Eutychianam, multa disertis verbis non explicata. Res delata ad Augustum : censuit ut ex diœcesi Orientis sex episcopi seligerentur, ex qualibet alia tres, 511 qui cum Anatolio et legatis de definitione scribenda statuerent; vel omnes episcopi per metropolitanum provinciæ sententiam dicerent; minatus ituros in Occidentem ad synodum, si abnuerent. Prior conditio placuit; constitutio peracta receptaque, in qua symbolum Nicænum Constantinopolitanumque cum synodicis litteris sancti Cyrilli continebantur. Et adversus pravitatem Eutychianam prædicata sancti Leonis epistola ad Flavianum, adjectumque eam totam integramque admitti : *Utpote et magni illius Petri confessioni congruentem, et communem quamdam columnam existentem adversus perverse sentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter aptavit.*

Actio VI.

VIII kalend. Novemb. Marcianus (c) cum Pulche-
A ria et aulæ optimatibus concilio adfuit, sermonemque ad synodum habuit; lectaque constitutio fidei, et omnium subscriptione approbata, et variis confirmata acclamationibus ad retinendam concordiam Ecclesiæ. Clericis decreta depositio, militibus exauctoratio, exsilium plebi, si turbare Ecclesiam præsumerent. Tum quædam Patrum capitula coram imperatore (d) decreta sunt. Monachis interdictum ne absque venia episcopi condere monasteria aggrederentur; clericis ne possessiones conducerent, aut procurationem caperent; item ne ex sua Ecclesia in aliam transirent.

512 *Actio VII.*

X. Septima actione, quæ septimo kalend. ejusdem mensis fuit, causa Juvenalis Jerosolymitani et Maximi Antiocheni composita est tam ex judicio synodi quam ex mutuo partium consensu. De provinciis controversia erat : duæ Phœniciæ attributæ Antiochenæ
B Ecclesiæ, tres Palæstinæ Jerosolymitanæ.

Actio VIII, IX, X.

XI. Sequenti actione, quæ octava fuit, Theodoriti res actæ sunt : primum in Nestorium et Eutychem anathema dicere jussus est, tum sententia Leonis de ejus restitutione approbata rataque est habita.

Nona et decima actiones habuerunt causam Ibæ Edesseni episcopi, ubi recognita quæ de eo Antiochiæ, Tyri, et Beryti acta fuerunt. Is depositus ab Eutychianis libellum imperatori obtulerat; sed re delata ad synodum, probatæ vitæ et fidei integræ compertus est, atque ita sacerdotio et sedi restitutus.

De Nonno, qui ejus locum ceperat, sanxit synodus ut statueret Maximus Antiochenus : placuit illi ut honore episcopatus non careret, donec aliter cum episcopis suæ diœceseos judicaret. Decretum
C præterea abolendam pseudosynodi Ephesinæ memoriam, et e synodorum numero expungendam; rogandumque imperatorem ut edicto vetaret ne synodus diceretur, nec ejus acta reciperentur. Ordinationem Maximi jam sancta synodus ratam habuerat : (e) quia

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Hæc pertinent ad anteriorem actionem de Caroso et Dorotheo habita die 17 Octobris. In ea autem quæ die 20 celebrata est, Alexander de eorumdem monachorum libello ad imperatorem, ac de imperatoris mente retulit, ac triginta dierum induciæ eisdem datæ. Sed de hac actione, quam ex solis mss. Græcis in fine additam habemus, nonnullas difficultates non leves Tillemontius proponit not. 47 in Leonem; nec tamen eam uti spuriam expungere audet. Hæc autem actio, sicut et sequens de Photio Tyri habitæ die 20 Octobris deberent quidem esse actio 5. Sed cum in aliquot mss. Græcis, ac in omnibus Latinis hæ actiones desint, in aliis autem Græcis codicibus, qui hactenus fuerunt inventi, in fine additæ fuerint, hinc factum est ut, servato numero antiquo actionum, hæ duæ a Romanis editoribus post quartam actionem exigente tempore insertæ fuerint.

(b) Ὅλα τὰ πραγματικὰ ἀργήσει· οἱ κανόνες κρατείτωσαν οὕτω γὰρ καὶ ἡ πίστις φυλάττεται καὶ ἑκάστη ἐκκλησία ἕξει τὸ ἀσφαλές.

(c) Pulcheriæ præsentiam constituimus annot. 12 (*Tom. præced. col.* 979, *n.* *) in epist. 101. Ex hac autem Anatolii epistola antea inedita didicimus nonnullas circumstantias ad hanc actionem illustrandam utiles; inter quas illa hoc loco præcipue memoranda est, definitionem fidei primum collocatam fuisse super altare, deinde vero Marciano et Pulcheriæ traditam.

(d) Quatuor capitula Patribus sancienda proposuit imperator hac actione. Hæc autem cum aliis canonibus ab iisdem constituta fuerunt actione in vulgatis 15, re autem ipsa actione 7, uti probavimus not. 18. (*Supra, col.* 257, *n.* b).

(e) Hæc unica ratio, qua ordinationem Maximi approbavit synodus Chalcedonensis act. 10, ab Anatolio affertur, quoniam S. Leo *in communionem eum recipiens, præesse eum Antiochenorum judicavit Ecclesiæ; quam formam sequens et ipse approbavit, et præsens omne sanctum concilium.* Vide quantum deferretur apostolicæ auctoritati! Id ipsum alii episcopi confirmarunt. Solum Stephanus Ephesinus, qui hanc unicam rationem pariter attulit, obiter dixit Maxi-
D mum *canonicè factum* episcopum; cui tamen contradicit Leo, qui ordinationem ejus *contra instituta canonum, ac sine ullo exemplo* celebratam, *amore reparandæ fidei et studio pacis* se recepisse testatur epist. 104, c. 5, et epist. 106, c. 2. Idem Quesnellus not. 2 in epist. 81, nunc 106, diffiteri non potuit ordinationem ejusmodi contra regulas canonum peractam, cum Maximus ordinatus fuerit ab Anatolio Constantinopolitano, ad quem Antiochena sedes non pertinebat; addendum etiam vivente Domno, qui in Ephesino latrocinio irrite depositus fuerat. Solum dissert. 10, n. 34, canonicam nihilominus ipsius ordinationem ex eo deducit quod Antiochiæ celebratam putet. Sed hoc sine ullo teste profert. Anatolius consecratus fuit Constantinopolitanus episcopus sub finem anni 449; Maximi ordinatio ab Anatolio celebrata est aliquamdiu ante Theodosii mortem, quæ incidit sub finem Julii an. 450. Post ordinationem Maximi, vivente adhuc Theodosio, habitus fuit Constantinopolitanus

513 legitime ab episcopis provinciæ consecratus et in communionem sanctissimi patriarchæ Leonis admissus; quam ob rem superflua exceptio, quam pauci commemorarunt, cum etiam Ephesinis actis accensendam non esse pronuntiarent legati sedis apostolicæ. Actio de Domno, quæ sequitur, (a) commentitia est, ut alibi probamus.

Actio XI et XII.

XII. Bassiani deinde et Stephani controversia actiones 11 et 12 occupavit. Ille ex sede Ephesina, quod diximus, depositus, alter subrogatus. Judicium fuit ut neuter sederet; tertius ordinaretur; sumptus utrique Ecclesia suppeditaret. (b) Hæc IV kalend. Novemb.

Actio XIII et XIV.

XIII. Tertia decima actione, quæ die sequenti fuit, Eunomii Nicomediensis et Anastasii Nicæni lis cognita est. Querebatur Eunomius ex edicto Valentiniani Nicænum episcopum jus metropolis sibi tribuere. Judicatum est Nicæam subditam Nicomediæ; honorem, non jus traditum edicto Valentiniani, et ex decretis Nicænæ synodi in una provincia unam tantum esse metropolim.

De episcopatu Perrhænorum actione 14 contentio fuit. Athanasius episcopus a suis accusatus, et tertio vocatus in judicium neglexit 514 adesse, ideo depositus est. Sabinianus in ejus locum ordinatus, per Dioscorum sede pulsus est. Re in synodo discussa, ad Maximum Antiochenum causa delata, ut ipse de Athanasio statueret, et intra octo menses judicio suo litem dirimeret. Si reus Athanasius compertus, sede mulctaretur; sin innocens, restitueretur; Sabinianus honorem episcopi, non jus retineret (c).

Actio XV.

XIV. Rebus ita constitutis, Constantinopolitanæ Ecclesiæ clerici petierunt ut postquam de fide statutum, pertractataque majora negotia, quædam levioris momenti synodo, ut moris est, subjicerentur; rogare se ut Patres de sede Constantinopolitana aliqua constituerent. Tum legati subodorati id quod erat, abnuere; id sibi non esse in mandatis. Judices ne rogati dicere sententiam tenerentur, pronuntiarunt rem esse synodi, statimque e synodo discesserunt, quos legati secuti sunt: ita enim sequenti actione narratum habemus. Patres nihilominus complures (d) canones condiderunt. Græci codices habent 30, Latini 28, ex quibus vigesimus octavus est de sede Constantinopolitana. Renovatumque et confirmatum, quod olim in œcumenica synodo de ejus patriarchatu statutum fuit: ut quoniam Romana Ecclesia (e) privilegiis uteretur, quæ 515 Patres propter

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

conventus, in quo pro Eustathio Berytensi decretum fuit adversus Photium Tyri; cui decreto cum Maximus, licet Constantinopoli præsens, non interfuisset, postea tamen subscripsit. Num credibilius est paucorum mensium spatio Anatolium statim post suam ordinationem deseruisse Constantinopolim, et Antiochiam ad ordinandum Maximum contendisse, ac dein reversum Constantinopolim conventum celebrasse in causa Photii Tyri; an vero Maximum, qui Constantinopoli versabatur dum hic conventus habitus est, ibidem, ubi aliarum quoque provinciarum metropolitæ Constantinopolitano subjecti consecrari solebant (ut liquet ex act. 16 Chalcedonensis concilii) fuisse ordinatum Antiochenum episcopum, idque præsertim *contra canonum regulas et sine ullo exemplo* gestum Leonem culpasse?

(a) Hæc actio, habita VI kal. Novembris, in codice Corbeiensi editionis Rustici inserta est post actionem de causa Maximi Antiocheni et Juvenalis Jerosolymitani, et ante actionem de Theodoreto celebratam VII kal. ejusdem mensis; in aliis autem Rustici mss. Veronensi, Vaticanis et Divionensi utrisque his actionibus præmittitur. Rectius autem in editis ex notatione diei collocata fuit post easdem actiones, nec non post duas de Iba, quæ diebus VI et 5 kal. ex Græco habitæ fuere, vel melius fortasse in Latino VII et VI kal. Hanc porro actionem de Domno genuinam probabimus in observat. ad dissert. 9 Quesnelli, ubi aliam actionem in eadem Domni et Juvenalis causa habitam die vel pridie kal. Novembris recudemus.

(b) Actio 11 habita est IV kal., at actio 12 III kal. Novembris.

(c) Hoc eodem die pridie kal. Novembris alia actio habita est, qua Leonis epistola ad synodum lecta fuit. Hanc actionem hactenus ignotam e mss. Venetis Græcis edidimus in appendice Epistolarum S. Leonis tom. præced.

(d) Canones 27, qui in Græcis et Latinis codicibus actioni 15 tribuuntur, conditi fuere act. 7, uti diximus not. 18. De tribus aliis canonibus, qui in vulgatis Conciliorum et in Græcis Canonum collectionibus Joanne Scholastico posterioribus adjiciuntur, vide admonitionem in actionem concilii Chalcedonensis, quam ex mss. Venetis edidimus in laudata appendice Epistolarum S. Leonis. Actio de prærogativa sedis Constantinopolitanæ præfert diem V *kal. Novembris*. Sed error irrepsit: nam actione 13 habita III kal. Novembris judices dixere: *Quæcumque autem sedi Constantinopolitanæ sanctissimæ Ecclesiæ de ordinationibus provinciæ competunt, hæc suo ordine coram sancto concilio examinabuntur*; quibus canon de Constantinopolitana sede nondum constitutus, sed condendus indicatur. Adde quod cum eadem actione ordinatio episcopi Basilinopolis Nicomediensi metropolitano attributa fuisset, Aetius Constantinopolitanæ Ecclesiæ archidiaconus protestatus ne ullum præjudicium inferretur episcopo regiæ urbis, hanc rationem subjecit: *Sanctissima enim Constantinopolitana sedes aut ordinationem ipsa facit in Basilinopoli cum reliquis, aut permittit fieri.* Hoc jus ordinandi quoscumque episcopos etiam non metropolitas Constantinopolitano ademptum fuit canone Chalcedonensi, quo metropolitarum tantum ordinatio ipsi reservata est. Cum ergo hoc præjudicium cavere voluit Aetius in ea actione, nondum canon de Constantinopolitani episcopi prærogativa statutus fuerat; alias ob Basilinopolitani episcopi ordinationem Nicomediensi attributam haud protestatus fuisset. Melius ergo canon pro sede Constantinopolitana in codice Divionensi prima manu signabatur *kalendis Novembris*, et in omnibus quidem mss. tum Græcis tum Latinis ultimo loco describitur, et ab Evagrio ac Liberato recensetur post actionem 14 habitam pridie kalendas Novembris.

(e) Privilegia Romanæ Ecclesiæ non *a Patribus propter imperium concessa*, sed Deo auctore instituta sunt in Petro apostolorum principe, qui Romæ sedem figens, in Romanos pontifices successores suos eumdem divinæ institutionis, et præcipuæ jurisdictionis primatum transmisit. Ipse patriarchatus, quo Romanus pontifex occidentali Ecclesiæ peculiari nomine præsidet, non ex Urbe imperii principe, sed ex Petro, qui ea in urbe sedem constituit, ac exinde in Occidentem religionem propagavit, originem ducit. Constantinopolitanæ vero sedis gradus, qui ex sola prærogativa imperii a Constantinopolitani concilii Patribus constitutus fuit, nec institutione divina nec jurisdictione ad Romanum pontificatum accedit: unde *paria* eidem collata dici nequeunt. Hinc canoni Chalcedonensi, qui similia verba præfert, vel hoc nomine statim contradixerunt S. Leonis legati, quod Romanæ sedi injuriosus videretur, eumdemque reprobavit idem S. Leo, cujus confirmatione eum canonem indigere ipsi Chalcedonenses Patres epist. 98, et Anatolius epist. 101 satis professi sunt.

Neque illum post S. Leonem umquam probavit

imperium concesserant, sic centum et quinquaginta Patres sub Nectario Constantinopoli congregati paria Constantinopolitanæ sedi tribuerant, quia nova Roma imperio et senatu, sicut vetus, ornata sit; ut, inquam, primo post illam honore frueretur, jus et potestatem haberet in Thraciæ, Ponti et Asiæ diœceses, eorumque metropolitas, episcoposque barbarorum ordinaret.

Actio XVI.

XV. Postridie congregata synodo, Paschasinus **516** legatus apostolicæ sedis apud judices graviter conquestus est post judicium suumque discessum quædam esse gesta contra canones, quæ coram relegi velit. Judices annuerunt : Beronicianus secretarius divini consistorii legit schedam sibi oblatam ab Aetio archidiacono, ubi descripta privilegia novæ Romæ : quibus perlectis Lucentius legatus apostolicæ sedis exclamare circumventos episcopos, coactosque subscribere : Nicænæ synodi et 318 Patrum posthabitis decretis, constitutiones propositas cl. PP., quarum nulla in synodicis canonibus memoria. **517** Si in usu isthæc privilegia, quid opus denuo confirmare? Si numquam in usu, cur synodi rogare sententiam super illud quod contra canones et quod numquam usurpatum? Tum Aetius rogare legatos ut si quid Leo de ea re in mandatis dedisset, hoc utique proferrent. Bonifacius, presbyter sedis apostolicæ legatus, hoc beatissimi Leonis mandatum legit ex charta : *Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari vel imminui, servantes omnimodis personæ nostræ in vobis (quos vice nostra transmisimus) dignitatem; ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis.* Lectis deinde canonibus quibus suam quisque defendebat causam, nihil quidem judices suis sunt statuere; sed Lucentius petiit ut ea quæ pridie gesta fuerant absentibus legatis expungerentur; alias vero contestatio legatorum in acta referretur, quam deferrent ad episcopum Romanum; ut ille de sedis suæ injuria aut de canonum eversione possit ferre sententiam.

Ita peractum est concilium Chalcedonense; cui ut et aliis tribus œcumenicis tantum (*a*) sanctus Gregorius tribuit, ut soleret dicere quatuor se illa concilia perinde ac quatuor Evangelia amplecti.

XVI. Verum varius synodi exitus fuit. Fidei defensores gaudio affici, constare sibi qui titubaverant, resipiscere quos induxerat in errorem latrocinium Ephesinum; contra furere hæretici, novas res moliri, ire in exitium præcipites, suo lapsu et ruina complures vel scientes vel incautos opprimere.

Antequam Patres discederent, Augustum, dicto an scripto, honorifice allocuti sunt. Exstat in Actis ille sermo προσφωνητικός. Testantur Patres se Deo acceptissimum referre quod imperatorem nacti, cujus fides infracta, et Leonem Romanæ Ecclesiæ episcopum doctrina, pietate et animo tamquam armis ad victoriam instructum. Explicant deinde sic actum in hac synodo sicut olim **518** in aliis, ubi nova mendacia novis definitionibus confutata, novaque labes novitate salubri sanata, et inter hæc fidem integram illæsamque permansisse. Sacram postea Verbi incarnati οἰκονομίαν unitionemque utriusque naturæ in Christo pluribus prosequuntur; epistolam vero sanctissimi PP. Leonis non modo a novitate vindicant, sed cohærentem cum sancta Scriptura, cum Patrum scriptis, cum decretis Nicænæ synodi adversus Eutychiana dogmata approbant.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

Latina Ecclesia. Immo ipsi quoque Græci antiquiores Photio eum in collectionibus canonum non recepere, ut manifestum fit non solum ex Dionysio Exiguo, aliisque tribus antiquis interpretibus, qui e Græcis collectionibus Chalcedonenses canones Latine reddentes, istum non transtulerunt, verum etiam ex Theodoro Lectore, ac Joanne Scholastico Græcis sexti sæculi auctoribus, qui 27 tantum Chalcedonenses canones memorant. Addimus porro in Græco textu canonis Constantinopolitani, cui hic canon Chalcedonensis superstructus est, adhiberi voces τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν Ῥώμης ἐπίσκοπον, quæ non primatum nec jus aliquod peculiare, sed meras *præeminentias honoris post Romanum episcopum* significant. Cum ergo eadem vox πρεσβεῖα in canone Chalcedonensi adhibeatur, eodem sensu intelligenda est, ita ut hac formula honoris tantum præeminentia post Romanum pontificem eidem attributa fuerit; unde secundus locus post Romanum et ante cæteros patriarchas ipsi concessus fuit. Non ergo comparatio aut sermo exstitit de primatu jurisdictionis Romani pontificis, quem ex S. Petro et ex divina institutione manantem semper catholici professi sunt, sed de meris honorificis privilegiis; et in his ipsis Constantinopolitano episcopo non æqualis et idem gradus cum Romano, sed secundus tribuendus visus est. Judices quidem post lectum canonem Chalcedonensem, post auditos legatos pontificis, qui Nicænum canonem ex usitata apud Latinos interpretatione recitantes, Romanæ Ecclesiæ *primatum* τὰ πρωτεῖα nomine expressum opposuerant, ac post lectum canonem Constantinopolitanum, qui præeminentias meri honoris post Romanum Constantinopolitano antistiti vindicaverat; ex his omnibus collegerunt *primatum quidem et præcipuum honorem* Romano episcopo conservandum; Constantinopolitanum vero *iisdem præeminentiis honoris* dignum esse : Πρὸ πάντων μὲν τὰ ΠΡΩΤΕΙΑ καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν κατὰ τοὺς κανόνας, τῷ τῆς πρεσβύτιδος Ῥώμης θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι· χρῆναι δὲ τὸν πόλεως νέας Ῥώμης τῶν αὐτῶν πρεσβείων τῆς τιμῆς ἀπολαύειν : quibus verbis *primatum* stricte dictum, τὰ πρωτεῖα, tribuendum intellexere soli Romano episcopo; *præeminentias* vero *honorificas* ita Constantinopolitano communicari posse censuerunt, ut præcipuus tamen honor et locus Romanæ sedi semper maneret. Hinc Anatolius epist. 101 ad Leonem id statutum prodidit, *ut Constantinopolitanus episcopus habeat honorem et primum locum post Romanam sanctissimam sedem, eo quod etiam Constantinopolis sit nova Roma.* Similia sunt in epist. 98 ipsius synodi Chalcedonensis. Intacto quidem peculiari jure Romanæ sedis in totam Ecclesiam, et intacto etiam jure ejusdem patriarchico in Occidentem, ne secundus gradus et honor Constantinopolitanæ sedi a Constantinopolitana synodo tributus omni jure careret, Chalcedonense concilium jus in tres diœceses Ponti, Asiæ et Thraciæ eidem attribuit, et ita attribuit, ut Leonis approbatione multis litteris petita, hoc ipsum jus a Romano pontifice pendere agnitum fuerit. Vide inter cætera epistolam 132, c. 4. Re igitur hoc canone Romanæ sedis juri nihil ademptum fuit. Quod si privilegia hujus sedis ex prærogativis imperii Romanæ urbis deducta fuerunt, id non eo sensu factum est, ac si Patres Chalcedonenses præeminentias et jura Romanæ cathedræ a Petro derivata non agnoscerent (alibi enim ipsum Petrum, et Petri auctoritatem in Leone professi et venerati sunt, ut liquet ex act. 1 et 2, ac ex relationibus ad Leonem, et ad imperatorem), sed quia approbando canoni pro Constantinopolitana sede non alia ratio favere poterat, nisi quæ a similibus imperii prærogativis ducebatur; et eo sensu *privilegia* utrique sedi attributa ex æqualibus imperii prærogativis dicta fuerunt *æqualia*, quatenus tributo Constantinopolitanæ sedi secundo loco post Romanam, utraque sedes *æque* cæteris omnibus honoris præeminentiis præcedebat.

(*a*) Ea sola quæ ad fidem pertinent approbat S. Gregorius lib. II, epist. 10; lib. IV, epist. 5, et alibi.

XVII. Est præterea epistola seu relatio, quam Patres de rebus gestis synodi ad Leonem mittunt. Cujus epistolam ad Flavianum miris laudibus efferunt; ejus se litteris ad synodum tamquam ad epulas invitatos; hunc custodem vineæ Christi appellant. Dioscori condemnationem proscriptionemque ejus doctrinæ exponunt. Sed in primis monent quæ pro sede Constantinopolitana decreverint, rogantque ut his approbationem non deneget. Contradixisse quidem legatos, sed ut quemadmodum fidei, sic bonæ ordinationis ipse sit auctor. (*a*) Incertum quo tempore hæc epistola scripta sit : nam Patres non statim discessisse putem, tum ut acta exscriberentur, tum ut sua decretis maneret auctoritas. Deinde constat legatos post duos a synodo menses nondum Romam remeasse : nam Leo (*b*) ad kalend. Febr. episcopis Galliarum scribens de synodo, felicem suis legatis reditum precatur.

Circa initium ejusdem mensis Marcianus edicto quorumdam audaciam compescit, qui vicatim turbas ciebant ad disserendum de fide. Mense Martio altero B edicto confirmata Patrum decreta, jussaque observari. In collectione Romana Holstenii legi epistolam Marciani datam XV kalend. Januarii sequentis, missamque Romam, (*c*) per Lucianum episcopum Basiliumque diaconum. Lætum synodi exitum Augustus Leoni gratulatur; tum rogat uti rata habeat decreta in gratiam sedis Constantinopolitanæ, quæ et scripta fuisse ab imperatrice ex responsionibus Leonis patet.

519 ANNUS CHRISTI 452; — LEONIS PAPÆ 13; — VALENTINIANI 38, — MARCIANI 3, IMPP.; HERCULANO ET SPORATIO COSS.

I. Sanctus Leo, auditis quæ gesta fuerant Chalcedone, anceps dubiusque fuit. Lætitia simul et dolore afficiebatur, modo reputans animo victorias fidei, modo anxie cogitans recens vulnus ab Anatolio disciplinæ inflictum, cujus haud expedita curatio. Etsi porro statim consultem huic malo voluit, opperiri tamen statuit reditum legatorum, ut omnia ex judicio et prudentia ordinaret. Interea episcopos Galliarum de re bene gesta Chalcedone, et de clade Dioscori certiores facit (*Epist.* 77, *nunc* 102), commendatque ut eadem episcopis Hispaniarum renuntient. Et iterum post regressum legatorum encyclicam epistolam de eadem re ad eosdem mittit : quod patet ex ejusdem epistola ad Rusticum Narbonensem (*Epist.* 82, *nunc* 103), Ravennium Arelatensem et cæteros Galliarum episcopos, quibus significat se exemplaria latæ adversus Dioscorum sententiæ vel tunc mittere vel antea misisse.

Postquam legati apostolicæ sedis Romanæ redierunt, S. Leo certus Anatolium nova ambitione turbare Ecclesiam, legatos cum litteris ad Marcianum (*Epist.* 78, *nunc* 104), ad Pulcheriam (*Epist.* 79, *nunc* 105), Anatolium (*Epist.* 80, *nunc* 106), Julianumque (*Epist.* 81, *nunc* 107) Coensem dimittit. Datæ sunt XI kalend. Junii; quibus quantum laudat Ecclesiæ triumphos, tantum Anatolii audaciam perstringit. Sed operæ pretium esse existimo ab origine jura seu vera seu ambigua Constantinopolitanæ sedis paucis inquirere, ut quam æqua fuerit causa Leonis quivis perspiciat.

II. Constantinus imperator posthabita Roma Byzantium sedem imperii transtulit: et ne mutasse imperium cum sede videretur, magistratus eosdem, fasces eademque insignia novæ urbi intulit, novamque seu juniorem Romam esse jussit. Aliorum deinde principum gloria et splendore decorata civitas magnitudinem antiquæ Romæ potentiamque æmulari cœpit. Tum episcopus Byzantinus cum urbe accrescere honore, eumque paulatim amplificandæ potestatis cupido incessit. Et quoniam religio erat alios B Ecclesiæ suæ limites ponere quam qui ab initio fuerant, sensim et quasi per gradus ad fastigium ecclesiasticæ potestatis sibi viam facere. Primum assumere sibi jura metropolis: tum primarum sedium ambire prærogativas: et demum similem cum iis, vel etiam majorem **520** usurpare potestatem. Quomodo vero id sit consecutus, breviter commemorabo.

Initio rerum Christianarum ex cœtu fidelium conditæ ab apostolis Ecclesiæ. Aucto deinde numero credentium, disseminataque per provincias fide, quædam Christiana πολιτεία, seu quasi respublica institui cœpta, eaque ad normam fere Romani imperii ordinata. Singulis urbibus episcopus fuit, et sui cuique parochiæ definiti limites. Jam Ecclesiæ complures seu civitates unius ejusdemque provinciæ, sicut in imperio, (*d*) uni metropoli subjectæ; idque jam ab ævo apostolorum fuisse asseram; nec qui sedulo res Christianas ab ipsa origine legerit inficiabitur. Jura præterea et privilegia primis sedibus, Romanæ, Antiochenæ et Alexandrinæ Ecclesiis, ex antiqua C consuetudine fuisse Nicæna synodus dicit. Primatis porro prærogativa duobus constat : alterum est honoris, alterum potestatis ac jurisdictionis. Et hæc iterum duo habet : primum metropolitarum ordinationem, deinde synodi cogendæ jus ac facultatem. Nullam tunc Byzantinæ Ecclesiæ potestatem jurisdictionemque extra parochiam fuisse, constans opinio est. Immo ipsa, sicut aliæ ex Thracia, Heracleensi Thraciæ subjecta. Sed translata in Asiam sede imperii, episcopus novæ civitatis, ut diximus, honore priusquam potestate augeri cœpit. Prærogativam itaque loci, seu πρωτοκαθεδρίαν primum ambiit, idque datum in Constantinopolitana synodo sub Nectario ad annum 381, ut primum honorem post Romanum

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Ex epistola 101, Anatolii, quam e ms. Vaticano eruimus, quæque ad Leonem missa fuit una cum Marciani epist. 100, scripta die 18 Decembris, liquet legatos cum relatione et gestis concilii jam antea transmisisse, et probabilius post Chalcedonensem synodum mense Novembri, uti animadvertimus annot. 4 (*Tom. præced. col.* 975, *n.* [c]) in eamdem D epist. 101.

(*b*) Ex Ratisponensi emendavimus VI *kalendas Februarias*. Vide epist. 102, annot. 31 (*Tom. præced. col.* 987, *n.* [k]).

(*c*) Per hunc eumdem Lucianum missa etiam fuit Anatolii epistola 101, quam e ms. Vaticano edidimus. In his autem litteris plura animadvertenda sunt : 1° necessitas conveniendi cum definitione fidei, quam Leo ediderat, c. 3; 2° necessitas referendi ad eumdem pontificem quæcumque in synodo gesta fuerant, c. 1 et 2; 3° vindiciæ canonis pro sede Constantinopolitana, cujus approbatio et confirmatio a pontifice veluti necessaria petitur, quemadmodum idem Anatolius repetit epist. 132, c. 4, inquiens : *Cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestræ beatitudinis fuerit reservata.* Cum vero legati huic canoni contradixissent, eorumque contradictione actio soluta fuisset, expressam ejus canonis confirmationem multo magis necessariam, ut vim obtineret, omnes intellexere, et idcirco in hac præcipue postulanda et synodus in relatione, et Marcianus in suis litteris, et Anatolius institerunt.

(*d*) Si Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, ac paucas alias primarias Orientis sedes excipias, quæ speciem quamdam metropolitici juris apostolorum ætate prætulerunt, cæterarum metropoleon ecclesiasticarum institutio apostolis coæva nullo fundamento defendi potest. Citius quidem in Oriente hæc hierarchica forma constituta fuit, ubi apostoli plures Ecclesias fundarunt; in Occidente autem serius : qua de re non nihil dicetur in observ. ad dissert. 5 Quesnelli part. II, c. 5, ubi etiam civilium provinciarum formam non usquequaque servatam vidimus.

episcopum haberet, quod habetur in canone tertio, ubi hæc verba : *Constantinopolitanæ civitatis episcopum habere oportet privilegia honoris*, πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *post Romanum episcopum, propter quod sit nova Roma*. A

III. Neque ea res nova habebatur in Ecclesia : prius enim privilegia honoris seu loci prærogativa, in synodo Nicæna Jerosolymitano episcopo attributa canone 7. Scio discrimen hoc esse, quod Jerosolymitano episcopo post tres primas sedes, et Constantinopolitano post Romanum episcopum honor sit concessus. Multorum opinio est simul cum honoris prærogativa potestatem jurisdictionemque cœpisse esse. Sed ii attendant ad **521** canonem 2 ejusdem concilii, ubi diœcesibus Asiæ, Ponti et Thraciæ, in quas competere jus patriarchicum episcopi Constantinopolitani potuisset, sua antiqua immunitas, suaque privilegia conservantur : decerniturque jurisdictio Asianæ diœcesis episcopis Asiæ, quemadmodum Ponticæ Ponti episcopis, et Thracicæ Thraciæ episcopis ; cautumque ne Alexandriæ et Orientis episcopi extra terminos suæ diœcesis jurisdictionem exerceant. Tres igitur illæ diœceses Asiæ, Ponti et Thraciæ per episcopos, id est per synodos suorum episcoporum gubernari decretum est. Nihil ergo potestatis in eos erat Constantinopolitano episcopo : immo ipsi, sicut aliis episcopis, interdicta hoc eodem 2 canone extra diœcesim cujuscumque causæ cognitio. B

IV. Contra, si in synodo hac Constantinopolitanæ sedis jurisdictio stabilita fuisset, ut illi opinantur, infirmata certe synodi Nicænæ decreta, nedum confirmata fuissent, ut postmodum violata fuisse Chalcedone 28 canone Leo conqueritur. Tum igitur nulla potestas nullaque jurisdictio permissa : honos tantummodo prærogativaque sedendi episcopo Constantinopolitano attributa primum est. Etsi canon ille ab episcopo Romano rejectus improbatusque est, in usu tamen fuit : cujus rei argumentum est id quod legimus in Actis Chalcedonensis synodi, ubi Acta lecta sunt pseudoephesinæ synodi, cui præsidebat Dioscorus. Ille vero Flavianum CP. post Juvenalem Jerosolymitanum, et Domnum Antiochenum sedere jusserat; quæ cum legebantur, tum Orientales exclamare (*a*) : *Flavianus quare in proprio loco non sedit? Constantinopolitanum episcopum quare quintum posuerunt? Paschasinus reverendissimus dixit : Ecce nos, Deo volente, dominum Anatolium primum habemus, hi quintum posuerunt beatum Flavianum. Diogenes reverendissimus episcopus Cizyci Ecclesiæ dixit : Quoniam vos regulas scitis*. Ecce honos loci egregie vindicatus episcopo Constantinopolitano ab ipsismet legatis sedis apostolicæ, qui Dioscori audaciam criminantur, quod quinto loco Flavianum jussisset sedere : laudatur synodus Chalcedonensis, quod Anatolio secundus locus sit concessus, idque ex regulis et canonibus. Ex quibus patet solum honorem primum attributum fuisse CP. episcopo, in honorem urbis regiæ, quam imperatores novam Romam esse jusserant. C

V. Deinceps vero CP. episcopi cogitaverunt et jurisdictionem occupare. Ita sese præbuit occasio. Complures, ut fere fit, episcopi ad comitatum ibant, aliquando certe Ecclesiarum necessitate compulsi; sed sæpius, quod olim Patribus Sardicæ congregatis conquerebatur Osius, ut suis honores administrationesque captarent. Idcirco erat Constantinopoli **522** magna episcoporum frequentia, et ad sexaginta, ut plurimum, episcopi in regia civitate visebantur, qui sæpe agmine facto ad Augustum conveniebant. Lites tum plurimæ de rebus ecclesiasticis ad imperatorem ferebantur, quæ consilio judicioque episcopi CP. dirimebantur. Et si quæ majoris momenti erant negotia, cœtu ex episcopis qui in urbe erant facto, præside CP. episcopo tractabantur, Græcisque erat hoc genus concilii σύνοδος ἐνδημοῦσα, quia erat episcoporum ἐνδημούντων. Etsi ejusmodi conventus nomen concilii non merebatur, nec nisi ex contendentium consensu vis et auctoritas ejusmodi judiciis erat, ex consuetudine crevit auctoritas his synodis. Nam primum de regimine Ecclesiæ erat tractatio; subinde vero de metropolitarum controversiis, et de fidei quæstionibus. Sic sub Flaviano CP. condemnatus Eutyches; et causa Florentii Sardorum episcopi metropolitæ Lydiæ cum duobus episcopis suæ provinciæ agitata, ut habetur act. 1 concil. Chalced.

Quæ fuerint horum conventuum initia, difficile dictu est. Si conjecturæ est locus, forte temporibus S. Chrysostomi cœperunt. Is enim malevolorum hominum invidia pulsus sede; deinde coacto concilio ex episcopis qui tum Constantinopoli versabantur, restitutus est, et rescissa superioris synodi sententia. Ita acquisitum jus congregandæ synodi Constantinopoli episcopo.

VI. Metropolitas vero ordinandi ita ratio constituta. Erat episcopus Constantinopoli in pretio et honore, quia in civitate regia versabatur, cui in promptu erat re et opera alios adjuvare, eorumque res et negotia gratia qua pollebat in comitatu promovere. Tum si quæ erant in episcopatibus sacerdotiisque acquirendis ambitiones, unde, ut solet, turbæ plerumque exoriebantur, advocabatur : ille illico adesse, ambitus potentiorum auctoritate comprimere, et sensim in electionibus sibi jus attribuere. Adde quod canones tum synodi CP., tum alii, invitatos episcopos ordinationibus aliarum provinciarum interesse sinebant, et honori ducebant plerique regiæ urbis episcopum consortem suarum ordinationum habere. Jam illa consuetudo invaluerat ætate S. Chrysostomi. Unde ille Ephesinum metropolitam, aliosque episcopos simoniaci criminis compertos deposuit, aliosque subrogavit : et si S. Chrysostomus non studio propagandæ ditionis suæ, sed auctoritate concilii facere id sit aggressus; tamen hoc vertit in consuetudinem, adeo ut deinceps ordinationibus metropolitarum, et aliarum Ecclesiarum episcopis Asiæ, Ponti et Thraciæ præesse non vereretur. Demum quæ usu et longa consuetudine stabilita erant, facile fuit in legem et jus traducere : quod (*b*) in concilio Chalcedonensi

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) *Act.* 1, *Chalced. Syn.*: Φλαυιανὸς ἐν τῷ ἰδίῳ τόπῳ διὰ τί οὐκ ἐκαθίσθη; τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον διὰ τί πέμπτον ἔταξαν; Πασχασῖνος ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἴδε ἡμεῖς Θεοῦ θέλοντος, κύριον τὸν Ἀνατόλιον πρῶτον ἔχομεν, οὗτοι πέμπτον ἔταξαν τὸν μακάριον Φλαυιανόν.

(*b*) Secundum locum post Romanum pontificem meri honoris gratia sine ullo jure Constantinopolitana synodus sub Theodosio seniore regiæ urbis antistiti attribuerat. Quæ autem Constantinopolitani episcopi sibi postea vindicarunt, usurpati juris notari poterant. Nonnulla quidem de hoc querela ante Chalcedonense concilium legitur adversus S. Joannem Chrysostomum, et adversus S. Proclum. In Chalcedonensi autem Anatolius ter impetitus : 1° in actione de Photio Tyri, cum quæstio mota fuit num episcoporum D qui Constantinopoli essent conventus ab eo convocatus, synodus habenda esset, synodique jure poteretur. 2° In fine actionis 11, cum episcopi Asiæ postularunt ut Ephesiorum episcopus non Constantinopoli, sed ab ipsis in provincia ordinaretur; quibus assentientes episcopi, id ex canonum regulis esse observandum clamaverunt. 3° In fine actionis 13, cum concilium Basilinopolitani episcopi ordinationem ad Nicomediensem, non vero ad Constantinopolitanum episcopum ex canonibus pertinere declaravit. Hinc Anatolius, metuens ne eo jure quod sua sedes sibi vindicaverat aliquando exspoliaretur, non dimittendam censuit occasionem hujus synodi; ac ut idem jus facilius confirmaretur, ordinationi episcoporum cedens, metropolitarum tantum consecrationem sibi deferendam contendit. Id facile fuit obtinere faven-

Anatolius perfecit, edito a Patribus **523** canone, A ubi non modo sedendi prærogativa, sed jus datum cogendæ synodi, et metropolitas episcoposque alios ordinandi; eique potestas et jurisdictio in tres provincias Asiam, Thraciam et Pontum attributa est. Illæ porro provinciæ nullius diœceseos seu patriarchici districtus erant; sed suis tum regebantur synodis, ubi electiones raro sine turbis, quod CP. episcopi res consiliaque promovit.

VII. Legati summi pontificis, quod diximus, cum cernerent ea fieri in detrimentum disciplinæ ecclesiasticæ, et Romanæ sedis injuriam, canoni Chalcedonensi contestatione publica contradixerant. Leo ipse persuaderi non potuit ut decretum hoc confirmaret, neque imperatoris, neque Augustæ, neque Juliani Coensis legati sui, neque Patrum Chalcedonensium sollicitis precibus; immo resistere omnibus modis instituit, et validissimis rationibus hoc decretum infringere.

Primo asserebat coactam synodum ad fidem vindicandam perfidiamque Eutychianam perimendam, B non ad serviendum Anatolii cupiditati: *Quibus inauditis et numquam antea tentatis ita prævenitis excessibus, ut sanctam synodum ad exstinguendam solum hæresim et ad confirmationem fidei catholicæ studio Christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, et ut conniventiam tibi det, impellas* (*Epist.* 80, *nunc* 106, *ad Anatol.*, c. 2). Episcopos deinde arguit vel promissis illectos, vel minis territos. *In totius*, inquit, *Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio: quæ ita abuti voluit concilio synodali, ut fratres in fidei tantum negotio congregatos, et definitione ejus causæ quæ erat curanda perfunctos ad consentiendum sibi depravando traduceret, aut terrendo compelleret* (*Ibid.*, c. 3). Tertio consilia Anatolii ad perturbationem et Ecclesiæ **524** scandalum tendere. *Sapienter*, inquit, *intellige, quale sit Dei judicium subiturus, qui tot Ecclesiis, tot sacerdotibus scandalum inferre non metuit* (*Ibid.*, c. 5); et postea: *Si* C *inconcessa quæsieris, ipse te tuo opere atque judicio universalis Ecclesiæ pace privabis* (*Ibid.*, c. 6). Quarto canones Nicænos violatos contemptosque sæpius inculcat. *Doleo etiam*, inquit, *in hoc dilectionem tuam esse progressam, ut sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere; tamquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit; ut, his locis juri tuo subditis, omnes metropolitani episcopi proprio honore priventur.... Nimis ergo hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria* (*Ibid.*, c. 2).

In multis Nicæni concilii decreta violata ab Anatolio patet. Canon quippe 6 Nicænus quasdam provincias jubet sui esse juris, et suis synodis regi; hocque notum ubi Alexandrinæ et Antiochenæ Ecclesiæ jura asseruntur. Sic in canone: ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιοχείαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς Ἐκκλησίαις. *Similiter autem et apud Antiochiam cæterasque provincias sua privilegia serventur* D *Ecclesiis.* Provincias illas Pontum, Asiam, Thraciamque fuisse canon 2 CP. synodi explicat, quarum jurisdictionem Anatolius invaserat. Præterea CP. episcopus secundum post Romanum episcopum sibi arrogaverat locum, et Alexandrinum episcopum ad tertium, Antiochenum ad quartum locum detruserat. Id quoque contra synodum Nicænam, ubi honorem suum singulis Ecclesiis servari olim constitutum. Jura quoque exarchorum metropolitarumque abolita. Heracleensis metropolita **525** seu exarchus Thraciæ spoliatus sua jurisdictione ab CP. episcopo. Primum ipsi Constantinopolis subjecta; subinde mutato rerum ordine ipsi subjectus per usurpationem episcopi Constantinopolitani, qui per speciem primi post Romanum episcopum honoris, Heracleensem et jure synodis suæ provinciæ præsidendi, et jure ordinationum sensim exuerat; hocque S. Leo redarguit. *Non convellantur*, inquit, *provincialium jura primatuum* (*Ead. ep.*, c. 5). De exarchis Thraciæ, Asiæ, et Ponti loquitur; quibus subjecti suarum diœceseon metropolitæ. S. Leo subjungit: *Nec privilegiis antiquitus institutis metropolitani fraudentur antistites*; hoc attinet ad metropolitas tribus his exarchis subjectos. Prosequitur pontifex noster: *Nihil Alexandrinæ sedi ejus, quam per sanctum Marcum evangelistam B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis; nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque, in qua primum prædicante B. apostolo Petro, Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret; ut in tertio gradu collocata numquam se fiat inferior.*

VIII. Anatolius aliique Patres, qui Chalcedone canonem 28 condiderant, canone 3 Constantinopoli edito sub Nectario, decretum Chalcedonense defendebant. Sed ejus vim multis Leo destruere conatur, asserens ea in notitiam Romani pontificis non venisse, nec ullius esse momenti quæ in ipsa sua origine vana irritaque sunt. *Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta conscriptio, numquamque a prædecessoribus tuis ad apostolicæ sedis transmissa notitiam; qui ab initio sui caducæ dudumque collapsæ, sera nunc et inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in sui injuriam verecundia fatigata præberet* (*Eadem epist.*, c. 2). S. Leo canonem CP. non quidem suppositum, sed ignotum conqueritur, neque renuntiatum apostolicæ sedi. Lucentio aliisque legatis ignoratum ex Actis Chalcedone liquet: nam Lucentius negavit inter acta synodica reperiri. (a) *Accedit*, inquit, *ad cumulum, quod 318 constitutionibus posthabitis, centum quinquaginta, qui in synodicis canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur.* Sed postquam lectus ex actis canon Constantinopolitanus, nihil ulterius dicere contra ausi sunt. Scio esse aliquos qui a Damaso decretum CP. repudiatum scribunt; sed hæc qui conveniunt cum iis quæ a S. Leone, qui ab apostolica sede ignoratum fuisse asserit, nec de Damasi contestatione quidquam habet, quod certe omittere non debuerat?

526 IX. Arguit deinde S. Leo canonem Chalce-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

tibus imperatore et senatu, quibus episcopi Orientis plurimum deferebant. Ii quorum intererat ne sedes Constantinopolitana eveheretur, vel aberant, vel se opponere non audebant. Dioscorus Alexandrinus episcopus depositus fuerat, nec successor ejus ordinatus; nullique Ægyptii inter eos qui actioni subscripsere memorantur. Maximus Antiochenus ab Anatolio ordinatus, eidem debebat plurimum. Juvenalis Jerosolymitanus, cum contra Nicænos canones jus in tres Palæstinas obtinuisset, resistere non poterat uri quod Constantinopolitano non absimiliter tribuebatur, Heracleensis Thraciæ primas non interfuit, ejusque vice subscripsit Lucianus Byziæ, qui Anatolio tam erat addictus, ut hac ipsa in causa ab eodem Romam legatus fuerit. Bassiano et Stephano depositis nullus erat Ephesinus Asiæ primas. Solus Thalassius Cæsareæ Cappadociæ adfuit; sed per summam gratiam inter episcopos receptus, non subscripsit, iisque verbis in ipsa actione usus est, quæ quid significent, ignoretur. Nullæ opportuniores circumstantiæ incidere poterant, in quibus Anatolius rem suam in concilio perficeret.

(a) Φαίνεται προσεσωρεῦσθαι τοῖς ὅροις τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτώ, καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα ἑκατὸν πεντήκοντα τῶν μνημονευθέντα, μὴ ἐμφερόμενα δὲ ἐν τοῖς συνοδικοῖς κανόσι ταῦτα φάσκουσιν ὡρίσθαι. *Act.* 16 *Chalced.*

donensem ab excellentia præstantiaque Nicænæ synodi 318 Patrum, cujus auctoritas nulla vi decretoque nullo concuti potest. *Tamquam*, ait S. Leo (*Ead. epist.*, c. 2), *refutari nequeat quod illicite voluerit multitudo; et illa Nicænorum canonum per Spiritum vere sanctum ordinata conditio in aliqua cuiquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem et octo episcopis, quantumlibet copiosior numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre; cum tanto divinitus privilegio Nicæna synodus sit consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum.* Quod sæpius in epistolis repetit; immo et in eadem hæc: *Sancti illi et venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos et in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt; et si quid umquam aliter quam illi statuere, præsumitur, sine cunctatione cassatur* (*Ead. epist.*, c. 4). Ex quibus patet summa in veneratione fuisse Nicænos canones, tum propter eorum auctoritatem sanctitatemque qui eos condiderunt, tum propter fidem quam etiam periculo capitis et sanguinis pretio fortiter professi erant, legesque ecclesiasticas quas a viris apostolicis haustas confirmarunt. Hinc magnificum illud Leonis de eo concilio judicium cujus se prædicat exsecutorem custodemque, hujusque decretis ut contradicat, in gratiam Anatolii nullis modis adduci se posse fatetur. *Qui*, Anatolius, inquit (*Epist.* 78, *nunc* 104), *etiamsi præcipuis meritis optimoque judicio legitime fuisset ac solemniter ordinatus, contra reverentiam tamen canonum paternorum, contra statuta Spiritus sancti, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragiis adjuvari*; et iterum (*Ibid.*): *Privilegia Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis synodi fixa decretis nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate violari; in quo opere, auxiliante Christo, fideliter exsequendo necesse est me perseverantem habere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, et ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, connivente violentur.* Super hæc Petrus de Marca Tolosanus archiepiscopus annotat S. Leonem ideo repudiare canones Chalcedonenses, quia contra canones Nicænos scripti erant. *Non ergo*, inquit ille celebris, *illo nomine statuta concilii Chalcedonensis Leo reprobat,* (a) *quasi* **527** *nullas habitura vires essent, nisi prius illi collibuisset; sed nullitatem dicti canonis ex repugnantia canonum Nicænorum petitam declarat; magnifico sane et illustri primatus, seu principatus sui privilegio, sed quod ad superiorem in corpus definitionesque concilii exercendam auctoritatem extendi et porrigi non debeat. Si enim rite de quæstione aliqua Nicænis regulis nondum decisa synodus Chalcedonensis statuisset, tantum abest ut Leo constitutioni illi destitutus vitio nullitatis opponendæ refragatus fuisset, quin potius gestorum synodalium approbatione concilii sententiæ* (b) *ex officio adhæsisset.* Quod eleganter Leo pontifex insinuat in epistola ad Maximum Antiochenum (*Epist.* 92, *nunc* 119, *cap.* 5), *hoc de negotio loquens: Quidquid enim præter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem; si nihil de eo est a SS. Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutione discordat apostolicæ sedis numquam poterit obtinere consensum.* Hæc eruditus archiepiscopus.

X. Anatolius jura quoque sibi attributa tuebatur dignitate et amplitudine urbis regiæ; quam rationem S. Leo minime admittit, quia jus patriarchicum ortum non modo ex regia civitate, sed et ex apostolica sede: *Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem* (*Epist.* 78, *nunc* 104, *ad Marcian.*, c. 3). Etsi in politia ecclesiastica primarum civitatum ratio est habita, jus tamen patriarchicum Romæ, Alexandriæ et Antiochiæ civitatibus, non tam assertum est, quia primariæ nobilissimæque civitates erant, quam quia derivatum ex institutione apostolica, veterique, ut Nicæna synodus habet, ac longa consuetudine; quod nullo modo ad sedem Constantinopolitanam pertinet, cujus jura ante sexaginta circiter annos in concilio CP. **528** primum decreta sunt; idque redarguit S. Leo. *Superbum nimis est*, ait (*Epist.* 79, *nunc* 105, *ad Pulch.*, c. 2), *ut venerabilium Patrum decreta solvantur, quorumdam episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum. Nam sexagesimus fere annus hujus conniventiæ esse jactatur, quo se prædictus episcopus æstimat adjuvari.* Addit Leo, nullum consecutum effectum, non quod episcopus Constantinopolitanus hujus vi sedendi honore non sit potitus in Oriente, sed quod jus illud in Occidente non sit agnitum. Quoniam vero secundi honoris locum episcopo CP. tributum jam ab initio synodi Chalcedonensis approbarant legati Leonis, eumdemque in pseudosynodo negatum a Dioscoro conquesti erant, hoc est cur S. Leo, si quid ab ejus legatis permissum admissumve sit, id penitus rescissum declarat: *Si quid sane ab his fratribus quos ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Quam rationem Leo non adhibuit, quia in Nicænorum canonum observantia insistens, ea non indigebat, certam præsumpserunt Patres Chalcedonenses, quando canonem pro Constantinopolitana sede editum, licet Nicænis contrarium, ratum futurum crediderunt, si Leoni collibuisset; unde confirmationem ejusdem uti omnino necessariam enixe petierunt. Vide epist. 98, 101 et 132, c. 4. Illud porro S. pontifici certum erat, citra periculum animæ Nicænis canonibus a tota Ecclesia veneratis non temere derogandum, nec præjudicium inferendum apostolicarum Ecclesiarum et antiquarum metropoleon privilegiis tanto concilio confirmatis, ut Constantinopolitani episcopi novitiis ausibus et ambitioni faveretur. Cum pacis bonum et fidei studium suasit, non dubitavit dispensatione quadam œconomica a rigore eorumdem canonum recedere, uti cum in communionem recepit Maximum Antiochenum, licet contra Nicænos canones fuisset ordinatus; et ex hac unica Leonis dispensatione in ipsa Chalcedonensi synodo idem Maximus uti verus Antiochenus episcopus receptus fuit, quemadmodum vidimus annot. 26 (*Supra col.* 266, n. c) in annum præcedentem. At ad Nicænum canonem abrogandum insignis aliqua causa, ad bonum publicum, aut necessitatem Ecclesiæ pertinens, requiritur, quam cum in casu Constantinopolitani canonis Leo non videret, a Nicænis regulis non desciscendum credidit, ea ratione allata: *Quia dispensatio mihi credita est*, etc. Potestas nimirum pontificis summa quidem est; at cum in ædificationem, non autem in destructionem collata fuerit, canonicarum legum, quæ in Ecclesia vigent, observantiam promovere debet, non autem absque justa causa et ratione eas abrogare. Etsi ergo Leo absoluta potestate canonem Chalcedonensem confirmare potuerit, et Nicænis canonibus derogare, uti Patres Chalcedonenses postulabant, non tamen debuit temere ac sine maxime justa causa, quæ non ita ipsi videbatur justa, uti a petentibus præferebatur; et idcirco verissime scripsit: *Ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum... me, quod absit, connivente violentur.*

(b) Formula *ex officio* debitum significat. Cum autem petitur approbatio gestorum quæ possunt aliquam dijudicandi habere rationem, ipsa petitione liberum examen et libera approbatio præsumitur.

apostolica sede sunt directi, ut excisis erroribus catholicæ essent fidei defensores (*Epist.* 92, *nunc* 119, *ad Maxim. Antioch.*, *c.* 5). Anatolii denique consilia criminatur, quod aliorum jura invadere sit agressus capta occasione temporis, quo uterque primatum Orientalium, vel a fide desciscens, vel fidei patrocinium deserens sua indignus prærogativa suoque ordine videbatur : *Tamquam opportune se tibi tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit; ut his locis juri tuo subditis omnes metropolitani episcopi proprio honore priventur* (*Epist.* 80, *nunc* 106, *ad Anatol. c.* 2). Deinde subjungit: *Aliud sunt sedes, aliud præsidentes... nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis* (*Ibid.*). Nefas præterea id esse probat **529** multorum jura distrahere, metropolitasque complures sua spoliare potestate, ut Anatolii dignitas accrescat, et antiqua consuetudine neglecta unius serviatur cupiditati : *Ad meum tendit reatum... si major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas* (*Epist.* 78, *nunc* 104, *c.* 3); et iterum : *Superbum nimis est et immoderatum ultra proprios terminos tendere, et antiquitate calcata alienum jus velle præripere, atque ut unius crescat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus* (*Epist.* 79, *nunc* 105, *c.* 2). Hæc et alia ejusmodi S. Leo contra Anatolium. Quæ secuta, suo ordine infra prosequemur.

XI. Eodem anno quo hæc Leo tractabat cum Orientalibus, epistolam accepit a Theodoro Forojuliensi in Galliis episcopo, consultusque est ab eo de pœnitentiæ disciplina : cui respondet (*Epist.* 83, *nunc* 108), indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum non posse obtineri; peccatoribus per pœnitentiæ actionem eluenda esse delicta, ut deinde ad communionem admittantur. Iis vero, quos instans periculum aut morbi vis premit, non denegandam reconciliationem, si petierint, aut petiisse antea circumstantium fidelium testimonio comprobentur. Neque hic omittam dicere quod S. Leo redarguit hunc episcopum, quoniam non prius consulto metropolitano ad se accedat : *Quia in causis*, inquit, *quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet inquiri.* Tantus erat æqui amor Leonis menti insitus, ut nihil de coepiscoporum suorum juribus decerptum vellet, vel suam alienæ diminutione crescere dignitatem.

XII. Eodem quo hæc gerebantur anno, Attila, re male gesta in campis Catalaunicis, per Pannonias in Italiam venit, regiasque civitates Aquileiam, Ticinum, Mediolanumque cepit et diripuit. Elatus deinde rerum successu Romam properabat. Jam tota civitas trepidare. Tum Valentinianus, quoniam vi et armis repellere hostem nequibat, avertere periculum consilio cœpit. Mittit S. Leonem, et viros clarissimos dat comites. Ecce magnus pontifex ad Attilam venit, verbis demulcet ferocem animum, iram frangit eloquentia, pacem recipere persuadet, et discedere ex Italia compellit; quod descriptum fusius legitur in Chronico Prosperi ex mss. codicibus Sirmundi et Chiffletii edito ab Andrea Duchenio: Herculano et Sporatio coss., *Attila redintegratis viribus quas in Gallia amiserat, Italiam ingredi per Pannonias intendit, nihil duce nostro Aetio secundum prioris belli opera prospiciente, ita ut ne clusuris quidem Alpium,* **530** *quibus hostes prohiberi poterant, uteretur; hoc solum spei suis superesse existimans, si ab omni Italia cum imperatore discederet. Sed cum hoc plenum dedecoris et periculi videretur, continuit verecundia metum, et tot nobilium provinciarum latissima eversione credita est sævitia et cupiditas hostilis explenda : nihilque inter omnia consilia principis ac senatus populique Romani salubrius visum est, quam ut per legatos pax truculentissimi regis expeteretur. Suscepit hoc negotium cum viro consulari Avieno et viro præfectorio Trigetio beatissimus papa Leo, auxilio Dei fretus, quem sciret numquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum est quam præsumpserat fides. Nam tota legatione dignanter accepta, ita summi sacerdotis præsentia rex gavisus est, ut bello abstineri præciperet, et ultra Danubium promissa pace discederet.* Inter comites S. Leonis Cassiodorus (*a*) patrem Carpilionem annumerat (*Var. lib.* I, *epist.* 4), et principem legationis et auctorem pacis, nimius amans paternæ gloriæ, nominat. Sed scriptores omnes, et ipse in Chronico id acceptum summo pontifici referunt: *Cum Attila*, inquit, *a Valentiniano imperatore papa Leo directus pacem fecit.* Addunt aliqui Attilam rogatum cur facile cessisset, respondisse territum se prodigio; nam dum Leo loqueretur, vidisse senem venerabili aspectu, habitu sacerdotali, gladio minitantem, nisi Leoni obtemperaret; eumdemque horrore concussum tamquam exhaustis viribus concidisse. Verum hæc relata a sequioris ævi scriptoribus apud veteres non invenio, non apud Jornandem, Theophanem, Suidam, Marcellinum Comitem, Cassiodorum, Anastasium, Hermannum contractum, Marianum Scotum, Martinum Polonum; non apud Prosperum, qui Romæ versabatur, Leonique aderat et rem totam accurate descripsit. Non enim Attilam scribunt ostento perculsum, sed eloquentia præsentiaque Leonis mitigatum referunt. *Nam tota legatione dignanter accepta*, inquit Prosper, loco supra laudato, *ita summi sacerdotis præsentia rex gavisus est, ut bello abstineri præciperet. Placida ei legatio*, inquit Jornandes (*De Rebus Geticis, c.* 42), *a Roma advenit. Nam Leo papa per se ad eum accedit in agro Veneto Ambuleio, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione transitur: qui mox deposuit excitatum furorem, et rediens qua venerat, ultra Danubium promissa pace discessit.* Historia Miscella eadem prope, nec plura. *Leo Magnus*, inquit, *missu Valentiniani imperatoris ad eum accessit, eumque adeo mitem reddidit, ut illico promissa pace firmissima ultra Danubium non rediturus abierit.* Cassiodorus **531** eloquentiæ viribus victum barbarum, non ostento territum, narrat; sed patrem suum, quod diximus, rei auctorem, non Leonem prodidit: *Invenit regem superbum, sed reliquit pacatum : et calumniosas ejus altercationes tanta virtute destruxit, ut voluisset gratiam quærere, cui expediebat pacem cum regno ditissimo non habere... Pacem retulit desperatam, cujus legatio quid perfecerit datur intelligi, quæ tantum est gratulanter accepta, quantum et videbatur optata.*

XIII. Ipse Leo (*b*) in sermone 81 (*nunc* 84), de Octava apostolorum, corda furentium barbarorum mitigata narrat, non territa. Unde igitur terrificæ visionis narratio manavit, et in Breviarii Romani lectiones irrepsit? Refertur a Sigeberto Gemblacensi. Laudatur etiam in eam rem a cardinale Baronio *Paulus Diaconus in historia rerum Romanarum, quam posuit appendicem ad Eutropium.* Sed junior profecto uterque scriptor (cum hic octavo sæculo, ille duodecimo vixerit) quam ut fidem, nullo antiquiore suffragante, mereatur. Sed et ex Paulo Diacono mirum est patrocinium huic historiæ parari ab eminentissimo Annalium conditore ad hunc ann. 452, num. 58. Appendix enim ad Eutropium, quam laudat ascribit-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Carpilio non Cassiodorii pater, sed Aetii magistri militum filius fuit, qui una cum patre Cassiodorii tribuno notario ad Attilam legatione functus est ex lib. I Var. Cassiod. epist. 4. Cum porro ex integro Chronico Prosperi Avienus et Trigetius Leonis comites fuerint, legationem Carpilionis et patris Cassiodorii diversam et anteriorem fuisse colligere licet.

(*b*) Hæc quæ traduntur sermone 81, nunc 84, non ad Attilæ, sed ad Vandalorum irruptionem pertinere ipse Quesnellus probavit in annotatione ad eumdem sermonem, quam admonitioni eidem præmissæ inseruimus

que Paulo Diacono, ipsa est Miscella Historia, quam A idem scriptor ad eumdem annum, num. 54, Diacono illi abjudicat; hujusque revera non esse probat Philippus Labbeus in dissert. hist. de Script. Ecclesiasticis. Quovis porro auctore gaudeat opus istud, antiquiores pleræque ejus editiones visionem illam non habent, sive illæ quæ ex Bongarsii, Amerbachii, Pithœorumque fratrum mss. codicibus prodierunt, sive quæ aliorum cura sunt emissæ. Unus Janus Gruterus, qui historiæ Augustæ scriptores Latinos minores in unum corpus collegit, Miscellam Historiam multo quam antea prodierat auctiorem exhibet *ex Palatinis membranis, notæ* (ut quidem scribit vir doctissimus) *prorsus electæ, Saxonicis litteris ante septingentos minimum annos exaratis*. A tanti viri mente ægre divellor: non videntur tamen adjectitii hujusmodi panni auctoritate codicis unius contra plurimorum fidem tanti faciendi, præsertim cum multa his contineantur quæ scriptoris imperitiam arguant. Inter hæc sunt, quod Aquileiam toto triennio ab Attila obsessam narret; quod sancti Germani legationem in Britanniam post B Aquileiam captam contigisse significet; quod sanctum Paulinum Nolæ episcopum post vastatam a Vandalis Italiam (quæ vastitas anno 455 et 56 contigit) semet in captivorum redemptionem expendisse narret; cum viginti et amplius jam ab annis **532** obiisset sanctus antistes, et hanc de ipso historiam merito falsi arguant hac tempestate viri eruditi. Cætera aliis discutienda relinquimus: hoc interim pro certo habentes, isthæc additamenta Miscellæ Historiæ aliena manu inserta videri, partim ex Jornande accepta, partim ex incertis scriptoribus, vel etiam ex falsis rumusculis. Quod de insititia narratione quam discutimus, in primis credendum, quam scilicet ita ille exorditur ac prosequitur: *Ferunt itaque post discessum pontificis interrogatum esse Attilam a suis cur ultra solitum morem tantam reverentiam Romano papæ exhibuerit, quandoquidem pene ad omnia quæ ille imperasset obtemperarit. Tum regem respondisse non se ejus qui advenerat personam reveritum esse, sed alium* C *se virum juxta eum in habitu sacerdotali astantem vidisse, forma augustiore, canitie venerabilem, eumque evaginato gladio sibi terribiliter mortem minitantem, si non cuncta quæ ille expetebat explesset.* Non his certe terriculamentis eguisse videtur Attila, ut ab oppugnandæ urbis consilio revocaretur, in quo jam plurimum fluctuabat, a suis videlicet deterritus, et de successu expeditionis parum ipse sibi confidens, satis sibi esse ad gloriam æstimans, quod supplices ac subjectos coram se pontificem proceresque Romanos haberet. Hanc barbari fluctuationem Jornandes, qui Justiniani imperatoris tempore claruit, graphice describit, firmatque Prisci historici auctoritate. *Cum*, inquit, *ad Romam animus fuisset ejus attentus accedere, sui eum, ut Priscus refert historicus, removere, non Urbi, cui inimici erant, consulentes, sed Alarici quondam Vesegotharum regis objicientes exemplum, veriti regis sui fortunam, quia ille post fractam Romam diu non supervixerat, sed protinus rebus excessit humanis. Igitur dum ejus animus ancipiti negotio inter ire et non ire fluctuaret, secumque deliberans tardaret, placida ei legatio a Roma advenit. Nam Leo papa*, etc. Eadem referuntur et in ipso Palatini codicis additamento, ex Jornande procul dubio accepta, cum eadem fere verba usurpentur. Unum denique addam, Jano Grutero, etsi in adjectitios hujusmodi pannos inclinatiori facto, religionem fuisse hos in ipsum Historiæ Miscellæ contextum conjicere, sed inter suas ad opus istud notas amandasse, quod incerti de ista additione judicii nonnullum indicium est.

XIV. Utut sit, certum est legationem Leoni honorificam, et divinitus liberatam civitatem, et beatorum apostolorum præsens auxilium Romam sensisse: quod ipse sanctus Leo, ut dixi, ad populum concionem habens retulit; hacque occasione amovet populum **533** a spectaculis, et contra ad venerationem beatorum martyrum adhortatur. *Religiosam*, inquit (*Serm. 81, nunc 84, in Oct. apost.*), *devotionem, dilectissimi, qua ob diem castigationis et liberationis nostræ cunctus fidelium populus ad agendas Deo gratias confluebat, pene ab omnibus fuisse neglectam, ipsa paucorum, qui adfuere, raritas demonstravit, et cordi meo multum tristitiæ intulit, et plurimum timoris incussit. Magnum enim periculum est esse ingratos Deo, et per oblivionem beneficiorum ejus, nec de correptione compungi, nec de remissione lætari.* Et iterum: *Pudet dicere, sed necesse est non tacere: plus impenditur dæmoniis quam apostolis, et majorem obtinent insana spectacula frequentiam quam beata martyria. Quis hanc urbem reformavit saluti? Quis a captivitate eruit, quis a cæde defendit? Ludus circensium, an cura sanctorum? quorum utique precibus divinæ censuræ flexa sententia est; ut qui merebamur iram, servaremur ad veniam.* Sic demum concludit: *Revertimini ad Dominum intelligentes mirabilia quæ in nobis dignatus est operari, et liberationem* **534** *nostram non, sicut opinantur impii, stellarum affectibus, sed ineffabili omnipotentis Dei misericordiæ deputantes, qui corda furentium barbarorum mitigare dignatus est.*

Tantæ rei fama universum orbem pervasit, ejusque memoria in Orientalibus etiam partibus usque ad seram perseveravit ætatem; ita ut cum Orientales diu post scriberent ad Symmachum papam, opemque ac communionem ab eo poscerent, non alio magis exemplo charitatem ejus accendendam esse putaverint, quam Leonis nostri Attilam convenientis fidentisque. *Si enim*, inquiunt (*Epist. Oriental. post. 8 Symmachi PP.*), *qui præcessit beatitudinem tuam inter sanctos constitutus Leo archiepiscopus ad Attilam tunc erronem barbarum per se currere non duxit indignum, ut captivitatem corrigeret corporalem, nec tantum Christianorum, sed et Judæorum* (*ut credibile est*) *atque paganorum; quanto magis festinare ad tuam attinet sanctitatem, non ad corporeæ, quæ bello fit, captivitatis correctionem atque conversionem, sed animarum quæ captivatæ sunt, vel quotidie captivantur* (*a*)?

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Post epist. 108, ad Theodorum Forojuliensem D datam III id. Junias, nulla epistola hoc anno recensebatur. Nos ex ms. Ratisponensi eduximus epistolam 109, ad Julianum Coensem datam die 25 Novembris, ac propterea Leonis legationem ad Attilam intermedio tempore, quo nullas ejus litteras habemus, contigisse satis verisimile est. Qui enim hanc legationem assignant circa paschale tempus anni 452, nullo fundamento nituntur. Immo vero cum Leo paulo post suorum legatorum e concilio reditum, cujus mentionem facit epist. 103, scripta ad Gallos sub finem Februarii, vel sub initium Martii hujus anni 452, Lucianum et Basilium legatos Constantinopolitanos receperit, qui cum eodem pontifice multis egerunt de Constantinopolitanæ sedis prærogativa; hi autem legati Constantinopolim remissi fuerint cum quatuor epistolis 104, 105, 106 et 107, scriptis die 22 Maii (confer annot. 1 [*Tom. praeced. col. 987, n.* [m]] in epist. 103), ante hoc tempus Leonem Roma discessisse, ut Attilæ occurreret, et cum eo de pace tractaret, nullum indicium, nulla probabilitas est. Porro Julianus Coensis sub initium an. 453 ad Leonem litteras dedit, quibus de malis Italiæ illatis ab Attila cum pontifice ita condoluit, ut ea mala jam exacta, et idcirco legatio quoque Leonis terminata noscatur, quemadmodum colligere licet ex ipsius Leonis responsione epist. 113, data die 11 Martii an. 453. Igitur hæc Leonis legatio commode ascribenda est sub medium circiter annum 452, et certe ante diem 25 Novembris. Dein ex laudata ad Julianum epist. 109 didicimus hunc Leoni significasse Palæstinorum monachorum turbas tum litteris contra concilium Chalcedonense, et contra ipsam Leonis definitionem scriptis, tum violentis etiam adversus catholicos et contra

ANNUS CHRISTI 453; — LEONIS PAPÆ 14; — VALENTINIANI 29, MARCIANI 4, IMPP.; — OPILIONE ET VINCOMALO COSS.

I. Leo Magnus non tam facile superbiam Anatolii quam Attilæ ferociam frangere potuit. Nam ille exacerbatus repulsa et summi pontificis litteris, ad odium et turbandam Ecclesiam animum adjecit. Favere hæreticis cœpit, deosculari eos qui Eutychem Dioscorumque defenderant; contra persequi Flaviani amicos, adversari iis quos vindices fidei sciebat. Erat per ea tempora Constantinopoli Aetius officio archidiaconi et fide clarus : hunc ab officio removere statuit Anatolius, quia eo munere qui fungebatur, ejus retardare consilia poterat, vel promovere. Nam qui honorem hunc gerebat, plurimum in Ecclesia poterat. Præerat collegio diaconorum : ejus erat res Ecclesiæ commodaque curare, ex bonis Ecclesiæ suas cuique clericorum portiones distribuere, jus **535** in presbyteros ruris exercere, inter urbanos lites dissidiaque componere; aliaque sunt ejusmodi quæ plurimum id muneris commendabant. Ratus igitur Anatolius sua interesse suo beneficio creari archidiaconum, Aetium dimovet ab hoc munere. Sed quia et fidei et integritatis spectatæ erat, ne videretur immeritum plectere, per speciem honoris presbyterum vel renitentem ordinat; arcetque ea ratione ab archidiaconatu, quia diaconis præfici non nisi diaconus solebat. Addit præterea exsilium, prætexens administrationem cœmeterii, cui eum deputat : in ejusque locum præficit Andream, antea propter hæresim depositum, quia Eutychis Dioscorique partibus addictus fuerat. Horum statim Leo admonitus est a Juliano Coensi, qui tamquam in specula positus in Oriente rebus fidei advigilabat, continuoque litteras ea de re ad Marcianum, Pulcheriam, Julianumque Coensem mittit; conqueriturque dolosam amotionem Aetii, cujus fides nota, mores integri; fraudemque Anatolii, qui hunc speciosa promotione deposuerat : *Qui non inveniens quod argueret in fide quod improbaret in moribus, dejectionem innocentis per speciem provectionis implevit : addens in sententia illud injuriæ, ut eum cœmeterio deputando, quodam damnaret exsilio* (*Epist.* 84, *nunc* 111, *cap.* 2). Arguit quoque ordinationem Aetii non legitimo die factam : quia feria sexta, non, pro more, die Dominico vel post noctis sabbati initia : *Adeo nimia commotione turbatus ut consecrationem, quam pro injuria dabat, sexta sabbati, traditionis apostolicæ aut nescius aut oblitus inferret, quasi non ad episcopum magis quam ad presbyterum ordinationis illius vitium pertineret* (*Ibid.*). Videtur mos iste apostolicæ traditioni adversus tunc temporis Orientales passim Ecclesias infecisse; eum enim jam in Ecclesia Alexandrina inolitum redarguit Leo noster in epistola ad Dioscorum. Forsan etiam hoc ex consilio vitium in ordinatione Aetii voluit intervenire Anatolius; ut ejus depositioni olim locum daret, quem non promovendi, sed potius dejiciendi A animo in presbyterum consecrabat. Nostræ huic suspicioni favent ultima Leonis verba, quibus significat vitium istud Anatolio, non Aetio, imputandum *quasi non ad episcopum magis quam ad presbyterum ordinationis illius vitium pertineret*.

536 II. Quoniam vero Anatolius, ut a se hujus depositionis culpam amoveret, inquirebat in vitam Aetii, Leo scribit, si quid reprehensione dignum, id tutius dissimulandum propter fidem, quam subrogare in ejus officium hominem hæreticum : *Nam apud catholicum episcopum etiamsi erat quod quacumque de causa succensendum archidiacono videretur, propter fidei reverentiam debuit prætermitti, potius quam locum catholici nequissimus hæreticus obtineret* (*Epist.* 86, *nunc* 113, *ad Jul.*, *c.* 2). Eluit tamen Aetius calumnias. Unde sanctus Leo hæc postea : *Aetium presbyterum, quem asseris fuisse discussum, gratulamur cognitione habita in omnibus fuisse purgatum* (*Epist.* 100, *nunc* 127, *ad Jul.*, *c.* 3). Verum quanto plus Aetii partes amplectitur, tanto magis in Andream invehi- B tur, quem Eutychianistam appellat. *Quid causæ*, inquit (*Epist.* 84, *nunc* 111, *ad Marc.*, *c.* 2), *aut occasionis emerserit, ut virum catholicæ fidei, et Nestorianis et Eutychianis hæreticis constanter adversum Aetium archidiaconum sub honoris specie degradaret, et dispensationem totius causæ et curæ ecclesiasticæ in Andream Eutychianistam repente transferret?* qui partes hæreticorum etiam apud se susceperat, *qui Eutychianæ hæreseos se apud nos prodiderat defensorem* (*Epist.* 85, *nunc* 112, *ad Pulcher.*, *c.* 1); qui demum ob crimen illud dejectus ab ipso Anatolio fuerat : *Andreas*, inquit, *qui ob hæreticorum societatem fuerat abjectus, assumitur; quem ipse Anatolius professus est a se esse rejectum* (*Epist.* 86, *nunc* 113, *ad Jul.*, *c.* 1). Et ut est in epistola recens edita : *Qui reprobatione dignus fuerat judicatus* (*Epist. ad Pulcher. cit.*).

III. Verum quem exitum ea res habuerit dicam inferius. Unum hic asseram ex responsionibus Leonis ad Julianum Coensem, Aetium vexatum injuriis apud Leonem expostulasse de Anatolio; sed, opinor, Leo C intra querelas stetit, idque ex epistola quam primum evulgamus colligo : *Non est dubium hanc commutationem ad catholicorum injuriam pertinere : sed patienter interim ista toleranda sunt, ne mensuram* (a) *solidationis solitæ videamur excedere* (*Epist.* 88, *nunc* 117, *ad Jul.*). Rem Christianam quidem lædi Aetii depositione indicat; nihil tamen facturum acerbius, ne rem alterius agere contra canones Nicænos videatur. Enimvero cum Ecclesias suas episcopi ex sacris canonum regulis administrant, nihilque attentant quod ecclesiasticæ consuetudini sit adversum, *habent in Ecclesiæ administratione*, ait sanctus Cyprianus (*Epist.* 71 *ad Stephan.*) cum synodo Africana, *voluntatis suæ arbitrium liberum*, **537** *rationem actus sui Domino reddituri*. Quod et Gregorius Magnus profiteri non erubuit. *Cum culpa*, inquit (*Regist. lib.* VII, *epist.* 65), *non exigit, omnes secundum rationem humilitatis* (b) *æquales sumus*. Porro in negotio quod tracta-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

Juvenalem episcopum gestis excitatas, quarum notitiam ad pontificem serius pervenisse hactenus creditum fuit. Harum seditionum incentores ab imperatore compescendos, et exsilio a cæteris separandos Leo postulavit, sperans fore ut cæteri facilius resipiscerent, *si liberiores fuerint ab instigationibus petulantium magistrorum*. Epistolam S. Athanasii ad Epictetum eidem opponendam misit.

(a) Ex optimo codice Ratisponensi emendavimus *moderationis*. Ab hac autem moderatione, quæ Leoni etiam cum hæreticis usitata erat, ut mitiori via publico bono provideret, hoc quoque casu non recedendum credidit; eo quod eam utiliorem putaret, non vero eo quod non posset districtius agere in Anatolium, qui dum Aetio ab archidiaconatu remoto, Andream Eutychianæ hæreseos defensorem abs se antea abjectum ad archidiaconatus gradum promoverat, rem Christianam læserat. Quid hic obtruduntur Nicæni canones? Nonne promotio hominis hæreseos aliquando defensoris, et hac de causa depositi satis D culpabilis erat, ut justam animadversionem mereretur? Aetius jam presbyter in archidiaconatum revocari non poterat. Andream autem ab hoc gradu removeri S. pontifex voluit, nec alia ratione cum Anatolio res conciliata fuit. Vides igitur moderationem a Leone adhibitam pontificiæ auctoritatis usum non exclusisse, sed eo fuisse perductam, quo facilius et brevius fidei prospiceret, Anatoliumque ad idoneam satisfactionem adduceret.

(b) Romanus pontifex a Gregorio æqualis cæteris episcopis dicitur *secundum rationem humilitatis*, non autem jurisdictione, quo omnibus divino jure præsidet; ac propterea idem Gregorius in eadem epistola nunc 59 libri IX præmiserat : *Si qua culpa in episco-*

nius, nihil Ecclesiæ regulis contrarium apparebat; omnia speciosa erant : neque enim contra canonem est presbyterum facere ex archidiacono, et alterum subrogare. Etsi vero fides hujus non penitus probata, tamen dubiam tunc esse palam non erat. Aetio licet auctoritatis plurimum detrahebatur pro temporum illorum ratione, dignitatis tamen longe plus accedebat ex presbyterali gradu. Vix denique erat unde accusationis adversus Anatolium color quæreretur, penes quem arbitrium erat summaque potestas de Ecclesiæ suæ ministeriis ministrisque secundum canones decernendi. Nihil igitur ultra querelas Leo; in epistolis ad Marcianum et ad Pulcheriam, *ne mensuram solidationis solitæ videretur excedere*. Solis apud utrumque precibus egit, et adhortationibus, quibus ut Aetium adversus Anatolii insidias tutum faciant enixe deprecatur : monetque Julianum, *hoc Aetio pro tempore satis esse posse, quod clementissimorum principum favore munitur, quibus eum proxime litteris meis*, inquit, *ita commendavi, ut apud religiosissimas mentes gratiam ipsius augendam esse non dubitem* (*Epist.* 88, *nunc* 117).

IV. Aliam epistolam dedit ad Julianum Coensem episcopum (*Epist.* 86, *nunc* 113), in qua plurima rerum capita. Præmissa enim gratiarum actione, quod pio ei dolore compassus esset multa et sæva per Attilanam cladem experto, aliqua de Aetio et Andrea subjicit. Tum illi committit vices suas in comitatu. Nova res, nec anterioribus Ecclesiæ Romanæ pontificibus usurpata. Cujus (a) instituendæ exemplum habuit Alexandrini episcopi, cujus apocrisiarium Constantinopoli agebat Anatolius, antequam ad sedem Constantinopolitanam eveheretur. *Hæc enim consuetudo prædicti est*, ait breviculus Eutychianistarum de Alexandrino episcopo occasione Anatolii disserens, *ut ad comitatum in vicibus* **538** *clerici dirigantur, ne quid forte causæ vel necessitatis emergat.*

Quod Leo temporum necessitati serviens tunc instituit, postea tractum in exemplum apocrisiariis seu responsalibus pontificum occasionem dedit. Clericis aut presbyteris muneris istud creditum fuit priori ævo : eamque ob causam in primis institutum, edictisque imperatoriis sancitum, ne ad comitatum venirent episcopi; quod ex Justiniani novella 6, cap. 11, manifestum est. Res aliter modo se habet, cum episcopi ab Ecclesiarum suarum amplexibus avulsi ad remotissimas quasque regiones ablegantur, et a comitatu non recedere jubentur : immo non alio sæpe consilio pontificali ornantur dignitate, quam ut responsalium et apocrisiariorum munus obeant.

V. Ad Juliani vicariatum quod spectat, hujus institutionis causas et munera declarat. Scilicet se ideo suas supplere vices, ut videat ne hæresis serpat, non ut occupet regimen Ecclesiarum : *Ut, sequestrata earum actione causarum, quæ in quibusque Ecclesiis præsulum suorum debent cognitione firmari, hanc specialem curam, vice mea functus, assumas, ne hæresis vel Nestoriana, vel Eutychiana*

A *in aliqua parte revirescat* (*Ibid.*). Addit deinde se hoc illi conferre munus, quia Anatolius oscitanter fidei rem gerit : *Quia in episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est, nec multum aut pro sacramento salutis humanæ, aut pro sua est æstimatione sollicitus* (*Ibid.*). Ideoque adhortatur Julianum ut caveat ne quid detrimenti fides capiat; si quid erit periculi, Augustus adeatur, cujus fides celebrata, et ipse per litteras admoneatur : *Ut divino fultus auxilio specialiter de Constantinopolitanæ urbis opportunitate non desinas, ne prædictorum dogmatum impius unquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum principum fides, ut confidenter eis possis quæ sunt insinuanda suggerere, pietate ipsorum ad utilitatem Ecclesiæ universalis utaris* (*Ibid.*). Ad imperatorem pluribus commendat Julianum; scribit se suas illi vices commisisse ad pacis ecclesiasticæ custodiam : **539** *Nam et de fide ejus* (Juliani) *sinceritate confi-* B *dens, vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque, propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset exegi* (*Epist.* 84, *nunc* 111, *cap.* 3). Hujus quoque meminit in epistola ad Pulcheriam. In eadem epistola ad Julianum (*Epist.* 86, *nunc* 113, *cap.* 3) Leo ab eo sciscitatur de quibusdam chartis, quas Aetius presbyter significaverat prius missas esse; breviarium fidei quod miserat nondum accepisse; an (b) epistolam ad Flavianum, quam per Basilium diaconum miserat, acceperit. De Actis synodi Chalcedonensis *specialiter injungit ut in unum codicem universa faciat congregari, in Latinum scilicet sermonem absolutissima interpretatione translata : quoniam propter linguæ diversitatem parum clara apud Occidentales habebatur instructio*. Quærit de tumultu monasteriorum Palæstinæ. Sed iis, quoniam elucidatione indigent, paululum immorabimur. Epistolæ vero antea ineditæ, quas modo publicas facimus, ad illustrandam histo- C riam hanc non parum conferent adjumenti.

VI. Accisis rebus Dioscori, proscriptaque Chalcedone hæresi Eutychiana, complures monachi rem agi suam rati, quia archimandrita condemnatus, cui et professione vitæ et societate doctrinæ devincti erant; succensere vehementer cœperunt, primum clanculum, tum palam detestari decreta Patrum; defendere Eutychem, sumptaque audacia omnia rursus moliri, ut Eutychianismum assererent. Furere in primis Theodosius quidam monachus Palæstinus, qui Chalcedonem venerat, Eutychianæ factionis studio promovendæ, qua auctoritate apud monachos pollebat. Verum ubi vidit debellatum hæreticum quem fovebat, furenti similis in Palæstinam fugit ad monachos Jerosolymæ imminentes, adversos Chalcedonensi synodo rumores spargit, pessumdatam in synodo fidem (sic hæresim vocitabat) Juvenalemque Jerosolymitanum, qui prius Ephesi in Eutychis verba D juraverat, defecisse a fide. Hæc et alia ejusmodi modo insusurritans, modo palam vociferans turbulentas monachorum mentes excitat. Juvenalis Jerosolymitanus dimissa synodo, Jerosolymam rever-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

pis invenitur, nescio quis ei episcopus subjectus non sit. Excluso etiam crimine multa alia pro recto Ecclesiarum regimine summus pontifex præscribere potest vi ejusdem jurisdictionis quam Christo auctore institutam omnes catholici agnoscunt.

(a) Cum Leo vicem suam Juliano in comitatu commisit, non eo consilio commisit, ut Alexandrini episcopi, aut aliarum Orientalium insigniorum sedium exemplum sequeretur, Neque enim tunc Romana urbs, æque ac Orientales, imperatori Orientis suberat, apud quem pro variis causis ac negotiis agendis aliquo ministro indigeret. Id primum inductum sub Justiniano, qui non minus Orienti quam Italiæ imperabat; hucque referendum est responsalium et apocrisiariorum Romanæ Ecclesiæ institutio, quæ aliquem clericum ministrum apud proprium principem rebus multis necessarium invexit. Ea solum peculiari de causa Leo Julianum in comitatu vices suas gerere voluit, ut is fidei integritati apostolico zelo prospiciens caveret ne quid a Nestorianis vel Eutychianis catholica fides detrimenti caperet; et ut in hanc rem, ubi opus esset, imperatoris patrocinium et opem posceret. Ad id autem ea præsertim ratione motus fuit S. pontifex, quia in Anatolio Constantinopolitano episcopo eum catholicum vigorem, quem circumstantiæ postulabant, nequaquam perspexit.

(b) Verba Leonis epistolam 35 ad ipsum Julianum, non ad Flavianum significant, ut in hunc epistolæ locum idem Quesnellus in postilla marginali optime notavit.

sus est. **540** Ejus adventu vesana hominum factio exardescere in Juvenalem, tamquam in prævaricatorem fidei; omnes tumultuari, minitari mortem, ni revocet jurata Chalcedone decreta. Ille impar tot hostibus fugit Constantinopolim, dum motus tempore et mora conquiescunt.

Monachi, absente Juvenale, ut Evagrius insinuat, et aperte Nicephorus commemorat, vel eo præsente, ut habet epistola Marciani ad Alexandrinos monachos in Actis concilii Chalcedonensis, Theodosium monachum creant episcopum, deposito Juvenale; et pariter in sedes episcoporum, qui nondum Chalcedone redierant, quique fidem Chalcedonensem præsentia et votis confirmarant, aliosque suæ factionis homines episcopos subrogant. Postea Theodosius ad propagandam hæresim nihil reliqui facere; vel vi, vel voluntate, cogere omnes ad exsecrandam synodum Chalcedonensem; regionem cæde et sanguine implere; non presbyterorum, non episcoporum auctoritate retineri; immo instar ferocis belluæ grassari in omnes qui anathema dicere in fidem abnuerent. Tum Eudoxia Theodosii junioris illius uxor Jerosolymis degebat. Illa imbuta primum veneno Eutychetis, cui quondam adversus Flavianum faverat, multum ponderis et auctoritatis factioni attulit. An privatis in Pulcheriam odiis, an memoria Theodosii conjugis, sub cujus principatu Ephesi profligata fides? Certe hæc femina grave vulnus Ecclesiæ inflixit.

VII. De tumultu Palæstino Romæ (a) primum rumor vagus, inter episcopum et monachos graves iras exarsisse; sed latebat causa. Incertus Leo an pro causa fidei decertarent, Julianum Coensem rogat uti ad se scribat de eo negotio. *De Palæstinis*, inquit (*Epist.* 86, *nunc* 113, *cap.* 3), *monachis, qui jampridem in tumultu dissensionis esse dicuntur, quo adhuc animo moveantur ignoro: neque cujusquam sermone mihi patefactum est quas causas videantur antefatæ præferre discordiæ. Utrum scilicet Eutychianæ perversitati tali furore famulentur, an implacabiliter doleant episcopum suum in hanc impietatem potuisse traduci: quod contra ipsorum locorum sanctorum testimonia,* **541** *quibus totus mundus instruitur, ab incarnationis Dominicæ veritate desciverat; et quod in aliis per indulgentiam curari placuit, in illo putent non esse veniale. Unde cupio super his plenius edoceri.*

Dum hæc Leo scribit, ecce litteræ a Juliano Coensi, quibus totam hanc tragœdiam copiosius edocetur. Hoc sanctum pontificem consolatur, quod Marciano animus pro religione tuenda non modo Christianus, sed etiam sacerdotalis. Nam audito monachos duce Theodosio turbare Ecclesiam, Dorotheo Palæstinæ præfecto imperat nihil omittere ut rebelles monachos reprimat. Jubet mittere in vincula Theodosium seditionis facem. Dat deinde rescriptum, ubi conjuncta cum clementia auctoritas, cum majestate religio, modo mitigare rebellionem mansuetudine, modo tentat compescere imperio. Interim monachi Pulcheriam aggressi sunt, libellos supplices

A illi dirigunt; sed non æque facile ejus mentem atque oculos fascinant. Consentanea fidei, hæresi adversa rescribit Pulcheria. Leo hæc edoctus a Juliano, in responsione Augustum Augustamque laudat his verbis: *De edicto Christianissimi imperatoris, quo imperita quorumdam monachorum insania quid mereretur ostendit, et de responsione piissimæ Augustæ, qua monasteriorum præsules increpavit, multum me gaudere significo: non ignorans hunc ipsis fervorem fidei divina inspiratione conferri; ut omnes excellentiam ipsorum non solum regii culminis, sed etiam sacerdotalis appareat esse sanctitatis* (*Epist.* 88, *nunc* 117, *cap.* 2).

VIII. Julianus miserat exemplar edicti, ubi admirari licet sapientiam moderationemque principis, qui pacem esse vult in Ecclesia, nec tamen dissidentium voluntates cogere, nec vim inferre animis parat. *Ac nostra*, inquit, *clementia nulli penitus necessitatem præcepit imponi, quatenus aut subscriberet, aut consentiret invitus. Non enim terrore aut violentia aliquos volumus ad viam trahere veritatis.* Non enim impetu, B sed prudentia vitiis erroribusque animi medendum est: ejusmodi malum ingravescit, si durius acerbiusque tractes. Marciano (*Epist.* 89, *nunc* 115) et Pulcheriæ (*Epist.* 90, *nunc* 116) Leo grata rescribit: hocque consilium bene consulendi Ecclesiæ *fidei præclarum opus* vocat, gratulaturque Ecclesiæ, quod tales nacta principes, quibus potentia regia et sacerdotalis doctrina. *Quoniam*, inquit, *principibus nostri temporis non solum potentiam regiam, sed etiam sacerdotalem cognoscimus inesse doctrinam.*

542 IX. Quantum animi erat Marciano pro concilianda pace Ecclesiæ, ex eo intelligimus, quod ipse auctor fuerit Leoni, ut ad Eudoxiam scriberet, et persuaderet meliora. Audivit Leo prudens consilium, non litteris, ut reor, sed viva nuntii voce delatum. Ad (b) Eudoxiam continuo rescribit, egitque apud Valentinianum Eudoxiæ generum, ut et ipse per litteras adhortaretur ad suscipiendum fidei patroci- C nium. Hæc diu occulta per ineditam huc usque Leonis ad Julianum epistolam accipimus: *Et quia secretius mihi clementissimus imperator per filium nostrum Paulum mandare dignatus est, de admonenda filia nostra clementissima Eudoxia, feci quod voluit, ut litteris quam fructuosum ipsi foret si catholicæ fidei faveret agnosceret, et ut clementissimi principis filii sui litteris super hoc admoneretur obtinui, non ambigens ipsam quoque pio studio elaboraturam, ut auctores seditionum propositum suæ professionis agnoscant; ut si non intelligunt docentium prædicationem, saltem vindicantium timeant potestatem* (*Epist.* 88 *nunc* 117, *ad Julian.*, *cap.* 3).

X. Leonis litteræ ad Eudoxiam non supersunt; sed duæ sunt aliæ epistolæ quarum altera est ad Palæstinæ monachos (*Epist.* 97, *nunc* 124), altera ad Eudoxiam (*Epist.* 96, *nunc* 123). Monachis sacram Christi incarnationem pluribus præclare explicat, ad unitatem fidei pacemque Ecclesiæ eos adhortatur: D Eudoxiam vero rogat ut sua auctoritate monachorum hæreticam pravitatem non fulciat; immo ipsa

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Jam anno superiori S. Leo de Palæstinorum monachorum turbis adversus Juvenalem Jerosolymitanum episcopum excitatis, et de pravo horum consilio ex Juliani litteris satis instructus fuerat, uti ex epist. 109 nunc primum edita monuimus annot. 7 (*Supra*, *col.* 281, *n.* a), in annum præcedentem. Aliud vero nobis ignotum supervenisse dicendum est, ex quo in aliquam de eorum monachorum consilio dubitationem incurrerit, ita ut pleniorem instructionem ab eodem Juliano hoc anno postularit. Confer annot. 17 (*Tom. præced. col.* 1026, *n.* k) in epist. 113. Hic porro rerum gestarum circa hos monachos chronologia a Quesnello minus exacte profertur. Imperator ad compescendos Palæstinos tumultus an. 452 Dorotheo præcepit ut Jerosolymam præsidio muniret. Tum monachi supplicem libellum ad Pulcheriam Augustam direxere, quo de militibus conquesti, suum pravum sensum prodiderunt. Huic libello non solum Pulcheria, verum etiam imperator Marcianus respondens, exeunte an. 452, vel an. 453 ineunte, dedit ad eosdem monachos litteras, quibus mansuetudine primum et doctrina ac suasione utens, ipsos ad sanam mentem revocare studuit. At cum nihil hac mitiori via profecisset, Theodosium seditionis ducem capi et in carcerem conjici jussit: quod cum is præsensisset, fuga sese Palæstina subtraxit; eoque remoto, ac Juvenali restituto, sub finem ejusdem anni 453, turbæ compositæ sunt.

(b) Legendum *Eudociam* et hic et in sequentibus, ut liquebit ex annot. 6 (*Tom. præced. col.* 1067, *n.* b) in epist. 117.

sedulo laboret ut illi aliquando resipiscant, et mutata sententia, et condemnato Eutyche, eadem cum catholica Ecclesia profiteantur. Ex qua epistola intelligimus Eudoxiam prioribus litteris Leonis non rescripsisse, quia responsionis nulla ibi mentio est. Neque illa, puto, ex monitis Leonis quidquam profecit : constat enim Eudoxiam non rediisse ad Ecclesiam, nisi anno et amplius post restitutum sedi Juvenalem, cujus restitutionem Marciano et Pulcheriæ deberi testatur Leo, nulla Eudoxiæ facta mentione, quod non omisisset commemorare. Et quidem puto non nisi post duas suæ familiæ clades, Valentinianum occisum, Eudoxiam captam a Genserico, culpam agnovisse, et sancti Eutymii sermonibus edoctam, fidem catholicam esse professam. Hoc tamen forsan egerunt monita Leonis, ut redeunti Juvenali Eudoxia obicem non posuerit, monachosque, non adjuvando, pacatiores reddiderit.

XI. Dum hæc geruntur Jerosolymis, (*a*) Anatolius **543** per legatos Lucianum episcopum et diaconum Basilium certus Romæ non probari quæ Chalcedone pro sede Constantinopolitana definita, offensus repulsa, calumniari Leonem cœpit, clamque spargere ab sede apostolica rejectam synodum Chalcedonensem; quasi summus pontifex fidem abnueret, quia Anatolii superbiam retundebat; iisque artibus dissimulabat fallaciam, ut plures in errorem induceret. Hæretici facile credebant quod optabant, catholici quod timebant. Ipse Marcianus verbis Anatolii prope circumventus, ut rem edoceretur ab ipso Leone, ad eum scribit : percussam quidem hæresim Chalcedone, sed nondum debellatam; posse penitus profligari, si universis Ecclesiis Leo testetur se accipere synodum Chalcedonensem : *Quod facilius clementia vestra arbitratur implendum, si per universas Ecclesias definitiones sanctæ synodi Chalcedonensis apostolicæ sedi placuisse doceantur* (*Epist.* 89, *nunc* 115, *cap.* 1). Rescribit Leo non opus quidem litteris approbare fidem Chalcedone decretam, quam ipse satis per epistolam, cui omnes subscripserant, testatam fecerat, quamque per litteras ad ipsum imperatorem confirmavit; immo et per litteras ad Anatolium : quod ille maluit dissimulare quam suum prodere ambitum; se tamen, ut ejus pareret voluntati, decretis synodalibus suum suffragium sententiamque subjungere, qua fidei catholicæ subscribit, et condemnat hæresim. *De quo quidem*, inquit (*Ibid.*, *c.* 1), *ratio non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium subscribentium consensus accesserit quæ a me secundum formam apostolicæ doctrinæ ac paternæ traditionis emissa est; et per fratrem meum Lucianum episcopum talia et ad gloriam vestram et ad Constantinopolitanum episcopum scripta direxerim, quæ evidenter ostenderent me ea quæ de fide catholica in prædicta synodo definita fuerant approbare. Sed quia in eisdem litteris* A *ea quæ per occasionem synodi male sunt attentata reprehenderam, maluit prædictus antistes meam gratulationem tacere quam suum ambitum publicare...... Quia vero omnibus modis obediendum est pietatis vestræ religiosissimæ voluntati, constitutionibus synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei catholicæ, et de hæreticorum* **544** *damnatione placuerunt, libens adjeci sententiam meam. Ne*, ut est in epistola ad Pulcheriam (*Epist.* 90, *nunc* 116, *cap.* 2), *fallax cujusquam simulatio sententiam meam haberi vellet incertam.* Et, ut habet epistola ad Julianum (*Epist.* 88, *nunc* 117, *c.* 1), quam ex codice nostro ms. damus, *propter eos, scilicet, qui ad occasionem velandæ perfidiæ suæ infirma vel dubia videri volunt statuta concilii, quæ nulla sunt consensus mei sententia roborata.*

XII. Leo itaque, ut omnes Anatolii artes eluderet, encyclicam epistolam episcopis qui synodo Chalcedonensi interfuerant scribit (*Epist.* 87, *nunc* 114), mititque ad Julianum duo exemplaria (*Epist.* 88, *nunc* B 117) : quorum alteri adjecit exemplar epistolæ ad Anatolium, alteri nihil subdidit : alterutrum ut mallet imperatori redderet. *Duas*, inquit, *a pari ad synodum epistolas feci; unam, cui exemplaria epistolæ meæ ad Anatolium episcopum datæ subdi feci; alteram, quæ exemplaria subdita non haberet : tuo permittens arbitrio, ut quam dandam esse clementissimo principi duxeris, hanc tradas, altera apud te retenta.* Episcopis significat se ex animo decreta synodi accipere : *toto*, inquit, *corde me fuisse complexum; se* hæc scribere, non quod necesse esset, sed quia ita placuit Marciano, ut aliquorum suspicionem amoveat, quasi recuset approbare decreta Chalcedonensis synodi : *Ne per malignos interpretes dubitabile videatur utrum quæ in synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem.* Deinde testatur se prius assensum synodalibus gestis dedisse per legatos; sed se id palam facere, ut omnibus sua consensio innotescat. Tanta scilicet erat summorum pontificum pro sacris conciliorum decretis (*b*) reve- C rentia ac obtemperatio, ut vel levem dissensus suspicionem omni studio remotam Leo velit. Id quidem in rebus fidei, non in causa Anatolii, utpote quæ synodo Nicænæ contraria est : *Ut et fraterna universitas et omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres qui vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum uniisse sententiam, in sola videlicet causa fidei (quod sæpe dicendum est) propter quam generale concilium, et ex præcepto Christianorum* **545** *principum, et ex consensu apostolicæ sedis placuit congregari.*

XIII. Nihil his motus Anatolius omnem movet lapidem, ut incœpta concilia ad exitum perducat : in Illyricum vel mittit vel ipse abit, cum episcopis illius provinciæ communicat; quæ in honorem suæ sedis Chalcedone decreta sunt, rogat subscribant. Sed hæc

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Habemus Marciani epistolam 10 scriptam 10 Februarii an. 453, quam Quesnellus postquam hæc scripsit, accepit, et secundæ editioni adjecit. Ex hac autem palam fit, non Anatolium, sed Eutychianos adversus definitionem fidei in Chalcedonensi constitutam rumores sparsisse, ac si eam apostolica sedes reprobasset. Etsi enim Leo epistola 106 ad Anatolium satis confirmasset definitionem Chalcedonensem, cum tamen simul rejecisset canonem pro Constantinopolitanæ sedis prærogativa, hæc epistola publicata non fuit, et, hac de causa, rumore in vulgum sparso eumdem pontificem Chalcedonensi concilio contraria scripsisse, Eutychiani occasionem arripuere calumniandi ipsam fidei definitionem, ac si hæc a pontifice rejecta fuisset. Vide annot. 4 (*Tom. præced. col.* 1019, *n.* b) in epist. 110. Hinc imperator exploratam fidei Chalcedonensis confirmationem a Leone petiit, simulque laudavit ejus constantiam, qua privilegia Ecclesiarum Nicænis canonibus firmata haud violari permittens, Chalcedonensi canoni D pro Constantinopolitana sede edito fortiter restitit. Confer annot. 3 (*Supra*, *col.* 285, *n.* a). Has imperatoris litteras Paulus Romam attulit, ac simul detulit Juliani epistolam una cum Marciani et Pulcheriæ litteris ad monachos Palæstinos : ac per eumdem Paulum S. Leo transmisit epist. 114 ad synodum Chalcedonensem, 115 ad Marcianum, 116 ad Pulcheriam, et 117 ad Julianum; quæ omnes scriptæ fuerunt die 21 Martii an. 453.

(*b*) Reverentia et obtemperatio Leonis definitioni fidei Chalcedonensis eo sensu vera est, quatenus hæc definitio cum sua dogmatica ad Flavianum epistola congruens, ab eodem pontifice satis aperte jam probata fuerat epistola 104 ad Marcianum, et præsertim epist. 106 ad Anatolium datis die 22 Maii an. 452. Secus vero, sicut restitit canoni in Anatolii causa, ita etiam restitisset definitioni fidei, si quid a sua dogmatica epistola dissonum in ea deprehendisset : qua de causa reprobavit latrocinium Ephesinum, licet generalis concilii formam præferret.

fieri prohibet Euxitheus Thessalonicensis episcopus, nuper in locum Anastasii ordinatus, qui Romam miserat episcopum ordinationis suæ nuntium, ut et simul declararet consilia Anatolii; quæ omnia ex litteris jam citatis ad Julianum Coensem accepimus. *Illud etiam nosse te volumus, Anatolium episcopum post coercitionem nostram in suæ præsumptionis adeo temeritate persistere, ut Illyricianos episcopos, ut sibi subscriberent conveniret, quod nobis episcopus qui a Thessalonicensi ordinationis nuntius missus est intimavit* (*Epist.* 88, *nunc* 117, *c.* 5). Quoniam Anatolius nihil proficiebat monitis, Leo cui bene perspecta erat elatarum mentium indoles, ejus superbum animum mutare instituit silentio contemptuque. Consilium probavit eventus, ut suo loco videbimus. Gravius siquidem id tulit Anatolius quam minas; ideoque apud Julianum Coensem silentium pontificis conquestus est. Ille Leonem ad rescribendum invitat. Ad hæc Leo : *Cui ideo scribere noluimus, quamvis ipse hoc peteres debere fieri, quia eum corrigi nolle perspeximus* (*Ibidem*).

XIV. Ægyptus non quieta tunc temporis. Dioscoro Chalcedone deposito, Ægyptii episcopi post synodum Chalcedonensem redierunt Alexandriam, coactoque clero cum nobilibus civitatis, alterum subrogare illi instituunt. Verum populus coitione facta electionem turbat, seu complures Dioscoro faverent, seu ordinari episcopum altero superstite nollent; quod testatur Liberatus in Breviario : *Volentibus neminem penitus ordinare, ne adulteri viderentur, Dioscoro quippe vivente.* Tamen proposito Proterio assensi omnes, quia charus Dioscoro, cui absens Alexandrinam commendaverat Ecclesiam. Sed postquam ad pontificatum evectus, plebs seditionem redintegrare, scindi in factiones; pars petere Dioscorum, adversari Proterio; pars huic favere : adeo ut militari custodia indigeret, quo vim et impetum populi retineret. Leo (*a*) nondum acceptis Alexandria nuntiis, præsagiebat quæ gerebantur, revolvens animo quantum Dioscoriana factio valeret. Litteras itaque ad Alexandrinum episcopum vel ejus ordinatores seu clericos **546** misit, exemplariaque ad Julianum Coensem, ut ea quæ scribebat ad Augustum referret. Periere litteræ, sed de his mentionem habent quæ ad Julianum scriptæ sunt hoc anno. Quibus etiam sciscitatur de monachis Ægyptiis, an fidei catholicæ tenaces? an pacis amantes? quomodo Alexandriæ se res habeant? *De Ægyptiis monachis quam quieti, aut cujus sint fidei, scire desidero; et de Alexandrinæ Ecclesiæ pace quid ad vos veris nuntiis perferatur, ad cujus episcopum, vel ordinatores ipsius, seu clericos, qualia scripta direxerim, missis exemplaribus scire te volui* (*Epist.* 86, *ad Julian, nunc* 113).

XV. Iisdem prope temporibus ad Maximum episcopum Antiochenum et Theodoritum Cyrensem litteras misit (*Epist* 92, *nunc* 119, *et* 93, *nunc* 120). Maximus nuntios Marcianum presbyterum et Olympium diaconum Romam miserat, qui victoriam fidei triumphatosque Chalcedone hæreticos summo pontifici gratularentur. Per eos monuerat nondum ita oppressam hæresim, ut non moveret lacertos; esse adhuc complures qui professam Chalcedone fidem respuerent. Per eosdem nuntios rescribit Leo, laudatque illam quam professus litteris erat fidem, hortaturque ut eam vindicet a conatibus hæreticorum, seu ii Nestorii, seu Eutychis sectatores fuerint. Nam perinde utrique damnandi : *Quia non interest quo sacrilegio ab incarnationis Dominicæ veritate discordent, dum id quod pravissime sentiunt, nec auctoritas Evangelii, nec ratio recipiat sacramenti* (*Epist.* 92, *nunc* 119, *ad Maxim. c.* 4). Monet deinde ut privilegia tertiæ sedis retineat, nec ea sinat ambitione cujusquam imminui; sed fortiter decreta Nicænæ synodi defendat, quibus ut deroget nullo molimine, nulla auctoritate persuaderi potest. Simulque suas ad Anatolium litteras illi mittit, quas episcopis suæ provinciæ significari optat, ut discant omnes quo animo reprimere conatus Anatolii instituerit. Sub finem epistolæ hæc subjungit : *Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere ut, præter eos qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi docendi et prædicandi jus audeat vindicare, sive ille monachus, sive sit laicus, qui alicujus scientiæ nomine glorietur: quia etsi optandum est ut omnes Ecclesiæ filii quæ recta et sana sunt sapiant, non tamen permittendum est ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat; cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat; et in uno Christi corpore et excellentiora membra suum officium impleant, et inferiora superioribus non resultent* (*Ibid.*, *c.* 5).

547 XVI. Gravissimam quoque epistolam ad Theodoritum scripsit (*Epist.* 93, *nunc* 120, *c.* 1). Decreta Chalcedone prædicat, ut a Deo profecta, et sententia irrevocabili sancita : quia prius quidem ab apostolica sede concepta, sed (*b*) firmata deinde irretractabili, ut Leo loquitur, auctoritate omnium episcoporum. *Unde gloriamur*, inquit, *in Domino cum propheta canentes : Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit; sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu : ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum totius Christiani orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent. In quo amplius nobis accrescit gaudendi materia, dum et tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros sævius insurrexit.* Ob perpessos labores injuriasque a Dioscoro acceptas eum insuper laudat, exci atque ad delendas penitus Nestorianismi et Eutychianismi reliquias, et suadet ut mediam catholicæ doctrinæ viam sequatur, neque dextrorsum, neque sinistrorsum a recto deflectens tramite, quoniam **548** utrimque error est. *Hoc præcipue præsenti occasione credimus admonendum, frater charissime, ut quotiescumque, divina gratia ministrante, illos qui foris sunt fonte doctrinæ aut submergimus, aut purgamus, in nullo ab illis quas Spiritus sancti Divinitas in Chalcedonensi concilio protulit fidei regulis recedentes, inter utrumque hostem sermonem nostrum cum omni cautela libremus.* Deinde rogat eum ut rescribat, *si quid apud illas regiones doctrina Dominica proficiat* (*Ibid.*, *c.* 4). De consiliis Anatolii, de monachis et laicis eadem quæ Maximo, ne scilicet temerario ausu prædicationis et doctrinæ muneri se immisceant; quia, ut deinitum in conciliis, *episcoporum præcipuum munus est* (*Concil. Carth.* IV, *cap.* 20, *et Trident. sess.* 8, *c.* 2, *et sess.* 24, *c.* 4).

XVII. Sequuntur in editis codicibus aliæ epistolæ, de quibus vel jam diximus, vel dicemus postea. Est et altera ad Julianum episcopum data VII kalend. Julii, Opilione consule (*Epist.* 98, *nunc* 125), ubi Leo sollicitudinem suam pro fide paucis explicat, ab eoque frequentes de rebus Ecclesiæ litteras poscit; rogatque ut mandentur executioni quæ ad imperatorem et ad eum prius scripser

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Id falsum est. Tres enim epistolas Leo acceperat de ordinatione Proterii, unam ipsius Proterii, alteram ordinatorum ejus, tertiam cleri Alexandrini, quibus S. pontifex totidem epistolas reddidit, quæ desiderantur, uti monuimus in dissert. de Epistolis deperditis n. 61. Adeo vero certum est Proterium ad Leonem scripsisse litteras de ordinatione sui, ut idem pontifex pleniorem expositionem fidei ab eodem desideraverit. Vide epistolam 127 ad Julianum, c. 1.

(*b*) Similem Quesnelli postillam expendimus annot. 2 (*Tom. præced. col.* 1046, *n.* 1) in epist. 120, quæ hic omnino recolenda est, ut genuinus Leonis sensus a Quesnelliana interpretatione alienus intelligatur.

ANNUS CHRISTI 454; — LEONIS PAPÆ 15; — VALENTINIANI 30, MARCIANI 5, IMPP.; — AETIO ET STUDIO COSS.

I. De rebus Palæstinæ, ut opinor, inquirebat Leo superiori ad Julianum epistola. Huic tum provinciæ pacem redditam per id temporis accepit, ut ex sequenti ad eumdem epistola intelligimus. Est et epistola ad Marcianum (*Epist.* 99, *nunc* 121), quam in nostro codice reperimus. Data est v idus Januarii, qua bonas ejus litteras accepisse significat. Quod vero litteris Augusti continebatur, ex epistola ad Julianum colligimus. Marcianus dixerat prioribus litteris ea quæ pro fide et conciliandа Ecclesiæ pace gessisset; alteris Anatolium amicum Leoni reddere conabatur, rogabatque ut suam illi (a) communionem non denegaret, pollicitus Anatolium illi in omnibus quæ ad fidem pertinebant audientem fore. Ex epistola tamen ad Julianum hoc anno ineunte data (*Epist.* 100, *nunc* 127, *c.* 3) accepimus ab Anatolio concilium superiori anno factum Constantinopoli ex episcopis qui tunc B in urbe erant. De ejusmodi conciliis modo sermo fuit. In ea synodo lecta epistola quam rogatu imperatoris ad episcopos nuper Chalcedone congregatos scripserat. Sed quoniam in ea synodo omnia nutu Anatolii agebantur, lecta sunt tantum ea quæ de fide, non quæ de consiliis Anatolii Leo fuse fuerat prosecutus. Ibi quoque causa Aetii ventilata : accusationibus quippe variis oneratus est, sed calumnias iterum facile diluit.

II. Eodem anno, ut legimus in epistolis aliis Leonis ad Marcianum Julianumque, v id. Januar., Palæstinæ motibus sedatis, litteras quoque a Proterio Alexandrino patriarcha accepit Leo allatas per Nestorium episcopum, ut puto, Phragoneos, qui, ut ex Liberato colligo, ejus consecrationi et nuper Chalcedonensi concilio adfuerat. Romam non recta venit, sed per Constantinopolim iter faciens, litteras Leoni ab imperatore detulit, qui de novo Alexandrinorum antistite Proterio magnifice loquebatur. Hujus fides C Leoni primo **549** (b) suspecta, quia charus olim Dioscoro, qui curam tutelamque Alexandrinæ Ecclesiæ illi commiserat, quando ad synodum profectus est. Gratæ Leoni litteræ, quia ejus rectam fidem, ut Marcianus prius testatus fuerat, declarabant; quibus et Leo egregie respondit (*Epist.* 103, *nunc* 129). Epi-A stola diu delituit : hanc ope nostri cod. ms. e tenebris eruimus; cujus fragmenta exstant et apud S. Thomam 2-2, quæst. 11, art. 2, ad 2, et apud Bedam (*De Ratione temporum, cap.* 42. *Vide infra an.* 455), de quibus ac ejusdem Bedæ allucinatione consule annotationes nostras ad hanc epistolam. Lætitiam primum illi suam significat. *Lætificaverunt*, inquit (*Epist., ead. cap.* 1), *me litteræ dilectionis tuæ, quas frater et coepiscopus noster Nestorius pio apportavit officio. Oportebat enim ut ab Alexandrinæ Ecclesiæ præsule talia scripta ad sedem apostolicam mitterentur, quæ ostenderent magisterio beatissimi Petri apostoli hoc ab initio per beatum Marcum ejus discipulum didicisse Ægyptios, quod constat credidisse Romanos.* Multis deinde suam ad Flavianum epistolam defendit adversus calumnias hæreticorum, quam legi optat frequenti concione, ut Alexandrinos de sua doctrina certos faciat, quæ eadem cum Alexandrinis episcopis. Rogat deinde ut allata Patrum testimonia cum sua epistola publice conferat, quo palam fiat eum Nestorium pariter et Eutychem detestari.

550 Apparet ex eadem epistola missas quoque ad eum litteras, quas Leo ad concilii episcopos, ad Marcianum et ad Anatolium miserat : ubi rata esse confirmat quæ de fide definita sunt, irrita declarat quæ in præjudicium sedis Alexandrinæ Chalcedone acta sunt. Eutychiani scilicet offensi decreto concilii Chalcedonensis et fide Leonis, ejus epistolam palam criminabantur, eam in pravos distrahentes sensus; singulos apices et syllabas insidiose observabant. *Inimici crucis Christi*, inquit (*Epist.* 103, *nunc* 129), *omnibus et verbis nostris insidiantur et syllabis.* Et quoniam ejus integritatem corrumpere nequibant; prava adulterabant interpretatione. Leo ut insidiis occurreret, rogavit Marcianum (*Epist.* 104, *nunc* 130) ut Græce juberet reddi, seu per Julianum Coensem, vel per alium quemlibet peritum utriusque linguæ, eamque suo obsignatam sigillo ad Alexandrinos judices mitteret, qui cum B. Patrum locis quæ adjunxerat populo prælegerent; ne hæreticorum calumniis fallerentur, et omnes tam Nestorium a se quam Eutychem condemnatum scirent. *Quia vero*, inquit (*Epist.* 104, *nunc* 130, *c.* 3), *quorumdam hæreticorum versuta nequitia, ad conturbandam aliorum simplicitatem, epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum dedi*, (c) *falsasse perhibetur, ut, commu-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(a) Non *communionem*, a qua Anatolius non fuerat a Leone exclusus, sed pontificis *gratiam* (hac enim voce Leo utitur epist. 127, 128 et 130) illi conciliare imperator studuit.

(b) Suspecta Leoni non fuit Proterii fides, ac si is charus olim Dioscoro fuerit. Nihil istiusmodi a Leone indicatur. Solum cum non ita plenam invenisset expositionem fidei in ejus litteris quas ille de sui ordinatione direxerat, ut circumstantiæ ejus loci ac temporis videbantur flagitare, pleniorem et expressiorem declarationem aliis litteris ab eo explicandam desideravit, cui rei, Proterius promptissime satisfecit.

D (c) Initio quidem Leo credidit Alexandrinos non potuisse suam epistolam Nestorianismi accusare, nisi ex prava Græca versione quædam loca *falsata* fuissent atque corrupta. At postea, cum scripsit epistolam 152, deprehendisse videtur difficultates contra eamdem epistolam productas non dimanare ex interpretatione Græca, quam hæretici corrupissent, sed *ex calumniantium vanitate*, qui, veritati non acquiescentes, in verbis et syllabis Græcæ versionis cavillabantur, eaque ad Nestorianum sensum detorquebant : unde eos ab imperatore compescendos postulavit. Enimvero qui epistolæ Leonis calumniabantur, cum adversarentur et rejicerent Chalcedonense concilium, non aliam interpretationem Græcam ejus epistolæ accusabant, nisi quæ Chalcedonensi erat inserta, ac toto Oriente disseminata : quam tamen esse falsatam, et nihilominus approbatam a concilio nemo catholicus affirmarit. Neque vero alia Græca versio, quod sciamus, exstitit, nec quæ exstat ullo exemplo depravata hactenus inventa est. Solum vitiatæ interpretationis opinio invaluit sub Anastasio II pontifice, sed diversa ratione. Quæ enim vitiatio a Leone tribuenda credebatur Eutychianis, ac si eo consilio versionem suæ epistolæ corrupissent, ut Nestorianam labem eidem epistolæ opponerent, sub Anastasio tributa fuit Nestorianis, ut S. pontificem cum Nestorio concinentem suaderent. Apocrisiarii enim Alexandrini in libello dato legatis ab eodem pontifice Constantinopolim directis, ut unitatem cum Orientalibus procurarent, narrant ipsius Leoninæ epistolæ (quam per errorem *ad Chalcedonensem synodum destinatam* vocant) interpretes eos fuisse, *qui cum Theodoreto Cyrorum civitatis episcopo tunc fuerant Nestorianæ hæresis sectatores, ut licentius astruerent Nestorium minime perversa sensisse.* Dein ut hæc in versione quædam loca in Nestorianum sensum detorta ostendant, addunt Photinum Thessalonicensis Ecclesiæ diaconum affirmasse sibi, Romæ coram Anastasio de eadem interpretatione agenti, ipsum pontificem *satisfecisse, quod scilicet in epistolæ translatione comprobarentur errores; ipsam vero Latinam epistolam juxta fidem trecentorum decem et octo sanctorum Patrum editam constitisse;* et idipsum ejusdem pontificis legatos sibimetipsis confirmasse pronuntiant. *Verum sanctitas vestra*, inquiunt, *non semel, sed crebro nos docere dignata est, in epistolæ interpretatione errores*

tatis quibusdam litteris vel syllabis, receptorem me Nestoriani erroris assereret; obsecro venerabilem clementiam tuam ut eamdem epistolam **551** *meam per fratrem meum Julianum episcopum, vel eos quos idoneos ad hoc opus pietas vestra delegerit, in Græcum sermonem jubeatis integre diligenterque translatam, per idoneum perlatorem sub vestri signaculi impressione deferri, tradendam judicibus Alexandrinis, qui eam clero et plebi ipsius civitatis cum prædictorum episcoporum prædicationibus, quibus et mea scripta consentiunt, faciant recitari : ut agnoscant se fallaciam hominum fraude ulterius decipi non debere, et probetur apostolicæ sedis sinceritas, apud quam nec Eutyches, nec Nestorius ullum obtinent locum; quia sicut alios hæreticos, ita et istos Ecclesia universalis damnavit.*

III. Est et epistola non prius edita ad Julianum Coensem de eadem re (*Epist.* 103, *nunc* 131). Rogat ut epistolam suam ad Flavianum ex Græco in Latinum vertat sermonem; et ut nihil illum lateat, exemplaria epistolarum ad Marcianum et ad Proterium illi mittit. Hæretici nihilominus depravare ejus epistolam, ut jam diximus, pergunt, sensusque subdititios subjicere; deformatam spargere in vulgus, multos improba pravitate decipere. **552** Malum etiam post obitum Leonis durabat. Anno enim 497, tempore Anastasii pontificis apocrisiarii Ecclesiæ Alexandrinæ legatis Roma missis supplices libellos dederunt, ubi fuisse complures falsa interpretatione deceptos comperio. Ignari quippe pravitatis epistolam Nestorianismi arguebant, nec minus legati Romani quam Proterius in vindicanda ab hæresi epistola laborarunt. Marcianum tamen puto Julianumque Coensem perfecisse quæ Leo rogaverat. Siquidem imperator, pro religione Alexandriam turbari audiens, (*a*) edicto cavit ne turbæ fierent, plectens pecunia, exsilio, et supplicio, qui virulentia Eutychetis infecti, et qui nollent cum Proterio communicare, quique sub imagine et prætextu religionis conventicula et cœtus agitant. Baronius edictum publicatum hoc anno existimat (*Baron. an.* 454, *n.* 6), nec Constantio et Rufo, ut vulgo scribitur, datum, quia illi imperante Leone consulatum inierunt; sed Studio et Aetio coss., regnante adhuc Marciano : quam emendationem amplector, et juvat epistola Leonis data IV kal. Maii [*Leg.* Junii], quam Holstenius edidit, et nos iterum edidimus. **553** Sic vero in ea epistola Leo cum imperatore : *Cum etiam per Ægyptum, Deo vos in omnibus adjuvante, celerius credamus omnes pravi dogmatis exstinguendas reliquias; benigne enim his consulitis, quibus licentiam exsecrabilis erroris aufertis* (*Epist.* 107, *nunc* 136).

IV. Eutyches interea anathemate percussus, ira æstuans, late venenum diffundere parat, proscindere PP. Chalcedonenses satagit, nec cessat sacræ Christi œconomiæ obtrectare. Leo per litteras Juliani admonitus ad Marcianum statim scribit (*Epist.* 105, *nunc* 134, *c.* 2), longe in exsilium mittendum hæreticum, qui vicinitate urbis ad vitium et corruptelam abutitur. Archimandritam Eutychi suffectum crebris Juliani colloquiis confirmandum, ut monachi sui præpositi morbo laborantes ad sanitatem redeant. (*b*) Julianum quippe removebat a familiaritate et consortio novi archimandritæ Eutyches; seu, quod auguror, ipsi Anatolius Leoni infensus, atque adeo in Julianum ejus legatum alienato animo, quod ex epistolis Leonis ad Augustum mihi facile persuasum est. Nam amicos suos imperatori commendat, ne noceat illis Anatolius : *Precor autem ut eos maxime tueamini contra omnes in-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

intersitos, non in Latino textu fuisse conceptos. At hac quoque de re vehementer ambigimus. Apocrisiarii enim qui hæc prodiderunt hæretici erant inimici Chalcedonensis concilii et Dioscori, Timothei Æluri et Petri Mongi manifesti defensores. Hi autem cum unitatem apostolicæ sedis expeterent, ut repudiatæ Leonis epistolæ rationem aliquam afferrent, Nestorianam labem interpretationi Græcæ tribuerunt, ex qua majores sui, idem vitium in Latino textu rati, sese a Romanæ Ecclesiæ unitate sejunxerant. Id vero cum ipsi apocrisiarii falsum esse ex Photini ac legatorum testimonio se detexisse venditarent, etsi adhuc reipsa laudatam epistolam Græce redditam et a Chalcedonensi synodo approbatam rejicerent, eo tamen nomine se suscipiendos sperabant, quod errores in solam versionem referentes animum a Latino textu laudatæ epistolæ minime alienum præferrent. Hac fraude Romanam communionem subripere studuerunt. Sicut autem hi profecto errarunt, cum hanc epistolam ad synodum Chalcedonensem datam dixerunt, quæ non ad hanc synodum, sed ad Flavianum episcopum scripta fuerat; qui error ex eo fonte manavit, quia reipsa non aliam Græcam epistolæ interpretationem cognoscebant impetebantque, nisi quæ in Chalcedonensi synodo erat inserta; ita errarunt pariter, vel potius voluerunt fallere, cum eam a Nestorianis Græce redditam et Nestoriana labe inspersam commenti sunt. Ipsum Leonis testimonium, quo de Eutychianis quidem corruptoribus aliquando suspicatus est, numquam vero de Nestorianis, hocce commentum confirmat. Photino tamen aliisque Eutychianis facile fuit hocce commentum imponere atque suadere Anastasio papæ aliisque Romanis, qui, Græcam linguam ignorantes, vel Græcam ejus epistolæ versionem non conferentes cum originali Latino, eisdem Eutychianis hujus versionis errores ex suo sensu producentibus et explicantibus fidem præstitere. At si hos deceperunt circa factum versionis, non tamen fefellerunt in substantia doctrinæ, neque enim ad unitatem et communionem apostolicæ sedis admissi fuere, nisi qui Chalcedonensem synodum et Leonis epistolam in eo susceptam exploratis professionibus reciperent. Hæc fusius explicanda fuerunt, eo quod sententia de falsata Leonis epistola apud plures obtineat, et Leonis testimonium hoc Eutychianistarum documento confirmari credatur, ac si utrumque concinat, cum tam diversa pronuntiet.

(*a*) Duo Marciani imperatoris gesta distinguenda sunt : epistola ad Alexandrinos monachos, qua eos suasionibus et Alexandrinorum antistitum auctoritatibus ad sanam doctrinam revocare suoque episcopo S. Proterio conciliare studuit; et edictum ad Palladium, quo inobedientes et factiosos pœnis coercuit. Cum in ea epistola ab imperatore in Ægyptum missus tradatur Joannes Decurio, quem eodem directum Leo intellexerat, dum scripsit epistolam 141, signatam die 11 Martii an. 455, eæ imperiales litteræ datæ noscuntur vel sub finem an. 454, vel sub initium anni 455. Edictum porro ad Palladium, etsi in codice Justinianeo consulatum præferat Constantini et Rufi anni 457, idibus Augusti, cum forte idem edictum sub Leone Augusto repetitum fuit; vere tamen prodiit kalendis Augusti non Studio et Aetio coss., id est an. 454, ut cum Baronio Quesnellus credidit, sed Valentiniano VIII et Anthemio coss., nimirum an. 455, uti eadem lex in mss. collectionum Quesnellianæ, Hispanicæ et Isidorianæ notatur. Neque his obest epist. 107, nobis 136, ad Marcianum data die 29 Maii anni 454. Verba enim quæ ex hac Quesnellus subjicit, non rem jam ab imperatore peractam, sed, uti Leo sperabat, proxime faciendam significant.

(*b*) Hæc de Eutyche, vel Anatolio, in Julianum infensis, omnino gratis affirmantur. Leonis testimonium subinde recitatum ex epistola 134, c. 3, non ad Julianum, sed ad clericos Constantinopolitanos, verisimilius refertur, quos ipse metuebat ne Anatolius opprimeret; hujus enim litteras nondum acceperat, quibus sibi satisfacere atque in ejus gratiam redire studuit.

sidias, quos mihi et vestræ mansuetudini propter amo- A *rem fidei placere cognoscitis, ut eos Constantinopolitanus episcopus lædendi non habeat facultatem.* (*Ibid.*, *c.* 3).

V. Sic Anatolius cupiditati et iræ indulgens, Ecclesiæ res et jura defendere negligebat. Hic licet sancti Leonis vigilantiam admirari, qui nihil quod erat Ecclesiæ a se alienum putabat. Prava tunc temporis in Ecclesia CP. consuetudo erat: œconomus Ecclesiæ rationes facultatum et oblationum ad judices publicos referebat, non, ut moris erat, ad episcopum et clerum Ecclesiæ. Hujus mali prima labes, avaritia clericorum: nam dum illi negotium Dei quæstui habent, et rem Ecclesiæ ex commodo metiuntur, lites inter se et dissidia ferunt, quibus dirimendis non idonei, quia inter ipsos sacerdotes, qui et ipsi judices, pugna. Delatæ ad publicos magistratus causæ, sensimque pravum exemplum fuit consuetudo, et nostris temporibus prope necessitas, quamdiu ii quorum interest, non tam rem Ecclesiæ, quam suam agent. Gennadius, successor Anatolii, ut hanc avaritiæ pestem ex- B cideret, laboravit. Legimus enim Marcianum ejus œconomum jussisse ut suis singulæ basilicæ fruerentur oblationibus quas prius primaria retinebat (*Theodorus lect. collect. lib.* I; *Nicephorus l.* XV, *cap.* 22). Leo igitur, huic malo consultum volens, de judiciis clericorum ad Augustum scribit, et se jam de hoc negotio prius scripsisse refert. Hanc ejus epistolam ex ms. nostro edidimus. *Illud etiam*, inquit, *rationabiliter huic epistolæ* **554** *credidi copulandum, ut de eo quod pietatem vestram prioribus petii litteris deprecarer: ut œconomos CP. Ecclesiæ, novo exemplo, et præcipue pietatis vestræ temporibus, a publicis judicibus non sinatis audiri, et hanc quoque injuriam sacris removeatis ordinibus; sed rationes Ecclesiæ secundum traditum morem sacerdotali examine jubeatis inquiri* (*Epist.* 108, *nunc* 137, *c.* 2).

VI. Sed ut ad Anatolium redeam, ille hoc anno cum sancto Leone in gratiam redire, vere an simulate, voluit. Dubium, an rei gestæ pœnitentia, an irriti conatus dolore; seu, quod verius, victus constantia C Leonis, et Marciani voluntate, cujus animus ad pacem pronus. Sic se res habuit. Marcianus primum de reconcilianda cum eo gratia ad Leonem litteras dedit, de Anatolio spondens meliora. Hæc ex epistola sancti Leonis ad Julianum Coensem, quæ hoc anno V idus Januarii data legitur (*Epist.* 100, *nunc* 127, *c.* 3). Marciano respondet Leo per epistolam, quæ tota est et inscribitur *de Correctione Anatolii* (*Epist.* 107, *nunc* 136). Hunc in ea objurgat, ut auctorem dissidiorum; laudatque Marcianum, ut pacis amantem, quippe qui sedare velit tempestates quas Anatolius excitavit: eaque conditione pollicetur amicitiam, ut prius scripto testetur se abjecisse culpabilem ambitum. *Satisfaciat*, inquit, *canonibus, et omnium gratiam sacerdotum servaturum se esse rescribat; ambitumque culpabilem se abjecisse significet.* Anatolius omnia ex votis Leonis facturum dixerat; ad quæ Magnus pontifex: *Tantum quod verbis spondet, corde perficiat.* Quod si abnuat, minatur se libere et constanter facturum. *Si* D *vero*, ait, *quæ Deo et pietati vestræ displicent pertinaci intentione delegerit, salva mansuetudinis vestræ reverentia, utar cum omnibus et pro omnibus, vobis quoque annitentibus, adversum superbientem liberiore constantia, quem, quod sæpe dicendum est, malim pro sanctis actibus fraterna charitate complecti. Cum omnibus*, dicit, *et pro omnibus:* quia non solum sua, sed et aliorum erat causa, si superbiam et ambitum Anatolii retunderet, canonum vim et auctoritatem defenderet, et privilegia Ecclesiarum vindicaret ab injuria. Addidit, *vobis annitentibus*, quia et principum est decreta Ecclesiæ tueri.

VII. In Holsteniana collectione est Anatolii epistola (*Post epist. Leonis* 105, *nunc est epist.* 132), unde eum ad mentem saniorem rediisse accipimus, dolorem suum ex contemptu silentioque Leonis significat, et se perfecisse quod Leo petierat: *Ea statim quæ continebantur eis* (litteris) *ut placita vobis implevi: quod me facere vel communis pacis utilitas, vel quod decuerat hortabatur.* Subjungit loco restitutum Aetium, Andream **555** depositum et (a) abjectum ab Ecclesia, cum Eutyche Eutychianisque omnibus, etsi in speciem hæresim fuissent detestati, subscripsissentque epistolæ ejus ad Flavianum. Decretum vero in honorem sedis CP. non se, sed suæ clericos Ecclesiæ quæsivisse, qui et confirmationi Leonis omnia reservarant. Hancce Anatolii epistolam simul cum litteris Marciani accepit Leo, quibus eodem die rescripsit (*Epist.* 106, *nunc* 135). Ad Anatolium hæc: Anatolii culpam fuisse, si suis caruerit litteris, quia sibi non satisfecerit, quia ageret contra canones; se tamen affici gaudio, quod Aetium in amicitiam receperit et ab archidiaconatu amoverit Andream, deposueritque Euphratem accusatorem Flaviani; posse tamen ordinari presbyteros, si Nestorianismi et Eutychianismi suspicionem tollant; in locum Andreæ sufficiendum alium, cujus fides non suspecta; parum sincere loqui qui non suam, sed clericorum cupiditatem causaretur; nihil ausos nisi ipso annitente.

IX. Aetium archidiaconum non dicit restituendum esse, quia, ut diximus, archidiaconatum gerere non nisi diaconus solebat, nec nisi post multos annos instituta consuetudo ut archidiaconus presbyter fieret. Presbyterum igitur facere, arcere erat ab hoc munere. Et forte ideo Leo Andream Euphratemque posse consecrari sacerdotes significat, modo in fide sani sint, ut omnem illis ad hoc munus aditum præcludat, ne plurimum in Ecclesia CP. valerent. Petebat sanctus Leo ut Aetius Ecclesiæ suæ restitutus in gratiam cum Anatolio rediret, quod et perfectum esse gaudet. *Quod ergo*, inquit, *in Constantinopolitana Ecclesia quædam in officiis clericorum correcta esse significas, ut et Aetium presbyterum tuum in gratiam tuam affectionemque revocaveris, et Andream ab archidiaconi actione submoveris, nobis placuisse rescribo* (*Epist.* 106, *nunc* 135). Baronius scribit (*Ad ann.* 453, *n.* 8) Aetium restitutum. *Leo*, inquit Annalium conditor, *ita Anatolium ipsum perstrinxit, ut nisi catholica communicatione omnino carere vellet, Aetium in pristinum locum restitueret.* Sed sententia Baronii non modo aliena a consuetudine illorum temporum, sed et verbis sancti Leonis contraria. Hæc quidem in epistola Anatolii ad Leonem: *Reverendissimus quidem sacrosanctæ Ecclesiæ nostræ presbyter Aetius in priore loco atque honore ecclesiastico nobis est restitutus* (*Epist. nunc* 132, *cap.* 2). Restitutum fuisse muneri archidiaconatus non credam, sed Ecclesiæ suæ, qui antea deputatus cœmeterio. Nam qui aliter explicanda Leonis verba, qui alium probatæ fidei seligendum dicit? *Electo primitus et probato, qui archidiaconi officium possit implere, id est quem nulla umquam prædictarum impietatum fama resperserit* (*Epist.* 106, *nunc* 135, *c.* 2). Et in eadem epistola Aetium tantum ei reconciliatum ostendit. *Ut et Aetium*, ait idem sanctus Leo, *presbyterum* **556** *tuum in gratiam tuam affectionemque revocaveris.* Restitutio igitur illa loci et honoris (si versio tamen vera et fidelis, et Græco Anatoliano consentanea) de gratia Anatolii Ecclesiæque honore, non de officio archidiaconi intelligenda.

X. In collectione Holsteniana reperitur epistola sancti Leonis eodem tempore scripta ad Marcianum Augustum (*Epist.* 107, *nunc* 136); eamdem iterum et emendatiorem ex ms. nostro reddimus. Leo de Marciano magnifice loquitur, studium ejus pro pace conservanda et inter episcopos concilianda concordia longe prædicat; hortaturque ut hæresim, quemadmodum in Palæstina, ita in Oriente penitus deleat, ut et de Ægypto bene sperandum erat. Rogat insuper ut audaciam Carosi monachi reprimat, qui, concilii de-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Num Andreas vere fuerit abjectus ab Ecclesia, vide annot. 7 (*Tom. præced. col.* 1083, *n.* f) in epist. 132.

finitionem, auctoritatemque ipsius imperatoris nihili pensi habens, multorum fidem corrumpebat. Baronius huc refert fragmentum constitutionis imperatoriæ, quam latam asserit pro tuendo jure primarum sedium adversus Anatolii conatus; sed qui attente hanc legerit, fatebitur non spectare ad jurisdictionem patriarchicam, sed ad jura quædam concessa quibusdam Ecclesiis : velut de jure horreorum pro pauperibus alendis, et forte de judiciis causarum civilium episcopis attributis. *Privilegia*, inquit, *quæ generalibus constitutionibus universis sacrosanctis Ecclesiis orthodoxæ religionis retro principes præstiterunt, firma et illibata in perpetuum decernimus custodiri. Omnes sane pragmaticas sanctiones, quæ contra canones ecclesiasticos interventu gratiæ vel ambitionis elicitæ sunt, suo robore et firmitate vacuatas esse præcipimus.* Nihil de ea sanctione apud sanctum Leonem, et illa generatim dicta qui uni Anatolio congruunt. Quis etiam primarum sedium jura a principum constitutionibus præstita illis esse affirmarit, quod fragmento illo asseritur? Nihilominus certum sancto Leoni Anatolium cessisse.

XI. Allata circa ea tempora nuntia ex Palæstina, pacatam scilicet provinciam cura et sollicitudine Juvenalis, qui, sedi restitutus, concilium congregavit. Soluta synodo, legatos direxit ad Leonem, Andream presbyterum et Petrum diaconum, tum ut doceret ut omnia ordinata Jerosolymis, et gratias redhiberet ob egregie navatam operam apud imperatorem, auctoritatemque interpositam adversus monachorum defectionem. Mittit quoque illi cum Eulogiis particulam Dominicæ crucis, nisi tamen hac parte interpolata sit epistola Leonis quæ id refert (*Epist.* 110, *nunc* 139). Respondit igitur sanctus Leo, nec dissimulat turbarum causam ipsum exstitisse Juvenalem ob impetitum Flavianum et defensum Eutychem; nec turbatam provinciam, si pro fide constanter stetisset; tum, occasione Ecclesiæ cui præerat, recolit vitam **557** Christi actam Jerosolymis, prodigia et miracula per crucis virtutem edita, quæ omnia mirifice ejus incarnationem prædicant.

XII. Sed ecce et optatissimi ex Ægypto nuntii. Julianus Coensis ad Leonem scribit Dioscorum vita excessisse, etsi hæreticum sanari malebat quam mori; lætitiam tamen aperte tulit, sperans brevi interituram hæresim, auctore sublato. Id ex epistola nostri codic. manuscripti ad Julianum Coensem manifestum est. *Auxiliante*, ait sanctus Leo (*Epist.* 111, *nunc* 140), *misericordia Dei, facilius est errantium speranda correctio; et efficacior erit prædicatio Evangelii, exstincto defensore mendacii.* Hic emendandum Chronicon Orientale, quod ab Abrahamo Ecchellensi Latinum nuper factum ex Arabico. Bis enim peccat, cum Dioscorum et in insulam in Occidente constitutam amandatum narrat, et septem annis in ea moratum; Gangram enim Asiæ minoris civitatem deportatus est, ubi hoc anno vita functus, quarto scilicet a dicta in eum sententia. Bono Ecclesiæ mors Dioscori contigit; spesque fuit apud Ægyptios **558** pacis recuperandæ : quoniam non amplius duo simul episcopi, neque dissimulatis hæretici moribus aut clandestinis ejus consiliis rebellio fovebatur. *In hac autem*, inquit ibidem, *sollicitudine constitutis numquam desunt divina præsidia, quæ hypocritarum simulationes nihil posse permittunt, occultamque eorum nequitiam manifesta destructione confundunt. Quamvis enim jampridem omnia hæreticorum machinamenta confracta sint, et universas ejus vires dextera veritatis abstulerit; nunc tamen intereunte, ut scripsistis, Dioscoro, in profundiora ceciderunt; et perfidiæ incentore sublato, instabiles quædam et insipientes animæ habent quod pareant, non habent quod sequantur.* Religiosa sancti Leonis exspectatio, sed malo Ægyptiorum animo vana fuit et inanis. Nam Alexandrini non destiterunt colere memoriam Dioscori; duravit superstitio ad Patrum nostrorum ætatem, cum Gabriel Alexandrinus patriarcha legationem ad Clementem VIII PP. misit anno 1593 cum confessione fidei, ubi anathema adversus Dioscorum torquetur.

ANNUS CHRISTI 455; — LEONIS PAPÆ 16; — VALENTINIANI 30, MARCIANI 6, IMPP.; — VALENTIN. AUG. VIII ET ANTHEMIO COSS.

I. Nullas habet hic annus Leonis epistolas in superioribus editionibus, nihilque nobis de pontifice nostro dicendum foret, nisi aliquot e ms. cod. Grimanico prodirent epistolæ, et huic anno reservata esset de paschali termino difficultas, de qua litteras nonnullas emiserat annis proxime elapsis. Controvertebatur nimirum in quem diem incidebat hoc anno, qui Christi numeratur 455, paschalis festivitas. Dubitandi ratio hæc erat. Theophilus Alexandriæ episcopus, computi ecclesiastici peritissimus, (*a*) cyclum centum annorum ediderat, cujus initium a primo consulatu Theodosii senioris : ex ejus supputatione anno 453, hujus cycli 74, pridie idus Aprilis Pascha celebratum. Anno 454 sequenti, qui cycli 75, in diem primum ante nonas Apriles Pascha inciderat. Sed hoc Christi anno 455, ejusdem cycli 76, ad octavum kalend. Maii Pascha dilatum. Erratum in cyclo Leo asserebat, nimiumque dilatos paschales terminos, quos XI kal. Aprilis, et XII kal. Maii claudi oportebat. Pascha igitur hujus anni ad XV kalend. Maii assignabat. De ea controversia ipse Leo sic loquitur in epistola ad Marcianum (*Epist.* 94, *nunc* 121, *c.* 1): *Paschale festum, quo sacramentum salutis humanæ maxime continetur, quamvis in primo semper mense celebrandum sit, ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, ut plerumque sacratissimæ diei ambigua occurrat electio; et ex hoc fiat plerumque, quod non licet, ut non simul omnis Ecclesia, quod non nisi unum esse oportet, observet. Studuerunt itaque sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino antistiti delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita videbatur esse peritia, per quam qui annis singulis dies prædictæ solemnitatis eveniret sedi apostolicæ indicaretur, cujus scriptis ad longinquiores Ecclesias indicium generale percurreret. Sed sanctæ memoriæ Theophilus, Alexandrinæ urbis episcopus, cum hujus observationis annos centum numero collegisset, septuagesimi sexti anni paschale festum longe aliter quam alii decreverant tenendum esse constituit. Nam a primo augustæ memoriæ Theodosii senioris consulatu succedentem sibi sacræ observantiæ ordinem ponens, ut longioris temporis ratio ejus litteris teneretur ascripta, hujus complexionis septuagesimus et quartus est annus* (An. C. 453), *in quo pridie idus Aprilis sanctum pascha celebravimus; sequenti vero anno* (An. C. 454) *pridie* **559** *nonas Apriles eadem, propitio Deo, erit habenda festivitas, sicut regulariter centenariæ annotationis ordo declarat. Sed in anno qui erit septuagesimus sextus* (An. C. 455) *Paschæ dies invenitur ascriptus, quem a passione Domini nullius exempli, nullius constitutionis admittit auctoritas. Nam diem octavum kalendarum Maiarum ab eo cognoscimus præfinitum, qui nimie limitem antiquæ constitutionis excedit : cum alii quintum decimum kalendarum Maiarum huic festivitati deputaverint diem, si quidem ab undecimo kalendarum Aprilium usque in undecimum kalend. Maiarum legitimum spatium sit præfixum.*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Annotatio annorum centum non erat cyclus, quo post centum annos dies paschales ad idem caput redirent; sed erat laterculum, quod ex cyclis quinque decem novennalibus et annis quinque constabat, in quo per annos centum paschalis festivitas a Theophilo notata fuerat. Vide annot. 8 (*Tom. præced. col.* 1056, *n.* 1) in epist. 121. De ratione autem totius controversiæ circa Pascha hujus anni 455, confer admonitionem præmissam epist. 88.

II. Ex quibus Leonis verbis causam controversiæ totius accepimus de qua Leo peritos quosque consulit, imprimis Paschasinum Lilybæi in Sicilia episcopum; epistolamque hactenus invisam in lucem emittimus ex toties laudato cod. ms., ubi postquam Leo ad legationem in concilio Chalcedonensi brevi obeundam eum instruxit, statum totius controversiæ aperiens, multaque de veritate incarnationis Domini disserens, supputationis paschalis diligenter investigandæ curam illi committit : rogat ut rem communicet cum peritis hominibus, ut de die Paschatis non amplius ambigendi aut errandi locus supersit. *Ut modis omnibus*, inquit, *ambiguitas auferatur, cum peritis quibusque diligentius hoc tua sollicitudo pertractet, ut in futurum hujuscemodi caveamus errorem.* Non reperitur responsio Paschasini. Est quidem ejus epistola ad Leonem de Die Paschatis, quæ exstat; sed ad aliam, ut annotavimus, quæstionem pertinet. Unde erratum esse in Annalibus Ecclesiasticis clarum est, ubi Paschasini epistola ad hanc refertur controversiam. At duas fuisse contentiones de die Paschatis sub Leone constat : prima quidem accidit anno supputationis seu cycli Romani 64 aut 63, (An. 444), ut melioris notæ codices habent, et accuratior supputatio : cujus cycli initium est a consulatu Antonini et Syagrii, ut habet epistola Paschasini; altera incidit in annum Theophiliani cycli 76, (An. 455), ut ex epistola Leonis ad Marcianum certum est : quæ supputatio incipit a primo consulatu Theodosii senioris, atque ita biennio Romanam antecedit. Duo igitur distinguenda sunt tempora ubi agitata de Paschate controversia : ad priorem disputationem Paschasini epistola, ad posteriorem Leonis ad Paschasinum et Marcianum pertinent litteræ quas primum publicamus (*Epist.* 88, *nunc* 88, et 108, *nunc* 137).

Etsi Leo jam ante aliquot annos moverat controversiam, abstinuerat tamen ab exactiori inquisitione, concilii rebus occupatus; sed soluta synodo, Proteterioque assumpto ad sedem Alexandrinam, rem ad examen revocavit, scripsitque ad Marcianum (*Epist.* 112, *nunc* 142, *et* 94, *nunc* 121), ut diximus, et ad Julianum Coensem (*Epist.* 95, *nunc* 122). Hæc ultima epistola vulgo ad Eudoxiam scripta legitur; sed falsata inscriptione : nam ad Julianum scriptam probat et contextus ipsius epistolæ, et emendatior codex noster ms. Rogat peritos supputationis advocet, qui verum legitimumque diem Paschatis inquirant **560** definiantque. *Suppliciter*, inquit, *postulavi ut eos qui hujus supputationis perfectam videntur habere notitiam in unum jubeat convenire* imperator. Ut igitur rogatus fuerat a Leone (*Epist.* 105, *nunc* 134), Alexandriam mittit nuntium, verumque Paschatis diem ex Alexandrinis sciscitatur. Id ex epistolis 68 et aliis intelligimus.

III. Dies interea indicendi Paschatis appetebat, et formatas pro more ad episcopos mittendi. Ad Julianum itaque hæc : *De futuro Paschate, ut sæpe jam scripsi, esto sollicitus, et clementissimo principi meo nomine opportunius intimato, ut quid sibi rescriptum sit faciat certiorem : quoniam imminent dies ut nosse possimus quem diem formatis ascribere debeamus, et omnium ex hac parte suspicio evidentius possit aboleri* (*Epist.* 102, *nunc* 131). Data est epistola VI idus Mart. anni superioris. Sed eodem ferme tempore accepit litteras Marciani, quibus significabat diem a Theophilo recte assignatum ad octavum kalend. Maii. Etsi Romana consuetudo ad XV kalend. Maii fieri suadebat, Leo tamen acquievit : ne si dissentiret, videretur non tam potiores partes elegisse quam scidisse unitatem, ut ipse ad Marcianum scribit : *Cum* A *Ægyptiis alia ratio placeat, consensum meum, ne qua discrepantia per provincias de observantia tam venerabilis festi fieret, commodavi* (*Epist.* 108, *nunc* 137, *c.* 1). Eadem quæ Marcianus ad Leonem scripserat Proterius. Illa est proculdubio epistola quam Petavius ad calcem operis *de Doctrina temporum* publicavit, nosque post alios inter Leonis epistolas suo loco posuimus. Eadem quoque Leo rescripsit Proterio quæ Marciano, ut ex eadem epistola ad Marcianum : *Litteras autem fratris et coepiscopi mei Proterii, Alexandrinæ civitatis episcopi, me accepisse significo, quibus ad pietatem vestram de mea consensione respondi : non quia hoc ratio manifesta docuerit; sed quia unitatis, quam maxime custodimus, cura persuaserit* (*Ibid.*). Auctor de *Ratione Temporum*, seu Bedæ, seu alterius sit opus, scribit consultum a Leone Proterium de Paschate, Leonemque ejus paschalibus litteris rescripsisse præclaram illam epistolam cujus initium : *Lætificaverunt me litteræ*, etc.; sed in hac epistola, B cujus fragmentum est in hoc opere, mirum de hoc negotio silentium. De ordinatione Proterii, et de fide longus sermo; de quæstione vero paschali ne verbum quidem. Quomodo sit deceptus Beda non video, nisi ex fragmento conjecturam fecerit, et totam epistolam non legerit. Hanc integram ex ms. modo publicam facimus.

IV. Juxta litteras Marciani, et Ægyptiorum definitionem, etsi secus atque sentiebat, Leo formatas ad omnes episcopos misit. Supersunt litteræ quas ad episcopos Galliarum et Hispaniarum direxit (*Epist.* 109, *nunc* 138). Quo tempore iterum ab Augusto allatæ litteræ sunt de eadem contentione, quibus respondet S. Leo (*Epist.* 112, *nunc* 142) se jam pridem illi gratias per litteras egisse, et se Alexandrinorum secutum sententiam, quam Occidentalium partium episcopis **561** significavit. *Eadem occasione*, inquit, *qua pietatis vestræ apices veneranter accepi, debita salutationis verba exsolvo, et insufficienter gratias ago quod de sacratissima die Paschæ sacer-* C *dotali me sollicitudine pietas vestra commonuit : licet dudum in hac observantiæ regula me acquiescere sim professus, et eumdem diem venerabilis festi omnibus Occidentalium partium sacerdotibus intimasse, quem Alexandrini episcopi declaravit instructio; id est, ut anno præsenti, octavo kalendas Maii Pascha celebretur, omissis omnibus scrupulis, propter studium unitatis et pacis.*

Porro cum duplicis generis litteras de hac controversia paschali a Leone ad Marcianum scriptas Prosper commemoret, alias *quibus ratio veritatis sollicitatæ evidenter patefacta est;* alias, *quibus Ecclesia catholica instrui potest, quod hæc persuasio studio unitatis et pacis tolerata sit potius quam probata.* Priores illæ sunt 94 et 105 (*nunc* 121 *et* 134), jam olim publicatæ; istæ vero posteriores, 108 et 112 (*nunc* 137 et 142), utraque nunc primum in lucem edita, et vel unius Prosperi testificatione genuinis accensenda. Sic quievit hæc de Paschate contentio.

Tum primum hac occasione Occidentalibus inquirendi diem Paschatis, motusque solis et lunæ dili- D gentius supputandi orta æmulatio apud Latinos, qui diutius passi non sunt legem sibi ab Alexandrinis de indicendo paschali die imponi. Prosper igitur Aquitanus, qui tum Romæ apud pontificem agebat, suum illum cyclum composuit, cujus testes sunt Gennadius et Isidorus (*Gennadius in Catal. vir. illustr. c.* 88; *Isidorus Origin. lib.* VI, *cap.* 17); nisi jam editus ab illo esset (*a*) circa annum 444, quo similis occurrerat difficultas. Ut ut sit, dubium non est quin ad illum scribendum a Leone sit excitatus. Certe cum paulo iratior scribat de Paschate hujus anni 455, quo Chro-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Jam ante annum 444 Latinum cyclum annorum 84, in quo lunæ saltus duodecimo quoque anno astruebatur, Prosper ita emendaverat, ut singulis tantum quatuordecim annis idem saltus admitteretur. Vide annot. 4 in fragmentum epistolæ S. Cyrilli ad Leonem tom. I, col. 602 (*Tom. præced. col.* 602, *n.* d) et annot 14 (*Ibid., col.* 1056, *n.* q) in epist. 121, ubi hanc saltus lunæ emendationem obtinuisse ostendimus an. 454.

nicum suum claudit, apparet pro sua sententia ipsum decertasse. *Eodem*, inquit, *anno Pascha Dominicum die* VIII *kalend. Maii celebratum est pertinaci intentione Alexandrini episcopi, cui omnes Orientales consentiendum putaverunt; quamvis sanctus papa Leo* XV *kalendas Maii potius observandum protestaretur.* (*In quo nec in ratione plenilunii, nec in primi mensis limite fuisset erratum.*) *Exstant ejusdem papæ epistolæ ad clementissimum principem Marcianum datæ, quibus ratio veritatis sollicitatæ evidenter patefacta est. Ex quibus catholica Ecclesia instrui potest quod hæc persuasio* **562** *studio unitatis et pacis tolerata sit, potius quam probata, numquam deinceps imitanda; ut quæ exitialem attulit offensionem, omnem in perpetuum perdat auctoritatem.* Victorius quoque et ipse Aquitanus, rogatus ab Hilaro Romanæ Ecclesiæ archidiacono, cui ista cura et ex proprio munere et ex Leonis mandato incumbebat, canonem paschalem composuit, quem eidem archidiacono nuncupavit anno 457, Constantino et Rufo coss., ut ipse testis est in præfatione ad Hilarum. Quem canonem Victor Capuanus post multos annos, anno scilicet 545 perstrinxit, edito altero. Sed hæc nostri non sunt instituti: nisi quod istud omne ex Leonis nostri mente ac consilio seu præcepto manasse mihi videtur, ut et Bucherio olim persuasum fuit.

V. Est Leonis epistola hoc anno ad Anatolium scripta III idus Martii (*Epist.* 104, *nunc* 143). Gratas fuisse ejus litteras scribit; vigilantiam vigoremque animi illi persuadet contra homines profligatæ doctrinæ qui Constantinopoli adhuc hæresim propagabant; Carosum Dorotheumque archimandritas designat. Carosum in synodo Chalcedonensi monachi Eutychianæ partis principem factionis habuerant; auditi in synodo fuerant rejectique. Tum percussa hæresi, per speciem assensi synodo sunt metu excommunicationis, cui subjecti, nisi intra trigesimum diem decreta synodi acciperent. Nihilo tamen meliores facti, monachorum corrumpere fidem non destiterant. Leo de his ad Marcianum scripserat, ut habetur in epistola de correctione Anatolii, et intelligimus ex epistola Leonis ad Marcianum (*Epist.* 112, *nunc* 142, *c.* 2), quam ex ms. nostro exscripsimus. Augustus seditiosos monachos alio transferri jusserat, ubi nocere haud promptum. *De Caroso*, inquit, *et Dorotheo, qui hæretica pravitate in multorum perniciem damnatos tuebantur errores, gaudeo pietatem vestram, sicut mihi venerator vester frater meus Julianus episcopus indicavit, saluberrime præcepisse; ut ablati e monasteriis apud eos degere juberentur, quibus nocere non possent: quod ut spero multis remedio erit, quos a perversis doctoribus liberastis, crescentibus per omnia gloriæ vestræ meritis.* (*a*) Carosus aut pœna aut conscientia victus, confessionem fidei ediderat congruentem concilii decretis; nec tamen admissus ad communionem ab Anatolio. Anceps an odiis privatis, an dubia emendatione. De quo negotio Leo ad Julianum in epistola scripta V id. Martii, quæ primum **563** prodit eruta e ms. cod Griman. numquam satis laudando. *Significas*, inquit, *Carosum in fidei confessione correctum; sed ita contra fratrem Anatolium in simultate nescio qua permanere, ut propter ipsius discordiam etiam nunc a communione desciscat* (*Epist.* 113, *nunc* 141, *c.* 1). De his monachis nihil amplius reperi.

VI. Ex eadem epistola apparet Joannem virum A spectabilem a Marciano (*b*) in Palæstinam hoc anno, non anno 452, ut existimavit Baronius, missum ad monachos, ut eorum fidem confirmaret nefarii Theodosii consiliis circumventam. Audax ille monachus intrusus in sedem Jerosolymitanam, pulso (ut scripsimus) Juvenale legitimo pontifice, et postea restituto, effugerat vincula, seque ad Sinam montem recipiens extorris agebat; mutatisque subinde per monasteria hospitiis, pœnam eludebat. Excipiebant illum tuebanturque monachi quasi innoxium. Decurionem Joannem propterea miserat imperator, ut eos edoceret quæ acta, se præsente, Chalcedone, quæque in Ægypto gesta. *Joannem vero spectabilem virum, et in fidei sinceritate laudabilem ad Ægyptum causa fidei fuisse directum significas. Qui quantum paci emendationique profuerit, cum primum redierit scire me facias, quod te etiam sine meo monitu facturum esse non dubito* (*Ibid.*).

In eadem epistola de Maximo fit mentio his verbis. B *De Antiocheni autem episcopi statu*, inquit (*Epist.* 113, *nunc* 141, *c.* 2), *multo animi dolore contristor; si, quod absit, vera adversus eum ab accusatoribus proferuntur. Sed præter sacerdotalem diligentiam, quam curam utilitatis habituram esse non ambigo, maxima mihi de justitia et benevolentia gloriosissimi principis fiducia datur, qua certus sum, in quantum potest fieri, providendum, ne in ullam partem valere possit fallacia* (*Ibid.*, *c.* 2). Res mihi obscura videbatur cum primæ editioni incumbebam. Nondum enim occurrerat Chronici Nicephori locus, qui rem totam elucidat. Is enim disertis verbis scribit, quod Maximus, qui synodo Chalcedonensi interfuerat, in locum Domni suffectus, sede sua expulsus fuit (*c*), *ob lapsum*, postquam Antiochiæ sedisset annis quatuor: Μάξιμος ὁ ἐν τῇ τετάρτῃ συνόδῳ ἐν Καλχηδόνι, ὃς ἐξεβλήθη διὰ πταῖμα, ἔτη δ'. Certum est igitur Maximum ut peccati carnis reum fuisse depositum, non vero propter publicæ rei crimen, ut antea male divinabam, conjecturis liberius indulgens. Basilius porro Maximi locum **564** C cepisse videtur hoc ipso anno, si fides Nicephoro, qui quatuor annis Maximi pontificatum circumscribit. Jam enim in Domni locum electus ille fuerat ante synodum Chalcedonensem, et ejusdem auctoritate confirmatus anno 451, certe ultra annum 456, differri non potest ejus ordinatio, de qua S. Leo certiorem se esse factum scribit Marciani imperatoris litteris, qui mense Januario anni 457 excessit e vivis; sic enim in epist. 118 (*nunc* 149) quam e tenebris eruimus: *Ordinationem quidem dilectionis tuæ secundum ecclesiasticum morem tuo vel fratrum nostrorum provincialium episcoporum debueramus sermone cognoscere; sed quia non defuerunt causæ quæ possent hanc diligentiam præpedire, et sanctæ memoriæ Marcianus princeps suis scriptis consecrationem tuam nobis cognitam fecit*, etc.

VII. Perempto Valentiniano, Maximus imperium Occidentale occupat, asciscitque sibi uxorem Eudoxiam nesciam parricidii. Femina magni animi certa D postmodum, opera Maximi Valentinianum interfectum, mariti necem ulcisci statuit; et ultra modum iræ indulgens etiam excidio Urbis vindictam parat. Gensericum Vandalorum regem ex Africa accersit. Ille illico ingentem exercitum trajicit in Italiam. Urbemque improviso aggreditur ingrediturque. Tum fœda facies senatus populique Romani, objecta Roma

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Duo Carosi in unum perperam confusi distinguendi sunt, alter memoratus epist. 141, alter vero de quo sermo est epist. 142. Hæc distinctio colligitur ex emendatione, quam noster Ratisponensis codex suggessit, chronicæ notæ epistolæ 142, ex qua emendatione utraque epistola eodem circiter die data cognoscitur, ita ut Carosus, qui epist. 142 una cum Dorotheo ob hæreseos crimen in exsilium pulsus traditur, diversus esse debeat ab eo qui epist. 141 in fidei confessione correctus affirmatur.

(*b*) Joannes Decurio non in Palæstinam, sed in Ægyptum ab imperatore missus fuit, ut non solum verba Leonis epist. 141 inferius descripta, sed ipsæ imperiales litteræ ad Alexandrinos missæ et exhibitæ tom. II Concil. col. 1794 manifeste significant. Vide annot. 4 (*Supra, col.* 296, *n.* a) in annum præcedentem

(*c*) « De depositione Maximi consule Nicephori Chronologiam. » QUESNELL. — Confer etiam nostram dissertationem de Epistolis deperditis, n. 79

Arianis militibus. Sanctus Leo, qui olim Attilam armis ferocem mitigaverat, sagaci animo cladem prænuntians de imminenti periculo concionem habuerat, quia non mutati civium mores amoto discrimine. *Magnum periculum est*, dicebat (*Serm.* 84, *nunc* 84, *in Oct. apost.*), *esse homines ingratos Deo; et per oblivionem beneficiorum ejus, nec de correctione compungi, nec de remissione lætari. Vereor igitur, dilectissimi, ne vox illa prophetica tales increpasse videatur quæ dicit : Flagellavi eos, et non doluerunt; castigavi eos, et noluerunt accipere disciplinam.* Etsi causam malorum prævideral, Urbi tamen periclitanti opem suam non denegavit. It obviam Vandalo, ingredienti Urbem occurrit, regem pluribus alloquitur. Rex barbarus ferro et incendio delere Urbem parabat : sanctus Leo obtinuit ut direptione contentus, igne et cæde abstineret. Romanas igitur opes abstulit Gensericus, multaque captivorum millia in Africam abduxit, Eudoxiamque cum filiabus simul transvexit. Sic (*a*) historia Miscella (*Lib.* I) : *Gensericus continuo vacuam præsidio civitatem capit*, **565** *et occursu Leonis papæ mitigatus ab incendio, cædibus atque suppliciis Urbem immunem servavit : omnibus tamen opibus ablatis, multa inde captivorum millia cum Augusta Eudoxia et ejus filiabus Carthaginem revexit.* Sanctus pontifex (*b*) tres præterea primarias basilicas a direptione defendit. Nam cum resarciendis damnis post cladem Leo animum adjiceret, argentea et magni ponderis vasa olim tribus basilicis Constantinianæ, Sancti Petri, et Sancti Pauli a Constantino data conflari jubet et per titulos Urbis distribui, ut habet liber Pontificum : *Hic renovavit post cladem Vandalicam omnia ministeria sacrata argentea per omnes titulos de conflatis hydriis sex, duas basilicæ Constantinianæ, duas basilicæ beati Petri apostoli, duas beati Pauli apostoli, quas Constantinus Augustus obtulit, quæ* **566** *pensaverunt singulæ libras centum.* Platina addit a sancto Leone novas ecclesias conditas, basilicamque sancti Stephani ad viam Latinam sumptibus Demetriadis virginis et consiliis Leonis exstructam. *Leo ad reparandam Urbem*, ait ille auctor, *et templa conversus, Demetriam ancillam Dei impulit ut basilicam B. Stephano via Latina tertio ab Urbe milliario in fundo suo conderet.* Eadem Paulus Diaconus scribit. *Hujus*, sancti Leonis, *tempore Demetrias, ancilla Christi Romæ Sancti Stephani ecclesiam fecit.* Non una ecclesiarum cura Leoni fuit : urbem ipsam attonitis adhuc magistratibus restituere aggressus est, ordinare omnia, deesse nemini; et si suos limites habebat jurisdictio ecclesiastica, ejus tamen charitas nullos habuit.

ANNUS CHRISTI 456; — LEONIS PAPÆ 17; — MARCIANI ET AVITI IMPP. 7; — JOANNE ET VARANE COSS.

Vandalus, devastata Urbe deportataque in Africam præda, (*c*) magnam captivorum turbam ad regem eremi Capropicti, ut refert Victor Vitensis, misit. Natio illa vanæ idolorum superstitioni addicta erat. Romanos minus affecit dolor exsilii, quam cultus profanus. Illi itaque, vegeta adhuc in vinculis Christiani animi libertate, homines servituti dæmonum subjectos ad Christi libertatem revocant, et sanctum Evangelium annuntiant. Tum complures barbari, excusso jugo dæmonum, Christo caput submittere, et captivos ut liberatores amplecti. Sed quoniam inopia erat presbyterorum episcoporumque, Romam mittunt legatos ad sanctum Leonem, seu Cæsariensis Mauritania vicina provincia, ut mox dicemus, idoneis ministris egeret; seu quia reliqua Afriqua Arianorum Vandalorumque oppressa imperio. Certe Romam itum est, ubi sincerior doctrina majorque copia ministrorum. Legati per diverticula occultosque calles venere Romam : renuntiant summo pontifici quomodo opera captivorum propagatum imperium Christi; sed presbyteris episcopisque esse opus. Leo benigne legatos excepit et gaudens postulatis annuit.

ANNUS CHRISTI 457; — LEONIS PAPÆ 18; — LEONIS ET MAJORIANI IMPP. 1; — CONSTANTINO ET RUFO COSS.

I. Dum hæc agerentur, moritur Marcianus imperator, VII kalend. Febr., magno omnium desiderio. Hunc ex angulo ad editissimum locum sua merita extulerant : immo Deus ipse quasi ductum manu per varios casus ad supremum imperii culmen evexerat, ut miserrimis temporibus tutela imperii et columen foret Ecclesiæ. Cives **567** boni luxere magnum principem, orthodoxi luxere Christianum : cui par fortunæ virtus, cui pietas singularis, fides integra, justitia inconcussa; cui denique multum debuit respublica, multum Ecclesia. E vita decessit Marcianus in Africam expeditionem parans, ulturus excidium Urbis, et illatam Eudoxiæ filiabusque injuriam. Huic successit Leo hæres non modo imperii, sed et virtutum sui decessoris. Sanctus Leo statim illi per litteras imperium gratulatus est; et in multis locis præclare de eo loquitur. Ejus electionem, cui omnium vota consenserant, religioni æque ac imperio lætam dicit; quibus testimonia veterum scriptorum congruunt. Sic ille ad Anatolium : *Gratias Deo, qui, post excessum sanctæ ac venerandæ memoriæ Marciani, talem principem omnium electione prospexit, ut in ejus virtutibus et Romana respublica, et religio Christiana gauderet* (*Epist.* 106, *nunc* 146, *c.* 2).

II. (*d*) In Ægypto hæretici, audita morte Marciani

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Prosperi coævi scriptoris testimonium in Chronico integro, quod Quesnello scribente editum non fuerat, subjicere placet. *Post Maximi exitum*, inquit ad an. 455, *confestim secuta est multis digna lacrymis Romana captivitas, et Urbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra portas S. Leone episcopo, cujus supplicatio ita eum Deo agente lenivit, ut cum omnia potestatis ipsius essent, tradita sibi civitate, ab igne tamen et cæde atque suppliciis abstineret. Post quatuordecim igitur dies secura et libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est, multaque millia captivorum, prout quique aut ætate, aut arte placuerunt, cum regina et filiabus ejus Carthaginem abducta sunt.*

(*b*) Anastasii testimonium hoc solum probat, hydrias sex a Constantino olim oblatas non fuisse subreptas a barbaris : num autem hæ eorum rapinas idcirco evaserint, quia tribus primariis basilicis pepercerunt : an vero quia ante eorumdem deprædationem alicubi fuerunt occultatæ, ex ejus testimonio non liquet.

(*c*) Victor Vitensis quatuor tantum fratres captivos ad regem eremi Capropicti missos narrat. Ex ejus autem narratione non liquet, utrum iidem fuerint Romæ capti, et multo minus utrum quæ de legatis Romam missis subjicit, ad pontificatum Leonis, an vero ad tempus posterius pertineant. Hoc postremum probabilius videtur.

(*d*) Duo Eutychianorum tumultus post Marciani mortem contigerunt, alter Constantinopoli, alter Alexandriæ. De secundo satis Quesnellus. Primum vero didicimus ex epist. 144 ad Julianum Coensem, quam die 1 Junii scriptam ex ms. Ratisponensi eruimus. Eutychiani scilicet quædam apud novum imperatorem Leonem moliri cœperunt, ut eum in sui patrocinium adducerent. Sed hæc omnia eorum molimina Juliano aliisque catholicis agentibus destructa fuere. Hæc ex Juliani litteris Leo intellexit : simulque de Alexandrinis tumultibus quidam rumores Romam pervenere, qui tamen non exacte cogniti fuere nisi per Anatolii epistolam de qua Quesnellus in sequentibus loquitur.

denuo movere turbas incipiunt, rati sublato orthodoxæ fidei vindice imperium contendentium ambitu diu turbatum iri, et posse fidem expugnari turbidis rebus. Seditionem igitur diu conceptam data occasione excitant. Dux seditionis Timotheus Aelurus ex monacho presbyter Alexandrinus. Urbem ille circumcursans, stipatus monachis quasi satellitibus, plebeculam novitatis et turbarum avidam cogit, ascitisque episcopis duobus ob hæresim abdicatis a sacerdotio, locum Proterii invadit, manusque per eos sibi imponi jubet, amoto legitimo episcopo, qui audiens valere factionem, et vim metuens quia majoris hebdomadæ tempus erat, in baptisterium se recipit. Huc tumultuario Aeluri satellites advolant, nec pontificio honore, nec sacro tacti loco, Proterium necant, unco trahunt per vicos, illuduntque cadaveri. Discerptum in partes ignibus tradunt, cineresque projiciunt; eamque ferunt vesaniam fuisse, ut artus Proterii aliqui dentibus convellerent; deglutirentque. **568** Post perpetratum facinus, hæretici fidem profligare aggrediuntur, synodum Chalcedone habitam condemnant, B epistolam Leonis ad Flavianum anathemate feriunt et novam synodum poscunt. Quæ ubi Constantinopolim allata, imperator sacrilegium parricidiumque detestatus est; audaciam furiosæ hæresis dictis et factis condemnat, adimitque spem synodi.

Anatolius in hac rerum perturbatione anceps quid agat, scribit ad sanctum Leonem, docet quæ acta Alexandriæ, et tot tantisque malis quærit remedia. Sanctus Leo rescripsit epistolam ineditam hactenus, quam modo proferimus, et unde hæc hausimus. *Cujus quidem imperatoris*, ait Leo (*Epist.* 106, *nunc* 146, *c.* 1), *tam laudabilis fides, et tam prompta devotio est, ut quæ paci ecclesiasticæ congruebant, sine intercessione cujusquam, sicut ipse indicas, sponte præstiterit, omnes hæreticorum insidias repellendo, qui opportunitatem se invenisse temporis æstimabant quo sanctæ synodi Chalcedonensis decreta cessarent.*

III. Scripserat (*a*) mense superiori sanctus Leo ad C Imperatorem epistolam (*Epist.* 115, *nunc* 145). Laudat ejus pro pace procuranda studium, hæreticos a spe synodi dejectos gratulatur, poscitque episcopum ab Alexandrinis eligi, cujus haud dubia fides et nota morum sanctitas. Eadem ad Julianum (*Epist.* 117, *nunc* 147) et Aetium in epistola, quam ex ms. edidimus: et ut insidias hæreticorum eluderet, de fide Chalcedonensi encyclicas (*b*) epistolas misit ad Basilium Antiochenum (*Epist.* 118, *nunc* 149), ad Euxitheum Thessalonicensem vicarium Illyrici, et Juvenalem Jerosolymitanum (*Epist.* 119, *nunc* 150), quem inter metropolitanos hic numerat. Ad Julianum Coensem et Aetium presbyterum litteras suas direxit, ut his ad quos scribebat redderentur; adjunxit exemplaria litterarum quas ad imperatorem Asparemque patricium, et ad alios scripsit, ut qui suas vices obibant rerum suarum haberent notitiam. In epistola ad Julianum (*Epist.* 120, *nunc* 152), quæ kalend. Septembris scripta est, mirari se dicit **569** esse aliquos, qui in epistola sua ad Flavianum esse quædam A obscura, vel sensu, vel sermone ambigua calumnientur, cum nihil in ea sit quod non ab evangelica et apostolica doctrina derivatum. *Miror sane*, inquit, *calumniantium vanitati aliquid adhuc in epistola mea, quæ universo mundo placuit, obscurum videri, ut de ea putent aptius exponendum; cum illius prædicationis tam plena et solida sit assertio, ut nihil recipiat vel in sensu, vel in sermone novitatis. Quia quidquid tunc a nobis scriptum est, ex apostolica et evangelica probatur sumptum esse doctrina.* Aetio exemplaria litterarum quas episcopi Galli Italique ad se scripserant indidem misit (*Epist.* 121, *nunc* 153, *c.* 2), ut unam esse fidem in Occidente et suam esse omnium episcoporum suarum partium doctrinam ostenderet. *Exemplaria quoque litterarum*, inquit, *quæ Galli ad nos atque Itali episcopi concordi credulitate miserunt pariter direximus, ut quam etiam illorum nobiscum sit fides una non lateat.* Data occasione Leo ad imperatorem tertio scribit. Commendat illi res Ecclesiæ, ejus fidem laudat, quia hostem se hæreticorum et defensorem fidei Chalcedonensis probaverat. *Ita hæreticorum*, inquit, *impudentiæ restitistis, ut profiteremini ad totius mundi pacem Chalcedonensis synodi vos esse custodem.*

IV. Alexandrino episcopo, ut diximus, occiso, Timotheoque in ejus sedem intruso, episcopi orthodoxi, quibus post cædem Proterii nihil tutum in Ægypto, fuga et latebris sibi consulere cogitant. Ii quibus per ætatem licuit Constantinopolim profecti sunt, **570** suppliciterque auctoritatem imperatoris implorant contra furentem hæresim, dant supplices libellos, mala quæ perpessi catholici commemorant, et quam fidem profitentur pluribus exponunt. Hæretici pariter legatos Constantinopolim mittunt, et suas litteras imperatori offerunt: quæ sit sua fides pariter explicant, Nicænam synodum et Ephesinam accipere se profitentur. Dioscori latrocinium seu pseudoephesinam synodum prædicant, Constantinopoli habitam a Flaviano synodum cum concilio Chalcedonensi repudiant, Timotheum in sede Alexandrina ab Augusto confirmari poscunt, ab eoque ad illum petunt litteras. Libellis orthodoxorum complu-res episcopi subscripserant, hæreticorum litteris subscriptiones nullæ, quasi sui nominis et suæ paucitatis puderet. *Oblatæ sunt*, ait S. Leo noster (*Epist.* 125, *nunc* 156, *c.* 4), *pietati vestræ preces, quarum exemplaria vestris litteris subdidistis. Sed in his quæ catholicorum sunt, deplorantium subscriptio continetur; et quia causa probabilis est, fiducialiter nomina singulorum, vel dignitas sui honoris aperitur. In illis autem, quas orthodoxo principi hæretica porrigere non formidavit obreptio, sub incerto universitatis vocabulo, ideo certum nomen retrahitur, ne non solum paucitas personarum, sed etiam meritum detegatur. Latere enim sibi utile existimat eorum quantitas, quorum est qualitas judicata; nec incongrue cujus loci homines sint profiteri metuunt, qui meruere damnari.* Utrorumque libelli inter Acta concilii Chalcedonensis reperiuntur, parte tertia.

Leo imperator causam (*c*) ad Anatolium **571** re-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Hæc Leonis epistola 145, ad Leonem Augustum, emendata ex potioribus nostris codicibus chronica nota, eodem mense ac die quo epistola 146 ad Anatolium scripta fuit.

(*b*) Tres præmissæ epistolæ 145 ad Augustum, 146 ad Anatolium, et 147 ad Julianum statim post relationem Anatolii de Alexandrinis turbis exaratæ fuerunt v idus Julias. Quinque autem sequentes epistolæ 148 ad Leonem Augustum, 149 ad Basilium Antiochenum, 150 ad Euxitheum Thessalonicensem, et ad alios metropolitas Illyrici, atque ad Juvenalem Jerosolymitanum, 152 ad Julianum, et 153 ad Aetium, alia occasione habita, eadem super re transmissæ fuerunt kalendis Septembris. Sextam ejusdem diei epistolam 151 ad Anatolium ex Ratisponensi codice edidimus, ex qua præterea prudentiam et cautionem D Leonis in Attici causa colligere licet. Primæ autem notitiæ ad se delatæ, qua Atticus Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyter hæresim publice confovere tradebatur, non omnino fidens S. pontifex, Anatolio commisit ut eum secreta primum disquisitione discuteret; ac si quid in corde ipsius de hæretici veneni permixtione reperiret, aut corrigendo catholicum faceret, aut ab Ecclesia necessaria severitate depelleret.

(*c*) Non ad solum Anatolium, sed ad omnes etiam metropolitas, ac præsertim ad Romanum pontificem hæc causa ab imperatore remissa fuit. Id manifestum fit ex codice Encyclio, qui Quesnello non satis cognitus fuit. Hujus codicis auctor documenta in hac causa imperatore Leone instante lucubrata collegit. Sicut autem pleraque documenta erant Græca; ita Græcus collector ipsum codicem Græce edidit. At

misit, ut in synodo ἐνδημούσῃ, id est ex episcopis qui in urbe erant, quid statuendum de Timotheo, et de rebus Chalcedone decretis judicaret. Patet ex ejus ad Augustum litteris condemnatum Timotheum, vindicatamque ab injuria professam Chalcedone doctrinam. Tum existimo relationem ab Ægyptiis et orthodoxis episcopis oblatam Anatolio, eam scilicet quæ Actis concilii Chalcedonensis postea addita est. Rogabant scilicet Anatolium ut Antiochenum, Jerosolymitanum, Thessalonicensem, Romanumque præcipue episcopum certiores faceret de Alexandrinis hæreticis, et referret quæ impotenter egerant adversus orthodoxæ fidei defensores. Anatolius ad sanctum Leonem scripsit (*Epist.* 124, *nunc* 155), cui sanctus Leo respondit v aut vi idus Octobris; quæ epistola in nostro manuscripto legitur cum hac inscriptione : *De relatione contra Timotheum Alexandrinum.* Eadem manu ad episcopos Ægyptios, qui Constantinopolim fugerant, scribit (*Epist.* 123, *nunc* 154). Epistolæ inscriptio est : *Episcopis ex Ægypto catholicis apud Constantinopolim constitutis.* Consolatur eos quod pro causa fidei tot mala perpetiantur; esse gaudii magis quam tristitiæ argumentum, quia laudem nomenque confessorum meriti sunt. Eos adhortatur ut fidem Chalcedone defensam fortiter tueantur. Hæc epistola primum a nobis publica facta est.

Nec modo Anatolius ad eos quos diximus scribit, sed et ad omnes metropolitas Orientis, tam amore fidei, quam cupidine promovendæ auctoritatis. Leo imperator ad eos omnes pariter ad quos Anatolius litteras mittit. Sanctum Leonem in primis rogat ut Constantinopolim veniat, pacandæ Ecclesiæ gratia (*Epist.* 125, *nunc* 150, *c.* 1). Simul relationes catholicæ hæreticæque partis ad eos mittit, ut judicium ex æquo ferant. Metropolitani, acceptis litteris imperatoris et Anatolii, provinciales synodos congregant, relationes coram legunt: exsecrantur mala in Ægypto ab hæreticis perpetrata, Timotheum deponendum censent, Acta Chalcedonensis synodi approbant, negant retractanda quæ ibi sancita sunt. Unus Amphilochius Sydæ episcopus, etsi Timotheum condemnabat, Chalcedonensem synodum, rerum forte ignarus, improbavit.

VI. Antequam ulterius progrediar, quædam illustrandæ historiæ gratia hic inserenda duxi. Illustrissimus Annalium Ecclesiæ conditor scribit relationes de quibus egimus missas ex Ægypto. Sed ex his quæ

A retulimus apparet ab ipsis Ægyptiis episcopis tum profugis Constantinopoli agentibus oblatas fuisse. Addit doctissimus cardinalis relationes non datas imperatori, nisi ad omnes metropolitas **572** missis litteris a quibus imperator professionem fidei poscebat. Sed hæc non conveniunt cum litteris imperatoris responsisque episcoporum, qui de relationibus conceptis verbis agunt. Id etiam constat ex epistola Varadati monachi, et ex testimonio ipsius Liberati diaconi, qui litteras imperatoris non nisi post acceptas relationes missas commemorat.

VII. Inter litteras episcoporum reperitur epistola Juliani episcopi Coensis ad Leonem imperatorem, ex qua licet colligere ejus ad suam Ecclesiam (*a*) reditum, ex qua complures annos abfuerat, in comitatu universæ Ecclesiæ negotium agens. Discedens curam rerum Aetio reliquit, cum quo et sanctus Leo per litteras communicare solitus erat. Neque amplius in Urbe commoratum arbitror, ex quo Marcianus obiit.

B Nam neque de Alexandrinorum seditione sanctum Leonem certiorem fecisse reperio, neque sui discessus Leonem admonitum puto, qui Aetio æque ac illi suas litteras dirigit, dubius an in Urbe amplius commoraretur. Accedit quod ipse sanctus Leo ejus silentium conqueritur in litteris illis Juliano Aetioque communibus. *Quamvis dudum*, inquit (*Epist.* 117, *nunc* 147, *c.* 1), *litteras tuæ dilectionis acceperim, miror tamen eam rescribendi opportunitatem qua frater Anatolius necessario usus est silentio præteriisse, cum pro ratione temporis atque causarum crebriora oporteat esse colloquia.* Et kalend. Septembr. cum nullas ab eo litteras reciperet, hæc ad eumdem : *Existente*, inquit, *occasione, conveniens fuit ad dilectionem tuam scripta dirigere, quibus studium tuum in causis ecclesiasticis, et his quæ ad fidem pertinent, incitamus.* Sed quia ex silentio absentiam conjectabat, ad Aetium eadem opera scribit. De Juliano Coensi nulla deinceps mentio in litteris sancti Leonis.

VIII. Sanctus Leo, acceptis imperatoris Anatoliique

C litteris, Alexandrinorum relationibus commotus est, quia de Timothei causa ambigi, et auctoritatem concilii Chalcedonensis periclitari videbat, imperatore quasi de re dubia episcopos consulente. Scribit ad Augustum (*Epist.* 125, *nunc* 156), profectionemque Constantinopolim inutilem fore significat, quia præsentia sua, et decretis synodi, quæ sancti Spiritus afflatu rite sancita sunt, et paci Ecclesiarum noxia;

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

Græcus textus desideratur. Sola superest Latina versio, quam Epiphanius Scholasticus lucubravit. Hujus codicis ordo, ut in mss. continetur, profertur tom. V Concil. Ven. edit. col. 33 et sequentibus. Sic autem res se habuit. Intruso ab Eutychianis in Alexandrinam sedem Timotheo Æluro, et occiso S. Proterio, maximoque inter hos et catholicos Ægyptios tumultu hac de causa excitato, utrique cum supplicibus libellis ad novum imperatorem Leonem confugerunt. Cumque ab Eutychianis impeteretur fides concilii Chalcedonensis; hoc ab errore revocandos putavit imperator, si loco novi concilii, quod illi petebant, omnium episcoporum sententia per litteras

D significaretur. Igitur utrosque libellos cum sua epistola ad omnes metropolitas, et potissimum ad Romanum pontificem misit, petens ut, suæ cujusque provinciæ coacta synodo, suum sensum litteris aperirent. Imperialis encyclica ad Anatolium scripta in laudato codice describitur c. 6, ac dein c. 11 subjiciuntur aliorum episcoporum nomina, ad quos eadem epistola a pari directa fuit, ac inter hos primo data dicitur *Leoni reverentissimo urbis Romæ pontifici.* Hæc encyclica ad cunctos metropolitas circa Octobrem hujus anni 457, per Magistrianos, celerrime missa, Romano pontifici ita sollicite tradita fuit, ut primus omnium ad imperatorem rescripserit epist. 156, kal. Decembris : unde etiam in codice Encyclio, statim post indicata episcoporum nomina primo loco descri-

bitur cap. 12. Non aliam curam Anatolio imperator dedit, nisi ut coacta similiter synodo ipse quoque suam et suæ synodi sententiam litteris traderet. Quod si is ad Romanum pontificem et ad omnes metropolitas, eadem occasione qua imperator scripserat, encyclicam direxit, id non imperatoris jussu fecit, ac si is hanc illi causam præcipue commisisset, sed ut satisfaceret Ægyptiis episcopis catholicis, qui in alio libello ipsi tradito et descripto in laudato codice cap. 8 eum rogaverant ut suos gemitus ac fidei necessitatem *sanctissimo Ecclesiæ Romanæ pontifici Leoni* aliisque metropolitis indicaret. Ei Anatolii ad Leonem epistolæ, quæ hac de causa scripta desideratur, pontifex, kalendis item Decembris, respondit epist. 157, simulque ad catholicos Ægyptios Constantinopoli degentes aliam epistolam 158 eodem die signatam dedit. Epistola vero 155 ad Anatolium, licet de his episcopis loquatur, aliis tamen anterioribus ejusdem Anatolii litteris rescripta fuit, eique titulum *De relatione contra Timotheum Alexandrinum* perperam a Quesnello præfixum ostendimus annot. 1 (*Tom. præced. col.* 1125, *n.* [c]) in eamdem epistolam.

(*a*) Julianum diutius Constantinopoli constitisse, saltem usque ad annum circiter 459, probavimus in admonitione ad epistolam ipsius Juliani appendici insertam n. 2. Vide tom. I, col. 1477 (*Tom. præced. hujus edit.*, *col.* 1241).

quasi synodi vacillaret fides, quam alioquin modis omnibus defenderet. Compositis deinde orthodoxorum hæreticorumque inter se relationibus, dubium imperatoris de Timotheo judicium modeste juxta et sapienter reprehendit : *Nonne perspicuum est*, inquit (*Ibid., cap.* 5), *quibus pietas vestra succurrere, et quibus debeat obviare; ne Alexandrina Ecclesia, quæ semper fuit domus orationis, spelunca* **573** *nunc sit latronum*. Eadem epistola audaciam hæreticorum reprimit, qui id petere audeant quod innocentibus, nedum sacrilegis parricidisque optare non liceat : nam scribit ille : *Quod exorata pietatis vestræ venia dixerim, quodam contagio splendorem vestræ serenitatis offuscant, cum sacrilegi parricidæ id audeant petere, quod nec innocentes liceat obtinere* (*Ibid., c.* 5). Ad calcem epistolæ plura pollicetur, quæ longioris colloquii vicem suppleant: quod argumentum præbuit epistolæ 134 (*nunc* 165), ubi multa ex SS. Patribus testimonia proferuntur, quibus approbat sanctam Verbi incarnationem. Aliam itidem epistolam ad Anatolium mittit, qua imperatoris fidem laudat, *quæ sollicitudinem pene superet sacerdotum* (*Epist.* 126, *nunc* 167, *c.* 1). Ad hæc multa de eo sibi polliceri narrat, sperans ejus cura vigilantiaque agendum ut Alexandrina Ecclesia ex hæreticorum manibus eripiatur, deturbenturque hostes fidei ex ea sede ad quam per cædes et sacrilegia sibi gradum fecerunt. Lætitiam quoque suam non dissimulat, quod quatuor dumtaxat episcopi Timotheanæ hæresi latrocinioque adhæreant, hortaturque enixe uti omni humanitate episcopos Ægypto profugos suscipiat, spem insuper adimat hæreticis novæ synodi cogendæ. Tandem eum arguit vehementer quod Atticum presbyterum passus sit publice Constantinopoli adversus fidem Chalcedone professam disserere, minaturque se pro sua auctoritate acturum, si detrectet illum Andreamque socium suæ impietatis a communione abscindere. Hæc epistola legitur sine die et consule in manuscripto nostro codice, ex quo primum illam publicamus: quæ tamen haud dubie his scripta est temporibus.

IX. Ægre tulit Anatolius (*a*), quasi res suas alienaque negotia ille curaret, significavitque illi scribens anno sequenti per Patricium diaconum. Moderate accepit Leo Anatolii querelas; responditque se non animo lædendi hæc scripsisse, cui omnia discutiendi potestatem reliquerat : *Neque in aliquo honorem* **574** *tuum læsi, cui discutienda quæ ad me erant perlata commisi* (*Epist.* 28, *nunc* 163, *cap.* 1). Anatolium imprimis angebant litteræ Leonis ad Augustum, quibus arguebatur quod clericos fidei ambiguæ ex sua Ecclesia non ejiceret; immo oscitanter ferret aliquos de fide perverse sentire et loqui : *Sacerdotalem namque et apostolicum tuæ pietatis animum hoc malum ad justitiam ultionis debet accendere, quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ puritatem pestilenter obscurat : in qua inveniuntur clerici quidam, hæreticorum sensui consonantes,*

A *et intra catholicorum viscera assertionibus suis hæreticos adjuvantes. In quibus deturbandis si frater meus Anatolius, cum nimis benigne parcit, segnior invenitur, dignamini pro fide vestra etiam istam Ecclesiæ præstare medicinam : ut tales non solum ab ordine clericatus, sed etiam ab urbis habitatione pellantur, ne ulterius sanctus Dei populus perversorum hominum contagio polluatur* (*Epist.* 125, *nunc* 156, *cap.* 5). Leonis sermonibus imperator excitatus Atticum impulit ut de sua fide ad pontificem Romanum scriberet, et meditata professione omnem de sua doctrina suspicionem amoveret. Perfecit Atticus in speciem quod Augustus jusserat : edidit misitque Romam confessionem fidei, sed obscuram et ambage verborum implicatam. Odisse Eutychem videbatur, sed non ejus errores aversari; Eutychi inimicum se palam testabatur, verum id poterat videri privatæ simultatis; quod ejus hæresim aperte non detestaretur, suspectæ fidei erat. In hunc modum sanctus Leo anno sequenti de litteris

B Attici : *Qui scripta mittendo dubiæ fidei, et professionis incertæ, confirmavit magis quam diluit quidquid ad nos de eo fama pertulerat. Nam si conscientiam suam voluisset probare sinceram, non Eutychem sibi odiosum fuisse, sed quod perfidiam ipsius reprobaret atque damnaret debuit confiteri : quia aliud sunt humanæ etiam inter catholicos simultates; aliud diabolici, quos fides catholica damnat, errores* (*Epist.* 128, *nunc* 163, *cap.* 1). Leo igitur petit ab eo non fucatam, sed explicatam Eutychianismi condemnationem, **575** planam sinceramque confessionem fidei Chalcedonensi congruentem. Sin abnuere pergat, hunc pœnis a synodo adversus hæreticos latis obnoxium pronuntiat. Vigilantiam æque ac prudentiam summi pontificis admirari licet, qui etsi jura Ecclesiarum custodire satagit, ut superius exposuimus tamen quando e re Ecclesiæ videtur esse, et id necessitas exigere, oscitantium præsulum urget negotium.

Interea hæretici, etsi odiosi omnibus imperatorique

C in primis, tamen tacitis artibus fidem sanam oppugnare nituntur, comperendinatione remorari res Ecclesiæ et suas promovere student. Erat his temporibus Basiliscus, is qui postea imperium invasit, tum in aula potens, clanculariusque hæreticorum fautor : cujus gratia et favore in perniciem Ecclesiæ abutebantur hæretici. Ejus opera spem datam novæ synodi facile mihi persuaserim, traditamque Timotheo Leonis pontificis Romani ad imperatorem epistolam, **576** qua sacrilegi hominis ordinatio condemnata, ut Evagrius commemorat lib. II, c. 1. Responsionem edidit Timotheus, qua nec Leonis epistolam, nec synodum Chalcedonensem veritus est reprehendere.

Ægyptii antistites, qui fidei causa extorres agebant Constantinopoli, cruciabantur interim cunctatione circuitionibusque hæreticorum. Confugiunt itaque ad Leonem, et auxilium poscunt. Feliciter a nobis recuperata responsio data kalendis Decembribus (*Epist.* 127, *nunc* 158), ubi eorum lacrymas lacrymis solari

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Leonis epistola 163, c. 1, indicat Anatolio displicuisse pontificis studium, quo eum monuit ut caveret ab iis qui communi fidei adversari dicerentur; ubi Atticum presbyterum Constantinopolitanum, qui publice contra fidem Chalcedonensem disputasse ferebatur, intelligit. Id autem Anatolius non idcirco ægre tulit, quod res suas alienaque negotia Leonem curare crederet, sed quia ex pluribus S. pontificis litteris hac super re scriptis se negligentiæ aut conniventiæ notari pervidebat. Primum scilicet Leo ad ipsum dedit epistolam 151 kal. Septembris hujus anni 457, qua tamen ne ejus honorem læderet, totam rem eidem discutiendam commisit. Eadem in re iterum institit epist. 155, quam alia occasione ad eumdem direxit die 11 Octobris. Idipsum tetigit alia epistola 157, kal. Decembris, quo die ad imperatorem alia de causa scripturus, hoc maximi momenti negotium ipsi Augusto commendavit. Cum vero nul-

D lam hac de re responsionem ab Anatolio accepisset, die 21 Martii anni sequentis 458, in epist. 161, ad Constantinopolitanos clericos, eadem super re nonnulla inseruit. Mox responsum Anatolii tandem accepit, quo studium ac sollicitudinem Leonis sibi displicuisse significavit; eique S. pontifex statim respondit epist. 163, signata (ut ex nostris codicibus emendavimus) die 28 Martii. In hac autem cum prima mentio fiat professionis fidei ab Attico missæ, hanc cum Anatolii litteris et ab ipso Anatolio directam satis credibile est. Ad hanc vero professionem scribendam Atticum ab imperatore potius quam ab Anatolio fuisse impulsum, ut Quesnellus cum aliis postea subjicit, nullo documento probabitur. Cum vero hæc Attici professio non plane satisfaceret, aliam exploratiorem Leo exegit, cujus formulam in vetustis collectionibus conservatam indicavimus annot. 3 *Tom. præced. hujus edit., col.* 1147, *n* 5) in epist. 163.

aggreditur; testatusque suum dolorem respondet se jam eorum postulationem antevertisse scriptis ad imperatorem litteris, hortaturque ut multa sibi de Dei bonitate et imperatoris fide polliceantur, tandemque sperent felicem rerum suarum exitum. Excitat deinde ad perferendas persecutiones exemplo apostolorum, nec inanes putent labores, cum quibus conjuncta est immensa merces.

ANNUS CHRISTI 458; — LEONIS PAPÆ 19; — LEONIS ET MAJORIANI IMPP. 2; — AUGUSTIS IISDEM COSS.

I. Auxit spem catholicorum consilium imperatoris. Hæretici, ut superiori anno diximus, synodum petierant, ubi retractarentur decreta Chalcedone edita. Augustus paci Ecclesiæ et imperii studens, de synodo cogenda suspenso animo fuerat, ratus posse turbas Ecclesiæ placari, si fieret synodus. Postmodum Leonis persuasus litteris hæreticis congregandi concilii spem sustulit. Nec tamen quievit hæreticorum furor: spe synodi amputata, publicum colloquium petunt cum iis quos maluerit Leo pontifex. Æqua petitio videbatur; et his revera artibus complures decepti. Jactabantur enim rumores hos sincere velle edoceri fidei veritatem; opinionumque non ita tenaces, ut nollent emendatas, si falsitas demonstraretur. Hæc quidem palam, sed revera procrastinandi animo collationem petebant; recogitabant enim animo meliora sibi tempora, ut varia rerum vicissitudo est: præterea eorum mentibus insidebat periculum fidei orthodoxæ, si aleam iterum subiret, et in controversiam revocarentur quæ definita sanctione Patrum. Adde quod si dubio marte in hoc conflictu depugnarent, posse novam synodum peti rebus suis nondum in collatione profligatis. His ita compositis, sub pacis imagine imperatorem per aulicos fautores adeunt, eique collationem persuadent. Ille consiliis in speciem utilibus circumventus ad sanctum Leonem de eo negotio scribit (*Epist.* 132, *nunc* 162, *c.* 2), confiteturque synodum frustra peti, postquam synodo Chalcedonensi finita controversia est: quia, ut ipse commemorat, *perfectio incrementum, et adjectionem plenitudo non recipit*. Quæ præclara imperatoris verba sanctus Leo suis ipse litteris prædicavit, et ad posteros transmisit.

II. Rogabat insuper sanctum pontificem, ut quoniam Constantinopolim proficisci non erat integrum, mitteret episcopos ex Occidente, qui quasdam quæstiones elucidarent. Agnovit perspicax pontifex astutiam hæreticorum, responditque in hæc verba: *Evidenter agnoscitis quod magnis hæreticorum audetur insidiis; ut inter Eutychis Dioscorique discipulos, et eum quem apostolica sedes direxerit, diligentior, tamquam nihil ante fuerit definitum, tractatus habeatur; et quod totius mundi catholici sacerdotes in sancta Chalcedonensi synodo probant gaudentque firmatum, in injuriam etiam sacratissimi concilii Nicæni efficiatur infirmum* (*Ibid. c.* 1). Episcopos tamen se missurum pollicetur, non ad pugnam cum hostibus fidei instaurandam; non enim patiendum ut recudantur quæ Nicææ et Chalcedone aliquando firmata sunt. *Prænoscat igitur*, inquit, *pietas tua, venerabilis imperator, hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos a sede apostolica profecturos: quia de rebus et apud Nicæam et apud Chalcedonem, sicut Deo placuit, definitis nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas* (*Ibid.*, *c.* 3). Sub finem epistolæ labentem Alexandrinam Ecclesiam illi commendat, rogatque vehementer ut, ejectis ex urbe parricidis, eam tandem in libertatem vindicet.

III. His litteris alteras (*Epist.* 130, *nunc* 160) adjungit ad episcopos clericosque qui, factione hæreticorum ex patria pulsi, Constantinopoli morabantur. **577** Digna luce epistola est, quam primum ex tenebris eruimus. Ad quindecim episcopos nominatim inscriptio est. Solatur eorum exsilium, monetque ne adventu episcoporum Occidentalium perturbentur, quos rogatu imperatoris Constantinopolim mittit, ad explanandas fidei quæstiones, quæ nonnullorum animos pulsabant. Hos deinde excitat uti pro fide constanter pugnare pergant, caveantque ne discordia suæ res dilabantur, atque iterum cum hæreticis manus conserant, vel colloquii, vel disputationis specie decepti.

Tertiam addidit epistolam ad clericos Constantinopolitanos (*Epist.* 131, *nunc* 161): illis fidei sinceritatem gratulatur, hortatur ad constantiam, et rogat ne sinant in suis visceribus grassari proscriptam hæresim, eliminent ex suo cœtu, quos hoc malo infectos sciant; Atticum Andreamque perstringens, quos hæresis suspectos diximus; hos ab officio dejici præcipit, nisi verbo scriptoque Nestorii et Eutychis dogmata detestentur, palamque jurent in fidem Chalcedonensem. Addit præterea eorum nomina, quorum fides dubia, jam ad Anatolium a se esse delata: unde conjicio laudatam superius (*a*) epistolam ad eumdem episcopum CP. non eo tempore, sed missam antea, quod supra diximus.

IV. Erant quinque menses prius elapsi, quam sanctus Leo mitteret episcopos quos promiserat, sive Romæ deerant idonei tanto negotio, sive quidpiam aliud eorum profectionem retardavit, quam ad finem mensis Augusti contigisse ex inedita huc usque epistola accepimus. Recte Baronius existimavit aliam a 78, quæ nunc est 132 (*modo autem* 162), epistolam exstitisse, qua ex more de certis missis legatis et eorumdem nominibus et commendatione sit actum. Nacti hanc juris publici facimus. Egregia quidem est, antiquis celebrata, nota Facundo, et ab eo excerpta, ut ex ejusdem scriptis accipimus, a Vigilio Pelagioque summis pontificibus in testimonium allata in controversia de tribus capitulis, et a sancto Prudentio Tricassino episcopo tota fere descripta, ut in notis fusius disserimus. Statim retardatam Geminiani Domitianique episcoporum profectionem paucis excusat. Qui erant isti episcopi, haud promptum dicere. Quidam Domitianum Mutinensem episcopum asserunt; Geminianum vero Catalaunensem e Gallis accitum; quia ejus nominis ea ætate alium facile non reperias. Res obscura, nec magni momenti. In ea epistola obsecrat obtestaturque Augustum ne **578** renovandæ disceptationis copiam permittat: neque de fide iterum agi, aut revocari in examen definitiones Chalcedone peractas; opem ferat Ecclesiæ Alexandrinæ, Timotheum jam toto biennio sedem occupantem, tamquam parricidam, nulla mora, nulla miseratione ab episcopatu dejiciat. *Quod ergo*, inquit, *in sanctæ Ecclesiæ pervasione et in præsulis ipsius crudelissima cæde impius parricida commisit, non potest humanis remissionibus expiari; nisi ille exoretur qui talia et solus potest plectere, et solus ineffabili misericordia relaxare.*

(*b*) Hæc, opinor, ipsa est epistola quam laudat Evagrius Histor. lib. II, cap. 10: Τοιγαροῦν πρῶτον ὁ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπίσκοπος Λέων ὑπέρ τε τῆς ἐν Καλχηδόνι συνόδου γέγραφε. Τήν τε Τιμοθέου χειροτονίαν ἀπεδοκίμασεν καὶ ἀθέσμως γενομένην· ἥντινα ταῖς Λεόντως ἐπιστολὴν Λέων αὐτοκράτωρ Τιμοθέῳ διαπέμπει·

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Intelligit epistolam 163 ad Anatolium, quam post epistolam 161 ad Constantinopolitanos scriptam, emendata chronica notatione, ostendimus annot. 12 (*Tom. præced. col.* 1148, *n.* 1) in eamdem epist 163. Quod si in epistola 161 eorum nomina quorum fides erat dubia, *missis antea litteris* Anatolio, indicasse scribit, non intelligit epistolam 163, quæ postea directa fuit, sed epistolas 151, 155 et 157, quæ *antea* ad eumdem scriptæ fuerunt.

(*b*) Non epistolam 164, sed epistolam 156 Evagrius respicit, ut in admonitione huic præmissa probatum a nobis fuit.

ται τῷ τῶν Ἀλεξανδρέων προέδρῳ Διομήδοις σιλεντιαρίου τοῖς βασιλικοῖς κελεύσμασι διακονησαμένου. Πρὸς ὃν καὶ ἀντέγραφε Τιμόθεος, πεμφομένος καὶ ἐν Καλχηδόνι σύνοδον καὶ τὴν Λέοντος ἐπιστολήν. Id est : *Primum igitur Leo episcopus senioris Romæ scripsit pro defensione synodi Chalcedonensis, et ordinationem Timothei, utpote illegitime factam improbavit. Quam Leonis epistolam imperator Leo ad Timotheum Alexandrinum episcopum misit per Diomedem silentiarium, regalium bajulum præceptorum. Cui rescripsit Timotheus, Chalcedonensem synodum et Leonis epistolam reprehendens.* De alia epistola quam de 133 (*nunc* 164), quæ nunc primum prodit in lucem, hæc non puto intelligi. De epistola enim 134 (*nunc* 165) prolixissima, testimoniisque sanctorum Patrum munita, ut non audeam interpretari, in causa est quod in ea ne verbum quidem de improbata Timothei ordinatione, qua de illic a Leone scriptum asserit Evagrius.

V. Præter has litteras, alias (*a*) triduo post ad eumdem Augustum dedit (*Epist.* 134 *ad Leonem Aug.*, *nunc* 165), quas quidem jam pridem promiserat, ipsis scilicet kalendis Novembris (*Leg.* Decembris) superioris anni, ut liquet ex epist. 125 (*nunc* 156) cap. 6. Haud dubium quin ejusdem legationis occasione datæ sint, quod et temporis ratio arguit, et ipsius epistolæ conspectus. Continet quippe prolixiorem diligentioremque de incarnationis mysterio tractationem, plurima amplissimaque subjecta habet sanctorum Patrum testimonia, quibus Eutychis error jampridem in Ecclesia proscriptus ostenditur; demum in fine epistolæ enixius postulat pontifex ut Augustus *paci Ecclesiarum Domini* **579** *sua constitutione prospiciat, et in omnibus sibi subditis Dei dona defendat.*

VI. Eodem hoc anno Leo, de ecclesiasticæ disciplinæ observatione, non minus quam de catholicæ fidei integritate sollicitus, decretales, ut vocant, epistolas duas scripsit, unam ad Nicetam Aquileiensem episcopum; alteram ad Neonam Ravennatem : utramque occasione Attilanæ vastitatis Italicis regionibus ante biennium illatæ (*Epist.* 129, *nunc* 159). Aquileia urbs Italiæ opibus potens et frequentia populi nobilis, quasi altera Roma olim æstimata est; sed objecta incursionibus barbarorum variam experta fortunam est. Attila, peragrato armis imperio, et devastatis nobilissimis oppidis, hanc urbem cepit diripuitque. Barbarus post urbis excidium magnum hominum numerum captivum abduxit. Tum mulieres non paucæ viduatæ toro, virosque aut morte absumptos, aut in posterum a reditu prohibendos ratæ, viduitatis haud satis patientes, alias ambiunt nuptias, aliisque viris nubere non dubitant. Restitutis rebus, reversi e captivitate priores mariti torum conjugalem repetunt; qui relictas duxere, retinere cogitant. Dum certatur pro thalamis, dubitaturque uter potior maritus sit, Adeodatus Ecclesiæ Romanæ diaconus, quem forte Aquileiam miserat Leo noster explorandi Ecclesiæ illius status gratia, Romam regressus est, retulitque aliqua quæstionum capita, de quibus quid apostolica sedes sentiret Nicetam poposcisse memoravit Adeodatus; nullum enim consultationis scriptum attulit. Respondit sanctus Leo ad primum caput juxta sententiam Domini : *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, necesse esse *ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegrentur, et ut recipiat unusquisque quod proprium est.* Adversus autem eos qui aut metu, aut necessitate coacti immolatitios cibos comederant, scribit *Pœnitentiæ satisfactione purgandos : quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda est.* Addit pariter de iis qui iterato baptizati sunt, vel metu vel errore traducti, culpam eluendam pœnitentia, et judicio episcopi ad communionis unitatem recipiendos; eos vero qui baptismum ab hæreticis acceperunt, confirmandos sola invocatione Spiritus **580** sancti per impositionem manuum (*Epist. ead.*, *cap.* 1-7).

VII. Epistola ad Neonam Ravennatem anno 451 olim assignata est (*Epist.* 135, *nunc* 166), eo quod Marciani consulatu insignita legebatur. Majorianum in Marciani locum substituimus, epistolamque ad præsentem annum revocavimus, cujus emendationis causas habes in notis. Duo decernuntur a Leone, unum de parvulis in captivitatem abductis; de quorum baptismate si nihil certi cognosci queat : *Accedat*, inquit, *talis intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium; nec vereamur huic salutis januam aperire, quam numquam ante docetur ingressus.... Quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod factum esse omnino nescitur.* De his qui ab hæreticis baptizati sunt, quod alterum caput est, idem statuit quod in superiori epistola ad Nicetam Aquileiensem definierat (*b*).

VIII. Legitur etiam Majoriani imperatoris hoc anno data constitutio, qua parentes vetantur virgines ad edendam professionem virginitatis cogere, oblatasque a parentibus recipere velum ante quadragesimum ætatis annum. Condemnantur similiter viduæ quæ non amore continentiæ, sed cupiditate vitæ laxioris, alteras nuptias refugiunt. Liber Pontificum Romanorum, eadem de virginibus a Leone constituta refert. *Hic quoque*, inquit, *constituit ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate annis quadraginta* (*Epist.* 125, *nunc* 156, *c.* 3). Et in epistola ad Rusticum episcopum Narbonensem sunt alia quædam quæ ad idem pertinent argumentum : quod mihi facile persuadet Leonis opera et consilio edictum Majoriani promulgatum. Unde intelligimus non insolitum visum episcopis, si principes caveant legibus quæ ad professionem disciplinamque monachicam attinent. Quin etiam ipsi pontifices plerumque regibus auctores fuerunt ut ejusmodi leges ferrent. Namque regiæ auctoritatis esse censebant tam commodis reipublicæ quam Ecclesiæ bono consulere. Hoc ipsum sanctus Leo ad imperatorem Leonem scribebat : *Debes incunctanter advertere regiam potestatem non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.*

ANNUS CHRISTI 459; — LEONIS PAPÆ 20; — LEONIS ET MAJORIANI IMPP. 3; — RICIMERE ET PATRICIO COSS.

Scripsit hoc anno Leo noster pridie nonas Martii epistolam unicam, quæ est ad universos episcopos per Campaniam, Samnium et Picenum constitutos (*Epist.* 136, *nunc* 168), eosque **581** reprehendit, quod in festis martyrum baptizarent, omissa exorcismorum jejuniorumque sanctificatione, aliisque ejusmodi ritibus relictis; constituitque non dandum baptismum aliis diebus quam Paschæ et Pentecostes. Ibidem prohibet *ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur*, **582** *cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta.* Non improbat tamen, si quis sponte propria ex plenitudine fidei et ex timore Dei apud homines ita erubescere non vereatur, ut suam ipse conscientiam publicare cupiat.

ANNUS CHRISTI 460; — LEONIS PAPÆ 20; — LEONIS ET MAJORIANI IMPP.; — MAGNO ET APOLLONIO COSS.

I. Ad Orientalium porro rerum seriem ut redeamus, diximus a Leone missos anno 458 Domitianum et Geminianum episcopos Constantinopolim, qui causam fidei pontificis nomine illic agerent. Quo suc-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Epistolam 165, non triduo post, sed eodem die quo epistola 164 datam ostendimus in admonitione ad epist. 165, n. 2.

(*b*) His duabus ad Nicetam et Neonam epistolis adjicienda est epistola 167 ad Rusticum Narbonensem, quam circa hoc tempus scriptam in admonitione ostendimus, et de qua Quesnellus egit an. 440, n. 15.

cessu legatione sua functi sint, obscurum est. Nam A quid Constantinopoli gesserint, neque Leonis epistolæ, nec scriptores Ecclesiastici tradunt. Certum dumtaxat Anatolium (*a*) superiori anno decessisse ante adventum legatorum. Ejus morte opinio est retardata eorum consilia, dum eligendo successori tempus teritur. Certum quoque ex litteris Leonis ad Gennadium (*Epist.* 138, *nunc* 170) non ante hunc annum 460, circa Junium mensem illos Romam rediisse. Sed quid actum hoc intervallo? Si (*b*) conjectura assequi licet, habitum est Constantinopoli concilium, ubi perlectæ epistolæ quas metropolitani cum subscriptione episcoporum suæ quisque provinciæ ad Augustum miserant; recitata etiam sancti Leonis epistola 134 (*nunc* 165) ad Leonem Augustum cum subjectis testimoniis sanctorum Patrum de incarnatione Verbi Dei. Quibus perlectis, quasi aliqua generali synodo habita, præsentium absentiumque communi consensione, accedente auctoritate imperatoris, Timotheus condemnatur, jubeturque abire ab episcopatu, quem per vim invaserat. De hac in Timotheum B sententia sermo est in epistola Leonis ad Gennadium, qui Anatolio successerat: *Universorum*, inquit, *Domini sacerdotum sententiis coarctatus.* Et in epistola 137 ad Leonem Augustum testatum pariter habetur imperatorem auctoritati episcoporum suam adjunxisse, ut impius Timotheus episcopalem sedem relinquere cogeretur. *Sciat*, inquit, *clementia vestra omnes Ecclesias Dei cum laude vestra exsultare pariter et lætari, quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ jugo improbus parricida depulsus est, et populus Dei, cui prædo nefarius incubabat, in antiquam fidei libertatem reductus, potest jam in salutis viam fidelium sacerdotum prædicatione revocari, cum videat omne seminarium venenorum in ipso auctore projectum.*

II. Pulsus e sede Timotheus, ut erat versatili animo, ad artes confugit, cedens tempori, quia refragari omnium episcoporum sententiis nequibat, neque amplius synodum Chalcedonensem improbare. Simulat igitur judicio episcoporum acquiescere, et parere C synodi decretis, ratus amovendam prompto obsequio suspicionem contumaciæ aut hæreseos, atque ita sibi sedem gratia et auctoritate amicorum restituendam. His rebus ita comparatis cum venia imperatoris advolat Constantinopolim, et communicat cum catholicis quasi innoxius. Leo per litteras Gennadii, et per duos episcopos admonitus, apud imperatorem ipsumque Gennadium (*Epist.* 138, *nunc* 170), plurimum ea de re conqueritur, multisque probat Timotheum episcopatu non modo indignum ob hæresim, verum etiam ob parricidium sacrilegiaque quæ perpetraverat, sedem Proterii viventis per vim occupatam, seditionis faces in Alexandrina Ecclesia **583** accensas, et mortem illatam antistiti rememorat, commendatque in primis Gennadio, ut sacrilegum parricidam non modo a conventu publico Ecclesiæ, sed et a privata fidelium societate prohibeat: *Et ideo dilectio tua sollicitudine qua claret eniti et elaborare debebit, ne cum tam nefario homine sermo aliquis privatim vel publice misceatur; neve sub specie correctionis ejus quorumdam conventui præbeatur occasio: ne redeundi* D

integram capiat libertatem, de quo jam edictis suis princeps Christianissimus judicavit. Obsecrat Augustum (*Epist.* 137, *nunc* 169) ut episcopum alium in Alexandrinam sedem subrogari jubeat, cujus non minus probata fides, quam mores integri, cumque ordinari *secundum morem veterem*, ut legitur in epist. ad Gennadium: quæ verba de industria litteris inserta; tacitus enim arguit consuetudinem ab Anatolio inductam: quippe qui episcopos majorum præsertim sedium ordinandi potestatem contra priscos mores sibi suæque sedi vindicaverat; ob eamque causam admonet Gennadium ne novitatem retineat quam sui decessores invexerant, sed antiquam præscriptamque canonibus legem observet.

584 III. Duo menses vix effluxerant, cum ecce legati ex Alexandrina Ecclesia Daniel presbyter et Timotheus diaconus, cum litteris novi episcopi Alexandrini rite consecrati. Læta illi renuntiabant. Timotheum Alexandria edicto imperatoris pulsum, et longe ablegatum, et communi cleri plebisque consensione, suffragiisque omnium electum Timotheum Solophaciolum rite solemniterque ordinatum. Tres illico gratulatorias epistolas misit Leo eodem die exaratas; datæ leguntur XV kalendas Septembris. Primam ad ipsum Solophaciolum scripsit (*Epist.* 139, *nunc* 171): gratulatur illi suam electionem; hortaturque, sicut litteris testatus erat, ut hæreticos in transversum actos ad rectum fidei tramitem reduceret. Secunda scripta est ad clericos Alexandrinos (*Epist.* 140, *nunc* 172); tertia ad episcopos qui Solophaciolum ordinaverant (*Epist.* 141, *nunc* 173); suamque cum illis lætitiam communicat, quod is sit ordinatus cui nihil ambitio, nihil tumultuariæ multitudinis præceps impetus, nihil seditio, nihil artes contulerant. Postremæ litteræ Leonis fuerunt; hæcque novissima, quæ noverim, magni præsulis opera.

ANNUS CHRISTI 461; — LEONIS PAPÆ 22; — LEONIS 5, SEVERI 2, IMPP.; — SEVERINO ET DAGALAIPHO COSS.

I. Demum Leo summus pontifex post multos labores pro Christo perpessos, acresque pugnas adversus hostes fidei, scriptis dictisque debellatas hæreses, moritur. Qua prudentia Ecclesiæ gubernaculum rexerit, qua constantia tenuerit clavum nullis tempestatibus cedens, qua vigilantia asperis rebus providerit, ex his quæ retulimus, aut scire, aut animo capere promptum est. Feliciter tot consummatis operibus, ad Christum commigravit, ut qui ejus vicem gesserat in æternæ illius hæreditatis partem veniret. Felix certe pontifex, qui dum vita manebat, infractus semper stetit inter dissidentium Ecclesiarum motus, varia inter episcoporum studia, molitionesque hæreticorum, nihil temporum rerumque asperitate territus: nec regum cessit majestati, nec pseudosynodi speciosa auctoritate victus est, nec Anatolii episcopi Constantinopolitani artibus deceptus: omnibus major periculis in proventum fidei victorias impendit; jurgia Ecclesiarum sedavit, ausus temerarios contudit; flagitia pravorum hominum aut emendavit aut castigavit; quoquo versus vigilibus oberrans oculis nihil quod ad rem Ecclesiæ imperiique Christian

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Non anno superiori 459, sed anno 458, obiit Anatolius. Cum enim in Nicephori Chronico hujus episcopatui tribuantur anni octo et totidem menses, quos Theophanes computavit annos novem, ille autem episcopatum obtinuerit sub finem an. 449, e vivis excessit an. 458, mense Augusto, vel die 3 Julii, quo Græci ejus festum signant.

(*b*) Hæc conjectura e cardinali Baronio sumpta videtur, qui in synodo a Gennadio habita contra simoniacos hæc pariter quæ Quesnellus indicat, Domitiano et Geminiano apostolicæ sedis legatis præsentibus, circa Eutychianos acta existimat, ad an. 459, n. 1 et seqq. Id autem scripsit Baronius, quod ejus concilii synodicam contra simoniacos Patrum subscriptionibus expertem viderit. Cum vero omnes subscriptiones accurate editæ tom. V Concil.', col. 49, Domitiani ac Geminiani episcoporum nominibus careant, Baronii conjectura, qua eidem synodo quædam circa Eutychianos legatis agentibus gesta tribuit, imbecillis agnoscitur. Aliam autem synodum Constantinopolitanam imaginari, nullo documento fulcitur. Quod enim de Timotheo scribit Leo ad Gennadium epist. 170, *Universorum Domini sacerdotum sententiis coarctatus*, non ad Constantinopolitanam aliquam generalem aut fere generalem synodum, cujus nulla memoria superest, sed ad sententias refertur quas contra eum omnes totius orbis episcopi redditis ad imperatorem litteris pronuntiarunt

conferret prætermisit. Hoc magnificum illi gloriosumque contigit, quod adeptus est pontificatum toto pene Oriente fœdis hæresibus turbato, columnis Ecclesiæ aut dejectis, aut vacillantibus; decesserit vero parta ubique pace, primarias sedes occupantibus episcopis quibus tanta cura retinendæ pacis, quantum aliis animi fuit ad bellum accendendum, vel pusillanimitatis ad extinguendum. Gennadius vanissimo Anatolio, Timotheus Solophaciolus impiissimo Timotheo Aeluro subrogati fuerant, quemadmodum Anastasius Juvenali Jerosolymitano, qui in causa fidei animis ceciderat. Huc accedit quod sicut cum ad sedem Romanam evectus, privatas tum inter præfectos exercituum lites componebat, sic toto pontificatus curriculo sedandis Ecclesiæ turbis incubuerit, et tandem vir imperii Ecclesiæque felicitati natus pacaverit.

II. Præter ea omnia quæ retulimus, liber Pontificum Romanorum memorat ejus pietate et sollicitudine complures Romæ ædificatas basilicas. Basilicam in primis SS. apostolorum Petri et Pauli ab eo instauratam. *Hic*, inquit, *renovavit basilicam Petri apostoli, et fecit ibi cameram, quam et ornavit : et Beati Pauli basilicam post ignem divinum renovavit; fecit et cameram in eadem similiter, et in basilica Constantiniana.* Adrianus PP., in epistola ad Carolum Magnum, pluribus ornatum hujus basilicæ prosequitur : *Item de sacro quarto concilio egregius atque mirificus prædicator sanctus Leo papa, qui et ipse fecit ecclesias, quas in musivo ex diversis historiis seu imaginibus pingens decoravit : magis autem in basilica S. Pauli apostoli, arcum ibidem majorem faciens, et in musivo depingens Salvatorem* **585** *Dominum nostrum Jesum Christum; et secum viginti quatuor seniores nomine suo versibus decoravit; et a tunc usque hactenus fideliter a nobis venerantur.* Illustrissimus Annalium conditor scribit hanc imaginem Salvatoris ad sua usque tempora servatam integram; sed viginti quatuor seniores vetustate et situ deformatos. Opus hoc elaboratum esse liberalitate et impensis Gallæ Placidiæ Augustæ, studio curaque S. Leonis, inscriptio Gruteriana docet quatuor versibus comprehensa, ex majore hujus basilicæ arcu descripta. Scio apud Baronium legi tantum distichum, ubi mentio est de morte Placidiæ. Ecce inscriptionem a Grutero excerptam.

THEODOSIUS cœpit, perfecit HONORIUS aulam
Doctoris mundi, sacratam corpore PAULI.
PLACIDIÆ pia mens operis decus omne paterni
Gaudet pontificis studio splendore LEONIS.

Baronius, ad annum 461, n. 12, eam alio modo descriptam refert, insculptamque ait ad basilicam S. Laurentii, ex liberalitate Placidiæ, et studio Leonis reparatam.

Gaudet pontificis studio splendore LEONIS
PLACIDIÆ, pia mens operis decus omne paterni
Demovit Dominus tenebras, ut luce creata
His quondam latebris sic modo fulgur inest.
Angustos aditus penetrabile corpus habebat,
Huc ubi nunc populum largior aula capit,
Eruta planities patuit sub monte recisa,
Estque remota gravi male ruina minax.

Fecit quoque basilicam, ut habet liber Pontificum, *sancto Cornelio episcopo et martyri juxta cœmeterium Calixti, via Appia... Hic constituit monasterium apud beatum Petrum apostolum... Hic constituit ut infra actionem sacrificii diceretur :* SANCTUM SACRIFICIUM, IMMACULATAM HOSTIAM, *etc. Hic etiam constituit et addidit super sepulcra apostolorum ex clero Romano custodes, qui dicuntur cubicularii*, quos modo, ait Baronius, capellanos vocamus; cubiculum enim idem fuisse apud antiquos quod hodie **586** apud nos capellam, notavimus in Romano Martyrologio.

Radulphus decanus Tungrensis, lib. de Canonum Observantia, proposit. 23 : *In quibusdam Chronicis*, inquit, *legitur quod Leo I constituit ut finito offertorio super oblatam incensum in memoriam mortis Christi ponatur.* Et post nonnulla : *Erectus autem presbyter populum hortatur ad orandum, dicens :* ORATE PRO ME; *quod Leoni papæ ascribitur.* Deinde multis interpositis : *Principium orationis :* HANC IGITUR, etc., *quod ascribunt S. Leoni Magno.* Demum versus finem : *Subsequitur*, inquit, BENEDICAMUS DOMINO, sive, Ite, MISSA EST; ad quod *respondent omnes :* DEO GRATIAS *... Et hæc dici Leo papa constituit.*

Superius notavimus ejusdem cura a Demetriade virgine basilicam in honorem S. Stephani exstructam, cujus apud Paulum Diaconum, Hermannum Contractum, Platinam et Cuspinianum, memoria est. Liber Pontificum hæc addit præterea : *Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem in urbe Roma, presbyteros octoginta unum, episcopos per diversa loca centum octoginta quinque. Qui etiam sepultus est apud B. Petrum apostolum* III *idus Aprilis. Cessavit episcopatus ejus dies septem.* In Breviario Romano nihil de ejus ordinationibus, etsi aliorum pontificum Romanorum ordinationes non omittit. In ms. Thuaneo, cujus ea est inscriptio : *Ordo episcoporum urbis Romæ a Petro ad Hadrianum sub Carolo Magno*, S. Leo numeratur quadragesimus septimus PP., et ea verba ibidem reperiuntur : *Hic fecit ordinationes* 7, *presbyteros* 77, *diaconos* 30, *episcopos* 175.

III. Quo die extremum diem clauserit sanctus pontifex, facile est dicere, si communi opinioni obsequi velimus; non ita facile, si res ad diligentius examen revocetur. E vita decessisse III idus Aprilis seu 11 die mensis, ferunt hodiernæ Ecclesiæ tabulæ, quibus consensus recentiorum scriptorum suffragatur, Severino scilicet et Dagalaipho consulibus, seu anno Christi 461, postquam Romanam Ecclesiam (a)

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Catalogi Romanorum pontificum cum Pontificali libro Leoni tribuunt *annos* 21, *mensem* 1, *dies* 26; alias, melius, *dies* 13. Hanc autem de die obitus S. Leonis quæstionem, quam pluribus Quesnellus discutit, ex antiquioribus libris certioribusque documentis brevius expediri posse credimus. Ex tribus diebus qui Leoni nostro sacri in ecclesiasticis libris inveniuntur, tres de die obitus ejusdem pontificis opiniones manarunt. Alii enim præferunt diem 11 Aprilis, alii 28 Junii, alii 10 Novembris. Quesnellus cum unico ms. Corbeiensi Dacheriano diem 30 Octobris propugnans, quartam opinionem invexit. Quintam tandem opinionem addiderunt Antonius et Franciscus Pagii Leonis obitum affigentes diei 4 Novembris. Ea vero sententia, qua S. Leo supremum diem obiisse traditur IV idus Novembris, omnium probabilissima, ab eruditis passim excepta est. Inter omnes libros qui diem mortis Leonis signant, vetustissimus est Martyrologium, uti vocant, Hieronymianum: omnia autem hujus Martyrologii exemplaria die IV idus Novembris habent : *Depositio S. Leonis papæ.* Hæc autem de Leone nostro scripta exinde liquet, quod hoc Martyrologium aliorum hujus nominis pontificum ætate anterius est. Concinunt cum hac die non solum cætera antiqua Martyrologia ex Hieronymiano contracta, Rabanus et Lectionarium Bellovacense a Quesnello laudatum; sed et tempus pontificatus Leoni tributum. Hunc ordinatum die 29 Septembris anni 440 probavimus annot. 1 (*Supra col.* 193, *n.* a) ad an. 440. Porro ipsius pontificatui assignantur in Catalogis *anni* 21, *mensis* 1, *et dies* 13. Licet enim quidam Catalogi in diebus discrepantes, signent *dies* 26, et aliqui *dies* 28, præstantiores tamen ac plures exhibent *dies* 13, ut patet ex Corbeiensi, qui desinit in Vigilio, et altero item Corbeiensi a Mabillonio editis, Analect. t. III, ex alio pervetusto apud Bollandistas, t. I Aprilis, et ex aliis a Pagio laudatis ad an. 461, n. 3, quibus adjiciendi sunt duo, alter omnium forte vetustissimus in Hormisda desinens, quem invenimus in ms. cod. Vat. Reginæ

unum et viginti annos, triginta minus dies, administrasset. A

587 Ista, inquam, vulgata opinio est quam haustam primum puto ex Anastasio, seu quovis alio auctore libri pontificalis. Verum quam infirmæ sit ac deploratæ fidei opusculum istud, nemo inter eruditos diffitetur. Unde cum idem scribit sedem apostolicam post Leonis obitum septem diebus vacasse, ab illustrissimo cardinale Baronio merito rejicitur tum ex Mariani Scoti testimonio, tum maxime ex tempore subrogationis Hilari papæ in locum demortui pontificis.

IV. Primum igitur quod in hac quæstione pro certo statuere licet, hoc est: Hilarum Leonis 588 successorem eidem subrogatum esse mense Novembri anni 461, quo Leo decessit e vita. Hujus rei testem habemus Marianum Scotum insignem chronographum: *Hilarus papa 46 post Petrum ordinatur* II *idus Novembris*. Sed et antiquius et locupletius testimonium Hilarus ipse suppeditat. Concilium enim Romanum anno Chr. 465 celebratum, *sub die* XV *kalendarum Decembrium*, ut habent Acta vulgata, (*a*) vel XIII ut in appendice codicis Dionysiani et in Moguntino, vel XVI, ut iidem ad marginem; hoc, inquam, concilium Hilarus ipse in epistola ad Ascanium, etc., cap. 2, habitum esse 589 testatur a fratribus, seu coepiscopis, in anniversaria assumptionis suæ festivitate congregatis: *Quos Natalis mei*, inquit, *festivitas congregarat*. Jam vero cum die Dominica consecrari debuerit pontifex, non incommode ordinationem Hilari in præcedentem Dominicam rejiciemus, quæ fuit XV kalendas Decembris, si quidem littera F eo anno Dominicam designabat. Cum autem Alphonsus Ciaconius in Vita Leonis scribat (haud dubium quin ex antiquis Ecclesiæ Romanæ monumentis) sedem apostolicam (*b*) decem et octo dies vacasse, si totidem ab illa Dominica seu die 16 Novembris retrorsus numerentur, occurret dies 18 seu obitus S. Leonis III kalendas Novembris. At (quod fortasse miraberis) eo ipso die notatam legimus sancti Leonis mortem in veteri kalendario quod ex cod. ms. Corbeiensi tomo X sui Spicilegii inseruit vir pietate et doctrina insignis D. Lucas Dacherius, quodque anno 826 concinnatum gravibus conjecturis ductus existimat. Ita porro legimus in kalendario: III *k*. (Novembris) *Depositio sancti Leonis papæ*. Nullum autem Leonem alium eo tempore mortuum legimus; nec fas est de alio Leone quam de primo interpretari quæcumque sine addito dicuntur de aliquo Leone pontifice in tabulis ecclesiasticis.

B Ad Corbeiensem codicem proxime accedit liber lectionarius, quem ex ms. Bellovacensis Ecclesiæ codice Baluzius edidit in lucem ad calcem tomi II capitularium: Sic enim ille in mense Novembri: IV *idus Novembris, Romæ, depositio sancti Leonis episcopi et sancti Mennæ*. Non longe abest dies 10 Nov. a 30 Octobris, nec certum est in codice isto, quem corruptum et interpolatum fatetur editor, qui revera nonnullis in locis perturbata habet plurima, olim ad III kalend. Nov. non annotatam fuisse Leonis depositionem, aut ex 30 Octobris ad 10 Novemb. in Ecclesia Ambianensi, ad cujus usum liber scriptus est, esse translatum occasione festi alicujus proprii illo die occurrentis, et festi octavæque sanctorum om-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

1997; alter vero quem ex perantiquo Veronensi codice vulgavit P. Josephus Blanchinius, tom. IV Anastasii, in prolegomenis, pag. 6. Accedunt etiam picturæ basilicæ S. Pauli, et inscriptio ex ms. Virdunensi in Mabillonii Analectis impressa et inferius a Quesnello recusa, n. 11, quæ dies totidem signant. Si autem a die 29 Septembris computentur mensis C et dies tredecim, Leonis mors incidit in diem IV id. Novembris. In laudata inscriptione Leo depositus dicitur III *idus*...., ubi cum mensis nomen desit, Aprilem mensem supplendum nonnulli existimarunt, ita ut ejus mors assignanda sit III *idus Aprilis*, quo eum sepultum cum libro Pontificali plures tradunt. Sed hæc documenta Hieronymiano Martyrologio posteriora, præferenda non sunt, cum præsertim tempus pontificatus Leonis in omnibus Catalogis notatum, et a die 29 Septembris ordinationis ejus inceptum, Aprili mensi nullo modo congruat. Adde tandem id non posse conciliari cum ordinatione Hilari, quem mense Novembri ordinatum Quesnellus, n. 4, optime statuit. Solum errat, cum ejus ordinationem assignat diei XV kal. Decembris, eo quod putarit an. 461 litteram F Dominicalem fuisse. Cum autem littera Dominicalis ejus anni fuerit A, Hilarus ordinatus dicendus est XIII kal. Decembris, seu die 19 Novembris an. 461. Si autem S. Leo excessisset die 11 Aprilis, septem et amplius mensibus D Romana sedes vacasse dicenda esset, quod ab illorum temporum moribus abhorret. Iidem Catalogi, qui cum vulgato Anastasio Leonem sepultum tradunt III id. Aprilis, statim addunt *cessasse episcopatum dies septem*. Id autem cum nostra sententia optime concinit; die enim 10 Novembris Leone vita functo, post septem dies Hilarus eligi potuit, ejus ordinatione biduo prorogata, ut die Dominico peragerettur. Ex his corruit Quesnelli opinio, qua Leonem obiisse arbitratur III kal. Novembris, seu die 30 Octobris. Unum Corbeiense kalendarium, quod aliis erroribus non caret, tanti esse nequit, ut tot documentis atque rationibus hactenus propositis anteferendum credatur. Cadit multo magis utriusque Pagii sententia, quæ nulli quoad Leonis mortem documento incumbit. Solum illi præferunt Marianum Scotum Hilari ordinationem signantem II id. Novembris. Cum porro ex aliis documentis Romana sedes vacaverit diebus septem, obitum Leonis ad diem quartum Novembris evehendum collegere. Ea vero antiquiora documenta, quibus Leonis mortem assignavimus diei 10 Novembris (siquidem Romana sedes vacavit diebus septem) Hilari ordinationem ad diem II id. ejusdem mensis a Mariano Scoto perperam evectam ostendunt. Labitur etiam opinio qua ejus mors assignatur diei IV kal. Julii, seu 28 Junii. Hac autem die non obitum, sed translationem S. Leonis celebratam fuisse Capitulare Evangeliorum Romanæ Ecclesiæ testatur. Hoc kalendarii nomine primus edidit Joannes Fronto; sed vetustissimum esse Capitulare Evangeliorum ipsius Romanæ Ecclesiæ ex ven. card. Thomasii et Dominici Georgii atque aliorum editionibus liquet. In hoc autem juxta omnes editiones ac mss. die 28 Junii legitur: *Translatio corporis S. Leonis*, quam quidem hoc eodem die factam sub Sergio an. 688 memorata inscriptio apud Mabillonium prodit his verbis: *Depositus est* III *idus...... et iterum translatus huc a B. papa Sergio* IV *kal. Jul. indict.* 1. Num vero die 11 Aprilis alia vetustior translatio vel elevatio admittenda sit, satis probabile videtur ex genuino Martyrologio Bedæ, qui paulo post Sergium, præter diem 28 Junii, diem etiam 11 Aprilis Leonis festo ascribit. Cum enim ex constitutis nec Leonis mors, nec ordinatio huic diei affigenda sit, aliqua ejusdem translatio vel elevatio Sergio antiquior eo die astruenda est; et hac forte de causa in inscriptione laudata Leo sub Sergio *iterum*, id est, secundo, *translatus* traditur.

(*a*) Hanc chronicam notationem, quæ in Dionysiano-Hadrianeæ collectionis codicibus et editionibus exhibetur, veriorem esse illa quam præferunt codices collectionum Hispanicæ et Isidorianæ, patet ex dictis annotatione præcedenti, in qua hanc diem XIII kal. Decembris anni 461, non vero diem XVI kal. Dominicam fuisse vidimus.

(*b*) Septem tantum dies vacasse, plures Catalogi cum vulgato Anastasio præferunt. Decem autem et octo dies nullum, quod sciamus, antiquum documentum exhibet.

nium proxime subsequentis. Festa sanctorum in eo libro interciderunt a die 26 Octobris usque ad 8 Novembris.

V. Hanc epocham confirmat quod cum dubitare non possimus quin mense Novembri successor Leoni datus sit, nec probabile sit per pacatissima illa Ecclesiæ Romanæ tempora diu post mortem pontificis dilatam fuisse electionem successoris, quam Leo ad Anastasium Thessalonicensem scribens, *nullis dilationibus volebat fatigari* (*Epist.* 14, *nunc* 12, *cap.* 6); pene certum eo ipso apparet intra mensem Octobrem coercendam esse S. Leonis mortem.

Repugnat sententiæ nostræ communis chronologia. Sed præterquam quod sola libri Pontificalis **590** auctoritate munita hæc invaluit, quæ magni facienda non est, accedit etiam quod hæc ipsa plures alios chronographos adversos habeat, exempli gratia, Marianum Scotum, qui de Leone nostro hæc habet: *Magnus Leo papa obiit* IV *kalendas Julii;* Martinum Polonum, qui Leonem eumdem scribit sedisse *annis* 21, *mensibus* 9, *diebus* 27; Hermannum Contractum, qui annos 21 sedisse ait. Hæc et similia propius accedunt ad sententiam quæ Leonis mortem mensi Octobri assignat, quam communi, quæ III idus Aprilis.

VI. Sed juvat Marianum Scotum, cujus singularis et expressa narratio est, diligentius inspicere; plurimum enim lucis ex eo nobis affulget ad distinguendum Leonis I et Leonis II festa, quæ per longum temporis spatium confuse celebrata sunt. Cum enim hodierna ætate fere ubique per Ecclesias Leoni papæ II Junii dies 28 sacra habeatur, hoc tamen per errorem contigisse manifestum est, tum ex citato Mariani Scoti loco, tum ex dicendis inferius, ex quibus docemur Leonem II in Leonis I locum esse substitutum. In Martyrologio enim Romano hæc legimus ad IV kalendas Julii: *Romæ, sancti Leonis papæ II.* Et in Breviario Romano eodem die habetur officium ejusdem Leonis II qui ibidem dicitur *sepultus in basilica sancti Petri* IV *kalendas Julii.*

Contendunt recentiores scriptores Leonem II mortuum non esse IV kalendas Julii. Probant ex Anastasio, seu libro Pontificali, in quo dicitur ordinationem celebrasse *die* 27 *Junii*, *sepultus* vero *ad beatum Petrum apostolum sub die* V *nonas Julias.* Quibus suffragatur Marianus Scotus scribens Leonem II obiisse V *nonas Julii.*

VII. Nolim ego negare 28 Junii vita functum esse Leonem II, huic enim opinioni favent, nedum adversantur, quæ in contrarium adducta sunt, excepto Mariano, qui Anastasii verbis male intellectis deceptus est. Ad Anastasium enim ipsum quod attinet, non scribit mortuum Leonem V nonas Julias, sed tantummodo sepultum: facillime porro intelligimus eum qui V kalendas Julii diem extremum obiisset, quarto post die sepultum esse. Cum hæc non discernunt auctor lectionum Breviarii Romani et Marianus Scotus, in diversos uterque errores abiit, hic scribens obiisse V nonas Julii, ille sepultum esse IV kalendas Julii. Non nocet magis ordinationis die 27 Junii celebratæ mentio. Quis enim istud inter impossibilia numeret, ut qui die 27 vel 28 ante lucem consecrationes sacerdotales peregerit, sequenti vel eodem die repentino morbo correptus obierit: **591** quod potius facile est contigisse pontifici annoso, præcedentis noctis vigiliis et labore fatigato. Quibus adde plerisque corruptum videri Anastasii locum de die ordinationis. Et hanc quidem die vel quarto vel undecimo Junii celebrari debuisse hoc anno erudite probat vir clarissimus Carolus le Cointe Oratorii Gallicani presbyter in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, an. 686, num. 33, tametsi Leonem IV kalendas Julii mortuum, non existimet: vix tamen alia ratio excogitari potest cur (*a*) huic potissimum diei affixum sit festum hujus pontificis, etiam rejecta inde Leonis I festivitate, quam quia constabat in Ecclesia Romana eo die obiisse Leonem II.

VIII. Etsi porro hac die mortuus erat Leo II, non ei tamen sacra fuit eadem dies in antiquis Ecclesiæ monumentis, sed Leoni I. Hujus assertionis plures ex antiquis historicis, Martyrologiis, Lectionariis, Breviariis, Missalibus, et kalendariis probationes facile est adducere.

Primo loco prodeat sanctus Gregorius Magnus PP. I, qui Leone II antiquior fuit. Is in suo Sacramentario annotat *natale S. Leonis papæ*, ad IV kalendas Julii. Hoc quidem additum Sacramentario merito suspicantur viri docti juxta fidem codicis Remensis a doctissimo viro Hugone Menardo laudati; neque ego inficias ierim; attamen antiquissimam esse hanc additionem duo evincunt: unum est, quod tam pauci codices mss. inventi sunt, qui ea careant, ut unicus ille Remensis laudetur a Menardo, qui tamen testatur *natale S. Leonis papæ* III idus Aprilis inscribi in eodem Remensi codice; in cæteris vero (*b*) antiquissimis, puta Corbeiensi sancti Eligii Missali, ad cujus fidem Sacramentarium edidit, et duobus aliis ejusdem monasterii, item Tiliano et Thuaneo, etc., *natale S. Leonis papæ* IV kal. Julii annotatum exhiberi; alterum, quod paucorum admodum sanctorum, qui martyres non fuerint, festa inscripta habeat, pauciorum **592** etiam Romanorum pontificum: quos inter Leonem I omissum esse, non omisso Leone II, vix in mentem venerit. Ex eodem Sacramentario Gregoriano assumpsit procul dubio Hincmarus Remensis archiepiscopus collectam secretam missæ S. Leonis, quam refert in opere prolixo de Prædestinatione, pag. ultima, quamque in Ecclesia Romana recitari solitam significat, his verbis: *Hanc* (intelligentiam) *ipsa sancta sedes apostolica in arcanis cœlestium mysteriorum ex apostolorum traditione retinet dicens:* « Hæc hostia, quæsumus, Domine, mundet nostra delicta, quæ in ara crucis immolata, totius mundi tulit offen-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Cum serius valde huic diei IV kal. Julii festum Leonis II affixum fuerit, omnes autem catalogi Romanorum pontificum eum sepultum tradant V non. Julii; ea festi assignatio non eam causam habuisse videtur, quam Quesnellus conjicit. In *Breviario de Camera secundum usum Romanum, impressum Venetiis arte et impensis magistri Andreæ de Torresanis de Asula* 20 *Junii* 1494, die 28 Junii festum hujus Leonis II cum tribus propriis lectionibus exhibetur, sed in iis nihil de die sepulturæ, ut in Romano Breviario nunc legitur.

(*b*) Vetustissimi omnium, qui hactenus ad nostram notitiam pervenerunt Sacramentarii codices Gregoriani, sunt unus Vaticanus, et alter Ottobonianus, quos Muratorius edidit in Liturgia Romana tom. II; cumque ii hoc die IV kal. Julii S. Leonis missam pariter præferant, statim post Leonis translationem eodem die peractam sub Sergio hanc missam Sacramentario Gregoriano additam credimus: et idcirco in vetustissimis capitularibus Evangeliorum, in quibus ea translatio eodem die signatur, et in kalendario Romano, quod responsoriali ac Antiphonario Romanæ Ecclesiæ præmissum e codice Basilicæ Vaticanæ vulgavit ven. card. Thomasius tom. IV, pag. 9 novissimæ editionis, ac tandem in vetusto Missali Lateranensi nuper impresso tom. I Collectionis Liturgicæ pag. 228, eodem tantum die S. Leonis festum indicatur. Non diffitemur tamen tria alia Sacramentaria Gregoriana, Remense a P. Menardo, not. 354 laudatum, Theodoricense et Gemeticense in notis ad Menardum allegata, Leonis memoriam præferre, non die 28 Junii, sed 11 Aprilis. *In solo S. Petri supra Divam Ordinario* S. Leonis commemorationem sine officio eodem die 11 Aprilis invenit P. Martene de Monach. Ritib. l. IV, c. 4, n. 26, cum in aliis sex ejusdem generis libris, quos allegat, lib. IV, c. 6, n. 23, ejusdem sancti festivitas notetur die 28 Junii.

sam. *Et item:* Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. *Et:* Respice, omnipotens et misericors Deus, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. » Ubi observare licet in secreta de S. Leone scrupulosiorem sequentis ætatis diligentiam, ex qua pro his verbis, *Ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*, hæc alia supposita sunt: *Ut intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio*; quæ ne recitarentur tempore Hincmari, S. Gregorii, et forsan superiorum pontificum, nulla religio intercessit. Ista etiam precandi forma antiquitatem hujus officii prodere mihi videtur, et inde fortasse nata, quod statim post obitum Leonis celebratus sit dies in honorem hujus pontificis: cui non ita pridem defuncto precabantur fideles intra Missarum solemnia, pro Ecclesiæ more ac pietate, æternæ felicitatis gaudia. Mutationis illius in secreta Missæ S. Leonis factæ explicationem videre est apud Innocentium PP. III, in rescripto ad J. quondam archiepiscopum Lugdunensem, quod refertur c. *Cum Marthæ, de Celebratione Missarum.*

In antiquo Martyrologio, quod dicitur **593** Venerabilis Bedæ, hæc ad eumdem diem 28 Junii legimus: Leonis papæ, qui post Petrum apostolum 47 in urbe Roma sedit annos 21, dies 12, et cætera quæ Leonem primum clarissime designant, ubi ex consilio videtur diei mortis vel depositionis non meminisse.

In veteri kalendario Romano, seu potius libro Lectionario, quem vir doctissimus Joannes Fronto canonicus regularis S. Augustini et Academiæ Parisiensis cancellarius edidit non ita pridem e ms. codice sui S. Genovefæ monasterii, aureis characteribus exarato, et nongentis annis, ut putat, antiquiore; nihil de S. Leone mense Aprili; sic autem mense Junio: *die 28, Translatio B. Leonis.* De Leone I procul dubio intelligendum istud, quod et erudito Frontoni visum est. Quatuor enim tantummodo confessorum memoria consignata habetur in Lectionario, quos inter Leoni II locum esse datum, negatum Leoni I, non est verosimile. Deinde antiquam ullius sancti Leonis translationem non legimus, nisi Leonis I, quem Sergius papa I ad honoratiorem locum basilicæ S. Petri transtulit, teste Anastasio, ut uberius infra.

Usuardus, qui ineunte sæculo nono floruit in suo Martyrologio S. Leonis Magni meminit ad IV kalendas Julii, his verbis: *Natalis beati Leonis papæ et doctoris.* Quis enim umquam doctoris titulo ornatus inter Leones pontifices, præter Leonem I? Perperam autem Joannes Molanus vocem hanc *doctoris*, quam in prima editione Usuardi de Leone I interpretatus erat, mutata postmodum sententia, ad marginem relegavit in altera hujus Martyrologii editione ab eo procurata Antuerpiæ anno 1583, substituto in illius vocis locum *confessoris* nomine, aliisque de suo superadditis, quæ Leoni II conveniunt: quod omnibus manuscriptis codicibus contrarium est.

Circa Usuardi tempora Leonem (*a*) inter Ecclesiæ doctores fuisse numeratum, testantur litaniæ quæ habentur in libro precum Caroli Calvi imp. ex codice ms. Colbertino, descriptæ a Baluzio in notis ad Capitularia, p. 1486, ubi post quatuor doctores Ecclesiæ Latinæ S. Leo invocatur. Quem titulum pontifici nostro postliminio restituit novum **594** Ecclesiæ Parisiensis Breviarium anno 1680 excusum et magna accuratione emendatum, doctissimorum virorum ope et industria, inprimisque clarissimi Jacobi de Sancta Bova doctoris, socii et professoris Sorbonici, præceptoris mei.

Ado Viennensis, qui eodem sæculo nono scripsit suum Martyrologium, Leonem non recepisset nisi IV kalendas Julii in hunc modum: *Ipso die Natalis S. Leonis papæ.* Legitur quidem et III idus Aprilis Leonis mentio in vulgatis codicibus; at Joannes Mosander et Heribertus Rosweydus, qui Adonem multa cura ediderunt in lucem, istud rejiciunt auctoritate plurimorum codicum mss.

Liber ms. Sacramentorum Ratholdi, qui decimo sæculo exaratus, kalendarium ms. S. Michaelis de Confluente in Catalonia, kalendarium Ecclesiæ Christianæ editum Helmæstadii anno 1585, ad calcem Chronologiæ Davidis Chytræi, kalendarium ms. S. Theoderici prope Remos, et alia bene multa incertæ ætatis ac regionis monimenta, Leonis memoriam annotatam non habent, nisi ad 28 Junii diem. Leonem porro II, Leone I posthabito, ut jam diximus, quis credat celebri solemnique cultu honoratum in Romana præsertim Ecclesia?

Martyrologium antiquum, quod pro veteri Romano venditavit Rosweydus, nec aliud est quam Adonis Epitome, nihil de S. Leone III idus Aprilis; hæc autem IV kalendas Julii: *Romæ Leonis papæ.*

Wandelbertus, qui Usuardi Martyrologium metrico expressit, eadem quæ ille habet de Leone tam ad III. idus Aprilis quam ad IV kalendas Julias. Habetur in Martyrologio Molani et tomo I Operum Venerabilis Bedæ presbyteri metricum illud Wandelberti (quæ est eruditorum opinio) Martyrologium. III idus Aprilis Usuardus Lovanii editus a. 1568 hæc habet: *Romæ natalis B. Leonis papæ, cujus temporibus exstitit sancta synodus Chalcedonensis*, et ad marginem: *Primi, de quo 28 Junii.* Ibidem vero Wandelberti hoc distichum:

> Pontifice et summo terræ irradiante Leone,
> Splendent, ore, manu Christi qui pavit ovile.

Ad IV vero kal. Julii: *Natalis beati* **595** *Leonis papæ et doctoris*; et ad marginem: *De Leone, Pontificale, c. 47, et Canisius ante Opera.* Wandelbertus autem:

> Præsule quartus ovat verbi et doctore Leone.

Ex quo arguitur prava Molani correctio in Usuardo tentata in posterioribus editionibus contra auctoris mentem fidemque mss. codicum. Quam correctionem in Wandelberto audere vetant carminis leges.

Marianus Scotus, in Chronico quod circa annum 1083 complevit, Magnum Leonem papam obiisse scribit IV kalendas Julii: ea potissimum ratione ductus, ut ego existimo, quod illa die coleretur Magni Leonis memoria.

Abbas Urspergensis, qui obiit anno 1240, ad annum 461 sui Chronici: *Leo papa*, inquit, *migravit IV kalendas Julii.*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Peculiarem et antiquum S. Leonis cultum in Romana Ecclesia astruunt veteres ipsius litaniæ, quas ex codice basilicæ Vaticanæ accurate recusit card. Thomasius tom. V *Antiqui libri Missarum* pag. 299, et nos in aliis mss. invenimus. In his enim inter sanctos confessores pontifices S. Leo recensetur sic: *S. Silvester, S. Leo, S. Ylari, S. Martine, S. Gregori*, etc. In aliis contractioribus ejusdem Ecclesiæ litaniis ex codice Ratoldi apud Menardum in Sacrament. Gregor., not. 741, habetur: S. *Silvester*, *S. Leo, S. Ambrosi, S. Augustine.* In brevissimis litaniis, quæ duobus Ordinibus Romanis 13 et 14 insertæ sunt tom. II Musei Italici Mabillonii, p. 227 et 254, hi duo tantum confessores pontifices invocantur: *S. Leo, S. Gregori.* De doctoris titulo vide quæ diximus in epistola nuncupatoria tomi I (*præced.*). Quoad Adonem vero, in tribus antiquis ejus codicibus, quos vir cl. Dominicus Georgius in Romana editione Martyrologii Adonis adhibuit, die 28 Junii legitur pag. 303: *Ipso die natalis S. Leonis papæ, qui merito excellentis ingenii apud Romanos Magnus Leo appellatur.* Iidem porro codices ejusdem Leonis festum pariter signant die 11 Aprilis.

Martinus Polonus Marianum et abbatem Ursper- A gensem explicat, et ipse suo suffragio confirmat assertionem nostram. *Hic etiam*, inquit, *sepultus est apud basilicam S. Petri apostoli, cujus festum fit in vigilia apostolorum.* Nondum igitur anno 1277 ad quem Chronicon suum perduxit Martinus, Leonis II festum agebatur IV kalendas Julii, sed Leonis I, in Ecclesia Romana, cujus consuetudo ac ritus latere Martinum non potuere, qui in illa Nicolao III pontifice pœnitentiarii munere functus est.

S. Antoninus, qui florebat anno 1450, Chronici parte II, hæc habet de Leone nostro: *Celebratur hujus sancti festum in vigilia apostolorum Petri et Pauli.*

Wernerus Rolewink de Laer Westphalus Carthusiensis, qui kalendarium et Martyrologium condidit, nec non Fasciculum temporum, quem ad annum 1480 produxit, eidem diei ascribit Leonis nostri festivitatem. *Festum ejus*, inquit, *agitur in vigilia apostolorum Petri et Pauli; quidam dicunt* 11 *Aprilis.*

Denique Joannes Trithemius, quem mortuum scribunt anno 1516, in hunc modum de Leone I scribit: B *Moritur tandem post multos pro Ecclesiæ utilitate labores sub Leone Augusto anno Domini* 461, *indictione* 14, IV *kalendas Julii.*

Pleraque Breviaria et Missalia, quæ ante hujus sæculi initium excusa sunt, non habent consignatam S. Leonis memoriam, nisi ad IV kalendas Julii, seu die 28 Junii:

Missale Romanum seu secundum consuetudinem Romanæ curiæ Venetiis excusum a. D. 1481;

Missale editum Basilicæ a. D. 1487;

Missale excusum Lugduni a. D. 1501;

596 Breviarium Aurelianense a. D. 1504;

Breviarium ordinis SS. Trinitatis a. 1514;

Breviarium Turonensis Ecclesiæ 1519;

Breviarium Carthusiense a. D. 1521;

Breviarium canonicorum regularium 1523;

Breviarium Romanum, Parisiis 1524;

Breviarium curiæ aptum, seu secundum consuetudinem Romanæ curiæ, a. D. 1525; C

Breviarium Parisiense 1545;

Missale Romanum Venetiis cusum 1549;

Breviarium secundum usum archicœnobii sancti Remigii Remensis eodem anno editum;

Portiforium, seu Breviarium ad usum Ecclesiæ Sarisburiensis, quod Londini prodiit a. D. 1555;

Breviarium Romanum, Parisiis, 1556;

Breviarium Aurelianense anni 1573;

Breviarium vetustissimum Fontisebraldi;

Breviarium Noviomense antiquum;

Breviarium ms. Sancti Victoris Parisiensis;

Breviarium canonicorum regularium a. D. 1609;

Breviarium S. Martini Turonensis a. D. 1635.

In his omnibus et, sine dubio, in aliis bene multis occurrit memoria S. Leonis 28 die Junii, non 11 Aprilis. Memoria, inquam, non integrum officium propter occurrentem sanctorum apostolorum Petri et Pauli vigiliam, quæ celeberrima erat. Alias si in diem Dominicam festum Leonis incidisset, vigilia in D superius sabbatum rejecta, de S. Leone fiebat ipsa die Dominica officium, si bene capio sensum hujus Rubricæ in plerisque numeratis Breviariis appositæ: (*a*) *Si festum sancti Leonis in Dominica venerit, agitur de festo cum commemoratione S. Joannis Baptistæ; quocumque vero alio die venerit, fit de ipso commemoratio in missa de vigilia.* Cujus commemorationis adhuc vestigia supersunt in collecta, quæ et in Sacramentario Gregoriano, et in recensitis supra Breviariis pro S. Leonis memoria legitur, quæque a paucis annis ad Leonem II translata, ejus officio ascripta est, ne apice quidem mutato. En collectam.

Deus, qui beatum Leonem pontificem sanctorum tuorum meritis coæquasti, concede, quæsumus, ut qui COMMEMORATIONIS *ejus festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla.* Ubi cum dicitur *sanctorum tuorum meritis coæquasti*, subaudiendum suspicor *apostolorum*, seu *Petri et Pauli*, quorum solemnis dies occurrebat, et quorum meritis coæquatum Leonem prædicat collecta; nisi enim aliquem inter cæteros cœlites insignem 597 cogites, cui Leonem comparare voluerit, minus concinna laus erit qua sanctus sanctis similis dicitur. Cæterum non semel ab antiquis Leo noster cum apostolis confertur; Λέων πάπας Ῥώμης ὁ ἰσαπόστολος; id est. *Leo Romæ papa apostolis æquandus*, inquit libellus synodicus (*Cap.* 94). Sed et Patres Chalcedonenses, in suo προσφωνητικῷ ad Marcianum Augustum, sanctum Leonem apostolicum virum, τὸν ἀποστολικὸν ἄνδρα, appellarunt. Hæc omnia animum quemvis non pervicacem aut contentiosum facile adducent ut Leonis I memoriam olim inscriptam fuisse credat 28 diei Junii.

Non diffiteor tamen antiquos etiam codices inveniri, qui Leonis festum Aprilis 11 diei affixum habeant; sed eosdem de die obitus interpretari nulla necessitate compellimur, cum vel de translatione aliqua, vel de ordinatione possint intelligi. Ita genuinum Bedæ presbyteri Martyrologium, quod a Godefrido Henschenio non ita pridem publicæ luci datum est; tertio enim idus Aprilis mentio habetur *Leonis papæ et confessoris*, quarto kalendas Julii *sancti Leonis papæ.* Sic etiam Breviarium ms. Montis Cassini sexcentorum fere annorum, quod in ædibus institutionis Oratorii D. Jesu ad muros Parisienses asservatur. De Usuardo constat ex superius dictis utroque loco natalem Leonis I commemoratam.

Eodem die habet vetus kalendarium tomo X Spicilegii Acheriani editum ex ms. codice 800 annorum: III *idus Aprilis, natalis sancti Leonis papæ.* Item in kalendario quod libro Sacramentorum sancti Gregorii ms. præfigitur in codice Oratorii Parisiensis. His adde Missale Parisiense ann. 1517 et 1541, et Breviarium 1545 et 1584; Breviarium Romanum Venetiis 1570. Breviarium Ambianense *anni 1607*, in quo nihil de sancto Leone 28 Junii, sed tantum 11 Aprilis; Laudunense anni 1584; in quibus non officium, sed sola commemoratio fit sancti Leonis 11 Aprilis, nihil mense Junio.

Observandum, in plerisque Breviariis et Missalibus quæ officium sancti Leonis habent 28 solummodo Junii, officium istud esse de communi confessorum pontificum, nihilque præseferre, unde discerni queat an de Leone I celebretur, an vero (*b*) de secundo.

X. Ex præmissis facile mihi persuadeo (*c*) tres omnino dies consecratos olim fuisse memoriæ sancti Leonis papæ I, et unum eorum in aliquibus Ecclesiis, alium in aliis, duos in nonnullis annuo cultu celebratos.

Depositioni hujus sancti pontificis sacer fuit tertius kalend. Novemb. seu dies 30 Octobris, qui huic deputatur in kalendario Acheriano octingentis annis antiquo; tametsi forsan eo die officium celebratum de eo non fuerit. Priscis enim Ecclesiæ temporibus vix ac ne vix quidem depositionem seu 598 obitum illius sancti solemni officio honoratum crediderim, nisi qui martyrium fuso pro Christo sanguine complevisset. Hinc est quod in tam paucis monumentis dies obitus Leonis conscriptus legitur, ut unicus hactenus codex visus sit qui hunc annotatum habuerit die 30 Octobris.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Similis rubrica legitur in Responsoriali et Antiphonario Romanæ Ecclesiæ tom. IV Operum card. Thomasii, p. 120: *Si vigilia B. Petri in Dominica venerit, sabbato prævenimus omnia officia vigiliæ celebrare; Dominica vero omnia de S. Leone papa facimus.* In ordine autem Romano 15 apud Mabillonium, tom. II Musei Italici, p. 517, habetur: *Item in vigilia beatorum apostolorum Petri et Pauli facimus de S. Leone; missa dicitur de vigilia, cum commemoratione de S. Leone.*

(*b*) Confer not. 4 (*Col.* 323, *n.* a).

(*c*) Confer not. 1 (*Col.* 319, *n.* a) sub finem.

XI. Junii dies 28 translatione corporis sancti Leonis celebris habitus est, quo die notata legitur in vetustissimo Joannis Frontonis Martyrologio seu Lectionario nongentis annis, ut putat, antiquiore; in quo quarto kalendas Julii legitur: *Translatio corporis beati Leonis.* Cui concinit kalendarium ad usum olim Ecclesiæ Romanæ e bibliothecæ Vaticanæ codice antiquissimo ante nongentos pariter annos descripto, quod Leo Allatius integrum inseruit dissertationi suæ de Dominicis et Hebdomadibus Græcorum ad calcem operis de Perpetua Ecclesiarum Orient. et Occident. Consensione, pagina 1487. Sic enim pag. 1490 legimus: IV *kalend. Julii, translatio corporis B. Leonis pontificis et confessoris.* Quo in kalendario, nulla alia die consignata habetur memoria Leonis. Cujus enim Leonis, nisi primi, cujus unius translationem commemoratam habemus ab Anastasio Bibliothecario, seu quovis alio auctore libri Pontificalis, ubi de Sergio papa: *Hic,* inquit, *corpus beati Leonis probatissimi patris atque pontificis, quod in abdito inferioris secretarii prædictæ basilicæ* (Sancti Petri) *positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata basilica publico loco (ut sibi fuerat revelatum) reposuit, ac locum ipsum ornavit.*

Eadem, paucis mutatis, habentur in ms. cod. Collegii Orielensis in Academia Oxoniensi; illo, inquam, codice ex quo prodiit Romanus canonum codex, quique idem plurima continet Leonina, inter quæ narratio duplex de rebus gestis S. Leonis PP. I, una, fol. 91, convenit fere cum Anastasiana narratione, etsi ea sit brevior; altera habetur fol. 214, estque ejusmodi:

Anno Dominicæ incarnationis 440, Leo papa Magnus quadragesimus quartus post Petrum sedit annis viginti uno, mensibus duobus. Obiit III *idus Aprilis. Anno Dominicæ incarnationis 685, Sergius papa octogesimus quartus sedit annis quatuordecim mensibus octo. In hujus gestis ita legitur:* « Hic corpus Leonis I beatissimi patris ac pontificis, quod in abdito inferioris secretarii basilicæ beati Petri positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata basilica publico loco, ut sibi fuerat revelatum, reposuit IV kalendas Julii ac locum ipsum ornavit. »

Sequitur in codice inscriptio viginti versibus constans, quæ hic excusa legitur. Unum porro quod in excerpto gestorum Sergii observatum velim, est nota temporaria, cui concinit Mabillonianus codex jamjam
599 commemorandus. Uterque enim codex cum Frontonis Martyrologio et Allatii kalendario superius laudatis, testes sunt quatuor, quorum auctoritate Junii diem 28 translationi S. Leonis I sacram fuisse certo constare videtur.

Ex eodem Sergii gestorum excerpto docemur, quod Leo noster sepultus erat in basilica Sancti Petri, qui honos nulli decessorum contigerat. *Primus quippe,* ait auctor Romæ Subterraneæ, *inter sanctos pontifices non martyres annumeratur: haud tamen juxta Sanctum Petrum, sed in basilicæ ejusdem vestibulo ante secretarium, in postrema nimirum ejusdem vestibuli parte ad lævam ingredientibus.* Quod epitaphii jamjam describendi versus 6, 7 et 8 significant. Multi deinde pontifices ibidem tumulati sunt; ita ut sancti Leonis sepulcrum aliorum obrutum sepulcris delitesceret, cum Sergius papa I, qui sub finem septimi sæculi Romæ sedit, prævia revelatione admonitus, corpus Leonis e loco obscuriori eruit, transtulitque in superiorem editioremque versus altare, sive *in oratorio ad dexteram majoris absidis prope sancti Petri aram,* ut scribit idem Romæ Subterraneæ auctor. Exstruxit quoque Sergius magnificum tumulum Leoni cum hoc epitaphio, quod exstat apud Janum Gruterum, et ad ms. codicis Oxoniensis apographum, a clarissimo viro E. Bernardo nuper ad nos transmissum, emendavimus. Idem inventum est a doctissimo Mabillonio

A in Virdunensi codice monasterii S. Vitonis inter alia epitaphia, quæ reperta esse dicuntur in Ecclesia S. Petri, referunturque a Mabillonio tomo III Analectorum pag. 431:

Hujus apostolici primum [*Ms. Oxon.*, magni] est hic corpus [humatum,
Quod foret et tumulo dignus in arce Petri.
Hinc [*Vulg.*, hunc] vatum procerumque cohors, quos cer-[nis adesse,
Membra sub egregiis sunt adoperta domo.
Sed dudum ut pastor magnus Leo septa gregemque
Christicolam servans janitor arcis erat.
Commonet e tumulo, quod gesserat ipse superstes,
Ne lupus insidians vastet ovile Dei.
Testantur missi pro recto dogmate libri,
Quos pia corda colunt, quos mala [*Vulg.*, prava] turba [timet.
Rugiit, et pavida stupuerant corda ferarum;
Pastorisque sui jussa sequuntur oves.
Hic tamen extremo jacuit sub marmore templi
Quem jam pontificum plura [*Oxon.*, pulchra] sepulcra
B tegunt [*Vulg*,, celant].
Sergius antistes, divino impulsus amore,
Hunc in fronte sacræ transtulit inde domus:
Exornans rutilam pretioso marmore tumbam [*Vulg.*, Rutilum... tumbum],
600 In quo poscentes mira superna vident.
Et quia præmicuit miris virtutibus olim;
Ultima pontificis gloria major erit.

Ad hujus epitaphii calcem legitur in Mabilloniano codice hoc chronicum additamentum: *Sedit in episcopatu annos* 21, *mensem* 1, *dies* 13. *Depositus est* III *idus... et iterum translatus huc beato Sergio* IV *kalend. Julii, indict.* 1.

Hæc de prima translatione corporis sancti Leonis ejusque sepulcro, quod et miraculis clarum et præsens auxilium multis fuisse versus hic ostendit:

In quo poscentes mira superna vident.

XII. Porro diem 11 Aprilis memoriæ ejusdem pontificis sacram fuisse, ex antiquis etiam codicibus cer-
C tum esse supra monuimus: qua autem ratione vel occasione id contigerit, omnino exploratum non habemus. Mortem ejus hac die recoli, communis est hac ætate opinio, hodiernis Ecclesiæ fastis et Breviariis consignata, quam tamen sequi non sinunt testimonia Mariani Scoti, Martini Poloni et aliorum quos supra retulimus, partim festum, partim obitum sancti Leonis alii diei assignantium, quam 11 Aprilis.

Hanc diem (*a*) anniversario assumptionis ejus ad pontificatum consecratam fuisse non ægre crediderim. 1° Quia circa hæc tempora contigisse ordinationem ejus consona est omnium sententia. Scio cum communi chronologia, quæ obitum Sixti III vel V kalendas Aprilis evenisse docet, componi conjecturam nostram non posse, si quidem ex Prospero indubitatum habemus quadraginta dies et amplius Romanam Ecclesiam sine pontifice fuisse. Sed quo auctore diei illi mors Sixti pontificis assignatur? Non certe Prospero, quod Ciaconio visum est Baronii verbis de-
D cepto; nuspiam enim id apud hunc chronographum legitur, sed nec apud ullum scriptorem Anastasio antiquiorem. Hujus autem tam suspecta diligentia, tam frequentes lapsus, ut infirma sit admodum ac vacillans assertio omnis sola ejus auctoritate subnixa.

2° Vetus kalendarium superius laudatum ex tomo X Spicilegii Acheriani, depositionem quidem sancti Leonis papæ III kalendas Novembris commemorat, III vero idus Aprilis seu 11 die natalem ejusdem recenset. Natalis porro de die mortis hoc loco intelligi non potest, cum hæc mense Octobri deputetur; quem igitur, nisi consecrationis, diem significabit? quo nomine inter alios pontifices Sixtus III, Leonis prædecessor, ordinationem suam appellavit epist. 1 ad Cyrillum Alexandrinum: *Synodo,* inquit, *quam natalis mei dies congregarat;* et epist. 2 ad Joannem Antio-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide annot. 1 (*Col.* 319, *n.* a).

ehenum: *Audivit universa fraternitas, quæ ad natalis* **601** *mei convenerat diem*. Hilarus Leonis successor proximus, epistola 2 ad Ascanium et alios provinciæ Tarraconensis episcopos, c. 2: *Lectis*, inquit, *in conventu fratrum, quos natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris*. Sanctus item Paulinus, epist. 16 ad Delphinum, ait invitatum se ab Anastasio papa fuisse *ad natalem suum*. Et sanctus Ambrosius, libri VIII, epist. 1 ad Felicem Comensem episcopum, *diem natalis ejus*, hoc est, ordinationis, recolit. Mitto sanctum Augustinum, serm. 32 de Verbis Domini, et homil. 24 et 25 inter quinquaginta.

3° In hoc martyrologio seu kalendario natalem non semper mortis diem, sed quamlibet festivitatem significare, liquet ex natali sancti Benedicti abbatis, qui bis annotatur, semel quidem mense Martio, quo decessit e vita, iterum 13 die Julii, quo ejus translatio recolitur, quam tamen natalem dici videmus ab auctore kalendarii; ut mirum non sit idem de ordinationis sancti Leonis die esse usurpatum, quod de sancti Ambrosii ordinatione usurparunt Græci in suo Menologio, ubi hanc sub natalis nuncupatione memorant septima die Decembris, Latinæ Ecclesiæ exemplum secuti. Veterem membranam operi suo de doctrina temporum inseruit Ægidius Bucherius e schedis Heriberti Rosweydi acceptam, quæ instar est kalendarii seu Martyrologii in ea mense Februario ista legimus: *Octavo kalendas Martii, natale Petri de Cathedra*, quo festo velut ordinatio seu pontificatus apostoli celebratur.

4° Quanta ordinatio solemnitate recoli soleret, festa quæ sacra vel habita sunt, vel adhuc habentur ordinationi sanctorum Paulini, Ambrosii, Augustini, Hilari papæ et Martini Turonensis, demonstrant de Romana, Gallicana, Italica et Africana diœcesibus. Quibus adde plurium adhuc pontificum ordinationem in hodiernis Ecclesiæ tabulis celebrari, ut videre est in Martyrologio Romano sanctorum Basilii Cæsariensis, Ambrosii Mediolanensis, Gregorii Romani et Zenonis Veronensis, ordinationes suis quisque diebus annua solemnitate honoratas referente. Immo vero admodum simile est quod, cum primis Ecclesiæ sæculis solorum Christi martyrum memoria solemni ritu coleretur in Ecclesia, sanctorum pontificum primas omnium festivitates martyrum solemnitatibus esse adjectas, delectumque ad id diem ordinationis cujusque; ita ut dies qui festus quotannis habebatur vivente pontifice, idem post ejus mortem recoleretur. Quod de nostro Leone tanto magis credendum est, quanto ejus electio ardentioribus omnium votis majorique consensu contigerat, ejusque ordinatio per totos **602** viginti et unum annos vivente Leone recoli solita fuerat. Quibus adde quod, propter rerum præclare gestarum magnitudinem, sanctimoniæ opinionem singularis, et propter Urbem semel et iterum ejus ope a cæde liberatam, quo pater patriæ bis esse meruerat, tanti pontificis memoria in deliciis Romæ haberetur; ut omnino absurdum videatur per tot sæculorum spatia oblivione sepultam credere Leonis Magni memoriam, pontificis tot nominibus Ecclesiæ Romanæ charissimi.

Doctissimus Papebrochius, in suo conatu chronico-historico ad catalogum Pontificum Romanorum, quia Leonis ordinationem Septembris diei 8 assignat, Aprilis 11 celebrari putat secundam illius in Vaticano depositionem, quæ ab Anastasio ex antiquioribus catalogis sepultura appellata sit.

Sed tandem certam habet hodie fixamque 11 Aprilis festivitatem Leo papa I, cujus officium ritu duplici celebratur, præsertim in Ecclesia Romana. Nolim autem sine observatione præterire singularem hujus officii prærogativam, in quo videlicet ad primum nocturnum eædem lectiones ex prima S. Petri epistola habentur quæ in utraque solemnitate Cathedræ sancti Petri; ad tertium vero nocturnum et ad missam eadem Evangelii lectio quæ et in Cathedra sancti Petri et in natali ejusdem (*Serm.* 2, *nunc* 3); sumptaque est ex cap. XVI S. Evangelii secundum Matthæum, ob eam proculdubio rationem, quod incarnationis fidem Petrique confessionem, *quæ a Deo Patre apostolico inspirata cordi, omnium humanarum opinionum incerta transcendit, et firmitatem petræ accepit* (*Epist.* 98), tam pie, tam fortiter, tam docte ex plicuit defenditque adversus Eutychem: unde et ejus epistola tamquam Petri confessioni consona ab œcumenica synodo approbata est, et ipse ab iisdem Chalcedonensibus Patribus dicitur: *Vocis beati Petri omnibus interpres esse constitutus*.

XIII. Præter (*a*) eam corporis sancti Leonis translationem a Sergio papa factam, quam modo recensuimus, sacras etiam ejus reliquias in varias orbis Christiani partes deportatas legimus. De aliqua enim corporis parte accipiendus Martinus Polonus in Chronico, ubi sub Sergio papa I hoc actum narrat: *Corpus Leonis I papæ Deo revelante transtulit apud Virzenburg Osterfranck*; nisi tamen auctor iste pro translatione de inferiori loco basilicæ sancti Petri ad superiorem, hanc nobis supponat. Ut ut sit, facile fuit ut dum loco moveretur corpus, partem ejus aliquam impetrarit nonnullus e Virzenburgensi Ecclesia, tunc temporis Romæ degens, et ad sua detulerit sacrum pignus, **603** quod postmodum pro integro corpore venditarit popularis error.

Non pigeat quoque referre quod legimus in libro, cui titulus: *De statu Ecclesiæ Petracoricensis a fide condita, auctore Joanne a Puteo e stricta sancti Francisci familia recollecto*; qui ad annum Christi 1476, sub Radelphino episcopo Petracoricensi impetratam scribit studio Eliæ Burdellii bullam a Sixto PP. IV pro decennali indulgentiarum jubilæo in eorum gratiam qui ecclesias Sancti Stephani et Sancti Frontonis quotannis adirent die eorumdem memoriæ sacro. De ecclesia porro Sancti Stephani bulla hæc addit: *In qua certæ reliquiæ ejusdem sancti et corpora sancti Leonis papæ, qui Magnus Leo dictus, et beati Patrocli, et sanctæ Sabinæ martyris requiescunt*. Idem auctor, ad annum Christi 1551, ex processu verbali majoris et consulum urbis Petracoricensis, narrat sacram omnem supellectilem ac sanctas reliquias, quæ in capituli Petracoricensis gazophylacio servabantur, ab hæreticis nocte intempesta direptas esse: inter quas caput sancti Leonis PP. numerat, easque reliquias in horto quodam repertas, sub majori altari sepultas esse. Ex eodem, opinor, fonte hausit illustrissimus Tullensium episcopus Andreas Saussayus, quæ scribit in supplemento Martyrologii Gallicani ad 11 Aprilis: *Sanctissimi pontificis* (Leonis I) *corpus tot divinorum mirabilium instrumentum lapsu temporis Roma in Aquitaniam translatum in majori Petracoricorum ecclesia sub titulo sancti Stephani protomartyris honorifice collocatum, una cum sacris ossibus S. Patrocli et sanctæ Sabinæ virginis Sixtus papa IV in suis bullis quiescere testatur*.

XIII. Certiora puto quæ narrat Clarius monachus auctor Chronici sancti Petri Vivi Senonensis, tomo II Spicilegii Acheriani. *Postulavit*, inquit, *Ansegisus a Joanne papa* (VIII) *dari sibi reliquias pontificum atque doctorum Gregorii atque Leonis, quod et impetravit; plerumque etenim sacra missarum solemnia in sede apostolica celebravit. Dedit autem ei Joannes papa caput beati Gregorii papæ universalis, filii Gordiani, plumbo inclusum, et brachium S. Leonis papæ et docto-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Aliam Sergio anteriorem elevationem die 11 Aprilis factam suspicati sumus annot. 1. Post Sergium vero Leonis I sive translationem sive elevationem Leoni IV tribuit liber Pontificalis in hujus Vita. Paschalis quoque secundus aliquid simile egit, teste Petro Manlio canonico in descriptione basilicæ veteris Vaticanæ t. VII Act. SS. Junii, pag. 39.

ris. Suscipiens autem hoc munus idem Ansegisus detulit Senones in basilicam S. Petri, quod usque in hodiernum diem illic cum magno honore servatur. Florebat porro Ansegisus post medium sæculum nonum, Clarius vero opus suum perduxit usque ad annum 1124. Eadem narrant Odorannus in suo chronico, Robertus Antissiodorensis in chronologia sancti Mariani, Martinus Polonus in Joanne VIII, qui Martinus cum decem Chronica recenseat ex quibus suum confecit, nec tamen tria superius relata commemorat, **604** ex aliis accepisse credendus est, quæ de reliquis Ansegiso datis recitat. Subscribit iisdem Gaufridus a Colone monasterii sancti Petri Vivi alumnus in chronico ms.

De eodem brachio sancti Leonis addit idem Chronicon sancti Petri Vivi, ad annum 999, quo contigit obitus Seuvini archiepiscopi Senonensis, qui hoc monasterium de novo exstruxerat. *Deinde*, inquit, *brachium S. Leonis papæ cum digitis S. Ebbonis ab abbate Raynardo (erat autem ipse abbas nepos ejusdem archiepiscopi*, scribit idem auctor superius) *et a fratribus monasterii S. Petri multa prece obtinens, auro et gemmis ornavit, et eidem casæ Dei* (id est ecclesiæ Sancti Stephani) *contulit. Pro quibus mutua vicissitudine, et pro remedio animæ suæ de altario S. Saviniani, quod triginta passus a crypta monasterii abest, et de altario S. Petri, quod est in villa quæ Alsoni vocatur, et de altario sancti Lupi, quod est in villa quæ Naudus dicitur, perpetua privilegia, una cum consensu et voluntate papæ Romani et coepiscoporum suorum, S. Petro ejusque monachis fecit.*

Brachium sancti Leonis restitutum postmodum fuisse monasterio sancti Petri asserunt ejusdem domestica monumenta : inter quæ proferunt indicem reliquiarum illic servatarum anno 1552 conscriptum. Furto idem sublatum aiunt circiter annum 1628, a quodam capellano ecclesiæ Sancti Stephani, qui sub devotionis pietatisque prætextu sacras reliquiarum thecas detergere ac mundare satagens, plures ex ipsis surripuit, e quibus brachium sancti Leonis sanctimonialibus Carmelitis Senonensibus dilargitus est. Hæc ipsi descripsimus in monasterio Sancti Petri ex Chronico ms. quod nobiscum perhumaniter communicarunt piissimi hujus cœnobii Ascetæ, penes quos sit narratorum fides.

Sacras sancti hujus pontificis reliquias servabat olim Parisiensis abbatia Sancti Maglorii, quod testatum legi in pervetusto carthulario Sammagloriano, in quo indiculus reliquiarum monasterii descriptus anno 1321, cum recensio publica facta est reliquiarum omnium in eo servatarum; præsente, ut codex habet, Petro de Latilly episcopo Catalaunensi, qui tum regis jussu huic monasterio in custodiam datus est.

XIV. Hæc si vera sunt, difficile dictu quomodo corpus sancti Leonis I *omni ex parte* (a) *illibatum* repertum fuerit anno 1607, cum illud in novam basilicam transferendum loco motum est. Hoc unum, opinor, intelligit qui hoc scribit, quod quidquid tum repertum, integrum erat et vermibus intactum. Rem totam describo e Romæ Subterraneæ lib. II cap. 8, et ipsa auctoris verba repræsento. Præter Leonem primum, *tres* **605** *item sanctissimi Leones summi pontifices, secundus scilicet hujus nominis, tertius et quartus eodem in oratorio* (ad dexteram scilicet majoris absidis prope sancti Petri aram in ejus basilica) *conditi fuere, ibidemque anno Domini 1607, die 10 Maii, Paulo V regnante* (potius sedente) *feliciter adinventi sunt, cum, eodem jubente pontifice, simul beata quatuor eorumdem corpora in novam pariter inferenda essent basilicam. Tunc enim disjecto oratorii ipsius altari, sacra eorumdem trium corpora in arca tabulis marmoreis compacta intuentibus apparuere; alterum tamen ex his in lignea ibidem inclusa arcula repositum erat, quod beati pontificis Leonis IV exstitisse ab omnibus proculdubio existimatum est; hoc enim præ ceteris integrum magis minusque labefactatum erat. Hanc subter urnam lapidei interjectu pavimenti, et lignea altera arca reperta fuit ferreis quibusdam hastulis ab humo dissita, in qua S. Leonis I corpus omni quidem ex parte illibatum, ac ornamentis pontificalibus insignitum concludebatur : mitram nimirum, ut mos est, beatissimus pontifex in capite gestabat; satis ampla, quod antiqui consueverant, casula operiebatur, sub qua complicatæ item manus conspiciebantur. Pallio insuper, quod pontificiæ plenitudinem potestatis exhibet, in superiori parte circumcingebatur, cujus quidem sacri pallii reliquias cernere adhuc dabatur, ex duabus præsertim, quæ exstabant, perexiguis rubri coloris crucibus, et ex acu item aurea eidem planetæ affixa, quæ eidem retinendo pallio inservierat. Corpus autem longitudinis erat palmorum septem et trium palmi quadrantum. Quæ quidem sacratissima pignora post impensum, ut par erat, venerationis cultum, simul eodem anno, die 27 Maii, velut quid haud ullo æquiparandum pretio, in novam basilicam translata sunt, in superiori utique extremo sacello, quod meridiem respicit, ibique in nobilissimo quodam affabre ex marmore elaborato, sacrisque historiis exsculpto sarcophago religiose condita fuere. Sancti Leonis I nempe corpus in eadem arca lignea, quæ altera plumbea circumdabatur : aliorumque trium in arca cypressina, hastulis ferreis superposita, quo nimirum eorumdem ossa omni prorsus ex parte discreta ac distincta a corpore sancti Leonis I servarentur. Ipsi autem sarcophago in plumbi lamina hujusmodi memoria apposita est.*

606 CORPORA SS. LEONUM PRIMI, SECUNDI,
TERTII ET QUARTI SUMMORUM
PONTIFICUM CONDITA IN PARTE
DEXTERA BASILICÆ, AD LATUS
MAJORIS ALTARIS
PRINCIPIS APOSTOLORUM
SUB ARA VETERIS ORATORII,
QUÆ SUPEREXSTRUCTO PAVIMENTO
TEGEBATUR.
INDE PAULI V PONTIF. MAX. JUSSU EDUCTA
EVANGELISTA PALOTTUS
TIT. S. LAURENTII IN LUCINA
CARDINALIS CUSENTINUS
HUJUS BASILICÆ ARCHIPRESBYTER
SOLEMNI PROCESSIONE IN NOVUM
TEMPLUM EXTULIT ET HAC SUB ARA
IN EADEM MERIDIONALI PARTE
REPOSUIT XXVII MAII
DOMINICA INFRA OCTAVAM
ASCENSIONIS MDCVII.
PONTIFICATUS S. D. N. ANNO TERTIO.

XV. Hæc de secunda sancti Leonis translatione anno 1607 celebrata scribit Paulus Aringhus Oratorii presbyter, in sua Roma Subterranea. Quæ cum sub prælo esset anno 1651, de tertia translatione (b) co-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) *Illibatum*, id est nulla ex præcipuis partibus ossium desiderata aut loco mota, si caput excipias, quod in plura fragmenta ossium erat consumptum, ut narrat Jacobus Grimaldus ad Acta conscribenda delectus, quæ inserta fuerunt Actis recentioribus in translatione sanctorum quatuor Leonum Romæ impressis anno 1715.

(b) Innocentius X altare pro Leone I construxit. Translatio autem ejusdem peracta fuit sub Clemente XI, quam accuratissime describit Benedictus XIV lib. IV de Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione part. II c. 23, a num. 7 ad 14. Primum scilicet die 20 Maii an 1715, eodem Benedicto tunc canonico archivista basilicæ S. Petri afferente documenta

gitabatur ab Innocentio X summo pontifice, ut idem auctor refert eodem loco, post pauca. *Illud*, inquit, *postremo loco adjungimus, Innocentii X pontif. max. jussu, ad recolendam apostolici viri memoriam, in Vaticana basilica sacellum in ejus honorem ad præsens aptari, ubi equitis Alexandri Algardi Bononiensis manu, inter statuariæ artis sculptores primarii, in tabula marmorea idem pontifex, dum Attilæ occurrit ad liberandam Urbem, exsculptus intuentium oculis exhibetur, et sacram aram, sub qua ejusdem deinde corpus collocandum est, nobilissimæ instar picturæ splendide exornat.*

XVI. Et hæc quidem sancti corporis reliquiis certatim impensa sunt officia. Sed haud minus pretiosa sancti Leonis scripta, quæ supersunt, velut venerandæ animi Deo pleni reliquiæ, quibus sæpe reddita sanitas animis quos aut vitium aut error corruperat: hic semper tela parata Ecclesiæ, quibus jugulet hæreses, debellet dæmonem, et vitiorum monstra confodiat. Præclara illa magni pontificis monimenta divinitus tradita esse, miraculis signisque haud vulgaribus sæpe ostensum est. Quin etiam post mortem aliquando visus præsto esse ad rependendam gratiam iis qui suam ad Flavianum epistolam **607** defenderant, si fides est auctori Prati Spiritualis qui hancce historiam his verbis commemorat. *Theodorus*, inquit (*Cap.* 148), *sanctissimus episcopus Dornæ* (*vel Dernæ*) *quæ est in Libya, narravit nobis, dicens : Cum essem cubicularius sancti papæ Eulogii, vidi in somnis virum reverendi habitus, statura procerum, dicentem mihi: Nuntia meum Eulogio papæ adventum. Ad quem ego : Quis es tu, qui jubes ut nuntiem? Respondens ille, dixit mihi: Ego sum Leo Romanus pontifex. Ingressus igitur ego nuntiavi dicens: Sanctissimus et beatissimus papa Leo Romanæ sedis antistes convenire vos vult. Cum hoc audiisset papa Eulogius, exsurgens concitus in occursum ejus, salutantesque se invicem oratione facta consederunt. Tunc vero dominus et eximius Leo dixit sancto Eulogio : Scis quare venerim huc ad vos? Respondit ille : Non. Ait ipsi : Veni ut vobis gratias agerem, quia rite et magnifice pro mea epistola respondistis, quam scriptam misi ad fratrem meum Flavianum Constantinopolitanum patriarcham, sensum quidem et sententiam meam aperientem, hæreticorum autem ora [illegible]entem. Scito autem, frater, quia non [illegible] tantum vestrum divinum laborem studiumque contulistis, sed etiam supremo culmini apostolorum Petro, et ipsi præ omnibus, quæ a nobis prædicatur Veritati, qui est Christus Deus noster. Ista non semel tantum, sed bis terque conspiciens, trina apparitione firmatus, enarravi sancto papæ Eulogio, qui cum audisset lacrymatus est; extendensque in cælum manus suas, Deo gratias retulit, dicens: Gratias tibi ago, Dominator orbis, Christe* **608** *Deus noster, qui cum indignus sim, veritatis tuæ præconem me facere, et per orationes servorum tuorum Petri et Leonis parvam et modicam alacritatem nostram, tamquam duo viduæ minuta, summa et ineffabili benignitate tua suscipere dignatus es.*

XVII. Cusum numisma æreum in S. Leonis papæ memoriam, cum imagine et nomine S. Petri a parte altera, altera vero nomine expresso ipsius S. Leonis, repræsentat in suis Annalibus doctissimus cardinalis Baronius ex archivo Lælii Pasqualini, ejusque numismatis mysteria investigat (*Ad ann.* 461, *num.* 12). Sed Nicolaus Alemanus in dissertatione de Lateranen. Pariet., et post ipsum Andreas Victoreilus in additionibus ad Ciaconium (*a*) ad Leonem III, hoc numisma referri merito putant ob hanc rationem, quod Domini titulus his nummi litteris contentus, D. N. Leoni papæ, non Leoni I conveniat, sed Leoni III, cui Urbis dominium Carolus Magnus Francorum rex et imperator restituerat, et firmaverat, ut loquitur Alemanus, vel potius ut loqui debuit (*b*), tum primum largitus erat.

Ut ut sit de hoc æreo monumento, monumentum certe quovis ære perennius sibi vivens posuit Leo noster, suis numquam interituris lucubrationibus, vitæ sanctimonia, dum Ecclesia manebit, a Christianis recolenda, rerum præclare gestarum magnitudine ac susceptis pro Ecclesia et imperio laboribus; quæ omnia in uno Leone Ambrosii constantiam, facundiam Chrysostomi, Augustini doctrinam, Petri ipsius fidem sub uno conspectu repræsentant.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

anterioris translationis sub Paulo V, sacrum Leonis Magni corpus inventum in distincta capsa sub altare S. Mariæ de Columna, recognitum fuit. Dein, die 20 Martii an. 1714, a dicto altari traductum fuit ad sacellum S. Nicolai Bariensis. Die autem secunda Aprilis anni ejusdem nova recognitio peracta : ac postea die 11 ejusdem mensis S. Leoni dicata idem corpus, præsente summo pontifice Clemente XI ac nonnullis cardinalibus, tertio recognitum et a perito viro exacte descriptum, cujus iconem videre est apud Franciscum Blanchinium, t. III Anastasii pag. 161. Tandem die festo ejusdem sancti anni sequentis 1715, sacrum corpus solemni pompa elatum, et conditum sub altari proprio S. Leonis, quod Innocentius X construxerat. Vide plura apud eumdem Benedictum XIV, loco citato.

(*a*) Ad Leonem potius VIII hoc numisma argenteum quidem, non æreum, pertinet, ut videre est ex opere *Antiquiores pontificum Romanorum denarii olim in lucem editi a Joanne Vignolio, iterum aucti studio et cura Benedicti Floravantis. Romæ* 1734, pag. 3 et 78. Confer etiam Muratorium, tom. II Antiq. Italic., dissert. 27, numm. 45, col. 558. In notam autem compendiariam DN. hæc observat Vignolius pag. 78: *Perperam quidem iidem Baronius et Alemanus notam hanc compendiariam* Domino Nostro *sunt interpretati, cum litteras punctum non dividat, sed linea sit superaddita, quæ unicam vocem esse demonstrat. Ita enim tunc temporis titulus* Domni *compendio scribi solebat.* Ad Leonem I referendi videntur recentiores nummi Joannæ reginæ Neapolis, et Ladislai regis, apud eumdem Muratorium loco laudato, col. 640, nummo 8 et 639, nummo 7, in quorum postica legitur S. *Leo papa*, ubi in aliis nummis ejusdem ævi ac regni loco S. Leonis habetur *S. Petrus papa*.

(*b*) Id falsum evincitur ex iis quæ fuse disputat reverendissimus Joannes Augustinus Orsi sacri palatii magister in dissertatione inscripta: *Dell'Origine del dominio e della sovranità de'Romani pontefici sopra gli stati loro temporalmente soggetti, Roma* 1742, *cap.* 8, ubi jamdiu ante Romanos pontifices in Urbe supremum dominium obtinuisse demonstrat. Quoad ipsas vero ejusdem ditionis provincias, quatenus una cum donationis titulo titulus etiam restitutionis concurrerit, cum Carolus Magnus eas S. Petro reddidit, ibidem late ostendit c. 6.

APPENDIX.

Præmissæ dissertationi de vita et rebus gestis S. Leonis, quæ in recentioribus notitiis ad ipsius cultum pertinentibus desinit, unum novissimum documentum addendum est, quo summus pontifex Benedictus XIV *eumdem Magnum Leonem* doctoris *titulo et cultu in universa Ecclesia honorandum præcepit. Id a nobis summopere expetitum fuit, ut ex epistola nuncupatoria ad eumdem summum pontificem tomo primo affixam manifestum fiet. Ipsa*

autem peculiaris constitutio apostolica, qua idem cultus S. Leoni decretus fuit, eo magis hic describenda visa est, quod quicumque eam legerit, cum selectiora hujus encomia ac ipsius cultus decernendi rationes propositas inveniet, tum vero sapientissimi auctoris eruditionem, ac insignem in nostrum Sanctum pietatem cognoscet.

609 BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ auctor rectorque Deus, cum eam super fundamentum apostolorum et prophetarum ædificaverit, summoque angulari lapide Christo Jesu innixam voluerit, tum provido cavit consilio ut ad illius custodiam atque præsidium usque in sæculorum finem advigilarent egregii sanctique doctores, qui nedum sublimioris virtutis exemplo fidelium mores ad sanctitatem justitiamque componerent, sed etiam doctrinæ vi et excellentia eosdem in fidei sinceritate et salutaris scientiæ veritate continerent. Ilorum quidem operam tanti se facere ostendit communis Dominus et Magister, ut eos sal terræ et lucem mundi appellaverit; utpote qui non vivæ tantum vocis officio, quemadmodum cæteri sanctarum plebium pastores, præsentium sibi populorum saluti consulturi erant, sed peculiari sapientiæ lumine Spiritus sancti dono ditati, doctissimis conscriptis libris, universam Ecclesiam instruere, et omnium sæculorum posteritatem in religione erudire debebant. Hinc Ecclesia ipsa, Sponsi sui spiritu imbuta, ejusque instituta servare studens, eosdem gloriosos viros uberiori doctrinæ munere a Deo repletos, hoc singulari honore prosequi consuevit, ut in solemnibus sacris, quæ recurrentibus eorum festivitatibus celebrantur, tam scilicet in sacrificio missæ quam in ecclesiasticis officiis, ejusmodi preces, lectiones et laudes adhiberi jubeat, in quibus et sancti doctoris titulus ipsis tribuitur, et eorum sapientia ac doctrina specialius prædicantur.

Porro inter eos quorum natales dies hoc peculiari ritu ac privilegio decorantur, merito semper numerandum existimavimus prædecessorem nostrum sanctum Leonem I, Romanum pontificem, qui (ut doctissimi cardinalis Baronii verbis utamur) *ob excellentem virtutem, doctrinam, et in cura pastorali vigilantissimum studium, a majoribus* Magni *cognomento jure meruit appellari.* Cujus quidem doctrinæ excellentia, sive in altioribus fidei nostræ mysteriis explicandis, et contra insurgentes errores vindicandis, sive in tradendis disciplinæ regulis et morum præceptis, cum singulari sacerdotalis eloquii gravitate et ubertate, adeo elucescit, ac etiam tot hominum laudibus cumulata, tantoque conciliorum, Patrum scriptorumque ecclesiasticorum studio et consensu celebrata dignoscitur, ut sapientissimus pontifex nulli ferme sanctorum doctorum, qui in Ecclesia floruerunt, aut fama aut existimatione postponendus esse videatur. Et sane sancta universalis synodus apud Chalcedonem congregata, non illum tantummodo *vocis beati Petri interpretem* appellavit, sed et illius de incarnatione 611 Domini doctrinam venerabunda suscipiens, exclamare non dubitavit: *Petrus per os Leonis locutus est.* Idem sanctus pontifex a concilio Constantinopolitano sub Menna celebrato, *illuminator et columna Ecclesiæ;* idem a sexta synodo *firmamentum orthodoxæ fidei* prædicatur; idem in pervetusto Synodorum libro *apostolicorum dogmatum defensor et apostolis coæquandus* dicitur. Quid autem clarissimi religionis nostræ proceres ac Patres? Sanctus Sophronius Hierosolymorum antistes *sanctissimum Romanæ Ecclesiæ, immo omnium quæ sub cælo sunt luminare* Leonem fuisse affirmavit. Utque aliorum innumera prætereamus testimonia, S. Nicolaus papa I, ad Michaelem imperatorem scribens, libere asseruit quod nisi Deus Leonis virtutem atque doctrinam adversus latrocinium Ephesinum excitasset, *religio Christiana penitus corruisset.* Etsi autem Ecclesia inter eos quos doctorum titulo et appellatione distinguit, sanctum Leonem pontificem nondum peculiari decreto recensuit, illius tamen doctrinam tanto in honore se habere ostendit, ut ipsius scripta, non secus ac illorum quos præcipuos religionis magistros atque doctores jamdudum veneratur, in divinis officiis frequenter locum habere jusserit, et in iis præsertim solemnitatibus, quibus majora fidei nostræ mysteria per anni cursum recoluntur, universum clerum et populum ex illius sermonum lectione solidam eruditionem et spiritale pabulum haurire voluerit.

Ad hæc autem quæ de sancti Leonis meritis et gloria cum omnibus sentimus, et jampridem animo nostro reputavimus, peculiaris quædam, Nobisque cum paucis communis, accedit causa, quæ nostram olim erga ipsum pietatem et venerationem magnopere accendit et auxit: quod scilicet dum in Vaticana beati Petri basilica canonicalem dignitatem in minoribus obtineremus, cum sacrum illius corpus, a multo jam tempore sub altari Sanctæ Mariæ de Columna nuncupatæ quiescens, ad alterum ipsius sancti pontificis nomine in eadem Basilica erectum et dedicatum, solemni ritu ac pompa transferendum fuit, venerabilium illius ossium elevationi et recognitioni præsentes adfuimus, eaque nostris oculis intueri ac debito cultu prosequi summæ felicitatis loco habuimus; cujus rei Nos alibi, nimirum in opere de Canonizatione sanctorum lib. IV, part. II, cap. 23, mentionem fecimus.

Quod itaque semper, præmissas ob causas, justum et æquum censuimus, quodque nostra in sanctum pontificem singularis devotio Nobis suadet, hoc demum, auctoritate apostolicæ sedis, in qua, magno licet temporum, majore autem meritorum intervallo, eidem successimus, nunc reipsa præstare decrevimus. Ideoque exempla sequentes aliorum Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, qui præter summos illos Ecclesiæ doctores, alios etiam sanctissimos viros, qui eximia doctrinæ laude in Ecclesia floruerunt, eamque scriptis suis locupletarunt, proprio doctorum titulo et cultu honorandos esse decreverunt, motu proprio, et certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, volumus, præcipi-

mus et mandamus ut in officii divini Breviario, in festo sancti Leonis papæ et confessoris, antiphona *ad Magnificat* in utrisque vesperis ponatur ea quæ incipit, *O doctor optime*; in missa autem dicatur introitus : *In medio Ecclesiæ*; **613** et post collectam subsequatur lectio libri Sapientiæ, *Justus cor suum tradet*, cum graduali, ut in communi doctorum; post evangelium vero dicatur *Credo*; reliqua, ut in consueta missa propria de sancto Leone. Atque ita per omnes Ecclesias, et respective ab omnibus et singulis, qui ad divini officii recitationem tenentur, perpetuo servandum statuimus et decernimus; non obstantibus contrariis rubricis, usibus et consuetudinibus, etiam expresse per sedem apostolicam approbatis et confirmatis, aliisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostri præcepti, mandati, statuti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

A omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, idibus Octobris, pontificatus nostri anno quintodecimo.

J. card. pro-datarius. D. card. Passioneus.

VISA

De curia J. C. Boschi.

Loco ✠ plumbi. L. Eugenius.

Registrata in secretaria brevium anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, indictione secunda, die vero nono mensis Novembris, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti divina

B *Providentia Papæ XIV, anno decimo quinto supradicta constitutio affixa et publicata fuit ad valvas curiæ Innocentianæ, et in acie campi Floræ, ac in aliis locis solitis, et consuetis Urbis, per me Dominicum Contini apost. curs.*

Antonius Befani mag. curs.

DISSERTATIO SECUNDA,

De auctore librorum* De Vocatione omnium gentium, *qui* Prospero Aquitano *vulgo tribuuntur : in qua et abjudicantur* Prospero, *et* Leoni Magno *vindicantur.

615 I. Diu est quod a viris eruditis de auctore genuini de Vocatione omnium gentium libelli quæstio in medium adducta est et operosius ventilata : nec ullus fere scriptor commentarios suos vel de gratiæ divinæ auxiliis, vel de ecclesiasticis scriptoribus hoc et superiori sæculo edidit, qui suum de genuino libelli hujus parente judicium conferre non gestierit. Nec id quidem immerito : interest enim ecclesiasticæ doctrinæ non parum ut tam eruditus theologus tamque locuples antiquæ doctrinæ testis non ignoretur; cui hanc laudem impertire non veretur scriptor celebris (*H. Bullingerus comment. in Epist. II ad Tim. c.* 1) : omnes a concertationibus alienos, nec vel Deo peccatum, vel homini bonum spirituale tribuere volentes, eo ex scriptore genuinam antiquitatis sententiam discere, atque illam, tamquam inter Scyllam et Charybdim, tutissimam insistere viam debere. Magna laus, sed vera laus, licet ex heterodoxi ore profecta. Quam, quavis ille mente protulerit, eamobrem amplectimur, quod Augustinianam catholicamque adeo de prædestinatione sanctorum et gratia Dei doctrinam felicius nemo assecutus est, nemo erudite facundeque magis explicuit. Eumdem *castigatissimi ac edecumati plane judicii virum* appellat Vossius (*Hist. Pelag. lib.* VII). Ejusdem auctoris scribendi ratione ac sensibus mirum in modum allici se ostendit Hugo Grotius, qui opus istud diligentissime perlegisse se significat. Eum passim vocat *scriptorem magnum, optimum et Pelagio in primis inimicum*, *pium et pie ac sapienter scribentem*. Nec magis sibi ab hujus scriptoris laudibus temperavit Desiderius Erasmus, vir in aliorum laudes non **616** nimium effusus. *Res ipsa loquitur*, inquit (*Lib. de Voc. gent.*) *hominem fuisse in sacris litteris diligenter exercitatum, ingenio sano et acuto. Ipsa phrasis sic Isocraticis illis schematibus modulata tinnulaque est, ut quod est in hac affectatione difficillimum, præsertim in argumento subtili, nusquam desideres styli perspicuitatem, nusquam offendaris odio captatæ concinnitatis, nec usquam frigeat affectatio sententiarum argutularum; sed, quod puer in rhetorum scholis didicerat,*

C *feliciter accommodat ad seriam Scripturarum tractationem. Nec deest orationis copia, idque citra tædii sensum.*

II. Tam præclarum igitur opusculum alii aliis vindicant. Datum est primum sancto Ambrosio Mediolanensi episcopo : si quidem Franciscus Cumel (*In* I *Part. S. Thomæ*) ex hujus auctoris verbis certum putavit Ambrosii ætate viguisse Pelagianorum hæresim : non aliam, opinor, ob causam in eam sententiam veniens, quam quod inter Ambrosianas lucubrationes opus istud legerat, inter quas suum adhuc hodie locum retinet. Verum alterius esse certissimum est. *Cujus rei si nullum esset aliud argumentum*, ait D. Erasmus (*loco citato*), *tanta tamen est totius phraseos dissimilitudo, ut primo statim gustu lector deprehendat alium loqui quam Ambrosium. Atque utinam tales multos libellos Ambrosianis admiscuisset, qui hos admiscuit. Tales imposturas facile tulerimus, quæ pro auro supponant aurum.* Phraseos dissimilitudini accedit Pelagianorum mentio, quos Ambrosio jam inter cœlites recepto natos esse constat. Nec Pelagianorum modo meminit, sed et Semipelagianorum, quos præsertim toto opere insectatur; at de istis non nisi post (*a*) viginti ab Ambrosii obitu annos auditum est in Ecclesia.

III. Eucherii Lugdunensis episcopi opus esse suspicari videtur Erasmus, cum hujus stylum **617** ab illius phrasi non prorsus abhorrere admonet. Suspicionem augere potest quod Eucherius ad Lirinensem

D insulam primum appulisse videtur, cum eremi secreta quærebat, ac postmodum Leronem Lirino proximam incoluit; hujusque insulæ monachis familiaris fuit : apud quos cum fervérent disputationes de gratia, facile contingere potuit ut his se Eucherius immisceret. Fuit etiam Joanni Cassiano et Hilario Arelatensi pernecessarius, illis, inquam, inter Augustinianæ de gratia doctrinæ adversarios insignioribus : ut, quod de Leone diximus, potuerit suos amicos a pravis opinionibus hoc scripto dimovere velle : videtur enim ipse Augustiniano dogmati adhæsisse, ut ex ejus filiique Salonii scriptis conjicit Norisius

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Forte errore amanuensium *viginti* pro *triginta* scriptum fuit. Ambrosius enim obiit an. 397, Semipelagianorum vero error audiri cœpit an. 427, ut liquet ex Augustini epistola 217, hoc anno scripta ad Vitalem.

(*Hist. Pelag. l.* II, *cap.* 13). Sed istæ sunt longius accersitæ conjecturæ; nec talis mihi videtur styli utriusque similitudo, quæ eumdem scriptorem arguat : non modulata tinnulaque illa phrasis, quam in libris de Vocatione gentium agnoscit Erasmus, in Eucherio deprehenditur : non idem sententiarum pondus, delectus verborum, totiusque sermonis majestas, quam in hoc opusculo demiramur.

IV. Sunt qui putent Hilario ascribendum opus, quam in partem inclinat Joannes Latius lib. de Pelag. et Semipelag. Sed cui Hilario? Tres enim hujus nominis per ea tempora legimus, nempe Hilarium Syracusanum, cujus epistola ad Augustinum, et Augustini rescriptum de pluribus gratiæ capitibus habentur inter sancti doctoris epistolas (*Epist.* 88 *et* 89). Alterum, qui e Galliis scripsit ad eumdem Augustinum, et Prospero ad propugnandam illius doctrinam socium se adjunxit. Tertium denique Arelatensem episcopum. Ex tribus unum conflasse videntur aliqui, de quibus Hincmarus Remensis in libro de Prædestinatione. Hincmarus ipse (lib. *de Prædest. c.* 13 *et* 18) Syracusanum quidem ab Arelátensi discernit, at Arelatensem confundit cum Prosperiano: quæ est etiam opinio cardinalis Baronii et Joannis Gerardi Vossii. Contra ego Syracusanum ab Arelatensi, et Arelatensem a Prosperiano distinguo cum viris eruditis; Prosperianum vero eumdem esse ac Syracusanum monachum, facile mihi persuadeo.

V. Hilarium Syracusanum monachum alium esse ab Arelatensi Hilario ex annorum ratione nullo negotio conficitur. Syracusanus scripsit ad Augustinum circiter annum Christi 413 vel 414. Nam ante annum 412 ut scripta non credatur epistola sancti Augustini rescribentis, facit mentio judicii contra Cœlestium facti apud Carthaginem. Cum vero delata sit in Palæstinam ab Orosio, qui illuc venit verno tempore, lectaque sit in conventu presbyterorum habito mense Julii anni 415, manifestum est ultra annum 414 differendam non esse Syracusani hujus monachi epistolam. At eo anno Hilarius, qui postea Arelatensis episcopus, annum ætatis suæ decimum tertium non excedebat : siquidem mortuus est anno 449, quadraginta et octo annos natus, teste Honorato Massiliensi vitæ ejus scriptore.

618 VI. Hilarium porro Syracusanum ut eumdem putem cum Prosperiano, seu Prosperi in defensione sancti Augustini socio, istæ me movent conjecturæ. Uterque (si duo sunt) discipulus sancti Augustini fuit, eique in Africa aliquandiu adhæsit. Uterque Pelagianis erroribus adversus. Uterque laicus, ac opinor, monachus. Tenuioris uterque eruditionis circa Ecclesiæ dogmata, de quibus dubitanti similis interrogat Augustinum, ut ex epistolis eorum constat. Utriusque demum epistolæ stylus non absimilis. Hilarium autem illum Syracusanum dico, non quod Syracusis oriundum putem : si enim idem est cum Prosperiano, Gallus fuisse credendus est. Siquidem hic Massilia, ut opinor, vel ex alia Galliarum civitate scribens, Augustinum parentum suorum nomine salutat; et sub fine epistolæ hæc addit: *Sciat sanctitas tua fratrem meum, cujus maxime causa hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam devovisse* (*Hilarii epist. ad S. Aug.*). Ex quibus liquet paternam Hilarii familiam in Galliis fuisse. Potuit certe idem Hilarius paternam domum relinquens occasione alicujus cum fratre suo dissidii in Africam transfretare, seque discipulum tradere Augustino erudiendum apud Hipponem. Post aliquot annos incessit eum revisendæ patriæ cupido : quam dum repetit, celebriora monachorum cœnobia lustrare voluit, quæ erat monachorum illius ævi consuetudo. Ad Syracusanum igitur appulit, comitibus nonnullis, ut reor, Hipponensibus civibus vel clericis; quibus *de Syracusano Hipponem remeantibus*, ut ipse scribit, litteras breves ad Augustinum tradidit, quibus eum de gliscente apud Syracusas Pelagiano dogmate monuit. Demum in patriam reversus, cum magistri sui doctrinam plurimis exosam in Galliis comperisset, monendum illum existimavit, memor forte id antea ab ipso dum Syracusis ageret, postulasse Augustinum his verbis : *Tu magnum conferes beneficium, si ea quæ illic a sanctis fratribus adversus istorum vaniloquia disseruntur, non me facias ignorare* (*S. August. epist.* 89 *ad Hilar., in fine*).

VII. Hilarium denique Prosperianum male pro Arelatensi episcopo accipi clarissime demonstravit celeberrimus invictissimusque doctrinæ sanctorum Patrum assertor in opere Gallico ante viginti annos edito (*Apologia SS. Patrum de Gratia, part.* I), idemque probat nuperus historiæ Pelagianæ scriptor Henricus de Noris (*Hist. Pelag. l.* II, *cap.* 2). Vel hoc unico argumento res conficitur. Jam tunc episcopus erat Arelatensis Hilarius, cum alter scripsit ad Augustinum una cum Prospero; at Hilarius iste laicus tantum erat eo tempore quo suam exarabat epistolam. Talem enim se prodit ipse his epistolæ suæ verbis, quibus præcipuos sancti Augustini adversarios designat, ac in primis Hilarium Arelatensem. *Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine ecclesiastica* LAICOS *summam reverentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita* CURAVIMUS *Deo juvante servare, ut cum opus fuit non taceremus.* Succinit Prosper in epistola sua ad Augustinum. *Possumus*, inquit, *ad credendum esse constantes; sed ad* **619** AUCTORITATEM *talia sentientium* NON SUMUS PARES; *quia multum nos et vitæ meritis antecellunt, et aliqui eorum* ADEPTO NUPER SUMMO SACERDOTII HONORE SUPEREMINENT. Deinde laicus erat iste Hilarius, cum Augustino jam mortuo, ac proinde non ante annum 430 scripsit Cœlestinus papa ad Galliarum episcopos : Prosperum enim et Hilarium filios vocat, non fratres, ut coepiscopos appellari decuisset; nec aliter eosdem compellat sanctus Augustinus initio libri de Prædestinatione sanctorum, quam ut filios.

At Hilarius Arelatensis jam initio anni 429 in Arelatensi cathedra constitutus fuerat post obitum Honorati, qui Patroclo occiso substitutus anno 426, biennio tantum, Honorato Massiliensi teste (*Vita S. Hilarii*), episcopatum gessit. Quod adhuc probatur ex Vita sancti Germani Antissiodorensis. Hic enim cum anno 429, ut vult Baronius, vel, ut alii, 430 ex legatione Britannica reversus Arelatem se contulisset, *illustrabatur eo tempore*, inquit Constantius, *civitas Hilario sacerdote multimoda virtute pretioso.* Denique his expressissimis verbis sanctus Prosper Hilarii Arel. episcopatum commemorat in epistola sua. *Unum*, inquit, *eorum præcipuæ auctoritatis et spiritualium studiorum virum sanctum Hilarium Arelatensem episcopum sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ, et de hoc, quod in querelam trahit, jampridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre.* Hæc quidem verba *Arelatensem episcopum* irreptitia esse et expungenda censet cardinalis Baronius; cui fere subscribit Vossius. *Longe tamen magis placet*, inquit, *si pro* HILARIO *scribatur* HONORATUS; sicut scriptum dicit a doctissimo Espencæo commentariis in epistolam ad Timotheum, lib. I, cap. 9. *Quod sive ille*, inquit idem Vossius (*Hist. Pelag. l.* VI), *ex manuscriptorum fide, sive ex ingenio fecit, nobis quidem sententiam suam impense probat.* Verum nemini probandam spero hanc emendationem, cui manuscriptorum fides, chronologiæ ratio, verbaque ipsa Prosperi omnino repugnant : *Possumus quidem ad credendum esse constantes*, etc. Hæc prima ratio distinctionis utriusque Hilarii ex unius episcopatu petita, quo numquam alter fuit insignitus.

VIII. 2. Longe diversus utriusque Hilarii erga sancti Augustini doctrinam affectus. Arelatensis enim etsi illius se *admiratorem sectatoremque in aliis omnibus* profiteretur, ejus tamen de prædestinatione sententiam *in querelam trahebat;* et unus erat eorum

quos caligo istius opinionis, quæ Augustinianæ adversabatur, *obscurabat*. Hilarius autem Prosperi socius doctrinæ sancti Augustini in omnibus addictissimus erat, ut ipse de se testatur his verbis: *Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de iis quæ nunc edidisti ego dubitem... Cæterum hac suspicione in tantum careo, ut potius infirmitatem meam, qui tales parum patienter fero, notabilem putem.* Inter eos porro quos moleste ferebat ipsum Arelatensem episcopum **620** fuisse dubium non est, cum, etsi ejus nomen non exprimat, eum tamen iisdem coloribus depingat quibus et Prosper. *Sed plane*, inquit, *illud tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem, hoc excepto, in factis et dictis omnibus admirari.* En Hilarium Arelatensis Ecclesiæ præsulem, quem Prosper supra dicebat *admiratorem sectatoremque in aliis omnibus* Augustinianæ doctrinæ, excepta quæstione *quam in querelam trahebat*.

IX. 3. Prosperi socius auctor fuit eidem Prospero, ut ad sanctum Augustinum scriberet, ejusque litteras suis conjunctas misit in Africam, quemadmodum ipse narrat in fine suæ epistolæ; ubi et alias commemorat superius a se scriptas ad eumdem Augustinum, quicum necessitudo frequensque commercium intercessisse videtur. E contra vero eodem tempore scribit sanctus Prosper Hilario Arelatensi jam olim in mentem venisse ut episcopum Hipponensem litteris conveniret, sensum suum cum ejus doctrina collaturus; incertum tamen sibi esse utrum id esset præstiturus. Quod omnino sufficit ut unus ab altero diversus demonstretur. Prior enim Augustino familiaris fuit, posterior nequaquam.

4. Hilarius Prosperi commilito olim Augustini lateribus adhæserat, ejusque doctrinæ lacte aliquandiu in Africa fuerat enutritus; hoc enim ipse significat. *Sufficiat*, inquit, *mihi pœna mea, quod a præsentiæ tuæ deliciis exsulatus, ubi salubribus tuis uberibus nutriebar, non solum absentia tua crucior, verum etiam pervicacia quorumdam.* Arelatensis vero Hilarius numquam in Africam peregrinatus est. Ex ejus enim et ex Honorati vita docemur hujus studio et opera Hilarium a sæculi deliciis ad monasticæ vitæ institutum traductum constanter apud Lerinum perseverasse, quousque mortuo Honorato in ejus locum suffectus est, triginta nondum annos natus.

X. His de utriusque Hilarii discrimine elucidatis evanescit Vossii aliorumque assertio, qui non aliam ob causam Hilario vel Arelatensi vel Prosperiano opus de Vocatione gentium ascribendum putarunt, quam quod conflarunt ex duobus unum. Cui argumento alterum addo de utroque seorsim. De Hilario quidem Arelatensi; quod nihil in opere de Vocatione omnium gentium occurrit, quod vel minimum fuliginem Semipelagianam redoleat; qua certum est Hilarium Arelatensem vehementer infectum fuisse. Immo vero omnes Semipelagianorum errores hoc scripto pessumdantur.

Ad Prosperianum quod attinet, seu idem cum Syracusano, seu alter ab eo, non auctor est tam præclari opusculi. Neuter enim tanti fuit in Ecclesia nominis, ut inter Ecclesiæ magistros ac doctores meruerit a Gelasio PP. numerari; ut numeratus est auctor quem discutimus. Neuter ea sanctitatis aut doctrinæ fama claruit, ut Demetrias virgo optaverit sibi ab eo tractatum scribi de virginitatis proposito; idem enim procul dubio utriusque scripti auctor, ut ostendemus **621** inferius, et vel styli affinitas una demonstrat. Contra vero a stylo librorum de Vocatione gentium longe abhorret Hilarii utriusque phrasis: hæc jejuna, humilis ac repens; ille ornatus,

A sublimis et ad luxuriem usque exuberans. Neutrius demum epistola ullum præ se fert characterem qui tam eleganti, tam eruditæ scriptioni simile quid exspectare sinat. Syracusani enim brevior epistola et contractior quam quæ ab homine erudito de hujusmodi quæstionibus scribi debuerat. Alter ultro profitetur tenuitatem virium suarum; videtur etiam non satis deprehendisse quam perniciosum esset doctrinæ catholicæ adversariorum dogma, quos dubitat tolerari posse: excusat se apud Augustinum, quod aliter in superiori epistola scripsisset de illorum sententia, quam tunc scriberet. Denique imbecillitatis propriæ conscius, ac timens iterum ne minus digne ac intelligenter opinionem Semipelagianorum referret, monet se in Prosperum illius melius explicandæ provinciam transmisisse, ut videatur omnino zelo erga Christi gratiam ardentiore fuisse præditus, quam ea scientia instructus quæ in illius defensore exigeretur.

B XI. Hæc eadem ratio retinet me, ne alteri Vossii conjecturæ subscribam, qui vix dubitandum putat quin Prosperi Aurelianensis episcopi studio et operæ debeamus hanc de gratia lucubrationem. Quantam enim in eo dicendi scribendique copiam fuisse existimemus, qui Apollinaris Sidonii (*Lib.* VIII, *epist.* 15) stylum emendicare coactus est, ut sancti Aniani Aurelianensis pariter episcopi res gestæ, mores, merita, virtutesque memoriæ commendarentur? quod factum prodit Sidonius. Hanc procul dubio provinciam non detrectasset, suique prædecessoris vitam, aliorum episcoporum exemplum secutus, ipse descripsisset, si in eo tanta fuisset facundia quantam in libellis de Vocatione gentium mirantur eruditi. Quid quod eam, de qua agitur, controversiam vix crediderim ad ea usque loca penetrasse, in quibus Prosper ille morabatur?

Alteri Prospero, qui Carpentoratensi Vasensique conciliis subscripsit, quod nonnullis placet, opus istud ex conjectura tradere, ne refutatione quidem C indiget. Hunc enim jam mortuum laudare non potuit Gelasius papa, qui anno 496, hoc est triginta et amplius annis ante utramque illam synodum e vivis excessit; prior enim anno 527, posterior 529, habita est. Addo librum scriptum esse circa initia motæ adversus Augustinum controversiæ, quæ totis centum annis Prosperi hujus ætatem prævertere. Ex quo culpanda hoc loco Vossii, viri alias diligentissimi, indiligentia, qui inter Prosperum **622** Aurelianensem et hunc posteriorem non discernit.

XII. Venimus tandem (*a*) ad Prosperum Aquitanum Leonis nostri notarium, sive postmodum (*b*) episcopus fuerit, ut vulgo putant, sive numquam ad eum gradum evectus sit, ut modo constat inter eruditos. Huic eo difficilius abjudicari posse videtur hujus opusculi possessio, quod octingentorum annorum præscriptione, omnium qui habentur mss. codicum fide, totiusque Gallicanæ Ecclesiæ suffragio firmata legitur; quod omnium etiam fere scriptorum in eum D vota concurrunt; et in omnibus fere Operum ejus editionibus jam ex antiquo pro genuino ejusdem fetu habitum est scriptum istud.

Est una quidem Prosperi hujusque auctoris circa Christi gratiam doctrina. Uterque sancto Augustino succinit. Verbis tamen et modis loquendi videntur discrepare; et ad eam explicandi rationem, eaque velut emollimenta descendit iste auctor, ad quæ numquam Prosper confugisse legitur. Quæ causa fuit Gerardo Vossio asserendi quod *ejus sententia non ex amussim quadrat doctrinæ Prosperi*, sed mediam potius viam sequitur inter Augustini sententiam et eam

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Confer observationes huic dissertationi subjiciendas § 1.

(*b*) Hæc opinio, qua S. Prosper Aquitanus episcopatu aliquando ornatus a nonnullis creditur, innititur præsertim vulgatæ inscriptioni epistolæ ad Demetriadem, quam tamen arbitrariam et falsam ostendimus annot. 2 in eamdem epistolam.

quæ fuit Semipelagianorum : quod an verum sit, inferius opus erit inquirere.

2. Styli disparitas auctorum quoque distinctionem arguit : quod Joanni Latio primo visum est, lib. II de Semipelagianis cap. 3. *Cassander et Costerius Prospero* (tribuunt) *ex antiquorum codicum auctoritate; verum stylus a Prosperi stylo abludit, et rerum tractatio dissimilis est.* Quæ causa eadem, opinor, fuit, cur opusculum istud aureum, ut sæpe ab eruditis appellatur, Prosperi non esse pronuntiarint viri plures doctissimi, quos inter (præter Latium) numerantur Gerardus Vossius, Hugo Grotius, Antonius Arnaldus, Henricus Norisius, nunc S. R. E. cardinalis, et alii nonnulli. Certe auctoris librorum de Vocatione stylus Prosperiano longe castigatior concinniorque, elegantior dictio, periodi magis commensuratæ, antitheses sententiarum verborumque pugnæ frequentiores, schematum usus crebrior, tota denique oratio ex affectato rhythmorum occursu longe modulatior. Hocque in primis attendendum, utpote non nisi ex consilio studioque natum; non enim tunc solum occurrunt cum in eas velut sponte currere videtur oratio, quod et nonnumquam in Prospero inveneris; sed aliis etiam in locis, ubi non nisi data opera usurparentur.

3. Scribendi methodus auctori anonymo familiaris a Prosperi ratione plurimum dissidet. Hic enim palam et publice assertorem se vindicemque sancti Augustini exhibet, **623** ejus doctrinæ apices omnes ubique acriter ac strenue propugnat, premit studiose omnia ejus vestigia, ubique sancti doctoris animum, doctrinam, sensusque omnes spirat. Nihil tale in gemino libello. De sancto Augustino ne apex quidem ullus; ita ut vel ipsum videatur non nosse (quod nemo crediderit), vel ejus nomen ex certo consilio certasque ob causas reticuisse. Prosper cum scribit, Ecclesiæ Romanæ auctoritatem passim prædicat ac circumfert, utpote ejus nomine et ex ejus delegatione in arenam descendens : alter ex proprio ingenio stylum exerit, non tam pugnandi quam sese exercendi studio, magisque inquirenti similis, quam certa et jam sancita dogmata propugnanti. Ille palam aggreditur Semipelagianos, atque ut catholicæ doctrinæ adversarios insectatur : hic non tam ex industria quam aliud veluti agens eos exagitat, nec id ea vehementia eoque zelo exsequitur, quo sanctus ille Augustinianæ doctrinæ discipulus et vindex.

XIII. 4. Cum certum sit scriptum opusculum fuisse aliquamdiu ante Gelasii papæ tempora, vix tamen unum aliquod temporis spatium assignare possis, quod Prospero conveniat. Si statim ab initio concertationum vel paulo post eas exortas exaratum velis, jam ipsum auctorem in libri sui exordio contradicentem habes, qui jamdudum de his quæstionibus controversum fuisse diserte asserit. *Inter defensores liberi arbitrii*, inquit (*Lib.* I *de Vocat. omn. Gent. c.* 1), *et prædicatores gratiæ Dei magna et difficilis* DUDUM *vertitur quæstio*, etc. Si vero ultro concesseris quod negari non potest, eam controversiam dudum efferbuisse inter Augustinianos et Semipelagianos, cum ad scribendum auctor se applicuit, jam alium a Prospero fuisse necesse est. Hic enim statim atque Pelagiani veneni reliquiæ per Genuensium excerpta, vel capitula Gallorum, vel Joannis Cassiani Collationes spargi cœpere, stylum ocius arripuit acuitque, et totis viribus, illarum vocum novitates insectatus est : contra vero auctor librorum de *Vocatione Gentium* innuit hanc primam suam esse de hac materia lucubrationem, et quidem dudum post motas quæstiones elaboratam. *Magna et difficilis* DUDUM *vertitur quæstio .... De hac igitur compugnantia opinionum qua mensura et temperantia sentiendum sit, quantum Dominus adjuverit,* ANNITAR *inquirere, exercens atque discutiens modulum facultatis meæ in his quæ cordi meo sobrie, quantum arbitror, inhæserunt.* En verba post longam opinionum istarum concertationem scribentis, primam in hoc scripto operam ponentis primumque conatum,

A hominisque magis *inquirentis*, sese *exercentis*, remque studio proprio *discutientis*, ac pro modulo facultatis suæ, quam confidenter ex Patrum doctrina asserentis propugnantisque ex delegatione sedis apostolicæ. Immo timide admodum ac dubitanter scribit, quia, videlicet, quamvis per omnia Augustinianæ receptæque in Ecclesia doctrinæ congruentia proponeret, novos tamen **624** loquendi modos inducebat : sciebat autem suspectas merito esse in Ecclesia novitates vocum, etiam servata antiquitatis doctrina; unde post descripta verba, hæc subjicit : *Ut si in eas regulas processerit stylus, quæ nihil offensionis, nihil habeant pravitatis, non solum nobis, sed et aliis utile sit, ad aliquem nos limitem pervenisse, quem non debeamus excedere.* Qui demum, ne scriptum Prospero abjudicent, discrimen notatum inde nasci posse dixerint, ut dixerunt nonnulli, quod illo tempore exaratum est a Prospero, quo nondum plene hauserat Augustinianæ doctrinæ fluenta, præsertim vero ex iis libris

B posterioribus, quos sub vitæ finem scripsit; facile ex fixa superius epocha hujus scriptionis refelluntur.

XIV. His igitur et aliis ejusmodi rationibus moti sunt viri eruditi, ut, remotis omnibus notatis supra præjudiciis, de auctore opusculi novum examen instituerent; atque ex diligentiori inquisitione, expensisque hactenus momentis et rationibus, hæc tria pro certis habenda esse statutum est.

Primum, nullum ex iis quos ante Prosperum excussimus esse auctorem librorum *de Vocatione omnium Gentium.*

Secundum, etsi graviora Prospero Aquitano argumenta militent, graviores tamen esse rationes in contrarium prolatas; neque illa argumenta majoris esse momenti, ut opus istud Prospero ascribatur, quam similia quibus eidem ad nostram usque ætatem assertum est opus de *Vita Contemplativa.* Pariter enim sub Prosperi nomine laudatum legitur ab octingentis annis in synodis Ecclesiæ Gallicanæ; pariter inscriptum Prosperi nomen in manuscriptis codicibus ejusdem

C ætatis; pariter Operibus editis jam ex antiquo insertum : ita denique creditum, nullo refragante, ab omnibus posterioris ævi scriptoribus. Constat nihilominus hodie inter eruditos non esse Prosperi opus *de Vita Contemplativa*, nec religio fuit tam antiquis, tamque idoneis testibus fidem derogare, vel ex sola styli diversitate; sed Juliani Pomerii esse omnes consentiunt, partim ex Isidori Hispalensis episcopi testimonio, partim ex mss. codicum fide. Unum jampridem laudarunt viri eruditi, qui fuerat primum sancti Salvatoris vicecomitis, postea illustrissimi doctissimique archiepiscopi Tolosani Caroli de Monchal; alterum nuper nacti sumus in bibliotheca abbatiæ Beatæ Mariæ de Trappa, quæ ex obscuro monasteriolo, unde penitus oblitterata regularis disciplina, in numerosissimum sanctissimumque asceterium derepente evadens, religiosissimi abbatis studio ac pietate, suum ætate nostra Gallicanæ Ecclesiæ Bernardum, suam Bernardo reddidit Claramvallem.

D Tertium denique, ad quod post operosam inquisitionem deventum est ab eruditis scriptoribus, hoc est : prorsus ignotum esse auctorem librorum istorum; atque ita omnibus, quibus hactenus sunt ascripti, abjudicarunt, adjudicarunt nemini.

XV. Porro mirari satis non possum, dum eruditus **625** quisque ecclesiasticæ rei studiosus auctorem præclari venatur opusculi, neminem de Leone nostro quidquam esse subodoratum, neque in ullius oculos incurrisse splendidum illud Ecclesiæ Romanæ lumen. Immo, incurrit procul dubio; sed dum hinc pontificem tantum cogitant, illinc scribendi rationem a pontifice alienam, qualem habet auctor libellorum nostrorum, illi tribuere opus reformidarunt : non animadvertentes, ut certum habemus, Leonem nostrum diu ante pontificatum suum adversus Pelagianos ferventi zelo decertasse, ita non ægre existimandum stylo eum pugnasse ac scriptis, qua videlicet præditus

erat et Scripturarum sacrarum doctrina et dicendi scribendique facultate eximia.

Hoc igitur certissimum apud me est, Leonem papam antequam ad pontificatus apicem proveheretur scripsisse libros de Vocatione omnium gentium. Quod ut mihi persuaderem difficile non fuit, cui videlicet scripta sancti Leonis ex instituti mei necessitate sæpe sæpius relegenti familiarissima facta est phrasis Leonina, totusque dicendi character. Utrum autem ad id aliis persuadendum parem inventurus sim facilitatem, spondere mihi non ausim. Hoc unum spondeo, nihil esse quo possit opinio nostra concuti; contra vero quidquid a variis scriptoribus, qui hanc spartam adornarunt, observatum est, quasi hujus auctoris proprium, et alia insuper bene multa, omnino congruere Leoni, ipsumque quasi digito monstrare: ætas, inquam, patria, scribendi character, Scripturæ usus familiaris, peculiaris locorum quorumdam citatio, aliorum frequentior recursus, doctrinæ præsertim de gratia Christi similitudo, explicandi modus proprius, sententiæ non absimiles, nonnullorum verborum affectata frequentatio, conformatio periodorum eadem, eadem sermonis constructio, conflictus verborum crebræque antitheses, dictionis varietas, elegantia, dignitas, ubertas igneusque vigor, tota denique styli, ut ita dicam, facies eumdem omnino auctorem prædicant; ut omittam easdem utrique occasiones fuisse, quæ ad scribendum opus istud movere potuerint.

XVI. Primum quidem, quod scriptionis (*a*) tempus attinet, istud in ætatem Leonis nostri incidere evidentissimum est. Tunc enim scribere aggressus est auctor, cum jamdudum fervereut dissidia adversus Augustinianam doctrinam mota, quæ quidem vivente adhuc Augustino orta erant; adeoque circiter annum quadringentesimum trigesimum secundum, vel tertium opus exarabat, a quadringentesimo quadragesimo, quo electus est Leo pontifex, non longe dissitum. Præterea non scripsit auctor, nisi post lectas aliorum lucubrationes adversus Semipelagianos; hoc est post scripta sancti Prosperi, qui Joannis 626 Cassiani adhuc tum in vivis agentis Collationes confutavit. Accedit laudatum esse a Gelasio papa I opusculum istud velut ab Ecclesiæ quodam magistro jam a pluribus annis conscriptum; Gelasius autem papa anno 496 pontificatum cum vita reliquit. Denique modo certum apud eruditos eumdem esse auctorem librorum de Vocatione gentium, et epistolæ ad Demetriadem virginem, quæ Prosperi operibus inserta accensitaque habetur, quod styli affinitas arguit. At circa hæc eadem, quæ assignavimus, tempora scripta esse videtur epistola. Demetrias enim virginitatis propositum amplexa erat anno 413, *primo ætatis flore*, ut loquitur auctor epistolæ, annos forsan nata viginti vel duodeviginti; ejusdem autem *tam maturum et eruditum animum* laudat statim ab initio epistolæ, quod ante annum circiter 433 fieri vix potuit, quo trigesimum octavum vel quadragesimum ætatis suæ annum attigerat Demetrias. Et certe post Augustini mortem scriptam esse epistolam indicant hæc verba, quibus eos qui piissimam virginem inter ipsa consecrationis primordia adhortationibus suis incitaverant, quasi vita functos laudat. *De quo*, inquit, *inter ipsa principia multi, qui* TUNC *in Ecclesia præeminebant, non siluerunt;* inter quos Augustinum numeratum esse, nemo non crediderit.

XVII. 2. Auctorem istum (*b*) in Italia natum, aut saltem commoratum probabile admodum est. Vel enim Galliis nostris, vel Africanæ Ecclesiæ, vel Romanæ vindicandus omnino videtur: extra quas nec tantam facundiam, nec doctrinam tantam, quantam continent libelli, per illa tempora invenire potueris. Africanum non fuisse, probare mihi videtur altum de sancto Augustino silentium, quod minus ardens studium denotat, quam Africanus pro conterraneo suo præ se ferre debuerit; nec enim ignorasset ipsum Africanarum synodorum *ingenium* fuisse, amassetque de tanto viro dicere cum Prospero, quod

> ....Inter cunctos qui de grege sancto
> Insanas pepulere feras, industria major,
> Majus opus totum præstantius imbuit orbem.

Hunc, inquam, laudasset, vel a conviciis malignisque adversariorum accusationibus vindicasset. Nihil porro tale; ut nullum commercium, nullam inter utrumque consuetudinem intercessisse appareat. Deinde tanti viri aliquam haberemus in Ecclesia Africana memoriam, cum ascivisset Augustinus pugnæ socium adversus hæreticos, eosque post sancti doctoris mortem exagitandos hic suscepisset. Denique styli perspicuitas concinnitasque cum turgente vel etiam barbara Africanorum illius temporis dictione commune nihil habet. Barbari enim magnam 627 Africæ partem invadentes, barbariem quoque in litteras invexerant; ita ut Augustinus, qui inter alios eloquentiæ laudem olim captarat, nihil habeat quod hoc in genere cum auctore nostro conferri queat.

Gallum si dixeris fuisse, difficile cogites cur a Gennadio tam accurato alioqui scriptorum Gallicanorum recensitore vel ignoratus sit, vel prætermissus. Cur etiam Prospero non se adjunxisset commilitonem adversus Augustinianæ doctrinæ obtrectatores, cum tanta dicendi scribendique copia, tam singulari eruditione polleret, et tanta esset defensorum gratiæ penuria in Galliis, ut vix esset qui ejus impugnatoribus sese objiceret. *Nec facile quisquam*, inquit sanctus Prosper (*Epist. ad S. August.*), PRÆTER PAUCOS PERFECTÆ GRATIÆ INTREPIDOS AMATORES, *tantis superiorum disputationibus ausus est contraire*. In illa, inquam, temporum necessitate auctor iste in Galliis delituisset, velut pugil inermis aut trepidus; quando solus Prosper decertabat, uno socio vel potius pugnæ incentore Hilario monacho, non satis, ut apparet, ad pugnam idoneo?

XVIII. Restat ut Italum pronunties hunc auctorem; quod et nonnullis adhuc momentis probabile facimus. Styli enim elegantia et nitor hominem designat in Romanæ civitatis sinu aut vicinia educatum: ubi Latina lingua se magis adversus incurrentem barbariem tuebatur. Vix enim ac ne vix quidem coævum Leoni scriptorem reperias, quem auctor librorum de Vocatione gentium scribendi concinnitate non superet. Præterea auctor, libro II, cap. 33, hæc habet: *Alii*, inquit, *barbari, dum Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in* NOSTRIS *didicere regionibus, et ad sedes suas cum Christianæ religionis institutione remearunt*. Incertum qua de expeditione sermo sit hoc loco; sed haud scio an aptius ad aliam referri queat, quam ad bellum adversus Eugenium tyrannum, a Theodosio magno confectum. Recens enim ejus tunc memoria. Victoria hoc parta prælio pro imperii rebus decretoria fuit. Imperatorem ex Orientis partibus proficiscentem ad bellum secuta est ingens barbarorum multitudo ad Alpes usque, ubi debellatus tyrannus, quorum pars magna cæsa est ab hostibus. At facile fuit ut eorum filii religionis Christianæ elementa illic edocerentur, baptizarenturque, hanc illis gratiam vel gratitudinis ergo procurante Theodosio, quem in eadem occasione discimus hanc sollicitudinem inimicorum etiam suorum filiis ultro impendisse. *Inimicorum suorum filios*, inquit sanctus Augustinus, *quos non ipsius jussus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum Christianos ad Ecclesiam confugientes, Christianos hac occasione fieri voluit, et Christiana cha-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vid. observationes subjiciendas n. 10.

(*b*) Confer observ. n. 11.

ritate dilexit (*De Civit. Dei l.* v, *c.* 16). Sed et sensus magis obvius **628** istorum verborum, *in nostris didicere regionibus*, requirit, ni fallor, ut de Romano solo intelligantur, cum his aliis annectantur : *dum Romanis auxiliantur*. Hoc tamen argumentum Erasmo, cui etiam in mentem venit, dilutius videtur, quia quacumque se Romanum pandebat imperium, Romana regio dici poterat. Penes lectorem esto judicium. Forte validior conjectura, quæ ex libri II cap. 16 eruitur, ubi magnificis verbis Romanæ Ecclesiæ principatum prædicat, ditionemque illius disseminatæ ubique fidei titulo longe lateque propagatam. Etsi enim sit omnium per universum orbem catholicorum Romanæ sedis primatum agnoscere, singularemque prærogativam Petri successori Ecclesiæ vertici debitam profiteri, his tamen loquendi modis gaudere mihi videtur auctor noster, qui hominem prodant vel Romanum vel Romano clero insitum. Denique opusculum istud nusquam apud Africanam Ecclesiam citatum legitur; apud Gallicanam, non nisi post annum octingentesimum. At apud Romanam ante annum quadringentesimum nonagesimum sextum laudatur, nimirum a Gelasio papa I, qui nomen quidem auctoris reticet, a quodam tamen Ecclesiæ magistro sapienteque doctore compositum indicat. SICUT QUIDAM, inquit, MAGISTER ECCLESIÆ SAPIENTER EDOCUIT DICENS : *Ad magnam enim utilitatem fidelium materia est servata certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas.* Quis porro alius sapiens doctor et magister Ecclesiæ per illa tempora floruit, cui opus istud ascribi possit, cum Prospero aliisque insignioribus viris, qui tunc scientiæ eloquentiæque primatum tenebant in Ecclesia, abjudicandum esse supra censuerimus?

XIX. Cum ætas et patria auctoris Leoni conveniant, inquirendum modo an congruat stylus dicendique character. Plura sunt profecto quæ utrique communia sint.

Primum est, quod (*a*) nova sancti Hieronymi translatione uterque utitur. Quæ similitudo magis eo pensanda, quo rarissimi scriptores occurrunt, qui versionem illam usurpaverint ante medium quinti sæculi, quo tempore scriptum opus constat. Insignis locus est (*b*) libri Job cap. XIV, 4, ita citatus apud sanctum Leonem, serm. 8 de Nativitate Domini, et in libro I de Vocatione omnium gentium, cap. 8 ; *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Qui locus ita legitur juxta veterem translationem : *Nemo mundus a sorde, nec infans cujus unius diei vita super terram.* Juxta utramque translationem usurpatur idem versus in epistola ad Demetriadem cap. 11. Ex quo eumdem trium opusculorum auctorem non temere suspiceris. Certe ut hunc non Africanum, sed Romanum credam, facit adhuc **629** promiscuus iste utriusque versionis usus. Serius enim receptam puto Hieronymianam in Africa, ubi adversum passa est Augustinum, quam apud Romanam sedem, ubi magna Hieronymi auctoritas, et apud quam in usu fuisse utramque ante Gregorii I Pontificatum, Gregorius ipse testatur in epistola ad Leandrum expositioni in Job præfixa.

Uterque legit hunc primæ Joannis Epistolæ versum 3 capitis IV : *Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est ;* quæ verba, etsi in aliquot aliorum Patrum scriptis habeantur, non tamen in multis. Desunt certe in omnibus exemplaribus Græcis, versionibusque quas hæretici ediderunt in lucem. Scribitque Socrates, Histor. lib. VII cap. 32, *Hanc sententiam omnes, qui Divinitatem ab humanitate Christi sejungere studebant, ex vetustis exemplaribus delere tollereque non dubitasse*, idemque testatum dicit a veteribus

A interpretibus. Loca sunt lib. I de Vocatione omnium gentium c. 23, et in celebri epist. 24 (*nunc* 28) ad Flavianum, cap. 5.

Uterque capitis XXXI Jeremiæ versum 33 hoc modo refert : *Dabo leges meas in sensu ipsorum, et in corde ipsorum scribam eas*, lib. I de Vocatione omnium gentium, cap. 8 et 9, Leo, serm. 95, de Gradibus ascensionis ad beatitudinem, cap. 1 ; ex hisque verbis notat uterque eodem loco severitatem legis in misericordiam per gratiæ infusionem esse mutatam.

Uterque ita legit et passim usurpat textum hunc Apostoli : *Nemo potest dicere Dominum Jesum*. Utrique familiare est illud libri Job : *Tentatio est vita hominis super terram.* Et ut gentium sine Deo, sine fidei lumine viventium ante Domini incarnationem statum exponant, persæpe adducunt hæc cap. XIV Actuum apostolorum verba : *Dimisit gentes abire vias suas.*

Uterque hunc locum capitis XXVIII Evangelii secundum Matthæum usurpat, ut probet Christum Dominum in verbi sui sacramentorumque ministris numB quam non operari : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* S. Leo epist. 83 (*nunc* 108) ad Theodorum Forojuliensem (*Cap.* 2) : *Cui utique operi* (nempe reconciliationi peccatorum per ministerium sacerdotum) *incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec umquam ab his abest, quæ ministris suis exsequenda commisit, dicens : Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Et epist. 2 (*nunc* 167) ad Rusticum Narbon. : *Confirmans*, inquit (*In præf.*), *prædicatores Evangelii et sacramentorum ministros : Ecce ego, inquit, vobiscum sum*, etc. Auctor vero librorum de Vocat. gent., lib. II cap. 2 : *Et ne prædicantium ministeria humano tantum viderentur opere* **630** *peragenda : Ecce ego, inquit, vobiscum sum*, etc.

Uterque etiam (quod maxime notandum) versus 31 et 32 capitis XXII sancti Lucæ refert eodem ac peculiari modo. Sic enim habent : (*c*) *Simon, Simon, ecce Satanas* POSTULAVIT *ut vos* CERNERET *sicut triticum.* C *Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua ; et tu tandem conversus confirma fratres tuos ;* ET ROGA NE INTRETIS IN TENTATIONEM. Intra enim tam pauca verba tria aut quatuor sunt in quibus et sibi invicem consentiunt et ab aliis discrepant satis insigniter, ut ex subjecta Vulgatæ editionis lectione manifestum fit, quæ sic se habet : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Habet quidem sanctus Prosper similem fere lectionem cum hoc auctore nostro, sed tamen non omnino eamdem. Nam priori loco, scilicet in epistola ad Rufinum, non habet *cerneret* pro *cribraret*, etsi cætera concinant ; in libro contra Collatorem, cap. 35, ubi eumdem textum iterum usurpat, hæc ultima verba omittit, *et roga ne intretis in tentationem*. Sanctus autem Leo serm. 3 (*nunc* 4) in anniversario Assumptionis suæ, cap. 3, quo solum loco hæc verba adducit, in omnibus conD venit cum auctore libri de Vocat. gentium. Opponet quis procul dubio illic non haberi *cerneret* pro *cribraret*. Non ita, fateor, legitur in codicibus excusis : sed ex mss. optimæ notæ adulteratum hunc locum fuisse convincimus ; cum enim nemini non sit familiaris dictio, et in omnibus ubique codicibus *cribraret* legamus, non dubitavit scriba doctulus erratum, ut putabat, ad vulgatam lectionem emendare, et reponere *cribraret* pro *cerneret*. Sed hoc ultimum esse legendum arguunt mss. codices Victorinus unus, alter Cisterciensis, et tertius sancti Mariani Autissiodorensis ordin. Præm. qui fuit olim abbatiæ Regniacensis ordin. Cisterc. non longe ab illa urbe. Ita etiam legit Hincmarus Remensis episc. opusc. 33

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vid. observ. n. 12.
(*b*) Vid. observ. in dissert. 4, n 5.
(*c*) Confer observ. huic dissert. subjectas, num. 15.

Capitulorum 55, capite 16, ubi locum hunc Leonis describit.

XX. 2. Istius operis (*a*) doctrina circa Christi gratiam eadem prorsus est cum doctrina sancti Leonis : cumque in illo nonnulli sint tam explicandi quam loquendi in hac materia modi, quibus videtur primo intuitu ab Augustini sententia recedere, iidem quoque passim apud Leonem occurrunt. In quibus præsertim est quod de generali quadam gratia nulli ætati, nulli homini non impensa, sæpius disserit, quam quidem ponit in elementorum discordi concentu, in terræ cœlique et creaturarum omnium structura, 631 ordine, ac veluti loquela, quæ Creatoris omnipotentiam, bonitatem, sapientiamque ineffabiliter prædicant. Ita sanctus Leo, serm. 7 de Jejun. decimi mensis : PER IPSA, inquit (*Cap.* 2), ELEMENTA MUNDI, TAMQUAM PER PUBLICAS PAGINAS, *significationem divinæ voluntatis accipimus ; nec umquam cessat divina eruditio, quando etiam de iis quæ nobis* FAMULANTUR IMBUIMUR. Serm. 8 de eodem (*Cap.* 2) : *Intelligimus divinis* NIHIL VACUUM ESSE *præceptis, et verbo Dei ad eruditionem nostram omnia elementa servire, dum per ipsius mundi cardines, quasi per quatuor Evangelia incessabiliter discimus, quod et prædicemus et agamus. Dicente enim propheta : Cœli enarrant gloriam Dei, etc., quid est per quod veritas nobis* NON LOQUITUR? *Ipsius voces in die, ipsius voces in nocte audiuntur, et pulchritudo rerum unius Dei opificio conditarum non desinit cordis auribus magistram insinuare rationem; ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur ; et non creaturis, sed Creatori omnium serviatur.* Serm. 6 de Jejunio sept. mensis : *Devotionem fidelium nihil est quod divina providentia non adjuvet : siquidem exercendis ad sanctimoniam mentibus atque corporibus ipsa quoque mundi* ELEMENTA FAMULANTUR, *dum dierum ac mensium distincte variata revolutio* QUASDAM NOBIS PAGINAS *aperit præceptorum ; ut quod sacra admonent* INSTITUTA, *hoc quodam modo* LOQUANTUR *et tempora.* Serm. 6 in Quadrages. cap. 1 : *Semper quidem, dilectissimi, misericordia Domini plena est terra, et unicuique fidelium ad colendum Deum ipsa rerum natura doctrina est, dum cœlum et terra, mare et omnia quæ in eis sunt, bonitatem et omnipotentiam* SUI PROTESTANTUR AUCTORIS, ET FAMULANTIUM ELEMENTORUM *mirabilis pulchritudo justam ab intellectuali creatura gratiarum exigit actionem.*

De Vocat. gent., lib. II cap. 4 : *Cœlum et terra omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis... ad cultum et dilectionem* SUI IMBUERETUR AUCTORIS. *Quoniam etsi longe est a peccatoribus salus, præsentia tamen salutis* IPSIUS AC VIRTUTE NIHIL VACUUM EST... *Quod est autem hoc testimonium quod semper Domino deservit, et numquam de ejus bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, et inenarrabilium beneficiorum ejus dives et ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam* ÆTERNÆ LEGIS TABULÆ *præbebantur, ut* IN PAGINIS ELEMENTORUM AC VOLUMINIBUS TEMPORUM *communis et publica divinæ institutionis doctrina legeretur. Cœlum ergo cunctaque cœlestia, mare et terra, omniaque quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque concentu* PROTESTABANTUR *gloriam Dei et prædicatione perpetua majestatem sui* LOQUEBANTUR *auctoris.* Et cap. 5 : *Quamvis ergo hæc et multa similia veritatis Scriptura pronuntiet, secundum* 632 *ipsam tamen credimus et piissime confitemur, quod numquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit; ut propheticas voces et præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimonis accepisse. Unde et inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi Dei dona fecerunt; et quæ creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum.*

De generali hujusmodi gratia (hac voce in latiori significatu accepta) quæ etiam legem includit, omniaque ad cognitionem Dei utilia, fuse uterque disserit iisdem ut plurimum verbis : quod præter descripta superius loca tum sancti Leonis, tum alterius opusculi, ex aliis insuper locis evincitur. Sanctus Leo serm. 80 (*nunc* 82) de SS. apost. Petro et Paulo, cap. 2 : *Deus bonus*, inquit, *et justus omnipotens misericordiam suam humano generi* NUMQUAM NEGAVIT, *omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper* BENEFICIIS ERUDIVIT, etc. Serm. 5 in Epiphan. : *Permanet super omnes benignitas Dei, et nulli misericordiam suam denegat, cum indiscrete universis bona multa largiatur*, etc. Serm. 8 in ead. festivit. : *Deus omnes ad cognitionem sui* GENERALIBUS INCITANS DONIS, PLUIT SUPER JUSTOS ET INJUSTOS, ET SOLEM SUUM ORIRI FACIT SUPER BONOS ET MALOS.

De Vocat. gent. lib. II cap. 10 : *Omnium sæculorum experimenta docuerunt justam Dei misericordiam, misericordemque justitiam, nec alendis umquam corporibus hominum, nec docendis juvandisque eorum mentibus defuisse :* SEMPER ETENIM PLUIT SUPER BONOS ET MALOS ; SEMPER SOLEM SUUM ORIRI FECIT SUPER JUSTOS ET INJUSTOS. Lib. I, cap. 5 : *Secundum Scripturam credimus, et piissime confitemur, quod numquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit; quæ licet acceptum sibi populum* SPECIALIBUS AD PIETATEM DIREXERIT INSTITUTIS, NULLI TAMEN NATIONI HOMINUM BONITATIS SUÆ DONA SUBTRAXIT. Cap. 21 : *Quamvis videamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam.* Lib. II cap. 17 : *Quibus tamen* (gentilibus) *illa* MENSURA GENERALIS AUXILII, *quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur.* Cap. 25 : *Omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse, non aliunde monstratur quam de iis beneficiis, eaque providentia Dei, quam universis generationibus communiter atque indifferenter impendit... Quibus donis auctorem suum per omnia sæcula* PROTESTANTIBUS *specialis gratia superfusa est.* Lib. II cap. 4 : *Igitur, sicut dicit propheta, Misericordia Domini plena est terra : quæ nullis umquam sæculis, nullis generationibus defuit, eamque providentiam, qua universitatem rerum administrat et continet, regendis alendisque naturis semper impendit*, etc. Vide 633 ejusdem libri caput 9. Eodem uterque modo loquitur de lege legisque mysteriis, quam fere legis testificationem, veteris Testamenti significationes, oracula prophetarum, veteris Testamenti decreta appellat.

Uterque eodem modo urget voluntatum patronos. Leo, epist. 6 (*nunc* 1) ad Aquileiensem episcopum, cap. 3, scribit ad hoc omni conatu eos tendere, *ut gratia Dei secundum merita dari accipientium sentiatur... Et ideo per naturalem industriam gratiam præveniri*, ab iisdem asseri, *ut quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata.* Hoc idem aliis verbis expressum habes lib. I de Vocat. gent., cap. 22, et epistolæ ad Demetriadem cap. 10.

XXI. 3. Nec in materia tantum gratiæ eadem cogitata, iidem conceptus, dicendique ratio eadem occurrunt; verum et in aliis quoque bene multis, v. g., cum de apostolicæ sedis in urbe Roma fundatione, amplitudine ac dignitate sermonem habent.

Sanctus Leo, serm. 1 de SS. Petro et Paulo, cap. 1 : *Ut gens*, inquit, *sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis jus imperii tui terra marique protuleris; minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit... Ut autem hujus inenarrabilis gra-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vid. observ. num. 14.

tiæ per totum mundum DIFFUNDERETUR EFFECTUS, ROMANUM REGNUM DIVINA PROVIDENTIA PRÆPARAVIT, *cujus ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum gentium vicina et contigua esset universitas. Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, et cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis.*

De Vocatione gent. lib. II, c. 16: *Ad cujus rei effectum credimus providentia Dei Romani regni latitudinem præparatam, ut nationes vocandæ ad unitatem corporis Christi, prius* JURE UNIUS CONSOCIARENTUR IMPERII. *Quamvis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma, multosque jam populos sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit: quæ tamen per apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.*

Petrum apostolum a trinæ negationis lapsu resurgentem cum uterque describit, iisdem fere terminis B utuntur, etsi non ita communiter usurpari solitis. Id omne ad secretum Christi Domini intuitum referunt, indeque arguunt nemini hanc vitam viventi quantumlibet justo ac pio non inesse labendi periculum atque formidinem.

Sanctus Leo, serm. 3 de Pass.: *Respexit*, inquit, *Dominus Petrum, et inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, inter cædentium et conspuentium injurias constitutus,* ILLIS TURBATUM DISCIPULUM CONVENIT **634** OCULIS, *quibus eum præviderat esse turbandum.* Serm. 9 de ead. Pass.: *Petrus perterritus ex infirmitate periculum negationis incurrit, ob hoc, sicut apparet, hæsitare permissus, ut in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur, et nemo auderet de sua virtute confidere, quando* MUTABILITATIS PERICULUM *nec beatus Petrus potuisset evadere. Dominus autem Jesus, qui intra pontificale concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi divino vidit intuitu, et paventis animum, mox ut respexit, erexit,* ET IN FLETUS PŒNITUDINIS INCITAVIT.

C De Vocatione gentium lib. II, cap. 28: *Si ergo defectura erat fides tanti apostoli, nisi pro eo Christus oraret, inerat ei procul dubio* MUTABILITAS, *qua posset in tentatione nutare... Si quidem tam gravis eum* PERTURBATIO, *etiam post ista concusserit, ut in Caiphæ domo unius ancillæ interrogatione pavefactus usque ad trinam negationem Christi, constantia deficiente, perductus sit. Qui ergo tunc* TURBATUM *cor Apostoli* NON HUMANIS, SED DIVINIS CONVENIT OCULIS, ET AD LARGOS PŒNITUDINIS FLETUS POTENTI INCITAVIT ASPECTU, *potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre discipulo... In præsentis autem agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, et ab insidiante superbia nec ipsa est tuta victoria,* MUTABILITATIS PERICULO NON CARETUR.

Sanctus Leo loquens de ejusdem apostolorum principis nomine, *Beatus*, inquit, *Petrus.... a principali petra soliditatem et virtutis traxit et nominis.*

De Vocatione gentium lib. II, cap. 28: *Quis ambigat fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem et virtutis sumpsit et nominis?* D

De peccatorum conversione sanctus Leo: *Dum in hoc corpore vivitur, nullius desperanda reparatio; sed omnium est optanda correctio, auxiliante Domino, qui erigit elisos, solvit compeditos, illuminat cæcos.* Sermone 4 de Epiphania cap. 5, sect. 4, de Coll., c. 2: *Elisis reparatio non negatur.*

De Vocatione gentium lib. II cap. ult.: *Si forte (quis) victus aliqua tentatione corruerit, non absorbeatur tristitia, nec de ejus miseratione diffidat qui allevat omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos; dum enim in hoc corpore vivitur, nullius est negligenda correctio, nullius est desperanda reparatio.*

Sermone 3 de Passione cap. 3 vocatur Judas *homo* INCONVERTIBILIS. Epist. 125 (*nunc* 156) cap. 2: *In*

A *malitia sua* INCONVERTIBILIS *perseverans* Antichristus aut diabolus. Alio sensu vox eadem usurpatur epist. 93 (*nunc* 120) cap. 3, de INCONVERTIBILI Dei Natura. Lib. I de Vocatione gentium cap. 25: *Numquid illa virtus gratiæ, quæ sibi quos voluit subdidit, convertere eos qui* INCONVERTIBILES *permansere non potuit?*

De extremo diei ultimæ judicio disserens sanctus Leo, serm. 5 de Collectis et eleemosyna, sic ait (*cap.* 3): *Congregatis omnibus gentibus....* **635** *in quo laudabuntur, qui ad dexteram Dei stabunt, nisi in operibus benevolentiæ et charitatis officiis... sinistris* VERO QUID OBJICIETUR, NISI NEGLECTUS DILECTIONIS.... *quasi nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri?* Serm. 7 de Quadragesima cap. 4: *Detrusis in ignem gehennæ propter inhumanitatem sinistris, dextros eleemosynarum pietate laudatos æterna cœlestis regni beatitudo suscipiet.* Serm. 4 de Collect. et eleem. (*cap.* 2): *Congregabuntur ante thronum potentiæ ejus omnium gentium populi... et cum præparatum sibi regnum, recensitis misericordiæ operibus filii pietatis acceperint, exprobrabitur duritia sterilitatis injustis. Et nihil habentes sinistri commune cum dextris, in ignem*, etc.; et serm. 16: *Non ergo hoc solum fecerunt sinistri, nec quia*, etc. Serm. 96 (*nunc* 14 *append.*) in Cath. S. Petri c. 4: *Sinistrum lascivientium hædorum numerum effugere.* De Vocat. gent. lib. II cap. 8: *In congregatione omnium gentium alii ducuntur ad dexteram, alii ad sinistram constituendi.* LAUDATIS DEXTRIS DE OPERIBUS CHARITATIS, NIHIL ALIUD SINISTRIS OBJICITUR QUAM MISERICORDIÆ BENEVOLENTIÆQUE NEGLECTUS.

XXII. 4. Nihil est unum uni tam simile, tamque consonum, quam (*a*) stylus hujus opusculi stylo S. Leonis simile est: ut valde mirer hoc a nemine hactenus fuisse animadversum. Est enim (sicut a SS. Patrum non satis laudando apologista describitur) stylus auctoris istius elegans ac sublimis, sermo nitidus et apertus, non injucunda figurarum varietate distinctus, frequenti verborum oppositorum conflictu oblitus: gravi ratiocinio, conceptibus nihil humile ac demissum habentibus, catholica ubique ac cœlesti prorsus doctrina refertus, Scripturæ sacræ doctrinam totus spirans, atque igneo pietatis vigore, qui sanctorum scriptis inesse solet, plenissimus. Gaudet præterea diversis periodorum membris similiter cadentibus ac desinentibus; tota denique compositio in æquales fere et commensuratas partes concinne distributa, venustam ac perpolitam orationem exhibet. Quid dici potest quod stylo S. Leonis magis congruat, ejusque dicendi characterem clarius exprimat? Quidve de uno dixeris, quod de isto pariter pronuntiari non queat? Hic quidem tam frequens antithesium conflictus, modulatæque ac tinnulæ orationis affectatio scriptorem jam sæpius laudatum movit ut Africanum hunc auctorem suspicaretur. Sed, pace tanti viri dixerim, non minus Italorum proprius est iste dicendi modus, quam Afrorum, et facile crediderim ex Italia in alias subinde regiones transisse. Tam enim ex S. Leonis scriptis, quam aliorum etiam ipso antiquiorum, qui vel Itali erant, vel in Italia eruditi, manifestum est hanc scribendi affectationem maxime in his regionibus invaluisse, **636** et ut hæc erat linguæ jam senescentis venustas et elegantia, prius in ipsius veluti incunabulis, hoc est in Italia ortum habuisse crediderim, quam in aliis Romani imperii provinciis. Quod si forsan rarius occurrant in hoc opere ejusmodi casus, antitheses, ac rhythmi, quam in aliis S. Leonis probatis olim operibus hoc temporum, materiæ, auctorisque ætatis diversitati prorsus imputandum. Quantum enim oratorius character ab epistolari discrepet, nemo nescit, quamque multa rursus tolerentur in epistolis, quæ ab operibus dogmaticis prorsus ablegantur? Unde si nemini subiit mirari pauciores esse hujusmodi figuræ in litteris

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vid. observ. n. 15.

quam in sermonibus, quid mirum si in his rariores adhuc sint quam in hoc scripto, quod totum dogmati explicando consecratur?

XXIII. 5. Porro si ipsa sigillatim verba recenseamus, quæ et huic auctori et S. Leoni magis familiaria et communia sunt, etsi non tam frequentata ab aliis, ipsamque eorum constructionem inspiciamus, statim occurret tanta ubique paritas ac similitudo, tantus concentus, ut hoc per fortuitum casum vel ex imitandi studio contigisse nemo recte existimet. Præter illa enim quæ a SS. Patrum jam citato vindice notata sunt inter auctorem librorum de Vocatione et epistolæ subsequentis scriptorem communia, centum viginti amplius legentium oculis hic subjicimus.

Discipulus veritatis. Paginæ elementorum. Paginæ veteris Testamenti. Urere et uri invidia, etc. Parcitas et largitas gratiæ, etc. Consortium. Evincere. Communio naturæ, ætatis, nominis, peccati, dignitatis, etc. Laquei deceptionum, erroris captionum, mortalitatis, etc. Dextri, sinistri. Parilis, parilitas. Variare, varietas dispensationum. Refutare, pro rejicere. Abdicare, pro repellere. Dispensationes. Dispositiones. Materia dimicandi, certaminis, formidinis, querelarum, confusionis, ruinæ, virtutum, gaudiorum, gratulationis, cupiditatum, peccati, cæcitatis, gloriandi, etc. Mœstitudo. Pœnitudo. Convenire oculis, litteris, monitis. Colluvio. Contagium. Colluctationes. Census. Vitiare, vitiatus. Indicere. Universitas, numerositas, plenitudo, omnis numerus, summa, pro omnes. Portio pro parte plenitudini opponitur. Protestari et pronuntiare, in citandis auctoribus sacris vel ecclesiasticis. Primordia. Exordia. Incitare. Virus invidiæ, etc. Vincula peccati, transgressionis, consuetudinis, culpæ, captivitatis, originalia, etc. Incitamenta doctrinæ. Redire, transire, transferri de uno ad alterum. Necessarie pro incessanter. Doctrina prophetica, evangelica, apostolica. Veritatis Evangelium, sententia, judicium, vox, filii, schola, magister, doctrina, discipuli. Vigor fidei, mentium, pietatis, **637** cordis, animi, auctoritatis, etc. Constitutio legis, constitutio divina, constitutiones impiæ.

Testificatio legis, denuntiationes propheticæ. Oracula prophetarum. Temperare, temperamentum. Temerare. Disputatio et disputator, pro tractatu et tractatore. Inspicere, inspector, inspectio. Sublimare, sublimis, sublimitas. Significationes, pro figuris vet. Test. Insinuare, insinuatio. Præjudicium peccati, vetustatis, originis. Sordescere. Famulari, et obsequium elementorum, famulatus. Moderari. Incommutabilis. Compugnantia, compugnantes. Experimenta virtutum. Sacramentum occultius. Instituta disciplinarum, etc. Evacuare. Distringere, districtus, districtio. Forma, pro modo, aut imagine. Formam præferre. Cooperatores gratiæ. Virtute nitescere, nitor virtutis, pudicitiæ, mentium, luminis, vitæ. Obloqui. Rectus, pravus. Germina virtutum. Summus, supernus aut cœlestis agricola, pro Deo. Ager cordis. Novi Testamenti vel gratiæ decreta. Devotio bonorum operum, vel voluntatis, propositi, arbitrii. Cultura spiritualis. Occiduus, succiduus. prociduus. Qualitates operum, etc. Corde concidere. Incidere periculum, tentationem, laborem, laqueos, etc., sine præpositione *in*, frequentissime. Mutabilitas. Periculum erroris, deceptionis, mutabilitatis, negationis. Tentatio formidinis. Tentationis stimulus, concretio. Discretio, discretus. Pigrum otium. Iners desidia. Indesinenter. Plantationibus suis Deus incrementa præbet. Deceptiones. Inclinare, inclinatio. Cernere, pro cribrare. Extraneus, alienus, pro reprobo. Adoptivus et vocatus, pro electo. Erudire, eruditio divina, Spiritus sancti eruditor. Obscurum, pro obscuritate. Imbuere, pro docere. Dispoliare. Obumbratio, fragilitas, firmitas. Solidare, soliditas. Extraneus, exsors. Religiosus. Sacratus, sacratissimus. Incertum interpretationis, pro incerta interpretatione. Incertum agonis, mutabilitatis, vitæ. Divini operis esse et muneris. Recidere, tumescere. Elatio, elatus. Præsumere, præsumptio. Impar. Possibilitas, pro potestate. Mensura possibilitatis, [illegible] ligentiæ, juris, legum, ultionis, munerum, etc. Meritorum suffragia. Provehere, provectus, provectio. Inflammare. Præsidia. Languere. Augmentum Impendere, impensus. Præcipuus magister, discipulus, etc. Speculum. Privilegium meritorum, humilitatis, honoris, perfidiæ, etc. Coaptare. et alia ejusmodi plurima.

XXIV. Ex his aliqua attentius consideranda, ut quæ proprium auctoris characterem clarius exhibent. Exempli gratia eos qui interiori gratiæ voce ad Christum trahuntur, *Vocati* appellantur. Lib. I de Vocat. gent. cap. 8: CORDIBUS VOCATORUM *suam inserit voluntatem*. Et cap. 9: *Unum credentium et non credentium genus sub* VOCATORUM *appellatione discrevit*. S Leo, serm. 6 de Nativitate, cap. 2: *Nihil hic* VOCATORUM CORDIBUS **638** *caliginis inferat terrena sapientia*. Serm. 6 de Epiphania, c. 1: *Hoc manifestius fieri in omnium* VOCATORUM *illuminatione perspicimus*.

Idem peccatorum voluntatem, cor, arbitrium appellat *tenebrosa*. Lib. II de Vocat. gent. cap. 3: *Cum a tenebrosis cordibus etiam nunc radios suos veritas revelanda contineat*; et c. 15: *De tam tenebrosis mentibus fecit sibi populum fidelem*, etc. S. Leo, serm. 6 de Epiphan. cap. 1: *Quidquid in cordibus tenebrosis novæ lucis apparet*, etc. Serm. 5 cap. 4: *Sint lucernæ mentium vestrarum semper ardentes, et nihil resideat vestris in cordibus tenebrosum*. Serm. 4 de Nativit. cap. 4: *In qua (dogmatis exsecrandi via) nihil non tenebrosum, nihilque non lubricum*. Serm. 1 de Pent. cap. 3: *Spiritus veritatis facit domum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere, et in templo suo nec tenebrosum aliquid vult esse, nec tepidum*. Epist. 8 cap. 1: *Ne tenebrosis apud vos radicibus seminetur hæresis*. Serm. de S. Laur. c. 1: *Hæc verarum natura virtutum est, ut multos a tenebroso abducat errore, qui earum clarus est lumine*. Serm. 10 de Quadr. c. 4: *Tenebrosæ custodiæ*. Epist. ad Demetr. cap. 14: *De vero lumine tenebrosæ jam et deficientes lucernæ lumen accipiunt, nec tamen nisi ipsarum erit quidquid fulgoris acceperint*, epist. 79 (*nunc* 105) cap. 1: *Tenebrosus ille inimicus*, id est diabolus.

Discipulos veritatis eos uterque appellat, qui catholicam sectantur doctrinam vel pietatem. *Lib.* II de Vocat. gent. cap. 24: *Hoc detestabiliter prædicatum omnes* DISCIPULI VERITATIS *intelligunt*; epistola ad Demetriadem cap. 4 et cap. 13: *Ipsa Veritas discipulis suis dixisse narratur. Cum itaque discipuli veritatis humanam gloriam fugiunt*. Ex utriusque loci hujus collatione, inter alia colligit sanctorum Patrum apologista styli similitudinem, atque eumdem utriusque scripti auctorem; quanto ergo potiori id jure de Leone nostro asserendum, apud quem longe crebrius occurrit ista appellatio? Serm. 3 de Collectis. *Beatissimi illi discipuli veritatis*, ait de apostolis. De Jejun. 10 mensis serm. 1 cap. 3: *Fideles et pios* DISCIPULOS VERITATIS *nihil magis commendat*, etc. De Quadrag. 8 cap. 2: *Mens Christiana fugax mendacii, discipula veritatis*. Serm. 10 de eadem Quadrag. cap. 2: *Servi Dei et discipuli veritatis*. Vide serm. 80 (*nunc* 82) de SS. Petro et Paulo, cap. 1, et epistolas hujus editionis 24 (*nunc* 28) cap. 1, 59 (*nunc* 79) cap. 1, 62 (*nunc* 82) cap. 1, 93 (*nunc* 120) cap. 2, 97 (*nunc* 124) cap. 1, 140 (*nunc* 172) in medio, ubi eadem locutio habetur.

Lib. I de Vocat. gent. cap. 7: *Quæ ergo natura erat bona*, QUALITATE *facta est mala; et ille animi motus* QUI NUMQUAM POTEST SINE ALIQUO ESSE AMORE, *hoc est sine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, sed mutavit affectum*. S. Leo, serm. 5 de jejunio septimi mensis cap. 3: *Duo amores* **639** *sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ* QUALITATIBUS, *sicut dividuntur auctoribus; rationalis enim animus*, QUI SINE DILECTIONE ESSE NON POTEST, *aut Dei amator est, aut mundi*.

Gratiæ virtutisque opus, Dei participationem uterque dicit. Lib. I de Vocat. gent. cap. 8: *Apud quem*

(Deum) *quod perdidit natura, non periit; æterna est enim sapientia, æterna veritas, æterna bonitas, æterna justitia, omnium denique virtutum lumen æternum est, totumque quod virtus est, Deus est. Qui si non operatur in nobis, nullius possumus participes esse virtutis. Sine hoc quippe bono, nihil est bonum, sine hac luce nihil est lucidum, sine hac sapientia nihil est sanum, sine hac justitia nihil rectum;* et libri ejusdem cap. 4: *Voluntas,* inquit, *animalis sine summi amoris participatione in terrenis occiduisque versatur.* Capitulo 3 de Gratia et lib. arb.: *Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet qui solus est bonus.* S. Leo, serm. 9 de Jejunio septimi mensis cap. 2: *Qui ad me tendit, ex mei participatione ad me tendit;* et epist. 15 ad Turribium cap. 5: *Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia est; sed multi participes sunt veritatis et sapientiæ atque justitiæ: solus autem Deus nullius participationis indigus est.*

Utrique familiares admodum sunt voces, *regere, rector, regens,* cum de Deo et anima, anima et corpore, episcopo et Ecclesia sermonem habet. Passim rectores appellat Leo quos vulgo episcopos alii dicunt. Sexcenta loca sunt hujusmodi. Vide, si vacat, epistolam 1, cap. 1, 12, cap. 3, 14, sub finem; 115, 125, 138, 139, 140 (*nunc epist.* 12, *c.* 1, 14, *c.* 3, 18, *sub finem*, 145, 163, 170, 171, 172), etc. Item serm. 2 (*nunc* 3) cap. 1 et 3, Serm. 1 de Jejun. decimi mensis cap. 2: *Suscipiat fidelis anima auctoris sui atque* RECTORIS *immarcescibilem charitatem.* Serm. 8 de Epiphania cap. 4: *Deum et* RECTOREM *et habitatorem sui esse non dubitet.* Serm. 3 (*nunc* 4) in anniv. Ass., cap. 1: *Quid enim tam regium quam subditum Deo animum sui corporis esse* RECTOREM? De Quadrag. 1 cap. 1: *Si autem* MENS SUO RECTORI SUBDITA, etc. Serm. 4 cap. 2: *Animus quem sub Dei gubernaculis constitutum, corporis sui decet esse* RECTOREM. Serm. 7 c. 4: *Utendum ita corpore suo, ut* RECTORI SUO *necessarium præbeat natura inferior famulatum.* De Passione serm. 7 c. 3: *Nolens* (Judas) *Christum habere* RECTOREM. De Jejun. septimi mensis serm. 2 c. 1: *Agnoscat inferior homo exterioris sui se esse* RECTOREM. De Jejun. septimi mensis serm. 5: *Quæ illic declinatio potest esse peccati, ubi una passio est et* REGENTIS ET SUBDITI? id est animæ et corporis, cujus unam passionem ut his verbis exprimit, ita Dei et hominis unam actionem iisdem depingit. *Dum,* inquit lib. I de Vocat. gent. c. 6, *per communionem illuminantis et illuminati, justificantis et justificati,* **640** REGENTIS ET SUBDITI, *omnis actio ad unum refertur, et quod ad unum refertur, utriusque est.* Et lib. II c. 10 ait: *Omnium sanctorum Dei Spiritum fuisse* RECTOREM.

Leo de gratiæ infusione ita loquitur serm. 3 de Jejunio decimi mensis c. 1: *Ager iste cordis,* RORANTE DESUPER GRATIA DEI... *eleemosynis seritur, orationibus fecundatur,* etc. et serm. 7 de Passione c. 1: *Adfuturam credimus gratiam Dei, quæ* INSPIRATIONIS SUÆ RORE *sterilitatem nostri cordis aspergat.* Lib. II de Vocat. gent. c. 1: *Ista gratiæ largitas.... non evacuat eam quæ super unum Israel sub lege* RORAVIT.

Leo serm. 5 de Nativitate Dom. c. 1: *Non in solo opere virtutum, aut in sola observantia mandatorum, sed etiam in* TRAMITE *fidei angusta et ardua via est, quæ ducit ad vitam.* Lib. II de Vocat. gent. cap. 20: *In hoc angusto quidem, sed tamen recto intelligentiæ tramite, non parum difficultatis,* etc.

Lib. II de Vocat. gent. cap. 21: *Nec umquam ei vicinius est posse vivere, quam posse deficere.* S. Leo, serm. 5 de Quadrag. c. 2: *Vicinum nimis atque contiguum est ut etiam magnos animos ista concutiant,* etc.

Lib. I de Vocatione gent. c. 1: *De hac compugnantia opinionum,* etc.; et lib. II c. 28: *Quam compugnantiam* (inter velle et nolle) *Petrus perpessus est,* etc.; et c. 33: *Omnes varietatum compugnantiæ.* S. Leo, serm. 5 de Pass. c. 2: *diversarum compugnantiam affectionum.* Serm. 10 de Nativitate c. 1: *Compugnantes sententias.* Epist. 67 (*nunc* 87): *Compugnantia dogmata.*

Lib. II de Vocat. gent. c. 15: *Flammam conciperent, qua beatus apostolus Paulus* IGNITUS, etc. Epist. ad Demetriadem c. 14: *Unde cœpit inflammari, inde poscat* IGNIRI. S. Leo, serm. 1 de Ascens. c. 2: *Flammam fidei illuminata corda concipiunt.* Serm. 3 de Pentec.: *Ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus* IGNIRET. Serm. 1 de Pentec.: *Eloquium conciperetur ignitum.* Serm. 96 (*nunc* 14 *app.*) in Cath. S. Petri, c. 1: *Ignitis beatorum spirituum cœtibus aggregatus.* Serm. 4 de Coll. c. 1: *Agro cordis avaritiæ radicibus occupato.* Serm. 3 de Jejun. decimi mens. c. 1, bis *de agro cordis.*

Serm. 1 de Jejun. decimi mens. c. 3: *Oriatur* IN CORDIS AGRO *quod terra non dedit.* De Quadrag. serm. 1 c. 5: *Tunc in nobis bene virtutum semina nutriuntur, quando* AB AGRO CORDIS *nostri germen omne externum evellitur.* De Ascensione serm. 2 c. 5: *Avaritia, de cujus radice omnium malorum germen emergit; quæ nisi in suis fomitibus enecetur, necesse est ut in* AGRO CORDIS *illius, in quo hujus mali planta convaluit, spinæ potius tribulique vitiorum, quam ullum veræ virtutis semen oriatur.* Serm. 6 de Jejun. decimi mensis cap. 1: *De terra quoque cordis nostri germen justitiæ et fructus charitatis oriatur.*

Lib. II de Vocat. c. 11: *Semina charismatum,* **641** *plantæque virtutum non* IN OMNI AGRO CORDIS HUMANI *totum hoc pariter, quod sunt futura, nascuntur.* Ex hac comparatione cordis cum agro natæ sunt aliæ locutiones, quas sæpe usurpat, ut cum Deum vocat supernum agricolam; gratiam inspirationesque, rorem, irrigationes, rorationes; virtutes, plantationes Dei, et alia hujusmodi, quæ cuivis legenti occurrent.

Voluntati judicium uterque tribuit. Lib. I de Vocat. gent. cap. 8: *A quo* (diabolo) JUDICIUM VOLUNTATIS *depravatum est, non ablatum;* et cap. 7: *Non perdidit appetitum, sed mutavit affectum, id recipiens desiderio, quod debuit refutare* JUDICIO. S. Leo, serm. 9 de Passione, cap. 4: *Fons charitatis lavit verba formidinis; nec tardatum est remedium abolitionis, ubi non fuit* JUDICIUM VOLUNTATIS. De voluntate etiam intelligendum quod serm. 11 cap. 4 habetur: *Insurrexit in semetipsum impius* (Judas) *non* JUDICIO *pœnitentis, sed furore pereuntis.* Epist. 37 (*nunc* 41): *Normam præceptionis implet* JUDICIO VOLUNTATIS.

De Vocat. gent. lib. I cap. 9: *Ut agnitionem Dei non doctrinæ humanæ opere, sed* MAGISTERIO *summi eruditoris accipiant;* et lib. II, c. 33: *Fidei* MAGISTERIO *præfuerunt.* Serm. 2 (*nunc* 3) in assumpt. suæ cap. 3: *Omnis lingua.....* MAGISTERIO *hujus vocis imbuitur.* De Quadrag. serm. 2 cap. 4: *Redemptoris nostri* MAGISTERIO *edocti.* De Passione serm. 14 (*nunc* 12) cap. 5: *Evangelico magisterio multa sunt aucta.* Epist. 140 (*nunc* 172): *Magisterio Spiritus sancti illa in omnibus unitas expetatur.*

De Vocat. gent. lib. I c. de Paulo: *Totam expositionis rationem transtulit in stuporem.* Leo, serm. 18 de Pass. cap. 4 de Christo: *Totum,* inquit, *supplicium transtulit in triumphum.* Serm. 5 de Nativit.: *Si in disciplinam ipsa remedia transferantur.* Serm. 3 de Epiph.: *In indulgentiam ira translata est.* Serm. 9 in Quadrag. cap. 3: *Si omnem offensam transtuleritis ad veniam.* Serm. 4 de Jejun. septimi mens.: *Ut quod vestris usibus subtrahitis, in alimoniam pauperum transferatis.* Serm. de Grad. ascens.: *Ut exteriores medelas ad remedia interiora transferret,* etc.

Mitto cætera quæ quisque legendo facile observabit. Monebo tantum ut notentur diligentius earumdem figurarum usus, idem orationis numerus et ordo, constructio vocum eadem. Oppositarum congeries frequens est, verbo, a quo pendet sensus, ad finem relegato, quæ ternarium plerumque numerum non excedit, etsi sæpe etiam ad quaternarium extendatur. Exempla aliquot ex Leonis Epistolis Sermonibusque et ex opusculo de Vocatione Gentium, ad promulsidem subjicimus.

S. Leo, epist. 1 (*nunc* 12) ad episc. Afric. cap. 4 : *Ut imperiti magistris, novi antiquis, rudes præferantur emeritis*. Epist. 12 (*nunc* 13) **642** ad Anastasium Thessal. : *Nihil gratiæ personali, nihil ambitioni, nihil redemptis permittas licere suffragiis*. Serm. 9 de Jejunio septimi mensis cap. 2 : *Si quis amor vanæ gloriæ, si qua radix avaritiæ, si quod inest virus invidiæ*. Serm. 1 de Jejunio decimi mensis cap. 2 : *De inimicis reconciliatos, de alienis adoptivos, de impiis facit justos*. Sexcenta hujusmodi exempla sunt apud S. Leonem. Plurima etiam in libris de Vocat. Gentium, etsi tot esse materies librorum non sinat. Lib. I c. 8 : *Quis ille erit, qui tot opinionum colluctationes, tot vincula consuetudinis, tot præjudicia vetustatis suo tantum judicio abrumpat?* Lib. II c. 4 : *Ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris*; et cap. 7 : *Hæc vero membra unde apta, unde utilia, unde sint pulchra, idem doctor exponit*, etc. Cap. 20 : *Ubi eadem miseria, similis imbecillitas, causa communis est*, etc. Cap. 36 : *Ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum*.

Denique, quod circa hominum vultus sæpe contingit, ut aliquid sæpe ex iis erumpat, incurratque in oculos intuentium, unde aliis similes esse pronunties, etsi quid illud sit verbis efferre non queas; hoc et legenti tum hoc opusculum, tam scripta S. Leonis accidit. Nescio quid enim audientium auribus sonat similitudinem styli paritatemque ita ingerens, ut vix dubitare sinat quin idem loquatur in hoc opusculo qui in Epistolis et in Sermonibus S. Leonis, etsi forsan exprimi verbis satis non possit.

XXV. Ut omnis tolleretur dubitandi locus, optaverit nonnullus auctoritatem alicujus saltem manuscripti codicis, qui S. Leonis nomen præferret, qua destituti, videbimur incassum hactenus laborasse. Sed ut omittam quantum plerumque vacillet (*a*) manuscriptorum exemplarium fides, ut ex codicibus mss. librorum *de Vita contemplativa* et hujus etiam operis *de Vocatione gentium* perspicuum est, qui octingentis fere annis Prosperi nomine insigniti omnibus imposuerunt (Prospero enim hodie abjudicant utrumque opusculum eruditiores quique), addo persuasum mihi esse nullum talem reperiendum codicem, qui hoc opus S. Leoni ascribat; nec umquam genuinum hujus auctorem fuisse cognitum. Qui illud Prospero tribuerunt hac ætate, illiusque Operibus inseruere, hoc fecerunt ex fide codicum aliquot mss. Prosperi nomen apposuere mss. codices ex suffragio auctorum noni sæculi, a quibus sub nomine sancti hujus viri passim citatum fuit. Inde porro ab his creditus est S. Prosper libros istos conscripsisse, quod eorum auctorem genuinum **643** ignorarent, et propter libri materiem, doctrinæ convenientiam cum scriptis Prosperi, scriptoris ætatem, hæreticorumque quos impugnat mentionem, nemini potiori jure ascribendum putarunt quam ei qui post Augustinum acerrimus gratiæ Christi vindex fuerat adversus Pelagianos eorumque reliquias. Verum cum hæc suspicio, etsi tot annorum roborata consensu, pensatis quæ supra attulimus momentis abjicienda sit, fatendum est etiam nono sæculo hujus auctoris nomen ignotum fuisse. Immo vero ipso Leonis sæculo, hoc est quinto, ex hominum memoria deletum fuisse existimo : alioqui Gelasius papa ejus testimonium proferens in illo opusculo quod adversus Pelagianos edidit, ab eo nominando minime abstinuisset, tanto scilicet viro, quem Ecclesiæ magistris accensere non dubitavit; nec contentus fuisset eo modo scriptorem istum designare, quo notari solent ignoti quique : si quidem eumdem magisterii titulo non aliam ob rationem, ut apparet, decorat, quam quod suo se scripto hoc honore dignum probabat auctor.

XXVI. Quod si tandem pro germano sancti Leonis fetu receptum fuerit opus istud, qua (*b*) ætate in lucem ab auctore editum fuerit non valde obscurum existimo. Certum enim videtur ante compositum ab eo fuisse, quam in pontificem Romanum ipse assumeretur. Tantum enim otii per id temporis vigilantissimo pastori non adfuisset, quantum hujusmodi scriptioni necessarium fuit impendere; nec quidquam occurrit in ejus operis decursu, quod auctoritatem pontificiam prodat; immo privatum ubique hominem, ut diximus, agit. Unde magis dicendum tunc ab eo scriptum fuisse, cum Sixti III papæ adhuc diaconus, in excubiis erat adversus hæreticos Pelagianos, cumque Julianum in Ecclesiæ communionem simulata fidei professione irrepere volentem Sixtus pontifex sui diaconi consilio ac suasione repulit, ut testis est Prosper in Chronico. Vel potius, quandoquidem in hoc opere Semipelagianos magis quam Pelagianos exagitat, tunc temporis exaratum fuisse puto, cum Cassiano necessario suo ab errore revocando incumbebat : ad quem cum legendus missus fuisset in Gallias, postque ejus obitum inter schedas ejus sine auctoris nomine repertus, a nemine potius scriptus fuisse putatus est, quam a Prospero, quem in hac concertatione antagonistam præcipuum habuerat.

Amicum certe animum spirat ubique hoc scriptum, talemque qualem semper erga Cassianum exhibuit Leo noster. Ut facile mihi persuadeam, quemadmodum aperto marte impugnaverat sanctus Prosper Cassianum, ita occultiore consilio petitum a Leone fuisse. Eum quippe jam ante impulerat, ut adversus Nestorium calamum stringeret, **644** non ea tantum mente, ut grassantem jugularet hæresim, sed ob id etiam ut ipsum vehementius incenderet adversus Pelagianos, quos Nestorii præcursores noverat; eaque arte Semipelagianos, nascentes scilicet ab illis surculos, magis exosos redderet, omneque abrumperet quod intercedere poterat cum illis commercium : ita in præsenti opere, ut errorem Cassiani impeteret vehementius insurgit contra Pelagianos, *quos solummodo nominat*. Semipelagianos quasi ex transverso tantum aggredi videtur, et veluti orationis suæ filo sensim ac sine sensu ductus : licet nemo attentus non videat, majorem scripti partem in convellendis Massiliensium principiis consumi. Easdem quæstiones tractat, quas sanctus Prosper in libro contra Collatorem, nec tam interpellat eos qui gratiæ prorsus necessitatem negabant, quam qui ad initium boni operis aut bonæ saltem voluntatis liberum sibi sufficere arbitrium contendebant, gratiæque operationi subtrahebant aliquid. Hoc statim ab initio operis sui declarat, ubi ait : *Quod gratiam negent, cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem*.

Ex eodem indulgentiæ erga Cassianum consilio, quem ad catholicum sensum reducere satagebat, descendit humanitas quam Semipelagianis exhibet, quos tantum liberi arbitrii defensores et voluntatum patronos appellat; quodque quæstiones istas tranquille admodum versat ac theologici exercitii in modum, non tam alienum refutans sensum, quam suum exponens; quod denique ex sancti Augustini nomine auctoritateque, quibus adducendis abstinet, nullum creari voluit in hac disputatione præjudicium, sciens apud Cassianum non tanti esse in hac materia Augustinum, et cupiens præterea probare amico suo se non de doctrina ex doctoribus, sed de doctoribus ex doctrina judicare, sententiamque Augustini de gratia non tam se amplecti, quia Augustini erat, quam quia

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) De mss. codicibus vide admonitionem hisce libris præmissam.

(*b*) Vide observ. n. 10.

ex purissimis Scripturæ sacræ traditionisque ecclesiasticæ manabat fontibus.

XXVII. Sunt qui conjecturas, quas hucusque exposuimus, inde firmari posse putent, quod aliqui de gratia tractatus a sancto Leone exarati videntur, quos desiderent, adducti ad hanc sententiam verbis tum sancti Prosperi seu potius auctoris anonymi de Promissionibus Dei dimidii temporis, cap. 6, apud Prosperum; tum (a) Photii CP. patriarchæ, qui in sua Bibliotheca hæc habet: *Scripsit et sanctus Leo Romanus episcopus de Pelagianis conversis, quomodo debeant recipi, quando convertuntur, scriptis suam opinionem damnantes.* Verum etsi certum est strenue semper dimicasse contra Pelagianos Leonem nostrum, aliosque etiam libros pro occasione scripsisse verosimillimum sit; **645** quem enim et doctrina et dicendi copia adeo pollentem sæpius vidimus cum Manichæis, Eutychianis, aliisque hæreticis manus conserentem, haud par est credere Pelagianos impune grassantes per Ecclesiam conspexisse; fatendum tamen est ea quæ mox attulimus testimonia id quod ab auctoribus prædictis contenditur minime probare. Prior enim scriptor tantum dicit quod *sanctus Leo Manichæos subverteret et contereret Pelagianos, et maxime Julianum.* Quod necesse non habemus de scriptis interpretari, cum e contra obvium sit magis de sacerdotali hoc sollicitudine, ardenti zelo, auctoritateque apostolica intelligere, quibus emergentium subinde in Ecclesia Pelagianorum conatus strenue compresserit. Quod ad Photii testimonium pertinet, aliud non intelligit quam quod epistolis sancti Leonis ad Septimium Altinatem et ad episcopum Aquileiensem continetur. Qui enim Baronium secuti hæc Photii verba allegantes asseruere scripta quæ commemorat periisse, non animadverterunt id totum quod refert patriarcha, in citatis epistolis haberi, scilicet mandatum quo episcopi a Romano pontifice monebantur ne quemquam Pelagianorum, qui ecclesiasticæ communioni restitui postulabant, reciperent, nisi erroribus pristinis scripto propria manu obsignato damnatis.

XVIII. Gerardus Joannes Vossius Historiæ Pelagianæ scriptor eruditus, lib. I, cap. 20, ubi de auctore operis de Vocatione gentium, eam ob causam Prospero abjudicandum existimat, *quod hujus scriptoris sententia non ex amussim quadrat doctrinæ Prosperi.* Vossio subscribit Henricus de Noris Historiæ Pelagianæ lib. II, cap. 14. Atque ut opinioni suæ robur adjiciat, nonnulla utriusque excerpta in medium adducit, quæ nostri est instituti ad examen revocare. Etsi enim ultro cum utroque illo rerum Pelagianarum historiographo contendimus Prosperi non esse libros de Vocatione gentium, illorum tamen argumentis subscribere nequaquam possumus; nec patimur Leonem, cui opusculum asserimus, de abjurata Augustini Prosperique doctrina in causam vocari. Non moleste igitur feret vir doctissimus examen quod non contradicendi animo, sed illustrandæ veritatis gratia inimus.

Primum Norisii argumentum.

Video, inquit, *librorum illorum scriptorem diversa a Prospero via abiisse. Nam lib.* II *plurimum laboris insumit, ut communem gratiam Dei omnibus faciat.*

Leonem petit ista accusatio, non modo quia auctor fuit librorum de Vocatione gentium, sed etiam quia multa sunt in aliis indubitatis ejus operibus seu in sermonibus, **646** quæ cum illa librorum de Vocatione doctrina conveniant, ut merito ex illa doctrinæ affinitate argumentum sumpserimus pro asserendis Leoni nostro istis libris. Aliquot hujusmodi loca superius collegimus, quæ legi possunt; sed facile est et hæc et illa apud æquum lectorem de No-

A risii aliorumque accusationibus purgare, duoque invicte probare. Primum quidem, Leonem nostrum, cum et in libris de Vocatione gentium et in Sermonibus suis communem omnibus facit gratiam Dei, longe alio sensu latiorique significatione usurpare gratiæ nomen, quam sumatur a Prospero: alterum vero, quod cum idem gratiæ nomen a Leone eodem sensu quo a Prospero usurpatur, eamdem quoque ab ipso Augustini de gratia doctrinam cum Prospero prædicari.

His itaque in locis, ubi gratiam Dei omnibus datam asserit, per eam intelligit (b) exteriora et naturalia Dei dona, quæ omnibus promiscue exposita sunt; aliquando Mosaicæ legis documenta, nonnumquam etiam sancti Evangelii prædicationem, quæ nulli hominum conditioni denegatur. Triplicem hanc gratiæ classem explicat tum aliis in locis, cum capite 9 libri II: *Ad id*, inquit, *unde digressa est disputatio, revertamur, ad considerationem scilicet differentiarum,*
B *quibus divinæ* GRATIÆ *opera ac dona variata sunt. Altitudo quippe divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia et investigabiles viæ, sic semper misericordiam suam et justitiam temperavit, ut secretissima æterni consilii voluntate noluerit in omnibus temporibus super omnes generationes, aut super omnes homines, æquales donorum suorum esse mensuras. Siquidem aliter eos* JUVERIT, *quos ad cognoscendum se,* CŒLI ET TERRÆ TESTIMONIIS *conveniebat; aliter illos quibus non solum* ELEMENTORUM FAMULATU, *sed etiam* DOCTRINA LEGIS, PROPHETARUM ORACULIS, MIRACULORUM SIGNIS, ET ANGELORUM COOPERATIONIBUS *consulebat; et multo magis aliter misericordiam universis hominibus declaraverit,* QUANDO FILIUS DEI FACTUS EST FILIUS HOMINIS, *ut inveniretur ab iis qui non quærebant, et appareret his qui eum non interrogabant.*

Incarnationem universis hominibus declaratam docet, quia Christus Dominus apostolis præcepit ut euntes docerent *omnes gentes*, et ut euntes *in orbem universum* prædicarent Evangelium *universæ creatu-*
C *ræ*, sicut habetur Matthæi XXVIII et Marci XVI. *Numquid*, ait auctor lib. II, cap. 2, *in hac præceptione ullarum nationum ullorumve hominum facta discretio est? Neminem merito excepit, neminem genere separavit, neminem conditione distinxit. Ad omnes prorsus homines missum est Evangelium crucis Christi.* Hinc Evangelium non **647** ad unum peculiarem populum destinatum est, sed ad omnes gentes; in quo a lege differt, quæ solis Judæis data est. Unde et facile est agnoscere quam universalitatem hujusmodi gratiæ tribuat, et quo sensu gratiæ nomen ei largiatur.

Restat igitur ut primum solummodo gratiæ genus omnibus temporibus, omnibus populis, omnibus et singulis hominibus commune proprie hic dixerit auctor iste: cœli, inquam, et terræ testimonia, elementorum obsequia et famulatum, totius denique mundi pulchritudinem et ornatum, quibus gratiæ nomen tribuere, scriptoris est primum integri hominis statum, non præsentem lapsi conditionem contem-
D plantis; sufficientiam vero ad salutem largiri exteriori hujusmodi gratiæ, non est nisi hominis Pelagiana lue infecti.

Quæ explicatio lucem affert his omnibus locis, ex quibus doctissimi viri Norisius et Vossius occasionem sumpsere discrimen statuendi inter Augustinianam Prosperi doctrinam et eam quam tradit auctor librorum de Vocatione omnium gentium. Qui omnes, si paulo attentius examinentur, nihil aliud deprehenderentur habere de gratia generali quam quod modo exposuimus.

Insignis in primis lib. II, cap. 4, occurrit locus. *Sed ne in præteritis quidem sæculis*, inquit, *hæc eadem gratia, quæ post Domini nostri Jesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, et de qua scriptum est:*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) De testimonio Photii lege observ. n. 6.
(b) Hæc et sequentia ad calculos revocantur in subjectis observ. num. 17 et seqq.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : DEFUIT MUNDO. *Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet electum, omnesque alias nationes suas vias ingredi, hoc est, secundum propriam permissæ sint vivere voluntatem, non ita se tamen æterna Creatoris bonitas ab ullis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum, nullis significationibus admoneret. Cœlum quippe ac terra et mare, omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris; implente omnia spiritu Dei, in quo vivimus, movemur et sumus.*

Evidens est hoc unum auctoris istius consilium esse ut his verbis comparationem instituat triplicis illius medii, seu, ut vocat, gratiæ, per quam Deus optim. max. cognitionem sui nominis hominibus impertiit per varias temporum ætates. Primam quidem, B quam in cœli et terræ omniumque creaturarum contemplatione constituit, omnibus hominibus esse communem. Secundam Judæis specialem, quibus præter elementorum, ut sæpe loquitur, paginas, doctrinam legis addiderit. Tertiam denique, quæ post Christi resurrectionem illuxit, in prædicatione Evangelii ponit, quæ et creaturarum considerationi et doctrinæ legis adjecta, *multo magis aliter misericordiam Dei* **648** *universis hominibus declaravit.* Gratia igitur, quam omnibus hominibus communem facit, creaturarum contemplatio est; naturalis, inquam, et exterior gratia; quæ, ut scribit cap. 10 ejusdem libri, *docendis juvandisque hominum mentibus numquam defuit. Semper etenim pluit super bonos et malos: semper solem suum oriri fecit super justos et injustos; semper vitales auras præbuit; semper diei ac noctis vicissitudines ministravit, ubertatem agris, multiplicationem seminibus, fecunditatem generandis hominibus semper impendit.* Hanc gratiam capite 4 citato ait esse testimonium illud de quo Actor. XIV Paulus ait quod Deus *non sine testimonio semetipsum reliquit. Quod est autem*, inquit, *hoc testimonium, quod semper Domino deservit, et numquam de ejus bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa* TOTIUS MUNDI INENARRABILIS PULCHRITUDO, *et innumerabilium beneficiorum ejus dives et ordinata largitio; per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut* IN PAGINIS ELEMENTORUM AC VOLUMINIBUS TEMPORUM *communis et publica divinæ institutionis doctrina legeretur?*

Hanc gratiam nemo dixerit eamdem esse quam sanctus Prosper omnibus communem negat, nisi qui cum Pelagianis veram Christi gratiam in doctrina legis et prædicatione Evangelii posuerit. Illius enim gratiæ vim omnem et efficaciam ait esse, *significationibus admonere, ad cultum et dilectionem Dei imbuere*, hoc est docere; æternam legem velut in tabulis exhibere, et velut in paginis quibusdam communem et publicam divinæ institutionis doctrinam legendam præbere. Hanc etiam legem vocat, quæ plerisque facta est odor mortis ad mortem, et littera occidens. Ita enim prosequitur et claudit caput illud quartum libri II : *Cœlum ergo cunctaque cœlestia, mare et terra, omniaque quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, et prædicatione perpetua majestatem sui loquebantur auctoris; et tamen maximus numerus hominum, quia vias voluntatis suæ ambulare permissus est, non intellexit, nec secutus hanc legem est; et odor vitæ, qui spirabat ad vitam, factus est ei odor mortis ad mortem; ut etiam in illis visibilibus testimoniis disceretur quod littera occideret, spiritus autem vivificaret.*

Unde autem fit ut hæc gratia maximo hominum numero littera occidens et odor sit mortis ad mortem, facile intelligit qui quod Paulus apostolus disserit de lege Mosaica, non ignorat. Idem enim utriusque munus et officium est, hominem erudire et monere. Exterior porro admonitio et scientia cum A omnem inflat et subvertit, quem interior spiritus charitatis et fidei non ædificat, nec convertit. *Hæc autem fides*, ait, *antequam veniret hoc semen, de quo Abrahæ dictum est :* In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ ; *intra unius* **649** *stirpis populum continebatur, vigente apud veros Israelitas spe redemptionis nostræ. Quoniam etsi fuerunt ex alienigenis quos temporibus legis veritas illustrare dignata sit, tamen* TAM PAUCI FUERUNT, UT VIX COGNOSCATUR AN FUERINT (*De Vocat. omn. gent. l.* II, *c.* 14). Sine illa vero interioris gratiæ Christi luce, quid possit in cordibus hominum exterioris hujus gratiæ lux et doctrina, docet idem cap. 17 libri II : *Quibus tamen*, inquit, nationibus quæ de Christo non audierunt, *illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur. Quamvis tam acerbo natura humana vulnere sauciata sit, ut ad cognitionem Dei neminem contemplatio spontanea plene valeat erudire* (en quale est generale, de quo loquitur, auxilium) B *nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit, quam inscrutabili judicio Deus justus et bonus non ita in præteritis sæculis quemadmodum in novissimis diebus effudit.*

Denique, ut intelligat quisque quantopere a mente auctoris istius abhorreant qui generalem quam astruit gratiam omnibusque communem facit de vera Dei per Christum Servatorem gratia interpretantur, legenda sunt quæ habet ille cap. 31, ubi quodnam suum fuerit in superioribus consilium, quæ sententia, ipse aperit; ne in alienum sensum læva interpretatione detorquerentur ejus verba. *Elaboratum est*, inquit, *quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis probaretur gratiam Dei omnibus adfuisse, providentia quidem pari et bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura. Quoniam sive occulte, sive manifeste* (hoc est, sive per gratiam occultam et interiorem, sive per manifestam et exteriorem) *ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* C *Quæ sententia subtilissimæ brevitatis et validissimi roboris si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controversiam dirimit. Dicendo enim*, QUI EST SALVATOR OMNIUM HOMINUM, *confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem. Adjiciendo autem*, MAXIME FIDELIUM, *ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur. Quod utique nulla iniquitate agitur justissimi et misericordissimi Dei, cujus judicium in his dispensationibus, non cum arrogantia discutiendum, sed cum tremore laudandum est.* Supervacaneum erit loca Sermonum sancti Leonis his similia hic exscribere, cum superius posita adiri possint. Quibus illustrandis sufficiunt ea quæ modo exposuimus.

Addit Norisius manifeste auctorem istum in hac materia pugnare cum Prospero. *Hic enim*, inquit, *hanc communem gratiam penitus* **650** *repudiavit*, ob eam rationem : *quia Evangelium non omnibus gentibus annuntiatum statim fuit; cum tamen alter gratiam com-* D *munem faciat, quia ad omnes missi sunt apostoli ut Evangelium prædicarent.* Pace tua, vir doctissime, non pugnant inter se auctores illi, vel ad summum levicula est verborum, non sensuum, pugna. Veram enim Christi gratiam non esse communem omnibus hominibus; et omnibus communem esse generalem illam gratiam naturalem quam probavimus ab auctore illo constitui in contemplatione creaturarum, certum est contradictoria vel contraria non esse. At non minus certum est de gratia Christi Prosperum loqui (*Carm. de Ingratis*) :

> ... Dic unde probes quod gratia Christi
> Nullum omnino hominem, de cunctis qui generantur,
> Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
> Impertire velit.

Auctorem vero alterum perspicuum est loqui de gratia exteriori et naturali, quæ vicem legis implens

timendum amandumque Creatorem admonet, timorem vero amoremque ipsum nequaquam impertit, uti abunde probavimus. Veram porro Christi gratiam non omnibus a se credi communem significat sexcentis, ut ita dicam, locis ejusdem opusculi. (a) Hinc lib. I, cap. 15 : *Quod aliquos salvantis gratia præterëat, et pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum est*, inquit, *et agnoscendum secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse.* Quod pluribus aliis locis ab eo repetitur. Hinc cap. 25 : *Tales fuerunt qui sunt attracti, quales hi qui in sua duritia sunt relicti. Sed illis tribuit gratia stupenda quod voluit; istis tribuit veritas justa quod debuit; ut judicium Dei magis inscrutabile sit in electione gratiæ quam in retributione justitiæ.* Et lib. II cap. 19 : *Qui consortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguantur; et qui ejus lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino glorientur.* Verum tantum abest ut veram gratiam Christi Salvatoris communem omnibus fecerit, ut etiam ex hoc quod communis omnibus non sit, tractandam proponat sibi capite 25 et ultimo libri primi difficultatem libro sequenti ventilandam; quomodo videlicet concilietur illa sententia cum hac parte fidei quæ generalem de hominum salute voluntatem Dei profitetur. *Verumtamen*, inquit post verba mox citata, *ne illa pars fidei qua pie credimus Deum velle ut omnes homines veritatis agnitione salventur, per hoc quod de effectibus gratiæ evidenter ostenditur infirmata videatur, enitendum est, auxiliante Christo, ut nobis stabilitas hujus definitionis appareat.*

651 *Secundum Norisii Argumentum.*

XXIX. Versans, inquit, auctor librorum de Vocatione gentium, lib. II, cap. 20, objectionem illam a parvulis ductam, in qua Augustinus et sectatores contra Pelagianos triumphum sibi cecinerunt, ita cap. 23 respondet : *Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem quæ semper universis est impensa nationibus, qua bene utique si eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Quibus, inquit, contraria scribit Prosper in carmine de Ingratis cap. 31 :

Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, et rursum genitos baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.
Nec meritis istud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstuleritque aliis aliena ignavia vitam :
Cum videas multos sanctis genitoribus ortos,
Nullo salvari studio potuisse suorum.

Ab illa Prosperi doctrina nequaquam recedit auctor noster; immo vero eidem subscribit utraque manu. Nam lib. I cap. 16, cum in superioribus capitibus probare aggressus esset cur uni potius quam alteri gratia daretur, secretum esse ab humana cognitione subreptum, et ad altitudinem divitiarum sapientiæ Dei scientiæque referendum, hoc ipsum capite isto confirmat exemplo parvulorum. *Respice*, inquit, *et ad universalem multitudinem parvulorum, in quibus, excepto illo quo in damnationem nascitur gens humana delicto, nec præterita possunt merita, nec futura censeri. Omnes enim de quibus nunc loquimur ante ullum intelligentiæ usum, ante liberum voluntatis arbitrium, alii ad æternam beatitudinem regenerati, alii ad perpetuam miseriam transeunt non renati... Non invenit quod discernat humana justitia; sed habet quod eligat inenarrabilis gratia Dei*, etc. De meritis parentum prorsus silet, non secus ac Prosper: quæ si poneret, jam inveniret quod discerneret etiam humana justitia, nec omnino inscrutabile esset Dei judicium. Capite vero 22 vehementius invehitur in eos *qui nescire aliquid erubescunt, et omnem discretionem qua Deus alios eligit, aliosque non eligit, ad merita humanæ referunt voluntatis... Quæ*, inquit, *definitio, ut interim de gratiæ veritate taceatur, de his videtur aliquam ostentare ratiunculam qui libero utuntur arbitrio. De parvulis vero, quibus sine ullo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cum exteris mortalibus causa communis est,* NIHIL POTEST EXPOSITIONIS AFFERRI, QUA DOCEATUR,
652 CUR ISTI SALVI FIANT RENATI, ILLI PEREANT NON RENATI, *sub illius providentia et omnipotentia, in cujus manu est anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis.* Et inferius : *Frustra profunditatem inscrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire, qui causam electionis in eorum constituunt meritis qui eliguntur; et cum multa de malorum voluntate ac judicio inepta et falsa protulerint,* IN PARVULORUM TAMEN DISCRETIONE DEFICIUNT, etc.

Vides ut non minus auctor iste triumphum sibi contra Pelagianos canat ex electione parvulorum, quam Augustinus, Prosper, et alii Augustini discipuli. Vides ut et proprium omne a parvulis meritum excludat, nec tamen ad parentum recurrat merita : quæ si admitteret, jam falso assereret auctor *nihil posse expositionis afferri, qua doceatur cur isti salvi fiant renati, illi pereant non renati*; nec magis Pelagiani *in parvulorum discretione deficerent*, si possent ex auctoris mente, malis parentum meritis præmaturam filiorum mortem ac damnationem æternam ascribere, quam catholici et auctor ipse, cap. 22, cum præmaturæ parvulorum mortis ac damnationis causam in originale Adami delictum refundunt.

Hæc auctor in libro primo, ubi latius quæstionem istam pertractat. In secundi vero capitibus 20, 21, 22 et 23, ubi eamdem versat parvulorum causam, priorem de his sententiam nullatenus mutat, sed confirmat potius pluribus argumentis. Enimvero probaverat toto hoc libro, 1° Deum velle omnes homines salvos fieri; 2° hanc voluntatem Dei generalibus donis, quæ omnibus impenduntur, manifestam fieri, nec aliunde; 3° generalia tamen illa dona, utpote (b) exteriora et naturalia, ad cognoscendum Deum non sufficere sine speciali veræ Christi Salvatoris gratiæ dono. *Tam acerbo enim natura humana vulnere sauciata est*, inquit, *ut ad cognitionem Dei* NEMINEM *contemplatio spontanea* VALEAT ERUDIRE, *nisi obumbrationem cordis* VERA LUX *discusserit.* 4° Speciale hoc donum ex inscrutabili judicio Dei non omnibus esse concessum. *Sive igitur novissima contemplemur sæcula*, scribit ille lib. II cap. 25, *seu prima, seu media,* RATIONABILITER ET PIE CREDITUR *omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse;* ET HOC NON ALIUNDE DEMONSTRATUR, *quam de iis beneficiis quæ providentia Dei universis generationibus communiter atque indifferenter impendit....... Deo autem placuit et hanc specialem multis tribuere, et illam generalem a nemine submovere; ut ex utraque appareat non negatum universitati quod collatum est portioni; sed in aliis prævaluisse* GRATIAM, *in aliis resiluisse* NATURAM.

His ita constitutis, *non parum difficultatis*, 653 ut ait cap. 20, *opponit consideratio parvulorum, qui nullo judicio rationis utuntur, quo auctoris sui beneficia sentientes ad agnitionem valeant veritatis accedere..... Unde cum omnes homines velit Deus salvos fieri, quid est quod alienatur a salute perpetua tanta infantium multitudo ?*

Si hoc parentum culpæ deputandum existimasset auctor, facilis erat responsio, nec necesse erat ad inscrutabilia Dei judicia et investigabiles vias recurrere. Huc tamen confugit. *De hac altitudine*, inquit c. 21, *discretionis Dei non conturbabitur cor nostrum, si firma et stabili fide omne judicium Dei justum esse credamus; nec appetamus habere cognitum quod voluit esse secretum : ut ubi investigari non potest quare ita*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Horum locorum sensum vide in observ. n. 18.

(b) Auctorem adspiciens etiam generalem gratiam internam omnibus collatam et a speciali gratia distinctam, probabitur in observ. num. 17.

judicet, sufficiat scire quis judicet. Tum docet aliam hujus rei causam non esse quam *sententiam quam humanum genus in Adæ primi parentis prævaricatione excepit, et grave jugum quod est super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum in diem sepulturæ in matrem omnium. Nec de immaturitate mortis esse rationem conquerendi, cum semel in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas, obnoxium sibi omnem vitæ nostræ fecerit diem.* Unde concludit justissimo perire judicio, quotquot ex hac vita discedunt parvuli priusquam salutari lavacro abluerentur; gratuita autem misericordia liberari, quotquot contra communem mortalitatis legem, statim ut nati sunt, non intereunt: *Ut generali necessitate variata, causas sibi Dominus indulgentiæ correptionisque servaret; essetque in uno omnium debito, quod et misericors remitteret, et justus exigeret.*

Ex ista doctrina consectaneum est; quod capite 23 statim subjicit, quod scilicet *inscrutabilior sit causa donorum, quæ gratia tribuit* quibusdam parvulis, *quam miseriarum, quas natura promeruit,* et justitia rependit innumeris aliis. *In quo opere gratiæ,* inquit cap. 24, *quis nisi arrogantissimus atque vanissimus de divina justitia conqueratur, quod non omnibus parvulis similis providentia consulat, omniaque pericula, quæ moriturorum regenerationem prohibere possunt, aut potestate submoveat, aut miseratione præveniat? Quod utique erga omnes fieret, si ita fieri omnino deberet.*

Multum igitur abest auctor, ut capite illo 23 unde sumitur objectio, bonis vel malis parentum meritis salutem parvulorum vel damnationem ascribat: cum ipso initio capitis asserat inscrutabiliorem esse causam donorum quæ gratia tribuit, quam miseriarum quæ natura promeruit; ex Adami scilicet delicto, quæ vera causa est, ut in superioribus dixerat, damnationis parvulorum. Et tamen hanc meritis parentum tribuere debuerat, ut Prosperi sententiæ adversaretur, quæ opinio Norisii est.

De hoc igitur capite quæstio non movetur ab auctore hujus opusculi. Hoc porro unum sollicitum eum habet: quomodo respectu parvulorum qui pereunt verum erit Pauli apostoli effatum, quod Deus velit **654** omnes homines salvos fieri. Hoc enim, inquit, cap. 25, NON ALIUNDE MONSTRATUR *quam de iis beneficiis quæ providentia Dei universis generationibus communiter atque indifferenter impendit.* Parvuli autem, ait cap. 20, *nullo judicio rationis utuntur, quo auctoris sui beneficia sentientes, ad agnitionem valeant veritatis accedere.* Nec iis Deus *illud tempus impetit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces.* Respondet parvulos illos pertinere ad illam gratiæ partem, seu generalia Creatoris beneficia, quæ semper universis sunt impensa nationibus: quæ etsi per se non potuerint percipere, accepere tamen in parentibus, quorum pars quædam censentur, donec ab illis nondum rationalis infantiæ exordiis excesserint. *Qua utique*, generali gratia seu munificentia Creatoris, *si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur infantes.*

In qua responsione plura notanda veniunt. Primum enim sententiam illam non velut suam ac propriam asserit, sed proponit solummodo ab iis tenendam qui noluerint hujusmodi parvulos sine baptismo decedentes omnis omnino gratiæ exsortes pronuntiare.

2. Timide ac dubitanter explicationem illam profert in medium, non ut Scripturis traditionive sanctorum Patrum innixam, sed velut quæ absque religionis offensa teneri queat. *Non irreligiose*, inquit, *arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus.*

3. Quod de meritis parentum ne verbum quidem habet, ex quo contrariam Prosperi doctrinæ sententiam propugnasse credatur.

4. Latum esse discrimen inter hanc quæstionem, an ex malis parentum meritis damnatio parvulis non baptizatis proveniat, et hanc alteram, an parentibus

A imputandum quod parvuli generalium donorum Creatoris participes non fiant. Illud cum Augustino et Prospero negat auctor; hoc de suo timide et quærentis in modum suggerit. In quo licet differre videatur a Prospero quoad modum loquendi, reipsa tamen ei concinit. Esto enim non desit parentibus, et per eos parvulis, gratia generalis, quam ejus verbis explicuimus, cum hæc nec his nec illis ad salutem sufficiat, nisi per specialem seu veram Christi gratiam, *excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute*, adjuventur, quærendum rursus cur cum illa detur omnibus, hæc quam plurimis negetur? Cur cum justorum sæpe filii sine baptismate intereant, parentibus nihil omittentibus, ut salutari unda abluantur; impiorum e contra filii a propriis deserti parentibus, alienorum beneficio ad baptismatis gratiam veniunt? Et tunc iterum cum Prospero confugit ad inscrutabilia judicia Dei et investigabile prædestinationis decretum.

B 5. Igitur ex his notandum de parvulis **655** sine baptismo decedentibus, aliud non esse auctoris istius judicium quam de adultis generalis illius solum gratiæ beneficio utentibus. Sicut igitur propria horum merita in electione non pensat, ita nec in illis parentum merita consulit, ut electionis causam investiget. Hæc sunt auctoris verba in illo ipso capite quod objicitur: *Sicut autem circa majores, præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute, vocatio specialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Quæ quidem nec illis qui renati non sunt in parentibus defuit, sed iis qui renati sunt præ parentibus adfuit; ita ut multis sæpe quos suorum impietas deseruit, alienorum cura servierit, et ad regenerationem venerint per extraneos quæ eis providenda non erat per proximos.*

Tertium Norisii argumentum.

C XXX. *Præterea*, inquit, *idem scriptor capite ultimo satis timide de prædestinatione loquitur; immo scientiam illi præviam non semel ponere videtur, dum illam objectionem sibi opponens,* « frustra nos orare et laborare, si ex incommutabili proposito ejus christianæ gratiæ subsistit electio; » *ita ibi respondet:* « Non intelligunt scientiam Dei, quæ et præterita et præsentia et futura complectitur, tempore non teneri. » *Et cum id paucis explicasset, concludit:* « Hæc autem æterna et semper tranquilla cognitio nulla nos urget necessitate peccandi, etc. » *Ibidem electionem ad gratiam sine meritis astruit; electionem vero ad gloriam ex meritis suspendit.* « Deus ergo his quos eligit sine meritis dat unde ornentur et meritis. Et frustra dicitur quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur ut electi sint. »

Miror hominem doctum his ita moveri, ut propterea auctorem a Prosperi doctrina alienum putet. Non ignorat scientiæ et præscientiæ nomen plerumque
D usurpari ab Augustino et Prospero in explicando æterno prædestinationis decreto; ut mirum non sit ab auctore pariter isto usurpatum. Sanctus Augustinus, lib. de Dono persever., cap. 14: *Hæc*, inquit, *prædestinatio sanctorum nihil aliud est quam præscientia scilicet et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Et adhuc: *Ipsa igitur* obedientia Dei *donum est, quod se daturum Deus vocatis suis, omni Christiano confitente, præscivit. Hæc est igitur prædestinatio, quam fideliter atque humiliter prædicamus.* Cap. 17 dicit quod *Deus dona sua in præscientia præparavit*, et quod *in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est nisi prædestinare.* Prosper vero ad excerpta Genuensium dubio 8: *Agnoscamus itaque sapienter, pieque fateamur præscisse incommutabiliter Deum quibus esset daturus ut crederent,* **656** *aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam. Et si hæc præ-*

A *scivit, beneficia sua illum, quibus nos dignatur liberare, præscisse, et hanc esse prædestinationem sanctorum, præscientiam scilicet et præparationem gratiæ Dei, qua certissime liberantur.*

Quod si existimavit Norisius per præscientiam illam qua auctor noster definit prædestinationem, intellexisse eum vel scientiam simplicis intelligentiæ, seu rerum possibilium, quæ decretum Dei liberum et præcedat et dirigat; vel præscientiam conditionatam, seu scientiam mediam rerum numquam futurarum, quas homo facturus esset, si talis gratia vel conditio poneretur, qua Deus noverit quæ media quisve gratiarum ordo salutem allatura essent, si conferrentur; si, inquam, hæc putavit Norisius de auctore nostro, merito eum diversa a Prospero sentire pronuntiavit. Sed absit ut hunc sensum illi affingamus. Persuasum potius habeamus aliam ab eo præscientiam non doceri hoc loco, quam scientiam visionis seu rerum futurarum, quas Deus ipse facturus est, quam præscientiam, et electionem, et prædestinationem, et B promissionem sæpius cum Augustino vocat. De hac enim scientia disserens, lib. II, cap. 33, ait quod *cuncta pariter tempora et temporalia sempiterno ac stabili comprehendit intuitu, et omnibus omnia jam retribuit,* QUI QUÆ SUNT FUTURA, JAM FECIT. *Hinc illud est beati Pauli apostoli scribentis ad Ephesios : Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti ; et cætera, quæ ibi ejusdem sensus prædicatione connectit, docens donum atque opus gratiæ in æterno semper Dei mansisse consilio, omnesque adoptionis filios non solum in eo tempore, quo jam existentes vocati sunt, sed etiam prius quam mundus constitueretur* ELECTOS. *In qua electione quidquid hominum in Christo præcognitum non est, nulla eidem ratione sociabitur. Omnes enim qui* IN REGNUM DEI *de cujuslibet temporis vocatione venturi sunt, in ista, quæ sæcula cuncta præcessit, adoptione* SIGNATI SUNT. *Et* C *sicut nullus infidelium in hac sorte numeratur, ita nullus piorum ab hac benedictione discretus est. De plenitudine quippe membrorum corporis Christi* PRÆSCIENTIA DEI, QUÆ FALLI NON POTEST, NIHIL PERDIT; *et nullo detrimento minui potest* SUMMA PRÆCOGNITA, *atque in Christo ante sæcula æterna* PRÆELECTA. Ubi perspicuum est ipsum non de sola electione ad gratiam, sed etiam de electione ad gloriam sermonem habere; et de ea præscientia quæ simul et regnum Dei electis decernit, et omnia media quibus ad illud certissime possint pertingere.

Pluribus aliis locis doctrinam eamdem confirmat. *Quamvis,* inquit lib. II, cap. 29, *multi amantes tenebras suas splendorem non recipiant veritatis, et multi qui illuminati fuerant tenebrescant; verbum tamen* **657** *Dei manet in æternum, et de promissionis veritate nihil excidit. Intrat quotidie* PRÆSCITA ET PROMISSA *gentium multitudo, et in Abrahæ semine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur. Quod enim Pater Filio dedit, Filius non amittit; neque quisquam potest de manu ejus eripere quod accepit. Firmum funda-* D *mentum Dei stat, et mansuri in æternum templi ædificatio non vacillat, prætenta super omnes veritate et misericordia Dei; a quo quod et nemini* (id est, ut superius explicat, nulli genti, nulli tribui, nulli linguæ) *negatur, et nulli debetur,* IN IIS QUOS PROMISIT EFFICITUR. Et infra : *Semper præcognitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ et per servitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret;* UT NULLO EXCIDENTE DE PLENITUDINE PROMISSORUM, *qui nec provectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus,* QUOS ELEGIT EX OMNIBUS. Ex quibus manifestum est auctorem nostrum omnino concinere et Prospero et Augustino in doctrina prædestinationis, quam ita ex præscientia et promissione pendere contendit, ut in iis solis, quos promisit, effici asserat a Deo, quod nulli genti et tribui negatur; promissionem illam eo sensu procul dubio intelligens, quo ab Augustino dictum est de Prædestin. sanct. cap. 10 : *Non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim* QUOD IPSE FACTURUS FUERAT, *non quod homines.*

Ad postremum vero locum auctoris quod attinet, ubi electionem ad gloriam ex meritis suspendere Norisio videtur, gravem certe difficultatem in eo hactenus fuisse fatendum est. Sed restituto jam a nobis suæ integritati hoc loco, ope ms. codicis Thuaneæ bibliothecæ, non modo evanescit difficultas, sed et validissimum inde argumentum sumitur pro asserenda, auctoritate hujus opusculi, Augustiniana de prædestinatione doctrina. *Deus ergo his quos eligit sine meritis; dat unde ornentur et meritis. Et frustra dicitur quod ratio operandi non sit et electis, cum etiam ad hoc ut operentur electi sint.* Non, ut prius legebatur : *Cum etiam ad hoc operentur ut electi sint.* Non igitur gloriam suspendit ex meritis, sed potius ex electione Dei et gloriam, et ipsa opera, quæ gloriam promerentur, evidentissime suspendit. Quod licet prius etiam ex doctrinæ serie eliceretur, nunc insuper ex ipsis verbis auctoritate codicis ms. emendatis evincitur. Tanti est veterum Patrum scripta diligenter ad codices mss. recensere, ac nitori pristino restituere.

Quod postremo loco addit Norisius ad statuendum discrimen inter Prosperum et hunc auctorem : quod nimirum ille ubique S. Augustinum laudat, hic vero ne meminit quidem semel in libris de Vocatione gentium, hoc quidem optime, sed eadem **658** opera nostram de Leone confirmat sententiam, cujus hic character ubique apparet scriptorum quæ adversus Pelagianos vel Pelagianorum reliquias conscripsit. In nullo enim eorum Augustinum vel laudat vel nominat. Non in epistolis ad Aquileiensem et Altinensem episcopos, quæ semper ei sunt ascriptæ; non in epistola ad Demetriadem; non in delectu illo auctoritatum sedis apostolicæ : tametsi illius nominandi occasio sese ultro objiceret in utroque hoc opusculo. Sed hoc ubique servabat Leo, ne ex præconcepta de Augustino opinione sententiam ejus tueri videretur, sed ut doctrinam ipsam, remotis omnibus defensorum præjudiciis, ex Scriptura et traditione propugnaret.

XXXI. Sunt et alia quædam apud S. Leonem ex quibus aliquid ab Augustino discipulorumque doctrina alienum habere, nec cum libris de Vocatione omnium gentium usquequaque convenire videatur. Sed quoniam quidquid ad utriusque pontificis concordiam afferre possem, jampridem occupatum est a doctissima Ecclesia Lugdunensi, quæ stylo præsulis sui Remigii scripsit nono sæculo adversus Joannem Scotum Erigenam, ne actum agam, aut alienæ laudi invidere videar, integrum caput decimum nonum describo ex ejus opere *de tribus epistolis.*

Libri S. Remigii archiepiscopi Lugdunensis, de tribus Epistolis caput 19.

« (*a*) Ponit quædam verba B. Leo in quibusdam sermonibus ad populum, ex quibus nonnulli vel minus attendentes, vel minus intelligentes, fortassis eum docere et sentire existimant quod Dominus noster etiam pro impiis in sua impietate durantibus passus sit, et eorum possit dici Redemptor : sicut illud est, quod quodam loco ait : *Respice tandem, Judæe, respice, et ad Redemptorem etiam tuum deposita infidelitate convertere. Noli sceleris tui immanitate terreri; non justos Christus, sed peccatores vocat; nec impietatem tuam repellit, qui pro te, cum crucifixus esset, oravit* (S. *Leo, ser.* 5 *de Epiphania cap.* 11). Sed in his verbis manifestum est bene intelligentibus

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) De hoc prolixo S. Remigiii textu vide observ. num. 25 et 27

quia usitato more humanæ locutionis sub unius Judæi persona totum Judæorum populum alloquitur, et idcirco velut in persona omnium ad unum clamat et dicit : *Et ad Redemptorem etiam tuum deposita infidelitate convertere*. Non quia nullus sit infidelium Judæorum, cujus Dominus non sit Redemptor, sed quia non solum aliarum gentium, sed etiam illius Judaici populi, cujus scelere et impietate crucifixus est, si ad eum convertatur, Redemptor esse dignatur. Et ideo ait : *Qui pro te, cum crucifixus esset, oravit*. Non quod nullus infidelium Judæorum sit, pro quo 659 non Dominus in cruce oraverit, dicens : *Pater, ignosce illis : non enim sciunt quid faciunt ;* cum aperte ipse Dominus dicat : *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo ;* sed quia etiam in ipso infideli populo et sunt, et fuerunt multi, pro quibus, ut a suo errore convertantur et salventur, Dominus misericorditer oravit, et quod oravit, efficaciter obtinuit et perfecit.

« Et recte B. doctor dicit, velut sub unius persona ad totum illum infidelem populum : *Qui pro te, cum crucifixus esset, oravit ;* quia profecto et ex illo et in illo populo et fuerunt, et sunt, et erunt pro quibus oravit. Hæc verba B. Leonis ita omnino esse intelligenda, etiam ipse in aliis locis eorumdem sermonum ad populum tam clare exponit, ut de his nemini dubitandum sit. Sic enim quodam loco ait : *Dominus noster ita humano generi sua morte consuluit, ut sacramentum salutis etiam ipsis persecutoribus non negaret. Qui enim venerat universis credentibus omnia peccata dimittere, a generali indulgentia nec Judaicum voluit crimen excludere* (S. Leo, serm. 19 de Pass. c. 2). Item alibi de eodem Domino nostro loquens : *Cujus*, inquit, *etiam circa interfectores suos tanta erat pietatis affectio, ut de cruce supplicans Patri, non se vindicari, sed illis postularet ignosci, dicens :* Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. *De cujus utique orationis potentia fuit ut prædicatio apostoli Petri ex his, qui dixerunt :* Sanguis ejus super nos et super filios nostros, *multorum ad pœnitentiam corda converteret, et una die baptizarentur tria fere millia Judæorum ; fieretque omnium una anima et cor unum, paratorum pro eo mori, quem poposcerant crucifigi*. (Serm. 11 de Pass. cap. 2.)

« Hæc de expositione superiorum verborum, ex ipsis beati Leonis verbis posuimus, qui his dictis continuo subjungit, dicens : *Ad hanc indulgentiam traditor Judas pervenire non potuit : quoniam perditionis filius, cui diabolus stabat a dextris, prius in desperationem transiit, quam sacramentum generalis redemptionis Christus impleret. Nam mortuo pro impiis omnibus Domino, potuisset forte etiam hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum* (Ibid. c. 4). In quibus verbis potest aliquis minus considerans et minus intelligens ita existimare, ut quod dictum est, *Sacramentum generalis redemptionis*, et, *Mortuo pro omnibus impiis Domino*, ita accipi possit, quasi et illa generalis redemptio, et illa mors Domini pro omnibus impiis, etiam pro non credentibus et in sua impietate pereuntibus facta credenda sit. Sed pro quibus omnibus impiis Dominum mortuum dicat, et quid generalem redemptionem velit intelligi, potamus quod ipse suis verbis, quæ paulo superius posuimus, diligenter exponat, 660 dicens : *Qui enim venerat universis credentibus omnia peccata dimittere, a generali indulgentia nec Judaicum voluit crimen excludere* (Serm. 19 de Pass. cap. 2) ; ut vere pro illis omnibus impiis mors Domini fuerit impensa, quibus universis credentibus omnia peccata dimisit ; et *generalem redemptionem*, sive *generalem indulgentiam* ideo dixisse intelligatur, quia nec populus Judaicus, nec ullum genus hominum ab illa redemptione et indulgentia inveniatur exclusum. Sed in illis verbis, pro quibus exponendis ista replicavimus, illud evidenter ostenditur, quod proditor Judas nullatenus ad Christi redemptionem pertineat, nec potuerit consequi remedium, quoniam festinavit ad laqueum. Et ideo illi passio Christi nihil profuit, quia in eorum damnationem transiit, qui apud inferos jam puniti redemptionis Dominicæ participes esse non poterant. Et tamen velut ad ipsum infelicem et perditum alio loco ita increpando loquitur, dicens : *Redemptorem etiam tuum, ne tibi parceret* (Al. *parceres*) *vendidisti* (Serm. 16 de Pass. cap. 4) ; non quia et ipsum redemit, quem jam superius idem doctor ad redemptionem pervenire non potuisse monstravit ; nec quod Redemptor illius intelligendus sit, qui in sua impietate permansit et periit ; sed quia in illa generali redemptione passionis Christi, *potuisset et ipse fortasse consequi remedium, si non festinasset ad laqueum* (Serm. 11 c. 4). Et ideo sic ei dicit : *Redemptorem etiam tuum vendidisti :* quia vere etiam ipsius redemptor fieret, si ab eo etiam post tantum reatum pie et fideliter indulgentiam posceret. Nimis omnino prolixum est, et in ratione fidei exercitatis minime necessarium, ut de singulis beati hujus doctoris sententiis, ubi aliqua ejusmodi occasio esse potest, sicut in istis paucissimis factum est, diligenter omnia exponantur. Illud tantum attentius videtur esse commendandum, quod ubi generale chirographum vel generalem pactionem sive cautionem memorat, generalis damnatio totius humani generis, quæ introducta est per Adam, intelligenda sit. Et ubi *generalem redemptionem*, vel *generalem indulgentiam* ponit, propter omnium hominum vel omnium nationum genus dictum accipiendum sit. Et ubi *pro omnibus impiis* Dominum mortem suscepisse docet, *pro omnibus ex impietate conversis, et in eum credentibus*, sicut ipsa ejus verba in multis declarant, accipiendum sit. »

Hæc Remigius archiepiscopus Lugdunensis cum sua Ecclesia, qui et alia nonnulla S. Leonis loca de prædestinatione, gratia, et morte Christi eodem opusculo explicat ut puta capitibus 9, 16, 27, etc. Item in absolutione quæstionis, et in lib. de tenenda veritate Scripturæ cap. 8, 13, 15, etc.

BALLERINIORUM OBSERVATIONES

In dissertationem secundam Quesnelli, de auctore librorum de Vocatione omnium gentium

661 1. In quæstione quis sit auctor librorum *de Vocatione omnium gentium*, cum hi in mss. codicibus inveniantur nunc sub Ambrosii, nunc sub Prosperi nomine, alii S. Ambrosio, alii S. Prospero Aquitano tribuendos putarunt. Cum vero Ambrosio certissima argumenta obsistant, Prospero autem Aquitano non levia, ad conjecturas confugiendum fuit. Hinc iidem libri a nonnullis ascripti fuerunt Hilario vel Arelatensi, vel Syracusano, vel illi Prosperi amico, quem a Syracusano diversum opinabantur ; ab aliis vero dati S. Eucherio Lugdunensi ; nec defuerunt qui, omisso Prospero Aquitano, substituerunt Aurelianensem, vel illum qui Carpentoratensi Vasensique synodis interfuit. De S. Leone Magno nemo cogitaverat. Huic autem primus omnium Quesnellus pluribus conjectationibus hoc opus asserere in præmissa dissertatione nisus est. At Joseph Anteimius Forojuliensis canonicus se se ex proposito eidem opposuit in opere inscripto, *De veris Operibus SS. PP. Leonis Magni et Prosperi Aquitani dissertationes criticæ ;* ubi illius

argumenta subvertere conatus, S. Prosperum Aquitanum horum librorum auctorem luculenter constituere studuit. Huic mox respondit Quesnellus epistola gallice scripta, quæ fere tota inserta est operi cui titulus: *Le Journal des Savants*, 8 et 15 *août* 1689. Non acquievit Antelmius, et duas alias epistolas eodem anno reposuit, quæ laudatis dissertationibus subjiciuntur in editione Parisiensi an. 1689. Quesnellus nihilominus perstitit in sententia, ut liquet ex secunda editione an. 1700, cui præcedentem dissertationem immutatam inseruit.

2. De eadem vero dissertatione ut distinctum judicium feratur, tres ejus partes distinguendæ sunt: prima qua eos refellit qui vel Ambrosium, vel Eucherium, vel Hilarium, vel Prosperum aliquem horum librorum auctorem putarunt; altera qua pro Leone asserendo conjecturas agglomerat; tertia qua objectionibus respondet.

§ I. Confirmatur Quesnelli sententia, qua hi libri a Prospero Aquitano abjudicantur. Respondetur Antelmio. Photii locus explicatus.

3. Primæ parti, quæ aliorum refellit sententias quoad Ambrosium, Eucherium et Hilarios, nec non quoad Prosperos, Aurelianensem et illum qui florebat an. 527 et 529, nihil opus est addere, cum Quesnellus in his singulis argumenta satis efficacia protulerit. Solum de S. Prospero Aquitano nonnihil dicendum est Antelmii causa, de quo Quesnellus in præmissa dissertatione ne verbum quidem. Ut autem recte inter utrosque dijudicemus, Quesnelli argumenta pro excludendo Prospero, et Antelmii pro eodem Prospero auctore librorum astruendo si conferantur, Quesnello calculos tradendos esse quisque perspiciet. Ex quatuor argumentis quæ iste produxit, quartum fere est evidens. Cum nimirum auctor librorum initio scribat, inter compugnantes partes *quæstionem dudum verti*, satis aperte indicat se non scribere in principio quæstionis, **663** sed multo post. Cum porro subdit: *Annitar inquirere, exercens atque discutiens modulum facultatis meæ in his*, etc. se primum opus hac in quæstione aggredi, ac propterea nihil se antea scripsisse palam insinuat. Id autem Prospero Aquitano nequaquam congruit, qui cum plura lucubrarit et ediderit statim sub exordium hujus controversiæ, novum se hac in re præferre non potuit. Hoc argumentum adeo nobis videtur efficax, ut, si cætera deessent, ad omnes Antelmii rationes elidendas sufficeret.

4. Primo autem Quesnelli argumento quoad doctrinam de gratia, quam etsi eamdem reipsa fateatur in libris *de Vocatione* ac in operibus Prosperi; verbis tamen et molliori modo explicandi non modicum discrepare contendit, liceat ad confirmationem unum haud contemnendum adjicere. In libris *de Vocatione* nomen *gratiæ* quandoque tribuitur naturalibus Dei donis etiam extrinsecis, institutioni legis, prædicationi Evangelii, etc. Hoc autem sensu id nomen a Prospero usurpatum, nullo testimonio probari posse, novissimus ejusdem Prosperi editor in admonitione testatur. In eo enim textu, quem unum protulit Antelmius ex libro contra Collatorem c. 7, olim 14, ubi *potentia gratiæ Dei* nominatur, præter quam quod vox *gratiæ* auctoritate codicum deleta est in nova editione, nihil aliud ibidem docet Prosper, nisi Deum operari in mentibus et cordibus hominum (per interiorem utique gratiam) cum adhibitis exterioribus subsidiis ad Deum convertuntur.

5. Porro Antelmii argumenta, quibus Prospero libros vindicare nititur, ad quatuor revocantur: 1° ad mss. auctoritatem, 2° ad Hincmari testimonium, 3° ad doctrinæ ac styli similitudinem, 4° ad quoddam testimonium Photii. Primis tribus satis respondit Quesnellus. Eadem ipse Antelmius multo magis infirmat. Cum enim putet opus sine auctoris nomine editum, ac præterea velit auctorem studuisse sese occultare, ac proinde eum diu fuisse ignotum, saltem usque ad Gelasii tempora, quantum hoc ipso infirmetur codicum fides nemo non videt. Unde enim ii qui primi nomen Prosperi post Gelasium manuscriptis indiderunt, istud potuerunt haurire, si ad id usque tempus ignotum nullique codici inscriptum fuerat? Nonne æque hi potuerunt errare in præfigendo his libris nomine Prosperi, ac erraront illi qui vel iisdem libris præfixerunt nomen Ambrosii, vel libris *de Vita contemplativa*, ac *de Promissionibus et de Prædictionibus Dei* ejusdem Prosperi nomen prænotarunt? Hinc autem cadit etiam testimonium Hincmari, qui codicibus perperam inscriptis deceptus fuit, sicut alii quoque Hincmaro vetustiores simili de causa fuerunt decepti, cum alios libros qui non sunt Prosperi eidem vindicarunt. Porro doctrinæ ac styli similitudinem idem Antelmius extenuat. Quoad stylum, extenuant ipsæ tabulæ parallelæ, quas multis paginis exhibet. In iis enim nulla alia fere uniformitas deprehenditur nisi aliquarum vocum, quas multo plures Quesnellus reperit in Leone et in aliis quoque scriptoribus de eadem materie tractantibus similiter invenire licebit. Idem pariter valet in similitudine doctrinæ, quam in catholicis ejusdem dogmatis tractatoribus pluribus sententiis congruere perfacile ac fere necessarium est. Accedit quod Prosperum sese occultasse tradit Antelmius, et hoc consilio studuisse ipsum stylum aliquantulum immutare, ac doctrinam alia mitiori ac molliori via explicasse, ut facilius lateret; quibus et styli et doctrinæ dissimilitudinem aliquam diverso auctori congruam fatetur.

6. Reliquum est testimonium Photii, cui Quesnellum respondisse nullibi invenimus. Ille igitur cod. 54 Bibliothecæ, ubi refert acta episcoporum Occidentis contra Pelagianos, post memoratam Leonis epistolam ad Septimum, qua contra eorum hæresim S. pontifex pugnavit, hæc subjicit: *Post non diu rursum velut existere atque renasci e mala radice impudenter cum cœpisset, Romæ etiam quidam libere pro hæresi locuti sunt, quos vir sane divinus Prosper libellis adversus eos in vulgus editis facile dissipavit exstinxitque, Leone etiamnum, quem diximus, Romanam sedem gubernante*. Hos autem libellos Leone pontifice editos, alios non esse nisi libros *de Vocatione* contendit Antelmius; alios enim libros Prosperi ante pontificatum ejus lucubratos ac in lucem emissos certissimum est. Plurimum vero huic testimonio deferendum idem auctor affirmat, quippe quod Photius *rem omnem narrat ex actorum fide ab* **665** *Occidentis episcopis adversus Nestoriana dogmata datorum*. Monet autem hunc Photii textum alia occasione Quesnellum recitasse dissert. 1 ad an. 444, n. 4, nec non concessisse hæc Romæ fuisse gesta fere sub finem Pontificatus Leonis; at de libellis ipsis nihil ulterius indagasse conqueritur.

7. Verum nomen ipsum *libellorum*, quod item in Græco legitur, duobus libris satis prolixis *de Vocatione* haud convenire observare debebat Antelmius; ac præterea iis libris qui Semipelagianorum errorem mitiori stylo impugnant, tribui non posse, ut facile dissiparint Pelagianos, de quibus Photius loquitur. Sicut enim Pelagiani proprie dicti fuerunt, quos Leo epist. 2 ad Septimum profligasse tradiderat, ita etiam Pelagiani fuisse dicendi sunt, quos subinde Romæ renatos et a Prospero dissipatos statim subjicit. Quid ergo? Λίβελλος vox, quam Photius adhibuit, Latinæ, non Græcæ originis, a Græcis recepta, non libros, seu tractatus, quos Græci ac præsertim Photius aliis atque aliis propriis ipsorum nominibus appellare solent, sed forensi Romanorum locutione *libellos* citationum, accusationum, memorialia, etc., significat, uti patet inter cætera non solum ex antiqua Græca versione epistolæ Leonis 23, ad Flavianum, ubi hæc vox eodem sensu ter, uti Latine, ita et Græce usurpatur; verum etiam ex ipsis Græcis actis synodi Chalcedonensis act. 1 et 3, ubi eadem voce Λίβελλος

libelli appellantur, qui ab Eutyche, Theodoro, Ischirione, Athanasio, etc., ipsi synodo oblati fuerunt. Vide etiam Græcam Flaviani epist. 26, ad Leonem papam. Itaque Photius ex textu id unum significat, S. Prosperum vix detectis Romæ Pelagianis, libellos, qui eorum errorem ac personas paucis aperirent, Leoni pontifici, seu etiam imperatoris ministris obtulisse; idque in re jam damnata, ac imperialibus quoque legibus interdicta pœnisque coercita satis fuisse, ut illi statim ex Urbe aufugerent et evanescerent. Minus accurata interpretatio Latina, qua libelli *in vulgus editi* perperam ferebantur, fucum fecit Antelmio, pag. 291. Rem perspicuam reddet Græcus textus, quem ad verbum latine redditum subjiciemus. Μετ' οὐ πολὺ δὲ πάλιν, ὥσπερ ἀναφύειν τῆς πικρᾶς ῥίζης ἀναισχυντούσης, ἐν τῇ Ῥώμῃ τινές ὑπὲρ τῆς αἱρέσεως ἐπαῤῥησιάζοντο· ἀλλὰ Πρόσπερός τις, ἄνθρωπος ὡς ἀληθῶς τοῦ Θεοῦ, λιβέλλους κατ' αὐτῶν ἐπιδεικνὺς ἀφανεῖς αὐτοὺς ἀπειργάσατο, ἔτι Λέοντος τοῦ προειρημένου τὸν ῥωμαϊκὸν θρόνον ἰθύνοντος. Id est : *Post non multum autem rursum tamquam repullulare amara radice non erubescente, Romæ quidam pro hæresi libere loquebantur. Sed Prosper quidam, vir vere Dei, libellis contra ipsos traditis, eos evanescere fecit, prædicto Leone adhuc Romanam sedem gubernante.*

8. Tandem haud prætereunda est illa Antelmii hypothesis, qua S. Prosperum in libris *de Vocatione* sese voluisse occulere pluries inculcat, et ex qua factum esse ait ut opus sine nomine ediderit, ut stylum diversum simularit, ut mitiorem molliorenque quam in aliis operibus inierit viam, ut Augustini magistri sui nomen siluerit, ut nihil antea hac de re se scripsisse initio operis indicaverit; sicque ea una hypothesi velut generali principio utitur, quo omnes objectiones elidat. Idcirco autem Prosperum sese celasse affirmat dissert. 3, pag. 166, quia in postremo libro contra Collatorem cap. 22, se ulterius non scripturum promiserat. Verum si ex ejusmodi conjecturis liceret hypotheses fingere, et objecta maximi ponderis exinde enervarentur, cum plures hujusmodi hypotheses paribus conjecturis quisque posset inducere, nihil esset apud criticos adeo solidum, quod simili ratione everti non posset. Si Antelmius Prosperum Aquitanum aliunde probasset horum librorum auctorem, ad solvenda vel concilianda quæ opponuntur, hæc conjectura probabiliter afferri potuisset. At cum nihil efficax pro statuendo auctore S. Prospero Aquitano ab eo aliunde productum sit, hæc conjectatio, quæ unam hypothesim et deinde alias plures valde difficiles inducit, nemini jure probabitur. Eo autem minus probabilis agnoscetur, si quis consideret animi constantiam qua S. Prosper contra adversarios gratiæ fortiter et libere dimicavit. Etiamsi daretur eum in libro contra Collatorem indicasse se ulterius non scripturum, num si nova occasio vel necessitas novum opus postulasset, deesse poterat officio, vel notam aliquam metuere, si iterum aliquid produxisset in lucem? Num si voluisset se occulere, necesse erat non tam mutare stylum quam se novitium scriptorem fingere? Nonne qui stylum consulto dissimulare conatur, illum in deterius, non autem in melius convertere solet? Hic autem contrarium accidisset : nam stylus librorum **667** *de Vocatione* stylo Prosperi nitidior, elegantior et sublimior agnoscitur. Adde tandem quod verba capitis 22 contra Collatorem eam publicam et apertam promissionem abstinendi a scribendo, quæ præsumitur, nequaquam præferunt. Id enim unum innuunt, quod quamdiu adversarii non sunt a fraterna societate divisi, tolerandi sunt, et idcirco donec per Ecclesiæ principes res componatur, *nobis*, inquit, *erit studium, quieta modestaque patientia odiis dilectionem reddere, et ineptorum vitare conflictus, veritatem non deserere, nec cum falsitate certare;* quibus non omnes, sed ineptas tantum disputationes se declinaturum indicare videtur.

A **§ II. Refelluntur Quesnelli conjectationes, quibus S. Leonem horum librorum auctorem suadere studuit. De tempore hujus operis probabiliter conjicitur. De usu diversarum interpretationum sacræ Scripturæ. Quam imbecille argumentum ex styli similitudine.**

9. Sed age jam ad alteram Quesnellianæ dissertationis partem accedamus, qua S. Leoni, antequam pontificatum iniret, libri *de Vocatione* inaudita ante Quesnellum sententia tribuendi creduntur. Singula expendenda sunt. Omnia Leoni convenire probare nititur, ætatem, patriam, peculiarem quorumdam Scripturæ locorum interpretationem, doctrinæ ac styli similitudinem.

10. Quoad ætatem, certum quidem est hos libros fuisse lucubratos *dudum* post exortam Semipelagianorum controversiam, quæ cœpit an. 427, et editos ante pontificatum Gelasii, qui eos ab *Ecclesiæ quodam magistro* scriptos memorat in opusculo adversus Pelagianos, ac proinde ante an. 496. Porro Quesnellus veluti certum præsumit eumdem esse auctorem
B librorum *de Vocatione* ac epistolæ ad Demetriadem, quæ cum ætate Leonis ante ejus pontificatum maxime congruunt. Id vero non ita est certum, uti creditur. Ex codicibus non leve præsidium suppeteret, ut eidem auctori utrumque opus vindicaretur, si in mss. exemplaribus hæ duæ lucubrationes semper invenirentur unitæ. At non perinde evenit. Nam Olivarius editor Prosperi, qui ms. Camberonensi usus est in libris *de Vocatione*, epistolam ad Demetriadem in eo non invenit. Quesnello idipsum accidit in codice Thuaneo, et novissimo editori Operum S. Prosperi in codice Joliensi, qui ad recensendos solos libros *de Vocatione* utiles fuere. Nos pariter in mss. Vat. Palat. 236 sæculi IX, Vat. 558 sæculi XI, et alio Vat. 559 sæculi XV, nec non in Vat. Reginæ 293 sæculi circiter XI, hos tantum libros, non autem epistolam ad Demetriadem reperimus. Quod si hanc una cum libris memoratis nacti sumus in tribus mss. Vatt. 262, 268 et 281, in his duobus postremis codi-
C cibus, qui sunt vetustiores, subjicitur quidem libris *de Vocatione* Ambrosio ascriptis, at sine ullius auctoris mentione his verbis : *Incipit de vera humilitate ad sacram virginem Demetriadem ;* in priori autem codice qui est multo recentior, primo describuntur libri laudati sub Prosperi nomine, dein aliquot albis paginis interjectis sine ullo titulo ipsa epistola exorditur, adeo ut casu potius et per accidens subjecta credi possit, quam eo consilio ut eidem auctori tribuatur; unde in alio codice Vat. 284 hæc sola epistola sine libris *de Vocatione* Ambrosio inscripta legitur. Una styli similitudo pro eodem utriusque operis auctore astruenda probare posset aliquid : quod tamen quam imbecillum sit argumentum ex inferius dicendis, ubi de stylo erit sermo, satis colligere licebit. Forte non deerunt qui censeant Semipelagianorum concertationes post editos Prosperi libros conquievisse aliquamdiu, etiam sub pontificatu Leonis, qui sicut merus diaconus Xistum III exstimulavit in Pelagianos, et jam pontifex in eosdem suum zelum exercuit; ita
D non minus pugnasset adversum Semipelagianos, si isti sub ipsius pontificatu vel paulo ante doctrinam de divina gratia impetissent. Per hæc quidem tempora nullum aliunde suppetit ejusmodi disceptationis indicium, et solum post ejus obitum Fausto episcopo eam revixisse liquet, et in causa quidem Lucidi Prædestinatianæ hæreseos notati adhibitum patet a nonnullis Semipelagiano sensu eum Pauli textum, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, qui libris *de Vocatione* **669** occasionem dedit : unde hi libri per hoc tempus exarati videri queunt.

11. Sed hoc prætermisso, esto Leoni coævus vel etiam idem sit auctor librorum *de Vocatione* et epistolæ ad Demetriadem, non omnino tamen probavit Quesnellus Leonis patriam ei convenire. Quæ enim attulit ut ipsum neget Africanum, quippe qui nec Augustinum umquam commendavit, nec in Africanæ Ecclesiæ monumentis ulla ratione laudatur, nec

turgentem vel barbaram dictionem præfert Africanis ejus temporis, uti putat, communem, ita pluribus ex capitibus sunt infirma, ut nihil valde probabile statuere possint. Nihil magis evincunt quæ ad negandum eum Gallum ingessit ex silentio Gennadii, qui nec scriptores omnes sui temporis in Galliis degentes recensuit; unde omisit Edesium, Eusebium, Domnulum, ac Sylvium, qui in Vita S. Hilarii Arelatensis celebrantur. Italum et Romanum, seu Romæ educatum pronuntiare non dubitavit ex styli nitore ac elegantia, ac si nullus extra Urbem parem stylum potuerit acquirere. Inculcavit locum lib. II, c. 33, ubi auctor scribit: *Alii barbari dum Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris didicere regionibus, et ad sedes suas cum Christianæ religionis institutione remearunt*. Verba *in nostris didicere regionibus*, copulata cum illis *dum Romanis auxiliantur*, regionem auctori communem indicare videntur illam, in qua barbari, dum Romanis auxiliares essent, Christianam religionem didicere. Porro, si hic locus intelligendus esset de bello adversus Eugenium tyrannum a Theodosio gestum an. 394, ut Quesnellus conjecit, cum barbari Theodosii auxiliares accesserint usque ad Alpes Julias, ubi insignis victoria parta fuit, regio a Romano solo remota librorum auctori communis dicenda esset. Aliæ expeditiones eidem auctori proximiores, in quibus alii barbari Romanis opem tulere, sæculo v plures fuerunt; at pleræque distantes ab Urbe, et in Galliis, ubi omnium celeberrima est illa sub Aetio an. 451, in qua Franci, Sarmatæ, Armoricani, Lyciani, Burgundiones, Saxones, Riparii, Ibriones et Alani Romanis opitulati sunt. Ita nihil pro Romano scriptore astruendo ex hoc testimonio concludi potest; ut ipse Quesnellus persensit, qui hoc argumentum Erasmo *dilutius* visum fuisse fatetur. Quod porro Romanæ Ecclesiæ principatum auctor commendet, non magis eum Italum vel Romanum probare potest, quam S. Prosperum Aquitanum, apud quem simile plane testimonium legitur in carmine *de Ingratis* vers. 40 et seqq. Gelasii verba, quibus istorum librorum auctor *magister Ecclesiæ* vocatur, nihil pro Leone conficiunt, cum alius quispiam ex præstantia ipsius operis hoc titulo ornari potuerit. Immo hic locus potius contra Leonem non minimum valet. Si enim horum librorum auctor fuisset S. Leo, haud latuisset Gelasium, qui vel ipsum pontificem vel familiares ejus agnoverat, nec tam insignem decessorem suum hac formula *quidam magister Ecclesiæ*, ubi maxime notanda est vox *quidam;* sed ex Romanorum pontificum more eum vel proprio nomine, vel saltem prædecessorem suum appellasset.

13. Majus sibi præsidium Quesnellus suppetere putat ex modo recitandi quædam testimonia sacræ Scripturæ. Duo autem videntur præcipua, primum et ultimum: cætera enim quatuor aut quinque ab eodem allata, cum æque facile apud alios scriptores inveniantur, nihil peculiare pro Leone evincere queunt. Primum itaque est testimonium Job c. XIV, v. 4; hoc et lib. I *de Vocatione*, c. 8, et apud S. Leonem serm. 8 de Nativitate Domini recitatur ex Hieronymiana versione, quam ea ætate veluti Romanis peculiarem Quesnellus indicat. Deinde vero addit eumdem textum etiam citari juxta versionem antiquam tum apud Leonem, tum in epistola ad Demetriadem, quam ab eodem auctore librorum *de Vocatione* lucubratam præsumit. Mirum in hoc textu tantam vim collocari. Si enim hic textus, qui et in libris *de Vocatione*, et in Leone invenitur juxta versionem S. Hieronymi, eosdem libros Leoni addicendos probaret, multo magis probaret adjudicandos S. Prospero Aquitano, quippe qui ex Job, ac ex eadem versione non unicum, sed duos alios textus affert in libro contra Collatorem c. 15, al. 34, quales totidem verbis recitantur lib. I de Vocat. c. 14 et cap. 22. Unus textus est ille Job c. XII, v. 10: *In cujus manu anima omnis viventis et spiritus universæ carnis hominis*. Alter ibidem n. 13: *Apud ipsum sapientia et fortitudo; ipse habet consilium et intelligentiam*. Alios præterea versus Job ejusdem Hieronymianæ interpretationis ex Hebræo idem Prosper laudato capite describit, ac propterea hæc versio sæculo v etiam aliis non Romanis usitata cognoscitur. Id autem præcipue accidit in libro Job, quippe antiqua ejus interpretatio, teste Hieronymo scatebat erroribus, et septingentis ferme aut octingentis versibus carebat. Promiscuus porro utriusque versionis usus, quem Quesnellus urget quoad versionem Hieronymi elucet in recitandis testimoniis ex libro Job; quoad antiquam vero patet in cæteris aliorum sacrorum voluminum textibus, qui fere ex hac versione tum apud Leonem, tum in libris *de Vocatione* proferuntur; idipsum autem contingit etiam Prospero, ut conferenti plura testimonia patebit. Quod vero Quesnellus maxime inculcat de utriusque versionis usu in memorato versu Job c. XIV, tum apud Leonem, tum in epist. ad Demetriadem, in observationibus ad quartam dissertationem, quæ circa hujus epistolæ auctorem vertitur, expendetur luculenter, et quam inane sit hoc argumentum, ex duobus aliis non Romanis, at Leoni coævis scriptoribus eumdem versum similiter recitantibus palam fiet.

13. Alterum testimonium, *et maxime notandum* sumit Quesnellus ex Luca cap. XXII, v. 31 et 32: *Simon, Simon, ecce Satanas postulavit ut vos cerneret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; et roga ne intretis in tentationem*. Hunc autem textum et Leo serm. 3, nunc 4, in anniversario assumptionis suæ, c. 3, et auctor librorum de Vocatione lib. I, c. 24, et lib. II, c. 28, eodem peculiari modo recitant. Non dissimulat Quesnellus hoc idem testimonium proferri etiam a Prospero duobus in locis; at non eadem omnino lectione, inquit: nam in epistola ad Rufinum non habetur *cerneret*, sed *cribraret;* in libro autem contra Collatorem c. 35, nunc 15, ultima verba omittuntur: *Et roga, ne intretis in tentationem;* quo tamen loco prætermittuntur etiam illa: *Et tu tandem conversus confirma fratres tuos;* quæ omissio varianti lectioni tribui non poterat. Majorem vero lectionis varietatem a lectione librorum *de Vocatione* in Leone, quam in Prospero deprehendimus, ut mirum maxime sit lectionem veluti æqualem a Quesnello affirmari. Mittimus aliquos codices sermone allegato habere *cribraret* pro *cerneret;* sicut ex omnium codicum quos vidimus fide habetur *cribraret* in alio ejusdem pontificis serm. 83 de Natali SS. Petri et Pauli, quem perperam Quesnellus in appendicem rejecerat. Hic solum notare liceat verbum *cribraret* similiter legi in antiquissimo Vercellensis Ecclesiæ ms. Evangeliario novissime edito, quod veterem interpretationem exhibet; unde hæc lectio veluti adulterata, seu ad vulgatam lectionem emendata a Quesnello traduci non debuit. Cur vero hac una variante indicata, is alias certiores silentio præterivit? Primo apud Leonem etiam in Quesnelliana editione legitur *expostulavit*, dein *aliquando* pro *tandem*. Demum (quod præcipuum est) omittitur *et roga*, seu *et rogate*, uti in libris de Vocatione ex codicibus emendavimus. Itaque lectio Prosperi magis congruit lectioni librorum de Vocatione, quam Leonis lectio. Quo igitur jure ex hoc textu tanta similitudo ingeritur, quæ Leonem potius quam Prosperum eorum librorum auctorem astruat? Hic vero animadvertendum potius est hunc textum evangelicum a diversis auctoribus recitari cum quodam additamento in fine, quod nec in vulgata nec in Græco legitur, at reperitur in quatuor mss. Evangeliariis vetustissimis editionis antiquæ, uti annot. 22 (*Tom. præced*. col. 600, n. 2) in serm. 4 S. Leonis observavimus. Hinc autem cognoscere licet infirmum et imbecille prorsus esse argumentum quod ex simili quorumdam sacrorum testimoniorum interpretatione elicitur, ut hic potius quam ille statuatur alicujus anonymi opusculi auctor. Cum enim plures illis vel aliis similibus Evan-

geliariis uterentur, eadem lectio ac versio apud plures inveniri potest.

14. Doctrinæ similitudo in materia divinæ Gratiæ quoad auxilia generalia inter Leonem et libros de Vocatione quam num. 20 Quesnellus proponit, id unum potest evincere eos libros non repugnare Leoni, non vero Leonis etiam esse convincit. Sane doctrinam hac in re similem idem Quesnellus fatetur in Prospero, ubi objectionibus respondet; nec idcirco Prosperum auctorem judicat. **673** Solum peculiares quidam loquendi modi, qui in memoratis libris occurrunt, cum Leoninis formulis convenire videri possunt: unde in his potissimum Quesnellus insistit (*Dissert.* 3), et voces similes majusculis litteris designat. At præter quam quod voces et locutiones fere similes etiam in Prospero notavit Antelmius, id ad generalem styli rationem pertinet, quam mox enucleatius expensuri sumus. Unum vero hic addam in libris *de Vocatione* vocem *gratiæ* quandoque attribui, ut n. 5 monuimus, generalibus Dei auxiliis etiam extrinsecis. Id autem in Leone nequaquam invenies, ut ex iis ipsis locis quæ a Quesnello recitantur, perspicere licet. Cæteræ quarumdam sententiarum similitudines de S. Petri prærogativis, quid probare queunt, cum omnibus catholicis eadem doctrina fuerit? Modus autem hujus doctrinæ exprimendæ, qui apud Leonem et in libris de Vocatione nonnullibi invenitur similis, ad dictionem ac stylum pariter revocatur: ex quibus sane Quesnellus afferre aliquid potuit, quod nonnullos moverit; unde in hoc argumento latius immoratus, pluribus parallelis et animadversionibus aliquot numeros digessit.

15. Hoc autem argumentum ut exactius expendatur, duo in stylo distinguenda sunt, voces et syntaxis seu totus dicendi character. Parallela testimonia a Quesnello allata fere sunt aliquot vocum similium, cujusmodi item in Prospero pluribus tabulis non paucas exhibuit Antelmius; nec facile invenientur duo auctores de eadem re disserentes, qui aliquando sicut in sententiis, ita et in aliquot vocibus ad eamdem rem pertinentibus haudquaquam conveniant, et iisdem loquendi formulis non utantur. Si quis eadem diligentia qua Quesnellus alios Patres similia tractantes legerit, nihil ambigimus quin plura fortassis ejusdem generis parallela pluresque conformes voces formulasque reperiat. Frustra vero hic labor cedet, cum non solæ voces, quibus idem sensus exprimatur, stylum designent atque distinguant. Complexus et character totius sermonis præcipue considerandus est. Quesnellus quidem num. 15 profitetur sibi haud fuisse difficile hoc judicium ferre, quippe cui S. Leonis scripta editionis causa *sæpe sæpius relegenti, familiarissima facta est phrasis Leonina totusque dicendi character.* At cum Leoni attribuerit sermonem de Cathedra S. Petri ob quasdam voces similes, quem ex complexu totius dictionis ac ex quibusdam etiam vocibus a Leone alienissimum in admonitione ostendimus, veremur ne pari præjudicio minus recte judicaverit de stylo librorum de Vocatione, eademque facilitate eosdem Leoni tribuisse. Enim vero non inficiabimur plura loca in his libris occurrere quæ Leoninæ syntaxi ac numero maxime congruunt. Sed ad eumdem stylum probandum loca aliquot hinc et hinc excerpta nequaquam sufficiunt, quando alia loca occurrant quæ dictionem ac stylum, seu characterem omnino dissimilem ac diversum referunt. Semper enim Leonis stylus sibi constans, æque numerosus, æque perspicuus in omnibus ejus operibus invenitur. At in libris de Vocatione nonnulla ab illa syntaxi et numero nimium remota, et languide aut durius desinentia in aures Leoninæ rationi assuetas statim incurrunt, quæ Leonem non sapiunt. Perspicuitas vero quæ in nostro pontifice potissima et constantissima prærogativa est, aliquot in locis eorumdem librorum aperte desideratur. Longiores quædam periodi, aliquot particulis ac sensibus complicatæ expendantur ac præsertim

A illa ex qua una constat integrum cap. 19 libri II, et num Leonem similiter scripsisse credibile sit, quisque in hujus operibus versatus facile intelliget. Adde quasdam allegorias longiori sensu productas, quæ a Leonis consuetudine abhorrent; qualis inter cæteras est illa lib. II, c. 11: *Qui autem istarum aquarum dulcedinem nesciunt, et adhuc de mundi hujus torrentibus bibunt, aut etiam si aliquid primoribus labris de vitæ fonte gustaverunt, inebriati tamen aureo Babylonis calice delectantur*, etc., nec non illa cap. 23 epistolæ ad Demetriadem (ut de hac quoque aliquid attingamus): *Implet igitur Spiritus sanctus organum suum, et tamquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum.* Tandem istorum stylus librorum plenior et nonnumquam turgidior, epithetis et comatibus frequentior est, quam in Leone deprehenditur. Hæc omnia si stylum ab hoc pontifice alienum non omnino evidenter demonstrant, satis tamen dubitationis injiciunt ut Leonis stylus in his libris inesse haud B certo credatur. Cumque evenire perfacile potuerit, ut nonnulli tunc temporis et Romæ, et aliis in locis **675** exstiterint, quorum scribendi ratio non modicum conveniret, ex mera styli similitudine, quæcumque prætendatur inter stylum Leonis et librorum de Vocatione, nihil certi elici potest ut eidem pontifici adjudicentur. Cæteræ Quesnelli conjectationes, quas styli fundamento satis infirmo superstructas, recte cum Caveo ad an. 440, *conjecturarum potius quam argumentorum agmen* vocare licet, nullam distinctam responsionem efflagitant. Quæ autem nos in admonitione ipsis libris præmissa ex pluribus ac potioribus mss. animadvertimus ad auctorem aliqua ratione statuendum, quanti facienda sint quisque prudens judicabit.

§ III. Aliquot Quesnelli loca excutiuntur. Auctor librorum *de Vocatione omnium gentium* admittit generalem gratiam non solum externam, sed etiam internam, cui et posse resisti, et multos resistere docet. Quatenus sufficientem astruat. De morte Christi pro omnibus Leonis C doctrina. S. Remigii sententia explicatur.

16. Exactis iis quæ ad præcipuum caput controversiæ de auctore horum librorum pertinent, Quesnellus nonnullis objectionibus respondet, quibus eorumdem librorum doctrinam a doctrina S. Prosperi dissidere card. Norisius contenderat. Illius autem multum intererat consensionem doctrinæ statuere ne S. Leo, quem librorum auctorem præferebat, aliter docuisse crederetur in materia gratiæ, quam Prosper Augustinianæ doctrinæ tenacissimus docuit. Nobis vero, qui non minus a S. Prospero quam a S. Leone hos libros abjudicavimus, etsi in propositum nostrum hæc disputatio non æque necessaria sit, cum tamen ille in responsionibus nonnulla inseruerit quæ a mente auctoris, quicumque sit, omnino dissident, et nonnumquam etiam in damnatarum propositionum sensum detorqueri queunt, aliquot observationes subnectendas putavimus.

D 17. In responsione ad primam objectionem Quesnellus affirmat auctorem librorum de Vocatione *in locis ubi gratiam Dei omnibus datam asserit, per eam intelligere exteriora et naturalia Dei dona, quæ omnibus promiscue exposita sunt, aliquando Mosaicæ legis documenta, nonnumquam etiam sancti Evangelii prædicationem, quæ nulli hominum conditioni denegatur.* Ita solam gratiam externam omnibus hominibus communem ab auctore asseriam tradit, non autem internam. Verum non desunt theologi celebres etiam Thomistæ, quibus hoc falsum visum est; unde probaturi, omnibus hominibus adultis saltem aliquando conferri gratiam aliquam sufficientem internam, potiora testimonia ex hisce libris afferunt. Nonnullis quidem in locis *gratiæ* nomine sola externa auxilia hic auctor significavit. At non hæc sola omnibus communia asseruit: alicubi enim communem etiam docuit gratiam internam. Explorata inter cætera sunt illa lib. II, c. 23: *Sicut autem circa majores* (id est adultos) *præter illam ge-*

NERALEM GRATIAM *parcius atque* OCCULTIUS OMNIUM HOMINUM CORDA PULSANTEM, *excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur*, etc. Hæc *gratia, quæ occultius corda pulsat*, profecto interior est, ipso etiam fatente Quesnello, qui in eadem responsione ad primam objectionem explicans aliud auctoris testimonium, voces *sive occulte* ita interpretatur : *Hoc est sive per gratiam occultam et interiorem*. Et nihilominus hanc internam gratiam *generalem et omnium hominum corda pulsantem* idem auctor tradidit. Hanc eamdem gratiam eum pariter indicasse iidem theologi putant, cum cap. 15 scripsit : *Adhibita enim semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, suffecit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*. Voces *parcioris occultiorisque gratiæ* plane congruunt ante recitatis ex cap. 25, *gratiam parcius atque occultius corda pulsantem*, quam et generalem et internam auctor professus est. Non ergo doctrinam mere externam universis etiam gentilibus communem *gratiæ* nomine hoc secundo testimonio auctor intelligit, sed doctrinam cum aliqua parciori quidem, at *occultiori* et interna gratia conjunctam, quæ 677 *omnium hominum* non solum mentem illuminet, verum etiam *corda pulset*; ac propterea nihil mirum si docuit hanc *suffecisse quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*, quin sufficientiam exterioribus tantum auxiliis tribuerit, quod Pelagianum foret, et ab ipsius auctoris principiis maxime alienum.

18. Neque huic doctrinæ opponuntur illa quæ Quesnellus ex iisdem libris sub finem laudatæ responsionis obtrudit. Præcipuus textus est ille ex lib. I, c. 13 : *Quod aliquos, sicut videmus accidere, salvantis gratia præterierit, et pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum est*. Hic enim *gratiam salvantem* significare gratiam quæ reipsa et cum effectu *salvat*, ex antecedentibus palam elicitur; ad eam siquidem orationem Ecclesiæ hæc verba referuntur, de qua capite præcedenti auctor dixerat : *Quid autem pro istis* (paganis, Judæis, hæreticis et schismaticis) *petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum?* etc., additque agendas gratias Deo *pro his qui salvi facti sunt. Speremus etiam eos qui necdum illuminati sunt, eodem divinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum, et in regnum Dei, priusquam de hac vita exeant, transferendos*. Et post hæc statim objectus textus subjicitur : *Quod si aliquos, sicut videmus accidere, salvantis gratia præterierit*, etc., ubi gratiam indicat quæ reipsa *eximat de potestate tenebrarum et in regnum Dei transferat*. Ejusdem generis sunt reliqua quæ objiciuntur testimonia, ut consideranti patebit. Nam cap. 26 lib. I auctor de iis loquitur *qui sunt attracti*; et lib. II, c. 19, dum eos memorat *qui exortes gratiæ fuerint*, gratiam *specialem* intelligit, cujus antea meminerat, quamque non omnibus communem sæpe tradit. Quod si lib. II, c. 3, admittit *incognoscibiles illuminationum dilationes, inter quas utique multi in infidelitate deficiunt*; quæ verba Quesnellus in postilla marginali interpretatus est *incognoscibiles dilationes gratiæ*, non de suspensa et negata multis gentilibus omni gratia interna, quæ alibi omnibus data affirmatur, ibidem sermo est, sed de dilata aliquamdiu evangelicæ prædicationis et vocationis gratia, ut ex contextu manifestum fiet.

19. Hac autem occasione, qua meminimus de interiori gratia omnibus concessa, quam *suffecisse quibusdam ad remedium* auctor tradidit, liceat considerare alium ejusdem scriptoris locum ex lib. II, c. 13, ubi hæc leguntur : *Cum ergo talia ad Cain loqueretur Deus, numquid ambiguum est voluisse eum, et, quantum ad medendi modum sufficiebat, egisse, ut Cain ab illo impietatis furore resipisceret?* Notanda præsertim verba, *quantum ad medendi modum sufficiebat*. Hic Quesnellus ex ante vulgatis Prosperi editionibus inseruit voces illas sic : *Quantum ad illum medendi modum*, et postquam notavit : *Vox* ILLUM *non legitur in cod. ms. Thuan., neque in ullis Operum S. Ambrosii editionibus, quibus libri de Vocatione gentium inserti sunt*, hoc prolixum commentarium, seu potius commentum in eadem notatione subjecit : « Quid tamen discriminis in sensu hujus sententiæ gignat hæc lectionis varietas, fateor me non assequi. Unum porro certissimum video, hanc sufficientiam, de qua hic sermo est, nullo modo ad illam pertinere sufficientiam gratiæ interioris Christi Salvatoris, de qua tanta animorum contentione, tantoque æstu digladiantur hodierni theologi. Immo vero cuivis æquo animo seriem hujus capitis perlegenti perspicuum fiet, non aliam ob causam auctorem nostrum hanc clausulam adjecisse, quam ne lectores incauti ad sufficientem interioris gratiæ operationem animum adverterent; et ut potius monerentur sufficientiam illam de alio medendi modo non esse intelligendam, quam de quo per totum caput actum erat. In quo et a gratiæ, auxilii, opitulationis, adjutorii et misericordiæ nominibus ex consilio abstinuit, sola eruditionis, bonitatis, patientiæ et consilii vocabula usurpans; et revera ostendit *illum medendi modum* eum solum fuisse qui exhortationibus, consiliis et correptionibus coercetur; quibus *Cain sancti fratris meritis invidentem, cædemque ejus parricidali corde meditantem dignatus est Dominus paterno mitigare consilio* (*S. Gregor. l.* II *Moral. c.* 9). Sed Cain *et divina voce admoneri potuit, et mutari non potuit; quia exigente culpa malitiæ, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat*. Necesse est enim *ut Spiritus sanctus operetur intrinsecus, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus. Alioquin etiamsi Deus ipse utens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus* 679 *alloquatur humanos, nec interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis* (*S. August. de Civit. l.* XV, *c.* 9). Et revera *cum Deus locutus esset ad Cain, eo modo quo primis hominibus per creaturam subjectam, vel ut eorum socius, forma congrua loquebatur, quid ei profuit? Nonne conceptum scelus in necando fratre etiam post verbum divinæ admonitionis implevit?* Quod beneficium *licet obdurato nihil remedii et emendationis attulerit, probat tamen aversionem ejus non divinæ fuisse constitutionis, sed propriæ voluntatis* (*De Vocat. gent. l.* II, *c.* 13), quemadmodum iisdem verbis de parricidæ illius posteris loquitur auctor noster in fine hujusce capitis. » Tam longo circuitu id (ut paucis dicamus) Quesnellus insinuat, eam clausulam, *quantum ad medendi modum sufficiebat*, non referri ad interiorem gratiam, qua Cain a Deo in pœnam suæ malitiæ exutum probat ex testimonio S. Gregorii, sed ad exteriora tantum exhortationum, consiliorum et correptionum auxilia, quæ sine interiori gratia non valere ad medendum, Augustini auctoritate confirmat. Ita nullam interiorem, sed exteriorem tantum gratiam Cain a Deo collatam ex auctoris sententia existimat.

20. Si auctor solius correctionis externæ mentionem faciens, abstinuisset ab ea formula quæ *sufficientem medendi modum* præfert, dubium esse posset num interiorem gratiam in pœnam peccati a Cain subductam putarit, uti alii quidem Patres tradidere. At adjectis illis vocibus, quæ *sufficientiam* astruunt, hæc omnis interioris gratiæ subtractio nec a catholico doctore, nec ab auctore librorum, *Ecclesiæ*, uti vocavit Gelasius (*Tractat. advers. Pelagianos, t.* V *Concil. Ven. edit. p.* 374), *magistro*, indicari aut intelligi potuit. *Sufficientiam* enim *ad salutem largiri exteriori gratiæ non est nisi hominis Pelagiana lue infecti*, uti Quesnellus prodidit in responsione ad primam objectionem. Auctor quoque librorum de Vocatione, quem a Pelagiana sententia alienum idem Quesnellus ostendit, lib. I, cap. 8, et alibi gratiæ interioris necessitatem, ut valeat quod exterius prædicatur, ex Augustini doctrina tradidit, eamdemque internam gratiam agere *in omni genere medendi* con-

fessus est lib. II, cap. 26. Cum ergo scripsit Deum in corripiendo Cain *voluisse, et, quantum ad medendi modum sufficiebat, egisse..... ut resipisceret*, non aliter potuit scribere *sufficiebat*, nisi quatenus una cum correptione Dei externa aliquam interiorem gratiam Cain collatam crederet, quæ *quantum ad medendi modum sufficiebat*, si ille pertinaciter non restitisset; unde mox in pertinaciam ejus causam rejiciens subdidit : *Sed malitia pertinax inde facta est inexcusabilior, unde debuit esse correctior*. Ita porro hic locus mirifice concinit cum alio textu antea explicato, quo auctor exteriora Dei auxilia omnibus concessa cum aliqua interiori gratia *parcius atque occultius omnium hominum corda pulsante* conjuncta, lib. II, c. 15, affirmavit *suffecisse quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium* Illis nimirum qui secuti sunt gratiæ impulsum, hæc suffecit ad remedium, cæteris vero omnibus qui restiterunt in testimonium erit eorum pertinaciæ atque nequitiæ. Hanc genuinam quidem esse hujus loci interpretationem ex antecedentibus liquet. Auctor enim in fine capitis 14 affirmaverat : *Neque ob hoc excusabiles sunt nationes, quæ alienatæ a conversatione Israel.... perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari ante largitate non fluxit*. Hujus autem propositionis rationem statim affert initio capitis 15 : *Adhibita enim semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, suffecit tamen, sicut Deus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium;* et idcirco *qui perierunt* inexcusabiles sunt. Hæc pro explicando germano auctoris sensu dicta sunt. Utrum vero hæc ejus doctrina de gratia generali etiam interna omnibus quantumvis perversis et infidelibus adhibita discrepet necne a doctrina S. Prosperi Aquitani, non est hic opus inquirere ac definire. Si autem discrepare credatur, multo magis hinc confirmabitur hosce libros S. Prospero tribui non posse.

21. Hic porro non est progrediendum ulterius, nisi prius alia quadam ratione considerentur illa recitatæ Quesnellianæ notationis verba in cap. 13 lib. II : *Unum porro certissimum, hanc sufficientiam, de qua hic sermo est, nullo modo ad illam pertinere sufficientiam gratiæ interioris Christi Salvatoris, de qua tanta animorum contentione tantoque æstu digladiantur hodierni theologi*, etc., **681** quibus Quesnellus non tam videtur sollicitus in neganda Cain gratia interna, quam in subtrahendo hoc auctore a theologis defendentibus gratiam internam sufficientem, cui scilicet resistitur : unde prosequitur monens sufficientiam ab auctore admissam non in internis gratiæ auxiliis, sed in externis collocari. Fortassis etiam dubitabunt nonnulli an hoc eodem consilio in postillis marginalibus huic operi appositis non solum laudaverit potentiam et efficaciam gratiæ, scribens initio capitis 26 lib. II : *Gratiæ officium et efficacia*, et similiter in cap. 7 epistolæ ad Demetriadem : *Potens Dei operatio gratia*, quibus sola efficax gratia indicatur; verum etiam ad cap. 15 lib. II notaverit : *Deus dat gratiam, quæ superari non possit;* et iterum ad cap. 33 ejusdem libri : *Nihil obsistere gratiæ Dei potest*. Quæ propositiones nulla limitatione explicatæ facile trahi possunt in propositionem Jansenianam ab Ecclesia damnatam : *Interiori gratiæ numquam resistitur;* nec non in propos. 10 ejusdem Quesnelli proscriptam in constitutione *Unigenitus : Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare;* et in prop. 13 : *Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit*.

22. Ab hac autem damnata sententia quantum abhorreat auctor librorum de Vocatione plura ejus testimonia ostendunt, quibus nullam postillam a Quesnello affixam invenimus. Notavit quidem alicubi auxiliorum exteriorum insufficientiam, et potestatem etiam dissentiendi *sub gratia efficaci* aliqua ratione notavit in cap. 28 lib. II his verbis : *Potestas* A *dissentiendi quomodo manet sub gratia efficaci;* nullibi autem aperte indicavit dissensum ac resistentiam gratiæ internæ, etiamsi nonnulla loca hanc expresse commemorent. Perspicuum est testimonium ejus capitis 26 lib. II, ubi Quesnellus annotavit : *Gratiæ officium et efficacia*. Postquam enim auctor affirmavit *abundantiorem gratiam* ita esse *benignam*, vel (ut ille legit) *potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam*, descriptis variis ejusdem gratiæ etiam internis opitulandi modis, subdit : *Quæ opitulatio per innumeros modos sive occultos sive manifestos omnibus adhibetur ; et quod a multis refutatur ipsorum nequitiæ est; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ*. Verba *a multis refutatur* opitulatio gratiæ adhibita modis innumeris non solum *manifestis* et externis, sed etiam *occultis*, id est interioribus, resistentiam utique gratiæ etiam internæ palam declarant. His concinunt illa cap. 28 ejusdem libri in fine : *Diversis atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri et in agnitionem veritatis venire;* B *sed qui veniunt Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt sua pertinacia reluctantur*. Modi innumeri quibus multi pertinaciter *reluctantur* sunt illi non tam *manifesti* et exteriores, quam *occulti* et interiores, de quibus in præmisso textu sermo fuit.

23. Et ne quis cavilletur, his duobus in locis verba *refutatur* et *reluctantur* non referri nisi ad modos gratiæ *manifestos* seu extrinsecos, quos sub particula disjunctiva auctor proposuit; recole et confer invicem duos textus paulo ante descriptos; et de modis gratiæ etiam *occultis* et internis ea verba ex auctoris mente accipienda manifeste perspicies. Primus textus ex cap. 23 lib. II, ubi *generalis gratia parcius et occultius omnium hominum corda pulsans* astruitur, internam utique gratiam ipso Quesnello interpretante evidenter designat. Alter vero textus ex cap. 15, ubi memoratur *parcior et occultior gratia*, id est interior, quæ *suffecit quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*, eos distinguit qui eidem gratiæ assensere C vel restitere. De eadem enim gratia *omnium hominum corda pulsante* seu interna dicitur, quod *quibusdam* (non omnibus) *suffecit ad remedium*, idque assentientes et obsequentes respicit; *omnibus* autem, etiam non utentibus ad remedium, *ad testimonium* profutura traditur, quod ad resistentes potissimum pertinet, *qui sua pertinacia reluctantur*. Tandem in textu de Cain, qui huic observationi occasionem dedit, divinam correctionem, cui ille restitit, ex hujus auctoris mente non fuisse expertem omni gratia interna, quæ *ad medendi modum sufficeret*, demonstrasse nobis videmur. Itaque ad gratiam vere interiorem, cui plures resistunt, quamque theologi *sufficientem* appellare solent, astruendam omnia conspirant. Illa autem duo loca cap. 15 et 33 libri secundi, quibus annotavit **683** Quesnellus *divinam gratiam superari non posse*, vel eidem *nihil posse obsistere*, haudquaquam repugnant. Neutro enim in loco auctor agit de illa potestate intrinseca qua quis interiori gratiæ D sibi collatæ resistere potest, atque nonnullos resistere confessus est, sed agit de vi externa quæ ad rem præsentem nihilum spectat; eamque exterius admotam interiori gratiæ, quam Deus inspiravit, resistere non potuisse pronuntiat. Enimvero priori textu auctor loquens de martyribus, *Ille ignis dilectionis*, inquit, *quem in cordibus fidelium Spiritus sanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus posset exstingui, cum et qui cruciabantur vehementius inardescerent*, etc. Posteriori autem textu disserens de bellicis tumultibus quorum occasione aliqui barbari Romanorum auxiliares ad fidem accessere, opus divinæ gratiæ his externis tumultibus impediri non potuisse notavit his verbis : *Ita nihil obsistere divinæ gratiæ potest, quominus id quod voluerit impleatur, dum etiam discordiæ ad unitatem trahunt, et plagæ in remedia vertuntur, et Ecclesia unde metuit periculum, inde sumat augmentum*.

24. Commendat porro idem auctor variis in locis

gratiæ potentiam et efficaciam, qua Deus obtinet quidquid efficaciter vult; nuspiam vero illam generalem et indefinitam propositionem scripsit: *Quod Deus vult nos velle hoc volumus*, quam Quesnellus in margine affixit ad ea auctoris verba lib. II, c. 27: *Qui ergo veniunt* (ad fidem) *amore ducuntur; dilecti enim sunt, et dilexerunt; quæsiti sunt, et quæsierunt; et quod eos voluit Deus velle, voluerunt*. De iis enim loquitur qui cum reipsa ad fidem venerint, id *voluerunt quod eos voluit Deus velle*. De iis loquitur qui efficaci Dei voluntate ad fidem pervenerunt, in quorum cordibus largioribus et efficacibus donis Deus *hoc egit ut crederent, hoc effecit ut vellent*, quemadmodum dixerat paulo ante; non autem de omnibus loquitur quos cum Deus *velit salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*, ut idem auctor toto opere ostendit, vult etiam omnes ad fidem accedere, omnibusque opitulationem gratiæ modis innumeris partim manifestis, partim occultis et internis adhibet, ut ex recitatis testimoniis vidimus: sed non omnes idcirco volunt, quia Dei voluntati et opitulationi gratiæ etiam internæ resistunt atque dissentiunt; de quibus proinde auctor ibidem tradidit: *Neque accedunt qui dissentiunt* (Deo utique volenti et auxilianti), *sed recedunt*.

25. Verum in hanc pariter propositionem, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, in quam recidit doctrina catholica de morte Christi pro omnibus, animadvertenda est quinta præmissæ Quesnelli dissertationis *objectio ex modo explicandi quæstionem de morte Christi*. Indicantur autem ibidem quædam S. Leonis testimonia, in quibus perinde ac si aliquid ab Augustini doctrina alienum, nec cum libris de Vocatione consentiens videri possit, quo sensu ea interpretanda sint, Quesnellus explicare studet, et ne quid ex sua mente credatur proferre, prolixo S. Remigii archiepiscopi Lugdunensis textu utitur. Hæc autem objectio et responsio magnam nobis admirationem injecerunt. Leonis enim testimonia, quæ, ne male intelligerentur, Quesnellus explicanda censuit, scilicet de oratione et morte Christi pro omnibus, ne iis quidem exceptis qui non salvantur, ipso obvio verborum sensu non aliam doctrinam præferunt nisi eam quam cum S. Augustino concinentem Tridentina synodus approbavit et docuit sess. 6, c. 3, inquiens: *Etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat quibus meritum passionis ejus communicatur*. Remigii autem verba et sententiæ quibus Leonem explicandum Quesnellus putavit, adeo sunt involuta et ambigua, ut in pravum sensum laudatæ Tridentini doctrinæ oppositum, et quintæ Jansenianæ propositioni faventem detorqueri queant: unde Jansenistæ in sui erroris patrocinium hos præsertim et alios similes Remigii textus obtrudunt, quos ut catholici theologi ab iisdem eripiant, ex totius Remigiani operis scopo aliisque ejusdem locis interpretari student in sententiam quæ reipsa ad obvium Leonis sensum redeat, et cum Tridentino dogmate concilietur; ita ut solis verbis alia intentione prolatis Remigius ab eodem sensu, objectis textibus, videatur discedere. Mirum itaque accidit quod Quesnellus metuerit ne Leonis testimonia, **685** quæ sanum et catholicum sensum palam exhibent, perperam intelligantur, nisi aliqua interpretatione explanentur; sed multo magis mirati sumus quod sine ullo periculi metu ea explicanda crediderit, prolixis Remigii verbis, quæ nisi caute accipiantur et explicentur, in pravam et damnatam doctrinam distrahi queunt, nec ullum tamen periculi aut interpretationis indicium subjecerit. Num per hæc præludere voluit propositionibus 30 et 32. Jansenianæ thesi affinibus et damnatis in constitutione *Unigenitus*, quibus Christus pro solis electis, qui reipsa salvantur, mortuus innuitur.

26. Aperte autem S. Leo serm. 1 de Nativitate cap. 1, nullum qui peccato aliquo tenetur, ac proinde nullum etiam inter reprobos, ab intentione Christi redemptoris exceptum tradit. *Sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit*. Ipsa ejus testimonia, quæ a Remigio proferuntur, Christum omnium, etiam Judæ ac Judæorum qui eum crucifixerunt, nemine excepto, redemptorem testantur, ac pro ipsis eumdem orasse affirmant; etsi non omnibus hæc redemptio et oratio profuerint, eo quod non omnes ad Deum converti et pœnitere voluerunt. Ita etiam Augustinus (ne ab ejus doctrina Leo discessisse videatur) tract. 4 in Joannem eorum etiam crucifixorum qui damnati fuere Christum salvatorem prodidit his verbis num. 1: *Crucifixerunt Salvatorem suum, et fecerunt damnatorem suum*. Et de Juda in psal. LXVIII, serm. 2, n. 11: *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo* IPSE *a Domino redemptus erat*. Et de generali oratione Christi serm. 382, qui Augustino tribuitur, num. 2: *Quando in cruce pendens orabat, videbat et prævidebat omnes inimicos; sed multos ex illis futuros amicos prævidebat; et ideo omnibus* (non inquit *multis*) *veniam postulabat*.

27. Cum vero S. Remigius S. Leonis testimonia explicat de solis electis qui actu redempti fuerunt; palam loquitur de redemptione et oratione Christi, quoad efficaciam ex voluntate absoluta et efficaci, non vero quoad sufficientiam redemptionis præparatæ et exhibitæ omnibus voluntate antecedenti, quam eum agnoscere indicant illa de Juda: *Vere etiam ipsius redemptor fieret, si ab eo etiam post tantum reatum pie et fideliter indulgentiam posceret*. Hæc enim verba sicut demonstrant *redemptoris* nomen Christo attribui in sensu actualis effectus quoad efficaciam, ita satis innuunt idem nomen eidem non negari quoad sufficientiam, cum concedatur ejus redemptionem potuisse prodesse etiam Judæ si pœnituisset; isti autem ea indicatur inutilis non ex insufficientia et defectu ipsius redemptionis aut voluntatis Christi, quem cap. 12 professus est nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (hæc a theologis antecedens et generalis voluntas dicitur, quæ tamen non est pro omnibus efficax), sed ex ipsius Judæ defectu, qui *potuisset*, uti cum Leone fatetur, *consequi remedium, si non festinasset ad laqueum*. Patet igitur Remigium admisisse ex voluntate antecedenti redemptionem generalem sufficientem pro omnibus, et solum redemptionem actu efficacem ad eos restrinxisse, quibus meritum passionis actu communicatur. Hinc cap. 20 eorum Patrum sententiam, *si qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicant*, sese non reprobare affirmat: *Si placet*, inquit, *sicut et nobis multum placet, ut etiam istorum sententia ex pietate veniens, propter pacem et venerabilem pietatem honorabilium Patrum non renuatur*. Solum aliam interpretationem, qua redemptio ad electos restringitur, credidit præferendam, propterea quod in sensu jam indicato de efficaci ejusdem effectu accepta verissima sit, et pluribus Patrum ac Scripturæ testimoniis innitatur; ex alia vero sententia metueret ne æquali voluntate ac beneficio redemptio Christi omnibus crederetur impensa et Pelagiano sensu vel Semipelagiano ex meritis vel initiis naturalibus voluntatis hominum, non a divina electione et specialibus Dei auxiliis derivaretur: unde hac de sententia seu interpretatione, quam quarto loco antea descripserat, loquens cap. 13 hanc rationem ejus postponendæ affert: *In quarto autem modo illud sine dubio cavendum, quia et occasionem Pelagianæ pravitati præbet, quod Deum, ut salvet homines humanas exspectare asserit voluntates*. Vides ergo S. Remigium non reprobasse, sed caute potius probasse hanc sententiam, si non malo **687** sensu accipiatur, et solum cavisse ab abusu, ac erroris periculum refugisse: adeo ut, si prævidisset abusum et errorem qui contrario nisu ex alia abs se defensa interpretatione a Jansenistis elicitur, hanc non prætulisset, sed quartam; seu potius utramque recte explicatam, uti nunc catholici faciunt, approbasset, et errores utrinque

impendentes cavendos monuisset. Re igitur cum S. Leone et cum catholico dogmate S. Remigius convenit, licet verbis discrepare videri possit.

28. Tandem de auctore librorum de Vocatione, quem Quesnellus in memorata objectione appellat, nihil opus est addere. Totus enim in eo est ut probet Deum velle omnes omnino homines salvos fieri, eodemque generali sensu cap. 13 lib. II, tradit Christum pro omnibus, etiam *impiis et peccatoribus mortuum, a quorum numero si aliquis liber inventus est, non est pro omnibus mortuus Christus*. Et cap. 31, interpretans illud Pauli II Timoth. IV, 10, de Christo: *Qui salvator est omnium hominum, maxime fidelium*, in verbis *salvator omnium hominum* omnes etiam reprobos generalibus auxiliis et bonitate generali adjutos manifeste complectitur; ab his enim distinguit electos specialibus donis ad salutem perductos, quos verbis *maxime fidelium* potissimum significatos tradit. *Dicendo enim*, inquit, QUI SALVATOR EST OMNIUM HOMINUM, *confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem; adjiciendo autem* MAXIME FIDELIUM, *ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.*

DISSERTATIO TERTIA,

BIPARTITA:

Qua S. LEONI MAGNO *asseruntur* CAPITULA *seu præteritorum sedis apostolicæ episcoporum* AUCTORITATES DE GRATIA DEI ET LIBERO VOLUNTATIS ARBITRIO, *quæ* CŒLESTINO *papæ vulgo tribuuntur; et celebris exceptio de profundioribus difficilioribusque incurrentium quæstionum partibus ad examen revocatur.*

689 PARS PRIMA.

Inter S. Leonis Opera collocamus (*a*) Capitula de gratia Dei et libero voluntatis arbitrio, quæ jam pridem Cœlestino papæ tributa sunt, ejusque ad Gallos epistolæ subjecta. Et hoc quidem plures fortasse erunt qui nimiæ temeritatis arguant, cum id audeamus nullius, quod et fatemur, codicis ms. auctoritate, nullo editionum anteriorum exemplo, nulla cujusquam auctoris seu recentioris, seu antiquioris suffragante conjectura. Audemus tamen, nec consilium nostrum ab illis improbandum esse confidimus, qui hæc Capitula cum genuinis et indubitatis S. Leonis lucubrationibus conferre ac perpendere (quod a nobis non indiligenter præstitum) et conjecturas nostras non occupato animo perlegere studuerint.

I. Capitula hæc variis ab ipso auctore ac aliisque donantur nominibus; modo enim *Auctoritates*, ut in præfatione, nec non in titulo et fine opusculi appellantur; modo *Sententiæ*, ut in eadem præfatione et in postremo capitulo; aliquando *Regulæ apostolicæ sedis*, ut in eodem ultimo capitulo, denique et *compendiosus Indiculus* dicuntur in præfatiuncula. Citantur autem ab aliis sub nomine *Decretorum*, vel *Epistolæ Cœlestini papæ ad Gallos*; ab aliis *Capitula* generaliori vocabulo appellantur.

Atque sub hoc postremo citantur non multo post sexti sæculi initium. Libens enim subscribo doctissimi viri conjecturæ, qui hæc Capitula commemorata existimat a Romano pontifice Hormisda in epistola ad Possessorem, circa annum Christi 520 scripta, cujus 690 hæc sunt verba: *De arbitrio*, inquit, *libero, et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica, sequatur et servet Ecclesia, licet ex variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, abunde possit agnosci; tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa Capitula continentur, quæ si tibi desunt et necessaria credis, destinabimus* (*Epist.* 70 *Hormisdæ PP. ad Possessorem, in fine*). De quibus enim aliis Capitulis hæc intelligerentur? aut quibus clarioribus verbis illa designari possint, quam quibus utitur hic pontifex? Convenit enimvero cum his quæ Leoni asserimus, quod sint *de libero arbitrio et gratia*, cum et titulus et clausula hoc idem expressissime habeant: *Incipiunt* vel *expliciunt præteritorum sedis apostolicæ episcoporum Auctoritates de gratia Dei et libero voluntatis arbitrio*. Convenit 2° quod *expressa* dicuntur *Capitula*, hoc est excerpta ex pontificum Romanorum scriptis vel approbatis ab iisdem decretis. 3° Quod ex illis, quid de gratia Dei et libero arbitrio Romana et catholica sequatur et servet Ecclesia, certo cognosci possit. 4° Quod nulli a pontificibus Romanis nominatim tribuantur. 5° Quod in scriniis ecclesiasticis contineri dicuntur; antequam enim ea codici suo inseruisset Dionysius Exiguus, nullus codex ea legitur habuisse, sed in scriniis tantummodo asservabantur Ecclesiæ Romanæ, unde et a Dionysio abbate descripta sunt.

Sed, quod extra controversiam est, citata circa idem tempus reperiuntur a Petro Diacono aliisque, qui in causa fidei ex Oriente Romam missi sunt, *Lib. de Incarnatione et Gratia D. N. Jesu Christi ad Fulgentium cap. ultimo*. Exin a Cresconio episcopo Africano, in fine suæ collectionis canonum circa annum Christi 690 emissæ, eidem ascriptum pontifici legitur. Tum 691 denique posterioribus sæculis a Floro magistro, Ecclesiæ Lugdunensis nomine adversus Joannem Scotum Erigenam scribente: *Inde est*, inquit, *illa ecclesiastica et fidelissima definitio, quam beatus papa Cœlestinus ponit in decretis suis dicens*: « Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, etc. » Ab Hincmaro Remensi lib. de Prædestinatione, cap. 22, pag. 126, 130, cap. 22, pag. 133, epilogi cap. 5 pag. 379. Item beatus Lupus Ferrariensis abbas in Collectaneis, quæst. 2, Cœlestino quoque opusculum istud vindicat; ad cujus commendationem facit, quod eam ob causam Cœlestinum magnis doctoribus accenset. *Cœlestinus etiam papa*, inquit, *magnis annumerandus doctoribus, de libero arbitrio, ut tantum pontificem decuit, universos instituit. Ex ejus decretis verba hæc sunt: In prævaricatione*, inquit, *Adæ omnes homines possibilitatem et innocentiam perdidisse*, etc. Plura deinceps ex Capitulis 1, 2, 3, 4 et 5, refert. Remigius episcopus Lugdunensis cum sua Ecclesia in lib. de tribus Epistolis cap. 25, et in libello de Absolutione quæstionis, etc. Mitto Yvonem aliosque plurimos auctores, qui Capitula Cœlestino asseruerunt. Quibus omnibus præiverat Dionysius Exiguus abbas Romanus, qui codicem decretorum Ecclesiæ Romanæ conficiens seu ordinans, circa annum Dom. 500, Cœlestini decretis Capitula ista inseruit, occasionemque errandi præbuit posterioris ævi scriptoribus, qui eadem Cœlestini nomine laudarunt.

II. Ut enim a Cœlestino conscripta esse non credantur, tot licet contradicentibus testibus, plurima momenta persuadent, ex quibus emunctioris naris

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Contrarium statuetur in subjectis observationibus num. 6.

scriptores jam pridem alium istarum sententiarum A auctorem esse subodorati sunt.

Ita siquidem præsensit jam a centum et quinquaginta annis Joannes Wendelstinus, qui codicem canonum et decretorum pontificiorum Dionysiano non multum absimilem edidit Moguntiæ a. 1525. Indubitanter enim margini hanc notam ascripsit : *Hæc undecim capitula sequentia non sunt Cœlestini papæ, sed ab alio interposita.* Hanc censuram aliquo modo temperatam in conciliorum collectionibus transcripserunt qui has edendas post Merlinum procurarunt, Crabbius a. 1538, Surius a. 1551, et Nicolinus a. 1581. *Sequentia undecim Capitula*, inquiunt, *videntur potius ab alio quopiam interposita, quam esse ipsius Cœlestini papæ.* Cœlestino pariter abjudicant eminentissimi doctissimique cardinales Antonius Carafa et Cæsar Baronius; hic ad annum Chr. 431, ille in collectione epistolarum decretalium, quæ ab eo curata, post ejus mortem Romæ prodiit a. 1591, et Innocentio PP. IX dicata. Quibus adde Franciscum Suarezium in prolegom. 6 de Gratia, cap. 1, num. 11, Jacobum Sirmondum in notis ad tom. I Concil. Gall., et Gerardum Vossium lib. I Histor. Pelagianæ cap. 50, qui tamen ultimus partim Cœlestini, partim Gallorum **692** S. Augustini discipulorum esse putat Capitula : quia videlicet ab his collecta oblataque Cœlestino, hujus nomine et auctoritate postea publicata sunt.

2. Si Cœlestini essent et ab eodem epistolæ suæ ad Gallos subjecta, quomodo circumferuntur, aliquam proculdubio eorum mentionem ipse habuisset, cujus tamen ne apex quidem illorum meminit. Non etiam hanc epistolæ apposuisset clausulam : *Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi :* quæ finem epistolæ Cœlestinianæ demonstrat.

3. Cum S. Prosper collatorem exagitans omnia adversus eum tum conciliorum, tum pontificum Romanorum suffragia aggerat; eumdemque urgeat auctoritate non solum Innocentii, Zosimi et Bonifacii, sed et ipsius Cœlestini: nefas est suspicari quidquam C ab eo auctore omittendum fuisse e decretis a sede apostolica contra adversarios gratiæ promulgatis. Cœlestini porro unicam commemorat, quæ est ad Gallos, epistolam : quæ utut auctoritatem doctrinamque Augustini de gratia Christi mirum quantum efferat, de doctrinæ tamen ipsius articulis probationibusque prorsus silet : at pene prævaricationis reum dixerim tantum virum, si pressisset silentio tam egregiam auctoritatum congeriem, quæ ex apostolica sede emanans, tam strenuum gratiæ non potuisset latere defensorem, qui illam Romanæ Ecclesiæ auspiciis propugnabat.

4. Vincentius Lirinensis presbyter et monachus plurimum laudans eamdem Cœlestini epistolam Commonitorii sui adversus hæreses cap. ult., sed et Photius patriarcha Constantinopolitanus longe posterior eam in Bibliotheca recensens in hæc verba : *Scripsit quoque ad episcopos Galliarum de fide S. Augustini ;* pari uterque silentio præterit dicta Capitula : quod D argumento est neutri scriptorum illorum ea fuisse comperta, saltem ut Cœlestini papæ opus.

5. Non eum loquendi modum hujus compilationis auctor, nec eam auctoritatem usurpat, quæ summum pontificem præseferant. Pluries enim allegans Romanæ Ecclesiæ præsules, Innocentium puta, et Zosimum, nusquam eos prædecessores suos appellat ; quod maxime tamen fieri solet tum a cæteris pontificibus Romanis, tum ab ipso Cœlestino in illa ad Gallos epistola. Deinde ita passim loquitur ut pontificum Romanorum et scriptorum etiam aliorum se prodat discipulum, nedum pontificem Romanum : exempli gratia : *Nos piissimi patres docuerunt; apostolicæ sedis nos scripta docuerunt; magistris nostris obloquuntur.* Et alibi se alium a præsule Romano demonstrat, cum de hujus sedis episcopis ait : *Sacratissima beati apostoli sedes per ministerium præsulum suorum*, etc. : *rectores Ecclesiæ Romanæ ; apostolici antistites.*

6. Si pro parte vel appendice litterarum Cœlestini papæ habita tunc essent ejusmodi Capitula, itane pudorem omnem abjecisset Vincentius Lirinensis, ut pro se suisque scriptum esse a Cœlestino in illis litteris **693** tam grandi tuba personaret, ut fecit in suo commonitorio? Qui enim ausus est novitatis notam Augustini adversariis a Cœlestino inustam in sancti doctoris discipulos rejicere, veritus esset, ne tam apertis definitionibus Capitulorum, quibus suorum Massiliensium et Lirinensium errores sæpius proscribebantur, revinceretur ac impudentis argueretur mendacii.

7. Omnibus, ut jam dixi, erroris occasionem dedit Dionysius Exiguus, cum epistolæ Cœlestini annexuit Capitula quæ discutimus; ex ipso enim Cresconius, Petrus diaconus, omnesque boni sæculi B scriptores, qui pro Christi gratia decertarunt. At si curiosius inspiciatur codex Dionysii, nihil deprehendetur ex quo statuere liceat Capitula ista partem esse epistolæ S. Cœlestini; e contra vero hoc fuisse Dionysii consilium ; ut unum ab altero discerneret, clamant ipsius codicis series et affectatæ discriminis notæ, quæ in eo conspiciuntur. Quoties enim unius pontificis scripta ab alterius scriptis secernere vult, hunc semper titulum initio primi decreti seu epistolæ præponit : INCIPIUNT DECRETA N. PAPÆ ; quem non repetit initio subsequentium ejusdem pontificis decretorum seu epistolarum. Hanc porro distinctionis notam legere est in fronte Auctoritatum de gratia : INCIPIUNT PRÆTERITORUM SEDIS APOSTOLICÆ EPISCOPORUM AUCTORITATES DE GRATIA DEI. 2° Initio cujusque ejusdem pontificis epistolæ auctoris nomen nunquam omittitur : Cœlestini autem nomen in capite sententiarum de gratia non apparet; ex quo conjicio auctoris nomen vel ignorasse Dionysium, vel ex consilio omisisse. 3° Majorem etiam discriminis notam huic scripto apposuit, quam aliis diversorum pontificum epistolis ; legimus enim in fine Capitulorum hanc clausulam : EXPLICIUNT PRÆTERITORUM SEDIS APOSTOLICÆ EPISCOPORUM AUCTORITATES DE GRATIA DEI ET LIBERO VOLUNTATIS ARBITRIO : omisso ubique Cœlestini nomine. Quæ clausula similisve nec in fine totius codicis reperitur : ut videatur omnem erroris viam circa sententias illas tanta diligentia præcludere voluisse; nec aliam ob causam commonitorium istud epistolæ Cœlestini annexuisse, quam quia noverat occasione hujus epistolæ fuisse exaratum, simulque Prospero traditum.

8. Juvat et octavum argumentum sumere ex codice nostro antiquo Romano; cum enim omnes seu dogmaticas seu decretales pontificum Urbis epistolas, et inter alias quæ Cœlestini papæ sunt, collegerit, conjeceritque auctor in codicem, epistolam tamen ad Gallos de Prospero et Hilario omisit. Cur ita, nisi quia nihil dogmatis vel disciplinæ continebat? Continuisset autem dogmatis plurimum, si pars epistolæ essent Capitula. **694** Nulla enim fere est in toto codice epistola, quæ de uno aliquo doctrinæ catholicæ capite plura, accuratiora, omnimode meliora habeat. Non igitur pro Cœlestini decreto agnita est Leonis tempore, a quo prædecessorum suorum decreta codici inserta alibi conjicio. Dionysius vero qui epistolas S. Leonis omissas in antiquo codice, in suo supplevit, supplevit etiam capitula de gratia, quibus et epistolam in gratiam S. Augustini discipulorumque scriptam præfixit.

III. Ex quæstionum quæ (*a*) a Prospero et ab auctore Capitulorum ventilantur affinitate, atque ex ipso etiam tractandi modo nata est aliorum conjectura seu potius sententia, qui opusculum istud

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Prospero citius tribuenda hæc Capitula, et qua occasione scripta leges in observ. n. 7 et 8.

Prospero nuncuparunt. Ita enim legimus in editione collectionis epistolarum decretalium Romæ procurata a doctissimo cardinale Antonio Carafa et in Biniana conciliorum : *Non videtur dubitandum quin sequentia sint Prosperi, tam sunt similia et argumento et stylo ejus scriptis. Libro certe contra Collatorem capita quædam attingit non, dissimiliter atque hic leguntur.* Non alia quoque scripta in mente habuisse, quam quæ his Capitulis continentur, viro erudito visus est Hincmarus, cum in libro de non Trina Deitate (*Pag.* 42 *tom.* I *edit. Sirmon.*) allegat *decreta Cœlestini papæ, ex cujus delegatione beatus Prosper hinc exortam hæresim per auctoritatem Scripturarum et doctrinam B. Augustini revicit et compressit in Galliis.* Unde hujus suspicionis auctor latissimum excogitavit discrimen inter Opera quæ privato catholicæ doctrinæ propugnandæ zelo per semet aggressus est Prosper, et eam quasi fidei formulam, quam ab eodem pontificis Romani vice ac delegatione conscriptam putat. In illis videlicet quasi liberiori ingenio et calamo indulgentem abstrusiores quascumque de gratia et prædestinatione quæstiones fusius expendisse; in hac vero perpauca, eaque omnibus pene obvia, vix attigisse, ne ab ea brevitate quæ fidei professionem decet maxime longius discederet.

Verum ut conjectationi huic non assentiar facit 1° quod ea quæ (*a*) de delegatione Prosperi trahuntur ex verbis Hincmari ad isthæc Capitula, non satis firmo nituntur fundamento. Etsi enim in confesso est Prosperum a sede apostolica delegatum esse ad propugnandam Ecclesiæ catholicæ de gratia Christi doctrinam, nimis tamen constringitur illa delegatio, si ad pauca hæc brevissimaque Capitula fuerit coarctata : cum ex ipso Prospero in præfatione Responsionis ad objectiones Vincentianas longe plura ab eo discamus esse conscripta adversus gratiæ inimicos ex mandato sedis apostolicæ, atque adeo hæc ipsa, in quibus profundiores quæstiones ventilasse dicitur; ita ut pene **695** certum sit, quidquid scriptorum de gratia evulgavit sanctus Prosper, saltem post Romanam profectionem, id omne ex Romanorum pontificum præscripto ab ipso editum fuisse, et quasi fidei portionem assertas ab eo esse propositiones illas quas libris suis adversus Semipelagianos defendit. Sic enim scribit : *Propositis singillatim sedecim Capitulis, sub unoquoque eorum sensus nostri et* FIDEI QUAM CONTRA PELAGIANOS EX APOSTOLICÆ SEDIS AUCTORITATE DEFENDIMUS (*Præf. Resp. ad objectiones Vincentianas*). Ex quibus evanescit discrimen illud Prosperi nunc privatim, nunc publice; nunc ex proprio ingenio, nunc ex auctoritate sedis apostolicæ pugnantis; isthic arduas quasque quæstiones excutientis, illic abstinentis ab abstrusioribus. Passim enim et ubique in aliis scriptis eadem arte, iisdem armis, eadem Ecclesiæ auctoritate munitus pugnat et vincit : nullis non se immiscet quæstionibus, quæ ad gratiam spectant, etiam difficilioris ac subtilioris inquisitionis, nec illis tantum, quibus sese theologus exerceat, sed et iis quibus adhærere necessitas incumbit Christiano, si cum Ecclesia sentire velit, ut ex relatis fit manifestum. Deinde ad Hincmarum quod attinet, nec in eo quidem loco, qui profertur, delegationem Prosperi ad Capitula ista vel scribenda, vel promulganda refert, sed ad ea potius omnia quæ reversus in Galliam vel scripsit vel disseruit. De his enim solum opusculis loquitur Hincmarus in quibus Prosper *hæresim per auctoritatem Scripturarum et doctrinam B. Augustini revicit et compressit in Gallis.* At nullo e Scripturis, nullo ex Augustini doctrina sumpto argumento pugnat auctor Capitulorum, sed ex sola Ecclesiæ Romanæ auctoritate, partim in pontificum decretis, partim in Africanis decretis, quæ sua approbando fecerat, partim denique in solemnibus ejusdem precibus cæremoniisque contenta. E contra vero pluribus aliis locis de Prosperi delegatione ita sermonem facit, ut numquam eum non legati persona indutum, numquam non legationis jure et auctoritate scribentem inducat. Hinc in opere de Prædestinatione cap. 1, et eodem sensu lib. de non Trina Deitate (*Pag.* 15 *edit. Sirmondi*) : *Instantia Prosperi ex delegatione ipsius sanctæ universalis Ecclesiæ*, redargutos convictosque dicit fuisse hæreticos. Hinc *ex delegatione apostolicæ sedis incomposita in Gallicis regionibus ab eo composita*, dicit ex præfatione ad Vincentianas objectiones. Hinc capite 3 ejusdem operis eumdem Prosperum vocat absolute *legatum Romanæ Ecclesiæ, fidelemque ejus interpretem.* Et sub finem ejusdem libri, qui de prædestinatione Dei aliter sentire voluerit *quam beatus Prosper ex delegatione sedis apostolicæ jussu sancti Cœlestini definivit*, indicat sane eum non sentire : quod ad Capitula, quæ de prædestinatione nihil expresse habent, trahi nequaquam potest. Denique nec isto loco, nec in ullo alio Hincmarus ascribit Prospero Capitula : quæ sexcentis locis inter decreta Cœlestini ab eo numerantur, eoque nomine laudantur.

696 IV. 2. Minime videtur hujusmodi scriptum nomine et auctoritate seu Cœlestini, seu cujusquam pontificis Romani, prodiisse, sed ab homine privato, vel privatum hominem induente fuisse exaratum, non ut publicam et auctoratam fidei regulam, sed ut privatum doctoris catholici commonitorium, fidem quidem Ecclesiæ inquirentis, elucidantis, exhibentis, non tamen auctoritate apostolica promulgantis. Ubique enim auctor ille pacifici conciliatoris personam, et *compendiosi indiculi*, ut ipse loquitur, collectorem agit, non publicum edicti ecclesiastici præconem; refert præteritorum Romanæ sedis antistitum Auctoritates, non præsulis tunc sedentis auctoritatem circumfert : et magis instruere videtur errantem amicum, quam Ecclesiam docere universam. At ea non est tractandi ratio Prospero familiaris, qui numquam non scribit, nisi ut conductus Ecclesiæ Patronus, totamque ejus veritati propugnandæ circumducens auctoritatem; quod nequaquam in auctore illo reperire est, qui sic loquitur : *Necessarium*, inquit, *fuit inquirere*, etc., *ut plenius qui in aliquo dubitant instruantur, constitutiones sanctorum Patrum compendioso manifestemus indiculo. Quod si quis non est nimium contentiosus, agnoscat*, etc.

3. Auctor Capitulorum aperte satis indicat se contra hæreticos publice saltem et ex professo non dimicasse, cum loquens de iis qui *profundiores difficilioresque partes incurrentium quæstionum latius pertractarunt restiteruntque hæreticis*, et Augustinum Prosperumque quasi digito monstrat, et se ab iisdem hac in parte secernit. Et alibi : *Magistris nostris, tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur.* Quod Prospero nequaquam convenire sole clarius est.

V. Quem ergo dicemus scripti hujus auctorem? Ego certe non alium putaverim ab eo qui duos de Vocatione omnium gentium libros conscripsit, quos superiori dissertatione sanctissimo pontifici nostro vindicavimus. A Leone, inquam, compactum esse compendiosum hunc indiculum prorsus existimo, non ex quo ille pontificatum gessit, sed per id temporis quo diaconi solummodo fungens munere, Cœlestino PP. rerum ecclesiasticarum minister aderat : quo tempore et ipsum Cassianum ad Ecclesiæ mentem reducere satagebat, et geminum de Vocatione omnium gentium libellum scripsisse a nobis creditur. Præterquam quod enim vix ullus per illam ætatem occurrit cui hoc opusculum attribuere queas, cum Prospero adimis, nisi Leo noster seu auctor libri de Vocatione omnium gentium : tam idem ingenium consiliumque, tam eumdem in utroque illo opere deprehendere mihi videor, ut nihil similius modo menti occurrat.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) De hac præsumpta delegatione Prosperi vide observ. n. 7.

Primum enim utriusque illius scripti scopus hic A est : ut quid præcise ab homine catholico credi oporteat circa prædestinationis gratiæque divinæ mysterium, sepositis abstrusioribus quæstionibus, fixum habeatur; **697** quid in hac materia occultum sit, quid manifestum; qui limites disserendo sint attingendi, nec transiliendi. Eo unice collimat auctoris utriusque operis intentio, ut legenti tum ea quæ subjicimus, tum alia permulta quæ omittimus, perspicuum fiet.

Lib. I de Vocatione omnium gentium, cap. 1 : *Contrariarum disputationum nullus terminus reperitur, dum non discernitur quid manifestum, quid sit occultum. De hac igitur compugnantia opinionum, qua mensura et temperantia sentiendum sit, quantum Dominus adjuverit, annitar inquirere... ut non solum nobis, sed et aliis utile sit ad aliquem nos limitem pervenisse quem non debeamus excedere.* Similia habentur ejusdem libri cap. 14, et lib. II cap. 1, 9, 10, 22, etc.

Auctor indiculi idem consilium prodit in præfa- B tione sua, ubi se ea occasione scripsisse significat, quod nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, *Magistris tamen nostris*, inquit, *tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur*. Et postea : *Quod si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat et dicat*. Et in fine : *Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere : quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos scripta docuerunt; ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.*

Quamobrem istum sententiarum indicem eodem fere tempore, eodemque consilio scriptum esse crediderim, quo opusculum de Vocatione omnium gen- C tium. Unus idemque est utriusque scopus; non eadem tamen via illuc tenditur ab utroque. In illo siquidem de Vocatione omnium gentium opusculo, divinis potissimum Scripturæ sacræ testimoniis utitur, ad eumque velut Lydium lapidem quaslibet quæstiones examinat : in hoc vero indiculo ecclesiastica tantummodo auctoritate conciliorum, pontificum Romanorum, et (quod ad cumulum adjicit) rituum precationumque sacerdotalium, rem totam conficit. Quamobrem unum istorum opusculorum alterius esse supplementum, facile adducor ut credam. Priore enim adversarii ex Scripturis expugnati, in apostolicæ sedis auctoritatem velut in arcem se receperunt, ex qua posterioris hujus opusculi ope dejiciuntur. Ut igitur conjecimus geminum illum libellum a sancto Leone tunc diacono editum esse, ut amico suo Cassiano, ejusque asseclis Pelagiana lue, aliqua ex parte, laborantibus, succurreret; ita et hunc existimamus contextum ab eodem fuisse Auctoritatum indicem; D ut qui adhuc ex pontificum Romanorum doctrina, quam jactabant suam, dimicabant, ex eorum auctoritate **698** revincerentur. Quibus perspectis, Cassianum sibimet silentium imposuisse et mentem mutasse, facile credo, tum quod alias ad propugnandam Ecclesiæ de incarnatione Domini doctrinam adversus Nestorium eum non impulisset Leo, nisi jam tum erroris abjiciendi spem dedisset; tum quia Romanæ sedi addictissimus semper fuit Cassianus.

VI. 2. In utroque opere Semipelagiani magis quam Pelagiani impugnantur, sed eadem pariter sobrietate, eademque modestia. Uterque asperioribus verbis abstinet : neuter iis quos instruit, hæreticum nomen impingit; sed eos tantum *liberi arbitrii defensores ac voluntatum patronos*, uterque in præfatione appellat. Uterque sancti Augustini nomen auctoritatemque reticet, idque ex consilio, eo quod Semipelagiani Augustinum suggillarent, tamquam qui necessarium modum de gratia disputans excessisset : tantum abest ut ejus se subdere auctoritati parati essent. Quapropter omisso ad tempus causæ patrono, patroni causam suscepit ex conciliorum pontificumque Romanorum auctoritate defendendam, aliam iniens viam ab ea quæ a Prospero calcata fuerat, quam quidem, infensis nimirum Augustino Semipelagianis, iisdem subvertendis magis quam convertendis idoneam esse expertus fuerat.

Utramque hanc probationem confirmat, quod in præfatione Capitulorum legitur in hunc modum : *Ut ergo plenius qui in aliquo dubitant instruantur, constitutiones sanctorum Patrum compendioso manifestemus indiculo.* Frustra enim pleniorem hanc instructionem vocat, nisi ad aliam respiciat cui accederet, quæ nimirum auctoritatem conciliorum pontificumque Romanorum desiderabat. Hæc enim sententiarum series compendiosa est et brevis, ut ipse eam appellat auctor, nedum plena et plenior, nisi fusioris alicujus operis veluti pars aut appendix esse cogitetur. Aliud porro nullum nunc superest præter geminum de Vocatione omnium gentium libellum. Prosperi enim lucubrationes eadem quæ in indiculo reperiuntur continent fusiori sermone explicata.

VII. 3. Quod argumentum ab ecclesiasticis precibus desumitur capitulo seu sententia 8, pro astruenda gratiæ necessitate, idem prorsus adducitur lib. I de Vocatione gentium cap. 12, si non iisdem omnino terminis, sed eodem tamen ingenio, et contextura sermonis eadem.

Lib. I *de Vocat. gent. cap.* 12.	*Capitulo* 8.
« De hac ergo doctrinæ apostolicæ regula, qua Ecclesia universalis imbuitur, ne in diversum intellectum nostro evagemur arbitrio, quid in ipsa universalis Ecclesia sentiat, inquiramus, etc. **699** Præcepit itaque Apostolus fieri obsecrationes... Quam *legem supplicationis* ita omnium sacerdotum et omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit in qua hujusmodi orationes non celebrentur a populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Dei non solum pro sanctis et in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus et inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Judæis quorum cæcitati lumen Evangelii non refulget, pro hæreticis et schismaticis, qui ab unitate fidei et charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, et de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt, malæ consuetudinis pondere oppressi,	« Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur : *ut legem credendi lex statuat supplicandi*. Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam; et tota secum congemiscente Ecclesia postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cœlestis aula misericordiæ reseretur. Hæc autem non perfunctorie, neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus : quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii charitatis suæ, et ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ

et diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas evincere valent; misericors et justus Dominus pro omnibus sibi vult supplicari: ut cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse, quod ut præstaret oratus est; et gratias agentes pro his qui salvi facti sunt, speremus etiam eos qui nondum illuminati sunt eodem divinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum, et in regnum Dei, priusquam de hac vita exeant, transferendos. »

Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur. »

Quibus in verbis multiplex tum rerum, tum vocum similitudo facile deprehenditur. Nam 1° uterque publicam hanc supplicandi legem ab apostolis traditam agnoscit; 2° uterque per universam Ecclesiam concorditer custodiri asserit; 3° uterque similem et uniformem supplicandi ubique ritum observat; **700** 4° neminem a supplicatione repelli, immo pro omnibus etiam infidelibus, idololatris, Judæis, etc., preces fundi; 5° sacerdotibus in ea supplicatione totam congemiscere Ecclesiam, nec a præsulibus plebem divelli; 6° ex Ecclesiæ supplicationibus argui gratiæ divinæ necessitatem. 7° Ex actione gratiarum eamdem evinci; 8° Quemcumque videmus peccati laqueis eximi, hoc totum divini operis esse, et divinæ gratiæ opere præstari; 9° legem supplicandi legimus in capitulo 8, legem supplicationis in cap. illo 12 lib. de Vocatione gentium; 10° in hoc celebrare orationes, in illo obsecrationum sacramenta celebrare. 11° Primus ait: *Quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii charitatis suæ;* alter, *eximendos de potestate tenebrarum, et in regnum Dei transferendos.* 12° Uterque eodem ordine infideles, idololatras, Judæos, hæreticos et schismaticos, pro quibus oratur, distinguit et numerat, et pro iisdem conversionis, fidei et charitatis dona postulari dicit. 13° Uterque gratiam conversionis per illuminationis et illuminandi voces exprimit, quod et S. Leoni familiare est.

VIII. 4. In utroque illo opere duplex statuitur classis eorum qui in hæreticorum sensibus demorabantur, quorum alii ex imperitia, alii ex pravitate, iisdem inhærebant: ita capitulo 1, epistolæ vero ad Demetriadem cap. 10. Hoc eos (Semipelagianos) aut nimis imperite, aut valde nequiter fecisse non dubium est.

5. Stylus utriusque scripti simillimus est. Eædem dicendi formulæ, eædem voces utrique familiares; quales sunt istæ: sacratissimus, contradictio, pravitas, rectus et pravus, magistri pro doctoribus, disputator, rectores, opitulatio gratiæ, auctoritates, hæreticorum sensus, exordia, incrementa, probabilia studia, divini operis esse, otiosus, regula, cooperatores gratiæ, incurrentes, uniformiter, intuitus, inviolabiles sanctiones, erutus de potestate tenebrarum, naturalis possibilitas, profundum, etc.

Cum aliqua seu Scripturæ seu sanctorum Patrum loca utrique alleganda veniunt, his ferme utitur uterque formulis: *Pronuntiante atque dicente; Protestatur dicens*, etc.; *nos instituit dicens*, etc.

Capitulo 9 sic habetur: *Agit quippe in nobis ut quod vult et velimus et agamus; nec* OTIOSA *in nobis esse patitur, quæ* EXERCENDA, *non negligenda donavit, ut et nos* COOPERATORES SIMUS GRATIÆ DEI. Quibus similia leguntur in lib. II de Vocat. gent. cap. 35: *Frustra*, inquit, *dicitur, quod ratio operandi non sit electis, cum etiam ad hoc ut operentur electi sint. Virtutum quippe* MUNERA OTIOSA *esse non possunt.* Et cap. 26: *Ad hoc*, inquit, *prædictis voluntas est excitata præsidiis, ut* A *divino in se* COOPERETUR OPERI, *et incipiat* EXERCERE *ad meritum, quod de superno semine concepit ad studium.* De jejunio septimi mensis, serm. 1, cap. 2: *Cesset iniquitas, sed non sit* OTIOSA *justitia... Sub oculis justi judicis sumus,* **701** *novit quantam unicuique bene operandi dederit facultatem. Non vult* OTIOSA ESSE MUNERA SUA. Serm. 5 de Epiphan. cap. 3: *Considerantes ineffabilem erga nos* DIVINORUM MUNERUM LARGITATEM, COOPERATORES SIMUS GRATIÆ DEI OPERANTIS IN NOBIS. Serm. 6 de Nativit. cap. 4: *Ipse qui dedit velle, donabit et posse, ut simus* COOPERATORES OPERUM EJUS. Serm. 9 de Passione cap. 3, COOPERATORES *audaciæ*. Lib. I de Vocat. gentium cap. 23: *Quod totum sive* PER COOPERATORES GRATIÆ, *sive per subministrationem spiritus ille inchoat, ille auget*, etc. Epistolæ ad Demetriadem c. 1: COOPERATORES DEI *opportune piam adhibuere culturam.* Et cap. 15: *Nec superbos nos vult esse, nec desides;* COOPERATORES NOS ESSE OPORTET GRATIÆ DEI.

B Capitulo 9: *Quo utique auxilio et munere Dei non auferiur liberum arbitrium, sed liberatur; ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.* Jam notavimus in superiori dissertatione quam familiaris sit Leoni nostro hæc orationis constructio, in qua plures antitheses congeruntur, relegato ad finem verbo quod sensum impleat. Exempla ex plurimis pauca habes sub num. 24, adhuc nonnulla accipe: Serm. 4 in Annivers. assumpt. cap. 5: *Mæstitudines in lætitiam, labores in requiem, discordiæ vertuntur in pacem.* Serm. 7 in Nativit. Dom. c. 2: *De impiis justi, de avaris benigni, de continentibus casti, de terrenis incipiunt esse cœlestes.* Serm. 6 de Quadrages. cap. 2: *Plurimos novimus in optimos mores transisse de pessimis; ex ebriosis sobrios, ex crudelibus misericordes, ex rapacibus largos, ex incontinentibus castos, ex ferocibus factos esse tranquillos.*

C Nec in descriptis supra capituli 9 verbis sola structura observanda est velut Leoni familiaris; sed vix apex ullus est qui stylum Leonis non referat, nullum verbulum quod sibi quasi proprium non fecerit pontifex noster, præsertim quoad epitheta, quibus hominis arbitrium seu peccato vitiatum, seu gratia Christi sanatum exprimit. Quam frequenter enim vox *tenebrosus* ab eo usurpetur, agnosci potest ex locis superiori dissertatione relatis, quibus et hæc duo adde. Epist. ad Demetriadem cap. 14: *De vero lumine tenebrosæ jam et deficientes lucernæ lumen accipiunt.* Serm. de sancto Laurentio, cap. 1: *Tenebrosus error.* Cum etiam *lucidum* arbitrium dicit post justificationem, Leoni concinit, qui solet lucis nomen usurpare, ut gratiæ effectus describat: unde *illuminatæ mentes, illuminans, illuminatum*, etc. Hinc gratiam per participationem Dei definiens, lib. I de Vocatione gentium cap. 8: *Sine hoc bono*, inquit, *nihil est bonum, sine hac luce nihil est* LUCIDUM, *sine hac sapientia nihil* SANUM, *sine hac justitia nihil* RECTUM.

D Ubi et duo alia vides arbitrii epitheta *sanum* et *rectum;* quo ultimo, cui *pravum* opponatur, nihil apud Leonem frequentius. Denique vox *providum* **702** sæpe sæpius apud Leonem habes, ut *provide monere*, serm. 4 de Quadrag. cap. 5; *provide præesse*, de Jejunio septimi mensis serm. 5 cap. 1; *provida auctoritas*, serm. 6 de Passione cap. 2; *providus rector*, in epist. 103 ad Proterium cap. 3.

Pelagiani et Semipelagiani in utroque opere appellantur liberi arbitrii defensores, lib. I de Vocatione omnium gentium cap. 1. Prima verba hæc sunt: *Inter defensores liberi arbitrii et prædicatores gratiæ Dei magna et difficilis dudum vertitur quæstio.* Et capitulo 1: *Quid contra nocentissimos liberi arbitrii defensores . . . censuerint.*

In capitulo 5: *Quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit.* Lib. I de Vocatione gentium cap. 24: *Quod omnia bona quibus placetur Deo, dona sint Dei.*

In capitulo 6 hæc leguntur: *Quia per illum aliquid*

boni possumus, sine quo nihil possumus. Sanctus Leo, epist. 2 (*nunc* 167) ad Rusticum, in præfat. : *Sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possumus.* Serm. 11 de Quadrages. cap. 4 : *Ut sine quo nihil possumus facere, per ipsum omnia valeamus implere.*

Frequens in Leone usus vocum istarum *otiosus*, et *intuitus*, quæ capitulo 9 occurrunt eo ordine dispositæ, quem affectat sanctus Doctor. Aliquot exempla hic habes, plura sponte occurrent.

Non otioso contemplemur intuitu; capitulo 9.

Non otiosa transire decursu; serm. 1 de Ascens.

Non otioso capiamus auditu; serm. 12 (*nunc* 13) de Pass. cap. 1.

Spiritali attingat intuitu; serm. 6 in Nativitate.

Corporeo non videntur intuitu; serm. 2 de Ascensione, cap. 1.

Si ad illos dirigas mentis intuitum; lib. I de Vocat. cap. 17.

Sobrii cordis adhibeatur intuitus; lib. II de Vocat. cap. 21.

Tranquillo consideretur intuitu; lib. II de Vocat. cap. 31.

Puriorem exigit mentis intuitum; serm. 5 de Pass. cap. 1.

Ex superiori etiam dissertatione observandum cum pluribus Leonis locis convenire, quod habetur capitulo 1. *Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet qui solus est bonus.* Vide num. 24.

IX. Hæc sufficiant, ut Leoni restituatur præclarus iste testimoniorum delectus, qui ut daretur Cœlestino, Dionysii Exigui unius codex festinanter nimium inspectus in causa fuit. Etsi vero ex Dionysio male assertum dicam Cœlestino opusculum istud; ex eodem tamen non male arguas quadam tenus ad Ecclesiam Romanam pertinuisse, in eaque natum. Ut quid enim inter decreta pontificum recensitum insertumque est; ut quid epistolæ Cœlestini annexum, licet et ab ea discretum, et Cœlestini nomine non inscriptum; nisi quia Cœlestini tempore et **703** C jussu confectum esse sciebatur, ab eoque concinnatum penes quem eo tempore, propter archidiaconi munus, præcipua ecclesiasticarum rerum cura scriniorumque sedis apostolicæ custodia credita erat, et ad quem propter singularem doctrinam deferebatur quidquid rerum hujusmodi scribendum erat in Ecclesia Romana? Quæ quantopere sententiam nostram adjuvent, nemo non videt : siquidem ex Cassiano constat eo tempore archidiaconi munere functum Leonem esse in Ecclesia Romana.

Quamobrem quæ affinitas reperitur inter hæc Capitula et caput 10 libri contra Collatorem, ubi eadem adducuntur testimonia pontificum Innocentii, Zosimi, et Africanorum; non inde nata est, quod ab eodem Prospero utrumque opusculum (quæ docti Norisii conjectura est) concinnatum sit, sed quod indiculus traditus Prospero Roma redeunti, ob ejus oculos versatus sit, dum in Galliis scribebat adversus Collatorem : eo quippe consilio datus erat, ut esset ei velut commonitorium, ex quo quid responderet Massiliensibus auctoritatem sedis apostolicæ opponentibus assumeret; quod et fecit. Enimvero si pro authentico sedis apostolicæ decreto habitum esset scriptum istud, vel eo fine ut in publicum prodiret, fuisset conditum Romanæ Ecclesiæ nomine, essetne a Prospero neglectum omissumque; an non potius cum laude protulisset, sive eo loco ubi eadem testimonia in medium adducit, sive alibi cum Semipelagianos exagitat?

X. Jam vero quo tempore, qua occasione conscripta fuerint hæc Capitula, unde Cœlestino tributa, ejusque annexa epistolæ, ita conjectamus. Cum post S. Augustini mortem, quæ anno Christi 430, mense Augusto, contigit, Gallicanorum presbyterorum, immo et episcoporum nonnulli adversus sanctissimi gratiæ doctoris vehementius insurrexissent, quasi resumptis ex fortissimi Ecclesiæ pugilis morte viri- A bus, Prosper et Hilarius Augustini doctrinæ sequaces Romam se contulerunt, sedis apostolicæ opem et auctoritatem adversus magistri sui catholicique dogmatis æmulos imploraturi. Romanam tunc Ecclesiam regebat Cœlestinus, cui Leo archidiaconus egregiam in administrandis rebus ecclesiasticis navabat operam. Exposita Prosper profectionis suæ causa, litteras accepit a Cœlestino ad episcopos Gallicanos deferendas, quibus mirum in modum commendantur S. Augustini memoria et doctrina, atque ab adversariorum contumeliis vindicantur. Porro inter presbyteros Gallos a quibus Augustiniana doctrina infamabatur, Cassianus eminebat et pietatis professione, et scribendi facilitate, quem ut cæterorum primipilum, et libelli de Protectione Dei auctorem indicavit pontifici Prosper, qui et hanc provinciam a sede apostolica suscepit, ut adversus illius scripta stylum exereret; quemadmodum ex præfatione responsionis ad objectiones Vincentianas colligitur. B Jam multoties doctrina catholica adversus istas Pelagianorum reliquias asserta, et ex Scripturarum **704** sanctarum auctoritate confirmata fuerat. Sed hoc præsertim tunc temporis argumento et causam suam defendebant, et S. Augustini impetebant doctrinam, quod hæc saluberrimæ Romanæ sedis doctrinæ adversaretur, illiusque decretis : *Quæ sacratissima beati apostoli sedes Petri contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit et docuit. Ea se tantummodo sequi et probare profitebantur* (*Præfat. Capitulorum*); ut et hac arte auctoritati scriptorum sancti Augustini detraherent, et in suorum patrocinium pertraherent apostolicæ sedis præsulem. Hanc novam pugnandi viam Prospero causam fuisse reor Romam petendi. Sensit enim vir cordatus, antequam talia objicientibus responderet, rem cum ipso pontifice cæterisque Romanæ Ecclesiæ proceribus esse communicandam, ut majori fiducia adversarios confutaret, auctoritate scilicet apostolicæ ipsius sedis, cujus tunc maxime causa agebatur, munitus, excussisque ipsius scriniis, e quibus pontificum Romanorum decreta assumeret adversus doctrinæ Augustinianæ æmulos torquenda. Hanc præcipue ob causam ad pontificem profectum esse Prosperum ipsius pontificis litteræ innuunt, quibus hoc unum agit, ut Gallicanos episcopos doceat nihil esse in Augustini scriptis, quod ab apostolicæ sedis doctrina discrepet, hujus communionem semper illum, dum vixit, habuisse, ne in minimam quidem umquam erroris suspicionem adductum, tantum denique ipsum exstitisse doctorem, ut a Romanæ sedis episcopis semper inter optimos Ecclesiæ doctores habitus fuerit. *Augustinum*, inquit, *sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper prædecessoribus haberetur* (*Epist. Cœlestini PP. ad Gallos episcopos*). Nec hoc solum Cœlestinus, sed D et scrinia sedis apostolicæ diligenter investigari jussit, ut inde quidquid ad repellendam presbyterorum illorum protervias poterat inservire, depromeretur, tradereturque Prospero Romam ea de causa profecto. Hanc provinciam Leoni cessisse, etsi jam ex styli ipsius charactere aliisque rationibus non probassemus, ex ipsius vel munere probaretur : archidiaconi quippe erat scriniorum Ecclesiæ cura et administratio; hoc ex ejus officiis unum, illic decreta apostolica condere, illinc promere, quandocumque pro occurrentibus negotiis ad scriniorum fidem recurrere opus erat.

Ex his igitur memorialem indiculum contexuit Leo, quem et Prospero cum aliis ejusmodi scriptis tradidit, ut illi ad refellendas Massiliensium objectiones usui esset. Et revera in libro contra Collatorem, quem post Cœlestini obitum conscripsit, easdem propo auctoritates adducit quas Capitulorum auctor, eadem excerpta, ex Innocentii scilicet et Zosimi pon-

tificum epistolis, nec non et ex Carthaginensi synodo A et Africanorum rescriptis; ita ut indiculum ob oculos **705** habuisse videatur. Quin et in fine operis recapitulans omnes Cassiani propositiones erroresque ex ejusdem scriptis expressos, easdem omnino et totidem fere notat in eo sententias, quot et quas capitulis suis inseruit auctor : puta de peccato originali, de necessitate gratiæ ad superandas tentationes et ad omnes omnino pietatis actiones ab ipso fidei crepusculo ad ultimam usque perseverantiæ metam, omissis pluribus aliis propositionibus, quæ catholicos inter et Pelagianos Semipelagianosque agitabantur. Hæc, quæ dicimus, supponunt indiculum confectum esse antequam adversus Collatorem opus illud scriberet S. Prosper; quod certum mihi videtur, tum quia incassum laborasset auctor, et necessarium non fuisset (quemadmodum fuisse ait) diligenter inquirere quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi Pelagiana judicassent et sentiendum censuissent, cum id jam a Prospero præstitum abunde fuisset; tum B etiam propterea quod opusculum adversus Collatorem jam mortuo Cœlestino, Sixto vero regente Romanam Ecclesiam editum est; indiculum vero seu commonitorium paulo ante mortem Cœlestini exaratum esse probant et rerum quæ Pelagianos attinent status, et quod inter Cœlestini decreta in antiquissimo Dionysii codice reperitur; unde et ad ejus tempora referendus esse videtur, et ea fuisse opinio abbatis illius ætate. Qui enim ex eadem collectione putarunt Cœlestini opus esse, et partem quamdam superioris epistolæ, non satis attenderunt sic epistolæ illi subjectam fuisse a Dionysio vel a quocumque alio, ut ab illa tamen magis distingueretur quam aliæ epistolæ ab aliis, præfixa illa distinctionis nota : *Incipiunt præteritorum*, etc., et altera hac in fine apposita : *Expliciunt auctoritates*, etc., quæ pro distinctione epistolarum positæ non inveniuntur.

DISSERTATIONIS PARS ALTERA.

XI. Prima dissertationis parte defuncti, quæ Leoni C opusculum istud vindicat, ad ejus clausulam pergimus, quam etsi plurimorum jam vexatam commentariis, intactam non audemus prætermittere. Sunt igitur ex recentioribus scriptoribus non pauci qui per (a) *profundiores difficilioresque partes incurrentium quæstionum*, de quibus ad calcem Capitulorum de gratia agitur, eas omnes intelligi velint quæ isto indiculo non expresse continentur, ac proinde omnia illa doctrinæ de gratia Christi capita quæ a S. Augustino latius pertractata sunt adversus Pelagianos et Massilienses, in eorum dogmatum classem rejicienda, quæ *nec audemus contemnere, nec necesse habemus astruere*, si istis capitulis asserta non leguntur. **706** Quidquid igitur præter ea quamlibet constanter protulerit gratiæ doctor, solide ex Scripturis et traditione probaverit, secure velut fidei catholicæ dogma proposuerit, quod postmodum etiam Ecclesia summo omnium sæculorum consensu confirmarit, non necesse habent theologi isti astruere, si ea vel non legerint, vel non legere sibi visi fuerint in isto compendioso propositionum catholicarum commonitorio. Hac una responsione, velut ariete, disjiciuntur catholica dogmata de electorum non ex prævisis eorum meritis, sed ex gratuita Dei misericordia, prædestinatione, de concupiscentia, de pœnis peccati, de gratiæ Christi ab Adami gratia discrimine, et alia quæ ex his velut fontibus derivantur doctrinæ catholicæ capita, ab his abjiciuntur, aut velut ἀδιάφορα libero cujusque assensui vel dissensui esse permissa, ubique prædicant.

Quam longe aberrent a Cœlestini mente qui hujusmodi argumentatione Augustini doctrinam concutere nituntur, difficile non est demonstrare. Ac prius quidem revocandum in memoriam, in S. Augustini scriptis quadruplicem esse ordinem quæstionum et propositionum. Primus est earum quæ ad fidem spectant, quasque ut inconcussæ fidei dogmata adversus hæreticos asseruit ac propugnavit : quales eæ sunt quas de divinæ Christi servatoris gratiæ natura et effectibus, deque omnipotentissima, quam Deus habet, humanorum cordium quocumque voluerit inclinandorum potestate. Alter est eorum dogmatum quæ ex prioribus illis velut naturaliter fluere cognoscuntur, sicuti ex ejus gratiæ natura, qua, quidquid vult Deus, in hominum voluntate invicte operatur, consectaneum est vel ex ipso naturali lumine, ad certam et indeflectibilem prædestinationis metam duci et perventurum quisquis hujusmodi gratia ad finem usque vitæ regitur, hancque ex gratuita Dei bonitate iis destinari, non aliis. Tertius ordo est eorum quæ S. Augustinus humanæ menti impervia pronuntiavit, quia nec a Deo sunt revelata nec naturali lumine penetrari possunt; v. g. : *Cur hunc trahat, et illum non trahat; cur huic ita suadeatur ut persuadeatur, non alteri*. Quartus denique ordo eorum est capitum in quorum inquisitione sudavit plurimum Augustinus, nec tamen certi aliquid umquam ausus est affirmare se esse assecutum, modo in hanc, modo in illam sententiam propensior factus : ita res obscura et difficultatibus obsita illi visa est. Opinionum hujusmodi plura inferius proferemus exempla.

XII. De prima et altera opinionum classe absit ut auctor Capitulorum censuerit liberum esse homini catholico eas vel abjicere vel amplecti. Recens erat, vel potius eodem tempore quo cudebatur indiculus iste, scribebatur a Cœlestino, non illo auctore **707** inconsulto, epistola ad Gallos, in qua Semipelagianos exagitat ob eam maxime causam, quod S. Augustinum aliqua docuisse jactabant, quæ doceri nefas esset; eumdem affirmat numquam sinistræ suspicionis saltem rumore aspersum esse, sed inter magistros optimos semper a suis prædecessoribus esse habitum, atque his qui tanti viri memoriam lacessebant resistendum esse. At vero si eorum quæ de prædestinatione sanctorum, liberatrice Christi gratia, et aliis ejusmodi pro certis et indubitatis proposuit asseruitque Augustinus adversus Pelagianos, Pelagianorumque reliquias, aliqua essent a quibus discedere liberum esset, immerito arguerentur Pelagiani et Massilienses quod ab iis revera discederent, quod Augustinum in aliquibus haberent suspectum, quodque ejus de prædestinatione et gratia sententiæ nollent accedere. Recte enim observat doctissimus cardinalis Bellarminus, lib. II de Gratia et libero Arbitrio cap. 11, delatam esse ad apostolicam sedem a Prospero et Hilario querimoniam, quod in Gallia presbyteri quidam doctrinam S. Augustini de prædestinatione reprehenderent; contraque publica Ecclesiæ approbatione hanc doctrinam fuisse tunc roboratam.

XIII. 2. In ipsa testimoniorum istorum præfatione Semipelagiani coercentur, eo quod Augustinum dicerent necessarium modum scribendo excessisse: D iidem ob hanc causam vel imperitiæ, vel pravitatis, vel præsumptionis arguuntur, et licet catholico nomine gloriarentur, in hæreticorum tamen damnatis sensibus hærere dicuntur. Igitur Augustinus, juxta ipsius Capitulorum auctoris sententiam, modum non excessit in iis quæ adversus Pelagianos scripsit, quæque constanter asseruit; nec ullum dogma pro certo et indubitato prolatum est ab eo et propugnatum, quod juxta ejusdem auctoris mentem pro certo et indubitato theologus quisque habere non debeat; alioqui non parum excessisset modum Augustinus, si quid velut ex Ecclesiæ doctrina asseruisset et tenendum docuisset, quod vere non esset ex Ecclesiæ doctrina, quod necesse non esset astruere, quod liberum esset vel abjicere vel amplecti.

XIV. 3. Auctor Indiculi seu Capitulorum ea ratione

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(a) De hoc vide observ. n. 10.

motus est, ut ipse profitetur, ad inquirendum diligenter quid Romani præsules de gratia Christi judicaverant ac sentiendum esse censuerant contra liberi arbitrii defensores, quod hi S. Augustinum accusabant quasi modum excessisset in suis de gratia scriptis, nec aliud consequenter auctor in mente habuit quam ut hanc adversariorum Augustinianæ doctrinæ calumniam repelleret ex ipsis Romanorum pontificum testimoniis, quibus et Augustini contrariam esse doctrinam, et suam conformem jactabant. Nisi igitur consilii sui oblitus esse dicatur, hoc ex allegatis explicatisque ab eo testimoniis evincendum est, in nullo modum excessisse Augustinum, sed omnia quæ scriptis suis docuit, apprime convenire cum Romanorum pontificum et Africanarum synodorum **708** decretis. Quod si eorum nihilominus dixeris aliqua non necesse nos habere astruere, dicere pariter cogeris, necesse non esse pontificum et synodorum decreta, quibus congruentia docuit Augustinus, astruere. Quis enim duorum ex ejusdem auctoris mente convenientium, unum abjici, alterum admitti velit?

XV. 4. Si per illas profundiores quæstiones nec contemnendas nec necessario asserendas, quæ de prædestinatione electorum, de vocatione secundum propositum, deque aliis hujusmodi scripsit constanterque docuit S. Augustinus, incassum pene laboravit S. Prosper etiam in his quæ ex apostolicæ sedis auctoritate defendebat; nihil fere etiam pro S. Augustini doctrina fecit adversus Massilienses presbyteros eorumque asseclas. Hæc enim præcipua erant doctrinæ Augustinianæ capita, quæ ab illis carpebantur, vel certe ex illis pendebat quidquid controversiæ adversus Augustinum vel Prosperum movebant adversarii. Hæc sunt pro quibus acerrime decertavit iste Augustini discipulus et defensor, hæc omnium ejus opusculorum materies. Si quis inficias ierit, facillime ex ipsorum inspectione revincetur. Quid enim objiciebant Galli quindecim illis Capitulis quibus Prosper respondet, nisi quod vel ipsa Augustiniana erat de prædestinatione et vocatione secundum propositum doctrina, vel ex ea male intellecta catholicæ fidei adversum sequi videbatur? Hoc ipsum clamant Gallorum objectiones quindecim, et responsiones Prosperi, totidemque ejus subjectæ sententiæ, in quibus, ut ex præfatione clarum est, profitetur se *in nullo recedere a tramite earum definitionum quæ in sancti viri Augustini disputationibus continentur*; sed eam se in omnibus sectari *doctrinam*, *quam sanctæ memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi et liberi arbitrii decomptores per multos annos apostolice asseruit, litterisque mandavit*. Sexdecim quoque Vincentii objectiones ex eadem de prædestinatione et gratuita Dei vocatione doctrina natæ sunt, quibus cum respondet S. Prosper, et S. Augustini doctrinam explicat, et fidem *adversus Pelagianos se ex apostolicæ sedis auctoritate defendere* profitetur. Quod ad dubia Genuensium attinet, ut ex uno Augustini de prædestinatione sanctorum opere excerpta sunt, ita aliud nihil habent præter sancti doctoris de prædestinatione sententiam. Denique in opusculo contra Collatorem, etsi hunc in primis et specialiter errorem impugnet, quem decimæ tertiæ suæ collationi insperserat Cassianus : *Gratiam secundum meritum dari, initiumque aliquod bonæ voluntatis ab homine esse, non a Deo*, tamen omnia sancti Augustini scripta sic ab apostolica sede approbata fuisse prædicat, ut nihil prorsus eorum reprobatum, nihil *sinistræ saltem suspicionis rumore aspersum* esse, summa fiducia asseveret in eo opere quod ex apostolicæ sedis auctoritate condebat. Falsum profecto istud esset, saltem de his quæ cum **709** a presbyteris Galliarum in culpam vocarentur, vel ex hoc novitatis notarentur, quod extra catholicæ doctrinæ indiculum ponerentur, relegarenturque ad inutilium disputationum classem.

XVI. 5. Si objecta verba Capitulorum Augustinum carperent, assertamque ab eo doctrinam de prædestinatione et gratia; numquam ea Semipelagiani prætermisissent, sed ex eis potius inexpugnabilem sibi struxissent adversus Augustiniana scripta munitionem. Si enim Vincentius Lirinensis clarissima etiam Cœlestini papæ pro Augustino verba ex epistola ad Gallos, non dubitavit sancti doctoris defensoribus objicere, tamquam contra eum emissa a pontifice; qui dum scripsit, *Ut desinat incessere novitas vetustatem*, Augustinum tamquam novitatis inventorem arguerit; si vel ex silentio ejusdem pontificis circa librorum Augustini titulos, ausi sunt Semipelagiani in vulgus spargere, postremas doctoris gratiæ lucubrationes ab apostolica sede esse rejectas; quanto magis triumphum sibi cecinissent, si de ejusdem doctrina circa gratuitam prædestinationem sanctorum, et vocationem secundum propositum, talia scripta esse cognovissent, si non a pontifice Romano, saltem ab ejus archidiacono et administro, quem Cassianus ipse *Romanæ Ecclesiæ et divini ministerii decus* appellat in præfatione librorum de Incarnatione Domini? *Contra istam*, inquit Prosper, *clarissimæ laudationis tubam*, Cœlestini epistolam intelligit, *contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, et perspicuæ sincerissimæque sententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere; ut scilicet quia in epistola papæ librorum pro quibus actum est non expressus est titulus, hinc esse appareat non probatos, et istam in sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis esse collatam*. Qui ergo collata Augustino præconia in ipsum torquent Augustinum, ea negligerent, quibus doctrina ab eo latius explicata et plurimis scriptis asserta apertissime petebatur? Hocne fugisset Vincentium, hoc Genuenses Massiliensesque presbyteri omisissent, hoc denique Fausto fuisset elapsum? ut nihil dicam de scriptoribus illis qui circa nonum Christi sæculum adversus Augustinianam doctrinam redivivis conatibus insurrexerunt.

XVII. 6. Veteribus seu conciliis, seu pontificibus, seu scriptoribus ecclesiasticis nota fuisse hæc Capitula, ex iis quæ hujus dissertationis initio attulimus, manifestum est. Nec illa noverunt modo, sed et ab apostolica sede profecta crediderunt, cum ab iisdem Cœlestini papæ nomine laudata inveniantur. Dubium pariter non est, quin ad illam de profundioribus quæstionibus exceptionem attenderint; nihil tamen quidquam ex illa sinistrum suspicati sunt adversus S. Augustini doctrinam; neque propter illa verba a laudandis omnibus hujus doctoris scriptis abstinuerunt. Immo vero eam maxime scriptorum ejus partem laudant ac prædicant, **710** quam Semipelagiani oppugnabant, quæque ipsam doctrinam continent et propugnant, a novellis scriptoribus inter profundiores hujusmodi quæstiones amandatam. Ita Hormisdas papa (ut reliquos omittam) in epistola ad Possessorem Africanum episcopum, a quo, quid de Fausti scriptis sentiendum esset, consultus fuerat, ea scribit quæ Augustinum ab omni verborum illorum invidia absolvant. Hæc etsi jam supra descripsimus, iterum juvat oculis legentium objicere. Postquam declaravit Fausti libros ab Ecclesia non recipi, tum sub finem epistolæ: *De arbitrio*, inquit, *libero et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica, sequatur et servet Ecclesia, licet ex variis libris beati Augustini*, ET MAXIME AD HILARIUM ET PROSPERUM *abunde possit agnosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa Capitula continentur, quæ si ibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus*.

XVIII. Ex quibus plura quæ ad rem præsentem pertinent eruimus. Primum est Fausti libros, quibus eam maxime Augustini doctrinæ partem incessebat, quam ad profundiores illas quæstiones modo relegant, ab Ecclesia fuisse reprobatos, ac proinde contrariam de prædestinatione et gratia Dei doctrinam ab eadem approbari. 2° Possessorem omnesque qui de gratia Dei et libero arbitrio inquirere vellent quid a Romana, quid a catholica Ecclesia sentiretur, ad

unum Augustinum remittit pontifex *abunde* ex ejus scriptis *agnosci posse* asserens Ecclesiæ catholicæ sententiam. 3° Tantum abest ut ex libris Augustini aliquos excipiat, quos Semipelagiani ab apostolica sede posthabitos asserebant, ut eos potius præ omnibus commendet: *Maxime*, inquit, *ad Prosperum et Hilarium*, hoc est libros *de prædestinatione sanctorum, et de dono perseverantiæ*, quos in ultima senectute ac morti proximus elucubravit, et in quibus tota Augustini de prædestinatione et gratia Christi doctrina diserte fuseque asseritur. Hanc doctrinam sedi suæ asserit Hormisdas: ex his MAXIME *libris abunde posse agnosci* dicit *quid Romana, hoc est catholica, sequatur et servet Ecclesia*. Et hos Semipelagianorum reliquiæ audeant a generali laude et approbatione Augustino scriptisque ejus a pontificibus impertita secernere; hæc ad supervacaneas quæstiones opinionesque dejicere, quas cuique liberum sit vel amplecti, vel abjicere? 4° Cum hæc scribebat Hormisdas, immemor non erat istorum de gratia Dei Capitulorum, de quibus nunc agimus; immo vero ejus tunc oculis obversabantur: ut prorsus certum ille habuerit profundiores illas quæstiones vel Augustinum non attinere, vel has tantummodo opiniones de quibus inquirendo magis ac tentando quam asserendo scripserit, non ea dogmata quæ ab eo velut Ecclesiæ doctrina toto animo, totis viribus, intrepide defensa fuerant. 5° Quanta esset doctrinæ Augustini de prædestinatione et gratia cum Romanæ catholicæque Ecclesiæ sententia, cumque ipsis Capitulis 711 consensio, inde manifestum est, quod unam indifferenter ex altera posse cognosci assereret, liberum relinquens, ut vel ad Romanæ Ecclesiæ monumenta, vel ad Augustini libros, vel ad Capitula in scriniis ecclesiasticis servata se conferat, qui de catholicæ Ecclesiæ doctrina vellet inquirere. 6° Ita tamen optionem offert Possessori, ut primas det Augustino. Hæc enim prima Hormisdæ mentem incessit cogitatio, ut consulentem episcopum de Ecclesiæ doctrina circa liberum hominis arbitrium et Dei gratiam ad Augustini libros velut ad authentica Ecclesiæ archiva remitteret: tum breviorem quamdam viam indicat de Capitulis suggerens, quæ tamen necessaria non putavit ei qui Augustinum ipsum adire vellet: *Quæ, si ibi desunt, et* NECESSARIA CREDITIS, *destinabimus*.

XIX. Postrema hæc Hormisdæ verba aliam nobis suggerunt responsionem ad hujus indiculi caput ultimum; cujus videlicet auctoritas tanta non est censenda, quanta hactenus a plerisque habita est. Cœlestini quippe sedis apostolicæ pontificis nomen, vel Prosperi ex ejusdem præscripto scribentis et Augustinianæ doctrinæ addictissimi, maximam scripto auctoritatem conciliabat. Jam vero cum apud omnes fere certum habeatur nec Cœlestini, nec Prosperi opus istud esse, plurimum ei ponderis detrahitur. Leonis quidem pontificis non minor auctoritas, immo et longe major apud omnes; at Leonis diaconi, et adhuc junioris, non item. Esto enim mandatum a Cœlestino acceperit commonitorium istud Romanorum pontificum decretis consarciendi; verum quod post confectum indiculum, præter apostolicorum decretorum excerpta de suo addidit, non apostolicæ sedi, sed proprio diaconi ingenio tribuendum. Cui quidem cum cordi esset Cassianum amicum ab errore revocare, studebat maxime ne addictior Augustino videretur; sicque sermonem suum temperabat, ut nihil sanctissimo doctori detrahens, in aliquo ejus adversariis indulgere crederetur, quo facilius abalienatos eorum animos ad catholicum sensum reduceret.

Hanc responsionem confirmant Hormisdæ verba, qui hæc Capitula nec Cœlestino, nec sedi apostolicæ, nec Prospero tribuit, sed velut incerti auctoris opusculum indicat. Quod etsi in ecclesiasticis scriniis asservatum narret, sedis tamen suæ non ei conciliat auctoritatem; immo vero Capitula tamquam non admodum necessaria tepide promittit a se mittenda: *Si necessaria*, inquit, *creditis*. Qui loquendi modus longe procul dubio diversus est ab eo quem usurpare solent pontifices Romani, cum de prædecessorum suorum decretis verba faciunt, vel de his quæ auctoritate sedis apostolicæ sunt emissa. Ita demum loquitur ut si scripta Augustini a Capitulis discreparent, vel hæc aliquid illis infensum haberent, Augustino potius adhærendum quam Capitulis velit; neque hæc aliam ob causam proponat, quam quia catholicam doctrinam ab 712 Augustino fusius explicatam sub compendioso indiculo repræsentarent.

Hæc iis respondenda censemus, qui pervicacius contenderint per postremam illam capitulorum partem suggillata esse sancti Augustini scripta; tametsi superioribus secuturisque mox responsionibus magis inhærendum putamus, putabuntque, ni fallor, nobiscum æquissimi quique harum rerum judices.

XX. 7. Quis doctrinam de prædestinatione sanctorum incurrentibus quæstionibus accenseat in materia gratiæ, iisque difficultatibus, quæ velut ex transverso insiliunt mysteria auxiliantis gratiæ versantibus? Immo vero omnium præcipuum caput est, omnium fundamentum ac basis. Ex æterno enim Dei consilio circa hominis salutem pendet mensura donorum gratiæ, quibus ad beatum illum finem provehatur. Prædestinatio enim quid aliud est apud S. Augustinum, quam *præparatio mediorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur? Quos* enim *prædestinavit*, inquit Apostolus, *hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit* (Rom. VIII, 30). Quamobrem cur unus vocatus, alter non vocatus; cur hic perseverantiæ donum accipiat, ille non accipiat; si scrutari quis velit, ratio ex prædestinatione facile occurrit: quia videlicet ille, non iste, ad æternam vitam prædestinatus est inscrutabili Dei decreto. Cur vero unus prædestinatus est, alter minime: hoc ad incomprehensibilia judicia Dei et investigabiles vias ejus referendum. Unde perspicuum est quæstionem de prædestinatione non ex occasione tantum et quasi extra propositum tractari, cum de gratiæ divinæ auxiliis disputatio instituitur.

XXI. 8. Doctrina sancti Augustini de prædestinatione non includitur his difficiliorum incurrentiumque quæstionum partibus quas necesse non habemus astruere ad plene confitendam gratiam Dei; immo ipsis Capitulis antea descriptis continetur velut in principiis vel connexis dogmatibus. Cum enim iis docemur *omnes homines in Adam naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse; neminem inde consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit, et sui participationem ille donet, qui solus est bonus; neminem nisi per Christum bene libero uti arbitrio; neminem aliunde ei placere, nisi ex eo quod ipse donaverit; necesse esse ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur; nullam sanctam cogitationem, nullum pium consilium, nullum motum bonæ voluntatis esse, nisi illa Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio; omnia studia, omnia opera et merita, omnem tentationum victoriam, omnes virtutes, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, esse dona Dei, qui agit in nobis, ut quod vult et velimus et agamus; gratiæ operi et dignationi nihil penitus esse subtrahendum; denique Deum nonnisi pro his quæ largitus est, æterna præmia esse donaturum*. 713 Cum hæc, inquam, illic legimus, supponi procul dubio intelligimus gratuitam electionem Dei ac prædestinationem, qua solis his quos liberare decrevit, ea beneficia præparavit, quibus certissime liberarentur, nec aliis merita perseverantiæ aliam ob causam esse negata, quam quia his æterna præmia non decrevit esse donanda.

XXII. Cur porro, inquies, quod implicite et per dogmatum connexionem in compendioso isto indiculo continetur, non expressis verbis, apertaque definitione explicatum in eo fuit? Ratio in promptu est, habeturque in præfatione Capitulorum clarissime expressa. Collectoris quippe institutum non erat ple-

nam et perfectam fidei in hac materia professionem proponere: hoc unum potius satagebat, ut adversarios sancti Augustini ex hac una munitione dejiceret, ad quam pleniore disputatione compulsi confugerant: scilicet *ea se tantummodo sequi et probare, quæ sacratissima beati apostoli sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit et docuit.* Ut hoc erroris velamen depelleret auctor, his terminis indiculum suum continuit, ut *quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi quæ eorum temporibus exorta fuerat judicarint, et contra nocentissimos liberi arbitrii defensores, quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint,* inquireret. Et ita fixum erat animo in hac inquisitione extra Romanæ Ecclesiæ limites non excurrere, ut Africana decreta, quæ religio fuisset in hac materia reticere, cum retulit, eo solum nomine a se recensita profiteatur, quod *ea utique sua fecerant apostolici antistites cum probarunt,* et eadem *quasi propria apostolicæ sedis* ipse amplecteretur. Nihil porro de prædestinatione adversus Pelagium Cœlestiumque definitum fuerat sive a Romanis pontificibus, sive ab Africanis, quia nihil controversiæ circa illam expresse motum fuerat ab hæreticis, qui peccati originalis labem ab Adamo in posteros transmissam nullam agnoscebant: unde nec adversus eosdem laborandum fuit, ut statueretur hominum a massa perdita secretorum æterna electio ac prædestinatio.

Cæterum sensit auctor non omnia quæ integra confessio posceret aperte contineri istis Capitulis. Nam et ex præfatione verba relata testantur consilium fuisse hoc unum inquirere, quod ad gratiam Dei confitendam præcise pertinet: *Quid de gratia Dei sentiendum.* Quod et in indiculi clausula repetit. *Ad confitendam gratiam Dei, cujus operi et dignationi nihil penitus subtrahendum est.* Gratiæ, inquit, OPERI: quo efficacem operationem gratiæ *Dei in cordibus hominum atque in ipso libero operantis arbitrio* designatam habes; ET DIGNATIONI: quo gratuitam humanisque indebitam meritis gratiæ largitionem exprimit. Ex his duobus capitibus *omnium disputationum connexionem pendere* scribit in præfatione, *nullamque ei contradictionis superesse rationem* circa alias quæstiones illis connexas, qui compendioso **714** subditarum auctoritatum indiculo subscripserit. *Ut ergo,* inquit, *plenius qui in aliquo dubitant instruantur, constitutiones sanctorum Patrum compendioso manifestemus indiculo: quo si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere; nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat et dicat,* etc. Igitur non omnia hujus materiæ capita diserte habentur expressa in indiculo, sed *compendiose;* igitur aliæ disputationes sunt his connexæ, quæ ex his pendeant, et circa quas contradicendi Augustino rationem non habeant, nisi nimium contentiosi, si semel propositis in indiculo sententiis assensi fuerint.

Quæ porro istæ quæstiones, nisi de prædestinatione, quæ ex ista definitione pendet? *Gratiæ Dei* OPERI ET DIGNATIONI *nihil penitus esse subtrahendum; neminem nisi per Christum libero* BENE UTI ARBITRIO; BONÆ VOLUNTATIS EXORDIA *et incrementa probabilium studiorum et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referenda; omnium bonorum affectuum atque operum, et omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab* INITIO FIDEI *ad Deum tenditur, Deum esse auctorem profitendum; nec dubitandum ab ipsius gratia omnia hominis merita* PRÆVENIRI, *per quem fit ut aliquid boni et* VELLE INCIPIAMUS *et facere; nostra denique* MERITA ESSE DEI DONA, *qui pro his quæ largitus est, æterna præmia est donaturus.* Nimirum hoc unico fundamento nitebantur Semipelagiani, ut æternam electionem ac prædestinationem hominum ex eorum meritis suspenderent, quod aliquod bonæ voluntatis ac fidei initium aliqua humana merita statuerint, quæ gratiæ Dei opus non essent, sed gratiæ potius ad justitiam consequendam et ad bonum opus

A perficiendum meritoria. *Hæc enim ipsorum definitio ac professio est... universis hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam; ut quicumque ad fidem et ad baptismum accedere* VOLUERINT, *salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide quæ* DEINCEPS *per Dei gratiam sit* JUVANDA *mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos,* DIGNOS FUTUROS ELECTIONE, *et de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Et infra: *Quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo* SPONTE *crediderint, et auxilium gratiæ* MERITO CREDULITATIS *acceperint. In istam vero talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur, cum prius meliora sentirent, ideo se vel maxime contulerunt: quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, et ab ipsa ut possint esse donari, necessitate concederent* B *Deum, secundum propositum et consilium voluntatis suæ, occulto judicio et opere manifesto aliud* **715** *vas condere in honorem, aliud in contumeliam: quia nemo nisi per gratiam justificetur, et nemo nisi in prævaricatione nascatur. Sed refugiunt istud fateri, divinoque ascribere operi sanctorum merita formidant; nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui,* etc. (*Prosperi epist. ad S. Aug.*)

Ex his verbis perspicuum evadit quæ connexio sit inter Augustinianam de prædestinatione doctrinam, et sententias in indiculo assertas. Cum enim prædestinationem ex meritis gratiam prævenientibus pendere assererent Semipelagiani, et vicissim profiteri recusarent omnia bona merita Dei gratia præveniri, ne gratuitam prædestinationem confiteri cogerentur, liquido apparet prædestinationem ex merito pendentem profligari, astrui vero gratuitam eo ipso quo omnia bona merita, ipsumque fidei initium gratia gratuita præveniri, nulla gratiam ipsam præcurrere, ex Patrum auctoritate certum indubitatumque demonstratur.

C Revera huc tandem totam cum Pelagianis, Semipelagianisque concertationem esse devolutam, *utrum gratia secundum merita daretur, nullaque meritis præveniretur,* ex Leonis discimus Epistolis et ex opusculis de Vocatione gentium et ad Demetriadem. In epistola igitur 6 ad Aquileiensem episcopum cap. 3: *Cum omnes,* inquit, *definitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei secundum merita dari accipientium sentiatur... et per naturalem industriam præveniri.* Magna pars librorum de Vocatione gentium in hujus assertionis confirmatione consumitur, *gratiam meritis non dari accipientium.* Præsertim vero in I libro, in cujus cap. 22 hæc de Semipelagianis: *Isti autem qui nescire aliquid erubescunt, et per occasionem obscuritatis tendunt laqueos deceptionis, omnem discretionem, qua Deus alios eligit, alios vero non eligit, ad merita humanæ referunt voluntatis, docentes scilicet neminem* D *gratis, sed ex retributione salvari, quia naturaliter omnibus sit insitum, ut si velint possint veritatis esse participes, eisque affluere gratiam, a quibus fuerit expetita.* Epist. ad Demetriadem cap. 10: *Hinc,* inquit, *postremo divinæ gratiæ simulata et insincera confessio, quæ secundum merita daretur, non ex qua merita nascerentur. Quam partem superbæ prædicationis quidam sibi, cum cætera abnuerent, servaverunt.* Ex hac porro servata dogmatis Pelagiani portione sequi ostendit auctor tribus illis locis, naturam nullo peccati originalis vulnere esse sauciatam, ut quæ ante omnem gratiam proprio clara sit studio, quæ arguendi similitudo notanda ad confirmationem assertionis nostræ de istorum opusculorum auctore.

XXIII. Doctrina sancti Augustini de prædestinatione deque aliis capitibus necessitati gratiæ Dei ad singulos actus connexis, quale est adhuc quod de operibus infidelium ex professo docuit adversus Julianum; hæc, inquam, **716** doctrina vindicata ab

exceptione postremi illius capituli, vix nobis incumbit ostendere quid per *profundiores difficilioresque partes incurrentium quæstionum* intellexerit auctor. Sufficit enim probasse nihil eorum quæ sanctus Augustinus constanter docuit de gratia et prædestinatione tamquam certum Ecclesiæ dogma ad illas partes relegari posse; de his tamen conjecturas nostras promimus.

Cum primum orta est Pelagiana hæresis atque ab Africanis episcopis et a pontifice Innocentio damnata, duobus fere capitibus concludebatur; negatione scilicet peccati originalis, et necessitatis gratiæ Dei ad singulos actus. Succedente tempore geminus iste ramus, qui ex radice dogmatis de Adamo mortali creato natus erat, alios subinde emisit ramusculos, quibus præcidendis allaborarunt Ecclesiæ catholicæ magistri. Harum quæstionum aliæ evidentem ac necessariam omnino cum utroque illo dogmate connexionem ita habent, ut unum sine altero dogmate intelligi minime possit; aliæ necessitudinem quidem maximam habent, sed nec tam evidentem, nec tam necessariam; ut absque operosa inquisitione statim animo occurrat, aut de his facile quæ sit Ecclesiæ sententia decernere queas. Ad primam classem referenda quæstio de prædestinatione sanctorum; ad alteram plures quæ ab Augustino latius pertractatæ sunt, quales sunt : an homo possit esse sine peccato in hac vita; qua pœna plectantur infantes sine baptismo ex hac vita decedentes; an morbi ex culpa, an ex natura ortum habuerint; quomodo infantes ante baptismum morientes a Christo judicandi; quomodo peccatum originale transmittatur in posteros; unde in nuptias quæ bonæ sunt et Dei institutum, tot mala invecta sunt; quid sit peccatum, quid concupiscentia, quid ejus natura, qui effectus : quod infinitas propemodum amplectitur difficultates istis connexas; an et quomodo Christus antiquis sub veteri Testamento profuerit; utrum sine fide in Christum salvus quis aliquando fuerit; denique quæstio illa adeo celebris et salebrosa de animarum origine, an ex propagatione, an ex creatione ortum habeant, quæ quidem et diutissime torsit Augustinum, et fusioribus disputationibus locum dedit. Istas igitur similesque quæstiones fuisse crediderim, quas *profundiores, difficiliores, latius pertractatas* dicit, quasque *sicut non audebant contemnere, ita non necesse habebant astruere* catholici. Ubi tamen adhuc strictius intelligenda verba hæc quam vulgo intelligantur. Non enim ait *incurrentes illas quæstiones astruere necesse non esse*, sed *profundiores difficilioresque* earum *partes*. Non ait etiam *ad confitendam Dei gratiam satis sufficere* prædictas regulas seu sententias, sed *quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos scripta docuerunt :* qui loquendi modus complecti videtur *omnium disputationum connexionem ex hac subditarum Auctoritatum brevitate* **717** *pendentem*, ut ait expressis verbis.

Inter alias autem quæstiones recensitas, duas imprimis profundiores difficilioresque in animo habuisse auctorem indiculi existimo. Unam, quomodo transfundatur originale peccatum a parentibus in filios, alteram de animæ origine; quam posteriorem ipse Augustinus profundam, difficilem, et non necessariam censuit. Immo vero hanc eamdem S. doctor incurrentem, *non necessariam*, insititiam, atque a Pelagianis invectam quæstionem dicit lib. IV ad Bonifacium cap. 2. *Huic*, inquit, *laudi creaturæ adjungunt, et quod Christum Dominum nulla dicunt macula peccati fuisse respersum, quantum attinet ad ejus infantiam, quia ejus carnem ab omni peccati contagione purissimam non excellentia propria et gratia singulari, sed communione naturæ quæ omnibus inest infantibus, asserunt. Eo pertinet etiam quod de animæ origine inserunt quæstionem, sic animæ Christi coæquare molientes omnes animas parvulorum, quas volunt esse similiter nulla peccati macula aspersas.* Hæc quippe creaturæ laus, ejusque consectanea de animæ origine

A quæstio ex illis erant quibus Pelagiani, cum a catholicæ doctrinæ defensoribus urgerentur, eosdem alio avertere ac ludificare conabantur. *Cum igitur Pelagiani his atque hujusmodi veritatis testimoniis et vocibus urgeantur..... immittunt aliarum nebulas quæstionum, in quibus eorum apud homines simpliciores sive tardiores, sive sanctis litteris minus eruditos impietas delitescat. Hæ sunt nebulæ de laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude sanctorum*, etc. (*Cap.* 8). Et cap. 9 : *In his quinque rebus quas proposui, in quibus quærunt latebras, et de quibus connectunt calumnias.* Et denique cap. 10 : *Addunt sane ad latebrarum suarum nebulas Pelagiani de origine animæ* NON NECESSARIAM QUÆSTIONEM *ad hoc ut res manifestas, aliarum rerum obscuritate turbando moliantur latendi locum. Aiunt enim nos animarum traducem cum peccati traduce contueri.*

Denique postremum istud capitulum explicare mihi videtur eximia illa epistola synodica Africanorum episcoporum in Sardinia exsulum, quæ sancti Fulgentii stylo creditur exarata. Viderat, opinor, auctor
B epistolæ, quisquis est, Capitula de quibus disserimus : siquidem ea Possessor ab Hormisda papa accepisse videtur, nisi jam antea manibus Africanorum versabantur, quod ex epistolæ Hormisdæ ad Possessorem loco in synodica illa relato asserere non vereor. Porro in ista exsulum episcoporum epistola (*Concil. Labb. t. IV, col.* 1591) præcipua gratiæ capita asseruntur quasi ad fidem Ecclesiæ pertinentia; in quorum fronte legitur Augustiniana de gratuita prædestinatione sanctorum doctrina : *Contra* quam *prædestinationem*, inquit, *magnæ pervicaciæ est aliquem vel parere vel habere conflictum...* **718** *et apostolicam fidem perversus oppugnat quisquis prædestinatum Christum et sanctos ejus negat* (*Num.* 21) : *per misericordiam* scilicet *gratuitam* (*Num.* 7), *per gratuitam bonitatem* (*Num.* 8), *per gratuitum beneficium misericordiæ suæ; in quo eum non pro meritis futuræ cujusquam bonæ operationis elegit, cui seipsum et fidem*
C *et bona opera donaturum esse præscivit* (*Num.* 9). Quam doctrinam tradunt doctissimi confessores *sequentes donum ejusdem gratiæ, quod sanctorum Patrum cordibus et linguis ipsa est dignata infundere* (*Num.* 6). Demum post tradita fidei dogmata circa prædestinationem sanctorum, gratiam Dei et liberum hominis arbitrium, exceptionem quamdam non absimilem ei quæ postremo capitulo continetur, sed explicatiorem subjungit in hunc modum : *Quæstionem vero animarum aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare : quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod sanctarum Scripturarum auctoritas non manifeste pronuntiat, cum cautela debet inquiri, maxime quod sine fidei detrimento potest a fidelibus ignorari* (*Num.* 24). Sed et idem sanctus Fulgentius proprio nomine scribens de Veritate prædestinationis et gratiæ lib. III, cap. 18, de eadem quæstione disserens, quam velut appendicem ad controversiam de prædestinatione et gratia
D tractat, S. Augustini suamque de illa sententiam his verbis exprimit : *Cujus quæstionis*, de anima, *beatus Augustinus* PROFUNDITATEM *sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit hujus rei definitam proferre sententiam, incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contraria responsione convellere... consensum ab utraque definitione continuit, ne laborem tantæ disputationis inaniter susciperet, quem cujuslibet sententiæ temeraria definitio vacuaret*, etc. An non diceres Capitula illa Cœlestini credita ante oculos habuisse Fulgentium, et illius scriptoris pressisse vestigia? Hæc sufficiant ad explicationem loci a pluribus scriptoribus alienum in sensum distracti, et ex quo nonnulli gratuitæ sanctorum prædestinationi infensiores, præpropere sibi triumphum cecinerunt.

His ita scriptis, jamjamque prelo subjiciendis, incidi in Vindicias Augustinianas doctissimi viri Henrici de Noris, ex quarum capite octavo plurima scite

sincereque scripta huc transferenda essent; sed quoniam instant operæ, sufficiat locum indicasse, quem adiisse lectorem nequaquam pœnitebit. Adeat qui otio abundaverit, librum Gallicum, cui titulus : *Traditio Ecclesiæ Romanæ circa prædestinationem* A *sanctorum et gratiam efficacem*, tom. I, part. III, a pag. 336 ad p. 363, ubi auctor prolixiori sermone et alia via hanc Capitulorum particulam et conclusionem explicat.

BALLERINIORUM OBSERVATIONES

In dissertationem tertiam Quesnelli, qua S. LEONI MAGNO *asseruit* CAPITULA, *seu* AUCTORITATES *de Gratia Dei*, S. CŒLESTINI *epistolæ ad Gallicanos subjecta.*

719 1. Ut de prima parte præmissæ dissertationis, qua de auctore Capitulorum Cœlestini epistolæ subjectorum statuitur, æquum judicium feratur, observandum imprimis est horum Capitulorum mentionem primum inveniri apud tres scriptores sub initium sæculi VI. Omnibus præcessisse videtur Dionysius Exiguus, cum ea suæ collectioni canonum in Urbe lucubratæ inseruit, Cœlestinique pontificis epistolæ 1 ad Gallicanos adjecit. Cum is posteriorem collectionis partem decretales Romanorum pontificum continentem ediderit petente Juliano R. E. presbytero, qui Gelasii alumnus, synodo Romanæ sub Symmacho interfuit an. 499, non multo post eamdem partem vulgasse probabilissimum est. Hic autem eadem Capitula una cum Cœlestini epistola proculdubio invenit. Hinc enim ea ita huic epistolæ attexuit, ut ad eumdem pontificem pertinere crediderit. Enimvero cum universa Cœlestini decreta in duos et viginti titulos dividat, epistolam ad Gallicanos ac subnexas Romanorum pontificum auctoritates in tredecim priores ejusdem papæ titulos seu decreta distribuit, adeo ut epistola duo priora, auctoritates vero undecim subsequentia decreta conficiant. Discrimen inscriptionis Capitulis præfixæ, *Incipiunt præteritorum sedis apostolicæ episcoporum auctoritates de gratia*, et discrimen etiam clausulæ, *Expliciunt auctoritates*, etc., distinctionem quidem harum auctoritatum ab ipsa epistola indicant, non tamen distinctionem auctoris, seu collectoris, quem si Dionysius credidisset diversum a Cœlestino, has auctoritates inter hujus pontificis decreta haudquaquam recensuisset.

2. Alterum testimonium est Petri diaconi et sociorum in epistola quam ad episcopos Africanos in Sardinia exsules Romæ scripserunt circa annum 520. Hi, qui æque ac Dionysius Exiguus erant Scythæ, ex ejus collectione jam vulgata earumdem auctoritatum notitiam haurire potuerunt. Hinc quidem easdem Cœlestino adjudicarunt. Nam Capitula 11 et 12 recitantes, ea laudarunt sub expresso nomine *beatissimi Cœlestini in epistola ad Gallos*; ac præterea Capitulorum ultima verba transcribentes, in his terminare affirmarunt eamdem epistolam.

3. Tertius testis est Hormisda, qui his monachis jam ex Urbe profectis ipso anno 520, in epist. 70 ad Possessorem scripsit : *De arbitrio tamen libero et gratia Dei quod Romana* (*hoc est catholica*) *sequatur ac servet* (alias *asseveret*) *Ecclesia; licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis ecclesiasticis expressa Capitula continentur, quæ si tibi desunt, et necessaria creditis destinabimus.* Non alia hic Capitula notari consentiunt eruditi, nisi hæc quæ sane *de gratia et libero arbitrio* agunt, ac titulum præferunt. Hic vero animadvertendum est hunc pontificem non tribuere ipsa Capitula Cœlestino papæ, sed tantum affirmare ea *in scriniis ecclesiasticis*, hoc est apostolicæ sedis, contineri, ac ex iis cognosci posse quid de gratia Dei et libero arbitrio *Romana* (*hoc est catholica*) *sequatur ac servet* vel *asseveret Ecclesia :* quibus apostolica eorumdem Capitulorum approbatio satis manifeste exprimitur.

4. Ex his duo colligimus : 1° Hæc Capitula e Roma prodierunt in lucem, ac in scriniis Romanis erant custodita, ita ut hac de causa laudatus Hormisda de iisdem scripserit : *Quæ si tibi desunt... destinabimus*, e Romanis utique scriniis eruenda; 2° Cum ea a Dionysio, qui e documentis Romæ collectis suum opus paravit, edita fuerint una cum epistola Cœlestini ad episcopos Gallicanos, 721 simul cum B hæc in apostolicis scriniis custodita et inventa fuisse videntur.

5. Porro Cœlestino hæc Capitula non posse tribui, inter cætera a Quesnello allata num. 2, tria præsertim manifestum faciunt. 1° Quia si ea ab eodem pontifice cum epistola ad Gallos missa fuissent in Gallias, aliqua profecto eorumdem subnectendorum mentio in ipsis litteris facta fuisset, ut in aliis Romanorum antistitum epistolis fieri solet, cum aliquid iisdem subjiciunt. 2° S. Prosper, qui contra Augustinianæ doctrinæ adversarios omnes apostolicæ sedis auctoritates quam diligentissime opposuit, ea profecto Capitula non prætermisisset, quæ et apertius et expressius adversariorum opinionem impetebant. Quid in libro contra Collatorem cap. 10 contentus fuisset anteriora tantum Innocentii et Zosimi decreta obtrudere, si Cœlestinus his Capitulis novissime directis in Gallias ipsam cum Gallicanis adversariis controversiam expressioribus verbis diremisset? Cur cap. C 21, ubi Cœlestini litteras ob susceptam Augustini defensionem laudat, nihil allegasset ex Capitulis in quibus adversariorum sententiæ maxime eliduntur, si hæc cum iisdem litteris ab eodem pontifice promulgata fuissent? 3° Augustini reprehensores, cum adhuc post acceptam Cœlestini epistolam illius doctrinæ succenserent, ut se ab auctoritate earumdem litterarum subducerent, reponebant his litteris anteriores quidem Augustini libros fuisse approbatos, non vero ultimos, in quibus doctrinam suæ contrariam circa initium fidei gratiæ tribuendum, etc., idem doctor manifestius tradiderat. Qui autem id jactabant solam proculdubio Cœlestini epistolam acceperant iis Capitulis expertem, in quibus doctrina postremis Augustini libris diserte tradita potissimum confirmatur.

6. Quesnelli sententia, quæ S. Leoni Magno hæc Capitula adjudicat, ei hypothesi innititur qua eumdem librorum de Vocatione omnium gentium auctorem prætulit. Cum vero hanc hypothesim omnino D falsam in observationibus ad secundam dissertationem ostenderimus, sublato jam ejus sententiæ fundamento nihil addere opus esset. Unum tamen non omittemus. Si S. Leo apostolicæ sedis auctoritates collegisset *per id tempus*, ut Quesnellus putat, *quo diaconi solummodo fungens munere, Cœlestino pontifici rerum ecclesiasticarum minister adfuit*, S. Prosper, cujus gratia easdem collectas existimat, iisdem potissimum usus fuisset, cum librum adversus Collatorem scripsit. Magnum enim argumentum accessisset ex documento quod tantus Cœlestini pontificis minister ad revincendos errores ipsi tradidisset. Cum vero nullum hujus documenti indicium, nullus usus apud Prosperum inveniatur, hanc lucubrationem Leoni ascribi non posse satis aperte colligitur. Argumenta quæ a Quesnello ingeruntur ex styli atque doctrinæ consensione hujus opusculi et librorum de Vocatione omnium gentium, si quid probarent, id

probarent, Capitula tribuenda esse horum librorum auctori quem a Leone diversum demonstravimus.

7. Quod si ob consensionem styli atque doctrinæ hæc Capitula cuipiam tribuenda credantur, citius adjudicanda credimus S. Prospero Aquitano: quippe qui adversus Semipelagianos scribens, non solum eosdem errores impugnavit, qui in hisce Capitulis perstringuntur, verum etiam catholicam doctrinam *ex apostolicæ sedis auctoritate defendere* consuevit, ut in iisdem Capitulis fit: quod auctori librorum de Vocatione omnium gentium æque usitatum non videmus. Antelmius dissert. 1 de veris Operibus SS. Leonis et Prosperi, part. II, quem secutus est Pagius ad an. 431, num. 49, non solum hæc Capitula Prospero Aquitano tribuenda credidit, verum etiam ea ab ipso indicari putavit in præfatione operis contra objectiones Vincentianas, ubi ait: *Propositis singillatim sexdecim Capitulis, sub unoquoque eorum sensus nostri et fidei quam contra Pelagianos ex apostolicæ sedis auctoritate defendimus, verba ponemus.* His nimirum verbis non tunc scriptam contra Vincentianas objectiones responsionem, sed aliud opusculum antea *ex apostolicæ sedis auctoritate* lucubratum significari existimat. Verba autem *ex apostolicæ sedis auctoritate* pro mandato apostolico accipit, ex quo *delegationem apostolicam* Hincmarus Prospero attribuit in libris de Prædest. et de non trina Deitate. Nullum vero aliud opusculum ex mandato seu delegatione apostolica scriptum **723** dici potest a Prospero, nisi hæc Capitula eidem vindicentur, in quibus sedis apostolicæ auctoritates contra Pelagianos collegit. Ita Antelmius. Hæc autem omnia nihil convincunt. Liber enim Prosperi contra objectiones Vincentianas scriptus videtur, antequam ille Romam profectus Cœlestini epistolam ad Gallos episcopos obtineret; alias hujus maxime epistolæ auctoritate usus fuisset in eodem libro, si postea eum perscripsisset. Eo igitur testimonio, quod præfationi inseruit, indicare non potuit hæc Capitula, quæ, ipso Antelmio concedente, post epistolam ad Gallos exarata fuerunt: certe autem eo tempore quo Prosper Romam nondum accesserat, mandatum a pontifice accepisse scribendi hæc Capitula incredibile est. Hinc delegatio, seu mandatum sedis apostolicæ, quod ex hoc eodem testimonio Hincmarus collegisse videtur, nulli fundamento nititur. Ea porro verba quibus Prosper se fidem defendisse ait *ex apostolicæ sedis auctoritate*, cum pontificium mandatum non significent, nihil aliud exprimunt nisi Prosperi consuetudinem, qua contra Pelagianos tum in anteriori epistola ad Rufinum, tum in carmine de Ingratis apostolicæ sedis auctoritatem adhibuit; ita ut nihil hinc pro auctore Capitulorum constituendo elici possit. Illud vero nos potius movet ut hæc Capitula eidem Prospero maxime convenire credamus, quia præter hujus consuetudinem in apponenda Pelagianis apostolicæ sedis auctoritate, eadem fere Innocentii, Zosimi, et Africanorum Patrum testimonia, quæ in laudatis Capitulis colliguntur, ille inseruit in libro contra Collatorem; adeo ut quæ de gratia Christi pluribus in hoc libro disseruerat, in eo opusculo paucis perstrinxisse videatur.

8. Occasionem autem hujus lucubrationis sic conjicit P. Coustantius in admonitione ad epistolam 1 Cœlestini num. 8. « Cœlestino quidem adhuc superstite, Prosper adjuncto sibi socio Hilario Romam se contulerat, et epistolam obtinuerat ad Gallos (*Epist.* 21, *n.* 2), in qua laudatus pontifex Augustini reprehensores acriter corripiens atque hunc doctorem nullo *umquam sinistræ suspicionis saltem rumore aspersum*, sed *ubique cunctis et amori* simul *et honori fuisse* testatus, æmulis ejus nihil reliquisse videbatur, quod ipsi objicerent. *Verum*, inquit Prosper (*Lib. cont. Collat. c.* 21, *n.* 59), *contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere; et perspicuæ sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere, ut scilicet quia in epistola Papæ* (Cœlestini) *librorum de quibus actum est non expressus est titulus, hinc eos* (libros qui in reprehensionem vocabantur) *appareat non probatos, et istam Augustini laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam.* Quæ sinistra interpretatio quam iniqua quamque insulsa esset, ex novissimorum Augustini librorum cum anterioribus summa consensione demonstrasse non contentus Prosper, ne quid adversariis superesset effugii, agendum sibi duxit, ut etiam a Sixto pontifice Augustini doctrina probaretur; unde et subjicit: *Quod ne hypocritarum obtineatur insidiis* (ut scilicet novissimi Augustini libri ab apostolica sede non probati existimentur) *confidimus Domini protectione præstandum ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cœlestino, operetur et in Sixto; et in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata pontifici, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.* Tum igitur, ut Sixtum ad id præstandum induceret facilius, Indiculum texuisse merito creditur, in quo doctrinam quam in novissimis Augustini libris arguebant adversarii, præteritorum apostolicæ sedis præsulum definitionibus consentaneam esse demonstratur. » Hactenus P. Coustantius, cui tamen assentiri non possumus, cum subjicit hunc Indiculum a Sixto ita confirmatum fuisse, ut quod expressis in eo Capitulis de gratia et libero arbitrio traditur, deinceps propria Ecclesiæ Romanæ doctrina evaderet; adeoque Prosperum id quod de illo pontifice speraverat, feliciter fuisse assecutum. Assentiri non possumus, inquam: Sixtum enim III hac in materia quidquam decrevisse nullum uspiam indicium est; et siquidem aliquid statuisset quo ea Capitula confirmata fuissent, nihil esset cur eadem Cœlestino potius quam Sixto vindicarentur. Adde quod si ea Capitula expresse et publice approbata fuissent a Sixto, haud intelligi potest cur post apostolicam ejusmodi confirmationem hæretici habiti non fuerint Faustus **725** Reiensis, aliique Galli, qui adversus eorum Capitulorum doctrinam adhuc scriptitarunt.

9. Illud autem verisimilius nobis est, ea Capitula a Prospero quidem lucubrata in eum finem, quem Coustantius conjecit, Sixto pontifici oblata fuisse antequam ederentur. Quid autem in causa fuerit cur Sixtus nihil novi statuerit ignoratur. Forte Augustini reprehensores post librum Prosperi contra Collatorem, in quo eædem apostolicæ sedis auctoritates insertæ fuerant, ita conquieverunt sub Sixto et deinceps usque ad Faustum, ut nihil amplius opus esse judicatum fuerit. Illa vero Capitula ab eodem pontifice suscepta cum maxime probarentur, in scriniis apostolicis fuere deposita, ac Cœlestini epistolæ eo nomine annexa, quod hæc epistola Prosperi sollicitudinem commendaret, ac de eadem materia ageret. Ibi autem tamdiu videntur latuisse quoad ex iisdem scriniis educta una cum litteris Cœlestini Dionysii Exigui Opera prodierunt. Cum porro Hormisda horum Capitulorum meminit, nec Sixti nec Cœlestini fecit mentionem, eo quod nec ullo illius decreto confirmata fuerint, nec ad hujus epistolam vere pertinerent. Satis ipsi fuit sola apostolica scrinia memorare, in quibus ea solebant recondi et custodiri quæ probabantur. Prima igitur et publica eorumdem Capitulorum approbatio referenda est laudatis Hormisdæ litteris ad Possessorem, quibus ea in scriniis ecclesiasticis servata Romanæ et catholicæ doctrinæ conformia declaravit. Hinc nihil mirum si ante hujusmodi probationem Faustus aliique Galli citra hæreseos notam contrarium defendere potuerint. Immo id etiam potuit fieri aliquamdiu post, cum hasce Hormisdæ litteras ad Possessorem Constantinopolim directas, plures in Galliis ignorare potuerint; cum præsertim idem pontifex ea Capitula iisdem litteris probaverit quidem, non autem ediderit, nec quid in ipsis contineretur, aut quæ doctrina probata fuerit, satis

exinde colligi posset. Quæ autem eorumdem Capitulorum Dionysio auctore prodiit editio, sensim propagata, non in omnium manus et notitiam statim pervenit. Hæc quoad primam Quesnelli partem.

10. Quoad alteram vero unum observandum credimus. Licet Augustiniana doctrina de Prædestinatione in hisce Capitulis non fuerit inclusa (ut non tam Quesnellus quam cardinalis Norisius contendunt) inter *profundiores difficilioresque partes incurrentium quæstionum*, de quibus auctor dixit: *Sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere*, non tamen exinde sequitur eam inter definita fidei dogmata ita esse censendam, ut qui aliter senserit hæreticus aut violatæ fidei reus haberi debeat. Hæc enim doctrina pluribus licet Augustini aliorumque Patrum exploratissimis testimoniis firmata, ac ex principiis definitis quam proxime consequens, nondum ab Ecclesia definita dici potest. Qua in re audire libet P. Ludovicum Thomassinum, qui etsi gratuitam prædestinationem a Patribus declaratam naviter propugnet, hanc tamen monitionem necessariam putavit tom. I Theolog. dogm. lib. IX, c. 19, n. 8: *Unum superest quod moneri lectores necessum sit: nempe ubi decretum de prædestinatione gratuita indecisum a SS. Patribus relictum esse tam constanter asseruimus....., non id nobis fuisse consilii, ut decretum illud in fidei dogma receptum fuisse affirmaremus. Longe aliud est doctrinam de gratuita prædestinatione ab Augustino et a plerisque omnibus Ecclesiæ utriusque Patribus assertam fuisse, atque ab Ecclesia catholica ut fidei regulam cooptatam esse..... Id in causa fuit ut sæpiuscule diceremus Augustini de electione gratuita sententiam dogmati fidei esse conjunctam non esse relictam in medio ut indecisam, aut superfluam; sed velut cohærentem aut consequentem, non vero ut ipsi fidei substantiæ concretam aut implicitam*

DISSERTATIO QUARTA

De auctore libelli, seu epistolæ ad Demetriadem virginem* PROSPERO *hactenus ascriptæ: in qua nec* PROSPERI *esse, nec alterius quam* S. LEONIS *papæ I, ex conjecturis asseritur.

727 I. Ita concinit stylus epistolæ ad Demetriadem stylo librorum de Vocatione gentium, ut (*a*) eidem hactenus auctori utrumque opus merito sit ascriptum, sive cum Ambrosio datum, sive cum Prospero. Quamobrem qui multis nec futilibus, ut confidimus, argumentis alterum S. Leoni vindicavimus secunda dissertatione, peculiarem instituere alterius eidem asserendi gratia supervacaneum duceremus, nisi in re hujus momenti probationes probationibus cumulare nullique diligentiæ parcere necessarium videretur.

Remisso itaque ad priorem dissertationem lectore, ut de tempore scriptionis hujus epistolæ instruatur, multaque etiam ibi legat de styli, doctrinæ conceptuumque similitudine, quæ inter S. Leonem, auctoremque librorum de Vocatione gentium intercedit, et ad epistolæ quoque auctorem transferri possunt, cætera quæ hujus propria sunt paucis absolvemus.

Primum igitur animadverto hoc epistolæ commune esse cum opere de Vocatione gentium et certis sancti Leonis operibus, quod (*b*) Scripturam sanctam ex sancti Hieronymi versione allegent. Sed hoc insuper habet cum sancto Leone affine, quod utraque versione utatur, Vulgata scilicet et Hieronymiana; quod in eodem versu 4 capitis XIV libri Job contigit; ubi secundum Vulgatam versionem ita legimus apud sanctum Leonem serm. 8 de Nativit. et in epist. ad Demetriadem circa med.: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Et secundum septuaginta Interpretes in serm. 1 sancti Leonis de Nativit. et in citato epistolæ loco: *Nemo mundus a sorde, nec infans cujus unius diei vita est super terram.* Quod ad id quod 728 probatum volumus, validum, puto, argumentum est, cum nemo facile sibi persuadeat fortuito contigisse ut eadem ætate duo scriptores diversi eumdem ejusdem libri versum assumpserint ex versione sancti Hieronymi, quæ nondum in usum vocata erat, et vix ab alio auctore illius ævi usurpata reperiatur.

2. Ut probet Christum Dominum sacramentorum Evangeliique ministris semper adesse ac cooperari, adducit textum e capite XXVIII S. Matthæi, quem a sancto Leone et ab auctore librorum de Vocatione gentium usurpatum diximus eodem consilio. *Utique nunc*, inquit, *eadem potentia Dominus indesinenter operatur, qui ait: Ecce ego vobiscum sum*, etc. Vide supra dissert. 2, n. 19, loca et sancto Leone et ex opere de Vocatione gentium descripta.

II. 3. Hæc epistola, cum varias Satanæ describit insidias conatusque vehementiores quibus eos impetit quos per baptismatis consecrationem vitæque melioris professionem sibi cernit eripi, cumque e contra, quo studio, qua vigilantia adversus illum pugnari debeat, monet, iisdem fere utitur verbis quibus et Leo noster. Exemplum habe ex cap. 10: *Cum in sacramento crucis et resurrectionis Christi ad novitatem redit vetustas, et ad innocentiam regeneratur impietas, antiquus hostis malignius* FREMIT *et acrius inardescit; et cum innumeris nocendi artibus humanum genus nitatur avertere*, SERENS DISCORDIAS, INCITANS IRAS, ACUENS CUPIDITATES, *suadens turpia, falsa commentans, et errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus uritur de virtute stantium, quam lætetur de fragilitate labentium.*

Sanctus Leo serm. 6 de Epiphan. cap. 3: *Vigilanter cavenda sunt illa discrimina quæ de otio ipsius pacis oriuntur. Adversarius enim qui in apertis inefficax persecutionibus fuit, tecta nocendi arte* DESÆVIT, *ut quos* 729 *non percussit impetu afflictionis, lapsu dejiciat voluptatis... Quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit.* INFLAMMAT *concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis.* SERIT DISCORDIAS, ACCENDIT IRAS, INCITAT LINGUAS; *et ne ab illicitis dolis cautiora corda se revocent, consummandorum scelerum ingerit facultates.* Et serm. 2 de Quadrag. cap. 2: *Modo tibi major cautio et sollicitior assumenda prudentia est, quando idem hostis tuus acriori sævit invidia.... appropinquante novæ creaturæ ortu, spiritalis nequitia ab his quos possidebat excluditur.* FREMIT *ergo exspoliati hostis impius furor; et novum quærit lucrum, quia jus perdidit antiquum.* INFLAMMAT ITAQUE IRAS, *nutrit odia*, ACUIT CUPIDITATES, *irridet continentiam*, INCITAT *gulam.* Serm. 3 de Quadrag. *Exinde (nos) vehementiore odio et* INVIDIA SÆVIORE *persequitur, ex quo ei in baptismo renuntiavimus, et ab illa cui dominabatur origine in novam creaturam divina regeneratione transivimus..... non desinit nobis hostis antiquus* LAQUEOS PECCATI *ubique* TENDERE.

Quibus in locis præter sensus, constructionis ac verborum similitudinem et concentum, quæ eumdem auctorem arguunt, multæ sunt insuper voces in textu epistolæ, quæ a sancto Leone passim usurpantur,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Confer observ. subjiciendas n. 4.

(*b*) Vide eamdem observ. n. 5. In sequentibus item numeris sequentia excutientur.

velut : *Opinionum commenta; sacramentum crucis et resurrectionis Christi; redit ad innocentiam iniquitas, et in novitatem vetustas; uri de virtute stantium; fragilitas labentium*, etc.

III. Auctor epistolæ sic habet : *Malum superbiæ maxime virtutibus est cavendum : quia nullis opportunius insidiatur, quam quibus laus justa debetur*. Et c. 10 : *Quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immittit laudis cupiditatem..... Per gloriam irrepsit humanam; et quos impulsione non movit, elatione dejecit*. Ad eumdem sensum, cap. 16, sic loquitur : *Vigilant autem tentatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, subrepat elatio, et ut homo de bono opere in se potius quam in Domino glorietur. Sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet, dicens : Cum timore et tremore vestram salutem operamini; Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate. Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis et tremoris : ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi conscia et laudis avida in superbiæ rapiatur excessus, et fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute.*

Sanctus Leo his admodum similia habet serm. 4 de Quadragesima cap. 3 : *Non ambigatis*, inquit, *diabolum ad hoc vim suæ malignitatis armare, ut pietati laqueos de ipsa pietate prætendat, et quos non potuerit dejicere per diffidentiam, conetur superare per gloriam. Vicinum est enim rectis actionibus superbiæ malum, et de proximo semper virtutibus insidiatur elatio. Quia difficile est ut laudabiliter viventem laus non capiat* **730** *humana*. Et serm. de Epiphan. 8, c. 2 : *Cum timore et tremore*, inquit *Apostolus*, *vestram salutem operamini; Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate. Et hæc sanctis causa est tremendi atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, et remaneant in infirmitate naturæ.*

De Melchisedech disserens epistola ait : *Vir sacratissimus Melchisedech Domini et Salvatoris nostri* PRÆFERENS FORMAM. Sanctus Leo, serm. 4 (*nunc* 5) de Natali suo : *Ipse est, inquit* (Christus), *cujus* FORMAM *Melchisedech pontifex* PRÆFEREBAT.

De lege et gratia eodem uterque modo loquitur Epistola. *Non ob aliud*, inquit, *umquam datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium*. S. Leo serm. 5 de Quadrag. : *Ad jubentem recurrat, qui ideo dat præceptum ut excitet desiderium, et præstet auxilium*. Et expressius serm. 11 de eadem : *Ideo enim datur præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium.*

De paupertate et divitiis : *Tam abundantia, quam inopia*, ait epistola, *materia solet esse peccati, cum vel dives extollitur ad superbiam, vel pauper prosilit ad querelam*. S. Leo serm. 11 de Quadrag. cap. 1 : *Non minoris est periculi carere desideratis quam abundare concessis. Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis. Illæ elevant ad superbiam, hæ incitant ad querelam.*

Sanctus Leo, epist. 10 ad episcopos provinciæ Viennensis, cap. 1 : *Apostolicum munus in Petro principaliter collocavit* (Christus). Auctor epistolæ : *Natura in Adam principaliter instituta*. Ubi eadem voce utuntur in eo sensu qui tam primariam institutionem quam primatum includit. Quæ vox raro ita usurpatur.

Hoc etiam commune habent tria hæc scripta, ut illud, Act. XIV : *Dimisit gentes ingredi vias suas*, frequenter assumant, et illud : *Tentatio est vita hominis super terram*, ex libro Job sæpius quoque usurpent.

IV. De præsentis vitæ statu S. Leo, serm. 7 de Pass. cap. 3 : *Contristati sunt, non de conscientiæ reatu, sed de humanæ* MUTABILITATIS INCERTO. Serm. 14 de Pass. c. 3 : *Quamvis enim non istius vitæ sit, sed æternæ, ut sit Deus omnia in omnibus; tamen*, etc. Epistola ad Demetriadem (Cap. 24) : *Non quidem obtinetur, ut jam omnia in omnibus Deus sit, quia nullus est sine tentationis stimulo, et sine* MUTABILITATIS INCERTO, etc. Et supra : *In futuræ beatitudinis consortio Deus erit omnia in omnibus : quod ideo in hac vita non potest ad plenum obtineri, quia nondum mortale hoc*, etc.

In utroque Deus sub agricolæ imagine inducitur animam hominis colens, fecundamque reddens bonis justitiæ fructibus, ac propterea Deus *summus et verus agricola* nuncupatur; pia ejus erga homines sollicitudo, *cultura*; anima, *ager cordis*; virtutes, *semina*; bona opera, *germina justitiæ* **731** appellantur. Auctor epistolæ, cap. 1 : *Licet plantationi suæ* SUMMUS AGRICOLA *valida ad profectum tuum incrementa præberet; cooperatores tamen gratiæ Dei opportune piam adhibuere culturam, ut germen tenerum fortitudinis robur acciperet, et dignos generositate sua fructus propositi tui arbor afferret*. Et cap. 7 : *Sed quidquid illud est, quo corporeorum sensuum exteriora pulsantur, in agro cordis, cui impenditur ista cultura, nec radicem potest figere, nec germen emittere, nisi ille* SUMMUS ET VERUS AGRICOLA *potentiam sui operis adhibuerit, et ad vitalem profectum, ea quæ sunt plantata, perduxerit*. Lib. II de Vocat. gent. cap. 6 : *Quæ* (bona voluntas) SUPERNI AGRICOLÆ *prima plantatio est..... Bona voluntas omnium virtutum germen est primum.*

S. Leo, serm. ult. de Jejunio decimi mensis : *Deus namque* VERUS ET SUMMUS AGRICOLA, *non solum corporalium, sed etiam spiritualium auctor est fructuum, et utraque semina, utraque plantaria duplici novit exercere* CULTURA, *dans agris profectus germinum, dans animis incrementa virtutum*. Item serm. 3 de eod. jejunio dec. mensis : *In agro Dominico, cujus operarii sumus, oportet nos prudenter atque vigilanter spiritalem exercere culturam..... Quæ bona opera si pigro otio et inerti desidia negligantur, terra nostra nihil generosi germinis pariet*, etc. Serm. 6 : DE TERRA CORDIS *nostri germen justitiæ et charitatis fructus oriatur*. Serm. 1 de Quadrag. : *Tunc in nobis bene semina virtutum nutriuntur, quando ab* AGRO CORDIS *nostri omne germen externum evellitur*. Serm. 4 de Jejun. Pent. cap. 3 : *Terra enim carnis nostræ nisi assiduis fuerit subacta culturis, cito*, etc. *Custodienda igitur nobis omnium germinum seminumque generositas, quam ex summi agricolæ plantatione concepimus*, etc. Similia habet serm. 2 de Resurrect., et 2 item de Ascensione.

Consulat etiam lector quæ in secunda dissertatione a nobis relata sunt tam ex S. Leone quam ex auctore de Vocatione gentium circa mutum illud creaturarum de suo creatore testimonium, quod cuivis semper patet; paribus enim ac potius iisdem verbis illud depingit auctor epistolæ cap. 7, in hunc modum : *Omnia quidem elementa mundi, et universæ creaturarum naturæ hoc ipsa sui exigunt specie, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur ; et in pulchritudine cœli et terræ quædam sunt paginæ ad omnium oculos semper patentes, et auctorem suum numquam tacentes; quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum et eloquia Scripturarum.*

S. Leo, serm. 11 de Quadragesima, cap. 6 : *Qui aliquam*, inquit, *dat portionem substantiæ suæ, intelligat se ministrum esse misericordiæ divinæ, qui partem pauperis in manu posuit largientis*. Et serm. 5 de Collectis cap. 1 : *Terrenæ et corporeæ facultates ex ipsius largitate proveniunt, ut merito rationem eorum quæsiturus sit, quæ non magis possidenda tradidit, quam dispensanda commisit*. **732** Epistola ad Demetriadem cap. 5 : *Qui possessionibus suis non aliter quam rebus pauperum præsunt : ut ecclesiasticæ utilitati sub quadam procuratione famulentur, elaborantes singuli pro suarum virium portione, ut ad victum atque vestitum familiæ Dei necessaria conferantur*, etc.

Epistola ad Demetr. cap. 10 : *Hinc evacuatio baptismi parvulorum, qui sola adoptione donari, nullo tamen reatu dicerentur absolvi*. Lib. II de Vocatione gentium cap. 24 : *Nec impie a quodam de parvulorum baptismo dictum fuisset : Habet gratia quod adoptet, non habet unda quod diluat*. Hanc hominis Pelagiani sententiam descripsit auctor librorum sex Hypognosticon, lib. V cap. 8, ex scriptis Pelagiani quem con-

futat. Hunc Julianum esse, illum vero Sixtum papam III conjicit Joannes Garnerius (*Dissert. 6 ad Marium Mercatorem cap. 6*) : quæ conjectura, si vera esset, juvaret sententiam nostram; cum enim Sixto adhæserit Leo noster, ab eo accipere potuit Pelagiana scripta, quæ forsan Sixto, cum Cœlestio favebat, familiaria fuerant.

Epistolæ cap. 5 : *Ad vitam æternam per angusta et ardua eniti*, etc., respicit procul dubio auctor ad versum 14 capitis VII Evangelii secundum Matthæum, quem ita semper refert S. Leo : *Angusta et ardua via est, quæ ducit ad vitam.* Exempla vide in dissertatione 2, num. 24.

S. Leo, serm. 8 de Jejunio decimi mensis, cap. 1 : *Ut anima..... IN AULA MENTIS possit divinæ vacare sapientiæ.* Epist. ad Demetriad. cap. 22 : *Ipsa ergo*, inquit, *AULAM TUÆ MENTIS ingredere et in secretario purissimæ conscientiæ tuæ*, etc.

S. Leo, serm. 1, de Jejun. decimi mensis, cap. 1 : *Deus dat unde ipsi quod operatur operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suæ charitatis inflammans.* Epist. ad Demetriad. cap. 14 : *De vero lumine tenebrosæ jam et deficientes lucernæ lumen accipiunt..... Superno igne accensus animus non tepescat..... unde cœpit inflammari, inde poscat igniri.* Hanc ultimam vocem in dissert. 2 Leoni familiarem observavimus, num. 24.

Epist. cap. 24 : *Sine dubio inde habetur virtutum omnium PORTIO, unde habebitur PLENITUDO.* S. Leo, serm. 2 de Passione, cap. 2 : *Ut quod vestri generis impia perdidit portio, assequatur hoc fidelis gentium plenitudo.* Serm. 15 (*nunc* 14), cap. 4 : *Qui primus hominum resurrexit, ejus plenitudinis est portio, quam præcessit.*

Epistolæ cap. 17 : *Dignum quippe est ut imago Dei Deo splendeat, et inde pulchra, inde sit compta, dicens : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; alioquin adultera est et a divino aliena conjugio, si alterius cujusquam decorem in speculo sui cordis ostentat.* Lib. I de Vocat. gent. c. 8 : *Quærat Dominus imaginem suam, et omnium, quæ in eam inciderunt, sordium concretione detersa speculum humani cordis enubilet.* Serm. 95 de Gradibus beatitud., cap. 7 : *In creatura Creator appareat, et in speculo cordis* 733 *humani, per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat.* Serm. 5 de Quadrag. cap. 3 : *Sollicitiore cura cordis nostri specula tergamus..... Nitor enim mentium ad imaginem Dei conditarum non ita a fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari.* Serm. 1 de Jejun. decimi mensis c. 1 : *Inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris; et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinæ benignitatis forma, resplendeat.* Serm. 4 de Nativit. cap. 2 : *Ut homo ad imaginem et similitudinem auctoris sui vivens, formam Dei bonitatis atque justitiæ in splendore imitationis tamquam in speculi nitore servaret.*

Epistolæ cap. 7 : *Gratia Dei tota repellitur, nisi tota suscipitur..... Extra gratiam efficitur, qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur..... Plene et veraciter confitenda est gratia Dei, de cujus hoc primum munere est, ut auxilium ipsius sentiatur.* Capitulo 10, de Gratia et lib. Arb. : *Ad confitendam gratiam Dei ejus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est.*

Epistolæ cap. 8 : *Nulla est gravior quam superborum ruina; maxime cum ipsa elatio in Dei tendat injuriam.* S. Leo, epistola 80 (*nunc* 106) ad Anatolium : *In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio.* Creberrimus est iste loquendi modus apud S. Leonem.

Epistolæ cap. 10 : *Ut omnium hominum generalem ruinam meritorum privilegio sublevarent.* S. Leo, serm. 7 de Epiphania, cap. 4 : *Deus causam nostram nimis malam humilitatis privilegio bonam fecit.*

Epistolæ cap. 18 : *Ab omni contaminatione mens libera est, quæ sive in se, sive in proximo nihil diligit, nisi quod ex Deo esse novit. Nam amare aliquid, quod* A *non ex opere et spiritu Dei sit, non est casta dilectio.* Lib. I de Vocat. gent., cap. 6 : *Bene se amant, qui in se opera Dei amant. Nam et Deus hoc amat in nobis quod ipse fecit; et hoc odit, quod ipse non fecit. Si ergo opus Dei amamus in nobis, bonam voluntatem recte amamus, quæ utique, si opus Dei non esset, amanda non esset.*

Frequens ea verborum constructio et congeries, figurarumque usus, quæ in dissert. 2 observavimus Leoni familiaria esse. Epistolæ cap. 6 : *De omni genere hominum, de omni gradu officiorum, de omni mensura operum, de omni qualitate virtutum, fiat totius ædificationis inseparabilis connexio et indifferens pulchritudo, nec desit soliditati, quod non defuerit portioni.* Præter constructionem verborum, vix etiam ullum est quod Leonis non sit proprium ac familiare. Cap. 10 : *Cum..... captivis libertas, perditis salus, mortuis vita reparatur. Cum.... ad novitatem redit vetustas, et ad innocentiam regeneratur impietas.* Cap. 4 : *Fiant* B *filii Dei de paupertate divites, de patientia fortes, de humilitate sublimes.* Sexcenta his similia reperies in aliis S. Leonis opusculis. Vide dissertationem 3.

734 VI. 4. Jam vero si minutatim velimus expendere styli affinitatem, vocabulaque utrique magis familiaria, eadem prorsus hæc esse facile deprehendemus, eamdemque dictionis totius structuram. His enim ferme frequentius utuntur vocibus, aut si non frequenter aliquibus, saltem citra usum communem usurpant. Tales sunt sequentes. Voluntaria devotio. Gratiæ largitas. Incitare. Igniri. Discipulus veritatis. Prophetica, evangelica et apostolica doctrina. Redire, transire, transferri in innocentiam, et novitatem protestari. Indicere. Murmura querelarum. Incunctanter. Inspicere, inspector. Sublimitas. Transcendere. Accrescere, famulari, famulatus. Insinuare, insinuatio. Moderamen. Incommutabilis voluntas. Tepescere. Desides et tepidi. Evacuare. Insania novi dogmatis. Dogmatis portio. Vipereus. Formam præferre. Cooperatores gratiæ. Impendere. Dispendium. Prove- C here, provectio. Exordium sumere. Consensio pro consensu. Mensura donorum gratiæ. Impar. Tumere, intumescere. Elatio. Præsumere, forma. Universitas pro omnes. Recidere. Fragilitas. Divini operis et muneris esse. Soliditas. Sacratus, sacratissimus. Confœderari. Religiosus. Onerosus. Obscurum pro obscuritate. Erudire, eruditio. Discretus, discretio. Portio, plenitudini et soliditati opposita. Sacramentum passionis et resurrectionis. Urere, uri invidia. Virus invidiæ. Commenta. Paginæ evangelicæ, veteris et novi Testamenti. Deceptiones. Laquei. Dextri, si nistri. Communio naturæ, etc. Scienter. Materia. Germen, semen, ager cordis. Consortium. Plantationibus suis Deus incrementa præbet. Variare, varietas. Indesinenter. Tentationis stimulus. Periculum mutabilitatis. Mutabilitatis incertum. Corde concipere. Cultura. Tenebrosæ mentes. Inclinare. Occiduus. Refutare pro rejicere, etc. Magistri, pro SS. Patribus, et D doctoribus Ecclesiæ. Constitutio Salvatoris, etc.

5. Conjectationes superiores hic altera firmamus. Quod styli hujus epistolæ nitor ac venustas non est hominis Africani, sed ipsis potius Latinæ linguæ incunabulis enutriti. Et certe si Africanus fuisset, non ignorasset Demetriadem ex S. Augustini maxime cohortationibus servandæ virginitatis consilium concepisse; nec scripsisset tale ipsum *propositum sine humanis cohortationibus elegisse*, cum ex ipsius Augustini epist. 143 ad Julianam Demetriadis matrem discamus, per ejus ministerium castitatis propositum amplexatam esse piam hanc virginem. *Per ministerium*, inquit, *nostrum cum accepissetis verbum auditus Dei, sicut dicit Apostolus, accepistis non ut verbum hominum, sed, sicut est, vere Verbum Dei. Cujus ministerii nostri, adjuvante gratia et misericordia Salvatoris, in domo vestra tantus fructus exortus est, ut humanis nuptiis jam paratis sancta Demetrias spiritalem sponsi illius præferret amplexum, cui specioso præ filiis hominum*, etc. Hominem vero Italum longe 735 ab

Africa positum et tunc temporis forte adhuc adolescentem, qualis erat S. Leo, non mirum est hanc compertam non habuisse circumstantiam. Quid quod hujus epistolæ auctor satis (a) se Romanæ Ecclesiæ alumnum prodit, dum ejus gloriam ubique æmulatus apostolicam sedem omnibus, tum sacerdotibus, tum plebibus, exemplo fuisse asserit, ut Pelagiani dogmatis, insaniam abhorrerent; cum hæc palma episcopis Africanis debeatur, qui omnium primi signum adversus Pelagium levaverunt, sic canente Prospero :

Tu causam fidei flagrantius, Africa, nostræ
Exsequeris; tecumque suum jungente vigorem
Juris apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, et lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.

VII. 6. Juvat porro non modicum assertionem nostram singularis quæ Demetriadi virgini cum S. Leone intercessit necessitudo, sanctaque familiaritas, ex qua etiam hanc fiduciam sumpsit, ut ipsam impelleret ad construendam basilicam sub S. Stephani invocatione consecrandam, ut fidem faciunt varii scriptores. Platina : *Leo*, inquit, *ad reparandam Urbem et templa conversus, Demetriam ancillam Dei impulit ut basilicam beato Stephano via Latina tertio ab Urbe milliario in fundo suo conderet :* quod et refertur in Breviario Romano. Cur de alia Demetriade itidem virgine, hæc intelligi debeant aut possint, non video; cum aliam huic cognominem et aliquatenus illustrem, nec illius ævi scriptores commemorent, nec eam de qua loquimur aliqua nota distinguant, cum de ea mentionem faciunt. Unicum est quod quempiam possit movere, videlicet Demetriadem, jam ab anno 410, barbarorum sævitiam qui Romam ceperant fugientem, in Africam transmeasse, una cum Juliana matre sua et avia Proba, ibique sedem apud Carthaginem fixisse. Verum si semel redierit in memoriam, (b) Vandalos irrupisse in Africam anno Domini 427, cum innumerabili prope exercitu, qui regionem illam immaniter vastavit; post expugnatam vero anno 431 Hipponem omnes illius tractus provincias barbarorum armis subjectas esse, exceptis solum duabus civitatibus, Cyrta et Carthagine, hancque ultimam tandem in illorum manus devenisse anno 439, nemini puto persuadendum Demetriadem in illa provincia remansisse, experturam nimirum, nisi fuga sibi consuluisset, hæreticorum barbarorumque furorem, **736** apud quos fides catholica castitasque virginalis, quibus clarebat Demetrias, summo æque crimini vertebantur. Immo vero nemo est qui non credat piam virginem, sicut, expugnata a Gothis Roma, aufugit Carthaginem, tutissimum tunc a barbaris asylum; ita, invadentibus Africam Vandalis longe potiori ratione reliquisse Carthaginem, Romamque remeasse, in qua patriam, cognatos, amicos, et, quod non semel indicatur in hac ipsa epistola, amplissimas possessiones a parentibus suis relictas habebat. Quamquam et usque ad incursionem Vandalorum in Africa non remansisse, verosimillimum est, vel Julianam adhuc superstitem post Gothorum ex Italia discessum charissimum pignus in Urbem secum reduxisse, vel Demetriadem, mortua Juliana, ultro repetiisse patriam, ut quæ apud Carthaginem sine cognatorum gentiliumque suorum ope ac solatio vix potuisset residere.

Urbem igitur reversa Leonem invenit primatum seu doctrinæ seu pietatis inter omnes qui tunc in Urbe florebant facile tenentem; cumque archidiaconum Ecclesiæ spectaret potior virginum Deo dicatarum cura, Demetriadem sanctus Leo ex officii sui debito ad sanctioris quam professa fuerat vitæ perfectionem dirigendam suscepit; sanctumque Leonem vicissim sacra virgo, ut ad sublimis propositi observantiam magis magisque accenderetur, pro jure suo precata est. Nec renuit S. Leo onus impositum, sed hanc ad eam scripsit eximiam epistolam, cujus materiem esse debere censuit christianam humilitatem, quam in sacra virgine natalium splendore, immensis opibus largiter in pauperes effusis, ac singulari pietate commendata, periclitari merito timuit : ne partas tot laboribus operumque bonorum assiduitate palmas una eriperet elatio; in cujus virtutis laudes quam propensus aliunde esset, cætera ejus scripta pluribus locis attestantur.

VIII. Sit igitur S. Leonis tam insignis epistola, non vero Prosperi, cujus nomen præ se tulit, ex quo inter ejus Opera excusa est sub hoc titulo : *Prosper episcopus sacræ virgini Demetriadi.* Qui titulus adsititius esse tum inde convincitur, quod ante centum ferme annos, quo tempore S. Ambrosii Operibus accensebatur hoc opusculum, sine hoc titulo semper prodierat; tum quod certum sit apud eruditos Prosperum Augustini discipulum ac vindicem numquam sacerdotali dignitate, sed nec ullo forte ecclesiastico ministerio insignitum fuisse, cum a Gennadio et ipso Gallo, Gallorumque scriptorum diligentissimo encomiaste dictus sit tantum *homo Aquitanicæ regionis.* Gelasius quoque recensens in concilio Romano scripta orthodoxorum Patrum, quos exactissima secundum cujusque gradum appellatione discrevit, enumeratis eorum scriptis, qui pontificali **737** dignitate præfulserant, addito ad singulos episcopi nomine, subjungit de sancto Hieronymo in hunc modum : *Item opuscula beati Hieronymi presbyteri :* ac demum ita in Prospero desinit : *Item opuscula Prosperi viri religiosissimi;* satis innuens ipsum episcopali infula etsi dignissimum, numquam tamen decoratum fuisse. Idem probatum habetur ex cyclo Victorii ad Hilarum P. R. ex Marcellino Comite in Chronico, Bedæ Martyrolog. VII kalend. Julii, etc., de quo vide plura apud Sirmondum in notis ad Apoll. Sidonii lib. VIII, epist. 15. Sed missa illa pseudepigraphe, non esse Prosperi hanc epistolam arguit styli disparitas, et ejusdem affinitas cum stylo auctoris librorum de Vocatione gentium. Etsi enim Prosperi sermo nonnullis interdum rhythmis, ut aiunt, ubique sonat, quod omnibus illius ævi scriptoribus non insolens est, minus tamen frequentes sunt apud Prosperum, qui etiam iis persæpe vitandis studuisse videtur, ut legenti planum erit. Non ita quoque de ordinando et ad amussim construendo sermone, aut secandis periodorum membris sollicitus est ac auctor gemini de Vocatione gentium opusculi; sed ut ratiocinii pondere atque arte præstat alteri, assertionibusque, ut de ipso Gennadius, magis nervosus est, ita dictionis puritate, sermonis nitore, compositionisque elegantia longe inferior est. Probatur præterea ex discrimine quod inter utrumque supra annotavimus, cum unus Ecclesiam Romanam in profliganda hæresi Pelagiana omnibus episcopis præivisse ait; alter ab Africana Ecclesia in hac pugna præventam esse etiam sedem apostolicam asserit; quod diversum auctorem fuisse demonstrat. Denique altum de sancto Augustino silentium, cujus cum laude nominandi nullam Prosper sibi eripi sinit occasionem, eidem hoc opusculum abjudicat. Quam enim opportunam magis, ac magis obviam habere poterat occasionem celebrandi invicti illius gratiæ doctoris, quam in ea epistola, quæ et de gratia Christi, et de humilitate gratiæ custode tota est, in qua Pelagianum dogma, Pelagiique ad Demetriadem epistolam exagitat; quæ episcopos istius hæresiarchæ adversarios commemorat, quorum pars magna erat Augustinus, *præcipua portio*, ut loquitur ipse Prosper (*Epist. ad Augustinum*), *Domini sacerdotum;* in qua alloquitur virginem quam ministerio verbi Christo pepererat, aut potius quam æmulans

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Lege observ. n. 8.

(b) Vid. easdem observ. n. 11

Dei æmulatione desponderat uni viro virginem castam exhibere Christo? Prospero enim omnium quæ Augustini erant curiosissimo indagatori hoc ignorare non licuit, nec tacere, cum id sacræ virgini gratissimum esse futurum non dubitaret. Denique cum de proposito castitatis a Demetriade concepto *inter ipsa principia multos qui tunc in Ecclesia præeminebant, merito non siluisse* asserat, atque illa *rationabiliter doctissimos viros suis adhortationibus incitasse*, nemo est qui credat hanc sibi ipsi vim facere potuisse Prosperum, ut orationem in Augustini nomen ac elogium sponte currentem, **738** compesceret reprimeretque.

Hæc omnia si mente ab omni præjudicio libera lector attenderit, non dubito quin conjecturis nostris ultro subscribat, hocque opusculum sancto Leoni, ut genuino parenti, restituendum judicet.

VIII. Nihil agam ab instituto meo alienum, si ad incudem hic revocavero quæ auctor nuperus refert de pia virgine, melius dixerim adversus piam virginem, cujus memoriam in ecclesiastica historia honorabilem immeritis notis dedecorat. Tribus enim quatuorve criminibus Demetriadem arcessit : primum quod humanæ gloriæ avida, quidquid boni ageret labe ista inficeret; 2° quod Pelagianum venenum a Juliano gentili suo propinatum ultro exceperit; 3° quod hujus farinæ homines libenter foverit; 4° denique quod admiratrix ingeniorum (novum crimen), quod ambitiosis superbisque hominibus ac pietatem mentientibus impensius faverit. Reddo auctori verba sua. *Julianus*, inquit, *affini familiæ venenum suum afflaverat, illudque Demetrias, ut erat gloriolæ amantior, facilius excepit, fuitque contemptrix opum ac mundi, sed admiratrix ingeniorum, hominibus, qui severioris disciplinæ ita præferrent speciem, ut tamen amarent videri dicendi simul et evangelicæ perfectionis principatum tenere* (*Joan. Garnerius, dissert. 6. ad Marium Mercatorem*).

Sed unde habes, vir erudite, haustum a pia virgine Pelagii toxicum? Quod si assertionis testem nullum habes idoneum, non vereris de infamata puellæ Deo sacræ memoria reum coram Deo postulari? Si magnum porro admissæ hæreseos argumentum putas quod sacra puella ex Aniciana stirpe nata est, Anicianæ autem familiæ junctam esse Æmiliam, ex Æmilia jam oriundam fuisse, hanc denium nupsisse Juliano : jam non sola Demetrias, sed et quotquot utramque hanc familiam sanguine vel affinitate attigerunt, Pelagiana dicendi sunt labe infecti; atque adeo vix ab ista peste, ut ita dicam, originali quisquam nobilium Romanorum immunis erit.

Immo vero, inquit, non in omnes Juliani affines transmissum istud venenum, sed hoc *Demetrias, ut erat gloriolæ amantior, facilius excepit*. Et hoc unde? Unde, inquam, habes Demetriadem gloriolæ amantiorem fuisse? An inde, quod *in disciplina et humilitate Christiana nutrita et educata est*, teste Augustino (*Epist.* 188, *al.* 143, *ad Julianam*); an quod, *cum et nobilitate et divitiis prima esset in orbe Romano, hæc universa contempserit; quod se non nobilem, non divitiis præpollentem, sed hominem cogitarit?* An quod *puellares annos fidei ardore superarit, et inde cœperit, ubi aliis desiisse, perfectæ consummatæque virtutis est* (*S. Hieron. epist. ad Demetriad.*)? Forsan *gloriolæ amantior* ideo dicitur, quia tam *sublime propositum super humilitatis fundamenta consistere pie et sapienter intellexit?* Quia *Virgo Anicia super omne fastigium Trabeatæ nobilitatis erecta, converso repente animo, desiderio cœlestium nuptiarum declinavit mortale conjugium... et studiis suis ad sublimiores gradus virtutum profecit* (*Epist. ad Demetriad. cap.* 1). **739** Hæc si elatioris animi et gloriæ avidi indicia sunt, nemo Demetriade, fateor, gloriolæ amantior fuit; sed si contra dejectissimæ humilitatis argumentum ac meritum, vel potius, ut cum S. Hieronymo loquar, *miraculum* istud fuit, fatebitur vel ipse Garnerius humanæ gloriolæ cupiditatem perinique affingi piissimæ virgini.

IX. Sed sæpius *monita est Demetrias de vitandis Pelagii reliquiis et superbia fugienda*. Verum id quidem; sed si de vitanda culpa vel errore fugiendo esse admonitum, admisisse est, nec possit quisquam agere monitorem, qui simul criminatorem non agat, nescio quis a quovis crimine absolutum se considere audeat. Rei fuerunt Romani omnes omnis Manichaicæ impietatis, omniumque Arii, Nestorii et Eutychetis hæreseon, quandoquidem toties de his fugiendis a Leone sunt admoniti. Omnes apostoli, immo Christiani omnes fermento sunt infecti Pharisæorum, quod est hypocrisis, quos toties hortatus est Dominus Jesus ut ab eo sibi caverent. Impudicus dicendus erit Timotheus et profanis vocum novitatibus addictus, ad quem scribit Apostolus ut seipsum castum custodiat, et devitet profanas vocum novitates (*I Timoth.* v, 25, *et* vi, 20). Enimvero quis miretur de humilitate potius quam de aliis virtutibus sermonem a Leone esse institutum, cum Demetriadem alloqueretur, quæ ad eum virtutum apicem evecta erat, cui maxime timendum *superbiæ malum omnibus virtutibus vicinum*, ut scribit Leo (*Ad Demetr. cap.* 16), *quodque videtur iis, quas perditas cupit, amicum esse virtutibus? Unde nihil magis*, inquit, *fugiendum est quam appetitus hujus concupiscentiæ, quæ virtutem negat divini operis amore propriæ dignitatis*. Hunc amorem totis eloquentiæ viribus piæ virgini insufflarat Pelagius in sua epistola; contra hunc tota qua pollet facundia Leo noster dimicat.

Quod si propterea Pelagianum dogma admisisse credenda est Demetrias, quod a Pelagio epistolam acceperat, credatur potius catholicam suscepisse servasseque doctrinam, quia a sanctis Hieronymo presbytero, Augustino episcopo, Innocentio pontifice Romano, Leone archidiacono, postea etiam antistite, aliisque *excellentissimis*, ut hic loquitur, *magistris, qui tunc in Ecclesia præeminebant*, litteræ datæ sunt vel ad Demetriadem ipsam, vel ad ejus matrem Julianam, quibus non minus ad doctrinæ catholicæ quam ad virginitatis amorem accendebatur. Et certe multo magis charitati Christianæ convenit hanc de virgine tantis munita præsidiis opinionem concipere, quam cepit ipse Augustinus, etsi de illis nihil cogitans. *Et nos quidem*, inquit (*Epist.* 143), *de sanctæ virginis disciplina et humilitate Christiana, in qua nutrita et educata est, hoc existimamus, quod illa verba cum legeret, si tamen legit, ingemuit, et pectus humiliter tundit, ac fortassis et flevit, Dominumque, cui dicata est a quo sanctificata est, fideliter oravit; ut quomodo illa non sunt verba ipsius, sed alterius, ita non sit talis et fides ejus*, **740** *qua se aliquid habere credat, de quo in se non in Domino glorietur*. Et infra : *Absit omnino ut tale aliquid in animo non dicimus tuo, vel sacræ virginis filiæ tuæ, sed in cujusque extremi meriti famuli vel famulæ vestræ liber iste fecerit.*

X. Jam quod sanctus Augustinus non ad Demetriadem, sed ad matrem ejus Julianam scripserit, nescio an inde magnum sententiæ suæ patrocinium scriptor laudatus accersat. Sacra puella Demetrias consecrationis suæ præsertim primordia in silentio egit, nec litteris ullis aliorum ad se litteras allexit, quod nec virginitatis nec humilitatis pudori congruebat. Juliana porro de filiæ suæ profectibus sollicita, sanctorum opem adhortationesque enixe postulavit, ut ad sancti propositi observantiam perseverantiamque ardentior efficeretur. Sic ad Innocentium, ad Hieronymum, ad Pelagium adhuc pietatis et doctrinæ nomine conspicuum scripsisse testantur rescriptæ litteræ. De sancto Augustino par ratio : cum enim a Juliana litteras accepisset, non a Demetriade, non ad hanc, sed ad illam rescripsit, certus nihil accepturam matrem, quod cum filia sua commune non faceret. Audiamus Augustinum. *Nesciremus*, inquit (*Epist.* 133), *quemadmodum nostra illa tunc exhortatio a fideli et nobili virgine fuisset accepta, nisi nobis profectis, cum post paululum professa fuisset sanctimoniam virginalem, hoc ingens Dei donum vestrarum*

litterarum lætissimo nuntio et veraci testimonio discerenus. Quod porro rescribens Augustinus ad Julianam, hanc a cavendis Pelagii insidiis moneat, ratio est obvia. Nimirum hoc omnibus Ecclesiæ doctoribus commune est, ut quo tempore contra recenter natum in Ecclesia errorem dimicandi provinciam acceperunt, tunc nullam occasionem prætermittant adversus eumdem insurgendi, omnesque ad quos vel sermonem habent, vel litteras scribunt, ab hujusmodi hæresi studiose deterreant. Hoc sciunt qui Augustini aut Leonis scripta vel a limine salutarunt. Sed in hoc negotio clarum est exemplum. Res erat Hieronymo maxime cum Origeniani dogmatis sectatoribus: inde est quod Demetriadem alloquens, hanc ab illo dogmate ut caute se defendat vehementer adhortatur. Augustinus cum Pelagianis manus conserere per eadem tempora cœperat, ideo Demetriadem a Pelagiano maximo errore deterret.

Sed peculiarem adhuc rationem affert ipse Augustinus. *Quomodo*, inquit (*Epist.* 143), *a vobis, quibus* B *tantam dilectionem debemus, admonendis ut alia caveatis, dissimulare possemus, cum legissemus librum quem ad sanctam Demetriadem quisnam scripserit, vel utrum ad vos pervenerit, vestris potius rescriptis nosse volumus?* Pene igitur prævaricationis reum se Augustinus prodidisset, nisi contra venenum sacræ virgini per hæretici litteras propinatum, catholicæ doctrinæ pharmacum adhiberet; nec aliud mysterium habent sanctæ doctoris litteræ. Cæterum longe a Pelagianorum errore semper fuisse Julianam 741 cum omni sua familia, testatur ipsa disertis verbis ab Augustino relatis. Illam prioribus litteris de hac hæresi vitanda monuerat, deque pia admonitione gratias uberes egerat Juliana, hæc subjungens (*Ibid.*): *Sed noverit sacerdotium vestrum longe me ac domunculam meam ab hujusmodi personis esse discretam; omnisque familia nostra adeo catholicam sequitur fidem, ut in nullam hæresim aliquando deviaverit; nec* C *umquam lapsa sit, non dico in eas sectas quæ vix expiantur, sed nec in eas quæ parvos habere videntur errores.* Probe intellexit Augustinus Pelagianam sectam a Juliana inter eas numerari *quæ parvos videbantur habere errores*: quia nimirum cum nondum plene innotuisset imperitiori præsertim sexui quam exitiosum esset Pelagii Cœlestiique venenum, eorum secta dogmataque tolerabiliora videbantur, si cum illis sectis dogmatibusque conferrentur, *quæ vix expiantur*. Parvum non esse istum errorem docet Julianam Augustinus, ut magis exosam ei sectam redderet, in quam numquam se domumque suam lapsam esse, et a cujus asseclis longe se esse discretam clarissime profitetur; sed hanc ejus fidei professio-

A nem vel obscuritatis arguere, vel parum sinceram suspicari, numquam, quod noverimus, in mentem venit Augustino; nec cujusquam ingenui et Christiani hominis animum debet sinistra hæc subire suspicio.

XI. Miratur denique auctor *quod Demetrias tanta olim totius orbis gratulatione virginitatem professa, postmodum latuerit in obscuro, nec ulli penitus laudata sit, nisi forte cuidam Prospero.* Laudis profecto nimis avidum dixerim, qui parcius laudatam dixerit Demetriadem. Quid in virgine melius laudaveris, quam virginitatis professionem? Quid in virgine *quæ et nobilitate et divitiis prima erat in orbe Romano,* quam *quod hæc universa contempserit, ut se hostiam vivam, Deo placentem, ac sine ulla macula* 742 *æternæ pudicitiæ consecraret* (*Hieron. epist.* 8 *ad Demetriadem*)? Hæc laudavit Hieronymus, hæc Innocentius, hæc Augustinus, hæc excellentissimi quique magistri qui tunc in Ecclesia præeminebant; hæc universus orbis gratulatus est. Istud si cui parum esse censetur, nescio quid ei sufficiat. Sed et in obscuro latuisse post professam virginitatem, virginis Deo sacræ et in obscuro faciei Dei latitantis, non est laus infima; cujus videlicet ardentius studium totiusque virtutis meritum hoc est, ut amet nesciri. Nec tamen obscurus remansit piæ virginis profectus, quem post triginta fere annos universæ Ecclesiæ notum fecit eximia, non Prosperi cujusdam, sed Leonis Magni epistola. Apud quem quanti meriti esset Demetrias, vel inde perspicuum est quod in magnum trahat humilitatis argumentum, quod *in hoc usque*, inquit, *o sacra virgo Demetrias, dignationem tuæ dignitatis inclines, ut provectiones tuas etiam meo stylo exigas adjuvari. Quod ego ad tenuitatem facultatis meæ respiciens, omnibus modis recusarem, neque tam mature et erudito animo cohortatiunculas meas adhibere præsumerem, nisi fiduciam efficiendi id quod jubetur a jubente conciperem, et tuis meritis et orationibus confiderem esse præstandum*, etc. Demum in obscuro non remansit posterioribus annis Demetrias, quæ a pluribus scriptoribus ecclesiasticis laudatur, quod in fundo suo via Latina basilicam in honorem sancti Stephani protomartyris, hortante Leone, exstruxerit. Cujus quidem memoria tam non est in obscuro, ut potius in ore et manibus versetur omnium, quotquot quotidianum ecclesiastici officii pensum persolvunt; et quotannis in anniversaria sancti Leonis festivitate ubique Ecclesiarum recolatur: adeo ut pene in virgine Demetriade impletum dixerim, quod de Magdalena prædixit Dominus Jesus: *Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus* (*Matth.* XXVI, 13.

BALLERINIORUM OBSERVATIONES

In dissertationem quartam Quesnelli, de auctore libelli, seu epistolæ ad Demetriadem virginem

743 1. Hæc epistola primum edita fuit inter Ambrosii Opera, in fine epistolarum ejusdem, epist. 84, et ipsius nomine inscripta, ut didicimus ex editione Basileensi anni 1492. In qua cum non appareant libri *de Vocatione omnium gentium* in posterioribus editionibus adjecti, indicium est manifestum eam epistolam a primo editore sine iis libris fuisse inventam vel in fine codicis Epistolarum S. doctoris, vel in aliquo ms. simili exemplo Vat. 284, in quo hæc ipsa epistola sine libris *de Vocatione* legitur cum hac inscriptione: *Ambrosii ad Demetriadem virginem.* Cum vero animadversum fuisset hanc epistolam ex Pelagianorum mentione, quæ in eadem occurrit, et ex ipsa Demetriadis ætate non posse attribui S. Ambrosio, in editione ejusdem Romana anni 1581 omissa fuit, retentis libris *de Vocatione*, qui antea Ambrosii Operibus additi fuerant

D 2. Joannes Sotellus, qui anno 1565 Lovaniensi Prosperi editioni libros adjecerat *de Vocatione* ex tribus codicibus, in quibus iidem libri Prospero tribuebantur, etsi nullum nactus fuisset exemplar, quod hanc epistolam Prospero pariter ascriberet, eam tamen ex styli præsertim similitudine cum laudatis libris eidem auctori adjudicandam, ejusque Operibus inserendam putavit. Licet autem aliquot subinde codices nobis inventi fuerint cum memoratis libris Prospero inscriptis, nullum tamen reperire licuit quo hæc Sotelli opinio fulciatur. Plerique enim codices qui libros *de Vocatione* attribuunt Prospero, hac epistola carent. Ex tribus autem exemplaribus Vaticanis signatis num. 262, 268 et 281, in quibus post duos libros *de Vocatione* hæc epistola describitur, duo postrema 268 et 281 libros *de Vocatione* Ambrosio asserunt; epistolam autem absque auctoris nomine subji-

ciunt cum titulo: *Incipit de vera humilitate ad sacram virginem Demetriadem*. Primum vero recentius 262 libros quidem *de Vocatione* et iu inscriptione et in finali clausula ascribit Prospero, at epistolam quasi opusculum ad eumdem auctorem non pertinens, interpositis aliquot paginis albis, sine ulla inscriptione a prima statim periodo exorditur, adeo ut libris *de Vocatione* Prospero tributis per accidens subjecta videri queat.

3. Cum nihilominus ex styli similitudine, nec non ex similibus de gratia sententiis invaluisset opinio, ejusdem auctoris esse et libros *de Vocatione*, et epistolam ad Demetriadem, sicut illi libri ex pluribus mss. exemplaribus Prospero tributi fuerunt, ita hanc quoque epistolam, nullo licet codice suffragante, eidem adjudicandam communius obtinuit. Primus contra hanc sententiam vexillum extulit Paschasius Quesnellus, qui una cum libris *de Vocatione* hanc etiam epistolam S. Leoni vindicandam contendit. Contra hunc autem late scripsit Josephus Antelmius dissert. 2, *de veris Operibus SS. Leonis et Prosperi*, B ut ex vulgata sententia S. Prospero eamdem epistolam assereret; et alter alteri brevioribus subinde scriptis respondit. Inter has compugnantes opiniones ut æquum feramus judicium, cum nihil ex mss. pro Prospero, pro Leone autem multo minus elici potuerit, expendendæ sunt imprimis illæ conjectationes quas Quesnellus proposuit, ut excluso Prospero, Leoni epistolam vindicaret. Tum de sententia Antelmii, qua S. Prosper auctor astruitur, nonnulla adjicientur.

4. Primo hypothesis quam initio Quesnellus statuit, eumdem esse et illorum librorum et epistolæ auctorem, non ita certa est, uti præsumitur. Duplex
745 in hanc hypothesim affertur ratio, tum quod stylus in utroque opere idem videatur, tum quod utrobique iidem Semipelagianorum errores impugnentur. At non Semipelagianorum, sed Pelagianorum errores in epistola ad Demetriadem notari exploratum nobis videtur. Ad Semipelagianos quidem Quesnellus retulit illa capitis decimi: *Quam partem superfluæ prædicationis* (qua scilicet Pelagiani varios C errores spargebant) *quidam sibi, cum cætera abnuerent, servaverunt..... ut omnium hominum generalem ruinam meritorum privilegio sublevarent; et cum inter nostros originalis peccati vulnera faterentur, inter suos tamen hoc tenere ostenderent, quod primorum hominum prævaricatio solis imitatoribus obfuisset*. At hæc Semipelagianis Massiliensibus aut aliis eorum fautoribus nequaquam conveniunt: quippe hi sincere admittebant originale peccatum, neque ulla in hoc errore cum Pelagianis societate jungebantur. Indicantur autem quidam Pelagiani occulti, qui dum verebantur sese palam prodere, originale peccatum fatebantur inter catholicos, inter suos autem negabant; iique ejus generis fuisse videntur, ac illi Pelagiani latentes a S. Leone memorati epist. 1, quos generalibus et ambiguis professionibus utentes, ut sese occulerent, idem pontifex ad apertam et expressam cujusque erroris condemnationem adigendos præcepit. Stylus porro epistolæ a stylo librorum *de Vocatione* discrepare videtur in nonnullis, quæ acutiora et accuratiora ingenia nequaquam effugient. Et siquidem latius similis D prætendatur, cum stylus hac latiori ratione similis in diversis ejusdem ætatis ac institutionis scriptoribus identidem reperiatur, hæc sola latior similitudo styli duorum operum eumdem auctorem certo probare non potest. Nihil igitur pro eodem auctore asserendo certum suppetit. Immo altum de Semipelagianorum erroribus silentium in epistola, ubi congrua incidit occasio, non nemini incredibile videri potest, si ejus auctor idem esset ac scriptor librorum *de Vocatione*, qui ex his libris adversus eosdem inflammatus agnoscitur. In re autem præsenti si saltem dubium ponatur num diversus sit epistolæ et librorum auctor, cum negari nequeat stylum epistolæ magis convenire cum stylo librorum *de Vocatione* quam cum stylo S. Leonis vel Prosperi, et hac majori similitudine nihil A conferente incertum habeatur num isthæc epistola auctori librorum *de Vocatione* tribuenda sit; multo erit incertius, immo creditu difficilius erit, eam Leonis esse vel Prosperi a quorum stylo magis discrepat.

5. Sed hoc interim prætermisso, et præsumpta etiam hypothesi eumdem esse utriusque operis auctorem, cum nihil hinc elici queat ad asserendum auctorem Leonem potius quam Prosperum, dissertationis Quesnellianæ examen prosequamur. Pro Leone igitur Quesnellus primo ingerit promiscuum et peculiarem usum veteris et Hieronymianæ versionis ejusdem versus 4 capitis XIV libri Job, qui juxta utramque interpretationem tum in Leonis Sermonibus, tum in epistola ad Demetriadem legitur. Id *validum argumentum* decantat, *cum nemo facile sibi persuadeat fortuito contigisse ut eadem ætate duo scriptores diversi eumdem ejusdem libri versum assumpserint ex versione S. Hieronymi, quæ nondum in usum vocata erat, et vix ab alio auctore illius ævi usurpata reperiatur*. Quam vero imbecille sit hoc argumentum, quod *validum* censuit, patet ex coævo auctore operis *de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, qui eumdem versiculum Job ex utraque interpretatione recitat part. I, c. 4, ac eodem etiam in contextu utramque versionem ita jungit, uti in epistola ad Demetriadem, non autem in Leonis Sermonibus jungitur. Adde quod idem versus ex utraque versione simul recitatur etiam ab auctore Hypognosticon lib. V, c. 4, qui hoc eodem sæculo floruit; et ita recitatur, ut in hoc potissimum versu Job hæc duplex interpretatio adversus Pelagianos solemnis appareat, nec ad peculiarem hujus vel illius auctoris modum referenda sit. Post descriptum enim versum ex versione antiqua addit: *Hæc secundum septuaginta Interpretum editionem, quæ ex Græco in Latinum sermonem versa est, posuimus. Audite apertius ad sugillationem vestram idipsum, qualiter ex Hebræo verbo sit in Latinum translatum: Quis potest*, etc. Et paulo post: *Sive igitur Septuaginta ex Hebræo in Græco, sive alius similiter ex Hebræo in Latino sermone unum atque idem et immutatis verbis, non tamen veritate, parvulos peccati sorde reos esse dixerunt*.

747 6. Similes sententiæ, quas secundo loco Quesnellus proponit, cum non tam apud Leonem quam apud alios quoque scriptores, qui de eadem re disserere instituant, inveniri possint, et inveniantur frequentissime, nihil conficiunt.

7. Tertium argumentum ex stylo, si etiam similis, immo ejusdem auctoris præsumatur stylus epistolæ ac stylus librorum *de Vocatione*, nihil pro Leone convincit, quemadmodum nihil pro Leone probare stylum librorum *de Vocatione* vidimus in observationibus ad dissert. 2. Quin cum ibidem exactius expendentes stylum eorumdem librorum ostenderimus discrimen non exiguum a Leonis stylo ob quosdam characteres elocutionis valde dissimiles, qui communes sunt epistolæ ad Demetriadem, ex hoc potius styli capite alius a Leone hujus quoque epistolæ auctor evincitur.

8. Post longa verborum ac sententiarum parallela cum Leonis verbis atque sententiis, quibus alia similia in Prospero invenit atque reposuit Antelmius, Quesnellus aliud argumentum affert § 6, n. 5, ex eo quod auctor se Romanæ Ecclesiæ alumnum præfert: *Dum ejus gloriam ubique æmulatus apostolicam sedem omnibus tum sacerdotibus tum plebibus exemplo fuisse asserit, ut Pelagiani dogmatis insaniam abhorrerent; cum hæc palma episcopis Africanis debeatur, qui omnium primi signum adversus Pelagianos levaverunt*. At idipsum etiam Prosper, licet nec Italus nec Romanus, tradidisse ex duobus locis invicem collatis agnoscitur. Primum in carmine *de Ingratis* v. 39, ubi scribit:

.....Pestem subeuntem PRIMA recidit
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Relligione tenet. Non segnior INDE Orientis

Rectorum cura emicuit, captumque nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, etc.

Ac sequentibus deinde versibus, quos Quesnellus recitavit, veluti posteriora Africanorum concilia indicat, quæ Romanæ sedis auctoritate sub Zosimo probata fuere. Secundo in libro contra Collatorem cap. 21, al. 41, ubi recensens juxta temporis ordinem judicia in Pelagianos edita, primum locum tribuit Innocentio I, his verbis : *Tunc istorum machinæ fractæ sunt. Tunc in superbiæ suæ sociis ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit; quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam Palæstinorum episcoporum synodus coarctavit; quando Africanorum conciliorum decretis beatæ recordationis papa Zosimus sententiæ suæ robur annexuit*, etc.

9. Qui Africanos omnium primos Pelagianis bellum indixisse asserunt, ea præsumptione nituntur quod Innocentius adversus eosdem nihil gesserit, nisi postquam ab Africanis monitus celebres epistolas dedit an. 417. At ex duobus recitatis Prosperi testimoniis liquet eum pontificem adversus Pelagianos egisse aliquid ante ipsum Palæstinorum concilium an. 415. Nam priori textu particula *inde* hoc Orientis concilium habitum indicat post aliquod judicium Romanæ sedis, quæ *prima* pestem subeuntem reciderat. In altero autem testimonio similiter Innocentius ante Palæstinorum sententiam nefandi erroris capita percussisse traditur. Aliquid ergo nobis ignotum idem pontifex gessisse in Pelagianam hæresim ante celebres, quæ supersunt, ejusdem epistolas anni 417 dicendus est. Hinc intelligitur quam vere Photius scripserit in Bibliotheca ex cod. 54 serius sub initium sexti sæculi exarato, Pelagianos ac Cœlestianos *ejectos tamquam hæreticos extra Ecclesiam temporibus episcoporum Theophili Alexandrini et Innocentii urbis Romæ*. Hoc testimonium quidam redarguunt, eo quod Pelagianos primum damnatos putent in concilio Carthaginensi anno, uti opinatur, 412, post Theophili mortem, quæ incidit in hujus anni initium. Alii vero ne hoc testimonium, quod ex tam antiquo codice de Pelagianorum gestis agente a Photio excerptum fuit, plane rejiciant, *Theodori Antiocheni* pro *Theophili Alexandrini* corrigendum existimant. Sed ex allatis Prosperi verbis nec repudiandus est his Photii locus, nec corrigendus. Omnia enim optime cedent, si dicamus Innocentium vivo adhuc Theophilo aliquid 750 contra Pelagianos perpetrasse, cum forte antesignanus eorum Pelagius suam hæresim cœpit spargere; quod factum fuisse ante collationem Carthagine habitam anno 411 kalendis Junii colligitur ex Augustino *de Gratia Christi* c. 22, ubi de Pelagio ait : *Cœpit ad nos fama perferre quod adversus gratiam Dei disputaret*; ac dein eum Hipponensi littore exceptum tradit se absente; ac tandem subjicit : *Postmodum ejus faciem, quantum recolo, semel vel iterum vidi, quando cura collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui*. Igitur saltem circa annum 410 Pelagiana hæresis audiri cœpit; idque Romæ præsertim, ubi ille ex eodem Augustino *diutissime vixit* (*De Pec. orig.* c. 21), fuisse auditum deduci potest ex ejusdem doctoris libro *de Dono persev.* c. 20, in quo narrat Pelagium Romæ cum Africano episcopo de gratia litigasse occasione cujusdam sententiæ ipsius Augustini quæ in libro Confessionum erat inserta. Cum Pelagius Roma discesserit ante collationem, cui cum sese pararet Augustinus, illum in Africa vidit, ac dein perrexerit in Palæstinam, ubi adhuc degebat Zosimi tempore, hæc concertatio ejus Romæ circa annum 410 habita videtur. Hæc eadem concertatio aliæque similes Romæ celebres, et exsecranda dogmata ibidem sparsa indicari etiam videntur in libro de Peccato origin. n. 24 : *Alia quoque ipsius* (Pelagii) *in urbe Roma, ubi diutissime vixerat, atque in his fuerat prius sermonibus* CONTENTIONIBUSQUE *versatus, cura fidelium fratrum prolata patuerunt, quæ litteris suis..... papa Zosimus exsecranda, sicut legere potestis, attexuit*. Verosimile itaque videtur hominem Romæ contra divinam gratiam exsecranda dogmata spargentem, et cum catholicis libere litigantem ab Innocentio fuisse reprehensum ac ejectum de Ecclesia. Hinc forte ex Urbe discedere coactus, Africam appulit, indeque se in Palæstinam tandem recepit. Ita ergo prima Romana sedes contra Pelagianam hæresim pugnavit ante ipsam Carthaginensem synodum habitam post collationem anno 412, vel, ut nos credimus, sub finem anni 411 (*T.* IV *Norisii Oper. Hist. Donatist. part.* II, *c.* 12, *p.* 577), ac proinde ipsa cæteris exemplo præcessit, ut in epistola ad Demetriadem c. 10 traditur. Sed quidquid id est, cum constet hujus epistolæ auctorem idem scripsisse ac S. Prosper, qui Romanus non fuit, quacumque tandem ratione id explicandum credatur, hæc sententia ad Romanum aut Romanæ Ecclesiæ alumnum astruendum eumdem auctorem nihilum confert.

10. Hæc in hypothesi quæ vulgo obtinet, qua nimirum creditur auctor epistolæ loqui de primo Romanæ sedis judicio in damnandis Pelagianis. At veremur ne hoc sensu ejus verba accipienda non sint. Inquit enim laudato cap. 10 : *Restiterunt quidem huic impietati recta innumerabilium corda sanctorum, et non solum docti quique pontifices, verum etiam universales Ecclesiæ plebes apostolicæ sedis exemplo insaniam novi dogmatis horruerunt*. Verba *apostolicæ sedis exemplo*, quod non tam *docti quique pontifices*, quam *universales Ecclesiæ plebes* secutæ sunt, uni conveniunt tractoriæ Zosimi in universum orbem missæ, quam non solum omnes docti, seu sanæ doctrinæ pontifices eam subscriptionibus firmantes, verum etiam omnes totius Ecclesiæ plebes de hac hæresi admonitæ, *insaniam novi dogmatis* horruerunt. Simili fere sensu S. Prosper contra Collatorem n. 57 de eodem Zosimo scripsit : *Ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit* : quatenus scilicet ei tractoriæ omnes catholici episcopi subscribentes, omnes quoque suas plebes ad eamdem hæresim exsecrandam incitarunt.

11. Pluribus deinde conjecturis Quesnellus prosequitur, ut statuat cap. 7 occasionem ac tempus quo hæc epistola a Leone scripta fuerit. At cum nondum satis probaverit hunc pontificem esse ejus auctorem, omnes ejusmodi conjectationes infirmo fundamento incumbentes fatiscunt. Quoad epistolæ tempus, ea scripta traditur postquam Demetrias ex Africa in Urbem remigraverat. Id autem accidisse post Vandalorum irruptionem in eamdem provinciam anno 427 Quesnellus existimat; et licet non diffiteatur eam potuisse ante id tempus redire, priori tamen sententiæ veluti probabiliori adhæret, quippe cui cæteras conjecturas libenter superstruit. At Demetriadem jam rediisse Romam an. 414 liquet ex epistola Pelagii ad eamdem virginem eodem anno scripta, ubi hæc leguntur : *Adhibe tibi etiam in Urbe solitudinem* (Append. *Aug. t.* II, *epist.* 17, *c.* 23). Voces *in Urbe* Romam proprie dictam significant; unde Pelagius in Oriente degens, cap. 1 indicat se 751 transmarinis litteris respondere, quas a Juliana ejus matre, cum filia utique in Urbem reversa, acceperat. Hinc etiam S. Hieronymus epist. 130, al. 8, ad eamdem eodem anno scripta, ipsam monet ut Innocentii fidem sequatur, nulla neque Aurelii, qui Carthagine eam velaverat, neque Augustini, qui virginitatis vovendæ eidem hortator fuerat, facta mentione : quod indicio est eam Romæ tunc temporis exstitisse. Idipsum etiam colligitur ex Augustini epist. 188, ad Julianam, ut PP. Benedictini latius probant in Augustini Vita lib. VII, c. 6, n. 6. Serius nihilominus nostram epistolam fuisse lucubratam nonnulla suadent. Non solum enim c. 10 Pelagiana hæresis jam toto orbe con-

demnata innuitur post Zosimi tractoriam, quæ data fuit anno 418, verum etiam longum intervallum a virginitatis proposito, quod in primæ ætatis flore edidit Demetriades, indicant verba capitis primi: *Si vero de commendando virginitatis bono disseram, superflua erit ejus nunc propositi insinuatio, quod tu a primæ ætatis tuæ flore sine humanis cohortationibus elegisti, et de quo inter ipsa principia multi qui tunc in Ecclesia præeminebant merito non siluerunt.* Quæ verba palam ostendunt, et Demetriadem jam excessisse florem juventæ, et eos jam supremum diem obiisse, qui illius propositum scriptis laudaverant. Augustinus autem præcipuus ejus laudator obiit an. 430, et ideo post hunc annum hæc epistola scripta fuit. Cum porro capite 10 memorentur Pelagiani quidam occultiores, aliter inter suos, aliter inter catholicos profitentes, quales præsertim sub Leone pontifice plures fuerunt, si per hoc tempus lucubrata credatur, eam Leoni jam supremam in Ecclesia auctoritatem obtinenti non posse attribui multo magis patebit. Nonnulla enim sunt in eadem epistola adeo humilia et submissa, ut neque eidem uti Romanæ Ecclesiæ archidiacono convenire visa sint Antelmio Dissert. 2, n. 20, pag. 108. Recitat præcipue illa capitis 1, ubi et *dignatio dignitatis* Demetriadis effertur in *indicenda* e veluti præcipienda hujus epistolæ scriptione, ac ipsius auctoris maxima erga illam observantia declaratur. Hæc monachum et privatum quemlibet sane decent, Romanæ autem Ecclesiæ archidiacono, qui ex officio et cura virginum, ut Quesnellus putavit, hæc scriberet, nequaquam congruunt. Stet igitur nihil esse ex quo hanc epistolam Leoni cogamur asserere; immo nonnulla occurrere ex quibus illam ipsi subtrahendam putemus.

12. Prospero autem multo minus vindicari potest, cum stylus epistolæ multo apertius a Prosperi quam a Leonis stylo discrepet, ut ex observationibus ad dissert. 2 colligere licet. Prætermissa etiam Augustini mentio, cum opportuna incidisset occasio, opusculum abjudicat a Prospero, ut optime Quesnellus notavit; neque enim hic ea ratio dissimulandi ejus nominis allegari potest, quam in libris *de Vocatione* ingessit Antelmius. Accedit error initio epistolæ insertus, quo virginitatis propositum a Demetriade *sine humanis cohortationibus* susceptum traditur; neque enim Prosper S. Augustini Operum callentissimus ignorasse videtur hunc S. doctorem ejus propositi suscipiendi celebri ad eamdem virginem epistola hortatorem fuisse. Cætera quæ Prosperum excludunt apud Quesnellum invenies. Hinc ergo Leone et Prospero subductis, hanc epistolam incerto auctori ascribendam censuimus.

DISSERTATIO QUINTA

SEU

APOLOGIA PRO S. HILARIO ARELATENSI EPISCOPO,

ET ANTIQUIS SANCTÆ ECCLESIÆ ARELATENSIS JURIBUS,

IN TRES PARTES DISTRIBUTA.

Ad epistolam 10, alias 89, sancti Leonis papæ ad episcopos Viennensis provinciæ.

PRÆFATIO.

753 Rem arduam aggredimur, nec ad hæc usque tempora ab ullo ecclesiastico scriptore omni ex parte tentatam: ut scilicet sanctum Hilarium Arelatensem episcopum, Ecclesiæ Gallicanæ decus eximium, a calumniis probrisque vindicemus, quibus sanctissima ejus memoria, occasione epistolæ sancti Leonis ad episcopos Viennensis provinciæ, immaniter hactenus lacessita est. Eum enim passim traducunt ut hominem *præfractæ contumaciæ, effrenatæ temeritatis et insolentiæ, qui omnia jura episcopalia et metropolitica susquedeque ferret, qui canones ecclesiasticos nihil pendens, omnia pro libidine animi ageret* (*Marca, epist. ad H. Valesium*), pontificatumque suum, seu, ut aiunt, *vicariatum a pontifice concessum in tyrannidem converteret; quod Diotrephi similis ipsum pontificem recipere detrectaret* (*Morinus Exercitat. Eccles. lib.* 1, *exerc.* 23); quod denique illa *apostolica delegatione et primatu in tantam arrogantiam fastumque prorupisset, ut summum pontificatum et, ut ita dicam, papatum in Galliis sibi jam designaret* (*Filesac. dissert. de sacr. episc. auctor. c.* 9, *sect.* 12). Pro quibus criminibus aliisque quamplurimis justissimas pœnas luisse Hilarium asserunt, nec aliter eum in Leonis gratiam tandem aliquando redintegratum fuisse, atque inter vindicatos cœlites conscriptum, quam peracta pro tot et talibus ausis seria constantique pœnitentia.

Neminem qui hæc omnia diluere tantique pontificis innocentiam asserere tentaverit hactenus invenimus, nisi unicum auctorem, eumque Hispanum, Franciscum scilicet Bivarum ordinis Cisterciensis abbatem, qui commentitium Dextri Chronicon a Marco Maximo episcopo Cæsaraugustano 754 continuatum in lucem edidit, et commentariis illustravit. Hic enim ad ann. Chr. 449, ubi Pseudo-Dexter *Hilarium Arelatensem egregia morte vitam meritis et sanctitate plenam finiisse* narrat, aperte et palam prædicat hujus viri sanctitatem, modestiamque eximiam; eaque omnia quæ vel a Leone, vel ab aliis in ipsum conjecta sunt, inter calumnias ab ejus adversariis confictas deputat. *Cæterum* (*ut sensum*, inquit, *meum ponam*) *tanta viri sanctitate perspecta, nequaquam in Baronii adduci possum sententiam, ut credam Hilarium rem pœnitentia dignam eo temporis perpetrasse; sed in eam proclivior sum, qua nihil minus intelligi queat inter Hilarium et Leonem quæstionis utrimque justæ intercessisse, atque olim inter Paulum et Petrum a Paulo reprehensum; inter Chrysostomum et Epiphanium, seu inter Athanasium et Luciferum; et ut aliquid altius repetam, inter Gabrielem et principem Persarum custodem. Nam et magnus Leo multis susurrationibus et criminationibus circumventus in Hilarium juste potuit irasci, nimirum cunctis quæ in ipsum a malevolis objiciebantur fidem præbens; et Hilarius ipse nihilominus ab omni crimine immunis esse.*

Quid porro scriptores nostros a causa Hilarii sui defendenda deterruerit, plane nescimus, nisi quod vel negotium illud non satis perspectum habuerunt, ad alia pro suo quisque instituto properantes, vel se ut temeritatis ac violatæ pontificiæ majestatis reos infamandos esse timuerunt, si tot facinora a Leone in medium adducta adversus Hilarium in dubium revocarent, vel absolverent eum in cujus condemnationem utraque potestas terribilibus sese decretis aliquando armaverant.

Verum ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Quasi vero Hilarius defendi, nisi offenso Leo-

ne, non possit; cum potius **755** utriusque apologiam ita sibi invicem existimemus esse connexam, ut non aliter quam purgato ea qua instituimus ratione Hilario, Leonis ipsius existimationi provideri posse arbitremur. Ita enim Arelatensis episcopi sanctitas, humanarumque rerum contemptus apud clarissimos quosque auctores ecclesiasticos, ne quid de peculiari ejus vitæ scriptore dicamus, celebrata sunt, ut alia via excusari non possit Leo, quod in hominem, proh qualem ac tantum! ea scripserit, quibus paria (si Bivaro credimus) probra in facinorosum quemlibet vix conjici possent, quam si Leonis credulitati per malas artes fuisse obreptum fateamur hic primum ingenue, et abunde postea demonstremus.

Quidni enim Leonem nostrum iisdem verbis affari nobis liceat, quibus Bernardus papam Eugenium? *Venerunt ad te in vestimentis ovium*, immo in vestimentis pastorum, *in habitu sancto : species decepit te. Quid mirum? Et tu homo es.* Neque hoc sibi Leo de se ipse persuaderi ægre passus esset, qui statim atque adeptus est pontificatum sub tantæ dignitatis pondere ingemuit, et de ineluctabili pene in multis errandi necessitate et secum et apud plebem suam pluries conquestus est. *Quæ conditio*, inquit, *si omnes sacerdotes generaliter tenet, quanto magis nos et onerat et obstringit, quibus ipsa suscepti operis magnitudo creberrima est offensionis occasio* (*Serm.* 4 *in Assumptione sua*, *cap.* 2)? Timor quem timebat evenit ei, et quod verebatur accidit. Ita enim in hac cum Hilario disceptatione falsis rumoribus technisque adversariorum ejus circumveniri se passus est, ut cum innocentissimum virum, immo apostolicum omnino sacerdotem exagitaret, omnium Ecclesiarum perturbatorem, totius disciplinæ adversarium, omnium pene scelerum reum se in Hilario impugnare existimaret. Neque vero hæc tam mea sunt, quam eminentissimi Baronii verba de Hilarii et Mamerti causa non absimili ita loquentis : *Non mireris, lector, Romanum pontificem adversus Mamertum adeo vehementer insurgere, virum, ut declararunt eventa, sanctitate insignem. In his enim quæ contentiosi fori sunt, perfacile est quemquam decipi. Persimile etiam sancto Leoni accidit, qui in sanctum Hilarium eadem ferme ex causa acerrime invectus est. Quis nesciat sæpe accidere ut falsis accusationibus et subreptionibus aures pontificum repleantur; et cum putant agere quod justum appareat, exagitent innocentem* (*Baron. ad* an. *C.* 464, *n.* 8)? Hæc Binius a Baronio pro suo more mutuatus ad calcem undecimæ Hilarii epistolæ transtulit, bisque insuper Baronii suffragium cumulavit : *Quod* **756** *accidit S. Leoni pontifici sanctissimo in causa Hilarii Arelatensis, qui epistola* 89 *acerrime innocentem perstrinxit, idem ex obreptione Hilaro pontifici in causa Mamerti accidisse potuit.*

Innocentem igitur Hilarium pronuntiat hic magnus Annalium scriptor; ut merito censendus sit ea voluisse retractare quæ ad annum 445 dixerat duriusculis verbis, nec rebus satis expensis de tota hac causa disserens. Posterioribus cogitatis veluti sapientioribus inhæremus; priora, eum imitati, emendabimus hac, quam ordimur, dissertatione. Quæ ut ordinatior clariorque procedat, in tres partes dispertietur, quibus quidquid adversus Hilarium a Leone objectum est in epistola illa celebri discutiemus. Prima igitur erit de Celidonii negotio, quod hanc camarinam movit, ubi de jure Arelatensis episcopi in provinciam Viennensem disseretur. Secunda de episcopi super-

A ordinatione in locum Projecti, ubi de jure ejusdem Arelatensis episcopi in provincias Narbonenses et alias quas sibi vindicabat Hilarius. Tertia denique parte cætera accusationum capita quæ Leonis epistola complectitur, sepositis omnibus præjudiciis, ad examen revocabimus.

PARS PRIMA.

DE CAUSA CELIDONII.

Cap. I. *Totius controversiæ origo et status.* — Cum beatus Hilarius e Lirinensi monasterio, cui semel olim tradiderat, ad sedem Arelatensem in Honorati demortui locum evectus esset circa quadringentesimum vigesimum nonum Christi annum, nihil sanctius habuit quam ut gregem Christi sibi commissum verbo pasceret, ac sollicitudine regeret pastorali. Quemadmodum autem ejus cura, quatenus episcopus erat, spectabat solam Arelatensem Ecclesiam, ita ad omnes sese provinciæ Viennensis Ecclesias episcoposque extendebat ratione metropolitici juris, quod
B penes se dudum habebat Arelatensis antistes. In his autem pastoralibus excursibus explendis comite plerumque utebatur magno illo Germano Autissiodorensi episcopo, quem et sanctitatis fama et apostolica prudentia eximie commendabant. Eum vero non ob hanc solum rationem crediderim ab Hilario in hujus sollicitudinis communionem esse vocatum; sed etiam quia plures tunc temporis erant provinciæ Viennensis civitates, quæ non Romanæ ditionis essent, sed (*a*) parerent Burgundionibus. Quibus **757** videlicet ab Aetio devictis Sabaudia relicta erat, cum indigenis ita porro dividenda, ut finibus deinde vi armorum per vicina propagatis, in Prima Lugdunensi, Maxima Sequanorum, Viennensi et aliis provinciis sedem fixerint. Potuit igitur Hilarius Germani opem eam ob rem poscere, ut apud alienæ ditionis populos, quibus acceptissimus erat eorum contribulis Germanus, plus valeret episcopalis auctoritas et ordinatio. Quidquid sit de hac ratione, narrat (*b*) Honoratus
C Massiliensis episcopus in Vita Hilarii nostri, quod cum Hilarius Germanusque lustrantes provinciam ad aliquam civitatem pervenissent, non prius eorum adventus innotuit, quam certatim undique convolarit hominum multitudo, non ex infima tantum plebecula, sed ex nobilioribus honoratioribusque longe plurimi, quorum una vox, una hæc adversus Celidonium accusatio : ipsum videlicet internuptam suo quondam adhibuisse consortio, quod canonibus omnino contrarium erat; eumdemque sæculari præfectura perfunctum, antequam sacris initiaretur, aliquos extremo damnasse supplicio. His auditis Germanus et Hilarius, viri disciplinæ ecclesiasticæ tenaces, congregant illico synodum ex probatissimis episcopis, causam instruunt, convictumque Celidonium e sede sua dejiciendum pronuntiant. Sed satius est et quæ jam diximus, et quæ Celidonii depositionem secuta sunt, suis verbis Honoratum narrantem audire.

D *In excursibus autem*, inquit, *quis ut dignum est explicabit quantum ejus præsentia profectum contulerit civitatibus Gallicanis, sanctum Germanum sæpius expetendo, cum quo sacerdotum ministrorumque vitam necnon profectus excessusque tractabat? Ubi ejus adventus innotuit, flammata ad utrumque nobilium et mediocrum studia convolarunt, astruentes Celidonium internuptam suo adhibuisse consortio, quod apostolicæ sedis auctoritas et canonum prohibent statuta : simul*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Per hoc tempus, quo vivebat Hilarius, sola Sabaudiæ pars ab Aetio concessa fuit Burgundionibus qui Romanos adhuc uti dominos coluerunt. Aliquot vero Viennensis provinciæ civitates solum post Valentiniani mortem, et Occidentalis imperii ruinam in potestatem eorum venerunt : vivente autem Hilario, paruerunt Romanis una cum Maxima Sequanorum et ipsa urbe Autissiodoro, uti ex ipsius S. Germani Vita liquet. Vide Pagium, ad an. 445, n. 12.

(*b*) Num hic Honoratus sit certus auctor Vitæ S. Hilarii, ex admonitione eidem præmissa colligetur. Narrationem hic Quesnellus suo arbitrio contexuit ex auctore præsertim Vitæ S. Hilarii, cui quid tribuendum sit, vide in observat. part. I, c. 1, n. 3.

A *ingerentes, sæculi administratione perfunctum, capitali aliquos condemnasse sententia. Tantæ rei novitate permoti, testes imperant præparari. Conveniunt ex aliis locis probatissimi sacerdotes : res omni ratione prudentiaque discutitur, accusatio testimoniis confirmatur. Adhibetur vera simplexque definitio : ut, quem Scripturarum regulæ removebant, voluntate propria se removere deberet. Ille Urbem credidit expetendam, ibique se injusto rigore astruit condemnatum. Quod ubi comperit vir beatus, pedibus iter aggrediens Romam sine equo, sine sagmario festinus intravit. Apostolorum martyrumque occursu peracto, beato Leoni papæ illico se præsentat, cum reverentia impendens obsequium, et cum humilitate deposcens ut Ecclesiarum statum more* **758** *solito ordinaret; astruens aliquos apud Gallias publicam merito excepisse sententiam, et in Urbe sacris altaribus interesse. Rogat atque constringit, ut si suggestionem suam libenter excepit, secreto jubeat emendari; se ad officia, non ad causam venisse; protestandi ordine, non accusandi, quæ sunt acta suggerere;* B *porro autem si aliud velit, non futurum esse molestum.*

Non statim discessit Roma Hilarius, sed exspectato concilio episcoporum, eorum videlicet qui forte fortuna tunc Romæ commorabantur (cujusmodi synodum ἐνδημοῦσαν vocabant Orientales), jus suum fortiter tuitus est. In illa enim synodo multa ultro citroque prolata sunt, quorum Acta cum epistola sua misit sanctus Leo ad episcopos provinciæ Viennensis. *Quæ igitur*, inquit, *apud nos in causa Celidonii episcopi gesta confecta sunt, et quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem præsente episcopo audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat* (*Epist.* 10). Eadem proculdubio Acta penes se habuit auctor Vitæ Hilarii, sed ab iis recensendis abstinuit, ne dissidium jam tunc inter beatissimos pontifices cœlesti pace compositos redintegrare videretur. *Et quia*, inquit, *tantorum virorum, præsertim jam ad supernum gratiam vocatorum, nec in narratione audeo judicia ventilare, hoc breviter dixisse sufficiat :* C *quod solus tantos sustinuit, quod nequaquam minantes expavit, quod inquirentes edocuit, quod altercantes vicit, quod potentibus non cessit, quod in discrimine vitæ positus communioni ejus quem cum tantis viris damnaverat conjungi nullatenus acquievit.* Miranda certe hoc loco simul et dolenda nobis venit humanæ conditionis seu infirmitas, seu ignorantia. Ecce enim quam diversis coloribus Hilarium depingunt (*a*) Leo et Honoratus, uterque episcopus, uterque sanctitate conspicuus, veritatis uterque studiosus. Scribit S. Leo (*Epist.* 10, *cap.* 3) : *Nihil Hilarium habuisse rationabile, quod in sanctorum concilio sacerdotum posset respondere*; eumdem laudat Honoratus, quod *solus tantos sustinuit, quod inquirentes edocuit, quod altercantes vicit*. Queritur Leo *ad ea se occulta cordis ipsius transtulisse, quæ nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum posset audire*. Nihil tale Honoratus, sed potius miratur *quod nequaquam minantes expavit, quod potentibus non cessit, quod in discrimine vitæ po-* D *situs communioni ejus quem cum tantis viris damnaverat conjungi nullatenus acquievit*. Ille *tumorem mentis ejus superbiæ spiritu inflatæ, et nimis impiam præsumptionem arguit*, talemque asserit exstitisse, *ut beato apostolo Petro nollet esse subjectus, et frequentius temerariis et insolentibus verbis sententiam damnationis expeteret*. Hic vero testatur **759** eum *beato Leoni se illico præsentasse, cum reverentia impendisse obsequium, et cum humilitate poposcisse ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret*. Cui suffragatur Auxiliaris præfectus, qui tunc Romæ agebat et testis ocularis fuisse videtur, cum ita ad ipsum Hilarium scribat inter cætera : *Sed cum propositi tui tenax sis et semper æqualis, nulloque commotionis felle rapiaris, sicut nullis extolleris illecebris gaudiorum, ego nec minimum quidem factum beatitudinis tuæ arrogantiæ memini contagione fuscari. Sed impatienter ferunt homines, si sic loquamur, quomodo nobis conscii sumus. Aures præterea Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur*, etc. Denique Leo graviter expostulat, quod Hilarius *meriti sui conscius, cum quæreretur ad causam, turpi fuga se credidit subtrahendum*. Auctor vero ille et sapientiæ et fortitudini imputat *quod custodibus appositis, hiemis rigore sæviente, quos ratione non flexerat, credidit relinquendos*. Jam enim a primo in Urbem adventu Leonem monuerat *se ad officia, non ad causam venisse, protestandi ordine, non accusandi, quæ erant acta suggerere. Porro autem si aliud vellet, se non futurum esse molestum*. Hæc omnia Honoratus, qui post utriusque mortem ita scribens, ab omni vel palpandi vel fallendi affectu liber et immunis fuisse credendus est.

Præsentiscens igitur Arelatensis episcopus statutum esse Leoni causam Celidonii apud se penitus retractare, majoremque fidem habere testibus ab illo episcopo productis, quam his omnibus qui coram Gallicanorum episcoporum synodo adversus Celidonium testimonium dixerat, satius duxit Roma abscedere, ne coram certanti pro suis Ecclesiarumque Gallicanarum prærogativis aliquid incauto aut pugnacius agenti elaberetur, quod iram pontificis Romani magis accenderet, quam rem propriam promoveret; neve exspectando sententiam quam in prioris detrimentum ferre paratus erat S. Leo, aliquod conciliorum episcoporumque auctoritati præjudicium crearetur, quod futuris deinde sæculis in exemplum traheretur.

Quam ægre Hilarii egressum ex Urbe tulerit Romanus pontifex, testis est epistola quam scripsit postmodum ad provinciæ episcopos, et constitutio imperialis quam in ipsum intorqueri fecit a Valentiniano Augusto. Non statim tamen secuta sunt Hilarium hujusmodi scripta ; sed eo egresso, *absolutus est Celidonius episcopus*, inquit S. Leo, *remotumque judicium, quod prolatum in hac sententia legebatur : quod tamquam viduæ maritus sacerdotium tenere non posset*. Deinde scripsit per brevem epistolam ad episcopos provinciæ Viennensis, ut eos de toto negotio certiores faceret; indicaretque, Hilario metropolitica in Viennensem provinciam potestate privato, eam ad Viennæ episcopum translatam pro jure antiquo fuisse. Nec soli Viennensi provinciæ hanc dedit epistolam, sed etiam cæteris episcopis *per Gallias*, ut titulus præ se fert, hoc est **760** per septem provincias *constitutis*. Quæ epistola, si tamen genuina est, veluti prælusit prolixiori illi libello, in quem disserimus, qui cum maximi esset momenti, operosiori stylo elaborari debuit. Immo non prius de eo in Gallias mittendo apud se statuit pontifex, quam diutius diligentiusque totum hoc negotium mente versasset. Unde quinque mensium intervallum inter utramque epistolam reperitur, quarum ultima VIII idus Junias data est, eodem scilicet tempore quo Valentiniani constitutio; prior vero VIII vel III idus Januarii : quod optime convenit cum tempore reditus Hilarii in Gallias, qui *hiemis rigore sæviente* contigit, ut supra ex ejus Vita retulimus.

Interim vero se suæ reddidit Ecclesiæ Arelatensis pontifex ; et ut nihil, pro mansuetudine et charitate sacerdotali, omitteret quo iratum Leonem deliniret : *totum se*, inquit Honoratus, *ad placandum ejus animum inclinata humilitate convertit, misso primitus sancto Ravennio tunc presbytero, postmodum proprio successore. Deinde sanctum Nectarium, sanctumque Constantium, præcipuos sacerdotes*, misit.

Etsi porro hoc lenimento usus Hilarius pro servanda, quantum in ipso erat, unitate spiritus in vinculo pacis, ne putes tamen ipsum juri suo cessisse, ut sibi persuasit eminentissimus cardinalis Baro-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Leoni magis credendum loco allegato ostendimus, nec non cap. 3, n. 2.

nius (*Ad. an.* 445, *num.* 18), qui et addit illum *haud mediocre edidisse specimen christianæ modestiæ, cum ita exagitatus tam a pontifice quam ab imperatore, tamen omnino quievit, neque contrariis editis apologiis suam causam defendit, cum alioquin id præstandi et vis eloquentiæ ipsi suppeteret, et jura a prædecessoribus prætensa suffragarentur.* Immo vero reipsa præstitit quod præstare potuit: *semper sui propositi tenax, semper æqualis* jura suæ Ecclesiæ et usque ad extremum spiritum obtinuit, et qua pollebat eloquentia strenue defendit: cujus rei fidem faciunt et Auxiliaris præfecti epistolæ fragmentum in ejus Vita, et ipse Vitæ auctor, hæc scribens: *Quantum in hac causa dictaverit, huic operi nulla possum ratione connectere*, etc., de quo fusius infra agemus. Dubitandum tamen non est quin Auxiliaris præfecti precibus annuens, ad nimiam Romanorum, ut loquebatur, teneritudinem se subinde demiserit, et quidquid illibatis Ecclesiæ suæ juribus remitti potuit, id libentissimo animo præstiterit. *Aures Romanorum*, inquit cordatissimus ille præfectus, *quadam teneritudine plus trahuntur: in quam si se sanctitas tua subinde demittat, plurimum, nihil perditurus, acquiris. Da mihi hoc, et exiguas nubes parvæ mutationis serenitate compesce.* Hæc modo sufficiant. Jam vero discutienda nobis sunt accuratius ea quæ occasione hujus controversiæ adversus Hilarium objiciuntur, qui tamquam alieni juris invasor ab omnibus pene scriptoribus exagitatur, propterea quod Celidonium episcopum non modo innocentem, sed et ad se nullatenus pertinentem, deponere ausus fuerit. Ante omnia autem, **761** qua in provincia ille episcopum egerit, inquirendum est.

CAP. II. *In qua provincia Celidonius episcopatum obtinuerit? An in Maxima Sequanorum? Ubi Vitæ S. Romani abbatis locus expenditur.* — Plures hic occurrunt ventilandæ quæstiones, quæ semel illustratæ plurimum lucis conferent toti huic controversiæ. Quæritur enim cujus civitatis, vel saltem cujus provinciæ Galliarum episcopus fuerit Celidonius? Utrum intra septem provincias, an in aliqua reliquarum Gallicanarum quæ corpus singulare conflabant? Item fueritne solummodo episcopus, an etiam metropolitica auctoritate fuerit decoratus? Hæc porro non ignorare tanti est, ut ex his totius dissidii cardo pendeat. Longe enim aliter statuendum est de Hilarii negotio, si comprovincialem antistitem deposuerit, aliter si metropolitanum. Iterum alius est omnino quæstionis status, si intra provinciam Viennensem hoc egerit; alius, si in aliqua alia e septem provinciis; alius denique, si extra hoc peculiare provinciarum corpus, puta in Lugdunensi, in Maxima Sequanorum, vel in alia: ista siquidem, qua fieri poterit industria, secernenda sunt, ut in quo Hilarius erravit vel errare visus est, possit deprehendi.

Cardinalis Baronius Celidonium provinciæ Viennensis episcopum fuisse existimavit, etsi res ab eo discussa non videtur. Hæc omnium animis insedit opinio, usque dum Joannes Franciscus Chiffletius in sua Vesontionensis seu Bizuntinæ urbis et Ecclesiæ Historia fragmentum quoddam protulit Vitæ S. Romani abbatis, quod e codice monasterii Jurensis acceptum, eidem a Petro Franc. Chiffletio S. J. transmissum fuerat. (*a*) Fragmentum enim istud Celidonium Vesontiensem episcopum disertis verbis appellat. *Hilarius*, inquit, *venerabilem Celidonium supradictæ metropolis* Vesontiensis *patriarcham, patricio præfectorioque fultus favore indebitam sibi per Gallias vindicans monarchiam, a sede episcopali, nulla existente ratione, dejecerat.* Mirum est quam avide, quam benevole istud exceptum fuit ab omnibus Historiæ ecclesiasticæ studiosis, qui scilicet intelligebant quantum lucis inde mutuaretur Hilarii negotium, quantopere

A et sententiæ Leonis papæ æquitas palam omnibus fieret, et tota hæc disciplinæ ecclesiasticæ pars nobilissima illustraretur. Chiffletiorum igitur sententiæ omnis eruditorum chorus accinit, Celidoniumque Bizuntinæ Ecclesiæ episcopum hucusque credidit: **762** in his J. Sirmondus Conciliorum Galliæ tom. I; illustriss. Petrus de Marca, dissert. de Primatu Lugdun. n. 77, et in opere de Concordia sacerd. et Imp. lib. V.; ejusdemque libri continuator Stephanus Baluzius, Franciscus Hallier, de Hierarchia Eccl., et alii passim.

Ab hoc eruditorum grege vix me divelli patior; patior tamen, quoniam multa me movent persuadentque Celidonium hunc, de quo controversia, numquam Vesontionensem episcopum fuisse, et fragmentum istud vitæ S. Romani merito interpolationis mihi suspicionem injicit, ne dicam aperte per fraudem vel errorem Vitæ illi insertum fuisse.

Integra nuper luci data est Romani Vita opera Bollandi ad 28 diem Februarii, ubi fragmentum illud suo B insertum loco vidi; sed et totam Romani Vitam accurate perlegi, adjunctamque ab eodem auctore Lupicini fratris et Eugendi qui huic successit historiam, ut et scriptoris genium deprehenderem, et si quid ad rem quam tractamus faceret, expiscarer. Eugendi discipulum se profitetur auctor ille, multaque de illo narrat, quæ ipse suis hausisse oculis testatur. Ita, si ultro demus Romanum et Lupicinum Hilario æquales fuisse, auctor, qui Eugendi illorum discipuli discipulum se profitetur, vel ad finem quinti sæculi, vel ad initium sexti floruisse credendus est, hoc est circa an. 515 vel 520. At multa sunt in illis narrationibus quæ omnino aliena videntur ab illo sæculo, quæque longe recentiorem ætatem redolent, ut necesse habeamus dicere, vel mendacem esse auctorem illum, dum se Eugendi discipulum facit, vel si eo tempore quo dicitur, scripsit, lucubrationes illas corruptas fuisse et interpolatas ab aliquo posterioris ætatis nugatore. Alterutro autem semel comprobato, jam nulla C fides integræ scriptioni danda est, in qua vera a falsis, germana a subdititiis secernere longæ ambagis et improbi laboris opus fuerit. Utrumque porro illud quam sæpe, quam impudenter a nonnullis perpetratum fuerit, nemo est qui nesciat. Flagrans quippe cupido nobilitatis avitæ cogit interdum homines delirare, ut in simili causa loquitur Baronius: nihilque magis obvium habemus inter hujusmodi monimenta, quam vel scripta omni ex parte supposititia, vel aliqua saltem parte mutila, adjectitia, interpolata, innumerisque historiolis, revelationibus, miraculisque ad fraudem vel pietatis ludibrium fictis conspersa; ut merito Bollandus ipse initio operis sui monendum lectorem crediderit, ne levem et incautam fidem hujusmodi historiis adhibeat, et nonnullas etiam digito monstraverit sincerus auctor, quæ nugivendulorum **763** manus expertæ, quisquiliis et deliramentis refertæ fuerunt.

Tales nobis prodiere, meo quidem judicio, Vitæ D SS. Romani, Lupicini et Eugendi, in quibus hæc reperiuntur vocabula, quæ desinente quinto sæculo, vel sexto ineunte, in usu fuisse facile non crediderim: *Repausare. Super formulam conquiescere. Religio et religiosus*, pro monachorum ordine et monacho. *Pater Romanus, Pater Lupicinus* eo sensu qui nunc in usu est apud monachos. *Lignea sola quæ vulgo*, inquit, *soccos monasteria vocitant Gallicana;* hæc enim et alia nonnulla recentiorem Gallicismum omnino sapiunt.

Nomen *sacerdotis* sine addito, quod prioribus sæculis episcopum significat, usurpat pro presbytero; *patriarchæ* pro metropolitano episcopo; *basilicæ* pro sacello monasterii; epistolæ regularis pro decretali; *archimandritæ* pro abbate, quod Occidentalibus mo

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Sinceritatem hujus fragmenti vindicabimus in observ. part. I, c. 4, n. 4 et seqq., ac per totum caput 2, ubi Celidonium Vesontionensem episcopum ex aliis etiam documentis confirmabimus

nachis vix innotuit illa ætate. Quæ omnia posterius scriptoris ævum arguunt : sicut etiam hæc : *Vincula professionis dirumpere*, quibus cum monastica vota, qualia emittuntur hodie, intelligere videatur, ad sextum sæculum pertinere non possunt.

De *dalmatica* S. Romani sermonem facit, quam ab eo acceptam Lupicinus discipulo suo Eugendo moriens tradiderit, qua et ipse usus fuerat dum viveret. An sacrum genus festium hic intelligat, an commune, facile non est statuere; communem enim et promiscui usus vestem tali nomine decoratam nullam novimus; dalmaticæ vero, quæ nunc diaconorum est ad altare ministrantium insigne, non facile concessus quibusvis clericis vel monachis usus. Exeunte enim sexto sæculo Aregius Vapincensis in Gallia episcopus, et per se ipse dum Romæ versaretur, et postmodum per diaconum suum enixius postulavit a Gregorio Magno ut sibi et archidiacono suo uti dalmaticis liceret. Cui respondit pontifex quod *quia rationis consideratio novum hoc inconsulte et subito non permitteret indulgere,* B *idcirco postulatæ rei prolongatus effectus est : nunc vero*, inquit, *charitatis tuæ bona revocantes ad animum, hujus auctoritatis nostræ serie petita concedimus, atque te et archidiaconum tuum dalmaticarum usu decorandos esse concessimus, easque dalmaticas dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate deferente transmisimus* (*Greg. Mag. l.* VII, *epist.* 5, *indict.* 2). Si vix concessa est episcopo dalmatica, quis credat ea usum esse Romanum presbyterum, et Lupicinum, Eugendumque, qui duo sacris forsan ordinibus non erant initiati. Vix igitur capi potest vel sacram vestem communibus Eugendi usibus esse a Lupicino deputatam, ut forsitan hæc verba innuunt: *Hanc tibi probatam* (dalmaticam) *in acceptis utilitatibus noveris assignandam*; vel de communi veste tam magnificam faciendam esse mentionem, vel denique iisdem licitum tunc fuisse sacra dalmatica in sacris ministeriis indui, quæ centum post annis vix episcopo concessa est.

In Vita S. Eugendi scribit auctor piam **764** lectionem, C quæ ad mensam adhiberi solet, ab eo in monasterio fuisse denuo institutam. Quanta porro pietatis et disciplinæ decrementa illic irrepsisse oportuit, ubi consuetudo, quæ ubique vigebat monasteriorum, jam tum defecerat? Hoc vero quis credat statim post celebris illius asceterii conditoris mortem evenisse, et proximo ejus successore adhuc in vivis agente?

Sermonem inserit de duobus monachis Romam peregrinantibus, quos inde reducit sacris apostolorum Petri, Pauli, et Andreæ reliquiis onustos. Quantum hoc a sæculi illius moribus abhorreat, novit qui vel unius Gregorii Magni legit epistolam 30 libri IV, quæ est ad Constantinam Augustam, quam his affatur verbis : *Major me*, inquit, *mœstitia tenuit, quod illa præcipitis quæ facere nec possum, nec audeo ... In Romanis enim, vel totius Occidentis partibus, omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si præsumpserit, certum est quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit..... Quis ergo nunc, serenissima domina, tam* D *temerarius possit existere, ut hæc sciens eorum corpora, non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere?* Quid quod pro magno munere tunc et continenti tempore fuit limatura seu rasura catenarum, quibus vincti fuerant apostoli? Aut igitur impostores fuisse oportet monachos illos, aut recentior Vitæ auctor est quam videri vult, aut denique interpolatum fuit hujus opusculum.

De vitæ cœnobiticæ institutoribus ita disserit, ut de Basilio tamquam omnium primo, tum de Lirinensibus Patribus, postmodum de Pachomio, denique de Cassiano quasi omnium postremo. Quis hæc scripta credat ab auctore quinti sæculi, et a Cassiani ætate non remoto? Quis hanc chronologiæ perturbationem putet esse hominis antiqui? Deinde cum horum omnium constitutiones vivendique rationem cum Jurensium legibus confert, has dicit Gallorum moribus magis convenire quam illorum Orientalium A constitutiones : nimirum Orientalibus accensens Lirinenses Massiliensesque monachos.

Ut summam Eugendi pietatem religionemque extollat, scribit eum morbis continuis afflictatum fuisse, *sic tamen quod numquam canonico usque ad finem defuisset cursui*; ubi de horarum, ut loquimur, canonicarum penso loqui videtur; quod proculdubio tunc nec canonicum appellatum esse, nec lege ecclesiastica indictum, nemo non fatebitur.

S. Lupicinum ait *aquæ ipsa octo circiter annis ante transitum, ne utcumque gustaret, abstinuisse*; quod suspectæ fidei est, sicut et historia Agrippini cujusdam comitis Galliæ apud imperatorem falso accusati et divinitus servati.

Sabini cujusdam Lugdunensis Interamnis abbatis mentionem facit, quem Romano familiarem fuisse scribit, cum antiquissima **765** quæque hujus monasterii monumenta plane de illo sileant, quæ et alios per id temporis recensent abbates.

Hæc omnia si lector attenderit, decernet facile talem esse vitam S. Romani, ut ex his quæ ab illius auctore referuntur nihil omnino certi statui possit; aliquorum enim comprobata suppositio omnem prorsus cæteris detrahit fidem. Verum quamvis cæterorum fides non vacillaret, eam tamen partem quæ de Celidonii depositione agit, totque viris eruditis imposuit, omnino subdititiam esse pro certo haberem, ut habeo : videtur enim esse marginalis annotatio studiosi alicujus, cui injecta mentio Hilarii Arelatensis episcopi ordinantis Romanum monachum prope Vesontionem ab urbe Arelate tanto intervallo dissitam, in memoriam revocavit illam S. Leonis epistolam, in qua Hilarium exagitat tamquam omnium per Gallias Ecclesiarum ordinationes sibi vindicantem; nec dubitavit eodem tempore in eodemque excursu et ordinatum Romanum, et Celidonium fuisse ab Hilario depositum. Hujus etiam credulitatem mirum in modum auxit popularis traditio Bisontinorum de Celidonio episcopo suæ civitatis, quam Jurensis monachus facile cum cæteris hauserat ex Breviario Vesontionensi, unde illam pariter deprompsit Chiffletius; qui si minus patriis fabulis quam veritati studuisset, non aniles narratiunculas pro certis et indubitatis venditasset historiis. Censuit ergo studiosus ille suam conjecturam margini esse inscribendam, ex qua deinde in textum irrepsit per scribarum imperitiam vel oscitantiam. Ut porro de conjectationibus nostris melius quisque dijudicet, totum hunc Vitæ S. Romani locum quem tractamus oculis objicimus, ubi Italico charactere excusa sunt, quæ non ab auctore Vitæ, sed ab alio recentiore subdita insertaque credimus.

« Audita namque (inquit Vitæ scriptor) memeratorum fama, S. Hilarius Arelatensis episcopus, missis in causa clericis, beatissimum Romanum haud longe sibi a Vesontiensi urbe fecit occurrere. Cujus incitamentum vitamque dignissima prædicatione sustollens, imposito honore presbyterii ad monasterium honorifice repedare permisit. *Siquidem antedictus Hilarius venerabilem Caledonium supradictæ metropolis patriarcham Patricio Præfectorioque fultus favore, indebitam sibi per Gallias vindicans monarchiam a sede episcopali memoratum Caledonium nulla existente ratione dejecerat. Ob quod in audientia beatissimi papæ Leonis Romæ male gessisse convictus, restituto quoque in episcopatu Celedonio, apostolica auctoritate ob usurpationem illicitam regulariter est increpatus. Extat denique exinde antedicti ac venerabilis papæ ad Galliæ episcopos cum examinatione gestorum inserta canonibus epistola regularis, in qua priscum per Gallias metropolitanorum privilegium, calcata Hilarii superfluitate, restituit. Igitur beatissimus Romanus ad monasterium, ut supra* **766** *jam diximus, collato sacerdotio regressus*, etc. » Hactenus ex Vita S. Romani.

Porro hæc non ab auctore Vitæ scripta, sed ab alio mixta facile intelliguntur, 1° ex continuæ orationis contextu, cui neutiquam convenire seu cohærere vi-

dentur; sed pannus est Vitam S. Romani nequaquam attinens, et lectoris otiosi meditationem referens. Postquam enim ordinationem S. Romani narravit auctor, eumque monasterium suum repetentem velut prosecutus est, ab eo resumitur iterum Hilarii mentio, quæ jam absoluta esse debuerat, reverso ad sua Romano; historiaque depositionis Celidonii, quæ ad rem nullo modo pertinebat, importuna narratione edisseritur; ita ut rursus de ordinatione et reditu S. Romani verba facere compulsus sit, ne hiulca plane esset oratio extranea narratione intermissa. *Igitur*, inquit, *beatissimus Romanus ad monasterium, ut supra jam diximus, collato sacerdotio regressus*, etc.

2° Cum genuinus auctor Vitæ ordinationem S. Romani primo narravit, de Hilario perhonorificam fecit mentionem, eumque sanctitatis titulo insignivit: *Sanctus Hilarius*, inquit, *Arelatensis episcopus;* statim autem postea assumenti illius sartor eum velut e cœlesti sede dejiciens, non modo sanctum non appellat, *antedictus*, inquiens, *Hilarius*, sed etiam velut effreni ambitione laborantem traducit, qua ductus omnia per vim ageret, aliena sibi jura vindicaret, episcopos a propriis Ecclesiis deturbaret, *nulla existente ratione*, omnes denique Galliarum Ecclesias tyrannica potestate popularetur. Nemo dixerit hunc unius ejusdem scriptoris stylum esse, *eumdemque fontem, qui de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam* (*Jac.* III, 11); sed duorum potius esse fetum, quorum alteri bene perspecta erant S. Hilarii merita; alteri vero aliunde non innotuerat Hilarius, quam ex Leonis epistola.

3° Celidonium appellat *patriarcham metropolis Vesontionensis;* quod initio sexti sæculi Occidentalibus usitatum non erat ad metropolitanos designandos.

4° Germanus Vitæ auctor ordinationem S. Romani describens presbyterii nomine utitur: *Imposito honore presbyterii;* quæ vox per illam ætatem usurpari solita erat ad presbyteros significandos; alter vero, qui pannum assuit, *sacerdotii* vocem usurpat, quæ de solis episcopis intelligebatur, si efferebatur sola, nec umquam de presbyteris, nisi cum addito *secundi ordinis*, aut similis alicujus formulæ.

5° Epistola Leonis adversus Hilarium Arelatensem *inserta* esse dicitur *canonibus*, hoc est canonum codici, ut interpretari licet. Tres porro tantum occurrunt animo canonum codices, qui sexto sæculo in usu essent vel fuissent seu in Ecclesia Romana, seu in Gallicana. In Romana quidem codex omnium antiquissimus, quem nunc primum in lucem emittimus, usque ad Symmachi PP. fere tempora usurpatus: cui circa **767** hujus sexti sæculi initia successit nova collectio, seu versio canonum opera Dionysii Exigui abbatis Romani; cui et alia subjuncta est collectio decretorum pontificum Romanorum a Siricio usque ad Anastasium. In Gallicana vero Ecclesia, nulla alia collectio recepta fuit usque ad Caroli Magni tempora (de quo ex professo infra disseremus, dissert. 16) præter antiquam, quæ ex Orientalibus confecta erat, quamque optime appelles codicem canonum Ecclesiæ universæ; quoniam canones isti Orientales jus veluti commune erat omnium Ecclesiarum Orientalium et Occidentalium, saltem post concilium Chalcedonense. Quibus canonibus suorum conciliorum canones adjungentes particulares quæque Ecclesiæ, puta Gallicana, Hispana, Britannica, etc., suum sibi proprium codicem compingebant. De quo porro istorum codicum intelliges, quod in panno illo dicitur, de epistola Leonis canonibus inserta. Gallicanus quippe codex Romanorum pontificum decreta non continebat. Etsi enim illa magni facerent, et pro data occasione usurparent in suis conciliis Galliarum antistites, non ea tamen in partem Gallicani codicis evehebant, nisi expresse canonibus suis inserta pro lege haberi sancivissent episcopi in synodum congregati; quemadmodum de Innocentii papæ I epistola ad Exuperium factum est ab Agathensi concilio can. 9. Quod vero ad Dionysianam collectionem spectat, vel ad aliam Dionysiana antiquiorem, in neutra epistolam Leonis adversus Hilarium reperimus; neutra in usu fuit in Gallicanis Ecclesiis ante Caroli Magni tempora. Non igitur sexto sæculo vivebat auctor hujus annotationis, cum nullæ tunc auctoratæ collectiones existerent, quibus inserta esset laudata Leonis epistola. Hanc habet collectio excusa quæ Isidori Mercatoris nomine circumfertur (etsi eam in illius mss. codicibus non invenerim), sed ante Caroli Magni tempora non est edita in lucem; circa finem quippe octavi sæculi videri cœpit, ut notat P. Pithœus in Glossario Capitularium. Hac porro Isidori collectione passim usi sunt Galliarum episcopi in synodis quæ tempore Caroli Magni, postque ipsum habitæ sunt, sicut et aliarum etiam Ecclesiarum synodi. Quas imitati collectores posteriorum temporum Burchardus, Yvo, Gratianus, etc., eamdem Isidori collectionem amplexi sunt, nullo discrimine habito epistolarum, quas impostor ille supposuit, aut ab alio suppositas obtrusit.

6° Denique longe recentiorem facit Romani historiam Gregorius Turonensis, quam hujus Vitæ auctor, quem, ut incerti nominis et in multis interpolatum, Gregorio postponendum esse ducimus. Pensiculatius discussimus hanc Vitæ S. Romani partem: **768** quoniam nulla alia hactenus ratione ducti sunt, qui Celidonium Vesontionensem episcopum fecerunt, quam hujus auctoris testimonio; quod quam sublestæ fidei sit lectori relinquo judicandum.

Etsi vero inter pannum istum et reliquum vitæ scriptum distinximus, dum illum subdititium arguimus, cætera non est animus pro certis et indubitatis recipere, velut est illud quod refertur de ordinatione Romani per Hilarium facta non longe a Vesontione. Quod si factum esset ab Arelatensi episcopo, eo magis contra canones peccasset, quod nullum jus prætendere poterat, ex quo ei presbyteros in aliena parochia ordinare liceret. Cum ergo hoc nec retulerit Hilarii Vitæ scriptor, nec objecerit Hilario vel Leo, vel Celidonius, quem istud latere non potuisset, existimandum est scriptorem hujus Vitæ id ex falsis rumoribus vel populari opinione hausisse, et incaute scripto dedisse. Si tamen hoc præstitit Hilarius, dico id per Eucherium Lugdunensem episcopum Hilario licuisse. Notum est enim quam arcta utrique intercederet necessitudo, propter quam ut Eucherio ab Hilario permissum est ut Arausicanæ synodo I interesset ac subscriberet cum episcopis Viennensis et vicinarum provinciarum; ita Hilario ab Eucherio concessum ut virum pietate insignem in presbyterum consecraret in sua diœcesi Lugdunensi, cujus ditioni etiam hodie subjacet Jurense monasterium; a quo cum nec Geneva, quæ est provinciæ Viennensis; nec Lugdunum, nec Vesontio plurimum distent, difficile non est creditu Hilarium suæ provinciæ Ecclesias lustrantem, cum Germano Autissiodorensi et Eucherio Lugdunensi convenisse. Jam vero ad alias probationes pergamus, quibus Celidonium Vesontionensium episcopum non fuisse, immo nec alterius metropolis civitatis probatum imus.

CAP. III. *Celidonium nec Vesontionensium, nec cujusvis metropoleos episcopum fuisse, aliis argumentis probatur.* — Infirmato quod ex Vita S. Romani profertur testimonio, nullum aliud superest quo (*a*) metropolitana Vesontionensium dignitas Celidonio possit vindicari, sed nec ulla est ratio quæ aliam ei metropolim assignandam vel leviter probet; immo non est una quæ illam metropolitanum nequaquam fuisse palam faciat.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hoc caput refellitur in observ. part. I, c. 2 et 3, Celidonium autem non metropolitam, sed merum fuisse episcopum, qui primariæ Sequanorum urbi præsidebat, probabilius ostendimus, c. 3, n. 8.

Primum in narratione quam de hoc negotio instituit Leo in epistola sua ad Viennenses, et in ea ipsa epistolæ parte in qua omnia congerit quæ contra canones regulasque disciplinæ sibi arrogarat, Leonis judicio, 769 Hilarius, ne verbum quidem legere est ex quo de metropolitica Celidonii dignitate vel levissima suspicio suboriri possit. Ventilentur enim syllabæ omnes apicesque capitis tertii, in quo præsertim res Celidonii aguntur; nihil tale occurret. Hanc unicam noxam eo loci imputat Hilario, quod episcopum deposuerit tale nihil merentem : quippe qui convictus non erat ejus criminis, propter quod depositionis pœna infligebatur. Arguit etiam eum quod multa effutierit reverentiæ apostolo Petro debitæ, et sacerdotali mansuetudini contraria. At quoad illam causam non ei objicit defectum jurisdictionis in Celidonium, non imminuta metropolitani ullius episcopi jura, non violatos alienæ provinciæ limites : quæ omnia non omisisset, sed potius vim in illis fecisset maximam, quibus temerata magis Nicænorum B canonum videretur auctoritas ac religio. Quemadmodum ubi Projecti negotium versat, statim provinciarum distinctos limites opponit, quos metropolitanis nefas sit transgredi. *Quid sibi*, inquit, *Hilarius quærit in aliena provincia?* etc. Nihil tale urget in gratiam Celidonii : hoc vero unum profert, quo illum injuste depositum arguat, manifesta testium responsione patefactam esse objecti adversus Celidonium criminis falsitatem.

2. Huic argumento (quod etsi negativum tantummodo sit, decretorium tamen videtur) succedat assertorium. Quod S. Leo metropoliticam in Celidonio dignitatem non agnoverit, sed potius Celidonium metropoliticæ Hilarii potestati subjectum fuisse ultro confessus sit, evincunt Leonis verba, quibus declarat ad suum effectum perducendam fuisse Hilarii adversus Celidonium sententiam, si objecta, acceptæ in uxorem viduæ accusatio legitimis ac fide dignis testibus probata fuisset. *Mansisset namque in illum*, inquit, *prolata sententia, si objectorum veritas exstitisset.* C Quid hoc enimvero est, nisi metropoliticis Hilarii juribus subscribere, ejusdemque in Celidonium jurisdictionem fateri? Quod neutiquam fecisset, si Celidonius iisdem juribus potitus esset in aliqua provincia, præsertim vero si in Maxima Sequanorum, de qua suæ ditioni subjicienda ne per somnium quidem cogitaverat umquam Hilarius. Concessum esset vere Hilario jus in alienam provinciam, quod ab eo male quæsitum esse tam acerbe objectabatur.

3. Probationem aliam eruimus ex aliis ejusdem epistolæ verbis cap. 2 : *Nobiscum*, inquit, *itaque recognoscat vestra fraternitas apostolicam sedem, pro sui reverentia, a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse judicia*, etc. Si de metropolita vel de episcopo alterius provinciæ quam Viennensis ejusque appellatione D ageretur, quam ob causam Viennensis provinciæ episcopos compellaret, ut 770 in memoriam revocarent relationes consultationesque a suis missas, appellationesque olim interpositas ad sedem apostolicam ex antiqua illius provinciæ consuetudine? Cur potius appellationes non commemorat ex illa provincia delatas, cui jure metropolitico, si ita est ut volunt, præerat Celidonius? Hoc non fecit Leo, sed potius ex provincia Viennensi appellationum exempla arcessivit, quia revera quæstio erat de appellatione episcopi intra illam provinciam constituti.

4. Si non ex ea fuisset Celidonius, sed ex Maxima Sequanorum, cur illius potius quam hujus provinciæ episcopos sollicitavit S. Leo adversus Hilarium? Cur ad Viennenses litteras mittit, non ad Sequanos, quos utique facilius erat in Hilarium commovere, utpote quos nulla necessitudine sibi devinctos habebat, quam Viennenses, qui Hilarium propter summam A sanctitatis doctrinæque opinionem atque in rebus agendis peritiam plurimum suspiciebant?

At vero, inquies, revera scripsit S. Leo ad episcopos Maximæ Sequanorum, cujus rei testem habemus doctissimum Sirmondum, qui tom. I Conciliorum Galliæ addenda notis suis ad calcem recensens, ait in vetere scheda epistolam de qua agimus non ad Viennensis tantum provinciæ, sed etiam ad Maximæ Sequanorum episcopos missam inscribi, hoc modo : *Dilectissimis universis episcopis per provincias Maximam Sequanorum et Viennensium constitutis Leo.* Ego veterem illam schedam, admodum veterem non esse vehementer suspicor, sed potius ex eadem officina prodire ac pannum illum adscititium Vitæ S. Romani. Quis porro chartulam incertæ ætatis ac fidei anteponat omnibus exemplaribus tam excusis, quam manu exaratis, qui nobis hanc epistolam hactenus sine ulla mentione episcoporum Maximæ Sequanorum repræsentarunt? 2° Qua ratione, si ad hujus pariter provinciæ episcopos destinata esset, nihil in ejus serie deprehenderetur ex quo ad eos sermonem se habere significaret pontifex? at nullum exstat, quaqua patet hæc epistola, vel levissimum hujus rei vestigium; immo vero ubique indicat se unius provinciæ Viennensis episcopos alloqui, ut cum in præfatione hæc habet : *Vestra fraternitas recognoscat apostolicam sedem a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus*, etc. 3° Ipsa tituli forma impostorem arguit. Quis enim legit umquam *provinciam Viennensium?* Tametsi legimus *civitatem Viennensium*, quæ a Viennensibus populis incolitur, sicut et Lugdunensium, quæ a Lugdunensibus. At quemadmodum non dicitur provincia Lugdunensium prima, Lugdunensium secunda, etc., ita numquam dicta est Viennensium provincia, quia populi, qui Viennenses appellantur, non totam provinciam, cui dant nomen, occupabant, sed modicam partem provinciæ, quæ in duodecim alios populos dividebatur.

Adversus hanc nostram de Celidonii episcopatu 771 opinionem, erit qui objiciat hæc sancti Leonis verba, quibus ab eo Hilarius accusatur, tamquam *ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, et debitam metropolitanis sacerdotibus in suum jus transferens dignitatem ;* quibus verbis vulgo existimant confirmari opinionem de Celidonio extra provinciam Viennensem, episcopo judicato ac deposito.

Ad hæc respondeo distinguenda esse in hac epistola quædam quæ Celidonii negotium attinent, quædam quæ Projecti causam spectant; alia etiam quæ utrique sunt communia. Hujus generis sunt ea quæ præfatione continentur, in qua omnes generatim prosequitur Hilarii, ut putabat, excessus, quorum alii Projectum, alii Celidonium, utrumque alii respiciunt. Porro Projecti negotium ob oculos habebat Leo, cum ordinationes omnium per Gallias Ecclesiarum sibi vindicantem Hilarium arguit; cujus occasione in hæc verba erupit : *Quid sibi quærit Hilarius in aliena provincia?* etc. De Celidonii autem causa intelligenda non esse, inde patet quod in ea non de ordinatione agebatur, sed de depositione episcopi; in cujus locum nullus adhuc substitutus ab Hilario fuerat, ut perspicuum est ex S. Leonis silentio, qui de eo aliquid decreto suo statuisset, sicut de illo statuit qui ægrotanti Projecto fuerat superordinatus. Econtra vero in Projecti negotio, non de depositione, sed de ordinatione seu superordinatione lis erat : quamobrem ad illum referenda sunt quæcumque hic de illicitis ordinationibus a sancto Leone objiciuntur. Ad majorem hujus loci illustrationem aliqua adhuc dicenda sunt quæ commodius in secundam dissertationis hujus partem differentur; ubi quo sensu accipienda sit hoc loco ordinationis vox, et intra quos fines coarctandæ sint Galliæ, quarum hic Ecclesiæ omnes commemorantur, retegere conabimur.

5. Si quis Galliarum statum qui tunc erat attenderit, intelliget quam parum illi conveniat ut Celidonius Vesontionum fuisse credatur illo tempore epi-

scopus. Omnes enim, ni fallor, consentiunt Maximam Sequanorum vicinasque regiones (a) tunc paruisse non Romanis, sed partim Gallis, partim Burgundionum principibus. Quis autem credat Hilarium ditionis Romanæ episcopum in alienæ ditionis metropolitam jus sibi assumere ausum esse, in extera et inimica Romanis provincia visitatorem egisse, synodum congregasse, primi ordinis episcopum deposuisse? Hoc certe numquam passi essent Burgundiones, sed nec umquam id cordatissimus vir Hilarius tentasset, qui Romanum monachum in presbyterum consecravit, ut hujus Vita testatur, non aliam ob causam eum ex Jurensium **772** locis ad se evocavit, quam quia Jurensia loca, quæ Burgundicæ dominationis erant, adire fas illi non erat, ut sacerdotalia munia illic exerceret.

6. Ex ultima ista ratione altera sequitur, quod nimirum Valentinianus imperator non ita ægre tulisset Celidonium ab Hilario fuisse depositum, nec illius causam adversus hujus sententiam tam ardenter suscepisset defendendam, si extra dominationis suæ limites episcopus fuisset Celidonius. Immo vero hoc illi acceptissimum fuisset, quod Romanæ ditionis episcopus in eas Ecclesias quæ ab illa avulsæ fuerant jus et potestatem sibi vindicasset. Hoc enim erat viam Romanis aliquatenus parare ad regiones illas suo iterum jugo subjiciendas.

Ex dictis manifestum est Celidonium non ex alia provincia fuisse quam Viennensi. Quod etiam innuit sanctus Leo in utraque epistola ad Viennenses, in quibus significat merito Hilarium potestate in provinciam Viennensem privatum esse, quoniam eam male usurpaverat, seu ea male usus fuerat: non certe in causa Projecti, qui ex alia provincia erat; igitur in Celidonii negotio: *Noverit se*, inquit, *non solum ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis provinciæ, quam male usurpaverat, potestate privatum.* Potestas igitur ista propria fuit Hilarii, quandoquidem hæc ab alieno jure, a quo superius legitur depulsus, expressis verbis distinguitur, tamquam legitima, etsi non legitime usurpata.

Cap. IV. *Sanctum Hilarium Arelatensem legitimum judicem fuisse Celidonii, eo quod Arelatensi episcopo potestas metropolitica in provinciam Viennensem competeret. Hujus potestatis vestigia ab ætate S. Trophimi usque ad Taurinensem synodum.* — Abunde in superioribus probatum a nobis Celidonium in provincia Viennensi sedisse episcopum. Inde consequens est totam hanc controversiam huc modo devolvi, si male judicatum est ab Hilario causam non esse nisi ex his tribus unam; vel quod sibi ipse contra fas potestatem metropoliticam in provinciam Viennensem vindicarit, vel quia episcopum neque confessum neque legitimis testimoniis convictum ab episcopali dignitate nihil tale merentem dejecerit; vel denique quod Celidonium appellantem sedem apostolicam non audierit, nec passus fuerit suum judicium a primaria sede retractari ac reformari. Quæ tria suo nobis ordine discutienda sunt; ac primum quidem de metropolitico Arelatensium episcoporum jure dicendum probandumque, **773** hoc penes illos (b) semper fuisse, non autem pertinuisse ad Viennenses episcopos.

Et quidem omnia percurrenti sæcula a prædicato in Galliis Evangelio usque ad Hilarii ætatem (hoc enim nobis satis est, nec plura aggredimur) ubique Arelatensis Ecclesiæ privilegia ac prærogativæ elucent nullumque fere superest Gallicanæ antiquitatis monumentum in quo non appareat singulare aliquod metropoliticæ dignitatis, quam Arelatenses episcopi gesserint, vestigium.

Post Trophimum (qui a sede apostolica missus primus Arelatensem fundavit rexitque Ecclesiam sed cujus incerta ætas eruditorum disputationi tradita est) nullum novimus hujus sedis episcopum Martiano antiquiorem, cujus apud sanctum Cyprianum memoria in epist. 66 ad Stephanum papam. De Martiano illo Novatianæ partis fautore a communione collegarum et episcopatu removendo scripsit Faustinus Lugdunensis ad sanctum Cyprianum Carthaginensem, idemque cum aliis Gallicanis episcopis scripserat ad Stephanum Romanum episcopum, ad quem et ipse Cyprianus illam quam laudavimus dedit epistolam. Ex illa porro magnum, ut ego quidem reor, argumentum sumimus in gratiam Ecclesiæ Arelatensis. Nisi enim primatum gessisset hujus sedis episcopus in provincia Romana, non erat (c) cur ad Transalpinos transmarinosque episcopos confugeretur a Gallicanis episcopis, ut de Martiani depositione agerent. Præsto fuisset metropolitani auctoritas seu Viennensis, ut volunt, seu alius cujuspiam. Etsi enim nondum forte ita ecclesiasticæ hierarchiæ forma ibi constituta ac firmata esset ut postea ordinata fuit, dubium tamen non est quin aliquis inter episcopos præemineret, penes quem cæterorum regendorum, et cum opus erat, in synodum congregandorum cura ac sollicitudo resideret, sive ex dignitate sedis suæ id obtineret, sive ex sacerdotii antiquitate, sive ex communi sacerdotum suffragio ac delectu. Is demum erat quem Faustinus cæterique Gallicani episcopi sollicitassent ad urgendam Martiani depositionem. Qui si tergiversatus fuisset, notaretur proculdubio hujus primarii episcopi oscitantia vel a Faustino ad Cyprianum, vel a Cypriano ad Stephanum scribente. 2° Ita Cyprianus alloquitur Stephanum papam: *Quapropter* **774** *facere te oportet plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Martianum*, etc. Et infra: *Dirigantur in provinciam, et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ*, etc. Si quis alius ab Arelatensi episcopo rexisset illam jure metropolitico provinciam, an non potius dixisset: *Ad coepiscopum nostrum provinciæ metropolitanum vel primatem* (more Africano), sicut et alias fecerunt Romani pontifices, cum aliquid in Gallicanis regionibus contra canonum instituta impune perpetrari audiebant? 3° Non esse cur ad Arelatensem episcopum, potius quam ad alium e Gallicanis dirigerentur aliarum regionum seu clerici seu laici catholici, et formatæ inscriberentur, nisi aliis præfulsisset sedis suæ privilegio et metropolitica vel simili dignitate: hoc enim erat magnorum metropolitarum, vel etiam exarchorum privilegium. Sic autem habet Cyprianus: *Significa plane nobis quis in locum Martiani Arelate fuerit substitutus: ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere et cui scribere debeamus.* Hæc ita se habebant circa ducentesimum quinquagesimum quintum Christi annum, a quo usque ad Arelatense concilium primum nihil occurrit antiquorum monumentorum Gallicanæ Ecclesiæ.

Sexaginta igitur fere post annis congregatum est jussu Constantini imperatoris celebre (d) concilium

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Hoc et sequens argumentum falsa hypothesi nituntur: nam hæ regiones hoc tempore Romano imperio suberant, uti monuimus annot. 1 (*Supra, col.* 431, *n.* a) in c. 1.

(b) Metropoliticum jus *semper* jam inde a S. Trophimo et sæculo III fuisse penes episcopum Arelatensem, nemo credet, si legerit quæ de sera ecclesiasticarum metropoleon institutione in Galliis dicentur part. II observ. c. 5, n. 2.

(c) Nondum institutis per hæc tempora metropolitanis, nihil mirum si Africani et Galli de Martiano scripserunt ad Romanum pontificem, quippe qui tum solus altiori jure omnibus ac præsertim Gallis episcopis præsidebat.

(d) Hoc concilium nihil confert ad jus metropoliticum vindicandum Arelatensi aut Viennensi episcopo, cum nulli, ut diximus, tunc essent metropolitæ in Galliis. Cur autem Marinus primus sit in inscriptione epistolæ ejusdem synodi, licet metropolitanus non esset, vide observ. part. II, c. 5, n. 4.

in civitate Arelatensi, cujus civitatis ipse delectus A illius Ecclesiæ et episcopi dignitatem astruit. Hæc non urgeo, uti nec subscriptionum ordinem quo Viennensi præit Arelatensis; non enim episcoporum qui huic synodo interfuerunt nomina eadem serie subscripta fuisse existimo in primario et autographo synodi exemplari qua nunc in editis concilii actis descripta leguntur, de qua infra paulo fusius disseremus. Quamquam ex eo saltem istud evincimus, per id temporis, quo hæc scriba, quisquis est, exarabat, Arelatensem episcopum dignum existimatum fuisse, qui Viennensi anteponeretur. Sed majoris momenti est ac ponderis quod et in capite epistolæ synodicæ primus, et in Breviario ejusdem canonibus præfixo solus nominatur Arelatensis episcopus Marinus: quod metropoliticæ in eo dignitatis certum apud me indicium est. Primarium enim locum synodi tenere non potuit, nec omnia synodi nomine facere, nisi primarius provinciæ **575** episcopus fuisset vel Viennensis, si jam a solida Narbonensi B decerpta erat, vel totius provinciæ Romanæ, si adhuc stabat solida Narbonensis. Iste enim mos semper obtinuit, ut cujusque provinciæ metropolitanus ei synodo præesset, quæ intra suæ provinciæ limites congregata haberetur, licet civitas illa proprium haberet episcopum. Sufficiat modo ad exemplum Diospolitana synodus, cui præsedit Eulogius Cæsareæ episcopus an. 415, licet Diospolis sub Jerosolymitano episcopo jaceret. Si ergo Viennensis civitas metropolitica dignitate tunc temporis fuisset ornata, jus sibi suum præripi non passus esset Verus Viennensis episcopus, qui aderat concilio; primus omnium subscripsisset, et ipse omnium nomine synodicam confecisset epistolam, ad pontificem Romanum de tota synodo relaturus. Hoc exemplum non parum Arelatensi privilegio favere intellexerunt synodi II Arelatensis Patres, cum canone 18 illud ad confirmandum jus synodi, Arelatensis episcopi arbitrio congregandæ, adduxerunt.

Asserit quidem illustrissimi Petri Marcæ continuator Baluzius lib. V Concord. sacerd. et imp. cap. 30, C num. 4, Marinum Arelatensem *non vindicasse sedi suæ jus metropoliticum in epistola synodica; sed e contra vocari episcopum provinciæ Viennensis in veteri catalogo episcoporum qui ad Arelatensem synodum convenerunt*. Verum unde habes, vir erudite, hoc sibi jus non vindicasse Marinum? Si ex eo quod provinciæ Viennensis episcopus dicitur in veteri illo catalogo, jam ob eamdem rationem adimendus est etiam primatus Vero Viennensi episcopo, cui illum, ut opinor, asseris: non aliter enim subscribit Viennensis, immo nec Massiliensis, Arausicanus et Vasionensis. Hoc unum discrimen in Arelatensis gratiam occurrit, quod ejus subscriptio cæterorum nominibus præponatur, excepto Massiliensi, qui in antiquis editionibus non apparet, sed in sola Sirmondi Gallicanarum synodorum editione.

In concilio Agrippinensi adversus Euphratam, cui Maximinus Treverensis jure (*a*) metropolitico præ- D sidebat, primus omnium post ipsum inscribitur et suffragium dixit Valentinus Arelatensis. Quod etsi aperte jus metropoliticum non asserat, dignitatem tamen sedis designat aliquatenus.

Agrippinensem synodum secuta est septimo post anno Arelatensis, cui præfuit (*b*) Saturninus **776** ejusdem civitatis episcopus, qui quidem Arianæ factioni addictus erat; sed cum nec ab Hilario nec a Sulpitio Severo notatus sit tamquam perperam sibi arrogatæ præsidentiæ reus, integra nobis manet probatio, quæ inde sumitur pro jure Arelatensis Ecclesiæ.

In Biterrensi quoque synodo primatum tenuit idem Saturninus, ut ex Hilario, Severo Sulpitio et Hieronymo facile colligitur; qui jus vel cogendæ synodi, vel in ea primum locum habendi eidem etsi vaferrimo homini non abjudicant: sicut nec Patres concilii Parisiensis, qui eum excommunicatum declarant, non aliam ob causam, quam quia statutis salubribus impiissime contradixit.

CAP. V. *Quid pro primatu seu metropolitica potestate contulerit Arelatensi episcopo synodus Taurinensis.* — Hucusque primatum ubique in provincia Narbonensi obtinuisse videtur nemine contradicente vel repugnante, Arelatensis episcopus, quem in omnibus magni momenti negotiis cunctis præeuntem intuemur. De Viennensi autem episcopo altum ubique silentium.

At inter utrumque oriri cœpta est de primatu contentio circa tempora concilii Taurinensis, quod vulgo anno trecentesimo nonagesimo septimo celebratum creditur, melius tamen ad initia sequentis sæculi rejicitur: quoniam ex pluribus Zosimi papæ epistolis patet tunc Turonum episcopum fuisse Briccium successorem sancti Martini, quem anno quadringentesimo aut etiam sequenti, 11 die Novembris obiisse eruditiores tradunt chronologi ex Severo Sulpitio. Quam supputationem qui amplectitur, dicat necesse est concilium istud, quod mense Septembri convocatum indicat præfatio ejusdem, non ante quadringentesimum secundum vel sequentem annum celebratum esse.

Qua autem (*c*) occasione motam putemus hujusmodi controversiam? Hanc ego natam existimo occasione partim novæ divisionis Galliarum, partim ingentium turbarum quæ exeunte quarto sæculo eam partem Galliarum concusserunt. Maximus enim tyrannidem arripuit in Britannia an. 382, Treveris sedem imperii collocavit, Gratianum imperatorem apud Lugdunum a suis desertum **777** an. 383, per Andragathium ducem peremit. Eugenius pariter Arbogastis comitis præsidio fretus affectavit vique usurpavit imperium ann. 391; succedenti denique anno Valentinianum imperatorem idem Arbogastes apud Viennam interfecit. Per has procellas probabile admodum est Viennensem episcopum caput erexisse ad primatum, cui prehensando locum dedit provinciæ Narbonensis in plures non ita pridem facta divisio, indita Viennensi provinciæ ex urbis nomine appellatio, et in diversam adversamque dominationem Viennensis ejusdem provinciæ scissio, aliquibus civitatibus tyranno parentibus sub Viennensi, aliis cum Arelatensi sub Romana ditione perseverantibus. Facile enim fuit Viennensi antistiti, cujus civitas olim in laterculo imperii metropolis fuerat, et antiquitate eminebat, hoc tyranno persuadere, ut ibi primatum ecclesiasticum constitui juberet, ubi imperii sui sedem vel saltem incunabula habebat. Fundatum his titulis primatum, quibus potuit præsidiis tutatus est, qui non aliud passim affectatæ dignitatis metropoliticæ fundamentum protulit, quam civitatis antiquitatem, et ejusdem dignitatis olim in civilibus concessæ possessionem.

Huc devenerat controversia primis quinti sæculi annis, cum illius seu dirimendæ seu utcumque sopiendæ gratia concilium Taurinense Gallicanorum

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Treverensem episcopum metropolitam fuisse hoc tempore quo nondum institutæ fuerunt ecclesiasticæ metropoles, omni fundamento caret. Cæterum de hac synodo Agrippinensi plures dubitant. Certe Valentinus Arelatensis in hujus Ecclesiæ diptychis a Mabillonio editis non legitur.

(*b*) Quæ hic et in sequentibus colliguntur ex gestis Saturnini Arelatensis, quam sint inania, patebit ex observ. part. II, c. 6, n. 5, ac propterea nihil firmum hactenus allatum est pro vetustiori jure metropolitico episcopi Arelatensis.

(*c*) Veram controversiæ occasionem detegemus in observ. part. II, c. 5, n. 9, et numero sequenti Quesnelli commenta, quæ hic mirifice agglomerantur, palam fient.

episcoporum precibus congregatum est; cujus canon 2 hujusmodi est: *Illud deinde inter episcopos urbium Arelatensis et Viennensis* (observa primo loco nominatam Arelatem) *qui de primatus apud nos honore certabant, a sancta synodo definitum est, ut qui ex eis approbaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, et ipse juxta canonum præceptum ordinationum habeat potestatem. Certe ad pacis vinculum conservandum, hoc consilio utiliore decretum est; ut, si placet memoratarum urbium episcopis, unaquæque de his viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet quas oppidis suis vicinas magis esse constiterit; ita ut memores unanimitatis atque concordiæ, non alter alterum longius sibi usurpando, quod est alii propius, inquietet.*

Ex his synodi verbis perspicuum est, 1° jamdiu molestissimas inter Galliarum episcopos dissensiones exarsisse de Viennensis provinciæ, immo et de aliarum provinciarum primatu: quoniam et illorum jura et harum limites ex perturbationibus per tyrannidem Maximi subortis intra Gallicanas provincias, obscura et difficultatibus impedita **778** evaserant; ita ut, cum vix posset Gallicanis episcopis judicibus hæc controversia dirimi, plerisque videlicet vel propria vel amicorum causa occupatis, ad vicinos coepiscopos causam deferre velut depositis compromissis illarum regionum episcopi proposuerint. Episcopi Italicæ diœceseos, ut provinciæ Viennensis aliarumque contigui ad hoc delecti sunt, eo libentius quod jamdudum illius diœcesis primatem sanctum Ambrosium dissidiorum suorum judicem peroptarant, opinor, Galli antistites: quem propterea ad suam synodum ut conveniret frequenti legatione sollicitarunt. De hoc enim negotio pronum est ipsum Ambrosium intelligere, cum in funere Valentiniani perorans, testatur sibi rescripto Valentiniani ipsius accito in Gallias, ut eum vadem fidei suæ apud comitem Arbogastem haberet, hoc esse denuntiatum accelerandi itineris causa, non ad synodum Galliæ, sed ad baptismum Valentiniani Augusti ipsum esse vocatum. *Additur*, inquit, *eo ut properarem ocius, nec arbitrarer causam itineris mei synodum Gallorum esse episcoporum, propter quorum frequentes dissensiones crebro me excusaveram, sed ut ipse baptizaretur in ipso egressu.* Hæc Ambrosius dicebat ann. 392, quo Valentinianus occisus est: unde et conjicimus post Maximi tyranni, qui Galliarum statum (a) provinciarumque ordinem demutarat, necem quarto ante anno illatam cœptum esse inter Gallicanos episcopos Ecclesiarum suarum juribus decertari, præsertimque inter Arelatensem Viennensemque, quos inter de primatu agebatur. Quam autem provinciam detrectavit Ambrosius a dissensionum turbis alienus, hanc postmodum suscepit precibus Gallorum victus Simplicianus ejus successor, vel qui Simpliciano successit Venerius, quorum alterutrum par est credere Taurinensi concilio præfuisse; quod ne citius celebraretur, impedimento fuerunt quæ Valentiniani mortem secutæ sunt procellæ, perturbatusque rerum Gallicarum ex altero superveniente tyranno Eugenio status.

Ex synodi verbis alterum elucet, ad hoc nimirum totam controversiam devolvi, ut quænam illarum civitatum esset metropolis inquireretur. Hoc videlicet apud judices certum erat, illi deferendum esse in ecclesiasticis primatus honorem, qui eumdem in civili politia obtineret. In quam partem propenderent Taurinenses Patres satis hac definitione ipsi innuunt. Etsi enim neutri civitatum primatum dare sua viderentur sententia, revera tamen illum Arelatensi adjudicabant, quam tunc temporis (b) metropolim **779** esse constabat. Unde non sine arte conscripta mihi videtur esse illa definitio, quæ non decernit illi attribuendam esse metropoliticam dignitatem, qui comprobaret suam civitatem *olim et ex antiquo fuisse metropolim*, quod rem in ancipiti reliquisset, et operosæ inquisitioni dedisset locum, sed quæ approbaret *esse*, per eam scilicet tempestatem; quod aliud non erat quam in gratiam Arelatensis pronuntiare.

Honorius enim Augustus (*Apud J. Sirmond. in notis ad Sidonium, p.* 245) in edicto ad Agricolam præfectum Galliarum dato anno 418 (quo vix quindecim annis antiquior erat Taurinensis synodus) Arelatem expresse appellat metropolitanam civitatem, quod jamdiu tali eam decore ac nomine insignitam fuisse argumento est. Unde cum in ea septem provinciarum conventum fieri præcipit, significat id ipsum non de novo institui, quippe quod jam a præfecto Petronio jussum erat observari, *rationabili plane probatoque consilio;* sed potius reparari, quoniam *interpolatum vel incuria temporum, vel desidia tyrannorum* fuerat, ut in eodem edicto queritur factum Honorius Augustus. Inter hos tyrannos præcipuum intellige Constantinum, qui Arelatem expugnavit, in eam tamquam in primariam totius provinciæ se recepit, et in ea obsessus ab Honorio an. 411 ad deditionem compulsus est; qua expugnata, *provincia ista*, inquit Sozomenus, *rursus ad Honorii imperium reversa est, ac ducibus ab illo constitutis paruit.*

Neque tribuenda videtur Petronio Arelatensis civitatis in metropolim evectio, quæ et præfectoriam potestatem superabat, et Petronii ætate anterior erat (*Gallor. episcop. preces ad S. Leonem*). Hanc enim civitatem a Valentiniano imperatore specialibus privilegiis, puta sede præfecturæ, et aliis, auctam fuisse, immo et metropolim esse appellatam asserunt episcopi Gallicani in eo libello quem pro Arelatensi episcopo obtulerunt papæ Leoni. Quid enimvero est civitatem esse omnium Galliarum matrem, nisi omnium civitatum esse metropolim? Hoc autem a Valentiniano seu primo, seu secundo collatum esse Arelatensium civitati, publico libello asserere (nisi pro certo habitum) numquam ausi essent tantæ probitatis ac prudentiæ episcopi, præsertim cum libellus et adversariorum, et pontificis Romani, et totius Urbis oculis lustrandus esset, et nihil esset facilius quam falsi arguere quidquid falsi precibus insertum esset?

Sed pluribus ante utrumque Valentinianum annis ita nobilitata reperitur Arelas a Constantio Augusto Constantini imperatoris filio, ut ab eo pro metropoli habitam esse vix ambigendi sit locus. In ea quippe solitus erat commorari, cum in Galliis versabatur; in ea theatrales ludos, in ea circenses edidit, in ea etiam consulatum septimum iniit, quem et circensium ludorum editione celebrem fecit. *Arelate hiemem agens Constantius*, inquit Ammianus Marcellinus, lib. XIV, *post theatrales ludos atque circenses ambitioso editos apparatu, ad diem sextum idus Octobris, qui imperii ejus* **780** *annum trigesimum terminabat*, etc. Et infra: *Constantius consulatu suo septies et Cæsaris iterum egressus Arelate, Valentiam petit*, etc. Isthæc ab aliis quoque Augustis ac consulibus præstita esse apud Arelatem testati sunt in laudato libello Galli episcopi. Quorum etiam relatione, sicut et Honorii in recensito edicto, docemur Constantinæ nomen Arelatensi civitati inditum a Constantino Magno; qui sicut ad veteris Romæ exemplar novam in Orientalibus partibus ædificavit, suoque ornavit nomine, ita in Galliis talem Arelatem esse voluit, cui utriusque illius splendor et decora communicarentur, quæ eam ob causam

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Nulla provinciarum mutatio sub Maximo probari poterit. Non pauca Quesnellus gratis pronuntiat.

(b) Non Arelatem, sed Viennam hoc tempore fuisse civilem metropolim, luculenter statuemus part. II observ., c. 4, n. 5 et seqq., ac n. 2. Quesnelli argumenta pro Arelate allata excutiemus. Taurinensium porro Patrum sententiam non de civili, sed de ecclesiastica metropoli accipiendam esse ibidem probabimus c. 5 n. 9.

et *Constantina* ab ipso imperatore, et *Gallula Roma* ab Ausonio nuncupata est. Talis fuit in civilibus Arelas a primo Christianorum imperatorum Constantino, usque ad Valentinianum III, Leoni et Hilario æqualem. Qualis autem sub gentilibus fuerit, vel uno Leone nostro teste edocemur, ut supervacaneum otiosumque fuerit antiquiora monumenta scrutari : fatetur enim ultro *consideratis allegationibus utriusque partis præsentium clericorum*, civitatibus *Viennensi et Arelatensi commune jus quondam fuisse, idque a gentibus esse proditum* (*Epist.* 50, *cap.* 1, *ad episc. provinciæ Vienn. libello respondens*).

CAP. VI. *Zosimi papæ decreta quibus metropolitica potestas asseritur Arelatensi episcopo, expenduntur et a falsi suspicionibus vindicantur.* — Concilii Taurinensis ætatem turbulentissima tempora exceperunt, pluribus per ea tyrannis Gallias occupantibus, in easdem etiam irruentibus Gothis, Burgundionibus, aliisque barbaris; quo factum est ut omnis ecclesiasticus ordo per eas regiones pessumdaretur. *Nusquam enim*, inquit de illorum temporum ac locorum Ecclesiis Salvianus testis oculatus, *nusquam improbior voluptas, nusquam inquinatior vita, nusquam corruptior disciplina.* Quamobrem nec illius concilii ordinationi, nec antiquioribus statutis locum aliquem fuisse per ea tempora putandum est. At pacatis utcumque Galliarum rebus, de rursus instauranda tam ecclesiastica disciplina quam politia civili serio cogitarunt Ecclesiæ et imperii principes. Imprimis vero de restituendis Ecclesiæ et civitati Arelatensi sacris civilibusque privilegiis actum est. De civilibus testis est Honorii constitutio superius laudata, quæ anno 418 data est, quam videre est apud J. Sirmondum in notis ad Sidonium (*Pag.* 245). De ecclesiasticis locupletissimam memoriam habemus in papæ Zosimi epistolis, quæ cum anno uno præveniant Honorii edictum, vel hoc solo argumento perspicuum est non ex sæcularium tantummodo ordinationum imitatione natum esse ecclesiasticum Arelatensis civitatis splendorem; sed in nativis illius Ecclesiæ juribus primævisque prærogativis eumdem esse fundatum.

781 Ex iis Zosimi epistolis, quæ alia Arelatensis episcopi jura attinent, ad alium locum rejicimus; modo quæ metropoliticum constituunt attendamus. Sic igitur in epist. 5, quæ est ad universos episcopos per Gallias et septem provincias constitutos : *Jussimus autem*, inquit, *præcipuam, sicuti* SEMPER *habuit, metropolitanus episcopus Arelatensium civitatis in ordinandis sacerdotibus teneat auctoritatem;* et infra : *Metropolitanæ Arelatensium urbi* VETUS PRIVILEGIUM *minime derogandum est, ad quam primum ex hac sede Trophimus summus antistes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus est.* Mitto alia quæ ad idem recidunt, vel referentur opportuniori loco.

Observatione porro dignum, quod (a) Zosimus non novum jus se condere, nec nudiustertius institutum firmare se dicit, sed VETUS privilegium esse affirmat, quod SEMPER Arelatensis episcopus habuerit; illudque asserit in Trophimi summo pontificatu fundatum, qui videlicet primus illas provincias fide Christi imbuit, et episcopali rexit auctoritate, cujus proinde jura legitimo successionis ordine in ejus sedis hæredes transmissa piaculum fuerit violare.

Tam patens tamque decretorium est hujus pontificis testimonium, ut nihil non agant adversæ sententiæ auctores, quo illud infirment irritumque reddant. Alii nimiam Zosimi credulitatem arguunt, quam in aliis quoque negotiis manifestam fecerit, veluti cum sibi a Pelagio et Cœlestio hæresiarchis ita imponi permisit, ut catholici tam ipsi, quam eorum libelli ab illo judicati sint; e contra vero Africani episcopi, invicti illi gratiæ defensores, ab eo pontifice

A levitatis et imprudentis zeli arguerentur, quod utrumque etsi catholice, ut putabat Zosimus, sentientem, ex levium susurronum scriptis damnationis sententia percussissent. Alii Zosimo ipsi parcentes, scripta ejus nomine vulgata ita falsi insimulant, ut multis rationibus ac momentis sibi certissimum id esse autument. Quibus quoniam multum interest ne fides leviter abrogetur, doctissimorum virorum argumenta, sepositis omnibus præjudiciis, examinanda sunt.

Primo igitur loco aiunt vel ex hoc uno suppositionem epistolarum Zosimi palam fieri, quod Arelatensis episcopus semper fuisse metropolitanus in illis asseritur; quod numquam scripsisset Zosimus, repugnantibus antiquis omnibus notitiis provinciarum, in quibus Arelatensium civitas Viennæ, ut metropoli, subjecta legitur.

Verum quibus, amabo te, major fides debetur; an notitiis hujusmodi quarum ætas auctoritasque incertæ; an epistolis Zosimi? Immo cum antiquis illæ B ignotæ sint, et a paucis tantum annis in lucem eductæ, fides **782** earum plurimum vacillat. Quia tamen plura earum exemplaria proferuntur sibi invicem simillima, nec in paucis codicibus mss. habentur, omnem eis auctoritatem detractam nolim. Sed cum adversus Arelatensium jura nihil valere queant, nisi ante Zosimum conditas esse pateat, inanis prorsus erit ex iis ducta probatio, postquam demonstratum a nobis fuerit, non modo post Zosimum, sed etiam post S. Leonem cœpisse exarari notitias hujusmodi; quod inferius præstabimus. Quo facto licebit in adversarios telum retorquere; si enim sua servata fuerit Zosimi epistolis auctoritas, tum invicta erit sumpta ex iis pro Arelatensium metropoli probatio. Commodius etiam eluentur in sequentibus alia quæ ex eodem primatu repetuntur ab adversariis argumenta.

Opponitur secundo perperam Zosimo ascribi epistolas decretales, quæ nec in codice Ecclesiæ Romanæ, qui a Dionysio Exiguo compactus est, nec in C collectione Isidori continentur.

Sed vix eget responsione hujusmodi objectio. Quam multæ enim tum aliorum pontificum, tum Zosimi ipsius, Leonisque nostri epistolæ, decretales utique celebres, et indubitatæ fidei epistolæ, quasque posteritati commendare plurimum interérat Romanæ sedis; quam multæ, inquam, hujusmodi neutri collectioni insertæ reperiuntur? Ac ne extra præsentis controversiæ fines evagemur, prolixa hæc ad Viennenses epistola, cui modo incumbimus, utriusque Collectoris illius diligentiam fugit. Alia item Leonis epistola, quæ totam hanc litem inter Arelatensem et Viennensem episcopos composuit, a Symmacho quidem laudata est, sed a card. Baronio primum est edita in Annalibus, et omnibus ignota decretorum pontificiorum collectoribus : innumeræ demum aliæ, quæ in mentem hæc legentium, etiam me tacente, incurrunt, in nullis codicibus Decretalium reperiuntur; adversum quas tamen ex Isidori Dionysiique silentio præscribi omnibus antiquitatis ecclesiasticæ studiosis mo-D lestissimum foret.

Symmachum porro Leonemque pontifices Romanos de his epistolis siluisse, quod tertio loco objiciunt, partim verum est, partim vero falsum.

Siluit quidem Symmachus, sed quid mirum? Mirum potius esset, si illius decessoris sui decretum retulisset, quod antiquatum volebat. Nullo modo enim Zosimi ordinationem circa præsens negotium attendit Symmachus (*Epist.* 9, *ad episcopos Galliæ*), sed Leonis solummodo, cujus sententiam inconcussam permanere constituit. Nec ille novum condidit edictum, sed quod fuerat a Leone promulgatum, in lucem (ut ipse ait) reddidit suis afflatibus.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Zosimi litteræ, licet genuinæ sint, utpote sumptæ ex mss. collectionis Arelatensis, quæ nihil suppositium præfert; per subreptionem tamen Patrocli antiquissimum jus metropoliticum Arelatensis episcopi falso ingerere patebit ex observ. part. II, c. 2.

783 Ad Leonem quod attinet, nomen quidem Zosimi non expressit, verum decreti ejus tam disertam fecit mentionem in hac epistola 10 ad Viennensis provinciæ episcopos, ut clarior haberi non potuerit. Quid enim aliud significant hæc verba : *Quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia, et id quod nullus decessorum ipsius ante Patroclum habuit, quid usurpat? Cum et ipsum quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum.* Nemo non videt nullius sedis Romanæ pontificis decretum in gratiam Patrocli conditum a Leone potuisse commemorari, nisi decretum Zosimi, a quo Patroclus sui juris in provinciam Viennensem et alias obtinuit confirmationem. Eodem ergo argumento quo funditus everti epistolarum Zosimi fides putabatur, hoc e contra firmius roboratur, ut nullum aliud conquirere opus sit, ad earum epistolarum sinceritatem comprobandam post Leonis tam authenticum tamque manifestum testimonium.

At saltem de utraque Narbonensi, inquis, nihil S. Leo habet in ista epistola vel aliis. Quid inde? Manifestum est Ravennium juri suo in utramque Narbonensem a prædecessoribus suis defenso, ultro cessisse, et solam potestatem metropoliticam Viennensis provinciæ sibi reservasse asserendam : quam qui Patroclo confirmaverit Romanus pontifex, alius præter Zosimum citari a Leone nostro non potuit. Hæc nobis sufficeret respondisse. Contendo tamen præterea de alterutra Narbonensi sermonem esse in his verbis : *Quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia?* etc. Non enim hic loquitur de Viennensi, quam numquam alienam ab Hilario censuit Leo, quamque nullus pontificum Romanorum eidem ante Leonem abrogarat. Sed de his uberius in parte II dissertationis, de Negotio Projecti, ubi Leonis testimonium expendemus.

Quarto loco objiciunt loquendi modum quem usurpat auctor illius decreti elatiorem esse quam ut Zosimo conveniat; ita enim incipit : *Placuit apostolicæ sedi*, etc. Qui hæc majores animos præseferre existimant, legant Leonem nostrum in plerisque epistolis, velut in iis quas ad Africanos, ad Anastasium Thessalonicensem, immo et in hac ipsa ad Viennenses episcopos; legant ipsius Zosimi litteras ad episcopos Africanos in causa Cœlestii datas, quibus nihil imperiosum magis, et 784 has ejusdem epistolas tamquam a Zosimi stylo alienas non ei abjudicandas putabunt.

5. Prætermissa a Leone et Symmacho de formatis ab Arelatensi dandis mentio non levem suppositionis litterarum, ubi de formatis sermo est, injicere creditur suspicionem.

Respondeo superfluam fuisse formatarum mentionem; cum inter metropolitica munia necessario jus dandi litteras hujusmodi numeraretur. Placuit de illis meminisse Zosimo, ad idque necessitate compulsus est : quoniam occasione turbarum quæ annis præcedentibus Gallias concusserant, et earum concertationum quæ de primatu motæ fuerant inter episcopos, formatarum usus intermissus fuerat, vel ab aliis contra fas usurpatus : restitutus a Zosimo fuit eam ob causam : *Quia*, ut ipse ait, *plures se episcopos sive presbyteros, sive ecclesiasticos simulantes, quia nullum*

A *formatarum documentum exstat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, et indebitam reverentiam promerentur* (*Zosimi epist. 5, ad Episc. Galliæ*). Quod (*a*) jam dudum Arelatensi episcopo tributum fuisse patet ex epistola S. Cypriani, quam ad Stephanum papam pro Marciani Arelatensis depositione scripsit, de qua superius.

6. Urget vir eruditus hanc epistolæ quintæ clausulam : *Ad cujus notitiam si quid illic negotiorum emerserit, referre censuimus, nisi magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen.* Hæc, inquit, sumpta sunt ex epistolis posteriorum pontificum, qui vices suas Arelatensibus episcopis demandaverunt, nec temporibus Zosimi conveniunt. His non uno modo satisfacimus : ac primum quidem adduco eminentiss. cardinalem Baronium, qui testatur in ms. Arelatensi, unde epistolas Zosimi descriptas habuit, ad calcem illius quæ est ad episcopos Gallos, Afros et Hispanos, eamdem clausulam legi quæ et in superiori, de qua B agimus, ad universos episcopos per Gallias et septem provincias scripta, ab his scilicet verbis : *Jussimus autem præcipuam*, etc., usque ad illa (*b*) : *Nisi magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen* (*Baron. ad an.* 417, *num.* 48). Unde conjicere licet hæc ultima, quæ a Zosimo omissa sunt in epistola ad Afros et Hispanos, omissa esse pariter in epistola quæ unice Gallos attinet, et superaddita postmodum esse ab aliquo. Verum conjecturæ huic cedens, respondeo Zosimum pontificem ita Arelatensium episcoporum jura defendenda suscepisse, ut tamen 785 (*c*) rerum suarum non omnino oblivisceretur. Quamobrem ita provinciam Viennensem aliasque studuit Patroclo subjicere, ut eamdem sibi in hujus potestatis usu subjectum haberet : quod præstitit, dum et formatarum jus ei quasi ex privilegio decrevit, et sibi nonnullarum causarum examen ac judicium reservavit. Hoc modo agens Zosimus decessoris sui Innocentii premebat vestigia, qui ad Victricium Rothomagensem scribens, cap. 3 : *Si autem*, inquit, *majores causæ in* C *medium fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, post episcopale judicium referatur.* Utrumque æmulatus S. Leo, eamdem exceptionem iis epistolis apposuit, quibus Thessalonicensi episcopo Anastasio vicariatus sui munus delegavit. Unde non est cur aliquis miretur ut qui ad instar Illyricianæ delegationis in metropoli Arelatensi vicariatum apostolicum instituere meditabatur, illius in isto imaginem expresserit.

7. Sed si dictæ epistolæ Zosimi essent, quis credat tam contrarias a Bonifacio et Cœlestino successoribus ejus potuisse scribi, et istos prædecessoris sui decreta voluisse convellere? Bonifacius enim, epistola 3 ad Hilarium Narbonensem, arguit Patroclum de usurpata ordinatione Lutevensis episcopi in Narbonensi provincia.

Non plane video quid ex epistola Cœlestini ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis adversus Zosimi epistolas assumi possit. Sed demus aliquid tam Cœlestinum, quam Bonifacium (quod hic D revera fecit) prædecessorum suorum decretis contrarium scripsisse, hoc insolitum non esse tot exemplis comprobatur, ut in hac ipsa, quam tractamus,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Privilegium formatarum Arelatensi concessum a Zosimo, non in solam ipsius ecclesiasticam provinciam, seu in Narbonensem solidam eidem ab eo pontifice attributam, sed in *quamlibet Galliarum* partem extenditur epist. 1, c. 1. Hoc autem jus antiquum probari nequit; cum et in Oriente et in Occidente receptum esset ut clerici ab episcopis, episcopi autem a metropolitanis formatas acciperent; quemadmodum docet P. Coustantius in monito ad eamdem Zosimi epistolam : ubi etiam miratur testimonium a Quesnello produci ex Cypriani litteris ad Stephanum papam, in quibus nullus occurrit de formatis sermo.

(*b*) Sequentia quoque verba in utraque epistola leguntur; nec in epistola ad Afros omissa Baronii textus subindicat.

(*c*) Cum Zosimus ecclesiasticorum negotiorum relationem præcepit, et majores causas apostolico examini ac judicio reservatas prætulit; non rem sibi incompetentem, sed jus suum prosecutus est, quod non tam ex primatu divinæ institutionis in totam Ecclesiam, quam ex peculiari jurisdictione in Ecclesiis Occidentis palam dimanat, et apostolica sedes semper exercuit, ut pluribus antiquioribus exemplis, si vacaret, probare possemus. Quesnellus hic quoque animum apostolicæ auctoritati infensum manifestat.

causa triplex occurrit. S. Leo id *quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, meliore postea judicio sublatum* fuisse asserit (*Epist.* 10); quod de Bonifacio debet intelligi, quem aiunt Zosimi decretis contraria statuisse. Anastasius II S. Leonis abrogavit constitutionem, *decessorum suorum videlicet ordinationem* (*quod non oportebat*) *sub qualibet necessitate transgrediens*; hisce verbis loquentem habemus ea de re Symmachum papam, epistola 1 ad Eonium Arelatensem. Sed et ipse Symmachus Anastasii ordinationem rescidit, Leonis constitutioni de divisione Viennensis provinciæ adhærens, roburque addens.

8. Libellus Leoni oblatus a Gallicanis episcopis in gratiam Ravennii, Zosimi quidem nomen reticet (quod objicitur), sed de alio tamen hæc libelli verba intelligi non possunt : *Unde factum est, ut non solum provinciæ Viennensis ordinationem, sed etiam trium* **786** *provinciarum, contemplatione S. Trophimi, sicut et sanctorum prædecessorum vestrorum patefactum sibi testatur auctoritas, Arelatensis Ecclesiæ sacerdos ad sollicitudinem semper suam curamque revocarit.* Nec sententiam solummodo Zosimi refert, sed etiam verba usurpat, ut legenti facile apparet. Deinde Leonem alloquuntur pontifices, cui decretorum sedis apostolicæ non ignaro nomina pontificum a quibus prodierant appellare, et superfluum erat, et quadamtenus indecorum, nam pontifices pontificibus collidere velle putarentur.

Animadvertit, ut puto, lector, nos dum adversariorum objectionibus satisfecimus, plurimas eadem opera probationes assertorias protulisse, quibus epistolarum Zosimi sinceritas comprobatur. His omnibus vice coronidis addimus concilii Francofordiensis an. 794, præsente Carolo Magno, celebrati suffragium. Canon quippe 8 hujusmodi est : *De altercatione Ursionis Viennensis episcopi et Eliphanti Arelatensis episcopi lectæ sunt epistolæ B. Gregorii, Zosimi, Leonis et Symmachi, quæ*, Leonis videlicet et Symmachi litteræ, *definierunt eo quod Viennensis Ecclesia quatuor suffraganeas habere sedes deberet, quibus illa quinta præemineret*, etc. Quibus verbis quænam, precor, Zosimi epistolæ commemorantur, nisi ipsæ quas præ manibus nunc habemus? Sed et Gregorii ipsius Magni testimonium (*Lib.* IV, *epist.* 50, *ind.* 13) hoc in negotio posthabendum non est. Cum enim ad Virgilium Arelatensem, vices illi suas commissurus, scriberet, satis innuit Zosimi epistolas sibi tum ob oculos fuisse positas; inde enim repetiit, quod ibidem refert de antiquitate privilegii Arelatensis, de prisca consuetudine sedis apostolicæ, et de certitudine *qua cunctis liquet*, quemadmodum loquitur, *unde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit.*

Ex dictis apparet quam merito rideat Scaligerum Morinus (*Eccl. Exercit.* 24, *Scaliger, epist.* 348), quod Zosimi epistolas de Arelatensi controversia scriptas ausus sit commentitias et ridiculas pronuntiare, ab iisque confictas hominibus quibus plus otii quam fidei superfuerit. Sed utrum in eadem sententia perseveraverit Morinus, dubito. Ad oram enim Binianæ epistolarum istarum editionis, in eo codice quo vir doctissimus usus est, annotatas lego rationes ejusdem manu exaratas petitasque ex acriore stylo, silentio scriptorum, contrariis successorum decretis, provinciarumque notitiis; ex quibus suspectæ fidei epistolas scribit, confictasque tempore regni Arelatensis, ut Arelas supra Viennensem olim sedem Burgundici regni eveheretur. Sed quantis annorum **787** intervallis regnum Arelatense antecedant auctores, qui testimonio suo sinceritati epistolarum Zosimi suffragantur, ex eorum recensione clarissimum est.

Quod autem ad eos spectat qui non litteris Zosimi fidem abrogant, sed (*a*) Zosimi ipsius elevant auctoritatem, propterea quod erga Pelagium et Cœlestinum nimis credulus eorum se versutiis circumveniri sit passus; respondeo longe disparem esse utriusque negotii rationem : difficillimum enim est in rebus theologicis, iisque præsertim quæ ad abstrusiores de gratia Christi quæstiones pertinent, etiam subtilissimos quosque non decipi, cum versutissimi hæresiarchæ sub catholicorum verborum involucris plerumque pestilentissimæ doctrinæ virus contegant. Tales erant Pelagius et Cœlestius, quorum prior, eloquentia ac dicendi arte vix ulli secundus, potuit facillime Zosimo homini Græco per verborum fallaciam, quæ communia cum catholicis habebat, imponere, quemadmodum et ipse prius miseram illam, ut loquitur Hieronymus, Diospolitanam synodum suis fraudibus deluserat. At in examine metropoliticorum jurium nihil prorsus cum mysteriorum abditorum investigatione comparandum fuit : in qua discussione, si falli Zosimo contigisset, de errore fuisset per Viennensis aliorumque episcoporum litteras admonitus; nec tot scripsisset ad idem negotium pertinentes epistolas, quas nemini displicuisse animadvertimus, nisi Proculo Massiliensi episcopo.

CAP. VII. *Honorium Augustum, Bonifacium, Cœlestinum et Leonem ipsum pontifices Romanos, necnon et Valentinianum* III *Augustum habuisse Hilarium pro metropolitano.* — Non repetam quod superius ex constitutione Honorii Augusti allatum a nobis in gratiam civitatis Arelatensis, quam diserte metropolitanam appellat. Sufficiat ad seriem annorum observandam illud indicasse.

Ad Bonifacium PP. venio, qui sub finem ejusdem anni pontificatum sumpsit. Hunc certe propensioris in Ecclesiam Arelatensem animi nemo suspicatus fuerit, si modo legerit epistolam quam scribit ad Hilarium Narbonensem episcopum, ubi Arelatensem de usurpata episcopi Lutubensis ordinatione arguit. Idem tamen manifestissime potestatem metropoliticam in provincia Viennensi Hilarii nostri prædecessoribus **788** defert in utraque sua epistola quæ res Gallicanas spectat. Scribens enim ad episcopos Galliæ de Maximo Valentinæ civitatis episcopo de variis criminibus accusato, Patroclum primum nominat eorum omnium, quibus epistola inscribitur, ex quibus quatuordecim, qui numerantur, conflabatur, ut ego quidem (*b*) reor, provincia Viennensis. Etsi enim subscribentium episcoporum nomina non ex Ecclesiarum dignitate ac prærogativa ordinentur, metropolitano tamen primus semper locus reservatus est, sive in epistolis ad totius provinciæ episcopos scriptis, sive in iis quas provinciales scripsere episcopi.

In altera vero epistola, quam ad Hilarium Narbonensem episcopum scripsit, arguitur quidem Patroclus quod *in aliena provincia*, prima scilicet Narbonensi, *prætermisso metropolitano, contra Patrum regulas ordinasset* : quod argumento est Patroclum propriam habuisse provinciam, quam prætergressus culpatur de violata synodi Nicænæ constitutione, quæ præcipit, *per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas.* Quæ constitutio ne extra propositum hoc loco laudaretur, nisi inter metropolitanos numeratus esset Patroclus.

Hanc epistolam secuta est post tres annos Valen-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Deceptionem Zosimi agnosces ex part. II c. 2 nostrarum observationum.

(*b*) Gratis more suo sic opinatur. Cum hæc epistola non ad solos Viennensis provinciæ episcopos, sed et ad cæteros per Gallias et septem provincias constitutos scripta dicatur; eos quatuordecim, qui in inscriptione nominantur, solius Viennensis provinciæ episcopos opinari, divinare est; cum præsertim in hac provincia tredecim tantum civitates notitia Galliarum exhibeat.

tiniani constitutio de diversis ecclesiasticis capitibus, A in Galliam missa an. D. 425, in cujus cap. 2 *diversos episcopos nefarium Pelagiani et Cœlestiani dogmatis errorem sequentes* PER PATROCLUM SACROSANCTÆ LEGIS ANTISTITEM *præcipit conveniri; et nisi errata correxerint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco sacerdotium fidelibus subrogari*. Hæc omnia metropolitanum episcopum loquuntur.

Ad Bonifacii proculdubio epistolam respiciebat Cœlestinus papa Bonifacii successor, cum in epistola ad episcopos per Viennensem et Narbonensem provincias constitutos decernit, cap. 4, *ut juxta canonum decreta unaquæque provincia suo metropolitano contenta sit*, *ut decessoris nostri*, inquit, *data ad Narbonensem episcopum continent statuta* ..... *sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus; alter in alterius provincia nihil præsumat*. Quamobrem his pariter verbis confirmatur metropolitica Arelatensis episcopi potestas, cum supponat similiter suam ei provinciam subjectam esse. B Sed et capite tertio de Daniele agens, qui multorum criminum reus ordinatus fuerat episcopus, satis innuit Arelatensem episcopum metropolitanum fuisse. *Missa*, inquit, *ad Arelatensem episcopum per Fortunatum subdiaconum*, **789** *ut ad judicium episcopale pertraheretur*, *epistola*. Cur enim ad ipsum potius quam ad alterum scriberet, ut Danielem ad judicium episcopale pertrahi curaret nisi saltem in Viennensi provincia metropoliticis juribus frueretur.

Hæc ad ipsius Hilarii, cujus causam agimus, tempora episcopatumque proxime accedunt; quem et duabus insignibus synodis Regensi et Arausicanæ I subscripsisse primo loco reperimus, quod procul dubio itidem factum videremus in Vasensi I et Arelatensi II, nisi subscriptiones periissent. Verumtamen his non immoramur (etsi nullo contradicente gesta fuerint), quoniam tamquam juris alieni invasor ob hanc ipsam causam male audit apud plerosque; quamquam nihil ab episcopis vi extortum, nihil nisi omnium votis obsequentibus præstitum esse luce clarius est.

Sed omisso Gallicanorum episcoporum testimonio, ab ipso Leone nostro Hilarii accusatore, de metropolitica illius auctoritate quid senserit, etiam in ea quam adversus ipsum scripsit epistola sciscitemur. Jam copiose probatum superius metropoliticam dignitatem Arelatensi Ecclesiæ non abjudicatam esse a pontifice nostro, cum Celidonium e provincia Viennensi fuisse asseruimus, nec quidquam adversus Hilarium de arrogata sibi contra jus potestate fuisse objectum. Hoc certe manifestum est in utraque epistola ad Viennenses. Accusat enim eum non quod Celidonium alienæ potestati subjectum indebite judicandum sibi sumpserit, sed quod, Celidonio merito appellante, appellationi ejus deferre noluerit; non item quod ordinandi munus sibi arrogarit, sed quod *ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans*, *debitam aliis metropolitanis sacerdotibus in suam transferret dignitatem;* non denique quod provinciæ Viennensis episcopos sibi jure metropolitico subjectos esse volebat; sed quod *ita suæ cupiebat subdere potestati, ut se beato apostolo Petro non pateretur esse subjectum*.

2. Quid sibi vult S. Leo, cum ita scribit cap. 3 ejusdem epistolæ: (*a*) *Mansisset namque in illum prolata sententia*, *si objectorum veritas exstitisset*, nisi Celidonium legitima potestate, servatoque canonum ordine accusatum et judicatum fuisse, nihilque sententiæ latæ adversus ipsum deesse, nisi objectorum veritatem; ideoque potestatem Hilario tamquam provinciæ metropolitano non defuisse? Hæc Leonis verba juxta nostram opinionem explicata negotium nullum facessunt, sed sensum omnino convenientem reddunt; torquent vero eadem mirum in modum sententiæ adversæ auctores, qui ne Vesontionensis metropoleos dignitatem **790** his pessumdari sinant, confugere coguntur ad vicariam potestatem a Zosimo episcopis Arelatensibus delegatam, quæ iisdem congregandarum per Gallias synodorum jus aliquod concesserit, ad quas delatæ episcoporum causæ vicarii sedis apostolicæ sententia terminarentur.

Verum ista responsione, qua aliis satisfactum volunt auctores commemorati, fallor, si sibi ipsi satisfaciunt. Quam abhorrent enim illius ætatis et regionis mores a vicaria hujusmodi potestate, quæ in metropolitica jura involandi faceret facultatem, et ea concederet quæ in posterioribus sæculis a canonum observantia longius recedentibus numquam tentata sunt? Ut enim ordinare solius erat proprii metropolitani, ita et deponere ordinatum; nec eo usque protendit umquam se vicaria potestas, ut in aliena provincia synodum cogeret eam solum ob causam ut episcopum illius provinciæ non suæ a propria sede dejiceret; quod tamen in præsenti negotio ab Hilario tentatum existimant. Deinde contraria iidem loquuntur. Si enim potestatem habuit, vicariatus sui nomine, cogendorum in Galliis synodalium conciliorum, et de episcoporum causis illic judicium instituendi, cur iidem auctores contendunt *nulli episcopo aliquid licuisse in Sequanica provincia*, *quemadmodum nec in cæteris provinciis*, *præter ipsius provinciæ sacerdotes*. « Suis, inquit Leo noster, Marca referente (*Dissert. de Primatibus*, *n.* 78), unaquæque provincia sit contenta conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere synodales (*conventum adversus Celidonium habitum*, inquiunt, *perstringit*), et sacerdotum Domini judicia se interserendo turbare; qui non tantum noverit se ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis provinciæ, quam male usurpaverat, potestate privatum. » Hactenus Leo. Porro, si eo nomine mansura C esset Hilarii sententia adversus Celidonium, quod vicaria utens pontificis auctoritate jus cogendæ habuisset synodi, eidem igitur aliquid licuit in Sequanica provincia ut et in aliis, nec conventus indicendo synodales judicia sacerdotum se interserendo turbabat, sed concessa potestate utebatur. Quæ cum sibi invicem non cohæreant, de metropolitica Arelatensis Ecclesiæ, ut facimus, dignitate arcessenda est hujus loci explicatio.

3. Itaque confirmatur ex verbis Leonis supra relatis: *Qui non tantum noverit se ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis provinciæ*, *quam male usurpaverat*, *potestate privatum*. Duplicem enim in Hilario potestatem manifeste distinguit: alienam unam, quam *alieni juris* nomine designat, eam scilicet quam Zosimus in utramque Narbonensem dederat; propriam alteram in provinciam **791** Viennensem; alieno enim proprium opponitur, et futiliter admodum primam vocaret alienam et indebitam, nisi alteram quam illi opponit pro legitima ac propria agnosceret. D Difficultatis quidem nonnihil facit quod de potestate in Viennensem ait, *quam male usurpaverat;* sed in notis ad hanc epistolam ostendemus vel *usurpare* hoc loco pro *uti* positum esse, quo sensu in malam partem non sumitur, nisi additione adverbii alicujus malignantis naturæ, ut hic *male*, vel dicendum errorem huc irrepsisse, et pro *usurpaverat* legendum esse *usus fuerat:* ab uno enim in alterum facilis est lapsus in antiquis manuscriptis codicibus.

4. In breviori epistola ad Viennenses, si tamen genuina est, disertis verbis agnoscit privilegium Arelatensis Ecclesiæ ac civitatis: *A privilegio*, inquit, *suæ civitatis submotus*, *humili loco discat quod in magno*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Postquam in observ. part. I, c. 2, fusius probavimus Celidonium episcopum fuisse in provincia ab Hilarii jure aliena, hoc Leonis testimonium, quod a Quesnello et hic et alibi obtruditur, ita explicavimus ut nec Hilarii juri astruendo faveat, nec ad vicariatus apostolici potestatem Arelatensi traditam confugiendum sit.

gratis munere prædecessorum nostrorum concesso tenere noluit; sitque redintegratum Viennensi episcopo privilegium et jus antiquum, quod apostolica benignitas ad Arelatensem ex parte transtulit civitatem. Ubi Viennensi quidem antiquitus delatam esse affirmat metropoliticam potestatem, sed tamen (quod Hilario satis est) eamdem tunc temporis fatetur penes Arelatensem episcopum fuisse, et quidem sedis apostolicæ suffragio et munere concessam.

CAP. VIII. *Ex his quæ post Hilarii reditum in Gallias usque ad ejus obitum, et in Ravennii ordinatione sunt gesta, metropoliticam Arelatensis Ecclesiæ dignitatem confirmari.* — Etsi satis superque probatum sit hactenus Arelatensem Ecclesiam tunc metropolitica dignitate ornatam fuisse, cum Hilarius Celidonium episcopum in eadem provincia constitutum deposuit, clarius tamen adhuc elucescet si ea examinaverimus quæ post S. Leonis constitutionem seu ab eodem scripta, seu gesta sunt a Gallicanis episcopis.

Audito in Galliis Leonis judicio, receptaque (*a*) prima illa et breviori ejus epistola, quæ scripta legitur VIII idus Januarii, quid inter se de Hilarii damnatione censuerint episcopi Gallicani, non liquido apparet. Vero tamen simillimum est eumdem semper animum erga Hilarium gessisse, nec minus ei detulisse auctoritatis in suas **792** Ecclesias quam antea fecerant; et facile adducor ut credam nihil jurium suorum sibi detrahi passum esse Arelatensem. Quæ causa fuit ut S. Leo quinto post primam epistolam mense aliam longe prolixiorem diuturnaque meditatione ac cura elaboratam ad eosdem episcopos scripserit; ubi exasperatos Gallicanorum antistitum ex Romano judicio animos, quibus potest verborum blanditiis delinire satagit, vel etiam asperioribus terrere; nunc eam suspicionem ab eorum animis eximens quam conceperant, cogitare Leonem de trahendis ad se Gallicanarum Ecclesiarum ordinationibus; nunc in eos minas intentans, qui sponte omnem potestatem Hilario deferebant in provinciis a Viennensi distinctis; obtestans denique, obsecrans, et sub Dei invocatione conveniens, ut omnem dissensionis materiam de suis provinciis, Hilarium abdicando, removerent. Sed cum præsagiret Gallicanos episcopos consilii sui jurisque tenaces posterioribus litteris non magis esse commovendos quam prioribus, imperatoriam potestatem in pontificiæ auxilium vocare decrevit. Impetravit igitur a Valentiniano Augusto constitutionem ad Aetium magistrum militiæ in Galliis, qua jubet ut sancti Leonis papæ sententia adversus Hilarium lata plenum sortiatur effectum; *perennique sanctione decernit ne quid tam Gallicanis episcopis quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis papæ urbis æternæ auctoritate tentare; sed illis omnibusque pro lege sit quidquid sanxit vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas*, etc.

Talibus munita præsidiis Leonis epistola in Gallias transmissa est, quo successu ex historicis scriptoribus non discimus. Auctor Vitæ sancti Hilarii (*b*) narrat *ipsum totum se ad placandum tunc animum S. Leonis inclinata humilitate convertisse*; ubi insinuat ad id se Hilarium non tamquam contumaciæ reum debita demissione, sed spontanea et ultro inclinata humilitate, tamquam Christianæ charitatis et reverentiæ debitorem, dejecisse. Eo consilio Ravennium suæ Ecclesiæ presbyterum et postea successorem Romam delegavit, deinde sanctissimos episcopos Nectarium

A et Constantium, quorum opera usus est, ut Leoni suæ dignitatis jura, judiciique adversus Celidonium decreti æquitatem probaret. Multa etiam in hac causa scripsit quæ ad nos usque si transmissa essent ab Honorato Massiliensi episcopo, **793** penes quem fuere, ut ex Vita Hilarii, quam scripsit, manifestum est, maximo nos beneficio devinxisset. Cum vero Auxiliaris præfectus Urbis his omnibus contentionibus velitationibusque magis exasperari Leonis animum cerneret quam placari (quod Hilario in votis erat), huic pro communi necessitudine auctor fuit, ut sese Romanorum teneritudini paulisper accommodaret, et exiguas nubes parvæ mutationis serenitate compesceret, ut plurimum hac via, nihil perditurus, acquireret. *Cum propositi*, inquit, *tenax sis, et semper æqualis, nulloque commotionis felle rapiaris, sicut nullis extolleris illecebris gaudiorum, ego nec minimum quidem factum beatitudinis tuæ arrogantiæ memini contagione fuscari. Sed impatienter ferunt homines, si*
B *sic loquamur, quomodo nobis conscii sumus: aures præterea Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur, in quam si se sanctitas tua subinde demittat, plurimum tu nihil perditurus acquiris. Da mihi hoc, et exiguas nubes parvæ mutationis serenitate compesce.*

Hanc *parvam mutationem*, quam sibi dari ab Hilario tam amice poscebat Auxiliaris, concessam huic fuisse certum pene faciunt sequentia hæc Honorati verba. *Talia percipiens*, inquit post relata Auxiliaris monita, *totum se orationi, prædicationi, operationi, velut incipiens, mancipavit.* Et postea : *Abstinendo victu, operi insistendo, itinera pedibus conficiendo ita se tenuavit, fatigavit, exhausit, ut vix quadragesimi octavi anni circulum adimpleret.*

Ex quibus patet nec sanctum Leonem sententiam suam mutasse, nec cessisse Hilarium suis juribus; sed istum ab hujusmodi contentionibus quiescentem Leoni amplius molestum non fuisse: totum vero se animabus commissis oratione, prædicatione, ac cura sua juvandis colendisque dedisse. Quibus sedulo in-
C cumbens vivendi finem fecit vir ecclesiasticæ pacis magis quam dignitatis propriæ studiosus, cujus obitum contigisse certum est anno Christi quadringentesimo quadragesimo nono, tertio nonas Maii. Cum enim responsionem sancti Leonis ad episcopos Ravennii ordinatores, quæ XI kalendas Septembris anni 449 data est, præcedere debuerint solemnia Hilarii funera, concilii convocatio ex pluribus forsan provinciis, concilium ipsum, consecratio Ravennii, epistolæ consecratorum ad Leonem conscriptio, legatorum iter Romam ab ordinatoribus missorum; ista et alia quæ **794** forte prius acta sunt, nisi trium vel quatuor mensium spatio perfici non potuerunt. Unde illud etiam consequitur, B. Hilarium vix amplius quam tres aut quatuor annos supervixisse post receptas in Galliis Valentiniani imperatoris Leonisque papæ constitutiones, et vix etiam duos tresve ex quo Auxiliaris præfecti precibus, amore pacis, annuens, ab omni se contentione abstinuit, vitæque reliquum
D tempus totum pontificis muniis consecravit.

Res itaque in ancipiti erat inter Romanum Gallicanosque pontifices, cum decessit Hilarius e vita : quoniam intra biennii illius spatium nulla sese obtulerat occasio, quam nec Hilarius quæsierat, in qua necesse esset vel Leonis decreto contraire, vel consuetis muniis ac privilegiis cedere. Prima enim, ut manifestum est, ab illo tempore occurrit Vasensis

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Cum Quesnellus anterioribus capitibus hanc breviorem epistolam allegavit, hæc fere adjecit, *si tamen genuina est.* Nunc eam omnino genuinam præsumit, ut apostolicam auctoritatem ab Hilario et a Gallicanis episcopis neglectam suadeat. Spuriam vero illam esse in admonitione eidem epistolæ præmissa et appendici inserta demonstravimus. Quare totum sequens Quesnelli ratiocinium apostolicæ auctoritati infensum, ipsisque Gallicanis episcopis ejusdem auctoritatis observantissimis injuriosum, quod tam falsæ hypothesi incumbit, prorsus corruit.

(*b*) Hæc non post, sed ante Leonis judicium gesta ostendimus in observ. part. III, c. 2, n. 1 et n. 2; præterea probabimus Hilarium post ipsum judicium nihil tentasse, sed paruisse.

episcopi ordinatio, quæ sopitam, non exstinctam contentionem excitavit inter Arelatensem et Viennensem episcopos.

Sed quam longe abessent Gallicani provinciarum illarum antistites a Leonis constitutione effectui tradenda, in ipsa (*a*) ordinatione Ravennii clarum evasit. Posthabito enim Viennensi sacerdote, duodecim episcopi vel (*b*) ex sola Viennensi provincia ex quatuordecim conflata (quem numerum implebant Viennensis et Arelatensis illis duodecim additi), vel etiam ex aliis provinciis in synodum convenerunt, et *Ravennium secundum desideria cleri, honoratorum et plebis unanimiter consecrarunt*. Quam ordinationem non modo non culpavit S. Leo (*Epist.* 36, *nunc* 40), sed potius tamquam *bonum fraternitatis sacerdotalis opus Dei munere concessum*, et ex *inspiratione divina* factum *suo judicio roboravit. Quia*, inquit, *electionem pacificam atque concordem, cui nec merita morum, nec studia civium defuerunt; postulationis quidem humanæ, sed inspirationis credimus fuisse divinæ*. Porro Viennensem episcopum illius participem non fuisse clarum est recensenti eorum episcoporum nomina, qui litteras ordinationis indices ad Leonem dederunt, quos inter, tamquam ordinationis princeps, primatum tenet Constantinus. Hunc autem non fuisse Viennæ episcopum, certum facit altera epistola (*Epist.* 65), quam (*c*) iidem ordinatores adjunctis aliis septem scripserunt ad Leonem in gratiam sedis Arelatensis. In Leonis enim responsione (*Epist.* 66), qui eos omnes ex ordine recenset, idem Constantinus primo pariter loco inscriptus legitur : **795** quem pro Arelatensis Ecclesiæ juribus scriptorum nemo dixerit, si Viennensis episcopus fuisset.

Non ad solos ordinatores gratulatorias dedit litteras sanctus Leo, sed et ad ipsum ordinatum, quem hortatur ut, *declinata superbia, cui proximum est ut decidat, ametur humilitas, cui semper debetur ut crescat; et ut* INTRA *ecclesiasticarum legum regulas atque* MENSURAS *omnia potestatis suæ jura contineat*. Quibus verbis dubium non est quin et Hilarium notet, et Ravennium ab alieno jure invadendo avertat. Nihil tamen de neglecto Viennensi metropolitano in Ravennii ordinatione suggerit aut reprehendit : unde promptum existimare Leonem noluisse Ecclesiam Arelatensem jure metropolitico sua sententia spoliare, sed solummodo Hilarium mulctare : quo mortuo, æquum judicavit ut omnia in statum pristinum redirent.

Nec sola potestate metropolitica ornari eum voluit, sed illa etiam (*d*) prærogativa, qua sancti Trophimi intuitu inter cæteros metropolitas Galliarum eminebat sedes Arelatensis, hoc est, primi metropolitani privilegio. Quo jure illius erat et synodales conventus aliarum provinciarum cogere, et litteras formatas dare peregrinantibus clericis, et omnia quæ ad communem Ecclesiæ seu fidem seu disciplinam intra Gallias pertinebant, sua cura ac sollicitudine promovere, et intra ordinem continere. Hæc Ravennio a sancto Leone ultro delata esse, non ex novo decreto, sed ex priore et antiqua institutione, testatur tum synodus generalis illarum provinciarum occasione litterarum Leonis ad Flavianum, cujus congregandæ curam Ravennius suscepit, ut postea dicemus, cum illius epistola ad Ravennium data, de quodam Petroniano vago, qui se Romanæ Ecclesiæ diaconum mentiebatur **796** per Gallias. Cujus audaciæ ut obviam iretur, scribit Leo *ut eum, admonitis etiam totius provinciæ episcopis, in sua falsitate detectum, ab omnium Ecclesiarum communione, ne ulterius hoc usurpet, expellat*. Ubi nomine provinciæ latiori acceptione universas septem provincias intelligi oportet, cum et *Gallias* universim et *omnes Ecclesias* commemoret, nec satis de cohibenda vagi illius impostoris audacia provisum esset a Leone, si intra solius provinciæ Viennensis terminos inquisitionem hujusmodi fieri præcepisset.

CAP. IX. *Idem evincitur ex ordinatione episcopi Vasensis, et quæ eam secuta est, provinciæ divisione, Leonisque epistola in eam rem missa.* — In eo statu positæ erant res Ecclesiæ Arelatensis, et spes erat ut, sepultis æterna oblivione quæ occasione Hilarii ortæ erant contentionibus, pristino splendore ac potestate frueretur in posterum. Etsi enim aliquid illius supremæ in Gallicanas Ecclesias auctoritatis (*e*) imminui peroptasset sanctus Leo, ut tamen id speraret aliquando futurum obstabat Gallorum in Arelatensis sedis amplitudinem uno animo conspirantium summa concordia, quæ tum in Hilarii negotio, tum maxime in Ravennii ordinatione eluxerat. Quamobrem satius duxerat hæc omnia in suæ constitutionis

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Ordinationi Ravennii haud obstabat Leonis constitutio, quæ cum solam Hilarii personam mulctaverit, hoc e vivis sublato comprovincialibus licuit successorem ordinare, ad quem omnia Arelatensis sedis jura ipso Leone non dissentiente transirent. Vide quæ in hanc rem disseremus in observ. part. III, n. 5 et 6.

(*b*) Non ex sola Viennensi provincia, sed ex provinciis etiam Narbonensi secunda et Alpium maritimarum episcopi convenerunt ad ordinationem Ravennii. Asclepius enim Aptensis episcopus fuit Narbonensis secundæ, Alpium vero maritimarum Nectarius Diniensis.

(*c*) Quinque ex episcopis ordinatoribus Ravennii hanc alteram epistolam non scripserunt : unde in responsione Leonis ipsorum nomina non recensentur.

(*d*) Hæc prærogativa non ex jure ipsius sedis Arelatensis, nec *ex priori et antiqua institutione* ejusdem, sed ex apostolicæ sedis concessione manare iidem Gallicani episcopi agnoscunt epist. 65, c. 3, cum Arelatensi episcopo *id etiam honoris dignitatisque collatum est*, inquiunt, *ut non tantum has provincias* (ad metropoliticum scilicet jus pertinentes) *potestate propria gubernaret, verum etiam omnes Gallias, sibi apostolicæ sedis vice mandatis, sub omni ecclesiastica regula contineret*. Verba *apostolicæ sedis vicem* concessionem apostolicam procul dubio manifestant : quæ sane a Zosimo non obscure exprimitur, cum epist. 7, apud P. Constantium Arelatensem episcopum *apostolica auctoritate munitum* tradit; et epist. 10 *delegationem apostolicam* memorat. Hinc etiam cum laudati episcopi petunt ut ea confirmentur quæ Arelatensis Ecclesia *vel ab antiquitate suscepit, vel postea auctoritate sedis apostolicæ vindicavit*, prioribus verbis jus metropoliticum quasi a S. Trophimo derivatum indicant, posterioribus vero jus innuunt in alia provincia, quod *postea* a sede apostolica concessum fuit. Hoc quidem postremum jus duo potissimum respicit, formatas et synodos ex omnibus provinciis Gallicanis. Jus tradendi formatas omnibus clericis qui peregrinarentur Zosimus concessit; eidemque pontifici jus cogendarum synodorum ex aliis etiam provinciis Gallicanis, quibus Arelatensis episcopus proprio jure non præerat, referendum esse, satis probabiliter conjecimus in observ. part. II, c. 6, n. 8.

(*e*) Totus hic paragraphus purum putum est somnium. Nullo enim documento probari poterit, vel Leonem imminutam peroptasse sedis Arelatensis auctoritatem, qua jure fruebatur, vel Gallos episcopos quidpiam tentasse contra ipsius pontificis constitutionem, qua punivit Hilarium, ita ut ex horum conspiratione metuens, in difficillimis ejus temporis circumstantiis dissimulandum, et Arelatensia privilegia in Ravennio confirmanda putaverit. Immo adeo semper S. pontifex hæc privilegia imminui noluit, ut cum in Hilarium decrevit, solam ipsius personam iisdem exuens, ea successoribus ejus servari voluerit. Confer not. 3 (*Supra, col.* 459, *n.* [a]) in cap. præcedens.

præjudicium tentata dissimulare, quam Gallicanam A Ecclesiam habere repugnantem et infensam. Sed eum præsertim mitiorem atque ad dissimulandum inclinatiorem reddebant exorti non ita pridem Orientales tumultus occasione novæ hæresis Eutychianæ, **797** et infaustus pseudosynodi Ephesinæ successus, in qua res Ecclesiæ pessumdatæ, imminutaque debita sedi apostolicæ reverentia, occiso Flaviano Constantinopolitano episcopo, depositis Domno Antiocheno, Eusebio Dorylæi, Theodoreto Cyri, et aliis Romanæ sedi addictis episcopis; Dioscoro vero Alexandrino omnia per vim agente, et ad totius Ecclesiæ dominatum magnis passibus tendente, Theodosio Augusto favente Eutychi, rejectis Leonis litteris, Romanis denique legatis indigna passis, coactisque fuga saluti consulere. Merito igitur timuit Leo ne, si Gallicanos episcopos iratiores redderet sedis Arelatensis depressione, eosdem adversos pateretur in ea quæ contra Orientales parabatur pugna. Certus etiam erat a Gallicanis episcopis ægre divellendos esse vicinarum B regionum antistites, Britannos scilicet, Hispanos et qui ex Italica diœcesi Galliis erant propinquiores. Hæc, meo judicio, causa erat cur placari se permisit sanctus Leo, et in Ravennium cæterosque Galliarum episcopos propensiorem reddi.

Interim nata est occasio ex qua rerum status aliquam immutationem passus est. Cum enim Auspicius Vasensium in provincia Viennensi episcopus ex hac vita ad meliorem discessisset, Ravennius pro suo metropolitani jure in decedentis locum ordinare alterum, Fonteium nomine, aggressus est, et revera ordinavit. Ægerrime hoc tulit Viennensis episcopus, qui provinciæ ordinationem tamquam sibi et ex antiquo jure debitam, et novella Leonis constitutione concessam vindicabat; quamobrem legationem ad Romanum pontificem destinat, litterasque scribit quibus de usurpata ab Arelatensi episcopo Vasensis episcopi ordinatione conquestus est. Hoc ut rescivere episcopi Gallicani, e re sua putaverunt esse legatos quoque suo nomine ad pontificem mittere, et epi- C stolam in supplicis libelli modum exarare, qua dignitatis Arelatensis Ecclesiæ fundamenta rationesque Leoni proponerentur, ne Viennensis episcopi legati fucum ei facerent, et extorquerent sententiam Arelatensis juribus contrariam. Ad hunc libellum conficiendum convenerunt episcopi diversarum provinciarum numero decem et novem (totidem enim sunt ad quos ea de re Leo rescripsit), illumque occasione legationis Viennensis missum esse patet ex libelli verbis ubi arguit Viennensem civitatem, *quæ*, inquit, *sibi nunc impudenter ac notabiliter primatus exposcit indebitos.*

An rebus suis ea legatione bene consuluerint Gallicani antistites, aliorum esto judicium. Certe nonnihil (*a*) suo juri detraxisse visi sunt cum rem extra controversiam positam vel ex solo consensu, quem Leo dederat ordinationi Ravennii sine auctoritate **798** Viennensis episcopi factæ, rursus ad examen vocari ultro petierunt, et ipsi ad causam coram Leone D dicendam suos direxerunt legatos cum libello supplici cæterisque litigandi instrumentis. Cautiorem omnino se præbuerat Hilarius, qui Romam ingressus Leoni palam denuntiavit se *suggestionem* deferre, non supplicem libellum; se *ad officia, non ad causam venisse; protestandi ordine, non accusandi, quæ acta erant suggerere*; se denique aliud nihil deposcere quam *ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret.* Hæc enim eadem pari æquitate proferri poterant. Sed aliter agendum sibi esse existimarunt episcopi illi, sive quia prævidebant se a Leone vocandos, ut coram se de primatu Viennensis provinciæ decertantes utriusque partis legatos audiret, cui parendi necessitatem fecerat constitutio imperialis a Valentiniano edita adversus Hilarium : *Quisquis episcoporum*, inquit, *ad judicium Romani antistitis evocatus, venire neglexerit, per moderatorem ejusdem provinciæ adesse cogatur*; sive quia ita causæ suæ æquitati confidebant, ut nihil eorum quæ postmodum a Leone decreta sunt timerent: videbatur enim et ipse rem suo consensu in Ravennii ordinatione exhibito absolvisse, cujus eam ob causam splendide meminerunt in fronte sui libelli, ut ei retractationis locum non esse suggererent.

Quidquid sit, directa est legatio quam obeundam susceperunt Petronius presbyter et Regulus diaconus. Hanc acceptissimam fuisse sancto Leoni dubitare non potest qui novit quam ægre tulerit Hilarium sedis apostolicæ judicium tanta constantia declinasse. Insperatam ergo legationem et ultro delatum sibi de primatu Gallicano ab utroque litigante judicium gratanter suscepit. Nondum enim a fundata in Galliis fide et condita disciplina tam opportuna occurrerat occasio qua Romanæ sedis auctoritas apud Gallias stabiliretur, ipsis Gallicanis annuentibus invitantibusque episcopis. Litem autem eo modo composuit, quem epistola ejus ad novemdecim Galliarum episcopos scripta edisserit, attributis scilicet Viennensi episcopo quatuor civitatibus quibus præsideret, id est Valentia, Tarantasia, Geneva et Gratianopoli (*S. Leonis epist.* 66, *ad episc. Galliar.*); ita ut cum his ipsa Vienna esset quinta ad cujus episcopum omnium prædictarum Ecclesiarum sollicitudo pertineret, reliquæ vero civitates ejusdem provinciæ sub Arelatensis antistitis auctoritate et ordinatione constitutæ sunt, et ita magna illa Viennensis provincia, quæ tam diuturnæ inter utrumque episcopum litis fuerat materies, Leonis nostri veluti novi Salomonis præcepto divisa est in duas partes (III *Reg.* III), data dimidia parte uni et dimidia parte alteri.

Etsi porro multum videtur Arelatensis episcopi juri detractum hac Leonis sententia, **799** re tamen diligentius examinata apparet Leonem illius privilegium jusque antiquum agnovisse ac confirmasse eadem epistola.

Primum enim nihil est in quo saltem non æquet Arelatensem Viennensi, aut in quo Arelatensi anteponat Viennensem; eisdem enim commune jus asserit fuisse sub gentibus quoad civilem prærogativam. Deinde quoad ecclesiasticam, ait quarumdam causarum alterna ratione nunc illam nunc istam in ecclesiasticis privilegiis præcelluisse, idque notum *consideratis allegationibus utriusque partis præsentium clericorum* (*Epist.* 66 *S. Leonis*). Sed quantum fuerit potius de Arelatensis jure persuasus, patet ex sequentibus. Nam

2. Testatur S. Leo istud decessorem Ravenni *merito nimiæ præsumptionis amisisse*; non igitur ea potestate ideo privatus Hilarius, quia aliena et per nefas arrepta.

3. Insinuat idem pontifex ad hanc œconomicam provinciæ partitionem se adductum esse ut omnium Gallicanorum antistitum gratiam sibi servaret, nutriretque pacem intra provinciam Viennensem.

4. Propter honorem sedis apostolicæ, quæ cum Viennensi metropoliticam potestatem Hilario ablatam contulisset, ad propriæ sententiæ rescissionem coacta esse videretur, si Viennensis omnino metropolis esse desineret. *Viennensem*, inquit, *inhonoratam penitus esse non patimur, præsertim cum de receptione privilegii auctoritate jam nostræ dispositionis utatur : quam potestatem Hilario ablatam Viennensi episcopo credidimus deputandam* (*Epist. cit.*).

5. Ut episcopi Viennensis honori quodammodo consuleretur, qui ex metropolitano totius provinciæ, quam ex Leonis decreto sibi vindicarat, statim in inferiorem episcoporum ordinem dejectus esset. *Qui*, inquit, *ne repente semetipso factus videatur inferior*,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Confutationem hujus præjudicii ac totius paragraphi reperies in observ. part. I, cap. 7, num. 7.

vicinis sui quatuor oppidis præsidebit, etc. (*Epist. ead.*).

6. Satis agnoscit hæc ipsa oppida ab Arelatensis ditione subtrahenda non esse, si res ad strictos juris apices tractaretur, cum apud Ravennium aliquo modo se excuset, eumque ex charitatis et pacis studio modestiæque temperantia sollicitet, ut patienter ferat quod necessitate ecclesiasticæ unitatis contra jus factum videbatur. *Quem* (Ravennium) **800** *pro modestiæ suæ temperantia, ita futurum credimus studiosum charitatis et pacis, ut nequaquam sibi credat ablatum quod fratri videat esse concessum* (*Epist.* 66, *ad* 19 *episc. c.* 22).

7. Nihil magis ostendit totam provinciam ad Arelatensem episcopum pertinuisse, et ita Leoni fuisse persuasum, quam quod ex (*a*) duodecim civitatibus quibus constabat provincia Viennensis (si notitiæ a Sirmondo aliisque evulgatæ fides habeatur) quatuor solummodo Viennensi episcopo attribuit, residuis octo potestati Arelatensis episcopi relictis.

8. Denique et hoc argumentum et alia superius adducta confirmat Symmachus papa, cum ad episcopos Galliæ scribens de eadem controversia quæ ejus tempore recruduerat, definitioni Leonis prædecessoris sui standum esse decrevit, de qua hæc habet. Juxta (*b*) indulgentiam (quod valde notandum) *supradicti pontificis, Valentiam, Tarantasiam, Genevam atque Gratianopolim oppida Viennensis antistes juri suo vindicet. Nec quidquam amplius ab his quæ semel ab apostolica sibi sede* concessa *sunt, æstimet præsumendum. Alias vero parochias vel diœceses cunctas* privilegio et honore suo *Arelatensis episcopus sub temporum continuatione defendat* (*Symmach. epist.* 9, *ad episc. Gall.*). Indulgentia igitur usus est sanctus Leo cum Viennensi episcopo, si Symmacho credimus, cum partem provinciæ ordinationi ejus subjectam esse voluit; juri vero suo Arelatensis episcopus amore pacis detrahi quidpiam passus est, cum quatuor illa oppida in Viennensis potestatem transferri ultro permisit, Leonis non tam decreto victus quam precibus. Omnia observatione digna in verbis Symmachi : ut enim indulgentiæ meminit et concessionis sedis apostolicæ, cum de parochiis Viennensi attributis scribit, ita privilegium et honorem Arelatensis commemorat, cum de civitatibus juri ipsius subditis sermonem habet : nullum Viennensi jus assertum significat, nisi ex sancti Leonis concessione; Arelatensi suum constare ex privilegio et honore antiquitus fundato.

Leonis dixi precibus victum Arelatensem episcopum magis quam decreto; cum enim in illa epistola quam ad Ravennium scripsit eodem die quo ad novemdecim episcopos, ne verbum quidem cum eo habeat **801** de illa quatuor oppidorum attributione Viennensi episcopo facta, dubitari non potest quin per Petronium et Regulum legatos vivæ vocis ministerio allocutus eum fuerit, et enixe rogaverit ut pro bono pacis et antiquæ controversiæ sopiendæ gratia, aliquarum civitatum ordinationem Viennensi cederet. Hæc ex parte sunt, opinor, quæ, ut in eadem epistola legitur, credenda chartæ non putavit S. Leo. (*c*) *Quæ autem*, inquit, *committenda litteris non fuerunt, cum prædictorum filiorum nostrorum insinuatione didiceris, Domini fretus auxilio efficaciter ac laudabiliter exsequeris* (*Epist.* 67). Committenda autem non fuerunt litteris, quoniam hoc parum sedis apostolicæ dignitati congruebat, ut se ad preces usque supplicationesque publicis litteris demitteret, quo suum de ordinatione Ecclesiarum decretum recipi a Gallicanis episcopis, et ad effectum posset perduci. Illud autem ut Ravennio persuaderetur, ratio temporis et dignitas primi Galliarum metropolitani, cujus in eo confirmandæ spem fecit sanctus Leo, plurimum contulerunt. Cujus exercendæ occasio sese eodem tempore offerebat, ut scilicet epistolam Leonis scriptam ad Flavianum cum universis Galliarum episcopis communicaret; vel etiam, quod in secretis monitis eum habuisse credibile est, ut synodalem conventum ex omnibus provinciis congregaret, in quo epistola eadem ab omnibus approbaretur, et omnium consensio litteris consignata mitteretur ad sanctum Leonem.

Cap. X. *Solvitur objectio petita ex notitia provinciarum et civitatum Galliæ, adversus antiquitatem metropoliticæ dignitatis in Ecclesia Arelatensi : illiusque notitiæ ætas nunc primum figitur.* — Deducta per omnium ætatum seriem a condita in Galliis fide, Arelatensis Ecclesiæ dignitate, ita mihi videtur inter cæteras eminere, ut vix quidquam restet dubii quod animos vel minimum in Viennensis partes inclinare debeat; ubique enim primatum tenet Arelatensis, Viennensis nusquam. Gravis tamen nonnullis videtur objectio quæ in gratiam Viennensis adversus Arelatensem sumitur ex iis notitiis provinciarum et civitatum Galliæ, quæ passim circumferuntur. Harum unam præfixit J. Sirmondus primo tomo Conciliorum Galliæ, quam conjicit conditam esse Honorii Augusti temporibus, cum Gallias et septem provincias distingui mos erat. Plures haud multum absimiles collegit ex mss. codicibus Andreas *Du Chesne* primo tomo Collectionis **802** scriptorum Historiæ Gallicanæ. In omnibus porro Viennensis civitas metropolis dicitur Viennensium; Arelas autem eidem subjicitur, immo inferiorem etiam locum tenet in eadem provincia. Unde, inquiunt, manifestum est antiquum non esse jus Arelatensis episcopi, eoque potitum esse Viennensem non priscis modo temporibus, sed et tempore Honorii imperatoris, quo potissimum Arelatensis majoribus privilegiis augeri cœpit, et conventu provinciarum decorari.

Verum totam istius argumentationis molem ruere necesse est, si probatum fuerit hujusmodi provinciarum (*d*) notitias non Honorii temporibus, sed longe posterioribus esse conditas, et Hilarii Leonisque ætate esse inferiores.

Hoc igitur primum evinco ex constitutione ipsius Honorii Augusti data ann. 418, ubi Arelatem simpliciter metropolim appellative nominat. *In metropolitana*, inquit, *id est in Arelatensi civitate.* Vel ergo falsa est notitia quæ Arelatem Viennensi subjicit,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Viennensis provinciæ tredecim civitates censentur in notitiis Galliarum, ipsa Vienna et Arelate comprehensis. Tres tantum ex his tredecim Leo Viennensi episcopo attribuit : quarta enim Tarantasia ex iisdem notitiis non ad Viennensem provinciam, sed ad Alpes Graias pertinet.

(*b*) Si hoc loco Symmachus *indulgentiæ* vocem adhibuit, post pauca in eadem epistola jus Viennensis episcopi declarat scribens : *Juri suo vindicet.* Hoc quidem Viennensis jus Arelatensis juri non cedere cognoverunt Taurinensis synodi Patres, cum ob momenta utrinque gravia controversiam in alteram partem dijudicari non posse perspicientes, dividendæ provinciæ consilium dedere. Hoc idem Viennensis jus satis professus est etiam ipse S. Leo, cum post expensas utriusque partis allegationes, licet Ravennio propensior esset, et Arelatem suo ævo præstantiorem, ac ab ipsis comprovincialibus episcopis prælatam videret, non potuit tamen totam provinciam Arelatensi adjudicare, sed vi rationum et jurium utriusque sedis ea *moderatione justitiæ* uti debuit, qua in Patrum Taurinensium sententiam provinciam divideret.

(*c*) Perversam hujus testimonii interpretationem, cui totus hic paragraphus innititur, deteximus annot. 7 (*Tom. præced. col.* 887, *n.* b), in ipsam epist. 67, ubi veram ejus explicationem dedimus.

(*d*) Vide quæ de notitia Galliarum a Sirmondo edita disserimus in observ. part. II, c. 4, ubi totum hoc Quesnelli caput excutitur atque refellitur.

vel alio tempore scripta quam Honorii, cujus constitutionis fides potior quam nescio quarum ætatis incertæ notitiarum.

2. Quis credat Arelatem in publicis actis aut monumentis non modo inter civitates Viennensi subjectas, sed penultimam illarum omnium esse numerandam, eo ipso tempore quo ab Augustis eorumque præfectis summis decorabatur honoribus, et supra cæteras Galliarum evehebatur civitates? At ex eodem edicto manifestum est, et jam ab aliquot annis a Petronio præfecto constitutum esse conventum septem provinciarum apud Arelatem, et sedem præfecturæ in eadem positam esse, et eam omnigenis prærogativis esse nobilitatam : ut necesse sit quidquid ejus splendori adversatur ad alia tempora relegari.

3. Si ante S. Leonis tempora descripta esset hæc notitia, legeremus inter civitates provinciæ Alpium maritimarum Nicæense castrum seu civitatem. Cum enim ex epistola Hilari papæ ad quosdam Galliæ episcopos constet Nicæense castrum usque ad Leonis extrema tempora proprium habuisse antistitem a Cemelenensi distinctum, consequens est illud in notitia locum habere debuisse : unde cum in ea omissum fuerit, credendum est quod per id temporis delineata est, cum castellum istud ad eas angustias eamque tenuitatem redactum erat, ut nec inter castra numerari deberet; talia enim plurima in notitia civitatibus adjunguntur. Hoc certe prioribus Leonis nostri annis nondum contigerat; tunc enim episcopali sede honorabatur; immo et tempore Hilari papæ vix ea dignitate spoliari se **803** passi sunt Nicæenses, siquidem ordinari sibi curavere proprium episcopum, qui Hilari papæ decreto propter Leonis constitutionem remotus est; et deinceps ad unius episcopi regimen uterque locus fuit revocatus.

4. Vix Honorii imperatoris temporibus in eo statu quem notitia exhibet fuisse credam provincias Lugdunensem secundam et Belgicam secundam. Rothomagum enim illic legimus in amplissima provincia primatum tenentem, quam ejusdem Honorii temporibus Paulinus Nolensis episcopus miratur velut e tenebris emersisse. *Denique*, inquit, *nunc Rothomagum et vicinis ante regionibus tenui nomine pervulgatum, in longinquis etiam provinciis nominari venerabiliter audimus, et inter urbes sacratis locis nobiles numerari*, etc. Morinorum autem civitatem, quæ in notitia locum habet, tamquam episcopali sede ornatam, totumque illum Nervici littoris tractum *vix tenui spiritu*, inquit idem Paulinus, *fides veritatis afflaverat*, antequam Victricius illic prædicaret, in quo *prima refulsit, clarius invaluit, ardentius et propius apparuit*, etc. *Sicut terra Zabulon quondam et Nephthalim via maris trans Jordanem Galilææ; et qui sedebant in regione umbræ mortis, lucem viderunt magnam; ita et nunc in terra Morinorum situ orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus. . . . . in ea orata sibi per tuam sanctitatem a Domino luce gaudentes corda aspera Christo intrante posuerunt*, etc. Quæ omnia haud scio an possint convenire cum provinciarum notitiis, quæ (quod notandum in primis) videntur ad usum ecclesiasticum esse descriptæ : cujus rei argumento est, quod illæ omnes, tam a J. Sirmondo quam ab Andrea Duchesnio editæ, quæ in mss. codicibus Thuaneæ bibliothecæ passim occurrunt, in his solis reperiuntur qui monumenta tantummodo ecclesiastica continent.

5. Si Honorii ætate facta esset ea notitia publica auctoritate vel ex indubitata omnium cognitione, non ancipites et dubii mansissent Patres concilii Taurinensis (quod ejusdem imperatoris temporibus celebratum est) utri amborum episcoporum Arelatensi an Viennensi metropoliticam in rebus ecclesiasticis dignitatem attribuere deberent; nec ad hanc sententiam coarctati essent, *ut qui ex eis approbaret suam* A *civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineret*. Quod rerum illius temporis statum demonstrat minus distinctum fuisse et jura minus clara quam in notitia repræsentatur.

6. Apollinaris Sidonius, Epistol. lib. VII epist. 7, testatur Massiliensium civitatem sua primum ætate inter ultimas provinciæ civitates cœpisse numerari : idque illis in pœnam obvenisse, quod scilicet privatis commodis magis consulentes quam publicis, cum Gothorum regibus fœdus nec utile nec decorum iniissent. *Quod utique*, inquit, *sæpe diuque facientes, jam non primi comprovincialium* **804** COEPISTIS *esse, sed ultimi*. Quibus verbis satis innuit ad illa usque tempora, id est, saltem ad annum quadringentesimum et septuagesimum, primum inter Viennensis provinciæ civitates post metropolim locum obtinuisse Massiliam : quod jure illi civitati deferebatur, quæ tam antiqua nobilitate cæteris eminebat, ut metropolitica etiam dignitate ad tempus ornata fuerit decreto concilii Taurinensis. At vero in notitia Sir- B mondi et aliis, omnium ultima scribitur Massilia, quam et Arelas immediate præcedit : quamobrem luce meridiana clarius est, longe posteriorem esse ætate Honorii notitiam quam discutimus, et ad Sidonii tempora referendam esse. Et vero probabile admodum est hanc eo circiter tempore conditam quo Euricus Visigothorum rex in Gallias irrumpens Arelatem et Massiliam occupavit, vel etiam superioribus aliquot annis. Cum enim maximam Viennensis provinciæ partem tenerent Burgundiones, sola fere Arelas cum Massilia in Romanorum potestate remansit, et circa annum quadringentesimum septuagesimum in Eurici regis Visigothorum Ariani manus devenit : qui, ut refert Apollinaris Sidonius, lib. VII epist. 6, ad Basilium plerosque illarum provinciarum episcopos vel morte mulctavit, vel solum vertere coegit, nullis deinceps episcopis in defunctorum officia suffectis; ita ut populos excessu pontificum orbatos tristis intercisæ fidei desperatio premeret, C nulla esset in desolatis cura diœcesibus parochiisque, et non tam sacerdotes mortui esse viderentur, quam ipsum sacerdotium. Hæc fere Sidonius : ex quibus intelligere est, quam opportuna sese tunc obtulerit Viennensi episcopo occasio jura quæ sibi injuste ab Arelatensi prærepta jactabat recuperandi, quippe cum plerasque haberet civitates provinciæ secum Burgundionibus subditas; istæ enim videntes omne sibi cum Arelatensi commercium interdici, quia sub Romana vel Gothica ditione hæc degebat, facile Viennensi se ultro subjecerunt, annitente, ut par est credere, Burgundo principe, nullo renitente ex parte Arelatensis, cui tunc temporis ne hiscere quidem vel mutire fas erat. Vero itaque simillimum est per eam ætatem conditam esse notitiam J. Sirmondi et alias, in quibus Viennensis sollicite egit, ut Arelatensis et Massiliensis describerentur, quas ad pontificium suum pertinere olim contendebat.

Etsi vero auctorem qui hæc narret disertis verbis D non habeamus, satis tamen insinuantur, tum ex notitiæ ipsius comparatione cum statu Arelatensis civitatis et Ecclesiæ quem descripsimus, tum ex iis quæ Symmachi papæ temporibus acta sunt. Patet enim ab illo constitutionem emissam esse in gratiam Cæsarii Arelatensis episcopi, propterea quod constitutos a Leone papa limites prætergressus erat Viennensis episcopus, et totam provinciam suæ potestati vindicare conatus erat *per sæcularia patrocinia*, aut *per alterius excusationis obtentum*. **805** Quamobrem prædecessoris sui decretum rursus confirmavit pontifex, et sua Cæsario integra esse jura decrevit.

CAP. XI. *Objectiones aliæ diluuntur, quibus metropolitica dignitas Viennensi episcopo asseri videtur.* — Objici etiam potest in gratiam Viennensis episcopi adversus Arelatensem (a) concilium Valentinum pri-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Quid ex concilio Valentino eliciendum sit exponemus in observ. part. II, c. 5, n. 2

mum in provincia Viennensi a. 374 celebratum; cui præfuisse videtur Florentius Viennensis episcopus, Concordio, quem aiunt Arelatensem tunc fuisse, inter comprovinciales subscribente.

Verum infirmum prorsus istud argumentum est. Primum enim subscriptiones episcoporum quæ ad calcem canonum nunc leguntur, desiderantur in antiquioribus editionibus, et a Sirmondo primum editæ sunt in lucem tomo I Conciliorum Galliæ. 2° Cum quatuor codices manuscriptos laudet Sirmondus quibus usus est in recensione hujus concilii, in unico Remensi inventæ sunt subscriptiones prædictæ; quamobrem suspicari licet ab aliquo otioso lectore ita ordinatas esse, nominibus ex initio epistolæ desumptis. 3° Hoc contra morem usitatiorem est, ut cum in fronte epistolæ eorum qui scribunt nomina recenseantur, iterum describantur in fine: quod videre est in epistola concilii Arelatensis primi ad Silvestrum papam, immo et in epistola ejusdem Valentini concilii ad clerum et plebem Ecclesiæ Forojuliensis. 4° In utriusque epistolæ exordio viginti et unus episcopi inscripti leguntur, quorum tertius est Florentius Viennensis, ut aiunt, episcopus; Concordius vero Arelatensis in prima duodecimus, in altera decimus quartus. At vero in subscriptionibus appositis Florentius omissis duobus primis, omnibus præmittitur. 5° Unius Florentii sedes annotatur. 6° Solus modo ab aliis diverso ita subscribit: *Ego Florentius episcopus Ecclesiæ Viennensis subscripsi*; cum alii omnes sic subnotati habeantur: *Ego N. opto vos fratres in Domino bene valere*; quod procul dubio melius convenit epistolæ quam alter subscribendi modus. 7° Ante initium sexti sæculi non erat in usu ut episcopi **806** ita subscriberent, *episcopus Ecclesiæ N.*, sed vel sine addito *episcopus* vel *episcopus civitatis* v. g. *Viennensis*, vel *episcopus Viennensium*; qui usus in concilio Aurelianensi I immutatus primum videtur. Supposita igitur Florentii subscriptio, ni fallor, fuit, eo procul dubio consilio, ut huic synodo præsedisse credatur episcopus Viennensis jure metropolitico, et Arelatensis eidem subjectus fuisse existimetur, qui eam ob causam ad ultimum omnium locum rejectus invenitur. Hæc profecto fraudis suspicionem non parvam injiciunt.

2. Florentium episcopum Viennensem tunc temporis fuisse ex alio nullo monumento testatum habetur, immo eum sibi vindicant Cadurcenses, et in omnibus editionibus Operum S. Paulini epistola quæ in Rosweydana editione trigesima secunda est ejusdem, *ad Florentium Cadurcensem episcopum* legitur; quod Frontoducæus et Rosweydus diligentissimi scriptores in notis suis tradunt. Hæc etsi difficultate non carent, id faciunt ut res in ambiguo posita relinquatur, nec quidquam inde pro Viennensi eruatur; econtra vero adversus eum prorsus arguit hæc synodus, cui præfuisse Fœgadius legitur, quem nemo Viennensem episcopum facit. Vide seriem et acta Cadurcensis Ecclesiæ, quæ Florentium hunc eidem Ecclesiæ asserit, et (a) Adonis Chronicon, quod circa hæc tempora ponit Nicetam Viennensem episcopum, qui forte idem est cum Nicetio, cujus nomen in synodica Valentini concilii legitur.

At, instabit aliquis, pro Viennensi clamat (b) ipsa provinciæ denominatio. Quare enim appellata est Viennensis, nisi quia Viennensium civitas totius provinciæ metropolis erat? Non majoris momenti est hæc argumentatio: quod enim in variis divisionibus provinciarum ab ethnicis actum est, in consequentiam trahi pro ecclesiasticis rebus minime consentaneum est; et quamvis plerumque civilem provinciarum distributionem æmulata sit ecclesiastica disciplina, necessitas tamen fuit aliquando ab eo proposito discedendi, ut ex Innocentii epistola ad Alexandrum Antiochenum manifestum est, et ex ipsius Leonis ordinatione circa Viennensem provinciam.

Ex simili argumentandi ratione concluderetur Ecclesias provinciarum Lugdunensium **807** secundæ, tertiæ et quartæ, eumdem olim metropolitanum ecclesiasticum habuisse, Lugdunensem scilicet episcopum, quoniam Lugdunenses appellatæ sunt. Aut Narbonensis solidæ Ecclesias Narbonensi episcopo ob eamdem rationem debere esse subjectas: integræ enim provinciæ Romanæ olim Narbo nomen dedit. Ex nominum igitur ratione nihil hac in re confici potest. Quod hoc iterum exemplo a Viennensi provincia desumpto probari potest. Nam provincia Narbonensis secunda cum ex Viennensi decerpta esset, debuerat Viennensis nominari, si res ex nominum momento æstimaretur; secus tamen factum est cum dicta sit Narbonensis, non Viennensis.

Quid igitur ad auctores antiquos, qui Viennam metropolim appellant? Respondeo pro diversis divisionibus, diversam esse hujus vocis acceptionem. Si enim ad primam, quæ fuit Augusti, respicias, jam certum est Viennam non fuisse metropolim solidæ Narbonensis, intra cujus fines continebatur: Narbonæ enim, unde Narbonensis dicta est provincia, primatum deferunt auctores antiqui, Strabo libro IV, et Plinius III, cap. 4: *Narbona*, inquit iste, *Romanorum colonia, totius regionis a Quinto Fabio in provinciam redactæ caput. Quartæ partis totius Galliæ in divisione Augusti Cæsaris metropolis seu primaria civitas.* Vienna autem metropolis quidem vocatur a Strabone loco citato; sed *Allobrogum metropolis*, ut habet: unde hujus auctoris sensus est Allobroges, qui unus erat e populis provinciæ Narbonensis, præcipuam habuisse civitatem Viennam; immo unicam quæ ampla esset, plures enim non nominat; et revera Allobrogum regio ex eodem Strabone circumscribebatur Rhodano et Isara fluviis, intra quorum ripas sita erat. Adde vocem metropolim tunc temporis non idem prorsus significasse ac posterioribus sæculis; quibus post factam subdivisionem, an metropolis dicta sit Vienna, non memini; unde et tempore concilii Taurinensis controversia gravis orta est.

Eusebius quidem Lugduni et Viennæ meminit, quasi de gemina Galliarum metropoli. Sed primum loquitur quasi hujus rei non admodum certus et ex aliena scientia *βεβούνται*, *dicuntur*. Deinde ad mentem antiquorum geographorum intelligendus est, ut Vienna scilicet Allobrogum metropolis fuerit, idque quantum ad ordinem civilem; numquam enim ecclesiastica fuit Allobrogum provincia. Denique illustris quondam fuerat Viennensium civitas apud ethnicos, et ex illa fama loquitur Eusebius; verum, ut legere me memini, *Lugdunum Viennam obscurarat*. Sed quoniam ad rem nostram maxime facit iste Eusebii locus, lubet hujus objectionis occasione, et ad cognoscenda

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Episcoporum Viennensium ordo Adonis Chronico insertus, ex diptychis manare videtur, ita ut ipsorum series non idcirco rejicienda sit quia res et tempora eisdem attributa non subsistant. Enimvero si alia certa documenta cum hac serie conferantur, et exinde illis episcopis suum tempus restituatur, omnia probe cohærere invenientur. Et sicut Verus, qui ad apostolicam ætatem eo in Chronico perperam evehitur, initio quarti sæculi vixisse cognoscetur ex synodo Arelatensi I, ita Florentius, cum Valentina synodo optime concurret, non autem Nicetas qui Mamerti immediatus præcessor, sub medium V sæculum floruit. Confer quæ de simili catalogo episcoporum Ravennatum observavimus in admonitione ad epist. 156, n. 3 et 4. Vide etiam quæ de hoc catalogo episcoporum Viennensium disserit Tillemontius tom. III, in Irenæo, not. 3.

(b) Hoc argumentum plenius constituimus observ. part. II, c. 4, n. 5, ubi et de Eusebii testimonio verba facimus.

Viennensis Ecclesiæ jura in illam provinciam, **808** de illius statu paulo fusius inquirere capite sequenti.

CAP. XII. *De statu Viennensis Ecclesiæ temporibus Marci Aurelii imperatoris cum martyres Lugdunenses agonem compleverunt.* — Ecclesiæ Viennensis patroni magnum ex Eusebio præsidium arcessere sibi videntur, ut illius jura primatumque vindicent. Eusebius, inquiunt, disertis verbis Viennam metropolim appellat, eamque Lugduno subjungit, ut quæ si non prima, saltem secunda Galliarum civitas censeretur. Sic enim habet Eusebius lib. v, cap. 1: *In Gallia stadium ad hæc obeunda certamina, quæ supra explanavimus, constitutum fuit. Cujus urbes sunt facile principes* μητροπόλεις, *et quæ præter cæteras omnium sermone præstare dicuntur, Lugdunum, et Vienna*, etc. Deinde epistola quam martyres scripserunt Ecclesiis Asiæ et Phrygiæ, in hunc modum inchoatur: *Servi Jesu Christi qui Viennam et Lugdunum incolunt, fratribus in Asia et Phrygia*, etc.

B Antiquum Viennensis civitatis apud ethnicos splendorem nemo est qui revocet in dubium; sed qui ex splendido hujusmodi statu, illius Ecclesiæ jura ac decora, nedum primatum asserere conantur, parum consulte facere mihi videntur. Etsi enim posterioribus Ecclesiæ temporibus, cum ecclesiasticæ disciplinæ fundamenta posita sunt, constitutusque ordo hierarchiæ, (*a*) ad formam politiæ civilis ordinati sint ecclesiastici gradus, stabilita sedium episcopalium dignitas, metropolitarum potestas erecta, tamen eamdem disciplinæ formam inquirere in illo sæculo, quod apostolicum proxime excepit, præsertim in Gallia Transalpina, quæ fidem sero admisit, hominis est, meo quidem judicio, antiqua novaque miscentis. Porro nemo non videt Eusebio sermonem esse de dignitate civili Viennensis urbis, quam ad ecclesiasticam trahere temporum ratio non sinit. Quamquam et tunc temporis multum exciderat Vienna ex primævo illo splendore quem illi gentiles contulerant.

C 2. Cum Eusebius accepta ex geographis notitia utatur, non propria, dubium non est ad eumdem sensum intelligendum eum esse ac Strabonem Græcum pariter auctorem, ex quo supra didicimus Viennam solorum Allobrogum metropolim fuisse, qui eam solum regionem occupabant, quæ, ut idem Strabo testatur, Rhodani et Isaræ ripis concludebatur pene in modum insulæ. Hoc suadet loquendi modus quem Eusebius usurpat cum hæc scribit: *Cujus* (Galliæ) *insignes et supra cæteras præstantes metropoles esse dicuntur Lugdunum et Vienna.*

809 3. In confesso est etiam apud auctores contrariæ sententiæ, Ecclesiæ Lugdunensis exordia deberi Pothino episcopo, qui eas in partes a Polycarpo Smyrnæ in Asia episcopo B. Joannis apostoli discipulo missus est; quod et confirmatur Gregorii Turonensis auctoritate, libro primo Historiæ Francorum, capite 24, et Severi Sulpitii scribentis, lib. II Sacræ Historiæ, quod *sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata; ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta.* Et revera qui tunc Lugduni passi sunt πρωτομάρτυρες vocantur in epistola Lugdunensis et Viennensis Ecclesiæ. Nec prius eamdem a Viennensibus susceptam credibile est, qui videlicet Lugdunensibus adeo vicini, eisdem tantum donum libentissime infudissent, ut necesse non esset ab Asianis illud exspectari, si quidem et illa essent antea imbuti. Quis porro existimet inter ipsa fidei exordia, de duobus metropolitanis ecclesiasticis jam tum constituendis fuisse cogitatum in duabus, inquam, Ecclesiis tam vicinis, tam novellis, tam parvo Christianorum numero constantibus, cum

A nec metropolitanorum ecclesiasticorum nomen vel potestas emersissent? Si ergo tunc temporis proprium episcopum habuit Vienna, certum est eum metropolitica auctoritate ornatum non fuisse.

4. Ut credam (*b*) Viennensibus alium tunc præpositum non fuisse antistitem quam qui Lugdunensibus præfectus erat, non leves me movent conjecturæ.

Primum enim id ex utriusque loci vicinitate conjici admodum probabiliter potest, uti et ex penuria virorum episcopalium, quam in illa nascente adhuc Ecclesia fuisse æquum est opinari. Ut autem illa episcoporum penuria singulas civitates suum habere vetabat, ita modicus fidelium numerus faciebat ut pluribus unus satis ac super esset, quo ad remotiores civitates mitti possent episcopi fidem prædicaturi, sacramentisque his consignaturi, quæ ab alio quam episcopo conferri non possunt; constitutis interim presbyteris per viciniora oppida, a quibus regerentur, sub episcopi auctoritate, illic commorantes Ecclesiæ.

B Quod enim Sardicensis postea synodus et aliæ plurimæ dixerunt de modica civitate, cui sufficit unus presbyter, ibi episcopum constitui non oportere; hoc etiam præstitum esse erga amplas civitates, quibus soli sufficiebant presbyteri, dubitandum non est; præsertim cum et pauci erant fideles et vicina esset metropolis, unde episcopus sive ad manuum impositionem, sive ad alia pontificalia munia accersiri facile poterat. Quod a Lugdunensi erga Viennensem Ecclesiam **810** præstari et eo potiori jure debebat, et eo facilius poterat, quod sicut ex vicinarum illarum civitatum statu conjicimus, Viennensi transfusum erat fidei donum a Lugdunensi, quæ prima fidem ex Asia susceperat.

2. Videmus utriusque urbis Christianos simul conjunctimque scribere de martyribus suis, et unicum legatum, eumque ex Ecclesia Lugdunensi assumptum, Irenæum videlicet, mittere ad Romanum pontificem, partim ut eum de statu Ecclesiarum suarum certiorem facerent, partim ut ad ipsum Gallicanæ Ecclesiæ

C judicium deferret circa controversiam quæ in Phrygia orta erat de Montano, Alcibiade et Theodoto pseudoprophetis.

3. In hac tam celebris martyrii narratione, aliqua, immo creberrima occurreret mentio Viennensis episcopi, si quidem proprium hæc civitas habuisset, et in eo præsertim loco ubi legimus: *Quod ex utraque Ecclesia præstantissimi quique, et quorum maxime labore et industria res hic constitutæ fuerant, simul omnes tenerentur.* Verum, ut de Lugdunensi non tacet, cujus fortissimum agonem commemorat; ita de Viennensi ne verbulum quidem: quem tamen a reliquo martyrum grege discernere debuerat epistola (sicut et diaconum discrevit), si cum aliis comprehensus est et passus. Si vero gentilium diligentiam fugit evasitque manus (quod tamen nec de illorum temporum episcopo, nec de curiosissimis inquisitoribus credibile est), saltem illum exhiberet nobis Eusebius pro Christi grege sollicitum, laborantique Ecclesiæ

D subvenientem, præsertim post completum Pothini agonem, cujus mors necessariam reddebat utrique Ecclesiæ episcopi Viennensis curam ac sollicitudinem; scripsisset ipse episcopus Viennensis tum ad alios, tum maxime ad episcopum Romanum et de martyrum agone, et de pseudoprophetis, et de Irenæo, si quidem illic fuisset aliquis constitutus.

4. Cum una earum Ecclesiarum ab altera mutuaretur ministros, Lugdunensis a Viennensi, nonnullum indicium est, utramque ab uno eodemque episcopo administratam fuisse. Hoc porro de diacono Lugdunensis Ecclesiæ nomine Sancto legimus, eum Vienna

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Lege observ. part. II, c. 5, n. 12.

(*b*) De hac perdifficili controversia conferenda sunt quæ in utramque partem Tillemontius observat not. 3 in Irenæo, tom. III, et quæ contra Quesnelli sententiam disserit P. Joan. Antonius Blancus lib. II *della esterior Polizia della Chiesa* c. 1, § 9, n. 9. Plura et nos in hoc et sequens caput animadvertere possemus; quæ tamen cum instituto nostro Leonis vindicandi necessaria non sint, nimiumque distraherent, prætermittenda putamus.

fuisse prognatum, ἀπὸ Βιέννης; et tamen e Lugdunensi clero fuisse, in eoque diaconi ministerio functum, quemadmodum doctissimus Eusebii interpres Valesius optime existimavit.

5. Cum Gallicanæ Ecclesiæ ad Victorem papam litteras dederunt de paschali controversia, quæ tunc agitabatur, unicus Irenæus episcopus Lugdunensis nomine omnium fratrum **811** scribit : nec uspiam apparet Viennensis episcopus, qui tamen omittendus non fuisset in tanti momenti negotio, quod omnes totius Ecclesiæ episcopos sollicitos reddebat, et jam in synodos frequentes convenire compulerat. Certe cum tanta esset inter utramque illam civitatem et Ecclesiam necessitudo, unicæ ab utroque episcopo epistolæ subscriptum esset, nec suffragium suum conferre omisisset Viennensis. Ex quo mihi recte concludere videor, non alium illic tunc temporis constitutum fuisse episcopum, quam qui apud Lugdunum sedem habebat; ex qua sparsos sive per Viennense, sive per alia oppida Christianos per secundi ordinis sacerdotes regebat.

Hanc opinionem ex ipsa epistola refelli objicit vir doctissimus Henricus Valesius : ea quippe, inquit, Pothinum episcopum Lugduni fuisse dicit, non autem Viennæ; distinguit etiam expressis verbis inter Lugdunensem Ecclesiam et Viennensem : nec antiquis scriptoribus in more est Ecclesiæ nomen tribuere nisi matrici, quam nos cathedralem vocamus.

Ad primum facile respondemus numquam in usu vel olim fuisse, vel etiam esse in præsenti, ut episcopus, qui plures suæ ditioni subjectas habuerit civitates vel oppida, plurium episcopos nominetur, sed illius tantum quæ præcipua erat et episcopi sedes : quod etiam iis contigit quæ olim episcopali dignitate ornatæ fuerant. Sic Cemelensi civitate et Nicæensi Castro sub uno episcopo unitis, prior sola dedit episcopo nomen. Antipolitana sede ad Grassensem civitatem translata, et Malleacensi Rupellæ constituta, nec prioris episcopus dictus est Glassensis et Antipolitanus, nec posterioris Rupellanus et Malleacensis. Multo minus vero id actum est cum aliæ civitates, aliave oppida, quæ numquam tali honore decoratæ fuerant, insignis alicujus civitatis episcopo subjacebant. Quis enim modo episcopum Lingonensem et Divionensem dixerit, vel Senonensem, et Melodunensem, aut Atrebatensem et Duacensem, Tornacensem et Insulanum, et sic de sexcentis aliis?

Ad secundam objectionis partem dico, distingui inter Lugdunensem et Viennensem Ecclesias, etsi inter Lugdunensem et Viennensem episcopum non distinguatur. Nota est enim vocis Ecclesiæ acceptio apud apostolum Paulum apostolicosque scriptores usurpari solita pro quolibet fidelium cœtu. Quæ acceptio Pothini apostolicorum virorum discipuli tempore vigebat, cum etiam sequentibus sæculis in usu fuerit. S. Athanasius in apologetico 2 contra Arianos hæc habet, quibus sententia nostra confirmetur de Lugdunensi et Viennensi Ecclesiis sub uno episcopo degentibus, et de Ecclesiæ nomine iis etiam civitatibus impertito quæ episcopales sedes non erant : *Mareotes*, inquit, *regio est Alexandriæ, nec ullus umquam in ea fuit episcopus, ac ne chorepiscopus quidem; sed universæ ejus regionis Ecclesiæ* **812** *subjectæ sunt episcopo Alexandrino. Singuli autem presbyteri proprios habent pagos, eosque maximos, denos interdum, aut plures.* Apud Sozomenum etiam, lib. VII, Hist. cap. 19, hæc legimus : *Per Scythiam cum sint civitates multæ, unum dumtaxat hæ omnes episcopum habent.* Canon 15 Sardicensis. *Si*, inquit, *est proxima civitas, in qua est presbyter, ne sine Ecclesia videatur facere diem Dominicum, illuc accedat.* Ubi vides longe etiam post Irenæi tempora et civitatis plebem non ab episcopo, sed a presbytero solum administratam, et Ecclesiæ nomine decoratam fuisse. In Romana Ecclesia eodem sensu usurpata est, teste Innocentio papa I, epist. ad Decentium cap. 5 : *De fermento vero*, inquit, *quod die Dominico per titulos mit-*

A *timus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ.* Et Athanasius in eadem apologia 2 citata synodum Romanam, a qua in communionem susceptus erat, ait celebratam esse in Ecclesia in qua Biton presbyter plebem colligebat. In Gallicana diœcesi de qua quæstio est, a concilio Regensi an. 439 conceditur, ut Armentario a sede Ebredunensi dejecto, cuicumque de episcopis liceat *unam parochiarum suarum ecclesiam cedere, in qua aut chorepiscopi nomine, ut idem canon* (Nicæn. 8), *aut peregrina, ut aiunt, communione, foveatur.* In quo canone quinquies eo sensu usurpatur Ecclesiæ nomen; bis etiam in quarto, toties in quinto. Ac ne quam illustrium Ecclesiarum intactam prætermittamus, idem nobis constat de Africana ex Africani codicis canonibus 33, 98, 99 et aliis, ubi a matrice ecclesia distinguuntur aliæ ecclesiæ, eadem tamen appellatione gaudentes. Vide apud Dionysium Exiguum citatos canones, quibus exscribendis brevitatis gratia supersedemus.

B 6. Ex veteri traditione Valentinæ et Arelatensis Ecclesiarum, ex Usuardi Martyrologio ad IX kal. Maii et ex Actis Martyrum, quæ apud Surium jacent, docemur plurimos populos Lugduni vicinos ad fidem Christi, Irenæo vel prædicante, vel mittente, fuisse conversos, eumdemque per ea loca Christiani cultus fundamenta jecisse. Ita enim habent Acta martyrii SS. Felicis presbyteri, Fortunati et Achillei diaconorum. *Igitur beatissimus Irenæus Lugdunensis urbis episcopus, consequenti tempore martyr, in quo dispositione divina instituendæ fidei fundamenta mirabili locata firmitate constabant, Felicem presbyterum, tam conversatione quam nomine, Fortunatum in quo consummationis divitias adfuturas rei jam vocabulum promittebat, et Achilleum diaconum Valentinæ urbi pro imbuendæ prædicationis seminario destinavit.* Ubi et generatim fidei illic condendæ fundamenta in Irenæo esse posita divina dispositione asserit auctor, et in particulari missos esse ab eo Valentiam fidei præco-

C nes commemorat. Quod et narratum reperimus in Arelatensi Breviario ad diem 23 Aprilis, in qua eorumdem sanctorum **813** martyrum solemnitas celebratur. Sed et utrumque monumentum de aliis Vesontionem ab eodem directis mentionem facit, de sanctis videlicet Ferreolo et Ferrutione, *quos*, inquiunt Acta apud Surium, *memoratus beatissimus antistes* (Irenæus) *destinaverat ad Vesuntionensis civitatis Ecclesiam instituendi fundaminis constructione locandam.* Ex quibus apparet rarissimam etiam post mortem Pothini fidem Christianam in illis regionibus fuisse : et quod maxime intendimus, Viennensem Ecclesiam non alium episcopum a Lugdunensi habuisse. Si enim proprium habuisset, illius partes fuissent Valentiam sibi propinquam fide Christiana imbuere, non Lugdunensis episcopi, qui longe remotior erat, et Viennam mediam habebat inter se et Valentiam, utramque ad Rhodanum sitam.

D 7. In supplici libello comprovincialium episcoporum metropolis Arelatensis Leoni papæ oblato secure asseritur, quod *prima intra Gallias Arelatensis civitas missum a beatissimo Petro apostolo sanctum Trophimum habere meruit sacerdotem; et exinde aliis paulatim regionibus Galliarum donum fidei et religionis infusum :* PRIUSQUE *alia loca ab hoc rivo fidei, quem ad nos apostolicæ institutionis fluenta miserunt, meruisse manifestum est sacerdotem,* QUAM VIENNENSIS CIVITAS, *quæ sibi nunc impudenter et notabiliter primatus exposcit indebitos* (*Epist.* 65). Non aiunt episcopi, ut mihi quidem videtur, Viennam accepisse antistitem ab illo rivo fidei seu Trophimo (quod etsi dicerent, nescio an falsi quis posset arguere), sed dicunt alia loca prius episcopos habuisse ab illo fidei rivo, quam Viennensis civitas proprium haberet sacerdotem. Hoc manifestum esse asserunt, et ita manifestum, ut impudentiæ notabilis esse dicant, quod contra jus tam apertum primatus indebitos exposceret Vienna. Hoc si ita est, cum ex Gregorio Turonensi Trophimi ad-

ventus pluribus annis Pothini et Irenæi ætate posterior sit, clarum est horum temporibus Viennam proprium non habuisse episcopum. Dices hæc (*a*) gratis asseri ab episcopis Gallicanis vel mendacio causæ suæ patrocinantibus, vel minus quam par erat instructis. Verum quis tam male de sapientissimis doctissimisque Gallicanæ Ecclesiæ antistitibus sentire velit, ut id manifestum esse tam confidenter assererent coram Romano pontifice, quod vel certum non esset apud omnes, vel falsum esse ipsi probe scirent? præsertim cum tunc temporis antiquus ille Ecclesiarum Gallicanarum status non ita obscurus esset, ut est hodierna die, nec posset detectum semel mendacium nisi iratiorem Leonem facere et Ecclesiæ Arelatensis juribus infensiorem. Denique nihil tale objectum a pontifice, qui **814** allegationibus consideratis præsentium utriusque partis clericorum, annuere utrisque visus est, cum utrique metropoliticum jus asseruit, attributis unicuique certis civitatibus.

CAP. XIII. *Probabile esse unicum in Galliis fuisse* B *episcopum, quo tempore Lugdunensi Ecclesiæ præpositus est Irenæus.* — 8. Tantum abest ut proprium episcopum Viennensi civitati præpositum tunc fuisse credam, ut certum prope apud me sit in sola Lugdunensi sedem episcopalem fuisse. Quæ suspicio præterquam quod ex præcedentibus conjecturis firmatur, augetur etiam ex aliquot Eusebii locis attentius consideratis. Libro enim quinto, cap. 24, videtur asserere omnibus qui in Gallia erant Christianis præfuisse tunc temporis Irenæum, cum Victorem PP. per litteras moneret, ne Ecclesias Asiaticas a sua communione abscinderet. *Inter quos* (episcopos) inquit, *et Irenæus ex persona fratrum in Gallia commorantium, quibus præerat, tradidit per litteras*, etc. (*b*). Si enim præerat Irenæus Galliæ Christianis, jure sacerdotali procul dubio præerat. Quod enim ait vir illustrissimus, per vocem ἀδελφῶν, *fratrum*, cæteros Galliarum episcopos intelligendos esse, quibus Irenæus Lugdunensis episcopus jure vel metropolitico vel exarchico præfuerit, miror ego viro erudito in C mentem venisse. Quis enim credat secundo Ecclesiæ sæculo, quo Christianæ fidei fundamenta trans Alpes vix erant posita, quo nascenti Ecclesiæ ne mutire quidem licebat his in regionibus, quo denique primaria Galliarum civitas vix alterum antistitem a Pothino habebat, eam hierarchiæ formam jam in Ecclesias inductam esse, quæ et episcopos metropolitanis, et metropolitanos exarchis subjiceret? Quod ante synodi Nicænæ tempora difficillimum est deprehendere, etiam in his regionibus quæ ab apostolis fundatæ primitias spiritus fidei et disciplinæ hauserunt. Fratrum autem nomine, Christianam plebem intelligi non dubitabit, qui illorum temporum usum attenderit, loquendi modum Eusebio familiarem, ipsam denique epistolam Lugdunensium martyrum, quæ Eleutherum Romanum episcopum, Patrem appellat, octies ad minus fratrum nomine Christianos quosque designat: qui mos erat in Ecclesiam Dei ob eam maxime causam invectus, *quia unum Patrem* D *Deum* (ut habet Tertullianus Irenæo fere σύγχρονος in Apologetico) *agnoscerent, unum Spiritum sanctitatis biberent, et de ejusdem ignorantiæ utero ad unam veritatis lucem expavissent.*

815 Huic loco Eusebii ex altero lucis plurimum affulget, capite videlicet 22 ejusdem libri: ubi dum recenset varias synodos, Romanam, Palæstinam, Ponticam, Osrhoenam, et Corinthiam, seu Achaicam, quæ adversus Asiaticos, circa paschalem diem judaizantes collectæ sunt, addit his et Gallicanam conflatam ex parochiis seu Ecclesiis quas Irenæus episcopus administrabat, καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροι- A κιῶν ἃς Εἰρηναῖος ἐπισκόπει: id est: *Et Ecclesiarum seu parochiarum Galliæ quarum Irenæus episcopus erat*, seu *quas ut episcopus administrabat*. Ubi plura observanda sunt. Primum alio modo hic enuntiari de Irenæo hoc idem quod superius dictum retulimus de fratribus in Gallia commorantibus, quibus præerat Irenæus: ubi fratribus præesse, et Ecclesias seu parochias regere ut episcopus, idem sonant. Alterum est, ex his manifestum esse pluribus Ecclesiis præpositum fuisse Irenæum, ut absurdum non sit eum cum Lugdunensi Viennensem administrasse. Tertium non magis in hac occasione episcopum alium ab Irenæo apparere, quam in sequentibus epistolis in eadem controversia scriptis, vel in iis quæ a martyribus scriptæ sunt. Denique maxime observandus est loquendi modus Eusebii; cum enim de aliarum provinciarum decretis sermonem habet, appellat diserte synodos episcoporum, ipsosque episcopos, quorum ore prolata sunt; cum vero de Galliis, jam non synodos episcoporum, sed Ecclesiarum decretum commemorat, quod manarat ab Ecclesiis Galliæ, quas Irenæus episcopali auctoritate regebat. Id enim vox ἐπισκόπει significare mihi videtur, quæ proinde Irenæi in alios episcopos potestatem significare non potest. Hoc certe credere me profiteor, si plures fuissent tunc in Gallia episcopi, non unum vice omnium in arenam venturum fuisse, præsertim cum hæc de Paschate controversia ex pauciori vel majori numero episcoporum decernenda videretur. Non nos quidem latet episcoporum nomen a Rufino Eusebium interpretante positum fuisse pro fratrum nomine; sed nec eruditis ignotum est, ne interpretis quidem nomen Rufinum mereri, qui ex professo non verba vel sensum auctoris, quem vertendum susceperit, attendere solet, sed omnia pro nutu et voluntate plerumque reddit, paraphrastis magis personam quam interpretis induens.

Ad Eusebium autem ut revertamur, videtur is sermonem de controversia paschali instituisse ex occasione variarum synodorum, ex quibus celeberrimos quosque episcopos, qui tunc temporis per provincias florebant, ob oculos ponere satagebat. Unde si alii floruissent in Gallia præter Irenæum, eos procul dubio numerasset. Ita a Nicephoro Callisti intellectum esse Eusebium, quem κατὰ πόδας sequitur, manifestum est ex libri IV ejus Histor. cap. 26: *Circumferuntur*, inquit, *etiamnum celebratarum eo tempore synodorum litteræ, quæ variarum hinc et inde Ecclesiarum episcopos designant Romanæ* **816** *scilicet Victorem, Jerosolymitanæ Narcissum, Cæsareæ Palæstinæ Theophilum, Tyriorum Cassium, Ptolemaidis Clarum. Eædem litteræ Ponti Ecclesiis tum præfuisse indicant antiquissimum Palmam; Galliæ autem atque etiam Osrhoenæ Ecclesiarum Irenæum.* Ubi Galliæ unicum Irenæum episcopum designat: qui cum Eusebio hæc in re concinat, rejiciendus non est, sicut rejici debet cum ab eo dissentit circa Osrhoenam, quam Irenæo pariter subjicit, quamque vetus Nicephori interpres de Gallica regione trans Rhenum posita interpretatus est: unde suspicari licet mendum esse in Græco hujus auctoris textu.

9. Suffragatur opinioni nostræ Vitæ sancti Saturnini Tolosæ episcopi et martyris auctor, cujus antiquitatem comprobat Gregorius Turonensis, qui ex ea nonnulla descripsit libro I Histor. c. 2. *Hujus* (Decii imperatoris) *tempore*, inquit, *septem viri episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis sancti martyris Saturnini denarrat. Ait enim: Sub Decio et Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana civitas sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem.*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hi Gallicani episcopi Arelatensi sedi faventes ex Zosimi litteris hæc derivarunt, Zosimus autem ex suggestione Patrocli Arelatensis, quem per subreptionem et fallacias nonnulla falsa protulisse ostendemus in observ. part. II, c. 2.

(*b*) Ἐν οἷς (ἐπισκόποις), καὶ ὁ Εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστείλας (*P. de Marca diss. de Primatu Lugdun. n.* 112).

Hæc enim similiter leguntur in Vita sancti Saturnini apud Surium die 29 Novembris : quæ sola a Gregorio existimaverim ab auctore illo excerpta, ut epocham episcopatus Saturnini certam faceret. Cum vero aliunde nosset cum Saturnino Trophimum et alios quinque in Gallias advenisse, ex unius ætate aliorum ætatem arguit. Cæterum ex illa Vita sex reliquorum episcoporum nomina mutuatus non est : alioquin ipsa auctoris verba retulisset, quæ in Suriana Saturnini Vita non exstant modo. Quæ tamen si quis pertinacius contenderit ex Vita Saturnini habuisse Gregorium, non contradicam. Hoc unum monebo, nihil inde quidquam auctoritati Vitæ Surianæ detrahi; certum est enim ejusmodi sanctorum Vitas plerumque ex antiquis Lectionariis descriptas, in quos codices cum Vitæ illæ conjicerentur inter publicas Ecclesiæ preces recitandæ, decurtari solebant, et iis minui quæ festo propria non esse intelligebantur, ne longius quam par erat officia protenderentur. Alterum addo, ne prologus initio Vitæ præfixus cuiquam imponat et contemptum operi arcessat, luce clarius esse non prologum auctoris esse, sed lectionem quamdam ex Breviario aliquo huc mala arte transcriptam et assutam vice prologi. Porro antiquitate et auctoritate narrationis hujus scripti confirmatis, mirum in modum innotescit Gallicanæ Ecclesiæ status tum Lucii Veri imperatoris, Irenæique episcopi Lugdunensis temporibus, tum etiam Decii Gratique consulum et sancti Trophimi Arelatensis episcopi ætate. Concinit enim auctor ille Severi Sulpicii testimonio, *serius trans Alpes Dei religionem susceptam* asserentis, manifestumque facit et paucos per illa tempora Christianos fuisse paucissimosque proinde episcopos. Ita enim statim ab initio de Decii Saturninique temporibus : **817** *Tempore illo quo post corporeum Domini et Salvatoris adventum, exortus in tenebris Sol ipse justitiæ, splendore fidei illuminare occidentalem plagam cœperat : quia* SENSIM ET GRADATIM *in omnem terram sonus Evangeliorum exivit,* TARDOQUE PROCESSU IN REGIONIBUS NOSTRIS *apostolorum prædicatio coruscavit.* (Apostolorum nomine apostolicos etiam viros et apostolorum successores comprehendit. Pergit auctor.) *Cum* RARÆ *in aliquibus civitatibus* ECCLESIÆ PAUCORUM CHRISTIANORUM DEVOTIONE CONSURGERENT, *et crebra miserabili errore gentilium nidoribus fœtidis* IN OMNIBUS LOCIS TEMPLA FUMARENT, *ante annos satis plurimos, id est, Decio et Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur,* etc. Et iterum post medium, *Paucis id temporis Christianis.* Quæ quomodo cum illa episcoporum multitudine, quam alii asserunt, conciliari queant, plane non intelligo. Certe Theodoritus de sancto Irenæo ita loquitur in primo dialogo *Immutabilis* dicto, ut Galliarum apostolum fuisse significet : Εἰρηναίον, inquit, ὃς τοῦ Πολυκάρπου διδασκαλίας ἀπήλαυσεν, ἐγεγόνει δὲ φωστὴρ Γαλλατῶν τῶν ἑσπερίων ; id est, *Irenæum, qui Polycarpi auditor et discipulus fuit, lumenque Gallorum Occidentalium.* Et in epistola nuncupatoria compendii hæreticarum fabularum ad Sporatium : Εἰρηναίου, inquit, τοῦ τὰ Κελτικὰ καὶ γεωργήσαντος καὶ φωτίσαντος ἔθνη ; id est, *Irenæi, qui Celticas gentes excoluit et illuminavit.*

10. Observatione dignum est, et pro sententia nostra non invalidum argumentum, quod Eusebius de Gallicanis illorum temporum episcopis, si Pothinum et Irenæum excipias, nunquam mentionem facit, sive cum de Ecclesiarum fundatione, sive cum de persecutione gentilium, sive cum de judiciis adversus hæreticos habitis, seu denique cum de controversia paschali, conventibus ea de re congregatis, epistolisque scriptis ad Ecclesias. Unus ubique Lugdunensis episcopus commemoratur; nusquam Viennensis, nusquam aliarum civitatum antistites. Hoc in illa insigni epistola martyrum, totaque Eusebii de iisdem narratione clarum est, lib. I, c. 1. Hoc cap. 3, ubi orta de Montano, Alcibiade, Theodotoque pseudoprophetis contentione : *Qui in Gallia,* inquit, *erant fratres, privatum de his judicium suum eidem epistolæ subjunxe-*

A *runt.* Hoc cap. 23 de quæstione paschali, ubi commemorat quidem concilia et synodicas episcoporum Palæstinæ, Ponti, ipsius Romæ et aliorum; subdit de Galliis : Καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν ἃς Εἰρηναῖος ἐπισκόπει. *Epistola quoque Ecclesiarum Galliæ exstat, quibus præerat Irenæus.* Et cap. 24 : Ἐν οἷς καὶ ὁ Εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστέλλας. *Ex quorum nomine Irenæus in epistola quam scripsit nomine fratrum quibus præerat in Gallia.*

11. Non longe lateque admodum diffusam esse per Gallias prædicationem Evangelii, ac proinde non multis in locis constitutos **818** episcopos Pothini et Irenæi temporibus, plura sunt adhuc quæ persuadeant. Primum enim pauci admodum erant Evangelii præcones apud Lugdunum, ubi primum, et quidem velut ex occasione fides Christi annuntiata : qui vix duabus amplissimis civitatibus doctrina Christiana imbuendis sufficere potuerunt, idque furtim et clan-
B culum propter diligentem præsidum inquisitionem. Deinde diu post Pothini martyrium legimus Vesontionem et Valentiam nondum Christi fidem audisse, et ad utramque civitatem missos ab Irenæo qui illic prædicarent, ut superius retulimus, quos nec adhuc episcopos institutos testatur. Et tamen Vesontio Lugduno non distat longo itineris intervallo, Valentia multo etiam vicinior. Denique quam funditus jacta per illam regionem fidei semina eradicarint, nascentesque Ecclesias popularint subsequentes persecutiones, veteribus monumentis testatum habemus. Illa enim quæ Marco Aurelio et Lucio Vero imperantibus, Pothinum sustulit, ita desæviit : ὥστε συλλεγῆναι ἐκ τῶν δύο ἐκκλησιῶν πάντας τοὺς σπουδαίους, καὶ δι' ὧν μάλιστα συνειστήκει τὰ ἐνθάδε ; *adeo ut ex utraque Ecclesia præstantissimi quique, et quorum maxime labore atque industria res hic constitutæ fuerant, simul omnes tenerentur* (*Epist. Eccl. Lugd. apud Euseb. lib.* I, *cap.* 1). Quibus addunt Acta S. Epiphodii, qui in eadem persecutione martyrio coronatus est, quod per
C illam *pene ad integrum Christi nomen a gentilibus crederetur exstinctum.* In alia vero persecutione sub Severo, quæ Irenæum Pothini successorem cœlo transmisit, quantam vastitatem Ecclesiis intulerit, docent nos Usuardus aliique Martyrologiorum scriptores, dum narrant Irenæum *cum omni fere civitatis suæ populo coronatum esse glorioso martyrio.* Quibus suffragatur Gregorius Turonensis lib. I Historiæ cap. 27, si tamen illius est caput istud, quod et in mss. nonnullis codicibus desideratur, et aliqua quibus suspectum reddatur continet : velut cum Vetii Epagathi et aliorum martyrum quadraginta octo passionem Irenæi martyrium subsecutam esse scribit. Quamobrem quæ de posterioribus istis martyribus habet Gregorius, jungenda esse opinor cum iis quæ initio capitis scripsit de Pothino; cæteris, quæ interpolata esse videntur, resectis in hunc modum : *Ex quibus et ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Pothinus episcopus fuit, qui plenus dierum, diversis affectus suppliciis pro Christi*
D *nomine passus est. Post hunc et quadraginta octo martyres passi sunt : ex quibus primum fuisse legimus Vetium Epagathum.* Si cui tamen placet narratio de Irenæo, quæ alioqui vera potest esse et ex bonæ notæ monumentis descripta, hinc habemus quod *tanta* cum Irenæo *multitudo Christianorum ob confessionem Dominici nominis est jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano, quorum nec numerum nec nomina colligere potuimus.* Hæ igitur persecutiones ita vastarunt vix puerascentes Ecclesias, ut pene exstinxerint; **819** ita ut mirum non sit quod narrat auctor Vitæ S. Saturnini, raras paucorum Christianorum Ecclesias fuisse in Galliis, cum ad eas missus est Saturninus una cum Trophimo et quinque aliis coepiscopis.

12. Cum imperatorum et præsidum Romanorum hoc esset consilium, ut Christianam religionem penitus delerent in Galliis, ubi primum visa est sub Lucio Vero exsurgere, dubium non est quin diligen-

tissime per omnes Gallias inquisierint adversus Christianos. Nulla tamen persecutionis contra aliam Ecclesiam motæ memoria uspiam habetur, præter eam quæ Lugdunenses Viennensesque fideles exercuit. Quis porro credat nullam hujus (si fuisset) notitiam ad Eusebium perventuram fuisse, nullamve de ea mentionem faciendam a martyribus Lugdunensibus, qui procul dubio eas Ecclesias affectu et sollicitudine sua fovissent, quarum fundamenta jecissent ipsi, quasque Asiaticis Romanisque non minus curæ esse et amori probe noverant?

Jam vero occurrendum est objectioni quæ cuivis facile in mentem veniet adversus nostram de unico Galliarum episcopo opinionem. Si, inquis, ita est, a quo Irenæus post Pothini mortem sacerdotii honorem consecutus est per impositionem manuum, quam nemo necessariam esse inficias ierit?

Respondeo hanc dignitatem consecrationemque ab ipso pontifice Romano adeptum esse Irenæum. Quod in ea profectione contigisse reor, quam ex martyrum delegatione suscepit teste Eusebio; de qua quidem non levis oritur difficultas.

In tres porro varias opiniones scindi video auctores gravissimos, cardinalem Baronium, Franciscum Feuardentium, et Henricum Valesium (*H. Valesius not. ad. c. 4 lib.* v *Euseb.*). Hic legationem illam a Lugdunensi quidem Ecclesia, annitentibus martyribus, designatam esse existimat, tam in Asiam quam ad Romanum pontificem; Irenæumque ad eam obeundam a clero delectum, a martyribus commendatum esse, verum superveniente Pothini morte in alium fuisse translatam, Irenæo Lugduni retento, ne in tanta rerum difficultate suo præcipuo lumine ac sustentaculo privaretur viduata mox suo pastore Ecclesia. Franciscus vero Feuardentius in Vita sancti Irenæi Operibus ejus præfixa, utraque legatione putat Irenæum esse perfunctum adhuc Pothino in vivis agente, a quo et a cæteris martyribus in carcere constitutis ad Eleutherum papam et ad Asianos fratres missum esse scribit: Baronius denique ad an. Ch. 179 putat Irenæum a martyribus missum esse ad Eleutherum papam (de Asiana profectione nihil scribens), et eam re ipsa obiisse legationem. Ultimam hanc opinionem, quæ Baronii est et Petavii, paucis exceptis amplectimur. Primum quia Eusebianæ narrationi magis consona; auctor quippe ille refert ex epistola martyrum ab iisdem missum esse Romam Irenæum; hunc autem legatione sua non esse perfunctum minime asserit, **820** quod procul dubio animadvertisset, hæc enim intererat plurimum non ignorari. Deinde quia suffragatorem habemus Hieronymum, qui Romæ diutissime commoratus, scriniorumque apostolicorum particeps factus, hoc partim ex traditione Urbis, partim ex monumentis adhuc tunc superstitibus potuit ediscere. Ab hoc utroque scriptore ægre admodum divelli debemus, nec nisi gravissimis momentis ac rationibus abrepti, quæ in præsenti negotio non occurrunt. Quod enim scribit doctissimus Eusebii illustrator Valesius : *Quod credibile non est post mortem Pothini episcopi destituta suo pastore Lugdunensium Ecclesia, confessores illos et martyres Christi Irenæum presbyterum tam procul amandasse, idque in ipso persecutionis ardore. Erat enim Irenæus præcipuum lumen et decus Lugdunensis Ecclesiæ, quemadmodum ex epistola martyrum discimus; et quo uno maxime universa loci hujus Ecclesia sustentabatur.* Hoc, inquam, non urget, nisi adversus eorum opinionem qui Irenæum ad Asiæ Phrygiæque fratres perrexisse existimant. In eos vero qui Romam tantum ad Eleutherum profectum esse, cum Hieronymo, immo cum Eusebio sentiunt, nihil prorsus facit. Non enim absurde credetur profectus esse Romam Irenæus statim post Pothini mortem ob magni momenti negotia, cum absurdum non fuerit eumdem illuc directum esse a Pothino cæterisque martyribus adhuc in carcere detentis. Eratne enim tunc minus destituta pastore suo Lugdunensium Ecclesia? an remissior persecutionis æstus? an minus necessarius agonizanti Ecclesiæ Irenæus, lumen columenque afflicti gregis? Immo vero magis tunc necessarius : postea enim sublatis per martyrium Pothino cæterisque Ecclesiæ alumnis ac ministris, quievit ad tempus gentilium furor, persecutionisque æstus deferbuit. Deinde non adeo diuturna erat Romana profectio homini apud Lugdunum constituto (quippe quæ quadraginta dierum spatio facile confici potest), ut ab ea suscipienda deterreri posset quibuslibet rerum angustiis Irenæus.

Sunt etiam in libris Irenæi plura quæ eum Romam petiisse innuunt, qualia sunt quæ de Romana Ecclesia Romanisque pontificibus, et quæ adversus schismaticos Romæ commorantes scribit. Denique major erat Christianorum erga martyres honor ac reverentia, quam ut eorum consilia ac vota inter ipsos carcerum squalores concepta negligerent, aut in irritum mitterent; Lugdunensium porro martyrum eo potior ratio haberi debuit, quod Pothinus, qui totius illius Ecclesiæ caput erat et pastor, martyrum quoque dux et coryphæus in Gallia fuerat.

Sed quid si ante Pothini martyrumque mortem ad Eleutherum profectus est Irenæus? Jam certe evanescet Valesii objectio ipso etiam confitente, quæ alias quoque non nocet. At revera eum vivente adhuc Pothino Romam petiisse suadet narrationis Eusebianæ **821** series, quæ primum legationem Irenæi commemorat, tum Pothini mortem Irenæique in ejus locum substitutionem edisserit. (Quod enim de illius episcopi morte superius dictum erat, hoc ex necessitate non interrumpendæ epistolæ martyrum contigit, nec Eusebio narranti tribuendum est.) Suadet etiam Hieronymus, qui in libro de Ecclesiasticis Scriptoribus hæc de Irenæo habet : *Irenæus, Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam presbyter, a* MARTYRIBUS *ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam* MISSUS, *honorificas super nomine suo ad Eleutherum episcopum* PERFERT *litteras.* POSTEA *jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur.* In his distinguit apertissime rerum gestarum ordinem, ut primum legatione perfunctus sit Irenæus, non a Lugdunensi Ecclesia, sed a martyribus missus; postea vero in locum defuncti Pothini consecratus. Quibus vel Eusebium interpretatur non ita rerum tempora discernentem, vel istud etiam ex aliis auctoribus refert. Alios enim ab Eusebio auctores ea de re consultos esse ab Hieronymo, suggerere videntur nonnulla discrimina quæ inter ipsius et Eusebii narrationem reperiuntur : hic enim diserte Pothinum asserit nonagenario majorem fuisse; ille *fere* nonagenarium : Hieronymus Irenæum vocat Pothini presbyterum ; Eusebius, Ecclesiæ Lugdunensis : primus ait Irenæum honorificas *super nomine suo* litteras detulisse; nihil tale in Eusebiano epistolæ fragmento reperitur quæ ex his verbis continuisse videtur laudes Irenæi, nomini ejusdem respondentes; qui quidem, ut cap. 24 lib. v scribit Eusebius : *Nomini suo vere respondens, nec solo nomine, sed etiam vitæ instituto ac proposito pacificus, pro Ecclesiarum pace hæc monuit et allegavit.* His similia viderat Hieronymus in epistola integra martyrum de Irenæo, quæ forte apud Egesippum jacebat; quem sæpe laudat tamquam rerum ecclesiasticarum indagatorem scriptoremque curiosum. Egesippus enim, teste eodem Hieronymo libro de Scriptor. ecclesiast. : *Omnes a Passione Domini usque ad suam ætatem ecclesiasticorum actuum texit historias, et asserit se venisse sub Aniceto Romam, et perseverasse usque ad Eleutherum ejusdem urbis episcopum.* Unde cum Eleutherum sub ejus pontificatus initia adierit Irenæus, potuit Romæ videre Egesippus Irenæum. Sed sive viderit, sive non, ad ea certe tempora pervenit in quibus hæc in Galliis agebantur, quæ ab eo in sua historia esse prætermissa quis existimet? Quamobrem Hieronymo, cui auctor iste familiaris erat, fides major est habenda quam cuiquam alteri.

Jam vero ut Valesii argumentum in nostræ opinionis patrocinium converiam, numquam mihi persuadebit, nec cuiquam alii rem attentius consideranti, confessores illos et martyres Christi, ipsum Pothinum pontificem, totamque illam Ecclesiam, id **822** cepisse consilii, ut Irenæus præcipuum lumen et decus Lugdunensis, immo et totius Gallicanæ Ecclesiæ, cui uni incumbebat novelli hujus ædificii moles, tam procul amandaretur, in ipso, inquam, persecutionis ardore, episcopo in vinculis posito, supremamque mortis sententiam jamjam excepturo, plurimis in illa Ecclesia Christum abnegantibus, omnibus, ut ait idem Eusebius, tunc temporis gravissimo metu perculsis, et hærentibus ob incertum confessionis exitum, comprehensis ex utraque Ecclesia præstantissimis quibusque, et quorum maxime labore atque industria res illic constitutæ fuerant, qui simul omnes in carceribus detinebantur; vix, inquam, sed ne vix quidem credibile est Irenæum, trepidanti Ecclesiæ tam necessarium, Romam mittendum tunc temporis fuisse ob hoc solum ut litteras ad Eleutherum perferret, judiciumque Gallicanorum fratrum circa novellas Montani ejusdemque farinæ hominum prophetias. Debuit igitur subesse alia hujus profectionis causa longe majoris ista momenti, quæ eam ipsam Ecclesiam propius attineret, quæque ineluctabilis esset necessitatis; nullaque alia fuit, meo quidem judicio, quam ut Ecclesiæ jamjam suo pastore viduandæ per alterius consecrationem suppetias ferret pontifex Romanus. Cum enim alius eo tempore non esset in illa saltem parte Galliarum episcopus, ut contendimus, qui manus posset imponere, necesse fuit ad Romanum confugere episcopum, tum propter vicinitatem, tum propter potentiorem, ut loquitur ipse Irenæus, principalitatem : non quidem ut alter episcopus in eadem Ecclesia Pothino adhuc viventi superordinaretur, sed ut vel in alia Ecclesia constitueretur, vel in Lugdunensi, quod revera factum est, allato Romam de completo Pothini agone nuntio. Hæc, quantum sapio, mens fuit martyrum, hoc eorum consilium, cum Irenæum Romam direxerunt cum litteris commendatitiis. Huc effusæ illæ laudes spectabant, ut Irenæus Lugdunum remitteretur a pontifice sacerdotali honore ornatus; non aliam enim ob causam ejus merita extollunt Lugdunenses, zelatorem eum Evangelii Christi prædicant, ac gradum presbyterii, quo ornabatur, commendant, quam ut sua in illum vota pro episcopali munere conferrent, antequam martyrio absumerentur; universus enim pene clerus in vinculis erat cum suo episcopo. *Has litteras*, inquiunt, *ut ad te perferret, fratri et consorti nostro Irenæo persuasimus; et hortamur ut ipsum cæteris anteponas* (ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει) *tamquam zelo singulari pro Testamento Christi præditum. Si porro putaremus alicui ex loco (seu dignitate) conferri justitiam, eum tamquam presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi imprimis commendassemus.* His enim verbis, ἐν παραθέσει, Irenæum anteponi cæteris cupere se demonstrant, ut ante nos Christophorsonus animadvertit in sua Eusebii versione; quod intuitu dignitatis **823** episcopalis, quam ei conferri peroptabant, mihi videtur esse ab iis scriptum papæ Eleuthero.

Ut demum ei difficultati satisfaciàmus, quæ ex fine capitis 3 sumitur, ubi litteræ martyrum de pseudoprophetis Montani videntur non perlatæ esse ante Pothini mortem, cum subjunctæ fuisse dicantur ab Eusebio amplissimæ illi Lugdunensis Ecclesiæ de martyribus epistolæ, dico duo distinguenda esse in Eusebii narratione, quæ vulgo non discernuntur. Duplex enim legatio ibidem indicatur, una in Asiam et Phrygiam, quæ Irenæo non est imposita, altera ad Eleutherum, quam unicam ut susciperet Irenæus rogatus est a martyribus. Qui Asiana defuncturi erant, non statim profecti sunt, quoniam non extemplo sese navis obtulit, quæ in Asiam Phrygiamque vela faceret, legatosque illuc deportaret; cujus occasio ante completum martyrum agonem non occurrit. Cum vero Romani itineris aggrediendi numquam non præsto esset occasio, et magis urgeret causa quæ Irenæum ut Romam iret impellebat, nihil fuit quod illum diutius apud Lugdunum retineret, ac proinde viæ se dedit statim atque huic muneri obeundo delectus est.

Rem totam uno verbo conficio : cum temeraria videatur eorum conjectura qui Irenæum negant Romanam legationem obiisse, perinde mihi est seu ante Pothini mortem, seu mortuo eodem, iter aggressus sit Irenæus. Sed si post mortem Pothini, quod pluribus placet, profectus est, adeoque antequam illius successor ordinaretur, profecto inde probabilior evadit sententia nostra : argumentum enim est ordinationem pontificis non potuisse tunc temporis sine vicinorum episcoporum auxilio celebrari; alioquin de nulla re prius cogitasset illa Ecclesia, quam de substituendo in locum Pothini episcopo in tantis rerum augustiis pernecessario, nec reditum sui Irenæi ex tam longinqua profectione exspectasset; sed nec profectioni manus umquam dedisset Lugdunensis clerus.

His pertractatis ac elucidatis manifestum est, nisi fallor, nihil ex hoc Eusebii loco, quem non indiligenter excussimus, posse erui, quod Arelatensis Ecclesiæ jura concutiat ac pessumdet.

824 Cap. XIV. *Quid de Celidonii appellatione ad sedem apostolicam sentiendum sit? Et utrum eidem contradicens Hilarius Arelatensis ordinem a majoribus suis custoditum turbaverit? ubi primum de causa Marciani Arelatensis episcopi.* — Nunc ad alia capita properandum, quæ Leo noster adversus Hilarium urget in sua epistola, atque imprimis examinanda Celidonii appellatio ad sedem apostolicam, quam cum ægre admodum tulisset Hilarius, et judicium suum a Leone retractari non debuisse strenue adversus ipsum contendisset, hæc gravissimæ inter utrumque simultatis origo fuit. Hæc igitur S. Leo in ea epistola ad provinciæ Viennensis episcopos, quibus jus suum ex antiqua consuetudine in Galliis recepta defendit. *Nobiscum*, inquit (*Epist.* 10), *vestra fraternitas recognoscat apostolicam sedem pro sui reverentia a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse judicia; adeo ut, servata unitate spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde litteris, quod sancte agebatur, perpetuæ proficeret charitati. Quoniam sollicitudo nostra non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem divinitus datam nec Ecclesiis nec Ecclesiarum sacerdotibus abrogabat. Sed hunc tramitem semper inter majores nostros et bene tentum, et salubriter custoditum, Hilarius Ecclesiarum statum, et concordiam sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit; ita suæ vos cupiens subdere potestati, ut se beato apostolo Petro non patiatur esse subjectum*, etc.

(*a*) Controversiæ cardo in eo positus est, utrum recepti tunc in Gallia canones et Gallicanæ Ecclesiæ mores ac consuetudo id ab Hilario exigerent, ut sententiam rite et canonice in Gallicana synodo prolatam ab episcopo Romano ad examen revocari, et vi appellationis aut confirmari aut retractari sineret.

Quid posterioribus sæculis actum fuerit vel fieri debuerit, quid novo, ut aiunt, jure, nostra vel majo-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Quæ in hoc et sequentibus capitibus proferuntur, ad vivum resecantur in observ. part. I, a cap. 4 ad 7 usque. Hanc controversiam revocari ad quæstionem non meri facti, sed juris; et jure Leonem in Celidonii appellatione judicasse; nec consuetudinem, aut canones, multo autem minus divinum jus Quesnelli sententiæ favere, Hilariique apologiam male ab eodem contextam exinde patebit.

rum nostrorum ætate, quid etiam per illa tempora in aliis provinciis fuerit usu inductum, non est hic animus inquirere : quippe quod ad Hilarii causam non facit. Satis enim superque sanctissima ejus memoria ab omni improbæ cupiditatis nota vel violati pontificii juris suspicione vindicabitur, si nihil ab ipso præsumptum **825** esse ostenderimus, quod Gallicanæ Ecclesiæ consuetudini consonum non esset, nec ullam umquam appellationem a Gallicanis partibus ad Romani episcopi tribunal esse delatam ab ipsis fidei incunabulis usque ad Hilarii Arelatensis tempora. Totum igitur opus, totus labor noster in examine erit facti, non in discussione juris, quæ ab instituto nostro aliena est. Quod ut rite ac secundum juris ipsius leges inquiratur, non ex Leonis epistola aliisque scriptis discutiendum est; nemo enim in propria causa testis est idoneus, sed ex publicis, quæ supersunt Ecclesiæ monumentis, quæ quid in occurrentibus episcoporum causis gestum sit, sincere exhibent.

Porro jam a primordiis seminati intra regiones nostras Evangelii hoc antistitum Gallicanorum mentibus inolevit, quod Africanis semper fuit persuasum totis his quadringentis quinquaginta et amplius annis : nempe (*a*) episcopatum unum esse atque indivisum, cujus a singulis in solidum pars tenetur; ac proinde si quem ex portione gregis Christi ascripta, quam regit pastor unusquisque ac gubernat, in aliquod crimen prolabi contingeret, apud eumdem agere causam suam compelli debere, servato appellandi ad provincialem vel etiam ad majorem synodum jure. Si quis secus fecisset, et ad extraneos judices vellet per appellationis libellum confugere, is episcoporum concordiam cohærentem collidere, unitatemque scindere merito putabatur. Auctoritas autem quæ episcopis quibusque in suos presbyteros cæterosque gregis sui alumnos competebat, hæc eadem metropolitanis una cum provinciæ concilio in comprovinciales episcopos deferebatur jure quodam naturali et consuetudine ab omnibus recepta quam sacrosancta postmodum conciliorum firmavit auctoritas.

Hanc disciplinæ formam testatam habemus illustri exemplo, quod ex iis quæ Nicænum concilium præcesserunt, superest unum in Gallicanis monimentis; (*b*) in Marciani scilicet Arelatensis episcopi causa, qui Novatianorum partes in Galliis fovebat, plurimosque e catholico grege suo pridem afflarat veneno. Non me latet eam S. Cypriani epistolam ad Stephanum pontificem Romanum, quæ Marciani nobis historiam pandit, suspectæ apud aliquos fidei esse habitam, immo apertæ νοθείας argui a doctissimo antiquitatis scrutatore Joanne Launoio. Verum ab omnium editionum Cypriani procuratoribus pro germana habetur, imprimisque a clarissimo inter eruditos Rigaltio, nec non ab erudito viro Lomberto, qui et privatis quas ad nos ea de re scripsit pro communi necessitudine litteris eam epistolam Cypriano doctissime asserit, et publicis etiam notis, quibus elegantissimam suam Cypriani versionem nuper ornavit. **826** Eam etiam epistolam exhibent perantiqui codices mss., quos inter Veronensis, ut optimæ notæ, laudandus, cujus meminit editus Cypriani codex Thuaneæ bibliothecæ, ad cujus marginem descriptæ sunt variæ lectiones ex variis Italiæ bibliothecis excerptæ. Denique nihil est quod a Cyprianica dictione abhorreat, vel ab ejus mente sit alienum, ut merito genuinus illius auctor credendus sit Cyprianus.

Marcianus igitur Arelatensis episcopus Novatiana labe infectus Gallias vastabat sedis suæ amplitudine fretus. Cum autem cæteri episcopi Gallicani adversus hominem in sua provincia potentem nihil auderent, nec id etiam temporum ratio sineret; cum præterea plebs Arelatensis Marciani fraudibus decepta episcopum suum tueretur ac defenderet, uti ex epistola Cypriani licet conjicere, a cæteris exterarum provin- A ciarum episcopis opem imploraverunt, præcipueque a Romano et Carthaginensi, quorum maxima, licet longe dispar, erat in Ecclesia auctoritas. Ad utrumque ergo litteras dederunt Faustinus Lugdunensis episcopus, et Romanæ provinciæ, id est Narbonensis solidæ episcopi. Inprimis vero Romanum episcopum tamquam cœtus episcopalis caput apicemque sollicitabant, ut Ecclesiæ sub schismatici episcopi jugo laboranti adesset auctoritate sedis suæ fretus; quod eam ob rationem egerunt quod et nullum in ea provincia sibi imminentem habebat Marcianus, et non ita pridem a sede apostolica transmissum acceperat Trophimum, de cujus indigno successore Marciano apud ipsum querelam deferendi jus habebat. Tardante vero Stephano, nec suppetias ferente, iterum ad Cyprianum scripsere Galli, ut ipse apud Romanum instantius ageret de Marciani depositione procuranda. Fecit quod rogabatur Cyprianus, deditque litteras ad pontificem querelarum precumque Gallicanæ Ecclesiæ indices, in quibus utriusque Ecclesiæ mentem B ac disciplinam licet intueri.

Dum igitur Stephanum conveniunt per litteras suas Cyprianus, et per Cyprianum episcopi Galliarum, quid, amabo te, ab eo præstari cupiunt ac postulant? An ut Marcianum ad se evocatum tribunali suo præsentem sistat? minime. An ut aliquem e latere suo deleget in provinciam, qui perduellem episcopum vicaria sui potestate judicet? Neque hoc magis. Forte ut e sede sua sententiam ferat, quam Gallicanis postmodum episcopis tamquam exsecutoribus effectui mandandam committat; vel ut ab ipsis quidem adversus Marcianum judicium ornari imperet, quod ad se transmissum discuteret, et prout e re visum esset, vel confirmaret vel infirmaret? Nihil tale vel somniatum a Cypriano. Qui si tale quid faciendi pontifici Romano auctor fuisset, **827** timuisset profecto ne quemadmodum in causa Apiarii scripsere Cœlestino papæ e synodo Africæ generali Cyprianici vigoris ac episcopatus hæredes : *ne*, inquam, *fumosum ty-* C *phum sæculi in Ecclesiam Christi*, *quæ lucem simplicitatis et humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert*, *videretur inducere*. Quid ergo a Stephano petunt? Hoc unum, ut Gallicanos episcopos plebemque Arelatensem moneat ne ultra Marciano communicent, sed ut, eo abstento, alter in ejus locum eligatur.

Video quidem auctores nonnullos magni nominis hanc epistolam mirum in modum jactare pro suprema pontificis Romani in episcopos deponendos potestate : quos æmulatus aut etiam prætergressus novitius quidam scriptor multa aggerit homine causis forensibus procurandis addicto digniora, quam in theologicis versato. Primum igitur quod ait hoc est, in epistola Cypriani de Marciani episcopi depositione agi. 2° Ex eo quod Cyprianus Marcianum ad synodum provincialem non petit remitti, synodorum provincialium in episcopos deponendos potestatem sibi persuadet pessumdari. 3° Cyprianum in hac epistola agnovisse in episcopo Romano supremam episcopos D judicandi potestatem, in eosque primam depositionis sententiam ferendi. 4° Hujus potestatis in Romano pontifice causam et fundamentum hoc esse, quod *sedes Romana sit fons et origo sacerdotii Jesu Christi*. Ita enim interpretatur hæc Cypriani verba : *Unde unitas sacerdotalis exorta est*.

Quod ad primum attinet, nequaquam verum est hic agi de depositione, cujus ne nomen quidem apparet in epistola, sed de abstentione agitur; cujus a depositione discrimen qui ignorat, ad judiciorum canonicorum tractationem illotis, ut aiunt, manibus pedibusque accedit. Supponit enim Cyprianus Marcianum sine ulla synodi sententia vel alio judicio, sententiæ adversus Novatianum prolatæ subjici debere. Quid enim egisset synodus? an errorem damnasset? at in Novatiano jam olim proscriptus fuerat

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide observ. part. I, c. 7, n. 11.

(*b*) Confer ibidem c. 5, n. 6 et seqq.

a concilio plurimorum sacerdotum, ut loquitur Cyprianus, qui et partem se illius fuisse testatur. An ideo adornasset judicium adversus Marcianum, ut is in schismaticorum numero esse convinceretur? Sed habebant omnes episcopi totaque provincia confitentem reum, qui convinci de errore propugnato non indigebat, cum palam, ut testatur hic Cyprianus, *collegio episcoporum insultaret; cum jampridem jactaret et prædicaret, quod Novatiano studens et ejus pervicaciam sequens, a communione se ecclesiastica segregasset; cum episcopis illuderet, et de majestate ac dignitate Ecclesiæ judicaret; cum se Novatiano conjungens, adversarius misericordiæ et pietatis exstaret, et ipse jam esset ab universis sacerdotibus judicatus* (*Epist.* 67, *ed. Pamel.*). An denique synodus congregaretur ut depositionis sententia in Marcianum pronuntiaretur? Verum jam eam ipse, ut mox vidimus, pronuntiarat, *a communione* **828** *se Ecclesiæ segregans, a catholicæ Ecclesiæ veritate, atque a corporis nostri*, inquit Cyprianus (*Ibid.*), *et sacerdotii consensione disjungens, tenensque hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem*. Unde cum ait Cyprianus de Marciano : *Sententiam non dicat, sed accipiat*, non de nova sententia vel a synodo vel a pontifice Romano, ut putat auctor ille, proferenda scribit; se enim ipse satis explicat Cyprianus, cum statim interpretationis vice addit : *Cum ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus*, a Lucio videlicet et Cornelio Romanis pontificibus, *qui dandam esse lapsis pacem censuerunt, et pœnitentia acta fructum communicationis et pacis negandum non esse litteris suis signaverunt; quam rem*, addit S. Cyprianus (*Ibid.*), *omnes omnino ubique censuimus*. Prolata enimvero semel sententia in hæresis vel schismatis auctorem, in omnes illius sequaces prolata esse censebatur; alioquin vel nimium grave esset episcopis toties in synodum convenire, illis præsertim temporibus, quoties episcoporum vel presbyterorum aliquis erroris se damnati fautorem redderet; vel satis Ecclesiæ saluti consultum non esset, si solo hæresis schismatisve alicujus auctore damnato, ejus discipuli impune grassari per Ecclesiam sinerentur. Unde hæc Cypriani verba (*Ibid.*) : *Quam vanum est, frater charissime, ut Novatiano nuper retuso et refutato, et per totum orbem a sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores ejus nobis patiamur illudere, et de majestate ac dignitate Ecclesiæ judicare.* Certe si quando hæc Felicis papæ sententia in praxim vocari debuit, ubi ait : *Facta semel synodus abjecti cujuslibet erroris cunctos sequaces consequenter involvit*, tunc quam maxime eidem obsequendi necessitas fuit, cum ubique tyrannorum furor Ecclesias populabatur, et episcopis in lucem synodorum prodire non licebat. *Non enim fuit* Marcianus *novi vel proprii inventor erroris* (ut in Acacii causa dicebat Gelasius papa epist. 4 ad Faustum), *ut in eum nova scita prodirent; sed alieno facinori sua communione se miscuit. Quamobrem*, inquit idem ante verba jam relata, *hoc non solum præsuli apostolico facere licet, sed cuicumque pontifici ut quoslibet et quemlibet, secundum regulam hæreseos ipsius ante damnatæ a catholica communione discernant.*

Hujus igitur auctoritate sententiæ jamdiu debuerat Marcianus abstineri a Gallicanis episcopis et plebe Arelatensi, quorum tarditatem culpat Cyprianus, ex eoque solum excusat quod eum non auderent abstinere, quem a magnarum sedium episcopis nondum abstentum viderant : *Quod necdum a nobis videtur abstentus, qui jampridem jactat*, etc.; adhuc enim, ut ex fine epistolæ conjicere licet, ad Marcianum fratres dirigebant, et ei communicatorias litteras scribebant, nondum plene cognita ejus pervicacia. Ut igitur a Gallicanis episcopis et a novella adhuc provinciæ Romanæ Ecclesia abstineretur episcopus Arelatensis, petit Cyprianus, et quasi tarditatem Stephani increpans **829** pro jure communi Ecclesiarum postulat ut abstentum a se Marcianum esse indicaret suis litteris. *Quapropter facere te* OPORTET *plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos ne ultra Marcianum pervicacem, et superbum et divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quod necdum a nobis videtur abstentus;* ubi per illud NOBIS satis insinuat Gallos non solius Romani pontificis sententiam attendisse, sed etiam Carthaginensis, quem et pro sua parte in Gallias scripsisse verba hæc dubitare non sinunt, præsertim cum superius dixerit : *Cui rei nostrum est consulere et subvenire, frater charissime;* et postea suum a fratribus Gallicanis postulatum esse asserat auxilium. *Solatium*, inquit, *nostræ opitulationis exposcunt*. Quamquam nemo, nisi in apostolicam sedem male affectus, negaverit tanto plus ponderis et auctoritatis habere litteras Romani pontificis quam Cypriani, quanto Roma præstat Carthagine, ac Petrus apostolus, cathedræque apostolicæ hæres Stephanus cæteris apostolis atque episcopis præeminent.

Quod secundo loco affirmat auctor ille, Cyprianum nullam fecisse mentionem de synodo, intemperantiusque insultat doctissimo præsuli Petro de Marca, quasi aliquid quod synodorum potestati suffragetur, in hac epistola quærenti frustra, insulse admodum hoc scriptum est. Primum enim ex dictis manifestum est nullam fuisse synodi cogendæ necessitatem, cum jampridem Marcianus in Novatiano damnationis excepisset sententiam, sufficeretque ut Romana Ecclesia, quæ omnium Ecclesiarum princeps, et Arelatensis etiam matrix erat per missionem Trophimi, una cum Carthaginensi, indicaret abstentum a se Marcianum, ab illius etiam Ecclesiæ clericis et totius provinciæ episcopis pariter abstinendum esse. Deinde vix liberum erat tunc temporis in ea parte Galliæ conciliorum congregatio, fervente nimirum infidelium odio in novellam Ecclesiam, quæ si episcopos suos e latebris ad synodorum lucem emisisset, certo mortis exposuisset periculo. Si quis tamen adversus auctorem istum contendere velit totum istud Marciani negotium in Gallicana synodo agitatum et terminatum fuisse, hoc sine ratione ac fundamento non asseret, sed potius ex ipsa Cypriani epistola facile probabit. Constat enim alium episcopum Arelatensem in locum Marciani constitui et consecrari non potuisse sine aliquot episcopis in unum congregatis ad impositionem manuum **830** celebrandam, quem conventum quis synodi nomine non dignandum existimet? Porro in eadem synodo abstentionem Marciani prius esse declaratam indicant Cypriani verba, qui utrumque negotium connectit. *Dirigantur*, inquit, *in provinciam* (id est, *ad coepiscopos in Galliis constitutos*, ut prius dixerat) *et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur* (*Ead. ep.* 67 *S. Cypriani*). Hæc omnia synodi materies erant, quam proinde satius est credere fuisse collectam, si quidem temporum ratio permisit : ita ut sive abstentio in proprio significatu, sive in extraneo pro depositione accipiatur, ut videtur accipi a Joanne Davide, nihil erit in hac Cypriani epistola quod synodorum auctoritatem non confirmet, nedum evertat.

Quid porro Cyprianus de pontificis Romani circa depositionem episcoporum potestate senserit, non est hujus loci inquirere; satis clare mentem suam aperit aliis in locis. Sufficit, quod ad rem præsentem spectat, probasse nihil in causa Marciani postulasse Gallos a Stephano papa, quod a Cypriano similiter non petierint; nihil Cyprianum scribi voluisse in Gallias a Romano pontifice, quod ipse non scripserit; totamque demum causam synodi Gallicanæ potestati fuisse relictam

Opposita Davidis, non utique prophetæ, doctrina ut novella est, et sacrosancto episcoporum ordini injuriosa, ita probari non decebat nisi propositione quam theologicæ aures ferre non possunt, utpote et antiquitati absonam, et sacerdotio Christi contumeliosam. Quis enim ferat sacerdotii Christiani origi-

nem ad alium referri quam ad Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, a quo immediate institutum est, quique unus ut episcopalis potestatis ac sanctimoniæ fons et origo, utramque in episcopos omnes diffundit? *A Deo enim et per Deum*, ut habet Cyprianus (*Epist.* 69, *ad Florentium*), *sacerdotes ejus in Ecclesia constituuntur*. Quod et fusius comprobare non refugerem, si cum homine theologo mihi res esset. Etsi autem eo nomine ipsi parcimus, quis tamen patienter ferat ut hæretico dogmati suffragium ex Cypriano per pravam versionem arcessere conetur, dum hæc verba, *Unde unitas sacerdotalis exorta est*, his aliis reddit, *Quæ origo est sacerdotii Jesu Christi?* Quasi idem ac unum essent *sacerdotium* et *unitas sacerdotalis*. Quæ (*a*) quo sensu in Petrum **831** ac Petri cathedram a Cypriano refundatur, intelliget lector ex his ejusdem verbis libri de Unitate Ecclesiæ : *Quamvis*, inquit, *apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat... tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.*

Cap. XV. *Ex ejusdem ævi disciplina illustratur Marciani Arelatensis causa in synodo absoluta.* — Paulo fusius hanc Marciani causam excussimus, ut hoc unico exemplo, quod nobis ex primæva illa antiquitate Gallicana superest, evinceremus nullo alio judicio Gallicanum esse præventum, nullo retractatum. Tota enim in comprovinciales episcopos potestas penes synodicos conventus residebat, tum in Galliis, tum in aliis regionibus. Alterum nobis adest exemplum ex ejusdem B. Cypriani epistola 68 de (*b*) Martiali et Basilide Hispaniæ episcopis, in quos idololatriæ convictos depositionis sententia lata fuerat in provinciali synodo. Cum enim *Basilides post crimina sua detecta, et conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens Stephanum papam longe positum, et gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellisset, ut exambiret reponi se injuste in episcopatum, de quo fuerat juste depositus* (*Epist. S. Cypriani* 68, *ed. Pamelii*) : priori tamen sententiæ standum esse respondit Cyprianus ab Hispanis episcopis consultus, omisso Stephani judicio, quod rescindere ordinationem alterius episcopi, in locum Basilidis substituti, jure perfectam non potuit. Basilides porro appellatione sua aliud nihil profecit quam ut cumularet delicta, et ut *ad priora peccata ejus etiam fallaciæ et circumventionis crimen accederet.*

Hujus porro disciplinæ causam et originem in episcopalis dignitatis natura ac sacrosanctis privilegiis fundatam (*c*) Nicæna nobis synodus aperit, quæ jus illud non scriptum, scriptis canonibus totius mundi

A reverentia, ut Leo loquitur, consecratis sanxit atque firmavit. Sic enim se habet canon 5 : **832** *De his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Et postea : *Placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul episcopis congregatis discutiantur ejusmodi quæstiones.* Tametsi enim canon ille depositionem episcoporum inter ejusmodi quæstiones non designet expressis verbis, hunc genuinum esse canonis sensum sibi quisque facile persuadebit, qui concilii Constantinopolitani Patres audire voluerit canone suo secundo Nicænum interpretantes. *Non invitati*, inquiunt, *episcopi ultra diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, vel quibuscumque disponendis ecclesiasticis causis; servata regula, quæ suprascripta est, de unaquaque diœcesi. Manifestum namque est quod per singulas quasque*
B *provincias provincialis synodus administrare et gubernare omnia debeat, secundum ea quæ sunt in Nicæa definita.* Administrationis vocabulo judicia adversus episcopos comprehendi æque ac alia ecclesiastica negotia ostendit illustrissimus Petrus de Marca lib. VII Concordiæ sac. et imp. cap. 2 et 5, et hujus interpretationis astipulatores habemus (*d*) concilii Africani Patres in epistola ad Cœlestinum papam, quem sic alloquuntur : *Decreta*, inquiunt, *Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque viderunt quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique provinciæ* (Al. *providentiæ*) *gratiam sancti Spiritus defuturam, quo æquitas a Christi sacerdotibus et prudenter videatur, et constantissime teneatur : maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare.* Eidem sententiæ suffragantur (*e*) Innocentius PP. epist. ad Victricium episc. Rothomagensem capite 3,
C et (*f*) concilii Antiocheni can. 15, quo statuitur sententiam ab omnibus episcopis alicujus provinciæ latam ab aliis episcopis retractari nec debere, nec posse.

(*g*) Sardicensem synodum familiare est in hoc **833** negotio proferre, indeque velut palmare argumentum sumere, quo appellationis jus a synodis ad sedem apostolicam jam tunc canonica auctoritate stabilitum esse comprobetur. Quamvis enim hujus concilii non meminerit S. Leo de appellationibus agens in hac ad Viennenses epistola, sed veteris tantummodo consuetudinis (*Sicut vetus*, inquit, *consuetudo poscebat*), illi tamen concilio debetur earum appellationum origo, et illius canones sub Nicænorum nomine allegavit ipse Leo aliquot post annis in causa Flaviani CP. episcopi. Inde, inquam, appellationum

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hic Quesnellus eum tantum sensum ingerit quem heterodoxi afferunt, ut a Petri cathedra primatum præcipuæ jurisdictionis excludant. Cum Gallicana Ecclesia in Petri sede *centrum unitatis* agnoscit, nonne harum vocum vi plus aliquid significare vult, quam meram repræsentationem et imaginem unitatis? Certe *unitatis origo*, quam pluribus in locis Cyprianus constanter inculcat, vim quamdam præcipuam exprimit compingendæ unitatis; cumque idem S. martyr in lib. de Unit. Eccl. tradat : *Unitas servatur in origine*, præcipuam quamdam vim non tam formandæ quam conservandæ unitatis in Petri cathedra agnoverit necesse est, non autem meram ejus repræsentationem aut figuram; ita ut in hac præcipua vi jus aliquod peculiare Petri intelligendum sit, quo omnes sacerdotes totius Ecclesiæ catholicæ cum suis cujusque Ecclesiis Petri cathedræ adhærere debeant, ne si ab ea separentur, extra Ecclesiam sint. Ita enim commode intelligitur quomodo ex Petro seu ex ipsius cathedra *unitas sacerdotalis exorta sit*, ex epist. 55, et quomodo Christus ex Petro Ecclesiæ ipsius unitatem ac *unitatis originem instituerit*, ex epist. 73.

(*b*) Vide observ. in part. I, c. 5, n. 6.

D (*c*) Nicæni canones et Constantinopolitanus, qui hic allegantur, cum de episcopalibus judiciis statuunt, appellationes ad Romanum pontificem si non astruunt, certe non excludunt. Quibus autem canonibus hoc jus statuatur, vide observ. part. I, c. 6.

(*d*) Africanorum sententiam explicavimus eodem capite n. 20 et seqq.

(*e*) De Innocentio vide observ. part. I, c. 5, n. 20.

(*f*) De Antiocheno canone, qui solus appellationes videtur adimere, videsis ibidem c. 6, num. 3.

(*g*) Sardicensium canonum genuina interpretatio eorumque auctoritas etiam apud veteres Gallicanos episcopos explicatur et constituitur eodem c. 6, a n. 4 ad n. 19, ibique omnia Quesnelli commenta disjiciuntur.

usui ratio quæsita est a Romanis pontificibus, licet revera nihil de appellationibus decernant Sardicenses Patres, sed tantum retractationis seu revisionis causæ decernendæ potestatem faciant Romano episcopo, ut demonstrat illustriss. Petrus de Marca, de Concil. lib. VII cap. 3, et ex ipsa canonum Sardicensium lectione manifestum fit. Quæ potestas retractationis in ipsa provincia decernendæ, etsi jure appellationum longe inferior sit, trepide tamen et dubitanter admodum ab Osio proposita est, qui rem novam, canonibus Nicænis minime consonam, constantique adversam consuetudini quasi supplex et honorandam S. Petri memoriam prætendens exoravit. *Si vobis placet*, inquit, *sancti Petri apostoli memoriam honoremus*. Sed tantæ auctoritatis non fuit apud episcopos sive Orientales sive Occidentales Sardicensis synodus, ut hujusmodi definitioni statim inhærendum esse censuerint. Hoc enim retractationis jugum a suis semper humeris amoliti sunt Orientales, qui ob hanc forte causam concilii istius canones in suas collectiones non retulerunt, sicut nec Gallicani. Africani etiam numquam illam appellationis seu retractationis prærogativam admiserunt, ut patet ex synodica ad Cœlestinum papam epistola, quæ testatur antiquam esse consuetudinem ac disciplinam, ut episcoporum et presbyterorum causæ extra provincias vagari non sinerentur; sed ubi orta erant negotia, ibi metropolitanorum auctoritate esse finienda : unde ne de Sardicensibus quidem audiisse, sed unius Nicæni concilii canones cum suis pro regula habuisse Africanos, manifestum est.

Quod ad Gallicanam Ecclesiam, hoc notatu dignum est, de Sardicensibus mentionem non esse factam a sancto Leone in hac adversus Hilarium querela, quæ de appellatione nata erat. Solam enim consuetudinem obtendit pontifex ambitiosis Hilarii, ut putabat, conatibus : quod magno argumento est Leonem per S. Prosperum hominem Gallum, quem a secretis habebat, vel per seipsum dum in Galliis ageret certiorem factum esse hos canones a Gallicana Ecclesia non recipi, ut superfluum esset eos in medium adducere; si enim inserti fuissent **834** Gallicano canonum codici, in propria causa prævaricatus esset Leo, eos canones commemorare omittens, quibus et plurimum sedi Romanæ deferebatur, et Hilarius tamquam canonum etiam in Gallia receptorum violator potuisset judicari. Nisi dixeris Leonem ab his abstinuisse, tum quia repulsam noverat, quam Cœlestinus papa ab Africanis passus fuerat ob istos canones Nicænis Patribus attributos; tum quia pro ingenio suo videbat canones Sardicenses nihil de appellationibus vel de retractatione sententiæ Romæ peragenda statuere, sed amplius nihil Romano pontifici concedere, quam ut novum judicium in eadem provincia celebrandum indiceret, quod in causa Celidonii ab eo præstitum non fuerat. Quamobrem veritus ne parum roboris habitura esset apud Gallos sua epistola, cui nulli canones militarent, sed quam potius vetus consuetudo canonibus roborata novitatis arguebat, eam curavit imperatoria constitutione muniri, in qua quidem et Petri meritum, et Romanæ dignitatem Ecclesiæ, et sacræ synodi auctoritatem pro sedis apostolicæ firmanda amplitudine commemorat Valentinianus, de Sardicensi vero synodo pro asserendo appellationum jure mirum servat silentium; quod argumento est Gallis ignotam fuisse disciplinam Sardicensibus decretis inductam, quæ illis opponere minime ausi sunt Romani.

Cap. XVI. *Excutiuntur aliæ episcoporum causæ, quæ ante Hilarium exortæ sunt in Galliis post Nicænum et Sardicense concilia.*—Prima inter causas Gallorum, quæ post Nicænam synodum tractatæ sunt, ea est quæ concilium Agrippinense occupavit ann. 346, in quo (*a*) Euphratas Coloniæ Agrippinæ episcopus, quod Christum Deum negaret, damnatus atque exauctoratus est : qui de sententia synodi per appellationem ad sedem Romanam deferenda ne cogitavit quidem.

Ab Arelatensi synodo, quæ Paulinum Trevirorum episcopum catholicum injuste deposuit an. 353, a Biterrensi an. 356, unde Saturnini Arelatensis opera sanctus Hilarius in exsilium pulsus est, et a Parisiensi anni 362, quæ ipsum Saturninum damnavit, appellatum esse non apparet, licet injusta Paulini et Hilarii damnatio utrique ad Romanum pontificem confugiendi jus peculiare tribueret.

A Burdigalensi anni 385 ad imperatorem provocavit Priscillianus, *permissumque id nostrorum inconstantia*, inquit Sulpicius Severus (*Lib.* II *sacræ Histor.*), *qui aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebantur, aliis episcopis audientiam reservare.* **835** Instantius vero, *qui prior jussus est causam dicere, postquam se parum expurgabat, indignus esse episcopatu pronuntiatus est.* De Romano episcopo ab alterutro appellato nulla mentio. Immo cum antea (*b*) Instantius, Salvianus, et Priscillianus a Cæsaraugustana synodo absentes damnati, *Romam profecti essent, ut apud Damasum Urbis ea tempestate episcopum objecta purgarent... ne in conspectum quidem ejus admissi sunt.* Additum quippe fuerat in synodali adversus eos sententia, *ut si quis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eamdem sententiam promendam (ibid.).*

Sed majoris momenti est Proculi Massiliensis episcopi causa, cujus (*c*) ad se traxisse etiam primam cognitionem Zosimus dicitur, instante Patroclo Arelatensi, cujus et studio depositus est. Hoc illust. Petrus de Marca dicit actum esse Romæ post Gratiani legem promulgatam, quæ Romani pontificis judicio commiserat metropolitanos, quamque merito jure non multi faciebant Gallicani, utpote consuetudini ecclesiasticæ receptisque regulis adversam.

Quidquid sit de hac lege, quæ canonum sanctiones infirmare non potuit, non est cur nos Zosimi conatus iste plurimum sollicitet. Primum enim ex solo facto jus nasci cuiquam non potest, præsertim cum repugnantes et contradicentes habet adversæ partis patronos. Deinde Zosimi factum appellationum jus nequaquam attinet, neque ex Sardicensibus canonibus patrocinium trahere potest : hi siquidem nec de prima cognitione, nec de appellatione quidquam habent, sed de sola causæ in provincia ipsa retractatione procuranda. Tertio, etsi nolumus epistolis Zosimi fidem derogari, nihilominus totius istius negotii ratio non satis perspecta habetur, quæ non nisi ex his epistolis innotescit. Cum enim auctoritatis sedis suæ amplificandæ studio plurimum laborasse convincatur ex Africanis monimentis, quæ jam superius attigimus, non temerarie conjicimus eamdem passum repulsam in Galliis Zosimum quam in Africa. Et quamquam desunt alia scripta, quæ nos ista edoceant, sufficiunt tamen ipsæ Zosimi epistolæ, ut probetur superior nostra sententia de non admissis apud Gallos synodi Sardicensis canonibus, deque auctoritate Romani præsulis in deponendis ejus regionis episcopis ibidem tunc minime recepta.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) De his causis, ubi nulla appellatio intercessit, vide quæ dicentur in observ. part. I, c. 5, n. 4.

(*b*) Vide ibi n. 10.

(*c*) Hujus causæ cognitionem non ad se attraxit Zosimus, sed Patroclus Gallicanus episcopus eam ad Zosimum detulit. De jure autem apostolicæ sedis in his quoque causis primæ cognitionis lege observ. part. I, cap. 7, n. 6 et 7, ac ex iis patebit quam perperam Quesnellus scribat Zosimum auctoritatis sedis suæ amplificandæ studio laborasse. Quæ vero quæstio inter Zosimum et Africanos fuerit, et num ex ea colligi queat Zosimum suam auctoritatem voluisse extendere, patebit ex cap. 6 nostrarum observ. in part. I, n. 20 et seqq.

Liquet enim ex earum lectione præcepto **836** Zosimi (a) Proculum non obtemperasse, nec Romam, quo judicandus vocabatur, petiisse; quamquam non tam ad judicium vocari videbatur, quam ad fraternum conventum, in quo ejus et Patrocli jura amice expenderentur. Renuit, inquam, illuc se conferre: unde hæc Zosimi querela: *Multa contra veterem formam Proculus usurpasse detectus est in ordinationibus nonnullorum indebite celebrandis, quas proxime numerosa cognitione discussimus: licet ipse diu exspectatus, fastidiose ferens sibi inducias attributas, convenire dissimulet* (*Zosim. epist.* 7 *ad episc. prov. Vien. et Narbon.* II). Quod quamvis fastidiose cuidam superbiæ tribuat Zosimus, hoc tamen de viro, quem sanctitatis nomine celebrat Hieronymus, sentire nefas ducimus, præsertim cum Zosimo notus non esset, nisi ex testimonio Patrocli, qui et Proculo infensissimus erat, et ut alienæ sedis invasor, multorumque criminum reus, hujusmodi ferendo testimonio parum idoneus erat. Crediderim potius Proculum ideo Romanum declinasse judicium, quod Gallicani episcopi transalpinis sese judiciis submittere non consueverant, nec ut id facerent, adduci potuerant ad illa usque tempora. Quamobrem ægre admodum tulerunt Proculi causam Romam a Patroclo esse delatam, illiusque patrocinium libenter susceperunt, nec passi sunt quidquam roboris habere in Galliis Zosimi de Proculi depositione decretum, quod ecclesiasticæ Galliarum consuetudini adversum erat. Ii sunt enim quos eam ob rem objurgat idem pontifex epist. 12 ad Massilienses: *Addens sibi*, inquit, *jungitque inquietæ mentis homines, et qui soli possunt favere damnato: per quos, quæ turbarum studiosus cogitat, hac sua confisus societate conficiat* (*Zosimi epist.* 12 *ad Massilienses*). Si enim quos paucos dicit inquietæ mentis homines, qui Proculo damnato favebant, non præcipui Galliarum essent episcopi, non ita facile his cessisset Patroclus: quem ex Zosimi litteris novimus non ausum esse ulterius Proculum insectari, nec ea potestate uti, quam illi pontifex adversus Massiliensem largitus erat. Conqueritur enim Zosimus Proculum suis illicitis ausibus a Patroclo dimissum esse, epistola 11. *Cum*, inquit, *et in præsenti cognoveris, et frequentibus a nobis litteris ipse sis monitus, ut auctoritate metropolitani, quam tibi apostolicæ sedis pronuntiatione firmavimus, Proculi ausibus conatibusque illis, quibus adhuc se putat aliqua posse turbare... miror quid post ista Proculo liceat, ut vacet illa quæ consueverat*, **837** *aut pejora committere* (*Zosim. epist.* 11 *ad Patrocl. Arelat. episc.*). Manifestum est enim ex his verbis Proculum seipsum pro deposito non habuisse, nec habitum esse a Gallicanis episcopis; sed eum potius sciente approbanteque Galliarum Ecclesia episcopum egisse, non minori quam antea fiducia ac auctoritate. Constat ex eadem epistola Proculum ordinasse episcopos ex privilegio, quod ejus non sedi, sed personæ indulserat Taurinense concilium. *Post istam*, inquit Zosimus, *delegationem, ecce ad nos rumor advenit Proculum quasi consuetis ludere, et uti moribus suis, junxisse sibi quosdam idoneos turbationibus homines, et post illa quæ illi interdiximus ordinasse* (*Zosim. epist.* 12 *ad Patroclum*). Denique in episcopatu suo perseverasse ac supervixisse Patroclo verisimile fit ex epistolæ Cœlestini papæ ad episcopos provinciarum Viennensis et Narbonensis cap. 4. ubi *Massiliensis Ecclesiæ sacerdotem, qui dicitur, quod dictu nefas est, in necem patris sui taliter gratulatus, ut huic qui ejus sanguine cruentatus advenerat, portionem cum eo habiturus, occurreret*, hunc ipsum Proculum esse existimaverim, qui talem calumniam passus fuerit apud Cœlestinum occasione necis Patrocli, qui a tribuno quodam barbaro circa hæc tempora occisus est, ad occultam, ut Prosper scribit, jussionem Felicis magistri militum. Ex quibus liquet inconcussa mansisse in Galliis Patrum decreta, quibus episcoporum uniuscujusque provinciæ judicia rata habebantur citra omnem alterius judicii confirmationem, nec hujus regionis episcopos per illam ætatem Sardicensibus canonibus, appellationumque novitati colla subdidisse.

Ex ejusdem papæ Zosimi epistolis discimus alios aliquot episcopos in Galliis sententiam excepisse, quos inter Lazarus Aquensium episcopus, et Ursus, cujus sedes ignota, numerantur. Nullius tamen appellationem legimus: tantum abest ut primam sententiam in illos ferre aggressus sit Romanus episcopus; ita ut Patrocli improbitati ac audaciæ tribuendum sit, quod (b) primum in Proculi negotio tentatum est. Nam veritus ne ordinationem ejus sacris canonibus contrariam in irritum mitterent Gallicani pontifices, Romani gratiam et favorem sibi variis artibus conciliavit, spemque fecit maxime auctoritatis ejus in Galliis magis promovendæ; quam occasionem avide arripuit Zosimus ut imperviam hactenus hujusmodi consuetudini ac moribus Galliam circa episcoporum judicia aliarumque rerum administrationem, tandem aliquando **838** perviam haberet; quod tamen eo quem optabat exitu caruit.

Sub Bonifacii pontificatu, qui Zosimo proxime successit, unica occurrit Maximi Valentini episcopi causa, adversus quem cum a Valentinæ civitatis clericis conventus esset, (c) non ad se causæ cognitionem pertraxit, sed monuit a comprovincialibus instruendum esse judicium. *Decrevimus*, inquit episcopos Galliæ alloquens, *vestrum debere intra provinciam esse judicium, et congregari synodum ante diem kalendarum Novembrium, ut si adesse voluerit præsens, si confidit, ad objecta respondeat; si vero adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur* (*Bonifacii papæ epist.* 2 *ad episcopos Galliæ*).

Cœlestinus papa, qui post Bonifacium sedit, Danielem quemdam ad suum tribunal videtur evocasse; sed hominem vagum, qui ab Orientalibus, apud quos multa flagitia perpetrarat, accusatus apud Romanum pontificem, eique quasi traditus, apud Gallias diu quæsitus est ad judicium. Sed talis causa extra exemplum est, nec jus ullum simile sibi attribuisse in Gallicanos episcopos credendus est Cœlestinus, qui in fine ejusdem epistolæ ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis, causam Massiliensis episcopi provinciæ suæ collegio audiendam pro consuetudine ac jure dimittit.

A Sixto III, qui Cœlestinum excipit, nullum legimus sacerdotem ad Romanæ sedis tribunal accersitum. Sed econtra videmus Armentarium, qui Ebredunensi cathedræ præfectus fuerat, a concilio Regensi esse depositum, ipso nec per appellationis libellum reclamante, nec Sardicenses aliosve canones in patrocinium vocante.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Cur Proculus initio non paruerit, ex alia ratione collegimus in observ. part. II, c. 6, n. 3, ut ne apostolicum jus in hisce causis non agnovisse credatur. Num vero post depositionem se tamquam episcopum gesserit, non ita certum ibidem ostendimus, ut Quesnellus contendit.

(b) Confer observ. part. I, c. 5, n. 17. Vetustiorem appellationum consuetudinem in ipsis Galliis ibidem probavimus n. 18 et 20. Patroclus reprehendi jure potest, non quod hanc causam ad Zosimum detulerit, sed quod eum per subreptionem deceperit. Vide observ. part. II, c. 2. De injusta reprehensione Zosimi confer not. 3 (*Infra, col.* 613, *n.* a).

(c) Poterat Bonifacius Maximi causam recipere; sed eam ad comprovincialium judicium remittere maluit, ut ne Bonifacio jus defuisse exinde sequatur. Cum causæ apud duos judices agi possunt, si ad unum deferatur, non idcirco alter eo jure expers inferri poterit. Jus Romanæ sedis in observ. constituimus.

Talis fuit Ecclesiæ Gallicanæ status usque ad sancti Leonis tempora; qui proinde, cum dixit (*a*) *per diversarum appellationem causarum* (*sicut vetus consuetudo poscebat*) *aut retractata, aut confirmata* fuisse judicia, vel memoria lapsus est; vel a Celidonio palpante et imponente delusus, vel denique alia penes se rerum in Galliis gestarum monumenta habuit; quæ ad nos usque non pervenerunt.

Quod autem addit de consultationibus relationibusque quibus Gallicanis episcopis familiare fuisse ait Romanam sedem convenire, synodorum auctoritatem nullatenus minuit; de quarum sententiis ad sedem apostolicam; quæ omnium Ecclesiarum caput, sæpiuum est referri; vel cum de illis certior cupit fieri, vel cum adversus majorum sedium episcopos latæ sunt: ne videlicet primarium **839** Ecclesiæ episcopum lateret quibus communionem suam impertiri deberet, a quibus abstinere, ad quos communicatorias vel formatas posset dirigere. Si vero ad Leonem non est relatum ab Hilario de sententia synodica in Celidonium lata, hoc ita contigit vel propter subitam Celidonii profectionem, quem satius duxit Romam usque persequi, ut pontifici coram referret, quam de ejus negotio scripta mittere; vel quia Celidonius non majoris sedis episcopus erat, ut probavimus. Quamquam vix persuadere mihi possum relatum non esse ad pontificem e synodo, cum id Leo non objecerit adversus Hilarium; nec merito conquestus esset ipse Hilarius, quod Celidonium sacris altaribus interesse in Urbe sineret, qui apud Gallias publicam merito exceperat sententiam, nisi prius de ea sententia certior per litteras factus esset pontifex.

Qui attente nec occupato animo ea omnia perspexerit quæ hactenus disseruimus, haud dubito quin præconceptam adversus Hilarium pervicaciæ, cupiditatis, ambitionisque opinionem facile ex animo deponat; hocque potius sibi persuadebit, majorum suorum vestigia pressisse Hilarium, cum sententiam in synodo latam a sanctissimis episcopis tanta constantia ac fortitudine tutatus est. Sed mirabitur econtra quod (*b*) sanctus Leo consuetudinem disciplinamque tam continua serie custoditam sit prætergressus, sedis suæ amplitudini, quæ sanctorum etiam virorum infirmitas est, plus æquo studens.

Verum non in eo solum canones sanctus Leo visus est minus attendisse in præsenti adversus Hilarium concertatione. In hoc etiam (*c*) a Sardicensibus, quorum maxime auctoritati incumbebat, recessit, quod causam Celidonii extra provinciam examinandam susceperit, et absque primorum judicum communione eam in suo judicio retractarit; quod tentatum prius non fuerat ab ejus prædecessoribus, qui saltem Sardicensium canonum limites non excesserant. Isti autem canones ita redintegrandi synodorum provincialium judicii potestatem faciunt Romano episcopo, ut tamen velit novos ab eo judices decerni ex vicina provincia, qui una cum judicibus a quorum sententia appellatur iterato examini intersint. Hoc enim necessarium erat ex decretis Sardicensibus, ut priores judices posterioris examinis participes essent, quemadmodum ab illustrissimo Marca observatum est. *Si judicaverit*, inquit canon. 3 (*Sardicensis*) *renovandum esse judicium, renovetur, et det judices*. Et duorum solummodo datur optio, ut *vel decernat mittendos esse, qui præsentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt*, **840** *vel si crediderit episcopos sufficere ut negotio terminum imponant, faciat quod sapientissimo consilio judicaverit*. Neutrum fecit sanctus Leo, sed totam sibi causam reservavit proprio subjiciendam examini, judicioque absolvendam; et tamen *prudentissime justissimeque*, ut verbis utar (*d*) Africani concilii ad Cœlestinum papam, Nicæni seu etiam Sardicensis concilii Patres *providerunt, quæcumque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda, nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a sanctis sacerdotibus et prudenter videatur et constantissime teneatur, maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ provinciæ vel etiam universale* (regionis) *provocare. Nisi forte quisquam est qui credat unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, et innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum*, vel transalpinum *judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non potuerunt?*

Has disciplinæ regulas a strenuo suo prædecessore Cypriano hauserant beatissimi Patres, quorum pars magna Augustinus erat: eadem enim fere momenta expendit beatus Cyprianus epist. 55, ad Cornelium papam. *Cum*, inquit, *statutum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit ascripta quam regat unusquisque et gubernet; rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos quibus præsumus non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola et fallaci temeritate collidere; sed agere illic causam suam ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint.*

Quis non credat sanctissimos istos Ecclesiæ Africanæ præsules Hilarii nostri causam agere? Quis non acquiescat tot rationum momentis, quibus quid opponi possit plane non video, nisi sancto Leoni visum esse pro Ecclesiæ bono et ad minuendam Hilarii potestatem, quæ adversariis gratiæ Dei in Gallia invalescentibus animos addebat, (*e*) novum sibi jus parare, imperatoris auctoritate munito, cujus animum pro arbitrio quo vellet inclinabat.

Tertio a canonibus Gallicano codice contentis recessisse Leo videtur, cum (*f*) Celidonium communionis suæ participem fecit, et sacris altaribus interesse passus est, antequam ejus causæ examen de novo institueretur; quod procul dubio canonicæ dispositioni contrarium erat, qua cautum est propter Ecclesiæ sacerdotiique indivisam unitatem, **841** ut qui a singulis episcopis sententiam damnationis exceperunt, ab omnibus per totam Ecclesiam constitutis sacerdotibus damnati censeantur. Hinc synodorum Nicænæ canoni 5, Eliberitanæ canoni 53, Arelatensis I canoni 16, inhærentes tam posteriores Gallicanæ synodi quam Romani pontifices, gravi interminatione sanxerunt ne abjectum quis reciperet in communionem. Idem Taurinensis, ineunte sæculo quinto, can. 7; Arausicana I, can. 11; Arelatensis II, can. 8; Innocentius PP. I, epist. ad Victricium Rothomag. cap. 7. Quam consultius igitur imitatus esset sanctus Leo Ecclesiæ Romanæ proceres, quos olim Marcion hæresiarcha a proprio parente episcopo Ecclesia pulsus, adiens, ut ecclesiasticæ communioni restitueretur, numquam hoc ab eis obtinere potuit, teste sancto Epiphanio hæresi 42, quæ est Marcionitarum, sed hac ab illis responsione repulsus est: *Nos*, inquiunt, *in jussu venerandi patris tui facere illud non possumus: una siquidem fides, et animorum una consensio; neque contra spectatissimum collegam patrem tuum quidquam moliri possumus*. Ita cleri Romani seniores, *ab apostolorum discipulis*, ut ait Epiphanius, *edocti*, traditionem apostolicam violare nefas ducebant.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide observ. part. I, c. 5, n. 18 et seqq.

(*b*) Lege observ. part. I, c. 7, n. 12.

(*c*) Recole annot. 6 (*Supra*, *col.* 486, *n.g*) in caput præcedens.

(*d*) De Africanorum et Cypriani mente legendæ sunt nostræ observ. part. I, c. 6, n. 20 et seqq.

(*e*) Num novum jus sibi Leo paraverit, ex observ. part. I, c. 5, 6 et 7, patebit.

(*f*) Vide observ. part. I, c. 8, n. 1.

Quarto denique ecclesiastici moris non nihil oblitus videtur, cum (a) per imperatoriam sanctionem Gallicanæ Ecclesiæ consuetudini derogare primus tentavit, illudque a Valentiniano III edictum elicuit: *Ne quid tam episcopis Gallicanis quam aliarum provinciarum liceat sine viri venerabilis papæ Urbis æternæ auctoritate tentare; sed illis omnibusque pro lege sit quidquid sanxit vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas.*

Quis non videat Leonem nostrum ita agentem Gallicanarum, immo omnium Ecclesiarum, statum aliter quam more solito ordinasse, ut querebatur Hilarius? Dum, inquam, communionem suam episcopo canonice deposito irretractata causa ultro impertit, dum judicii synodalis sententiam in episcopum legitime accusatum et convictum pronuntiatam infringit, dum causam extra provinciam iterato examini subjicit, dum denique sæculares potestates adversus Hilarium totamque Ecclesiam Gallicanam commovit. Econtra vero planum est sanctum Hilarium, cum pontificis consilio contradixit, cum, non exspectata ejus sententia, gregem suum bonus pastor quantocius revisurus abscessit; cum *communioni* Celidonii, *quem cum tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquievit*, ut scribit Vitæ ejus auctor, *etiam cum vitæ discrimine*; non novis præsumptionibus Ecclesiarum statum et concordiam sacerdotum turbasse, sed religiose servasse, nec eum deseruisse tramitem semper inter majores et bene tentum et salubriter custoditum (quod objicit sanctus **842** Leo), sed eum potius ab aliis desertum vigore apostolico vindicasse.

PARS SECUNDA.

DE PROJECTI EPISCOPI NEGOTIO.

CAP. I. *Status quæstionis aperitur, et cujus provinciæ episcopus fuerit Projectus, inquiritur.*—Pertractato Celidonii negotio, discutienda occurrit Projecti pariter episcopi causa: de quo cum alibi quam apud sanctum Leonem nulla sit mentio, pauciora nobis dicenda relinquuntur quam de Celidonio. Hoc porro primo loco observandum venit, istud negotium non mihi videri coram Hilario fuisse pertractatum, cum auctor ejus Vitæ, qui Romanam profectionem accurate describit, ne verbum quidem de Projecto habeat. Ex quo conjicere licet Projecti litteras, civiumque ejus querelas Romam non fuisse allatas, nisi post reditum Hilarii, cui cum audissent Leonem infensum, Celidonioque omnia ex sententia successisse apud sedem apostolicam, suam causam Romam esse deferendam censuerunt: quod intra illorum sex ad minus mensium spatium contigit, quod ab Hilarii reditu usque ad hujus epistolæ scriptionem interfluxit.

Ad Leonem igitur Projecti episcopi *litteræ lacrymabiles et dolendæ*, ut Leo ipse scribit (*Epist.* 10), *de superordinato sibi episcopo sunt directæ. Epistola quoque ingesta est civium ipsius et numerosa subscriptione singulorum firmata, invidiosissimis contra Hilarium plena querimoniis, quod Projecto episcopo suo ægrotare liberum non fuisset, ejusque sacerdotium in alium præter suam notitiam esse translatum, et tamquam in vacuam possessionem ab Hilario pervasore hæredem viventis inductum.* Et postea: *Quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia, et id quod nullus decessorum ejus ante Patroclum habuit, cur usurpat?* Et subjicit post pauca: *Exspectarentur certe vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his qui norunt Patrum regulas custodiri*, etc. *Sed insperatus nescientibus supervenit, et improvisus abscessit, cursu (ut didicimus) celeri itinera multa con-*
A *ficiens, et per longinquas provincias* **843** *tanta immaturitate discurrens, ut videatur gloriam de scurrili velocitate, potiusquam de sacerdotali moderatione captasse; hæc enim directarum ad nos civium verba sunt litterarum;* ante abscessit quam eum venisse nossemus. *Non est hoc redire, sed fugere*, etc. Quibus recensitis, hæc demum sententia a Leone pronuntiatur: *Nos tamen, quod vobis credimus Deo judice placiturum, in commune cunctis fratribus consulentes, et male ordinatum submoveri, et episcopum Projectum in suo sacerdotio permanere debere, decrevimus.*

Ex his Leonis verbis patet de pluribus in hoc negotio Hilarium fuisse accusatum: 1° quod ægrotanti episcopo successorem superordinaverit; 2° Quod in aliena provincia; 3° quod non exspectatis civium votis, testimoniis populorum, honoratorum arbitrio, electione clericorum; 4° Quod insperatus nescientibus supervenit, et improvisus velut scurrili velocitate abcessit.

B Duplex porro accusationis genus his continetur. Unum quod illi cum Honorato et aliis ejus prædecessoribus commune esse potuit, de tentata nimirum in aliena provincia ordinatione querela. Alterum, quod Hilario proprium est, tribus aliis capitibus, 1, 3 et 4, comprehenditur. De quibus judicium animumque suspensum tenere æquum est, cum a solis Hilarii (b) adversariis hæc testata habeamus. Non is sum profecto qui Hilarium erroris et culpæ omnis immunem velim asserere; nec me latet quam facile sit a suo quemque ingenio etiam pium, etiam sanctum seduci: præsertim cum non tam propria quam Ecclesiæ jura defendere sibi videtur. Quæ tamen hic Hilario objiciuntur, tantopere ab illius moribus aliena sunt, quales a sancto Eucherio, a Juliano Pomerio, a Constantio presbytero in Vita sancti Germani, ab Auxiliari præfecto, a Prospero et Hilario, ab Honorato denique Massiliensi describuntur in ejus Vita; immo tam indigna sunt episcopali viro, sacrorum canonum disciplinæque ecclesiasticæ studioso, qualem Hila-
C rium exhibent tot Gallicanæ synodi, quæ ipso agente ac præside celebratæ sunt, ut merito inter adversariorum invidorumque calumnias numeranda sint. His autem operosius eluendis supersedemus, quoniam hujus sancti episcopi Vita, quam in calce hujus voluminis excudi curabimus, vicem apologetici libelli præstabit. Hac igitur secunda dissertationis parte solum hoc caput examinandum suscipimus, quod et ad Ecclesiæ Arelatensis jura pertinet, et illustratum **844** ad historiæ ecclesiasticæ notitiam non parum conferre videtur.

Ante omnia autem investigandum est, quantum conjectura assequi datur, in quanam Galliæ provincia Projectus constitutus esset episcopus. Quam quidem dum *alienam* vocat sanctus Leo, satis monuit quærendum eum esse extra Viennensem, quam propriam fuisse Hilario nec ipse diffitetur in sua epistola. Unde et corrigendus eminentissimus Annalium conditor, ad annum 445, num. 13, ubi Projectum ait pertinuisse ad Viennensis episcopi ordinationem, cujus in
D provincia erat antistes. Hæc sunt autem Leonis verba: *Quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia, et id quod nullus decessorum ipsius* AUT PATROCLUS *habuerit, cur usurpat? cum et ipsum quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum.* Ita priores omnes editiones hujus epistolæ, ea excepta quam procuravit J. Sirmondus tom. I Concil. Galliæ, cui et mss. cod. duo Thuaneus et Corbeiensis suffragantur, qui cum Sirmondo ita habent: *Quid sibi Hilarius quærit*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Lege hac de re idem c. 8, n. 4.

(b) Nisi S. Leonem judicem tamquam Hilarii adversarium Quesnellus traducere voluit, certe pro inimicis ejus habuit Projectum episcopum et quotquot cives querelas ad eumdem pontificem detulerunt. Num de his testibus rem publicam narrantibus suspicio oboriri queat omnes in calumniam conspirasse, quisque prudens judicet. De ipso autem facto confer observ. part. II, c. 1.

in aliena provincia, et id quod nullus decessorum ipsius A ANTE PATROCLUM *habuit, quid usurpat?*

Duplex hæc lectio duplici conjecturæ nobis dat locum. Ei enim qui primam sequi maluerit, ex ea provincia fuisse Projectus credendus est quam ne Patroclus quidem sibi subjectam habuerit; quod Viennensem et Narbonenses primam et secundam excludit, quæ Zosimi decreto Patroclo subesse jussæ sunt. Duæ igitur tantum residuæ sunt ex iis provinciis quæ olim Narbonensem solidam constituebant, extra quas nihil juris sibi præsumebat Hilarius, Alpes scilicet Graiæ et Penninæ, et Alpes maritimæ. Non fuisse eum ex Alpium Graiarum provincia duo suadent: primum quod ista provincia, respectu metropolitani provinciæ Viennensis, aliena dici non poterat ante divisionem a S. Leone factam, cum ex duabus civitatibus, quas in ea recenset notitia, præcipua, scilicet Taranthasia, ad metropolitani Viennensis ordinationem pertineret. Alterum est, quod (a) illa provincia ex numero quinque provinciarum expuncta B tunc erat a Petronio præfecto, cum corpus septem provinciarum conflavit ex residuis quatuor et aliis tribus Aquitanica utraque et Novempopulania. Restat igitur ut provincia Alpium maritimarum ea sit in qua Projectus episcopus erat constitutus. Confirmatur hæc conjectura ex eo quod in hac **845** Projecti causa nullus metropolitanus intervenisse legitur, qui de Hilarii usurpatione quereretur, quod arguit ejus provinciæ, quæ aliena hic dicitur, Metropolitanum sponte juri suo cessisse in gratiam S. Hilarii; et eam ob causam tacite culpatur a S. Leone in hac epistola tamquam propriæ dignitatis desertor. *Suis limitibus*, inquit, *suis finibus sit unusquisque contentus; et privilegium sibi debitum in alium transferre se posse noverit non licere. Quod si quis negligens apostolicas sanctiones plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre se posse credens, non is cui cesserit, sed is qui intra provinciam antiquitate episcopali cæteros prævenit, sacerdotes ordinandi sibi vindicet potestatem* (*Epist.* 10 *ad* C *Viennenses cap.* 7). Isthæc autem objurgatio in Ingenuum Alpium maritimarum metropolitam cadere videtur, quem nimirum Hilarus papa testatur olim a prædecessore suo Leone culpatum esse ob illicitam sui metropolitici juris cessionem. Scribens enim ille ad Leontium, Victurum et Veranum illarum partium episcopos, pro sopienda controversia quæ inter Ingenuum et Auxanium exorta erat propter Ecclesiarum Cemelenensis et Nicæensis regimen, ita loquitur: *Habeat itaque*, inquit, *pontificium frater et coepiscopus noster Ingenuus provinciæ suæ, de cujus dudum ab apostolica sede est illicita cessione culpatus, et custoditis omnibus quæ super Ecclesiis Cemelenensis civitatis, vel castelli Nicæensis, sicut diximus, sanctæ memoriæ decessoris mei definivit auctoritas.* Non videntur enim hæc ad alium quam ad Leonem nostrum referri posse, qui et illicitæ hujusmodi cessioni revera succensuisse legitur, et istud negotium pertractasse dicitur ab Hilaro. Ita, opinor, ratiocinandum de Projecti sede, D juxta primam lectionem hujus loci.

Qui vero aliam lectionem, ANTE PATROCLUM, magis probaverint, ut revera magis probanda videtur, propter mss. codicum auctoritatem, ipsamque sermonis seriem, quæ id (meo judicio) postulat, aliam provinciam Projecto assignare debent. Ex verbis enim istis : *Id quod nullus decessorum ejus ante Patroclum habuit, quid usurpat? cum et ipsum, quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum*, etc.; ex his, inquam, verbis evincimus, provinciam de qua inquirimus unam fuisse ex iis quas Patroclo vindicavit Zosimus, adeoque vel Viennensem, vel alterutram Narbonensium. De Viennensi non potest intelligi quæ Arelatensi episcopo aliena non erat : igitur de Narbonensium una. Ut autem (b) e prima potius fuisse existimem, faciunt verba S. Leonis, quibus indicat provinciam cujus ordinationem sibi Hilarius vindicarat in Projecti negotio, eam esse quæ **846** Patroclo ablata fuerat meliori sedis apostolicæ decreto. *Cum et ipsum*, inquit, *quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum.* Ubi alludit procul dubio ad Bonifacii decretum, seu epistolam ad Hilarium Narbonensem episcopum, per quam eidem asseruit Narbonensis primæ ordinationem, Arelatensemque increpavit episcopum, quod Lutubensis episcopi ordinationem celebrare præsumpsisset in eadem provincia : quam sententiam sua pariter confirmavit Cœlestinus epistola ad episcopos Narbonensis et Viennensis provinciarum scripta.

Tertiam opinionem de Projecti episcopatu habemus ex clarissimorum Sammarthanorum Gallia Christiana, qui ex Annalibus Ecclesiæ et civitatis Avenionensium Polycarpi de la Rivière Carthusiani, et Joannis Columbi Manuascensis, S. J. libro de Rebus gestis episcoporum Diensium, ad annum Chr. 440 Projectum inter Dienses episcopos numerant. Hoc si ita est, in provincia Viennensi collocandus erit Projectus, quod Leoni, ut jam monuimus, repugnat : quippe qui Viennensem provinciam Hilario alienam esse non censuit. Præterea ex ea provincia fuit Projectus, quam Leo ait Patroclo sententia meliori sublatam; ubi procul dubio respicit ad epistolam Bonifacii papæ ad Hilarium Narbonensem, quam Cœlestinus confirmavit. Atqui tantum abest ut Viennensem provinciam Hilario abstulerit alteruter horum pontificum, ut potius ex utriusque epistola constet Hilarium pro metropolitano (nec alterius provinciæ quam Viennensis) ab utroque esse habitum. Hoc enim uno argumento Lutubensis episcopi ordinationem irritam declarat, quia ab Hilario metropolitano quidem facta erat, sed non Narbonensis, in qua Lutevum jacebat *In alia*, inquit, *provincia :* quod contra canones esse ut probaret coactus est Nicænum canonem 4 paraphrastice amplificare, ut ex eo haberet : *Cuiquam metropolitano duas provincias non debere esse subjectas.* Quæ ratio adversus Hilarium vana esset et nullius roboris, nisi subjectam sibi provinciam aliquam habuisset. Idem ex epistola Cœlestini eruitur, qui in eadem causa, hac una probatione nititur : unamquamque provinciam suo metropolitano contentam esse debere, nec usurpationis locum alicui sacerdoti in alterius concedendum injuriam; concessis sibi quemque limitibus contentum esse debere, nec alterum in alterius provincia præsumere quidpiam posse. Quæ omnia supponunt Arelatensem episcopum metropoliticam potestatem in aliquam provinciam (utique Viennensem) jure habuisse et exercuisse; ac consequenter extra eam provinciam quærendam **847** esse Projecti sedem. Stamus igitur alterutri e duabus prioribus opinionibus; hisque conjecturis contentos nos esse oportet, donec lux major affulgeat ex ecclesiasticis, quæ forte alicubi delitescunt, monimentis. An vero jure merito utriusque illius provinciæ, Narbonensis et Alpinæ, inquam, ordinationem sibi vindicarit S. Hilarius, subsequentibus sectionibus investigandum.

CAP. II. *Arelatensem episcopum solidæ olim Narbonensis provinciæ metropolitam, merito jure præcipuas ejus partes sibi post divisionem vindicasse. Ubi et divisio hæc examinatur, et de subscriptionibus primæ synodi Arelatensis inquiritur.* — Cogitanti mihi quo fato acciderit ut ex omnibus ecclesiasticis Galliarum pro-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Alpes Graiæ et Penninæ non solum ex septem, sed ex quinque etiam provinciarum numero fuisse expunctas videbimus in observ. part. II, c. 3, n. 7 et seqq., ibique etiam probabimus septem provinciarum corpus aliquot annis ante Petronii præfecturam constitutum fuisse.

(b) Id confirmabimus in iisdem observ. part. II, cap. 1.

vinciis una Viennensis tot olim contentionibus concussa fuerit, ut controversiis quæ inter illius regionis metropolitanos aliosve episcopos variis sæculis exarsere, vix tandem synodorum summorumque pontificum auctoritas finem imposuerit, statim venit in mentem dissensionum hujusmodi causam et originem ex variis provinciarum illarum divisionibus esse repetendam. Enimvero quia Ecclesia est in imperio, et æquitati consentaneum olim visum fuit primis Ecclesiæ fundatoribus ut (*a*) secundum civilium provinciarum administrationem ecclesiasticæ quoque provinciæ ordinarentur, ubi aliquam ex illis unam in plures dispertiri contigit imperatorum edicto, tunc qui episcopus erat illius civitatis, quæ novæ provinciæ metropolis facta fuerat in civilibus, metropoliticam statim potestatem in eam arripuit, et antiqui metropolitani excussit jugum propriæ provinciæ princeps factus. Cum autem nullæ uspiam provinciæ tot divisionum vicissitudines passæ sint, quot illæ antiquæ Narbonensis partes subierunt, hinc tantarum dissensionum origo fuit.

Sed altera ex parte antiquorum metropolitanorum menti alte insederat etiam ante Innocentii tempora, quod iste pontifex ex sedis suæ traditione, antiquorumque Patrum sententia postmodum scripsit : quod nimirum *secundum pristinum provinciarum morem metropolitanos episcopos convenit ordinari*; quod *divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, non duo metropolitani debeant nominari* (*Innocent.*, *epist.* 20); quod denique Ecclesiæ dignitati non congruit *ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari*, **848** *honoresque aut divisiones perpeti*, *quas pro suis causis faciendas duxerit imperator*.

Hoc procul dubio fundamento nitebantur Arelatenses episcopi, ut eas omnes provincias suæ ditioni vindicarent, quas (*b*) olim subjectas habuerant, cum ex illis unica Narbonensis solida conflata erat. Quod ut Ecclesiarum origini magis conveniebat, ita etiam rationi prorsus consentaneum esse posterioribus Ecclesiæ sanctionibus probatum est. Hujus enim gratia canonem 12 condiderunt Chalcedonensis concilii Patres, ne scissa in duas civilis provincia imperatoria sanctione, in duos pariter metropolitanos divideretur. Hinc, ut Gelasius papa I epist. 13 ad episcopos Dardaniæ adversus Acacium CP. episcopum asserit, urbs illa regia *non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur*. Quoniam, inquit, *alia potestas est regni sæcularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum*.

Si igitur semel probatum fuerit episcopum Arelatensem per ea tempora primatum in Galliis habuisse, et metropolitani honore fuisse decoratum, cum adhuc integra erat antiqua Narbonensis provincia, et metropoliticis adhuc juribus in ejus partes, post divisionem factam, potitum fuisse, jam non erit quod Hilario cupiditatis nota inuratur, aut velut alieni juris invasor infametur. Quod priusquam tentemus asserere, revocanda est in memoriam multiplex Galliarum divisio, qua earum status creberrimis mutationibus perturbationibusque obnoxius factus est.

Universum Galliarum corpus in quatuor membra partitus est primum Cæsar Augustus, videlicet in Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem et Belgicam, quarum singulæ in alias postmodum partes successu temporis subdivisæ sunt pro variis occasionibus ac consiliis. De tribus posterioribus partibus inquirere non est nostri instituti; de sola Narbonensi agimus. Hæc igitur (*c*) iterum divisa est in quatuor provincias, Narbonensem, Viennensem, Alpes Maritimas, et Alpes Graias. Tertio Viennensis scissa est in duas, Viennensem scilicet et secundam Narbonensem, ex quibus et tribus aliis quinque provinciarum corpus effectum est. Quarto demum remotis Alpibus Graiis, ex quatuor reliquis et utraque Aquitanica cum Novempopulania, Petronius præfectus septem provinciarum corpus conflavit, cujus conventum Arelate agi præcepit, accedente postmodum Honorii constitutione an. 418.

Quænam porro quatuor illarum divisionum **849** regnaret, cum primum religionis ac disciplinæ fundamenta in his regionibus jacta sunt, non ita facile est decernere. Certum est exordiis fidei longe posteriorem tertiam et quartam fuisse : tota autem difficultas est de prima et secunda. Immo qui Christi fidem jam ab apostolicis temporibus prædicatam esse in his provinciis existimant, dubitare non possunt quin prima divisio Galliarum ab Augusto facta adhuc esset in integro, cum Ptolemæus, qui sub Adriano et Antonino imperatoribus floruit post annum 130, eam sequatur divisionem in descriptione Galliæ. Sed quoniam longe probabilior est aliorum sententia, qui Sulpitii Severi et Gregorii Turonensis auctoritate ducti, Ecclesiarum in provincia Romana constitutionem (de Lugdunensi enim tractu aliter sentiendum) ad Decii tempora circa an. Chr. 250 referunt, inquirendum relinquitur an eo tempore adhuc vigeret prima Augusti divisio, quæ Narbonensem integram relinquebat; an altera successisset, quæ illam in quatuor partes dispertierat.

Incerta est admodum hujus divisionis epocha propter veterum scriptorum silentium. Eam nonnulli ad Adrianum referunt, alii ad Constantinum vel ad Theodosium. Adriano vix potest tribui, cum Ptolemæus, qui sub ipso et Antonino floruit, Augusti divisionem sequatur in Galliarum descriptione. Eam Constantino longe vetustiorem pronuntiat Petrus de Marca in dissertatione de Primatibus (*n.* 113), de totius corporis Galliarum divisione disserens. Esto hoc verum sit de quibusdam Galliarum provinciis, quæ ad rem nostram non faciunt (fatetur enim ipse non uno eodemque tempore in omnes provincias inductam esse), at de Narbonensi nullum exstat veterum testimonium, ex quo eam ante Constantinum esse divisam vel suspicari liceat. Quod enim profertur a clarissimo præsule (*d*) ex subscriptionibus primi concilii Arelatensis, ubi mentio fit provinciæ Viennensis, ut probet jam tunc temporis, hoc est an. 314, Viennensem a Narbonensi fuisse divulsam, nullius est (mea quidem sententia) ponderis. Valde enim suspicor eas subscriptiones non eo modo eoque ordine quo nunc exhibentur ab episcopis ipsis præsentibus esse factas; sed aliquot post annis ita esse ordinatas secundum provinciarum ex quibus episcopi convenerant numerum; ut primum describerentur hi qui ex Romana diœcesi, tum qui ex Italica, deinde qui ex Gallicana, et ita consequenter de aliis; cui descriptioni ordinandæ assumpta sunt tum alia quæ tunc supererant monumenta, tum epistola synodica, quæ episcoporum eorumdem nomina continet.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cur id non credamus verum patebit ex observ. part. II, c. 5, n. 12.

(*b*) Hic præsumitur episcopum Arelatensem fuisse metropolitam totius Narbonensis solidæ, antequam quinque, ac dein septem provinciarum divisio fieret. Id autem falsum ostendet tum antiquior Narbonensis divisio, quam statuemus in observ. part. II, c. 3, tum sera metropoleon in Galliis institutio, de qua ibidem agetur c. 5, n. 1 et seqq.

(*c*) Varias Narbonensis solidæ divisiones exactius exponemus ibidem c. 3, et exinde nonnulla hic a Quesnello perperam asserta corrigenda erunt.

(*d*) De his subscriptionibus, seu potius de catalogo episcoporum primæ synodi Arelatensis, fuse agemus in observ. part. II, c. 3, n. 14, ibique omnes Quesnelli cavillationes disjicientur. Inde etiam patebit provinciam Viennensem hoc tempore fuisse dissectam a Narbonensi.

850 Hæc nostra conjectura his nititur rationibus : 1° Non ista fuit synodorum consuetudo, ut secundum provinciarum ordinem subscriberent episcopi. Etsi enim non idem semper et ubique mos invaluerit, plerumque hoc observatum est, ut consecrationis ordo teneretur, aliquando etiam metropolitani omnes primi subscripserunt, et inter hos nonnumquam amplitudinis ac dignitatis sedium ratio habita, ut cæteris præponerentur.

2° Varia est admodum in codicibus sive mss. sive excusis earum subscriptionum positio ac situs. In quibusdam enim præponuntur canonibus, in aliis postponuntur, in aliquibus concilio primo Arelatensi, in nonnullis secundo, quemadmodum in Merliniana, Crabbiana, et Nicoliniana. In iisdem editionibus et aliis nonnullis, et in mss. codicibus Remensi et aliis, designatio provinciarum et civitatum præcedit episcoporum nomina; in aliis, ut in Corbeiensi codice, quem Sirmondus secutus est, his illa subjicitur. Quæ omnia innuunt illum catalogum pannum fuisse a synodi actis distinctum, et a privato homine confectum : qui quidem variis locis jactatus certam sedem nondum invenerit.

3° Ita perturbato ordine jacent episcoporum nomina, ut synodalis ordo dici nequaquam possit. Cur enim Marinus Arelatensis, qui primus in capite epistolæ synodicæ genuina acta continentis inscribitur, non item primus habetur subscriptus in calce illius breviarii? Cur presbyteri a Sylvestro missi quinto loco subscribunt? An quia post episcopos diœcesis Urbicæ subscribere debuerunt? At Theodorus episcopus Aquileiensis, qui istos præcedit, ex Italica diœcesi erat. Cur adhuc post omnes duo provinciæ Romanæ episcopi et duo presbyteri subscripti inveniuntur, a cæteris ejusdem diœcesis episcopis separati? Cur denique tantum discrimen inter nomina epistolæ et subscriptiones, immo et inter provinciarum recensionem? Ubi enim antiquæ editiones habent ex civitate Carpentoraco, aliæ legunt ex portu Nicæensi. Illæ unicam Aquitanicam exhibent, aliæ primam et secundam distinguunt, in aliquibus fit mentio provinciæ Narbonensis et civitatis Biterrensis, de his nonnullæ silent; quædam provinciam Romanam commemorant, quædam minime; quædam Massiliensem civitatem et episcopum habent, de quibus nihil in aliis legitur. Hæc profecto innuunt indicem istum eo tantum consilio esse descriptum ut diversitas provinciarum, ex quibus congregata erat synodus, inspiceretur : quem auctor pro suo captu confecit, et alii post ipsum pro sua etiam sententia, proque ætate qua scripsere correxerunt, prout divisio provinciarum, **851** quæ tunc in usu erat, poscere videbatur.

4° Si alicubi apponi debuere nomina Arelatensium Patrum, oportuit certe eorum subscriptionem haberi in calce genuinorum Actorum. At non alia sunt genuina illius synodi acta, quam quæ in epistola synodica reperiuntur : alia enim quibus subscripti reperiuntur episcopi, Breviarium tantummodo continent; quod et nollem ab omni suspicione (*a*) interpolationis vindicare. Siquidem hæc verba canonis 1 : *Et juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas*, de die scilicet paschali, non inveniuntur in ipsa epistola ad Sylvestrum, in qua potissimum reperiri deberent, si vere a synodo scripta essent. Adde non videri hujusmodi litteras paschales in usu fuisse ante concilii Nicæni tempora. Porro cum non reperiantur nomina episcoporum ad calcem actorum, seu epistolæ synodicæ, argumentum est indicem qui Breviario annectitur ex epistola ipsa et aliis forsitan actorum exemplaribus confectum esse.

5° Titulus ipse subscriptionum testatur descriptum esse hunc catalogum non a præsentibus episcopis, sed a studioso aliquo, qui quot et quibus ex provinciis convenissent ad concilium episcopi rescire cupiebat. Eam ob causam autem voluit istud auctor inquirere, ut probaretur vere dictum fuisse universale et universæ Ecclesiæ concilium ab Augustino (*Lib.* II *de Bapt. c.* 9, *et epist.* 162); vel potius, quod in idem recidit, et rationem aperit cur concilio Arelatensi II præfixus inveniatur index iste in antiquis codicibus mss. excusisque, ut veritas probaretur canonis 18 concilii secundi Arelatensis civitatis, *ad quam*, inquit canon, *ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, sub sancti Marini tempore legimus celebratum fuisse concilium atque conventum*. Vix enim somniari alia potest ratio cur huic annexus fuerit concilio, quam canonis hujus illustrandi causa; cum vel sola Sylvestri papæ mentione; quæ fit in his subscriptionibus, et sancti Marini, quæ in hoc canone reperitur, et Bonosiacorum, quæ in antecedenti, lector quivis satis admoneretur non melius aptari unum alteri, quam humano capiti cervicem equinam.

Hæc ideo a me annotata sunt, ut ostenderem (*b*) nihil esse in antiquis monumentis, ex quo conjici possit divisionem provinciæ **852** Narbonensis solidæ in quatuor partes factam esse ante dimidium quarti sæculi. Hanc autem circa id temporis natam esse inde probabile fit, 1° quod primi omnium scriptorum qui eam commemoravere, videlicet Rufus Festus (*In Breviar.*) et Ammianus Marcellinus (*Lib.* XV), floruere per eam ætatem; cum Rufus Festus Breviarium suum dicaverit Valenti imperatori vel Valentiniano an. 365. 2° Ex eo etiam id conjicitur, quod ante hæc tempora dissensiones non leguntur accidisse in Galliis inter episcopos de limitibus provinciarum; de quibus primum querelæ delatæ sunt ad concilium Taurinense. Unde enim *vir sanctus Proculus Massiliensis episcopus civitatis se tamquam metropolitanum Ecclesiis quæ in secunda provincia Narbonensi positæ videbantur, diceret præesse debere, atque per se ordinationes in memorata provincia summorum fieri sacerdotum : siquidem assereret easdem Ecclesias vel suas parochias fuisse, vel episcopos a se in eisdem Ecclesiis ordinatos?* Quo, inquam, jure hæc sibi vindicasset Proculus, quod nemo prædecessorum ejus præsumpserat, (*c*) nisi ex nova provinciarum divisione color quæsitus esset? Nec enim ipse suorum majorum possessionem allegat; nec hujus provinciæ Narbonensis secundæ episcopi aliud objiciunt, quam provinciæ diversitatem; quæ si ex recenti divisione nata non esset, contrariam antiquorum Massiliensis urbis episcoporum consuetudinem procul dubio in medium adduxissent. 3° Sed præter hæc argumenta partim negativa, partim conjecturæ solum innixa, habemus ex Hieronymo probationem assertoriam quæ magni est roboris, si scriptoris auctoritas attendatur qui Gallias curiose non modo peragravit, sed et aliquamdiu incoluit. Igitur in epistola 11 ad Ageruchiam de Monogamia, barbarorum in Gallias irruptionem describens, post enumeratas *Belgicæ* præcipuas civitates, quibus vastitatem ferocissimæ nationes intulerant, tres alias Galliarum partes secundum Augusti divisionem subjicit : *Aquitaniæ*, inquit, *Novemque populorum, Lugdunensis, et* (*d*) *Narbonensis provinciæ, popu*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hanc interpolationis suspicionem excludemus eodem n. 14.

(*b*) Confer observat. part. II, c. 3.

(*c*) Non ex divisione provinciarum, quam jamdiu ante factam ostendemus, dissensiones de jure metropolitico ortæ sunt; sed quia ante finem sæculi IV metropoles ecclesiasticæ induci cœperunt, uti patebit ex observ. part. II, c. 5 n. 8.

(*d*) Qui *Aquitanias* plurali numero cum Novem populis nominat, is procul dubio divisionem provinciarum jam obtinentem præsumit, qua duæ Aquitaniæ dissectæ fuerant. Provinciarum autem divisionem hic indicare noluit S. doctor, sed eas tantum provincias recensuit quæ a barbaris suo ævo populatæ erant, inter quas Narbonensem singulari numero appellans, non Narbonensem solidam, sed Narbonensem ori-

lata sunt cuncta. Vides unicam Narbonensem ab Hieronymo recensitam, et quadripartitam Galliarum divisionem vel tunc perseverasse cum scribebat doctor iste, vel, quod magis reor, ita recentem fuisse Narbonensis in quatuor provincias partitionem, 853 ut adhuc antiquus loquendi modus usurparetur a scriptoribus novellæ divisioni nondum assuefactis.

4° Vero admodum simile est recentem fuisse divisionem Narbonensis provinciæ cum synodus Taurinensis collecta est, et hujus divisionis occasione fuisse collectam. In ea enim controvertitur quis secundæ provinciæ Narbonensi præesse deberet metropolitico jure, ita ut nondum quisquam tali in eam provinciam potestate potitus esse videatur, quod magis ex iis patebit quæ in sectione sequenti dicemus.

Jam vero si ad illa usque tempora quæ notavimus perseveravit solidæ Narbonensis unitas indivisa, haud dubium erit quin unico pariter metropolitano subjecta fuerit secundum canones; et istum metropolitanum fuisse Arelatensem episcopum haud obscure, ni fallor, ostendimus in prima hujus dissertationis parte, deductis per ordinem omnibus antiquitatis Gallicanæ monumentis. Etsi autem ante medium quarti sæculi diximus divisionem novam non apparere, non sufficiet tamen ei cui sententia nostra non arridebit aliquod testimonium in medium adducere, ex quo ante ætatem illam facta esse demonstretur, nisi probaverit ante annum ducentesimum et quinquagesimum eam inductam esse : cum enim eruditiores quique, paucis exceptis, ad ea tempora referant religionis et disciplinæ exordia in Galliis, si tunc una provincia unusque metropolitanus fuerit, valebit regula Innocentii I PP. : *Secundum pristinum provinciarum morem metropolitanos episcopos oportere nominari, nec ad mobilitatem necessitatum mundanarum debere Dei Ecclesiam commutari*; ac proinde non turbasse Ecclesiam Hilarium, cum antiqua suæ Ecclesiæ jura vindicare aggressus est, post prædecessores suos Honoratum, Patroclum, et alios utroque antiquiores.

CAP. III. *Utramque Narbonensem Arelatensi episcopo olim fuisse subjectam, ex epistolis Zosimi papæ comprobatur.* — Non ex sola divisionis epocha edocemur Arelatensem episcopum Narbonensem solidam suo pontificio habuisse subjectam; sed ex iis etiam quæ divisionem secuta sunt manifestum est dictum antistitem eamdem potestatem in illas provincias retinuisse quæ Narbonensis antea partes fuerant, nimirum in Viennensem, Narbonensem utramque, Alpes maritimas, et Alpes Graias; etsi aliquid juris sui in earum aliquas sponte dimisisse videatur.

854 De Viennensi provincia abunde egimus in priori dissertationis parte; de reliquis modo nobis agendum est, quantum monumentorum illius ætatis ac regionis penuria patitur.

De utraque Narbonensi clara est Zosimi papæ constitutio, qua non Viennensem modo provinciam Arelatensi episcopo subesse jubet, sed et utramque illam provinciam, in qua ei tam ordinandi episcopos quam alia metropolitica munia obeundi potestatem confirmat, et quidquid contra tentatum fuerit, illicitum fore irritumque declarat. *Jussimus*, inquit, *præcipuam, sicuti semper habuit, metropolitanus episcopus Arelatensium civitatis in ordinandis sacerdotibus teneat auctoritatem. Viennensem, Narbonensem primam et Narbonensem secundam provincias ad pontificium suum revocet. Quisquis vero posthac contra apostolicæ sedis statuta et præcepta majorum, omisso metropolitano episcopo, in provinciis supradictis quem*-A *quam ordinare præsumpserit, vel is qui ordinari se illicite siverit, uterque sacerdotio se carere cognoscat.* Ubi pontifex declarat non novum a se jus institui, sed antiquum restitui, quod (a) *præcepta majorum* Arelatensibus vindicarant episcopis, quodque revera semper iidem habuerant, si forte paucorum annorum interstitium excipias, per quod novæ divisionis occasione, turbarumque quibus Galliæ agitatæ fuerant, distractæ perperam fuerunt : unde et eas ab Arelatensi ad suum pontificium non de novo adjungi, sed revocari præcipit Zosimus, Viennensem, Massiliensemque episcopos, qui in hac re negotium Arelatensi facessebant, tamquam alienorum finium invasores increpans ac reprimens.

Idem decernit (b) in epistola ad Hilarium Narbonensem episcopum, cui vehementer succenset, quod *prætermissa veri fide* indebitum a sede apostolica *subreptitie obtinuisset* privilegium, *contra veterem consuetudinem et priscam institutionem*. Verum antiqua B illa consuetudo, quam prædicat Zosimus, admodum antiqua non erat, inquit Marcæ continuator. Immo (pace eruditi viri dixerim) antiquissima erat, quod nec Hilarius ipse Narbonensis negare ausus est : qui *dum assertioni et desideriis suis cuperet esse consultum, prætermissa veri fide, relationem suam* SUB HONESTATIS SPECIE COLORAVIT, *asserens in aliena provincia ab alio non debere fieri sacerdotes; cum utique debuerit, non quod ei rectum videbatur, sed quid habuisset antiqua consuetudo, suggerere* (*Concord. sac. et imp. tom.* II, *lib.* V, *cap.* 30, *num.* 5). Satius est igitur fidem adhibere Zosimo (*Epist.* 8, *ad Hilar. Narb.*), qui auditis examinatisque partium allegationibus, ipsoque adversario non contradicente, et solam honestatis speciem, occasione novæ divisionis, obtendente, antiquam consuetudinem 855 fuisse asserit, quam cuivis idipsum post tot sæcula sine probatione neganti. Et certe, non ad Taurinense concilium (quod putat Baluzius) attendebat Zosimus, immo nec poterat attendere. Primum enim de illa C controversia non pronuntiaverat illa synodus : nec coram illa certatum est inter Viennensem Arelatensemque episcopos, nisi de sola Viennensi provincia, Proculo secundam Narbonensem sibi vindicante. 2° Infirmum fuisse Zosimi fundamentum, si, Taurinensi soli synodo innixus, antiquitatem juris Arelatensium episcoporum asseruisset : cum non tam decretoriam sententiam quam amicum consilium de communi dividendo protulerit, nihil ulli civitati adjudicans, sed solummodo Proculi personæ, donec alteruter suam civitatem approbaret esse metropolim. 3° Longe aberat Zosimus ut ex synodo Taurinensi jus aliquod creatum esse assereret, cum ægre admodum tulerit ad illam dissidium de metropolitico jure a Proculo et Simplicio esse delatum, suumque illam judicium interposuisse, ut testatur in epist. ad episcopos provinciæ Narbon. 1 et 2, et in altera ad Patroclum Arelatensem. 4° Quis tam inepte locutum esse credat Zosimum, ut antiquam consuetudinem D priscamque institutionem eam diceret, quæ Taurinensi synodo exordia sua debuisset ? Quæ cum aliquot annis post sancti Martini obitum congregatam esse certum habeatur, ex Zosimi epistola ad episcopos Africæ, Galliæ et Hispaniæ, quindecim annis antecedere non potuit ejusdem epistolam ad Hilarium Narbonensem. Unde an. 439 concilium Reiense in Galliis *definitionem* Taurinensis concilii laudans, *recentem* eam appellat can. 1.

Vetustoria igitur monumenta habebat ob oculos Zosimus, ipsam nempe originem institutionemque sedis episcopalis per Trophimum a sede apostolica

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

mam intelligit; unde in sequentibus Tolosam memorat, quæ ad Narbonensem primam pertinet.

(a) Zosimus vocibus *præcepta majorum* non aliquod majorum decretum indicat, quo solida Narbonensis Arelatensi episcopo vindicata fuerit (nullum certe afferretur), sed Nicænum canonem sextum intelligit, quo cavetur ne quis *sine conscientia metropolitani episcopi* ordinetur.

(b) Hæc et sequentia excutientur in observ. part II, c. 2, n. 2 et seqq.

missum in Gallias per illa tempora quibus solida Narbonensis nondum in partes distracta, unico metropolitano subjecta erat. *Satis constitit*, inquit, *Arelatensis Ecclesiæ sacerdoti prisca id institutione concessum, ut non solum in provincia Viennensi, sed etiam per duas Narbonenses episcopos faciat. Nam sanctæ memoriæ Trophimus sacerdos quondam ad Arelatensem urbem ab apostolica sede transmissus, ad illas regiones tanti nominis reverentiam primus exhibuit, et in alios* [Al. *in alias*] *non immerito ea quam acceperat auctoritate transfudit.* Habebat adhuc ob oculos antiqua apostolicæ sedis decreta, quæ commemorat, et modo exciderunt. Habebat Innocentii prædecessoris sui sententiam in ipsa [dignitate Ecclesiæ fundatam, quæ, ut retulimus supra, eam *ad mobilitatem necessitatum mundanarum commutari vetabat.* Habebat denique Nicæna ipsa decreta. *Quid illud*, inquit, *quod*, **856** *prætermisso Patroclo metropolitano episcopo Arelatensium civitatis, sine cujus auctoritate, juxta majorum canones, nulla penitus potuit ordinatio celebrari, tumultuose et turbide indebitis sacerdotia impinguntur?* Tandem concludit epistolam ad Hilarium Narbonensem congerendo quatuor titulos ac fundamenta quibus ea potestas Arelatensi episcopo asserebatur. *Cum hoc videas*, inquit, *Arelatensis episcopo civitatis et per apostolicam sedem, et per sancti Trophimi reverentiam, et per veterem consuetudinem, et nostra recenti evidentissima definitione deferri.*

Non diffitemur episcopum Narbonensem aliquot annis metropolitico jure potitum esse in Narbonensem provinciam primam; sed hoc ut *subreptitie* obtentum fuerat occasione (*a*) novæ divisionis, ita et quam primum correctum est a sede apostolica; et ita recens erat Zosimi tempore illa Narbonensis metropolitani institutio, ut priorem consuetudinem, qua tres illas provincias subjectas sibi habebat Arelatensis episcopus, usque ad proximum ætatis suæ tempus perdurasse asserat ipse pontifex. *Atque hanc*, inquit (*Epist.* 8), *ordinandi consuetudinem et pontificatum loci illius, quem obtinuerat primus et justus (Trophimus), custoditum usque in proximum tempus, gestis apud nos habitis, multorum consacerdotum testimoniis approbatur.* Eadem fere habet idem pontifex in epistola 1 ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis secundæ, ubi præcipue Proculum exagitat tamquam totius illius ambitiosæ molitionis architectum, qui cum ad se Narbonensis secundæ ordinationes trahere niteretur, Simplicium Viennensem impulerat, *ut sibi quoque in Viennensium provincia creandorum sacerdotum permitteretur arbitrium;* quod et impudentiæ deputat, et aurea illa sententia resecandum definit. *Indecens ausus*, inquit, *et in ipso vestibulo resecandus, hoc ab episcopis ob certas causas concilium agitantibus extorquere, quod contra statuta Patrum, et sancti Trophimi reverentiam, qui primus metropolitanus Arelatensis civitatis ex hac sede directus est, concedere vel mutare, ne hujus quidem sedis possit auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam* (*Epist.* 7 *Zosimi*).

Exscribendæ essent integræ epistolæ septem Zozimi, quæ ea de re scriptæ sunt, quasque ab aliis seorsim editas reperiet lector tomo I Concil. antiq. Galliæ cura Jac. Sirmondi. Sed sicut de Zosimi sententia nemo dubitat, ita plerique ista parum consulte ab eo fuisse scripta asserunt, et privilegium *hoc quod temporaliter videbatur esse concessum*, cum Leone nostro contendunt *postmodum esse sententia meliore sublatum.* Quod enim de suppositione harum Zosimi **857** litterarum, et nimia ejus credulitate objicitur, jam dissolvimus in priori dissertatione parte. Superest modo ut Bonifacii sententiam, quam Leo et alii meliorem dicunt, cum Zosimi decreto ac epistolis conferamus, et uter se circumveniri ac sibi imponi passus sit, dijudicemus.

Cap. IV. *Bonifacii decretum expenditur, cum Zosimi epistolis confertur, et istæ a subreptione vindicantur.* — Hilarius accepta Zosimi epistola quievisse videtur ab omnibus metropoliticis muniis, nec ultra Patroclo molestiam creasse. Patroclus pariter Narbonensis provinciæ administrationem indeptus est, et interveniente Lutevensis in ea provincia episcopi morte, alium in ejus locum ipse consecravit. Ad hæc Hilarius Narbonensis ne mussitavit quidem, nec sibi jus debitum a Patroclo præripi conquestus est, ita ut de ejus silentio ac quasi segnitie expostularet pontifex. Non ita patienter istam ordinationem a Patroclo factam tulerunt Lutevenses cives et clerus. *Ecce enim*, inquit Bonifacius scribens ad Hilarium, *ut charitas tua recognoscit ex subditis, Lutubensis Ecclesiæ cleri ordo vel plebis preces suas et lacrymas ad nos, quantum datur intelligi, magno cum dolore, miserunt, dicentes coepiscopum nostrum Patroclum, sua petitione cessante, in locum decedentis episcopi nescio quem in alia provincia, prætermisso metropolitano, contra Patrum regulas ordinasse; quod nequaquam possumus ferre patienter, quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes.* Ita scripsit Bonifacius adversus Patroclum, quem ut alienæ provinciæ invasorem violatoremque sacrorum canonum traduxerant Lutevenses; quemque ut talia tentantem reprimeret, hæc addit: *Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit ut eadem proprie verba ponamus, per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas..... Unde, frater charissime, si ita res sunt, et Ecclesiam supradictam provinciæ tuæ limes includit, nostra auctoritate commonitus, quod quidem facere sponte deberes, desideriis supplicantum et voluntate respecta*, etc., *cesset hujusmodi pressa nostra auctoritate præsumptio eorum qui ultra licitum suæ limitem dignitatis extendunt*, etc.

Quam multa sunt quæ hæc cum Zosimi decretis componenti persuadent, longe potiori jure ea præcipitanter ac (*b*) per subreptionem esse a Bonifacio elicita existimari, quamque a Zosimo eadem de controversia promulgata sunt.

858 Primum enim hæc notissima est juris canonici regula, hujusmodi rescripta pro nullis haberi debere ac subreptitia censeri, cum aliquid novi statuunt, quodque anterioribus conciliorum pontificumque decretis contrarium sit, nec tamen de illis ulla mentio habetur. Argumentum enim est evidentissimum aut rem indiligenter admodum tractatam esse, aut fraudem factam pontifici, vel aliquid ei humani contigisse. Talis est Bonifacii sententia, quæ de Zosimi rescriptis prorsus silet. Talia non sunt Zosimi decreta, quæ rescriptorum prædecessorum ejus mentionem faciunt, etsi nihil eis contrarium, sed prorsus consonum decerneret.

2° Sententia Bonifacii lata est in gratiam Narbonensis episcopi altera parte non audita, nec dato sua jura defendendi loco; at cum Zosimus litteris suis Arelatensi privilegia sua confirmata esse voluit, utriusque partis pensavit allegationes, et ad Narbonensem episcopum litteras dedit, quibus eum etiam arguit quod, *prætermissa veri fide, relationem suam sub honestatis solum specie coloravit.*

3° Liquet ex Bonifacii epistola rem ab eo satis indiligenter esse examinatam, nec earum rerum notitiam habuisse, quæ liti huic dirimendæ prævia esse debuerat. Nec enim perspectum habuit controversiæ

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Non occasione novæ divisionis, sed quia sub hoc tempus ecclesiasticæ metropoles institui cœperunt, Narbonensis episcopus privilegium apostolicum obtinuit; quod omni subreptione expertem ostendemus in observ. part. II, c. 2, n. 2 et seqq.

(*b*) Zosimi rescripta per subreptionem a Patroclo impetrata videbimus loco allegato: ibique n. 7 Bonifacii papæ decretum vindicabitur.

statum, quæ non in hoc versabatur, an distinctarum ab antiquo provinciarum metropolitani distincti pariter esse deberent. et an alteri in alterius jura involare licitum esset; hoc enim est quod decreto Nicæno vetatur, sed quæstio erat : *Utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari* (*Epist. Innocentii papæ ad Alexandrum Antioch.*), quod ab Innocentio Bonifacii prædecessore sciscitabatur Alexander Antiochenus : quæ controversia secundum Innocentii decretum dirimenda erat, qui Nicænum canonem interpretando sancivit, *ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari non decere.* Præterea de Gallicanarum Ecclesiarum statu ita parum instructus fuit Bonifacius, ut dubitanter admodum loquatur : *Si ita res sunt*, et ubi sita esset Lutevensium civitas, ne cognitum quidem haberet. Denique non satis mature rem esse pensatam clarum est, cum statim ac Lutevensium querelas excepit, sententiam decretoriam tulerit, totamque illam controversiam unica epistola consummaverit.

Longe aliter se gesserat Zosimus : nihil enim omisit eorum quæ ad inquirendam rei veritatem jusque partium investigandum necessaria erant. Rem non unica epistola et uno veluti momento confecit, sed septem ea de re conscripsit epistolas, et per anni integri spatium versavit, non perfunctorie ac præcipitanter, sed *studiosius*, ut ipse loquitur, *requisivit; non solus, sed numerosa* **859** *cognitione seu congregatione discussit*; non secundum humana studia, *sed sub Dei judicio*; non ex conjectura vel præjudiciis quibusque, sed ipsa rerum institutione, consuetudine veteri, synodalibus pontificiisque decretis accurate examinatis; non insciis et inauditis partibus, sed iisdem et auditis et commonitis, omnia sunt ab eo statuta : ut mirum sit ab aliquibus scriptoribus asseri subreptionem in hoc negotio passum esse Zosimum.

4° Quis æquam dixerit eam sententiam esse quæ ex sola testimonii adversariorum inspectione decreta est, et ubi accusato defendendi se locus non datus fuerit? Ita factum est a Bonifacio, secus a Zosimo, qui et Hilarii Narbonensis relationem exspectavit, et Proculum etiam Massiliensem, ut Romam veniret causam ipse dicturus, invitavit.

5° Etsi omnia secundum juris et æquitatis regulas acta essent a pontifice, nihil tamen roboris per se habitura esset sententia, cum hypothetica esset, et ex ea suppositione penderet quod Hilarius Arelatensis adversus canones Nicænos aliquid tentasset; unde et inquisitioni adhuc relictus est locus, qua peracta istud pro certo haberi debuit, ut sæpius probavimus, Arelatensem episcopum non violasse canones Nicænos, sed eis potius obtemperasse secundum interpretationem ab Innocentio I prolatam; cum provinciam sedi suæ antiquitus subjectam, posthabita recentiori temporalium potestatum divisione, sibi vindicavit.

6° Deinque longe magis æquum est ipsius metropolitani episcopi, cujus jura violata fuisse dicuntur, judicium attendere, quam clericorum civiumque querelas ac murmura. At Hilarius Narbonensis nullas detulit sedi apostolicæ querelas, acquievitque ordinationi a Patroclo celebratæ in Lutevensium Ecclesia, ut merito credendus sit tacito consensu Arelatensium privilegiis subscripsisse; satis enim indicant Bonifacii papæ verba ipsum de consecrando Lutevensibus episcopo ne cogitasse quidem, cum pontificis admonitionibus excitandus fuerit, ut metropolitani jure munitus et præceptionibus ejus fretus accederet ad eum locum in quo ordinatio talis celebrata fuisse dicebatur; *quod quidem*, inquit, *facere sponte deberes*; et quod nec monitus fecisse Hilarius videtur. Clerici autem illi silente Hilario, litteris suis pontificem

A Romanum adierunt, non tam moleste ferentes prætermissum esse in illa ordinatione Narbonensem episcopum, quam suam petitionem consensumque fuisse neglectum : quod revera canonum auctoritati statutisque Patrum contrarium erat. Mentionem tamen injecerunt **860** metropolitici juris violati, ut acriorem contra Patroclum conflarent invidiam, sibique majorem fidem conciliarent, dum non tam privati ac proprii juris quam publicæ ac communis disciplinæ zelo accensi putarentur. Porro Hilarius non modo silentio suo eorum consilium improbasse mihi videtur, sed palam etiam renuisse consecrationem Lutevensis episcopi ad se trahere. Cum enim hortatur eum Bonifacius ut *quod quidem facere sponte debuerat, desideriis supplicantum et voluntate respecta* ad ordinationem se accingat, prorsus innuit desideria supplicantum esse ab eo neglecta, nec respectam eorum fuisse antea voluntatem : tantum abest ut (quod Marcæ visum est) ipse Hilarius Bonifacium interpellarit; B immo a nullo interpellatus episcopo pontifex sententiam tulit, non multum sane eo nomine ac titulo commendandam.

Quod ergo (*a*) asserit sanctus Leo in hac ad Viennenses epistola, *id ipsum quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum esse sententia meliore sublatum*; ut ab eo paulo adversus Arelatensem episcopum iratiori dictum est, nec probatum; ita veritati (quod pace tanti doctoris dixerim) non est omnino consentaneum; nec contumeliam facimus pontifici, cujus non magis interest Bonifacii probari sanctionem quam Zosimi. Eccui enimvero melior ea videatur sententia, quæ et momentaneo judicio, et eo quem exposuimus modo lata est, et antiquæ consuetudini contraria? Vel igitur hæc accuratius Leo, melioribus occupatus, non discusserat vel memoria lapsus est, vel dum paulo vehementius Hilarium insequitur, id verius existimavit, quod præconceptæ opinioni magis consonum erat; nec animadvertit quod, etsi immediate ante C Patroclum provinciæ illæ Arelatensi non obtemperabant episcopo (*b*), ab initio tamen non fuit sic. Magis certe credendum Zosimo asserenti *hanc ordinandi consuetudinem et pontificatum loci illius quem obtinuerat primus et justus* Trophimus, *custoditum fuisse usque in proximum tempus, quod gestis*, inquit, *apud nos habitis, multorum consacerdotum nostrorum testimoniis comprobatur*; quam Leoni istud sine teste neganti : qui cum ab illis temporibus remotior fuerit, neque rem ex professo examinarit, facile potuit in errorem induci per Celidonium aliosque ejusdem causæ patronos. Et quidem rationem istam breviter admodum raptimque perstrinxit, de ejus robore diffidens, cum tamen vis magna in eo argumento ponenda esset, si vere ante Patroclum nulli ex Arelatensibus episcopis jus competiisset in utramque Narbonensem provinciam. Facile enim erat, hoc semel probato, **861** Zosimum et inductæ temere novitatis et antiquitatis calcatæ arguere : nimirum non in cujusquam gra- D tiam violandi erant sacri canones, quibus sua omnibus metropolitanis jura illibata manere jubebatur, sed multo minus in gratiam Patrocli hominis improbi, quique in sedem Arelatensem per injustam violentamque prædecessoris sui ejectionem conscenderat. Immo vix Leo ipse a prævaricationis nota absolvendus esset, qui privilegium a vaferrimo homine contra jus antiquum ac sacros canones subreptum, ab ejus successoribus pariter usurpari permisisset ante exortas Celidonii ac Projecti querelas. Quid enim ageretur in Galliis probe noverat, cum ante pontificatus sui exordia illic fuerit aliquamdiu commoratus, et nihil etiam eorum negotiorum ignoraverit quæ Romam delata sunt Cœlestino et Sixto III

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Id quam jure Leo scripserit, et quam temere Quesnellus tanti pontificis sententiæ decerpere hoc loco studeat, ex eodem cap. 2 nostrarum observationum part. II palam fiet.

(*b*) Hæc propositio unico nititur testimonio Zosimi, quem a Patroclo deceptum ibidem probabimus.

pontificibus, quibus in administrandis ecclesiasticis rebus continuam navavit operam. Ex his omnibus patet nihil a Zosimo statutum esse nisi maturo judicio, nihil a Bonifacio contra definitum quod vel controversiæ statum attingat, vel a Gallicanis episcopis sit receptum.

CAP. V. *Utrum Bonifacii constitutio effectum sortita sit in Galliis? Et quid post ipsum circa istud negotium contigerit in utraque Narbonensi.* — Bonifacii (*a*) decretum ad Gallicanos missum episcopos non tanti ab eis factum est ut antiquæ consuetudini et priscis etiam Romanorum pontificum decretis anteponendum esse putaretur. Patroclus enim eadem semper potestate in provincias usus est, quam et in successores suos Honoratum et Hilarium transfudit.

Hoc ex ipso Leone discimus, qui cum scribat nullum Hilarii decessorem *ante Patroclum* jus sibi in illas provincias vindicasse, fateri intelligitur per hujusmodi exceptionem omnes Patrocli successores hujusmodi privilegium suæ sedi asseruisse; alioquin non dixisset neminem *ante Patroclum*, sed neminem, *præter Patroclum*, istud egisse.

Deinde constat Honoratum, qui unus inter Patroclum et Hilarium Arelatensem rexit Ecclesiam, nihil de prædecessoris sui juribus passum esse sibi detrahi, sed tres illas provincias sibi habuisse subjectas. Hinc enim est quod Cœlestinus papa Bonifacii successor scribens ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis mense Julio an. 428, quo adhuc in vivis erat Honoratus, conqueritur de imminutis metropolitarum quorumdam juribus, et violatis eorum provinciæ limitibus contra prædecessoris sui statutum, quod integrum manere jubet et firmum. *Juxta canonum decreta*, inquit, *unaquæque* **862** *provincia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta, nec usurpationis locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus; alter in alterius provincia nihil præsumat; nec emeritis in suis Ecclesiis clericis peregrini et extranei, et qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum qui bene de suorum civium merentur testimonio, præponantur : ne novum quoddam, de quo episcopi fiant institutum videatur esse collegium.* Quibus verbis notatur Honoratus, qui ad Arelatensem cathedram evectus erat e Lirinensi cœnobio, ex quo cum plures ea ætate ad episcopalem cathedram translati essent, *novum quoddam de quo episcopi fierent institutum videbatur esse collegium*. Cujus Honorati *peregrini et extranei* hominis ordinatione, emeriti in suis Ecclesiis clerici, et bene de suis civibus meriti, posthabiti fuisse videbantur. Sed et prima decreti verba innuunt non solum tres illas provincias ab Honorato administratas fuisse, verum et ipsos metropolitanos ultro manus dedisse, cum vetet *ne usurpationis locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam*.

Hoc porro perperam vel a Gallicanis episcopis concessum, vel ab Honorato et Hilario acceptum et custoditum fuisse, qui voluerit asserere, gravissimam tot sanctissimis viris et ab omni ambitione alienis injuriam inferet. Nemo enim per id temporis floruit qui Hilario et Honorato sanctitate anteiret, vel qui sanctis Germano Autissiodorensi et Lupo Trecensi anteferri debeat, sine quorum consilio, ope ac suffragio nihil quod alicujus esset momenti Hilarius facere umquam aggressus est; quod et de Honorato pariter credendum. Quidquid sit, nihil in sedem apostolicam peccavere Galliæ episcopi, cum prioribus priscisque ejus sanctionibus, quas commemorat Zosimus, inhærentes, posterioribus consensum præbere renuerunt : quoniam nimirum et ipsis inconsultis, et re non satis perpensa decretæ fuerunt, ad nullius A episcopi postulationem, sed ad solam quorumdam nullius nominis clericorum querelam. Noverant enim antistites illi, quod Symmachus postea in eadem causa scripsit (*Epist.* 2 *ad Eonium Arelatens.*), *ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem pertinere, ne sit sententiarum varietas inter priores et posteriores antistites Ecclesiæ, cujus omnis potestas infringitur, nisi universa quæ a Domini sacerdotibus semel statuuntur perpetua sint. Nam cum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos antistites sacerdotium, quemadmodum priorum statuta a sequentibus convenit violari?*

His fretus rationibus Hilarius Arelatensis, statim ac in locum Honorati defuncti suffectus est, **863** tres illas provincias metropolitico jure administrandas suscepit, omnibus Gallicanis episcopis unanimi consensu suffragantibus. Istud vel ex uno Leone certum est, qui eam ob rem ejus audaciam culpat, quod in aliena, ut putabat, provincia munus pontificium exercere præsumpsisset. Sed vel unica possessionis titulo utramque Narbonensem provinciam B (præter Viennensem) suæ sedi debuit asserere, cum et decessoris sui sanctitas, et ipsorum episcoporum consensus vetarent ne alios Arelatenses episcopos in suspicionem alieni juris attentati vocaret.

Præter ea quæ de utraque Narbonensi huc usque disseruimus ad Zosimi constitutionem, alia sunt quæ speciatim (*b*) Narbonensem secundam Arelatensi episcopo subjectam fuisse asserant.

Ac primum quidem patet ex Taurinensis concilii canone 1 Aquensem episcopum, qui solus metropoliticam dignitatem intra Narbonensem II sibi deinceps arrogavit post Proculi mortem, tunc temporis tale jus sibi non vindicasse. Si enim is vel alius ex ea provincia metropolitanus fuisset, non assereret Proculus Massiliensis ejusdem provinciæ Ecclesias *vel suas parochias fuisse, vel episcopos a se in eisdem Ecclesiis ordinatos*. Metropolitanus enim vel hæc verba falsi arguisset, vel conquestus esset de usurpatis suæ meC tropoliticæ dignitatis juribus. Nihil tale objectum est Proculo, nemo metropoliticam obtendit potestatem : hoc unum contenderunt ejusdem regionis episcopi, *sibi alterius provinciæ sacerdotem præesse non debere*. At hæc ratio, inquies, Arelatensem pariter a potestate in utramque Narbonensem, ac præsertim secundam, de qua hic agitur, excludit : cum enim Proculo adversatus esse non legatur in hac Taurinensi synodo, argumentum est eum non se pro metropolitano illius provinciæ gessisse.

Ut nodus iste solvatur, animadvertendum est maximam perturbationem inductam esse in provincias Gallicanas, et maxime in Narbonensem secundam, per Maximi, Arbogastis, Eugenii, aliorumque tyrannidem, qui eas partes occuparunt sub finem sæculi quarti. Per illos Ecclesias Galliarum clericosque suis privilegiis esse spoliatos queritur Valentinianus III imperator in constitutione de diversis ecclesiasticis capitibus missa Amatio præfecto prætorio GalD liarum ann. 425. Per eorumdem desidiam omnia susdeque acta esse in provincia Viennensi innuit Honorius Augustus constitutione anni 418, ad Agricolam præfectum prætorio Galliarum, cum prætermissum arguit eorum negligentia provinciarum conventum apud urbem Arelatensem. Res ipsa clamat ecclesiasticæ disciplinæ per bellorum civilium tumultus vix locum aliquem esse potuisse. **864** Quamobrem cum difficillimum esset, sparsis per omnes provincias exercitibus utriusque partis, Arelatensem episcopum Ecclesiarum necessitatibus occurrere, et ad longinquas civitates se transferre, ut defunctis episcopis pro jure suo successores ordinaret, necessitate temporum compulsus est permittere ut insi-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæc refelluntur in observ. part. II, c. 2, num. 8 et 9.

(*a*) Confer eadem observ. part. II, c. 6, n. 2 et seqq., ubi singula quæ subjiciuntur ad calculos revocabimus.

gniorum aliquot civitatum episcopi vicinorum sibi Ecclesiarum episcopos, cum opus erat, consecrarent. Cum autem Proculus, vir sancti Hieronymi judicio sanctissimus doctissimusque (*Epist. ad Rusticum*), cæteris præterea episcopis præemineret et antiquitate sacerdotii, et nobilitate civitatis, et Ecclesiæ suæ prærogativa, quæ prima inter comprovinciales Viennensis tunc erat, ut ex Sidonio colligitur (*Epist.* 7 *l.* VII), facile fuit ut ei consecrandorum per ea tempora episcoporum honor ac potestas ultro et a viciniis episcopis deferretur, et ab Arelatensi permitteretur. Rebus vero imperii postmodum pacatis, provinciarumque illarum nova divisione per imperialem sanctionem inducta, contentio inter episcopos exorta est, aliis adversus Arelatensem negantibus uni metropolitano duas provincias debere esse subjectas, aliis affirmantibus metropolitanum ex aliena provincia non esse assumendum, contra Proculum, qui Narbonensem secundam sibi vindicabat; eodem vero Proculo asserente jus sibi merito competere in illius provinciæ Ecclesias quæ vel parochiæ ejus fuerant, vel ab eo acceperant episcopos, *ut iisdem tamquam pater filiis honore primatus assisteret* (*Conc. Taurinense, can.* 1), æquitatis legibus maxime consonum videbatur. Ubi notandum, nec aliam a Massiliensi episcopo rationem obtendi quam ordinationem quæ jus recentissimum fundabat, nec ex alia parte objici male tentatam hujusmodi ordinationem, quo magis intelligas rem totam ex sola temporum necessitate et ex indulgentia metropolitani esse perfectam.

Quid interim ageret Arelatensis? Omnia sedis suæ jura undique impeti ac passumdari cernebat. De Viennensi primatu certabat cum eo Viennensis episcopus. Narbonensem secundam ambiebat Massiliensis, vir Gallicanis episcopis acceptissimus, qui possessionis et consecrationis titulum ac forte Arelatensis consensum prætendebat. Magis ergo e re sua esse duxit si Proculo manus daret, ut dum viveret Narbonensi provincia secunda potiretur, ea conditione ut post ejus obitum ad antiquum metropolitanum reverteretur illius ordinatio, quam conditionem subintelligere visa est synodus, cum aliam non expressit. Ea ratione et Proculi et aliorum Gallicanorum antistitum gratiam conciliabat, quæ necessaria illi erat ut primatus sui jura adversus Viennensem episcopum illæsa custodiret. Revera post Proculi mortem Narbonensis II provinciæ **865** administrationem iterum capessivit Arelatensis episcopus; immo et ante Arelatensi vindicavit Zosimus, ut ex ejus notum epistolis.

Horum aliqua etsi sola conjectura nitantur, ita tamen vero similia sunt, ut aliter ea contigisse vix possit concipi. Proculus enim vir sanctissimus antea metropolitica dignitate non ornatus, ordinationem earum Ecclesiarum, nisi urgente necessitate et consentientibus episcopis, sibi arrogare non potuit. Quæ Ecclesiæ, ut sine metropolitano esse non potuere, ita alium antea non habuerunt, quam totius Narbonensis metropolitanum, quem Arelatensem episcopum fuisse probavimus. Et ideo Arelatensis ad tempus, cedens Proculo, satis juri suo in Narbonensem secundam consulebat, si primatum suum adversus Viennensem strenue propugnaret. Liquet ergo nullum Arelatensi episcopo præjudicium creari ex ejus silentio in synodo Taurinensi circa Narbonensem secundam: quamquam nec clarum est in cujus gratiam reclamaverint episcopi secundæ Narbonensis: et ex studio quod postea in Arelatensem servaverunt, eidem tunc favisse non improbabiliter censeri possunt. Quibus et hoc addi potest, solos nobis hujus synodi canones repræsentari, non vero Acta, in quibus eorum omnium episcoporum interlocutiones integras procul dubio inveniremus, nisi illa periissent. Forte nec omnes canones habemus, cum ea quæ in causa Bricii Turonensis episcopi et Lazari ejus accusatoris tractata esse in ea synodo narrat Zosimus papa (*Epist. ad episcopos Africæ, Galliæ, et Hispaniæ*), desiderentur: qui et in alia epistola ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbon. secundæ testatur in illo Taurinensi concilio *longe aliud actum esse* quam de metropolitanorum jure ac distinctione provinciarum.

2° Præter hanc rationem, quam ex ea synodo fuse deduximus, aliam ex eadem Zosimi epistola mox citata eruimus. Arguitur enim Proculus, quod Lazarum ad episcopalem dignitatem promoverit, qui pro calumniatore in illa synodo damnatus fuerat. Porro cum Lazarus Aquensis episcopus esset, nec ab episcopo secundæ Narbonensis ordinatus fuerit, sed a Proculo Massiliensi, liquet nullum in ea provincia metropolitanum fuisse, præter Arelatensem, qui juri suo ad tempus cesserat in Massiliensis episcopi gratiam.

3° Manifestum est Aquensem episcopum, ac consequenter totam Narbonensem secundam subjectam olim fuisse Arelatensi antistiti, ex eo quod jus diutissime retinuit illum ad se evocandi, vel synodalis concilii, vel ordinationis causa; ut inde liceat concludere sero admodum illius sedis antistitem in perfectum metropolitanum evasisse. Hoc patet ex serie libelli Symmacho papæ oblati an. D. 514, et ex rescripto ejusdem papæ ad Cæsarium Arelatensem. Præter quam quod enim is libellus asserit hanc potestatem usque ad illa tempora penes Arelatensem antistitem fuisse, a longævis sæculis priscorum sancitam esse auctoritate, et a **866** veneranda sede Romana quondam perenni sanctione præceptum, ut eadem inconcussa permaneret; ipse Symmachus in epistola sua eam in venerandis Patrum statutis fundatam esse scribit et antiquitate roboratam. *Unde*, ait, *rationabile est ut sancta Arelatensis Ecclesia propriis privilegiis perfruatur, et quod vetustas præstitit, et Patrum auctoritas roboravit, nova non debet violare præsumptio..... Igitur per singulas Ecclesias beneficia quæ sunt diu custodita serventur. Etsi tam Ecclesiæ Aquensis antistes, vel alius quilibet metropolitano pontifici juxta canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit subdendum se, quod non optamus, ecclesiasticæ disciplinæ*. Unde porro tam singulare privilegium, tamque antiqua prærogativa manavit in Arelatensem Ecclesiam, ut ejus episcopus alterius provinciæ metropolitanum ad se posset convocare? An ex paucitate comprovincialium Viennensis provinciæ, quæ ejus metropolitanum cogeret vicinorum episcoporum opem ac suffragia emendicare? minime. Quinque enim provinciarum amplissima ac numerosissima erat Viennensis: aliæ omnes paucioribus constabant civitatibus; nec tamen idem jus sibi vindicarunt earum metropolitani in alios metropolitanos. An hoc habuit Arelatensis ex vicibus Romani pontificis, quas illi commissas esse volunt? At, ut hoc demus, hujusmodi vicibus illum fuisse ornatum, eo nomine non solus ei Aquensis subjectus fuisset, sed omnes earum provinciarum metropolitani episcopi. Aliunde igitur hæc consuetudo non descendit, quam ex eo quod antiquitus penes Arelatensem episcopum erant jura metropolitica in civitates Narbonensis secundæ. Quibus etsi postmodum occasione novæ divisionis sese abdicaverit, iis tamen spoliari se non consensit, nisi hac convocandi potestate sibi retenta, quæ videlicet perenne foret antiqui juris et collati beneficii monimentum: unde sero admodum omnia metropolitica jura adeptus est Aquensis episcopus; ita ut nonnullus ea de re scrupulus remanserit usque ad tempora concilii Francofordiensis, a quo sedi apostolicæ illius eximendi potestas facta est: et adhuc incertus fuisse videtur ejus status tempore obitus Caroli Magni, in cujus testamento Aquensis civitas inter metropoles non est recensita.

4° Præclarum porro hujus potestatis assumptæ argumentum et exemplum nobis superest in concilio Regiensi anno 439 congregato in secunda Narbonensi provincia, intra quam Regiensis civitas sita erat. Cum enim Armentarius contra canones ordinatus esset, congregata est synodus apud Regium, ut, eo expulso, alter in ejus locum eligeretur. Præcipua

autem hæc est jurisdictionis metropoliticæ pars, synodi provincialis indictio ac convocatio, quam extra propriam provinciam nemo umquam tentare ausus est. Hoc nihilominus præstitit Hilarius Arelatensis, suffragantibus Galliæ episcopis compluribus, quorum tredecim **867** post ipsum subscripserunt, nemine contradicente, annuente sede apostolica, quam causa tam celebris latere non potuit; sed ne reclamante quidem Armentario, cujus plurimum intererat eam synodum tamquam contra canones habitam infirmare ac respuere. Unde dubitare fas non est quin et legitimus esset hujusmodi conventus et provincialis. Is enim erat præscriptus statutis canonicis ordo, ut qui contra canones egisset episcopus a comprovincialibus judicaretur, non vero ab alterius provinciæ episcopis.

CAP. VI. *De jure Arelatensis episcopi in provinciam Alpium Maritimarum.* — Discussis Arelatensis episcopi juribus in utramque Narbonensem, occurrunt (a) Alpes Maritimæ, quas sibi eodem metropolitico jure olim vindicavit.

Ac sanctum quidem Hilarium Arelatensem pro metropolitano hujus provinciæ se gessisse demonstrat hoc idem exemplum concilii Regiensis an. 439, quod ab eo convocatum est in causa Armentarii Ebredunensis contra canones ordinati. Cum enim clerus civesque Ebredunenses, quorum civitas in civilem metropolim evaserat post Narbonensis solidæ divisionem, Ecclesiæ quoque suæ sedem eodem jure in ecclesiasticis ornari in votis haberent, episcopo suo e vivis sublato, alium in ejus locum substituere, inconsulto Arelatensi, tentarunt. At eo conatu non modo privilegium Arelatensis episcopi minutum non est, sed etiam clarius emicuisse mihi videtur.

Primo enim inde manifestum evadit Ebredunenses episcopos tale quid antea numquam tentasse, vel saltem numquam pacifice eo jure esse potitos, cum ne verbum quidem de hoc appareat, aut objiciatur Hilario.

2° Quam unanimis fuerit Gallicanæ Ecclesiæ erga Arelatensem episcopum consensus ex ea ipsa Armentarii ordinatione perspicuum est. Tres enim inveniri non potuere episcopi qui canonicum numerum implerent, vixque duos asciscere sibi potuit Armentarius, qui in illam ordinationem conspirarent, quos vel ecclesiasticarum sanctionum admodum ignaros, vel contemptores fuisse oportet, qui contra apertissima Nicænæ synodi aliarumque statuta tam infaustam consecrationem aggressi sunt. Et revera eis utcumque parcendum esse definit canon I, eo quod *hi qui tam perversa incidissent, a primo lapsus ipsius die, adhibitis passim precibus, culpam pœnitentes aut ignorantiæ aut circumscriptioni imputassent.*

3° Non hæc solum ordinationis Armentarii **868** vitia notata sunt, quod *absque trium episcoporum præsentia et absque comprovincialium litteris*, sed etiam quod *sine metropolitani auctoritate et ejus voluntate neglecta* consecratus fuerat. Metropolitanum episcopum, cujus neglecta præsentia vel consensus ordinationem irritam fecit, alium non esse quam Arelatensem, omnes consentiunt. Sed an ut ordinario illius provinciæ, an ut primo Galliarum metropolitano sibi id juris deberi voluit Hilarius? Hoc ultimum existimat Stephanus Baluzius cap. 31 libri v Concordiæ sacerd. et imperii, quem supplevit; putat enim Hilarium in consequentiam litterarum Zosimi PP. et ad imitationem Thessalonicensis vicariatus, primi metropolitani dignitatem sibi sumpsisse, eoque nomine ad se referri voluisse de gravioribus causis, quæ per provincias emergerent, quas inter cum merito censeretur Armentarii causa, eam ob rem coactam ab eo fuisse Regiensem synodum. Verum etsi non negaverim variam interdum esse hujus vocis acceptionem, ita ut nonnumquam magni illi primates, Alexandrinus et Antiochenus metropolitani appellati fuerint etiam a Leone nostro; numquam tamen ea tempestate in qua versamur, hoc nomine novum istud metropolitanorum genus designatum legimus, quod Baluzius inducit ac primatus prærogativa decorat ad exemplar Thessalonicensis vicariatus, de quo ne somniasse quidem existimo Regiensis concilii Patres. Deinde cum tam in præfatione concilii quam in canone secundo tres conditiones recensentur, quibus omissis nihil prorsus esse aiunt quod episcopum faciat, nimirum trium præsentia, comprovincialium litteræ, et metropolitani voluntas; certum est eodem sensu accipi vocem metropolitani, ac in canone accipitur, pro proprio ac peculiari cujusque provinciæ metropolitano; cum illius omissio ex canonibus irritam electionem ibidem reddere asseratur. Canones enim illi alii non sunt quam Nicæni, quorum quartus expresse tres easdem illas conditiones complectitur. *Tres*, inquit, *omnino in idipsum convenientes, dummodo consenserint qui absunt, et per litteras approbaverint, ordinationem faciant. Confirmatio autem eorum quæ in quaque provincia geruntur, tribuatur metropolitano:* quod, omnium Ecclesiarum et synodorum quæ hanc rem tractarunt consensu, semper de metropolitano ordinario cujusque provinciæ intellectum est. Præterea si de primo aliquo metropolitano explicanda veniret ista synodus, admodum ambigua fuisset ejus definitio, quæ novarum in dies contentionum materiam præbuisset, cum alii de primo Galliarum, alii de proprio provinciæ interpretati essent. Denique nemo hanc significationem affinxit canoni Regiensi ante Baluzium, **869** qui etiam ab auctoris sui sensu recedit; cum illustrissimus Petrus de Marca vocem illam secundum communem significatum acceperit in dissertatione de Primatibus, num. 73, hoc tamen subjungens, Hilarii factum trahi non posse in consequentiam, cum eam ob causam correptus a Leone fuerit, quod debitam metropolitanis sacerdotibus in suam transferret dignitatem.

Alteram probationem vindicatæ sibi in provinciam eamdem potestatis ab Hilario suggerit nobis Arausicana synodus prima, cui inter comprovinciales subscribit Ingenuus Ebredunensis episcopus in locum Armentarii depositi substitutus. Qui si provinciæ distinctæ metropolita fuisset, ut erat Eucherius Lugdunensis episcopus, eodem atque iste modo subscriptus legeretur ad metropoliticæ potestatis significationem: *Ego*, inquit, *Eucherius episcopus subscripsi sanctorum sacerdotum comprovincialium meorum super his exspectaturus assensum.* Eucherius quippe cum forte fortuna in illis regionibus versaretur eo tempore quo episcopi provinciales in synodum conveniebant, ad eam honoris causa invitatus, inter alienæ provinciæ episcopos subscribere non est ausus, nisi sub spe adhibendi a comprovincialibus consensus sui per his quæ decreta fuerant in synodo.

Non est porro quod quis eam non provincialem synodum dicat jure metropolitico congregatam, sed majorem ea potestate coactam, quam sibi in illas provincias assumebat Hilarius vel jure vicarii, ut volunt, Romani pontificis, vel primi metropolitani Galliarum, ut excogitarunt alii. Manifestum est enim ex canone 29 talem fuisse eam synodum, qualem bis in anno celebrari Patrum statuta sanciverant, hoc est, Nicænorum canonum quintus, qui de aliis quam de provincialibus mentionem non habet: *Singulis*, inquit, *annis per unamquamque provinciam bis in anno synodi fiant*, etc. Præterea de earum synodorum genere fuit Arausicana, quas sine alterius conventus denuntiatione solvi non debere statuunt ibidem episcopi, qui revera similem sequenti anno congregandam denuntiarunt. Hoc vero solis provincialibus synodis convenit, non vero generalibus, aut iis quæ ex pluribus

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Vide observ. part. II, c. 6, n. 10.

provinciis cogebantur: hæ nimirum non annuatim ac definitis temporibus, sed rarius ac pro temporum rerumque exigentia indici solebant.

Tertiam eruimus probationem ex epistola Hilari papæ ad Leontium, Veranum, et Victurum episcopos; ubi ait Ingenuum Ebredunensem de pontificii suæ provinciæ illicita cessione dudum ab apostolica sede fuisse culpatum. Ex quo manifestum est Hilarium Arelatensem, annuente etiam Ebredunensi episcopo, provinciam Alpium maritimarum suæ metropoliticæ ditioni subjectam habuisse. Et hoc ipsum est de quo adeo graviter expostulat sanctus Leo in epistola ad Viennenses: *Suis*, inquit *limitibus, suis terminis sit unusquisque contentus,* **870** *et privilegium sibi debitum in alium transferre se posse noverit non licere. Quod si quis negligens apostolicas sanctiones, plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre se posse credens, non is cui cesserit, sed is qui intra provinciam antiquitate episcopali cæteros prævenit, sacerdotes ordinandi sibi vindicet potestatem.* Quod autem Hilarus in eadem epistola ait, Ingenuum Alpium maritimarum provinciæ metropolitani semper honore fuisse subnixum, hoc suggerente ipso Ingenuo dictum est post mutatam provinciarum illarum faciem, cum metropoliticæ potestatis jura ex nova divisione præsumpta, olimque neglecta, ita cœpit prosequi ac sibi vindicare, quasi ex sola ejus spontanea cessione iis Hilarius potitus esset in illam provinciam. Deinde non ait Ebredunensem Ecclesiam vel civitatem, sed Ingenuum Ebredunensem episcopum ea semper penes se habuisse: quæ longo intervallo a se distant, istudque potius recens privilegium ab eo primo sibi vindicatum, quam antiquitatem hujus metropoleos probare posset. Addo etiam solius honoris mentionem fieri, non vero potestatis ac jurisdictionis. Fuerunt enim nonnulli metropolitani, qui solo fere honoris titulo gaudebant, et alteri metropolitano nihilo secius subjecti erant, sive quoad synodalem conventum, sive quoad ordinationem. Talis erat Aquensis tunc temporis intra Gallias, ut diximus in capite superiori. Talis fuit etiam inter Orientales patriarcha Jerosolymitanus, qui honorarium quoddam hujusmodi privilegium accepit a synodo Nicæna, quemadmodum explicatum habes in doctissima dissertatione ill. Petri Marcæ de Constantinopolitani patriarchatus Institutione. Denique in his quæ sunt facti, rem asserere non sufficit, nisi idoneis probationibus assertio ipsa muniatur; præsertim cum contrarium, ut hic accidit, comprobant et possessio diuturna et rationes non spernendæ.

4° Cum ex supradictis, imprimisque ex concilio Regiensi liqueat tam constantem fuisse apud Gallicanos episcopos opinionem, quod Arelatensi episcopo subjecta esset Alpium maritimarum metropolitico jure provincia; verisimile non est Hilarium eam sibi primum provinciam subjecisse, sed et Honoratum prædecessorem ejus, et Patroclum Honorati decessorem eadem fuisse potitum. Quis enim adversus Hilarium non insurrexisset, si provinciam quam nullus decessorum ejus habuisset, juri suo subdere aggressus esset; cum eum Leo noster tamquam alieni juris invasorem tam male habuerit propter utramque Narbonensem, quam tamen et ab Honorato et a Patroclo ante ipsum esse administratas ultro fatebatur? Quis vero sibi persuaserit Honorati industriæ deberi hujus provinciæ ad cæteras Arelatensi subjectas accessionem, cum vix ac ne vix quidem duobus annis eam sedem rexerit Honoratus? Quod Patroclum autem **871** attinet, quandoquidem cum nemine decertavit homo amplitudinis suæ cupidissimus pro ea provincia, quam successores ejus sibi vindicarunt, argumentum est eumdem illam nemine contradicente administrasse; nisi tamen ecclesiasticæ provinciæ Viennensis pars censebatur, quam proinde uno ictu Simplicius Viennensis petebat, et eadem pariter industria tutatus est Patroclus, qua metropoliticum provinciæ Viennensis principatum sibi retinuit.

Et revera videntur etiam quarto sæculo eæ provinciæ sub nomine Viennensis fuisse contentæ. In concilii enim Arelatensis primi subscriptionibus, si genuinæ sunt, nulla alia provincia præter Viennensem nominatur, etsi et ex Nicæensi portu, qui fuit Alpium maritimarum, et ex Aptensi civitate, quæ erat ex secunda Narbonensi, legati nonnulli concilio interfuerint. Siquidem cum ex qua provincia fuerint loca illa annotatum non sit, ex ea fuisse videntur quæ superius nominata fuerat. Cur enim solum Viennensis provinciæ nomen illic legeretur, nisi una omnes illas complecteretur provincias, quæ postea nomen aliud induerunt, divisa in partes provincia, vel saltem contineret Alpes maritimas, quarum metropolitanus tamdiu Arelatensis episcopi, tamquam Viennensis provinciæ metropolitæ, potestati subjectus est; et Narbonensem secundam, quæ a Viennensi est recisa.

Aliam etiam conjecturam promimus ex Aquileiensi concilio desumptam. Ex epistola enim synodali, quæ a Patribus scripta est ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensium primæ et secundæ post completam synodum, non alii videntur eidem interfuisse legati Gallorum, quam ex tribus his provinciis. Et tamen leguntur in ea sententiam dixisse Theodorus Octodorensis et Amantius Nicæensis, quorum hic ex Alpibus maritimis, ille ex Graiis fuit. Non temere igitur asserueris Alpes geminas sub Viennensis provinciæ nomine in ecclesiastica saltem illius temporis notitia fuisse comprehensas.

Cap. VII. *De Alpium Graiarum provincia. Quid in eam juris habuerit Arelatensis episcopus.* — Etsi obscura admodum sit provinciæ (a) Alpium Graiarum et Penninarum memoria in ecclesiasticis monumentis ante Hilarii papæ tempora, haud obscurum tamen est juris in eam plurimum habuisse Arelatensem episcopum, etiam Leonis ætate. Cum enim duabus tantum civitatibus constet in notitia Galliarum a Sirmondo edita; **872** earum prima ac præcipua, Tarentasia videlicet, tamquam pars solidæ Viennensis, tributa est Viennensi episcopo in illa divisione, qua pacis causa inter Viennensem et Arelatensem episcopos illam provinciam distribuit Leo noster. Ex quo decernere licet eam provinciam partem olim fuisse Viennensis, saltem in ecclesiasticis.

Primo enim quod Leo metropoliticorum jurium tam strenuus assertor Tarentasiam attribuit Viennensi episcopo tamquam Viennensis provinciæ partem, palmare argumentum est, eam non alterius provinciæ partem fuisse, ex qua, et quidem adeo tenui, numquam ampliorem civitatem decerpsisset, relicta unica et modica civitate Octodoro, quæ Tarentasiæ quoad ordinationem subjiceretur. Etsi enim Viennensi favere vellet, id tamen cum tertii alicujus metropolitani injuria numquam esset aggressus; præsertim cum ex his civitatibus, quas potestati Arelatensis episcopi relinquebat, unam aliquam potuisset avellere, quam loco Tarentasiæ Viennensi traderet.

2° Non modo in ecclesiasticis, sed nec in civilibus potita esse videtur ea provincia jure metropolitico, sed solo jure civitatis. Hoc enim perspicuum est ex Sirmondiana Galliarum notitia, quæ nullam huic provinciæ metropolim assignat, etsi cæteris omnibus suam assignarit. Non ferebat autem hoc illius ævi consuetudo, ut quæ in civili ordine metropolim non habebat, ea metropolim haberet in ecclesiastico.

3° Nullum est apud antiquos scriptores vestigium, ex quo vel suspicari liceat Tarentasiensem episcopum metropoliticis muniis aliquando fuisse defunctum, aut aliquid juris hujusmodi sibi tunc temporis

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Lege observ. part. II, c. 6, n. 11.

asseruisse ante Hilari papæ tempora, cujus unica restat epistola, in qua Alpium Penninarum episcopi ab aliarum provinciarum episcopis distinguuntur. Quamquam vereor ut subsit mendum in titulo epistolæ; ita ut loco *Alpium Penninarum*, legendum putem *Alpinarum*, vel *Alpium maritimarum*. Ratio emendationis non una est. Primum enim cum alteram epistolam scribat idem papa Hilarus ad earumdem provinciarum episcopos ad quos primam scripserat, provinciarum, inquam, *Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primæ et secundæ et Alpinæ*, hoc unum inter utramque discrimen est, quod in prima *Alpinarum Penninarum* meminit, in altera simpliciter *Alpinæ;* unde videtur Hilarus unicam Alpinam agnovisse ab aliis provinciis discretam: eam porro longe satius est existimare fuisse maritimarum Alpium, quæ octo civitatibus constabat, quam Penninarum, quæ ex duabus dumtaxat conflata erat. Deinde quis credat Hilarum, cum ad omnes fere Galliarum provincias scriberet, amplissimam maritimarum **873** Alpium provinciam prætermisisse, et unius provinciunculæ meminisse, quæ etiam metropoli carebat? Denique cum idem pontifex de eadem Mamerti causa, de qua in posteriori epistola mentionem facit, scriberet ad viginti nominatim episcopos, Ingenuum inter eos recenset, qui Alpium maritimarum metropolitanus erat; unde patet magis de maritimis quam de Penninis Alpibus intelligendam esse Alpinam quam in posterioris epistolæ titulo commemorat Hilarus, et ex eodem corrigendum esse titulum primæ, ubi *Penninarum Alpium* mentio injicitur.

4° Cum Petronius præfectus prætorio Galliarum Honorii tempore septem provinciarum corpus composuit, quarum concilium apud Arelatem constituit singulis annis congregandum, vix dubitari potest quin Alpes Graias et Penninas eisdem annumerarit. Qui enim corporis hujus amplificandi causa duas Aquitanias cum Novempopulania, antiquæ Narbonensis partibus annectere compulsus est, num illud Alpium Penninarum et Graiarum detractione minuisset? Hoc certe verosimile non est, sed par est potius credere Viennensi annexam esse tamquam partem ejusdem et illius septem provinciarum corporis. Et certe numquam Leo noster Tarentasiam cæteris Viennensis provinciæ civitatibus promiscue annumerasset, illiusque episcopi ordinationem tribuisset Viennensi, si nec provinciæ Viennensis, nec corporis illius septem provinciarum pars aliqua fuisset, cum nullo exemplo antiquitatis factum id umquam esse probari queat. Quod autem in notitia Galliarum toties citata ea provincia ab aliis segregata seorsim numeratur, hoc vel errore factum esse puto, vel potius ex mutatione quæ per illas provincias inducta est per Visigothorum irruptionem, qui illarum partem occuparunt circa posteriora illa tempora, quæ supra hujus notitiæ ætati assignavimus. Quamobrem vel ex hac diversitate probatur posteriorem esse et Honorio imperatore, et Leone papa I eamdem hanc notitiam; et præterea non vere scriptum ab illustr. Petro de Marca (*Dissert. de Primatibus*, § 67) expunctam esse a corpore provinciarum illarum provinciam Alpium Graiarum, cum ex Leone constet Viennensi esse accensitam, quando Tarentasiam Viennensi episcopo attribuit.

5° Cum Ravennius in locum S. Hilarii mortui ordinatus esset Arelatis episcopus, de ejus ordinatione certiorem fecerunt Leonem ordinatores per suas litteras, ad quos Leo rescribens duodecim numeravit: unde eumdem duodenarium numerum ordinationi illi interfuisse dubium non est. Porro cum ad solam Viennensem provinciam pertineret illa ordinatio, eum numerum intra illam provinciam frustra quæsieris, nisi Tarentasiensis cæteris annumeretur. Demptis enim Viennensi et Arelatensi episcopis, undecim tantum restant in illa provincia juxta Sirmondianam notitiam, si Tarentasiensem non annumeres. Porro Viennensem huic ordinationi non affuisse extra du-

A bium est, **874** tum quia numquam consecrationis hujus honorem alteri cessisset, cum tamen Constantino episcopo, ut provinciæ antiquiori, delatam esse probabile fiat ex ejus inscriptione, quæ primum locum obtinet in rescripto sancti Leonis; tum quia cum ordinatores omnes Ravennii subscripserint libello episcoporum Gallorum oblato Leoni papæ in gratiam Arelatensis episcopi, exceptis tantum Auspicio Vasensi, qui decesserat, et aliis quatuor qui supererant, Niceto, Floro, Chrysaphio et Rustico, non est procul dubio inter hos subscriptores numerandus Viennensis, alioqui propriorum Ecclesiæ suæ jurium prævaricator exstitisset. Porro nullus e quatuor mox nominatis Viennensis fuit episcopus, qui si adfuisset, primus omnium inscribi voluisset, cum Rusticus tertio tantum loco, Nicetas quinto, Florus septimo, Chrysaphius duodecimo habeatur. Jam vero si Tarentasiensis episcopus ordinationi Ravennii interfuit, argumentum est Tarentasiam ex provincia Viennensi fuisse, cum id ecclesiasticus mos non pateretur, B ut ex aliena provincia ordinationis testes adessent episcopi in synodali qui propterea fiebat conventu; ac ne id Ebredunensi quidem episcopo concessum in provincia, cui Arelatensis præerat, licet ad ejusdem synodum pertineret.

6° Denique jus Arelatensis episcopi in eam provinciam mire elucescit ex vita sancti Jacobi primi Tarentasiensis episcopi, quam e veteri codice ms. erutam opera Petri Francisci Chiffletii jesuitæ, inseruit Bollandus tomo II Actorum sanctorum ad 16 Januarii. Constat enim ex illa vita, si genuina est, et ab antiquo, ut videtur, auctore descripta, Jacobum se primum Honorato Lirinensis cœnobii Patri ad monasticam vitam instituendum tradidisse; tum ab Honorato ad Arelatensem sedem assumpto missum fuisse ad Centronum oppidum vallemque Tarentasiensem, *ut populum inibi sub gentilitatis ritu degentem ad fidem Christi converteret... Quo circa*, addit auctor, *Honoratus aliis convocatis episcopis Jacobum ordinavit* C *episcopum, et ad præfatum oppidum vallemque Tarentasiensem direxit prædicare verbum Domini.* Quo munere suscepto, Jacobus totum illum populum ad fidem Christi adduxit, basilicam construxit, sacrisque ministris institutis hierarchiam composuit, impetratis etiam a Burgundionum duce, qui tunc eas regiones occupabat, addictisque Ecclesiæ Tarentasiensi circumjacentibus agris. His prorsus similia scribit illustrissimus jam Tullensium episcopus Andreas Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani. Ex quibus manifestum est Ecclesiam Tarentasiensem, quæ illius provinciæ primaria erat, exordia sua debere Arelatensi episcopo, qui illi et fidem sui discipuli ore propinaverat, et primum consecraverat episcopum; unde sibi eam merito jure vindicavit, ac consequenter cæteras ejusdem provinciæ Ecclesias.

De Octodoro, quæ jure civitatis gaudet **875** in notitia, difficultas nonnulla esset, cum et longe ante Honorati episcopatum de ea mentio habeatur in con- D cilio Aquileiensi, nec alibi legatur subjecta fuisse Viennensi vel Arelatensi, aliisve Galliarum metropolitanis. Sed jam ea notitia non est quod anxios nos faciat, cum eam ad posteriorem ætatem esse rejiciendam docuerimus superius.

Ad synodum Aquileiensem quod attinet, posthabitis Petri Chiffletii conjecturis de actorum illius suppositione, quibus in prima mea editione nonnihil indulsisse me pœnitet, respondeo plus favere synodum illam consilio meo quam obesse. Cum enim Octodunensis episcopi meminerint acta, nec tamen alias Galliarum provincias commemorent quæ ad synodum legatos destinassent, quam Viennensem et Narbonensem primam et secundam, ad alterutram illarum pertinere debuit Octodorum, et Viennensis juribus accensitam tunc fuisse, asserere mihi liberum est.

PARS TERTIA.

Utraque dissertationis hujus, quam præmisimus,

parte defuncti, vix opus erat ut tertium adjungeremus. Siquidem quisquis semel hoc in animum induxerit, nihil Hilarium in utroque illo Celidonii et Projecti negotio tentasse præter legitima sedis suæ jura, facile cætera accusationis capita diluet. Si enim Celidonius non in alia quam Viennensi provincia episcopum egit, quam metropolitico jure subjectam fuisse Hilario comprobavimus, non aliena, sed propria eum potestate ad judicium suum vocavit, deposuitque convictum; nec appellationi locus erat, cum nihil nisi juxta canonum consequentiam gestum fuerit in hoc negotio, uti in prima dissertationis parte asseruimus. Si etiam omnes illæ provinciæ, quæ antiquæ Narbonensis partes fuerant, Arelatensem metropolitam etiam post divisionem agnovere, non est cur ordinatio Projecti [*Leg.* episcopi *pro* Projecti] in aliqua illarum tentata, ob eam rationem in crimen adducatur quod limites proprios excesserit Hilarius. An vero aliquæ circumstantiæ in utroque illo negotio intervenerint, quæ eumdem vel temeritatis, vel superbiæ, vel alterius criminis **876** reum fecerint: hoc porro est quod hac tertia parte discutiendum habemus: dum reliqua epistolæ S. Leonis capita, animo omnis præjudicii immuni, singillatim perque singulos articulos recensemus.

CAP. I. *An et quo sensu Hilarius Arelatensis ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicarit aut vindicare potuerit.* — Istud est omnium accusationum caput ac summa quas adversus Hilarium nostrum struxerunt ejus adversarii: quod videlicet *Ecclesiarum statum et concordiam sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit, ita suæ cupiens subdere potestati* (a) Viennensis provinciæ episcopos, *ut se beato apostolo Petro non pateretur esse subjectum; ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, et debitam metropolitanis sacerdotibus in suam transferens dignitatem.*

Ad hæc ut articulatim satisfaciamus, respondeo satis elucescere ex iis quæ superius diximus nequaquam *Ecclesiarum statum* ab Hilario fuisse turbatum; immo vero hoc unum a Leone etiam atque etiam rogabat, *ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret; nec novis* sese efferebat *præsumptionibus*, sed antiquis inhærebat Ecclesiæ suæ privilegiis, quæ a prædecessoribus suis per manus, ut probavimus, accepta, si ultro deseruisset, prævaricationis crimen incurrisset. Tantum abest autem ut *sacerdotum concordiam* turbaret Arelatensis pontifex, ut potius ad ejus propugnanda jura omnes fere in unum coirent ac conspirarent Galliarum episcopi, uti ex eo patet quod iisdem annuentibus (b) eamdem semper, quoad vixit, usurpavit potestatem, etiam refragante Leone, ac minitante Augusto; et post mortem ejus omnes Ravennium in ejus locum *unanimiter*, ut Leo ipse loquitur, *consecrarint*, et per libellum supplicem uno consensu adierint Leonem episcoporum Gallicanorum pars maxima, ut eum ad revocandum durum illud decretum adversus Arelatensem antistitem promulgatum amice compelleret. Eatenus porro suæ potestati subdere cupiebat Viennensis provinciæ episcopos, quatenus provincialibus episcopis injunctum erat per sacros canones, ut metropolitis obtemperarent, ex illorum ore nutuque penderent, ipsumque ut dignitatis suæ consecrationisque auctorem venerarentur. Non ita tamen provinciæ sibi suæ ordinationem pro jure suo **877** assumebat, ut cathedræ Petri debitam denegaret subjectionem, quam ut capiti membrum, ut primati metropolita, ultro deferebat. Verum quod ex apostolica traditione acceptum

A post Hilarii tempora aliquando asseruit Magnus Gregorius, hoc Hilario, qui erat traditionis fonti propinquior, non latebat: nimirum, inertem esse ac otiosam primariorum præsulum erga inferiores episcopos prærogativam, eum nihil ab his nisi secundum normam canonum arrogatur. *Si qua*, inquit ille (*Lib.* VII, *epist.* 65, *ind.* 2), *culpa in episcopis invenitur, nescio quis ei episcopus subjectus non sit; cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sumus.* Nihil porro contra canones actum esse ab Hilario, abunde a nobis dictum ac probatum est in superiori dissertationis hujus parte; immo vero nihil nisi pro custodia canonum, vel contra Celidonium decretum in synodo, vel Romæ coram pontifice prolatum est ab Hilario: quamobrem quod Leoni sententiam æquitate plenam rescindere volenti strenue obstiterit, non proterviæ in eo indicium, sed invicti animi disciplinæque tenacissimi argumentum fuit.

B Jam quod attinet omnium per Gallias Ecclesiarum ordinationes, quas sibi vindicasse dicitur Hilarius, juvat nonnulla observare, quibus expensis quidquid ambitionis erumpere videtur ex his verbis nullo negotio eluetur. Nulla hic fere vox quæ interpretatione non egeat, aut a generaliori significatu ad strictiorem revocari non debeat.

Allucinati sunt, nisi ipse allucinor, omnes omnino qui vocem *ordinationes* hic positam esse existimarunt pro consecratione sacerdotum seu episcoporum, ita ut S. Leo Hilarium arguerit, quasi omnium per eas Galliarum partes de quibus loquitur episcoporum consecrationem, posthabitis metropolitanis, sibi arrogantem. At certissimum mihi apparet longe hoc abesse a mente Leonis, sed potius *ordinationem* hoc loco pro administratione seu sollicitudine usurpari, quæ metropolitano vel ordinario vel primario competit in provinciam aut aliquem provinciarum tractum. Hoc inde primum elucet, quod non *ordinationes sacerdotum* dixit S. Leo, sed *ordinationes Eccle-* C *siarum*, inter quæ magnum esse discrimen nemo non videt. Ordinare enim episcopos seu sacerdotes unicum consecrationis munus exprimit, ordinare autem Ecclesias quamlibet alium jurisdictionis in Ecclesias actum et exercitium denotat. 2° Cum hæc scribebat Leo noster, positum ob oculos habebat Celidonii negotium, de quo inter pontificem et Hilarium contentio fuerat. Nemo autem hac in occasione consecratus ab Hilario fuerat, sed potius depositus fuerat Celidonius in synodo Hilarii jussu congregata, quod sub ordinationis Ecclesiarum nomine **878** continetur. Denique familiarissimum est illius ævi scriptoribus in hoc significatu ordinationis vocem usurpare. Cuique legenti passim occurrent hujusmodi plurima, ut apud Leonem ipsum sermone de apostolis: *Paulo*, inquit, *apostolo aliarum adhuc* ECCLESIARUM ORDINATIONIBUS *occupato;* sed et in hac causa ipsaque epistola de quibus agimus duplicem hujus vocis sensum discernit et usurpat Leo. Cum enim Projecti negotium tractat D cap. 4 et 5, et infra etiam de consecratione episcoporum sermonem habet, exacte *ordinationem sacerdotum* dicit; cum vero de generali provinciarum administratione disserit, *ordinationem provinciarum* nominat. Ita enim accipienda mihi videntur hæc tertii capitis verba: *Ordinationem sibi, ut ante jam diximus, singuli metropolitani suarum provinciarum, cum his qui cæteros sacerdotii antiquitate præveniunt, restituta sibi per nos jure defendant.* Quamquam enim non inficiamur *ordinationem provinciæ* vel *provinciarum* nonnumquam pro consecratione sacerdotum provinciæ

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Hæc verba *Viennensis provinciæ episcopos* ex sua sententia Quesnellus inseruit, eo quia Hilarii judicium de Celidonio, quod Leo respicit, ad provinciam Viennensem Arelatensi episcopo subjectam pertinuisse existimet: quam tamen sententiam falsam ostendimus. Hujus autem capitis confutationem invenies in observ. part. III, c. 1.

(b) Nec Hilarium post Leonis decretum jus metropoliticum usurpasse, nec Gallicanos contra ipsum decretum conspirasse, aut quidquam egisse, ibidem probabimus cap. 2.

usurpari apud ecclesiasticos scriptores, non ita tamen sumi hoc loco mihi videtur, sed pro administratione. Ad consecrationem enim episcoporum non ii solum cum metropolitano convenire solebant *qui cæteros sacerdotii antiquitate prævenirent;* sed tota simul conspirabat coibatque provincia; at vero pro administratione provinciæ eorumque negotiorum discussione quæ persæpe intra quamque provinciam enascebantur, opus non erat ut toties comprovinciales episcopi omnes in synodum convenire juberentur, sed satis erat ut illa a metropolitano ex aliquot antiquiorum consacerdotum consilio tractarentur, juxta præsens Leonis pronuntiatum. Adde quod eodem loco generatim de alieno jure non invadendo disserens Leo, jubensque ut quisque suis limitibus sit contentus, innuit se de generali quoque provinciarum ordinatione seu administratione sermonem habere. Ejusdem etiam epistolæ capite ultimo: *Non enim,* inquit, *nobis ordinationes vestrarum provinciarum defendimus, quod potest forsitan, ad depravandos vestræ sanctitatis animos, Hilarius pro suo more mentiri; sed vobis per nostram sollicitudinem vindicamus.* Hoc, inquam, pariter loco ordinatio pro administratione poni mihi videtur. Quis enim umquam illo tempore vel somniasset Romanum episcopum de ordinandis seu consecrandis Gallicanarum provinciarum episcopis cogitasse? At ut per se vellet illarum provinciarum curam suscipere, synodales conventus congregare, judicia adornare, et cætera hujusmodi, quæ penes Arelatensem episcopum ad illa usque tempora fuerant, ad se pertrahere, non somniantis erat suspicari. Hanc tamen longe a se amolitur Leo suspicionem, eam curam (a) Leontio **879** Forojuliensi episcopo, honorandæ, ut ait, antiquitatis causa, deferri postulans; eam, inquam, curam, quam sibi superius asseruerat nolle defendere. Porro nequaquam Leontio episcopos consecrandi potestatem facit; immo diserte interdicit, hanc exceptionem statim subjiciens: *Metropolitanis privilegii sui dignitate servata;* quibus etiam non uno epistolæ loco jus consecrationis a Leone ipso asseritur.

Ipse Valentinianus Augustus, cum constitutione sua Hilarium acerbe increparet, ex Leonis suggestione, ait, quod *certa in eum ex his quæ male* ORDINAVERAT, *lata sententia est.* Ubi nullatenus de consecratione in particulari loquitur, sed universim de omnibus quæ male gesta in Ecclesiis ab Hilario existimabat. Denique, ne prolixiores simus, ipse Hilarius, referente Vitæ ejus auctore, in hæc verba Leonem allocutus est, *deposcens ut Ecclesiarum statum more solito* ORDINARET.

Quoquo modo autem ordinationis vocem interpretemur, opus est ad Hilarii defensionem sequentes ad genuinum sensum revocare: si enim de omnibus, quaqua patent, Gallicanis provinciis intelligerentur, intolerandæ prorsus audaciæ reus habendus esset Hilarius. Ac primum quidem certum est Gallicanas tunc temporis provincias non unius principis ditioni fuisse subjectas, sed partim Romano imperatori, partim Gothis, partim etiam Francorum ducibus vel regibus paruisse: ut nullo pacto potuerit Hilarius omnium per omnes Gallias Ecclesiarum ordinationem sibi vindicare: numquam enim id ferebant principes, ut alienæ gentis aut ditionis episcopus Ecclesias in eorum regno sitas administraret, et ex iis vel episcopos amoverent, vel conflarent synodos. Exemplum habemus in prima synodo Arausicana, cui cum forte fortuna interfuisset Eucherius Lugdunensis

A episcopus Hilario nostro, qui concilio præerat, pernecessarius, non ausus est tamen synodi Actis absolute subscribere, sed tantum sub conditione consensus a comprovincialibus impetrandi. *Ego,* inquit, *Eucherius episcopus subscripsi, sanctorum sacerdotum comprovincialium meorum super his exspectaturus assensum.* Ex hac igitur synodo, quæ tribus tantum annis Celidonii depositionem antecessit, manifestum est (b) in Lugdunenses, ac proinde in alias provincias ulteriores Galliarum nihil sibi vindicasse juris Hilarium, qui nec Eucherium impulit ut absolute subscriberet, quoniam illum ad suam synodum non pertinere noverat.

Non alias ergo Gallias licet hic intelligere, **880** quam quæ Narbonensem olim solidam composuerant, quæ *Galliarum provincia* primum appellata est, ac postmodum simpliciter *Provincia.* Quæ cum ab aliis provinciis in administratione civili distingueretur, consequens erat ut etiam in ecclesiastica esset separata. Certe suspicor illud etiam inter utrasque discrimen B nonnumquam positum esse, ut quæ Narbonensem olim conflarant, simpliciter Galliæ vel Galliarum provinciæ, aliæ vero dictæ sint provinciæ Gallicanæ. In concilio enim Parisiensi ann. 362 vocantur ubique Gallicani episcopi qui synodum constituebant, *et Saturninum excommunicatum ab omnibus Gallicanis episcopis* dicunt. Quæ synodus eo consilio congregata fuisse videtur, ut quæ a Saturnino Arelatensi episcopo Ariano male gesta fuerant in Arelatensi et Biterrensi synodis rescinderentur. Verum quia timendum erat ne Saturninus vel synodum de novo cogeret adversus Parisiensem, aut saltem eos episcopos quos prius ad tuendum errorem armaverat, iterum ad conculcandum Parisiense decretum auctoritate sua impelleret, decrevit synodus *ut quisquis his quæ statuerat* INTRA GALLIAS *putaverit renitendum, a communione ac sede sit sacerdotii abjiciendus;* eas Gallias, ut opinor, intelligens, in quibus versabatur ac auctoritate pollebat Saturninus, et quarum episcopi propter ante acta in suspicionem veniebant. Item in concilio Vasensi I C an. 442: *Placuit,* inquit can. 1, *tractatu habito, episcopos* DE GALLICANIS *provinciis venientes,* INTRA GALLIAS *non discutiendos: sed solum sufficere si nullus communionem alicujus interdixerit: quia inter circumhabitantes ac sibi pene invicem notos, non tam testimonio indigent probi quam denotatione ac denuntiationibus depravati.* Ubi omnino distingui videtur inter Gallias seu quinque aut septem provincias, quarum episcopi synodo aderant, et Gallicanas provincias, de quarum episcopis discutiendis agebatur. Eodem sensu Gallias esse acceptas a Leone ipso pro solidæ Narbonensis partibus apparet ex epistola 38 ad Ravennium Arelatensem. *Petronianum,* inquit, *quemdam vagum... didicimus* PER GALLIAS *se nostrum esse diaconum jactitasse, et sub hujus honoris obtentu diversas ejus provinciæ Ecclesias circuire.* Item epistolam ad episcopos synodi quinque aut septem provinciarum, quæ corpus ab aliis distinctum conflabant, ita inscribit: *Leo Ravennio, Rustico,* etc., *episcopis* PER GALLIAS *constitutis.* Hæ sunt conjecturæ quas doctioribus exami- D nandas emittimus, non ita iis innitentes ut ab iisdem **881** pendere velimus sententiam nostram, qua dicimus, non omnes omnino Galliarum provincias sibi subjicere voluisse Hilarium; sed eas solummodo quæ ex solidæ Narbonensis divisione in solidas evaserant quoad civile regimen. Quam merito autem jure eas sibi vindicabat Arelatensis episcopus, satis superque dictum est in superioribus.

CAP. II. *Utrum in hac agendi ratione, quam pontifex*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Leontius, cujus Leo meminit, diversus est a Forojuliensi: quippe hic jam obierat circa annum 432, ut probant Tillemontius tom. XV, not. 3 in S. Maximi Regiensis Vitam, et Pagius ad an. 433, n. 20.

(b) Cum Celidonius Vesontionensis episcopus fuerit Lugdunensi metropolitæ subditus, ut ostendemus in observ. ad hanc dissertationem, cum Hilarius eum deposuit, judicium exercuit in provincia metropolitæ Lugdunensis, et hac de causa Leo eum *omnium per Gallias Ecclesiarum ordinationes,* seu administrationem sibi vindicasse affirmavit; adeo falsum est *Galliarum* nomine solidam Narbonensem intelligendam esse. Cætera quæ Quesnellus subjicit, vel ipse imbecilla sub finem capitis indicat.

redarguit in Hilario, aliquid superbiæ, præsumptionis et arrogantiæ emicuerit. — Totus est Leo noster in insectanda episcopi Arelatensis (a) superbia, vixque linea est in hac, tota quanta est epistola, quæ hanc criminationem non spiret acrioribus verbis et quidem plurimis illatam. Passim enim eum traducit, ut hominem *nulli subditum legi, qui nullis se dominicæ institutionis credit regulis contineri, qui sacratissimam Petræ firmitatem Deo ædificante constructam nimis impia vult præsumptione violare, ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, præsumendo illicita, et ipsius beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo.*

Nihil revera arrogasse sibi Hilarium præter suæ Ecclesiæ jura, ostensum est pluribus. An vero ita sedis suæ privilegia, immo totius episcopalis ordinis potestatem defenderit, ut debitam apostolicæ sedi violaret reverentiam, non omnino manifestum est. Asserit quidem sanctus Leo, sed Leo, ut scribit doctissimus Baronius, *in his quæ contentiosi fori sunt, quod perfacile est, deceptus,* sed Celidonii artibus circumventus, et delationibus adversariorum faciliores præbens aures.

Quis porro ad convincendum reum accusatoris testimonium satis esse dicat, præsertim vero in propria causa, in qua quisque sibi ipse suspectus esse debet? Certe cum in hac Leonis epistola lego: *Quod postquam Hilarius rationabile, quod in sanctorum concilio sacerdotum posset respondere, non habuit, ad ea se, occulta cordis ipsius transtulerunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum posset audire;* cum hæc, inquam, lego, redit in memoriam Auxiliaris, præfecti effatum, quod ex ejus ad Hilarium ipsum epistola ea de re scripta refert Honoratus Massiliensis. *Impatienter,* inquit, *ferunt homines, si sic loquamur quomodo nobis conscii sumus. Aures prætcrea Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur.* Mihi certe audiendus magis videtur præfectus ille Leonis et Hilarii amicus, quam vel Hilarius ipse, vel Leo, quorum, tametsi sanctorum **882** mentibus vel propriorum privilegiorum æmulatio, vel amor victoriæ nebulas quasdam offundere potuerunt. Intelligis autem, sincere lector, quantum aberat ut Auxiliaris præfectus, totius negotii atque tractatus inspector, contumaciæ Hilarium argueret, cum omnes potius Leonis querelas in illam affectionem referat, qua vix est qui non laboret, cum suæ sententiæ sibique aliquem habet paulo liberius adversantem, in eamque aurium teneritudinem, quam Romanis innatam affirmat. Sed et longe clarius mentem suam aperit in eadem epistola, ubi asserit se totius illius concertationis conscium ac testem nihil omnino in Hilario deprehendisse quod animum elatiorem protervumque saperet. *Cum,* inquit, *propositi tui tenax sis et semper æqualis, nulloque commotionis felle rapiaris, sicut nullis extolleris illecebris gaudiorum, ego nec minimum quidem factum beatitudinis tuæ arrogantiæ memini contagione fuscari.*

Hoc ut Auxiliari præfecto, ita et cunctis Galliarum episcopis persuasum fuit, qui a Leone accepisse videntur rerum in Romana synodo gestarum acta quæ omnia ab Hilario prolata continerent, ut ex his verbis conjicio: *Quæ igitur apud nos in causa Celidonii episcopi gesta confecta sint, et quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem præsente supradicto episcopo audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat.* Cum autem omnium ab Hilario gestorum dictorumque participes essent facti, (b) non tamen propterea ab illo descivcrunt, sed posthabito transalpini conventus judicio, Gallicanæ synodi sententiam adversus Celidonium decretam constanter ratam habuerunt, eumdem semper honorem detulerunt Hilario, nec ejus locum a A Leontio aliove invadi permisere, quod erat Leonis ad eos scribentis votum consiliumque.

Etsi porro tam horum præsulum quam Auxiliaris præfecti suffragia deessent in gratiam Hilarii, non facile tamen aures accommodandæ essent ejusmodi accusationibus, cum et antequam hoc negotium agitari cœpisset, et postquam finitum est, semper ob summam animi demissionem fastusque omnis contemptum præcipue commendatus sit Hilarius. Inde est quod Cognati ac prædecessoris sui Honorati Vitam edisserens, prosapiæ ejus nobilitatem pressit silentio, nec in ipsum laudes gentili suo delatæ reciderent: *Etiam ipse laudibus venerandi propinqui præcelsum stemma natalium maluit nobilitare dum respuit, commendare dum præterit, dilatare dum spernit.* Nec mirum demissum gessisse animum, ubi in ea dignitate collocatus est, ad quam non nisi humilitate conscenderat. *Sicut enim sacerdotii gradu summus,* inquit idem Vitæ ejus scriptor, *ita humilitatis descensu, fastigium celsæ sublimitatis* B **883** *indeptus.* Idem Massiliensis episcopus, postquam plurimis exemplis Hilarii nostri humilitatem comprobatam fecit, ita prosequitur: *Constat ergo humilitatis culmina proprio eum comparasse despectu, et celsum perinde virtutum meruisse fastigium. Sed forte hæc tanta et tam multiplicia veræ humilitatis exempla aliquod superbiæ periculum generarunt, et non potius sublimibus humilitatis compararunt celsa præconia. Exstitit rigidus, sed superbis; exstitit terribilis sæculi iniquitate turgentibus, xenodochiæ vanitate turgentibus. Cæterum congregationi sanctæ et consummatis viris, non solum cor atque animum, sed corpus quoque promptissime prosternebat.* Quod non minus Romæ quam in Galliis frequentavit; Urbem enim statim atque ingressus est, *apostolorum martyrumque occursu peracto, beato Leoni papæ illico se præsentavit, cum reverentia impendens obsequium et cum humilitate deposcens ut Ecclesiarum statum solito more ordinaret.* Denique ne unius Vitæ auctoris nonnullis forsitan suspecti testimonio contenti simus, Auxiliaris Romanæ C facundiæ, ut idem scriptor asserit, auctoris suffragium proferamus; breve quidem illud, at omni exceptione majus. Ita Hilarium ipsum alloquitur in epistola cujus fragmentum habet ejus Vita: *Sicut tenes in aliis modestiæ morumque operibus principatum, ignosce de te studiose minora dicenti, quia semper in prædicatione sui virtus erubescit.*

Jam vero postquam Roma rediit Arelatum, quanta sinceræ humilitatis dederit indicia, vel ipso narratore Baronio discimus. *Certe quidem,* inquit, *haud mediocre specimen edidit Christianæ modestiæ, dum ita exagitatus tam a pontifice quam ab imperatore: SICUT ENIM FREMITUS LEONIS, ITA ET IRA REGIS; tamen omnino conquievit, neque contrariis editis apologiis suam causam defendit; cum alioqui id præstandi et vis eloquentiæ ipsi suppeteret, et jura a prædecessoribus prætensa suffragarentur.* (c) Errat tamen cardinalis, cum posthac Hilarium omnino conquievisse asserit, nullasque ab eo editas esse apologias quibus causam suam de- D fenderet; ab eminentissimo viro hac in parte dissentimus, quoniam contrarium diserte affirmat Hilarianæ Vitæ auctor, in hæc verba: *Solus,* inquit, *tantos sustinuit, nequaquam minantes expavit, inquirentes edocuit, altercantes vicit, potentibus non cessit, et in discrimine vitæ positus, communioni ejus, quem cum tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquievit.* Redux autem ad Ecclesiam suam, et legatos frequentes misit ad Leonem, et tam multas edidit apologias, ut iis recensendis supersedere coactus fuerit idem Vitæ ejus scriptor. *Et quia,* inquit, *quantum in hac causa dictaverit, huic operi nulla possum ratione connectere, Auxiliaris* **884** *tunc præfecti quæ fuerit sententia, credidi*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Confer observ. part. III, c. 1, n. 2.

(b) Hæc gratis et falso affirmari patebit ex iisdem observ. part. III, c. 2.

(c) Errat potius Quesnellus, cum apologias post Leonis decretum missum in Gallias ab Hilario scriptas affirmat. Lege observ. part. III, c. 2, n. 1.

insgrenaum, etc. Ut autem a Baronii sententia discedimus cum scriptas hujusmodi apologias negat, ita eidem subscribimus Hilarii modestiam asserenti. Est enim hoc hominis vere episcopalis, et dignitatis suæ jura tueri fortiter, et tamen a Christiana humilitate modestiaque sacerdotali nequaquam recedere. Talem se in hoc negotio Hilarium præbuisse et totius Vitæ ipsius tenor, et scriptor jam sæpissime laudatus persuadent: *In civitatis*, inquit, *recessu totum se ad placandum animum sancti Leonis inclinata humilitate convertit, misso primum sancto Ravennio tunc presbytero, postmodum proprio successore; deinde sancto Nectario sanctoque Constantio præcipuis sacerdotibus. Et quia quantum in hac causa dictaverit*, etc.

Absit ergo ut tam sinistram de sanctissimo episcopo opinionem animo retineamus, quam et adversariorum ejus calumniæ, et sancti Leonis paulo commotioris facti epistola jampridem generarunt. Et licet difficile sit in hoc dissidio e duobus eximia sanctitate præclaris alterutrum absolvere, nisi altero insimulato, minus tamen spiritui gratiæ contumeliosum videtur, si dixerimus Leoni satis perspectam tunc non fuisse Hilarii sanctitatem; et in illo contentionis æstu non eo sensu Hilarii verba accepta esse a Romano pontifice quo ab Arelatensi proferebantur; quam Hilarium tantæ procacitatis, arrogantiæ ac superbiæ reum existimare, hominem singularis modestiæ ac spontaneæ demissionis nomine commendatissimum.

CAP. III: *Quid ad illud epistolæ; quod Hilarius rationabile quod in sanctorum concilio sacerdotum posset respondere non habuit? Quid de testibus a Celidonio productis? — Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt*, ut pridem sanxere imperatores Valens, Gratianus et Valentinianus ad Gracchum præfectum Urbis scribentes (*Cod. Theod. lib.* II, *tit.* 2). Ex quo et superioribus S. Leonis querelis plurimum roboris detrahitur, et præsentibus occurritur. Hoc enim uno maxime angebatur Leo, quod ad se trahere volenti Galliarum causas strenue obnitebatur Hilarius. Unde mirum non est si (*a*) *rationabile* non invenit quidquam eorum quæ ab Arelatensi episcopo prolata sunt; nemo est enim qui adversariorum rationibus libens subscribat, et cuique litigantium hoc a natura corrupta inditum est, ut juris omnis robur ac probationum pondus sibi militare existimet.

Porro si Honoratum Massiliensem consulamus, qui cum post mortem Hilarii scripserit, adulationis omnis expers ac vacuus 885 fuisse credendus est; ita locutus est Hilarius in sua causa, ut et *inquirentes edocuerit, et altercantes vicerit*. Quamquam parce admodum verba eum fecisse putem, qui se ad litigandum non accinxit, sed huic semper principio tamquam immobili lapidi innixus est, *se ad officia, non ad causam venisse; protestandi ordine, non accusandi, quæ sunt acta suggerere*: quæ quidem in novo rursus judicio ventilari ac discuti, (*b*) recepti tunc in Galliis canones, solitaque Ecclesiarum ordinatio non sinebant. Hoc unum contendebat Hilarius; hoc *rationabile* non existimavit pontifex noster: quoniam hoc auctoritati ac splendori sedis suæ deberi putabat, ut quæcumque per omnes orbis Ecclesias celebrabantur judicia, ad Romanum examen denuo semper revocarentur.

Quod igitur in Romana synodo causam deseruisse visus est, *nec*, ut Leo ait, *quod responderet habuit*, hoc neque ex juris penuria, nec ex probationum defectu, nec ex loquendi difficultate provenit; sed inde quod Leonis facto solita judiciorum Gallicanorum forma immutabatur, novumque jugum hoc modo parabatur Gallicanis Ecclesiis ac sacerdotibus quod

A nec illi nec eorum Patres ferre unquam potuerant: quod jugum si Hilarius Gallicanarum Ecclesiarum apex his imponi passus esset, ipse tamquam et propriæ dignitatis desertor, et Gallicanæ libertatis traditor a suis coepiscopis erat arguendus. Hilarii igitur silentium prudentiæ fuit, non imbecillitatis; reverentiæ, non contumaciæ; defensionis, non desertionis; facundiusque causam dixit tacendo, quam perorando fecisset.

Jam quod (*c*) testes attinet, quorum *manifesta*, ut ait, *responsione*, se injuste sacerdotio fuisse dejectum monstraverat Celidonius, dubium subesse mihi videtur nonnullum, utrum de testibus apud Gallias auditis a Gallorum synodo agatur; an vero de testibus quos e provincia in Urbem evocarit episcopus dejectus, produxeritque in conspectum Romani concilii. Si hoc ultimum, videt quisque quam suspecti plerumque sint testes per longa itinerum spatia traducti, quippe qui auro persæpe redimuntur, ut ad loca remota se conferant, speque lucri magis ducun-
B tur quam studio veritatis. Insuper ab iis locis absunt, in quibus sunt noti, et forte scelerum rei atque a reddendo testimonio reprobandi. Ad quæ demum contrariorum *testium, necessariæ personæ*, ut aiunt episcopi Africani, *vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non possunt*.

Quam ob causam *statutum est pariter et justum*, quemadmodum S. Cyprianus testis est 886 epist. 55, ad Cornelium papam, *ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum... ubi et accusatores habere, et testes sui criminis possint*. Unde et in jure civili magna cautio adhibetur circa evocandos per longinqua itinera testes, propter fraudis periculum, quod subesse solet. Jam vero si de testibus a Celidonio productis in Provincia agit S. Leo, longe melior est Hilarii conditio. At de his loqui pontifex videtur tum ex modo loquendi quem usurpat: non enim ait, *monstravit*, sed *monstraverat*, quo Gallica-
C nam remotioremque synodum indicari crediderim; tum quia de testium præsentia in Romana synodo non meminit, sed tantummodo de ipsorum responsione, scripto, ut conjicere licet, exhibita, cum tamen statim de Hilario loquens, dicat: *Ita ut quod Hilarius nobiscum residens posset opponere, non haberet*. Hoc igitur si ita est, ut de testibus in synodo Gallicana ab episcopo accusato prolatis sermo sit, quis velit conferre narrationem Celidonii pro se ipso allegantis Romæ testium nescio quorum responsionem in Gallia factam, cum eorum testimonio, qui Celidonium ipsum accusarunt, convicerunt, condemnarunt. Non enim fuere pauci testes pretio conducti, quales facile fuit Celidonio sibi comparare, aut metu vel gratia impulsi; sed *flammata nobilium et mediocrium studia convolarunt, astruentes Celidonium internuptam suo adhibuisse consortio, simul ingerentes sæculi administratione perfunctum capitali aliquos condemnasse sententia* (*Vita S. Hilarii Arelatensis per*
D *Honoratum*). Quibus non contenti sancti Hilarius et Germanus, alios etiam *testes imperant præparari*, eorumque opera ac studio *conveniunt ex aliis locis probatissimi sacerdotes*, per quos *res omni ratione prudentiaque discutitur, accusatio testimoniis comprobatur, vera demum simplexque definitio adhibetur, ut quem Scripturarum regulæ removebant, voluntate propria se removere deberet*. Si porro tunc temporis vel ulli vel idonei testes a Celidonio adducti essent, ut Romæ narravit, quis credat Hilarium Germanumque sanctissimos viros, aliosque probatissimos sacerdotes, quos Honoratus commemorat, ita vel occæca-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Vide part. III observationum c. 3, n. 1.

(*b*) Quinam canones in Galliis recepti non sinebant Celidonii causam in novo judicio Romæ discuti? Falsitatem cognosces ex observ. part. I, c. 6, n. 17. De consuetudine etiam vide ibidem c. 5. Hinc falsum est quod audacissime post pauca subjicitur: *Leonis facto solita judiciorum forma immutabatur, novumque jugum hoc modo parabatur Gallicanis Ecclesiis*.

(*c*) Lege quoad testes observ. part. III, c. 3.

tos, vel omnis oblitos esse æquitatis, ut consacerdotem malent ut reum damnare, quam absolvere innocentem? Quod si hujus viri innocentiam aliquandiu contigisset invidorum potentia vel artibus obscurari, at tandem aliquando emicuisset Gallicanæ Ecclesiæ oculis; Hilario ipsi postmodum innotuisset, ut et Germano tantæ gratiæ viro; nec ita pristinæ sententiæ tenax fuisset sanctissimus Arelatensium episcopus, ut in ea ultimum obire diem voluisset, contra vel propriam vel publicam **887** de fratris sui innocentia notitiam. (*a*) Numquam tamen restitit Hilarius, sanctæ post mortem memoriæ ab ipso Leone appellatus, et, ut testatur laudatus toties ejus Vitæ scriptor, etiam *in discrimine vitæ positus, communioni ejus, quem cum tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquievit.*

CAP. IV. *Cætera accusationum momenta discutiuntur ac præsertim ea quibus Hilarius tamquam immitis et inhumanus arguitur.* — Ab his examinandis abstinere poteramus, cum ea ab Honorato prætermissa esse videantur, sive quod per eam tempestatem purgata esset ab his omnibus Hilarii memoria, sive quod revera in nonnullis humani aliquid passus sit vir sanctus, dum variis Ecclesiarum negotiis emergentibus incumbens, aliqua paulo nimis præcipitanter exsequitur, ut ad alia zelo disciplinæ accensus properaret. Sed enim quod de se ipsum profiteri non pudet Leonem, *ipsa suscepti operis magnitudo creberrima est offensionis occasio*, etiam pontificibus ab omni ambitu aut cupiditate alienis, tale quid contingere potuit in Projecti negotio, cui alium viventi superordinatum esse queritur S. Leo; et quidem, ut ipse contendit, in aliena provincia; quod quatenus verum sit, secunda dissertationis parte discussimus. Sed dum Projectus ardentius forsan sua jura prosequitur, dum cives ejus civitatis cujus regebat Ecclesiam, episcopi sui querelis studiose nimis suffragantur, ac se in electione neglectos putant, cum eorum votis ac testimoniis non exspectatis illa perficitur, invidiosissime Hilarium scriptis litteris prosciderunt.

Præterea illud omne ex proprio ingenio egisse Hilarium, hominem disciplinæ studio commendatum, ægre mihi persuaserim; sed potius existimaverim hoc ipsum negotium in aliquo illorum excursuum contigisse, in quibus comite ac conscio Germano Autissiodorensi utebatur. Nec par est credere quod solus ordinaverit episcopum, cum ipse et in Regiensi concilio et in Arausicano I, quibus præfuit ac subscripsit, et quorum decreta condidit, gravissimis verbis ac interminationibus illos insectatus fuerit, qui vel a duobus ordinari se passi essent, vel alium non ascito secum tertio ordinassent. In Regiensi quidem depositionis sententiam tulit adversus Armentarium Ebredunensem episcopum, quia a duobus tantum fuerat ordinatus, ordinatoresque ipsos ab omnibus ordinationibus ac conciliis removit et abstinere sancivit. In Arausicana autem synodo eos qui tale quid audebant tamquam præsumptores et antiqui statuti violatores, **888** damnandos pariter decernit canone vigesimo primo. Sed nec Leo ipse nec Projecti cives de hoc Hilarium accusarunt, quod solus eam ordinationem attentarit. Quod vero cum pluribus egit, vix adduci quis poterit ut sine consilio aut sine ratione aliqua factum putet.

Prosequitur S. Leo in hæc verba : (*b*) *Militaris manus* (*ut didicimus*) *per provincias sequitur sacerdotem, et armati præsumptione præsidii suffulto ad invadendas per tumultum famulatur Ecclesias* (*Epist.* 10, *cap.* 6). Nihil est quod in odium trahi non possit, cum seorsum a suis circumstantiis res quælibet exponitur. Unde facile fuit ab adversariis Hilarii rem hanc invidiose referri, quæ vel necessitate compellente, vel amicis ultro agentibus permissa est ab Hilario. Pronum est enim credere plurimos qui Hilarii ab ore pendebant, ejusque suspiciebant sanctimoniam, sese ultro comites dedisse suo antistiti, cum in provincias sibi subjectas excursurus proficiscebatur, tum propter bellicos tumultus quibus eæ regiones persæpe concussæ sunt, tum propter adversarios quos ei ardens disciplinæ studium peccatique odium apud impios pepererat.

Quidquid sit, hoc certum habemus Hilarium ab omni sæculi fastu ac splendore longe alienum fuisse; ita referentibus qui ejus gesta scripserunt : *Ex plenissima* quippe, ut ait Eucherius (*De Contemptu mundi*), *mundanæ potestatis sede in religionis nomen ascenderat, magno animo egressus de domo sua et de cognatione sua, et omnes jamdudum censum in Christi pauperes Christo dives effuderat*; eum propterea *patrem pauperum* vocitari consuevisse aiunt (*Idem de laude Eremi*), quod et paupertatis amator pauperes solerti cura pauper ipse aleret. Quid quod *tanta parcitate vita est illius sustentata, ut raro sæcularium aliquem invitaret; quod lectioni intentus, vigiliis deditus, orationi ac jejuniis jugiter mancipatus, cilicii asperitate exilitatem tenuati corporis macerabat? Nec hiemis quidem rigore, quo solent torrentia flumina glaciali algore constringi, pedes indumento adjecto texit, numquam sinum lanamine contegens* (*Vita S. Hilarii*) : vere, ut epitaphium ejus habet,

Antistes Domini, qui paupertatis amorem
Præponens auro, rapuit cœlestia regna.
Rustica quin etiam pro Christo munia sumens,
Servile obsequium non dedignatus adire,
Officio vixit minimus, sed culmine summus.

Denique in ipsa Romana profectione quam Celidonii occasione suscepit : *Pedibus iter aggrediens conficere non timuit, intrepidus urbem Romam sine equo, sine sagmario vel sago, omni difficultate superata festinus intravit.* Quis hujusmodi hominem credat militari manu stipatum Gallicanas provincias peragrasse? Qui si forte armatos homines itineris sui comites esse permisit, aliam **889** omnino ob causam ita contigisse oportuit, quam quæ a Leone nostro ex adversariorum Hilarii impostura suggeritur. Certe parum sibi ipsa constat calumnia, cum et militari manu cinctum Hilarium narrat, et armati præsumptione præsidii suffultum ad invadendas per tumultum ecclesias. Hæc enim si ita se habent, quomodo, quod circa Projecti negotium asseritur, *insperatus nescientibus supervenit, et improvisus abscessit?* Et qua ratione per tumultum ecclesias invasisse credendus est, qui ita secreto ac furtive, ut volunt, in civitatem irrepsit, ut ante abscederet quam eum venisse civibus innotesceret? Econtra vero quomodo secreto et furtive venisse is existimetur, quem certum est nonnisi convocatis pluribus Provinciæ coepiscopis ordinationem episcopalem celebrasse?

Jam vero quod Hilarium velut immitem et inhumanum inducit, nulla ratione concinit his quæ in ejus Vita narrantur. *Apparet*, inquit pontifex, *quam mitis sit corde Hilarius, qui obesse præsumptioni suæ fraternæ mortis credidit tarditatem. Quantum enim in se fuit, Projecto subtraxit lucem, abstulit vitam, qui hunc dolorem, in locum ejus alterum subrogando, ne ad salutem illi recursus esset, injecit.* Quam inhumanitatem inferius etiam redarguit, ubi eo nomine carpit Hilarium quod facile communionem, et *ad indignantis arbitrium, et pro commissis et levibus verbis* denegaret iis etiam qui criminis participes nequiquam fuerant. *Sed quid mirum*, inquit, *cum in laicos talem existere, qui soleat de sacerdotum damnatione gaudere?*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Eamdem cantilenam recinit, quam refellimus loco mox citato c. 2.

(*b*) Forte hæc censura exinde orta est, quia Hilarius *patricio præfectorioque fultus favore indebitam sibi per Gallias vindicasse monarchiam* tradebatur, ut ex Vita S. Romani discimus.

Sed audiamus quam diversum ab illo nobis depingat Hilarium testis locuples Honoratus, et quanto pietatis sensu commota ejus erga peccatores viscera lacrymarum imbrem funderent. *Quotiescumque*, inquit, *pœnitentiam dedit... admonitione completa, cum lacrymis supplicationum sumebat exordia, ut pœnitentiæ fructum, quem monendo contulerat, orando firmaret.* Paulo post hæc verba, alia subjicit quæ eumdem compatientis animi sensum in Arelatensi episcopo mire exprimunt. *Pietatis suæ insignia*, inquit, *in his quos ad cœli regna præmisit, ita intimis invicem visceribus demonstravit, ut nullus queat imitari. Minimi cujusque lectoris transitu ejusdem animus taliter vulnerabatur interius, ut singultibus quateretur, et profunderet fletus uberrimos; non aliter ac si unici pignoris solatio caruisset. Casus quoque infirmitatesque suorum vulnera propria reputabat.* Quod auctor exemplo comprobat Cyrilli cujusdam levitæ, cujus pedem moles marmoris ex alto decidens colliserat. *Pro cujus*, inquit, *gemitu et dolore non minus vulneris vir beatus excepit in corde, quam collisus sustinebat in corpore.* Denique *in revelatione proximi membrorum propriorum jacturam credidit faciendam, implevit divinum præceptum, quin immo feliciter et excessit, dicente Domino: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ecce invenitur hic beatus dilexisse proximum supra seipsum, qui, quantum* **890** *definitio mentis habuit, membra tradidit amputanda propria, ut sanaret aliena.*

Apparet ergo, ut sua Leoni verba reddamus, *quam mitis esset corde Hilarius;* quam longe abesset ut fratribus suis dolorem injiceret, subtraheret lucem, auferret vitam; qui contra alienum dolorem suum fecit, qui suorum mortem tot gemitibus prosecutus est, qui fraternam vitam propriæ vitæ anteponere non dubitavit.

Cap. V. *Hilarii pietas erga pauperes expenditur, nonnullaque de eodem clarissimorum virorum testimonia referuntur.* — Quanto charitatis æstu peccatores exomologesin facientes exciperet Hilarius, quo sensu miserationis fraterno dolori compateretur, non tam in superiori capite legimus quam oculis ipsis percepimus, ut tuta sit hac ex parte ab adversariorum calumniis Hilarii benignitas ac mansuetudo. Splendidius tamen adhuc emicabit si qualis idem erga pauperes egenosque fuerit referamus tum ex ejusdem Vita, tum ex aliis qui de tanti episcopi virtutibus disseruerunt, scriptoribus.

Ita, inquit Honoratus, *viscera ejus misericordia quatiebat et pietas, ac si solus ad redimendum paginis cœlestibus urgeretur. Tractavit secum, deliberavit, effecit ut sacra ministeria captivis potius solatia, quam præstarent Ecclesiis ornamenta. Quidquid argenti omnes basilicæ habuerunt, captivorum redemptioni protinus deputavit, cumque omnia cognovisset expensa, exsultans atque congratulans, quia vota fidelium dispensatione sua videbat cœli in sede præmissa. Numquidnam poterit æstimari quantum visceribus ejus insederit pietas, qui usque eo credidit omnia distrahenda quo usque ad patenas vel calices vitreos veniretur?... Miseratione propensus, largitione promptissimus, non contentus quæ inhibebantur ingerere, nisi solatia consolationum rivis fletuum cumulasset.* Eamdem Arelatensis hujus episcopi erga pauperes miserationem laudibus extollit Julianus Pomerius lib. II de Vita contemplativa, uti statim referemus. *Eum grandi et solerti cura pauperes aluisse*, asserit Petrus Equilinensis. Trithemius lib. de Scriptoribus ecclesiasticis eodem ipsum nomine commendat. *Tantæ*, inquit, *pietatis exstitit in pauperes, ut omnibus suis in eorum usus hilariter dispersis*, PATER PAUPERUM *deinceps vocaretur et esset.* Sed Gennadius Hilario pene coævus aut suppar ejus erga miseros charitatem impense laudat his verbis: *Hilarius Arelatensis episcopus, vir in sanctis Scripturis doctus, paupertatis amator et erga inopum provisionem non solum mentis pietate, sed et corporis sui labore sollicitus emicuit. Nam pro reficiendis pauperibus etiam rusticationem, contra vires suas, homo genere clarus, et longe aliter educatus, exercuit; sed nec in spiritualibus neglexit.* Gennadium transcripsit Ado Viennensis in Chronico.

891 Porro quod supra Honoratus retulit de sancto Hilario, *ita visceribus ejus insedisse pietatem, ut usque eo crediderit omnia distrahenda, quo usque ad patenas vel calices vitreos veniretur*, satis ostendit non sacra solummodo vasa in usus pauperum fuisse ab eo expensa, sed manifestum est eumdem Ecclesiæ suæ prædiis ac possessionibus nequaquam pepercisse, priusquam *ad calices vitreos veniretur*. Quod et aliunde factum discimus, nimirum ex epistola 8 Hilari papæ cap. 4, ubi testatur oblatum sibi libellum fuisse nomine Leontii Arelatensis episcopi, *quo perhibebat parochias Ecclesiæ suæ a prædecessore suo Hilario in alios, quod non licuit, esse translatas, petens illas pristino juri Hilari auctoritate restitui.* Cujus querelæ occasione decretum condidit pontifex quo cavetur *ne prædia quæ neque deserta neque damnosa sunt, et ad Ecclesiam pertinent, ex quibus plurimorum consuevit necessitatibus subveniri, aliquo jure in alterum transferantur, nisi prius apud concilium alienationis ipsius causa doceatur; ut quid fieri debeat communi omnium deliberatione tractetur.* Bene quidem ac prudenter admodum pontifex patrimonio pauperum hac constitutione consulit, nihilque tale tentari vult absque concilii nutu ac conscientia, ne quando a perditis hominibus Ecclesiarum possessiones sub charitatis prætextu dilapidentur. At eo res persæpe veniunt ut nec propter bellicos tumultus conciliis congregandis locus sit, nec moram patiatur pauperum inopia, vel captivorum misera conditio, recedentibus nimirum quandoque barbaris, et ad propria cum sua præda remeantibus, nisi præsenti nummo captivi ab eorum manibus eripiantur. Similis forte causa Hilarium compulit ut absque concilii nutu, si tamen ita factum est, res Ecclesiæ distrahi in usus pauperum decerneret. Certum est quidem per illam tempestatem qua Arelatensem Ecclesiam rexit Hilarius, frequentibus armorum motibus barbarorumque incursibus concussas esse Gallias, Hunnorum, inquam, Burgundionum, Gotthorum, et aliorum, adversus quos, ut Prosper scribit, Aetius Romanam rem utcumque sustentavit. Nec minus certum quod etsi Hilarius *eo usque omnia distrahenda credidit, quousque ad patenas vel calices vitreos veniretur*, ut pauperum inopiæ subveniret, is tamen tantum abest ut Ecclesiæ suæ reditus ac possessiones imminuerit, ut eas potius multo quam antea auctiores successoribus reliquerit. Testem habemus Hilario ipso fere σύγχρονον, Julianum scilicet Pomerium, qui apud Gallias (*a*) episcopatum gessit. Is de Arelatensi nostro hæc habet lib. II de Vita contemplativa cap. 9 (*Tom. nostro* LI): *Quid sanctus Hilarius? Nonne et ipse omnia sua parentibus reliquit, aut* **892** *vendita pauperibus erogavit? Is tamen cum merito perfectionis suæ fieret Arelatensis Ecclesiæ episcopus, quod illa tunc habebat Ecclesia, non solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliavit.* Abunde his verbis satisfit querelis quibus Leontius Hilarii decessoris sui memoriam lacessebat: si enim aliqua Ecclesiæ suæ prædia in gratiam pauperum alienarat, eidem multo ampliores charitas ipsius pepererat, quam abstulerat divitias.

Tot tantorumque virorum testimoniis hoc tamdem efficitur, ut inter adversariorum calumnias relegetur quidquid ad aures Romani pontificis tum adversus alias Hilarii virtutes, tum præsertim contra ejus mansuetudinem delatum est. Quod nemini non accidit episcoporum, qui apostolicum vigorem spirantes, adversus impiorum contumaciumque Christianorum

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Id Quesnello excidit: Julianus enim Pomerius presbyter tantum fuit

scandala semel insurrexerint, eosve a communionis gratia, spiritali gladio præciderint. Quam facile enim est perditis hominibus immanitatis crimen judicibus suis objicere, ut intorta in ipsos sententia non tam suis sceleribus quam ferientis episcopi inclementiæ deputetur! Hac arte Zosimum delusit Pelagius; nec impari mendacio Leoni nostro ad tempus imposuit Eutyches, qui misso ad pontificem hunc libello se Nicænæ synodi inhærentem decretis, immerito esse communione privatum conquestus est ac pene persuasit. Eadem proculdubio impostura Leonis auribus suggestum est a nonnullis quod facile communionem denegaret, proque levibus verbis ac commissis; ejusdemque ab eo pœnæ consortes fieri, qui minime sceleris facti fuerant participes. Hæc aliaque omnia quæ hactenus discussimus commenta de antistite omnium ore scriptisque laudato existimare, hominis fuerit parum cordati parumque religiosi. Cujus episcopi præclare sancteque gesta qui accurate volet addiscere, ejus integram Vitam ab Honorato Massiliensi episcopo conscriptam consulat, quam eo consilio Leonis Operibus appendi curavimus.

CAP. VI. *An fuligo Semipelagiana adversus Hilarium hac infectum commoverit S. Leonem? An in ea ad mortem usque ille perseveraverit? Veterum testimonia pro Hilario referuntur.* — Si quid de re obscura (a) conjectando assequi licet, vehementer suspicor non solas Celidonii et Projecti querelas, vel usurpati apud Gallias alieni juris insimulationem in causa fuisse ut tam acerbe exciperetur a Leone Hilarius noster. Manebat, ni fallor, alta mente repositum tum Leoni, tum **893** Prospero, qui per illa tempora Leoni a secretis et curis ecclesiasticis erat, Hilarium principem vel tum adhuc esse, vel non ita pridem fuisse, eorum qui S. Augustini de gratia doctrinam impugnabant in Galliis. Atque adeo uterque existimavit plurimum Gallicanarum Ecclesiarum paci et catholico dogmati profuturum, si arrepta querelarum istarum occasione, quas niti veritate credebant, Hilarius ab illa auctoritate dejiceretur, quam ei et doctrina, et pietas, et sedis splendor pepererant. Siquidem plurimos auctoritate et dignitatis suæ et nominis in sententiam suam pertrahebat, et vix pauci aliqui erant quos vel reverentia vel opinio tanti viri a catholico sensu non dimoveret. Ita Prosper ad Augustinum scribens: *Possumus quidem*, inquit, *ad credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares: quia multum nos et vitæ meritis antecellunt, et aliqui eorum adepto nuper summo sacerdotii honore supereminent; nec facile quisquam, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantis superiorum disputationibus ausus est contraire. Ex quo non solum his qui eos audiunt, verum etiam ipsis qui audiuntur, cum dignitatibus crevit periculum; dum et multos reverentia eorum aut inutili cohibet silentio aut incurioso ducit assensu, et saluberrimum illis videtur quod pene nullius contradictione reprehenditur.* Hæc de Hilario Arelatensi episcopo scripta esse a Prospero luce meridiana clarius est, et ex iis quæ ab eodem sub finem epistolæ subduntur invicte probantur; ubi inter eos *quos meritis atque honoribus claros caligo istius* Semipelagianorum *opinionis obscurabat*, unicum nominat *præcipuæ auctoritatis et spiritalium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem episcopum*. Suffragatur Augustinus de Dono persever. cap. 21, ubi eumdem Hilarium clare designat velut Semipelagianorum errore infectum. Unde mirum videatur ab aliquot recentioribus scriptoribus id de Hilario negari, a Brunone, inquam, Neussero Prodromi Velitaris p. 50, et ab Anthelmio, dissertat. 9 de SS. Leonis et Prosperi Operibus. Quorum opinionem egregie refellit eminentissimus Norisius in dissert. 4 ad appendicem auctoris Scrupulorum edit. Rom. p. 251.

Hæc cum ita essent, quis non credat faciliores inde aures præbuisse Hilarii accusatoribus Leonem et Prosperum, quorum mens una erat idemque consilium, atque id e re Ecclesiarum Gallicanarum esse existimasse, si quid Hilarii auctoritati detraheretur, quam catholicæ doctrinæ noxiam credebant? Hoc certe in votis olim habuisse et Prosperum et Hilarium laicos, inficias nemo ierit, qui utriusque legerit scriptas ad Augustinum epistolas. *Sunt ex parte tales personæ*, inquit Hilarius laicus, *ut his consuetudine ecclesiastica laicos summam reverentiam necesse sit exhibere.* En Hilarium Arelatensem episcopum, quem et sequentia, paucis interpositis, verba attinent: *Tuæ sane est prudentiæ* **894** *dispicere, quid facto opus sit, ut talium et tantorum superetur vel temperetur intentio. Cui ego jam parum prodesse existimo te reddere rationem; nisi et addatur auctoritas, quam transgredi infatigabiliter contentiosa corda non possint.* Quibus consentientia Prosper scribit, tum verbis superius relatis, tum his quæ sub epistolæ finem de Hilario Arelatensi habet: *Adde eruditionem*, inquit, *humilibus, adde increpationem superbis.*

Probabile quidem admodum putant e viris eruditis aliqui, tunc cum dissidium istud Leonem inter et Hilarium contigit, hunc a priori sententia discessisse, et Augustinianam vel esse amplexum, vel saltem non esse amplius insectatum doctrinam. Hoc ita fuisse persuadet sibi doctissimus vir Gilbertus Mauguinus in confutatione Prædestinatianæ fabulæ, c. 2, part. II, tum ob eam rationem quod ita sperandum de viro qui *plurima moderatione in contentionibus illis semper versatus erat*; quem in aliis omnibus sectatorem fuisse Augustinianæ doctrinæ testatur Prosper, quemque ait jam pridem sensum suum de hoc, quod in querelam trahebatur, apud sanctissimum doctorem velle conferre; tum quod *probabile est*, inquit, *cum paulo post perspectis saluberrimis sanctissimi et suavissimi illius doctoris libris de Prædestinatione sanctorum et Dono perseverantiæ (in quibus difficultates omnes quibus ille velut ansulis quibusdam in cœnulenta Pelagianarum reliquiarum fæce retineretur, plenissime fuissent solutæ, et veritas absolutæ electorum prædestinationis, et vere gratuitæ semperque victricis Christi gratiæ indeclinabiliter et insuperabiliter constabilita) saluberrimam illam doctrinam humiliter et sinceriter amplexum. Cujus conversionis non levi est argumento quod in decretali papæ Cœlestini ad episcopos Gallorum non recensetur inter eos qui pontificia censura perstricti fuere; cum alioquin, ut metropolitanus, primus ante Venerium, Marium et reliquos suæ provinciæ episcopos fuisset nominatus.*

Sed pace clarissimi viri dixerim, non ii nominantur in fronte epistolæ, qui doctrinam Augustinianæ adversam prædicabant; sed ii potius qui cum episcopali dignitate præditi essent, *nescio quibus presbyteris*, ut ait Cœlestinus, permittebant *indisciplinatas quæstiones vocare in medium, et pertinaciter prædicare adversantia veritati*. Ubi Massilienses et Lirinenses presbyteros et monachos proculdubio designat, quibuscum Prospero res erat pro Augustini doctrina. Ea est ratio cur Venerium Massiliensem episcopum et Leontium Forojuliensem potissimum nominet, quoniam hic Faustum, Vincentium aliosque Lirinenses in sua diœcesi habebat, ille Joannem Cassianum aliosque Massilienses presbyteros, utrosque ex adversariis sancti Augustini præcipuos. Nec illos solummodo, sed quatuor alios etiam similem ob causam nominat, cæterosque subdit Galliæ episcopos, quos omnes Pelagiana lue infectos a Cœlestino esse habitos non putaverim. Eos itaque de silentio arguit, ut tota clamat epistola, et de permissa novatoribus **895** prædicandi licentia: *Nam quid in Ecclesiis*, inquit, *vos agitis, si illi summam teneant prædicandi, nisi forte illud obsistat quod non*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Arbitraria omnino hæc conjectatio est, nullo vel remotissimo indicio suffulta.

auctoritate, non adhuc ratione colligitur, ut aliqui e fratrum numero nuper de laicorum consortio in collegium nostrum fortassis admissi, nesciant quid sibi debeant vindicare?

Quam autem parum conveniens erat ut Hilarium Arelatensem nominaret, quem Prospero et Hilario altero referentibus didicerat presbyteris illis et impensius favere, et in insectanda Augustini doctrina præire? Quod igitur omissum hujus nomen fuerit, inde potius arguo Hilarium tunc temporis sententiam non mutasse. Huic enim aliqui dirigendæ erant Cœlestini litteræ, ut et pro conversionis suæ testimonio novellam doctrinam compesceret, et pro sua apud Gallicanas Ecclesias præcipua auctoritate indiceret presbyteris illis silentium, episcoposque alios ad compescendam novatorum temeritatem accenderet.

Aliquanto post Hilarium Semipelagianismo nuntium remisisse, validius fortasse inde probabitur, quod cum omnia contra ipsum accusationum capita, quæ potest, congerat Leo noster in epistola ad Viennensis provinciæ episcopos, ita ut plura etiam a causis Celidonii et Projecti aliena undecumque conquirat, de illius tamen erroribus adversus Christi gratiam ne verbum quidem habet: quod proculdubio non erat omittendum, cum perniciosius numquam auctoritate sua abusus fuerit Hilarius, quam cum ea fovit incautus Augustini catholicæque doctrinæ adversarios, et ad seminanda erroris sui dogmata audaciores fecit. Sed certius adhuc probare videntur abdicatam ab Hilario Arelatensi fuisse Semipelagianorum doctrinam, postrema ejusdem jamjam morituri verba, quibus astantem suam clericorum congregationem cohortatus est, atque adversus Pelagianum virus visus est præmunire; ita enim in Vita Hilarii cap. 20, tom. I hujus operis (*Tomo autem nostro L*): (a) *Cum istius mundi principibus, cum quibus Apostolus describit bellum juge esse, confliximus, quod nulli deerit quicumque ad beatitudinem* CŒLESTI GRATIA PRÆCEDENTE ET INDUSTRIA SUBSEQUENTE *voluerit pervenire.*

Quidquid tandem sit, sive tunc a malis opinionibus resipuisset Hilarius, sive non, divinæ fuit et æquitatis et misericordiæ, ut adversarium senserit Leonem, et ab eo palam fuerit increpatus per universas Galliarum, immo et totius orbis Christiani Ecclesias, tamquam homo sui impotentissimus, alieni juris invasor, subjectionis impatiens, concordiæ sacerdotalis perturbator, coepiscoporum oppressor, contemptor canonum, **806** mendaciorum malarumque artium architectus, etc., ut adversus ipsum non tota solum modo auctoritate propria insurrexerit, sed et imperatoriam commoverit, qua pene oppressus Hilarius, solo Gallicanorum episcoporum favore (b) Ecclesiæ suæ juribus potitus est; magnum, inquam, misericordiæ justitiæque argumentum fuit ut nec impune videretur Arelatensis episcopus doctrinæ ab Augustiana, adeoque catholica alienæ animum et consensum vel ad tempus commodasse; nec tantæ virtutis ac religionis Christi famulus, cui disciplinæ ecclesiasticæ instaurationem debebant Gallicanæ Ecclesiæ, ante ex hac vita migraret quam molestiarum istarum tolerantia admissæ illius culpæ reatum elueret.

Antequam Hilarii apologiæ finem imponam, referam quidquid reliquum habemus in ejus laudem exaratum ab antiquis scriptoribus quos superius non attigimus. Livius quidam ejusdem ævi poeta hoc eum encomio coronavit, quod refert Honoratus: *Si Augustinus, inquit, post Hilarium fuisset, judicaretur inferior.* Hyperbolica quidem laus et poetico figmento

A simillima, ab eo profecta cui magis notus Hilarius quam Augustinus, et cui, ut videtur, Hipponensis minus quam Massiliensis doctrina arridebat; quæ tamen, quanti fieret Hilarius in Galliis, egregie demonstrat.

Eucherii laus tanto est Hilario dignior, quanto et Eucherius ipse sanctitate, doctrina ac dignitate supra laudem et omnem adulationis suspicionem evectus. Huic numquam non laudandus occurrit suus Hilarius. In epistola parænetica ad Valerianum de contemptu mundi sic habet: *Hilarius nuper, et in Italia nunc antistes Petronius, ambo ex illa plenissima, ut aiunt, mundanæ potestatis sede, unus in religionis, alius in sacerdotii nomen ascendit.* In præfatione ad primum librum Instructionum seu Quæst. veteris Testamenti Salonio filio directum: *Vixdum*, inquit, *decem natus annos eremum ingressus, inter illas sanctorum manus non solum imbutus, verum etiam enutritus sis ab Honorato; patre illo, inquam,* B *primum insularum, postea etiam Ecclesiarum magistro. Cum te illic beatissimi Hilarii tunc insulani tironis, sed jam nunc summi pontificis doctrina formaret per omnes spiritualium rerum disciplinas.* Jam vero libellum de Laude eremi Hilario ipsi inscripsit, hoc titulo: *Domino sancto, et meritis beatissimo, et in Christo gloriosissimo Hilario Eucherius.* Tum ipso statim initio eumdem sic affatur: *Magno tu quidem animo egressus dudum de domo tua et de cognatione tua, usque ad mare magnum recedentia eremi secreta penetraveras; majore tamen virtute repetita est a te eremus quam petita. Siquidem cum hanc primum* **807** *hospes ingressus es, habuisti ducem et velut itineris tui prævium, quem deinde militiæ cœlestis magistrum, eumque tunc secutus, et parentes relinquens, parentem tamen sequebaris. Nunc vero, cum eumdem ascitum ad pontificale fastigium prosequendum putaris, ad familiare secretum eremi te amor retulit. Ergo nunc es nobilior et major exemplo: prius enim cum desertum peteres, comitatus fratrem videbaris; nunc cum desertum repe-* C *tieris, etiam patrem reliquisti.* Et postea: *Et tu licet omnem jamdudum censum in Christi pauperes Christo dives effuderis, tum et præferas licet annis juvenem, moribus senem, sis etiam ingenio clarus, clarus eloquio, nihil in te tamen primore loco magis suspexerim dilexerimque, quam quod solitudinis sedem sic concupisti. Unde quia me respondere copiosius spatiosissimis ac facundissimis litteris tuis sæpe postulas, sufferas paulisper necesse est, cum sis ipse sapiens, insipientiam meam*, etc.

Quanta adhuc de Hilario esset opinio testantur tam idem Eucherius, tum Apollinaris Sidonius, dum ejus ad monasterium Lirinense reditum maximam gaudii toti insulæ materiam fuisse narrant. Sidonius in Eucharistico ad Faustum:

.....Celebrans quoque laudibus illis
EUCHERII venientis iter, redeuntis HILARI.

D Eucherius vero libellum de Laude eremi his verbis fere claudit: *Horum tu, mi charissime Hilari, redditus insertusque consortio, plurimum tibi, plurimum etiam illis contulisti, qui nunc pro reditu tuo alacri exsultatione lætantur.*

Prosper ipse, qui doctrinam Hilarii de **808** gratia insectatus est in epistola ad sanctum Augustinum, illum tamen ibidem appellat *præcipuæ auctoritatis et spiritualium studiorum virum*, a quo *multum vitæ meritis superaretur*. Denique idem Hilarii obitum refert in Chronico P. Pithœi cura edito: *Eucherius*, inquit, *Lugdunensis episcopus, et* HILARIUS *Arelatensis egregiam vitam morte consummant.*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) In ipso Hilarii sermone de Vita S. Honorati habito an. 430 tria alia testimonia leguntur num. 3, 23 et 37, quæ illum divinæ gratiæ necessitatem et vim prædicantem, vel eo tempore a Semipelagianismo alienum declarant.

(b) Hæc ad nauseam repetita in observ. refellimus part. III, c. 2.

Sed et sanctus Leo sanctitati Hilarii nostri suffragatur, cum in epistola 36 ad episcopos Ravennii ordinatores et illum sibi probatum fuisse indicat, et insuper *sanctæ memoriæ* virum appellat. *Quod ergo*, inquit (*Epist.* 36, *nunc* 40), *in Arelatensium civitate, defuncto sanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum fratrem Ravennium . . . . consecrastis*. Quæ laus eximia (*a*) nullam in Hilario mutationem arguit; numquam enim illum a proposito discessisse superius vidimus; sed probat S. Leonem, discussa tandem calumniarum nube, quibus occupatus ejus animus Hilarii sanctitatem et innocentiam cernere non potuerat, omnes postmodum sinistras de tanto episcopo suspiciones abjecisse, et in illum virum mutatum labem illius famæ incaute inustam brevi illo elogio abstergere voluisse.

Hunc testimoniorum delectum, totamque Hilarii Arelatensis Apologiam claudet Constantius presbyter eidem æqualis, qui Vitam sancti Germani, ejusque ad Arelatensem civitatem adventum describens, sic habet : *Illustrabatur hæc civitas Hilario sacerdote multimoda virtute pretioso. Erat enim fidei igneus torrens, cœlestis eloquii et præceptionis divinæ operarius indefessus.*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Etsi S. Leo nullam in Hilario indicet mutationem, eum tamen a proposito non discessisse Quesnellus haudquaquam probavit. Confer nostras observ. in part. III, cap. 2, ubi ipsum Leonis sententiæ paruisse ostendimus; et idcirco eumdem S. pontifex *sanctæ memoriæ* titulo ornavit, quia pontificiæ sententiæ obsecutum, reliquum vitæ tempus in pastoralibus curis ac sui ipsius perfectione ferventius procuranda impendisse cognoverat.

BALLERINIORUM OBSERVATIONES

In Dissertationem quintam Quesnelli, quæ Apologiam pro S. Hilario Arelatensi et pro antiquis Arelatensis Ecclesiæ juribus præfert.

999 PRÆFATIO

1. Etsi ante Quesnellum non defuerint scriptores etiam Romani, qui in causa S. Hilarii Arelatensis errorem facti ex falsis testibus S. Leoni obrepsisse judicantes, aliquam ejusdem Hilarii defensionem suggesserint, omnes tamen etiam Galli hunc in tota ejus causæ tractatione humani aliquid passum, et a Leone jure reprehensum atque coercitum tradidere. Unus Quesnellus illum omni ex parte vindicandum primus suscepit. Ne vero illius defensio Leoni injuriosa crederetur, quod Apologiæ magno præjudicio fuisset, in ipso exordio præmonuit ita utriusque apologiam esse connexam, *ut non aliter*, inquit, *quam purgato ea quæ institui ratione Hilario, Leonis ipsius existimationi provideri posse arbitremur*. Solam quidem facti deceptionem, et per malas artes obreptionem, quæ in viros sanctos et in ipsos etiam summos pontifices cadere potest, se in Leone demonstraturum in eadem præfatione spondet.

2. Si in ipsa dissertatione intra hos limites constitisset, et propositum statuisset æquis rationibus, nihil quod opponeremus nobis suppeteret. At non solum facti errorem quem proposuit haud satis æque probavit, verum etiam sub facti colore juris quæstionem involvit, et sensim eo processit disputatio, ut Hilarii apologia in Leonis accusationem deflectat, et, quod maximum est, ipsius pontificatus prærogativas per summam injuriam aggrediatur, easque ab Hilario ipso jure impetitas præferat. Neque enim Leonem mero errore facti acerbius scripsisse et statuisse gravia quædam adversum Hilarium ostendere nititur, sed præterea ad ea processisse contendit, quæ contra majorum suorum consuetudinem, contra jus et privilegia Ecclesiarum Galliæ, et contra disciplinam canonum auctoritatem ejus excederent. Hilarium vero non solum resistentem Leoni ante sententiam constantiæ laudat, verum etiam sententiæ, ac si nullius esset roboris, nihil detulisse, et *eamdem quod vixit usurpasse potestatem etiam refragante Leone* ex suo ingenio comminiscitur.

3. Num hoc sit Hilarii apologiæ Leonis apologiam jungere, an Leonem accusare, immo ipsi etiam Hilario magnum inobedientiæ et contemptus crimen imponere, æquus lector judicet. Hinc observationes in dissertationem quintam maxime necessariæ judicabuntur, quas dividemus in partes tres, ut cuique ejusdem dissertationis parti congrua responsione subjecta, quid tum in facto tum in jure sentiendum sit quisque cognoscat. Æquiorem autem S. Hilarii defendendi rationem, ubi fieri poterit, non prætermittemus; neque enim tanti viri apologiam refugimus, immo etiam atque etiam percupimus, dum citra Leonis injuriam, et citra pontificiæ auctoritatis offensionem quæratur.

1001 IN PRIMAM PARTEM,

De causa Celidonii, *ubi de jure appellationum episcopalium ad apostolicam sedem fusius disseritur.*

CAP. 1. *Documenta quæ in hac causa suppetunt, eorumque auctoritas statuitur.* — Quinque sunt scriptores antiqui qui hac de causa aliquid tradidere. Tres accusationem Hilarii præferunt : S. Leonis epistola 10 ad episcopos provinciæ Viennensis, Valentinianus imperator in Novella quam dedimus epist. 11, et monachus Jurensis auctor Vitæ S. Romani. Duo Hilario videntur favere, auctor Vitæ ejusdem, et Auxiliaris præfectus in epistola ad ipsum Hilarium, quæ laudatæ Vitæ inserta legitur. Ex his tantum documentis res explicanda et decidenda est; quidquid autem sine ullo in his fundamento ex ingenio obtruditur, inane habendum.

2. Quesnellus ut auctoritatem detrahat monumentis Hilario oppositis, Leonem variis ex capitibus in suspicionem adducit, nec non Valentinianum ab eodem præoccupatum atque præventum. Vitam autem S. Romani suppositionis insimulat, vel saltem textum, in quo de hac causa sermo est, veluti pannum eidem perperam insertum repudiat. Auctores autem pro Hilario effert, et ubi contraria Leoni auctor Vitæ Hilarii videtur ingerere, majorem huic præ Leone fidem adhibendam contendit, quippe cum, quem S. Honoratum Massiliensem episcopum esse pro certo statuit, post utriusque mortem scribentem ab omni vel palpandi vel fallendi affectu liberum et immunem exhibet.

3. Num hujus Vitæ auctorem esse S. Honoratum Massiliensem episcopum ita certum sit, ut prætulit Quesnellus, ex admonitione in ipsam Vitam huic tomo (*Tom.* I *hujus edit.*) ante S. Hilarii Opera insertam patebit. Auctor vero quicumque fuerit, ejus congregationis exstitit quæ ab ipso Hilario domi suæ regebatur. Eidem propterea adeo impensius favit, ut ipsum a Romano judicio vindicaturus, solas Auxiliaris præfecti Hilario honorificas litteras produxerit, silentio autem præterierit omnes Valentiniani imperatoris et Leonis epistolas eidem contrarias; nec non totam Projecti causam, in qua illum prorsus excusare nemo poterat, ubi parte II ostendetur; ac tandem cap. 21 has Arelatensis populi voces post ejus mortem auditas accurate inseruerit : *Hæc dies querelas injustæ imputationis perpetuo resecavit.* Quæ omnia cum auctorem S. Hilarii vindicandi studiosum mani-

festent, quanta cum suspensione animi legendus sit, A ubi de rebus Romæ gestis agit, quicumque partium studia quid possint non ignoret, perfacile intelliget. Ad Leonem vero quod pertinet, num tantus pontifex sanctitate eximius, affectu aut præjudicio aliquo præoccupatus pro indebito jure quidquam acerbius egerit aut scripserit, ex dicendis palam fiet. Hinc autem ubi contraria S. pontifex et Vitæ auctor tradere videntur, quæ ad mera facta pertinent, utri magis credendum sit, nemo non videt. Hac autem consideratione interim seposita, aliud hac in re non exiguum dijudicandi indicium suppetit, quod ex Gallicano recentiori et magni nominis scriptore Antonio Pagio audire libeat. Recitatis enim quæ inter Leonis et Vitæ narrationem discrepant, et producta Quesnelli sententia auctorem Vitæ præferente, hæc subjicit ad an. 445, n. 14 : *Verum Papebrochius longe rectius statuit potiorem in hujus causæ narratione esse auctoritatem S. Leonis, quam auctoris Vitæ S. Hilarii : quia Leo tam sanctus fuit ut mentiri nollet, tam antiquus ut* B *nemo propinquior haberi possit testis hujus rei cui interfuit, quamque ipse ut* **903** *judex gessit. Præterquamquod auctori Vitæ S. Hilarii injuria non magna fieret, si diceretur in iis quæ Romæ gesta erant anno 445, ex auditu et relatu Arelatensis cleri post annos viginti, aut triginta narrandis scripsisse minus vera : magna autem fieret S. Leoni, si vera scripsisse dubitaretur in epistola ad episcopos Viennensis provinciæ. Cum enim istum possit excusare bona fides audita referentis, Leo non posset non damnari impudentissimæ calumniæ falsa scribens : quis, obsecro, intelligens quam sanctus vir Leo fuerit, huic dubitabit dare fidem, illi quamvis sancto contraria scribenti derogare? Hæc Papebrochius..... Profecto qui animum attenderit ad ea quæ pluribus sanctis viris contigere in his referendis, quibus ipsimet præsentes non fuere, S. Honoratum de iis quæ Romæ in causa Celidonii coram S. Leone gesta fuerant, male edoctum fuisse non dubitabit.* Affert autem exemplum S. Aviti in Macedonii Constantinopolitani episcopi sibi coævi causa scribentis, et concludit : *Ho-* C *norato itaque Massiliensi episcopo idem quod Avito Viennensi metropolitæ accidit; et quemadmodum hic de Macedonii causa, sic et ille de causa Leonis* (seu Celidonii) *relationem parum sinceram habuit.*

4. Leo quidem facta testatur quæ Romæ se et multis aliis præsentibus gesta fuerant, atque testatur non in privato scripto, quod a nullo posset revinci, sed in publicis litteris, et ad ipsos quidem Viennensis provinciæ episcopos missis, inter quos Hilarius vivebat; a quo poterat error vel calumnia detegi, si quid falsi illis insertum fuisset. Auctor vero Vitæ non tam post utriusque obitum scripsit, verum etiam multos post annos, et quæ de Romanis gestis inseruit, non sumpsit, ut affirmat Quesnellus, ex actis ipsis, quæ nullibi ab eo lecta indicantur; quæque si etiam legisset, cum in Gallias Leo ipse ea pariter miserit, suæ epistolæ contraria credi nequeunt : sed sumpsit ex relatione Arelatensium, quos suo episcopo bene affectos et rerum Romæ gestarum haud exacte instru- D ctos quædam ignorasse, quædam falso rumore perperam accepisse, quædam etiam cursu temporis (ut in populari fama accidere solet) addidisse, detraxisse ac immutasse credibile est. Quis ergo sancto pontifici rei coram se gestæ publicam fidem facienti Hilario vivente anteponendum censeat scriptorem post multos annos scribentem ex relatione populari?

5. Quoad suppositionis vero notam Vitæ S. Romani æque ac Vitis SS. Lupicini et Eugendi ab eodem auctore scriptis impactam, nullus qui objectas censuras expenderit, cum Quesnello consentiet. Hinc non solum Pagius eas Vitas vindicat, verum etiam Tillemontius, licet in hac ipsa Hilarii controversia Quesnello maxime faveat, de Vita S. Romani art. 1 pronuntiat : *Ainsi nous avons peu d'histoires qu'on puisse dire être plus authentiques que celle-ci;* et notatione prima potioribus Quesnelli objectis respondet iis prætermissis quæ nulla probatione fulciuntur. Mabillonius etiam, quem criticæ peritissimum nemo ignorat, tum in Actis SS. ordinis S. Benedicti, tum in Annalibus eam pro sincera habet.

6. Cum anonymus Vitæ auctor Jurensis monachus ac S. Eugendi discipulus, post initium sexti sæculi scripserit, vocabula quæ in Vitis ab eo scriptis leguntur, nimirum *repausare* et *repedare, religio* et *religiosus* pro monachorum ordine et monacho, *pater Romanus* et *pater Lupicinus* eo sensu quo nunc utuntur monachi, *sacerdos* sine addito *secundi ordinis* pro presbytero, et *patriarcha* pro metropolitano, vel potius episcopo (siquidem Vesontionensis merus episcopus fuit) ab usu ejus ævi nimis aliena Quesnellus obtrudit. SS. Petri, Pauli et Andreæ reliquias Romæ monachis traditas, et *dalmaticæ* usus a sæculi illius moribus abhorrere tradit; ac, ut cætera leviora prætereamus, *canonicum cursum* vocatas ingerit horas canonicas, quas tunc nec canonicas appellatas, nec ullo canone indictas affirmat.

B 7. Pagius hæc singula refutat egregie, allatis aliquot ejusdem circiter temporis testimoniis, in quibus similes voces eodem sensu inveniuntur. Omittit solam vocem *patriarchæ*, cui tamen potest reponi Athalarici Gothorum regis testimonium apud Cassiodorium l. IX, epist. 15, et duo alia ex Vandalorum locutione apud Victorem Vitensem l. II, n. 5 et 18. Vitæ auctor, cum scripsit, degebat inter Burgundiones tum Sequanæ dominos, qui forte eadem voce æque ac Gothi et Vandali utebantur. Quoad reliquiarum objectionem, non nihil **905** animadvertere liceat. Recepta responsio est, S. Gregorium Magnum, cum reliquias nec Romæ nec in toto Occidente licuisse tangere aut loco movere affirmat, disciplinam quidem proferre sui circiter temporis, non vero ætatis aliquanto anterioris; cum non tam in Oriente quam in Occidente plures elevationum aut translationum casus Mabillonius recenseat in præfat. ad sæculum II, num. 43. Munera etiam reliquiarum insignia S. Gaudentius commemorat serm. 17, S. Paulinus Nolanus in Natali II de S. Fe- C lice, et in Vita S. Ambrosii alius Paulinus, præter illud quod in ipsa Roma sub Hormisda accidisse ex Vita S. Eleutherii Tornacensis Pagius refert. Nos vero aliam fortassis probabiliorem responsionem afferemus. In suggestione legatorum ad Hormisdam, quæ describitur tom. V Concil. edit. Venetæ pag. 645, observamus eam quidem inculcari Romanorum consuetudinem, ne sanctorum corporum particulas dono traderent; sed eorum loco mitti solebant *sanctuaria*, id est, lintei, olea, panni, velamina thecis custodita, quæ sanctorum corpora aut tumulos attigissent. Hæc vero sanctuaria vocabantur etiam *reliquiæ;* unde in laudata suggestione scribitur Justinianum hoc sibi satis judicasse si in ea Romanorum consuetudine *de ipso fonte de quo per omnem terram sanctuaria apostolorum sunt data, inde et ipse reliquias suscipere mereatur;* ubi ex contextu *reliquiæ* apostolorum appellantur sanctuaria, quæ sola ut ad eum mitterentur legati Hormisdam rogarunt : *Sanctuaria* D *sanctorum apostolorum Petri et Pauli, secundum morem, ei largiri præcipite.* Similiter etiam Gregorius in eadem epist. 30, ad Constantinam Augustam, quam Quesnellus laudat, cum inquit : *Romanis consuetudo non est, quando sanctorum* RELIQUIAS *dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore; sed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad sacratissima sanctorum corpora ponitur;* ipsa *brandea*, seu *sanctuaria* manifeste *reliquias* appellat. Frequens est apud eumdem pontificem *sanctuariorum* simul et *reliquiarum* promiscua usurpatio, ut videre est epist. 54 lib. I, epist. 15 lib. IX, et alibi *reliquias* in Ecclesiis dedicandis adhibendas memorans, ex Romano more eadem sanctuaria procul dubio intelligit. Ita etiam lib. II Dialog. c. 38, *reliquias* pro sanctuariis aperte accipit, in quibus nulla ipsorum corporum particula continebatur : unde jure collegit Muratorius tom. II Anecdot. Latin. disquisit. in indicem sanctorum martyrum pag. 196 : *Hinc edocemur reliquiarum nomen*

non cineribus tantum, sed ipsis etiam rebus quæ sanctos viros eorumve tumulos attigissent, tributum fuisse. Sic reliquiæ tum *ossa*, tum *sanctuaria* dicebantur. Immo per hæc tempora *reliquiarum* nomine, intactis ex Romana hujus ætatis disciplina sanctorum corporibus, sola *sanctuaria* intelligebantur. Hæc igitur *sanctuaria* probabilius intelligendæ videntur illæ *apostolorum Petri, Pauli atque Andreæ reliquiæ*, illa *sanctorum patrocinia*, seu *reliquiarum vascula sub altari inclusa*, de quibus in Vita S. Eugendi c. 9 sermo est, ut nihil exinde vel contra Romanam consuetudinem vel præter ejus ævi locutionem deduci possit. Quoad cursum canonicum modo non dissimili utitur Fortunatus ejusdem sæculi scriptor in Vita S. Germani episcopi Parisiensis, dum *cursum universum consummatum* prodit *ex canone*. Opponit Quesnellus S. Gregorium Turonensem recentiorem facere S. Romanum quam hujus Vitæ auctor. At nihil in hanc rem probandam allegat, et nihil quidem afferri posse Tillemontius affirmat, nisi duorum Chilpericorum æquivocatio fucum faciat. In iis autem narrationibus, quibus alter ab altero nonnihilum videtur discrepare, nemo posterioris ævi Gregorium Turonensem præferet, quem non in omnibus prorsus exactum invenies. Cætera Quesnelli objecta cum exiliora sint, responsione non egent.

8. Tantum vero abest in textu, qui Celidonii causam attingit, aliquid aut in verbis aut in rebus ab ea ætate alienum reperiri, quin potius voces *patricio præfectorioque fultus favore* eidem textui insertæ cum locutione et historia hujus facti maxime congruant, et auctorem rei gestæ apprime instructum referant. Armata enim manu Hilarium usum et Leonis epistola, et Valentiniani Novella testantur; *patricio* vero adjectivum indicat Aetium patricium et utriusque militiæ magistrum; *præfectorio* autem innuit præfectum prætorio Galliarum Hilario faventem : quæ duplex accurata dignitatum mentio nec a Leone nec ab imperatore explicata, non annotatorem posterioris ætatis, sed hominem **907** rebus gestis vicinum, et ex aliis peculiaribus monumentis vel testibus probe informatum exhibet. Fuit enim hic anonymus Vitæ auctor discipulus S. Eugendi, qui a S. Romano rei gestæ coævo educatus, ab eodem Celidonii factum audire, et anonymo discipulo tradere potuit; unde hujus auctoritas in hac ipsa de Celidonio narratione maximi facienda est.

9. Antequam finis huic capiti imponatur, notare libet aliud objectum leviusculum quidem per sese, ac refutatu facillimum, at multis falsis præjudiciis vestitum, quæ ne cui fucum facerent, dissimulanda non fuerant. Censura dignum et falsum traduxit Quesnellus n. 5, quod Leonis epistola adversus Hilarium ab auctore Vitæ dicatur *inserta canonibus*, hoc est *canonum codici, ut interpretari licet*. Tres autem tantum memorat codices, seu collectiones canonum, in quibus illa non reperitur. At imprimis ea epistola inveniri potuit in particulari collectione alicujus Ecclesiæ Viennensis provinciæ, aut in aliquo codice ipsius Vesontionensis Ecclesiæ, ad quam non minus ipsa epistola quam Jurensis monachus Vitæ auctor pertinebat; aliquot enim Ecclesiis suas peculiares collectiones fuisse ex celebri Arelatensi codice liquet, in quo solo plures decretales pro Ecclesia Arelatensi datæ continentur. Quid porro? Error Quesnelli ei hypothesi nititur, qua nullas collectiones sexto sæculo exstitisse existimat nisi *auctoratas*, id est, publica auctoritate editas, quæ pro lege susciperentur : id enim innuunt illa : *Cum nullæ tunc auctoratæ collectiones existerent, quibus inserta esset laudata Leonis epistola*. Tres autem tantummodo hujus generis collectiones se cognoscere affirmat, illam scilicet abs se editam ac Leoni tributam, Dionysianam, et Gallicanam, in quibus præsens epistola minime legitur. Gallicanum autem codicem canonum neque hanc epistolam, nec ullas alias decretales continuisse pronuntiat. Falsum primo est sexto sæculo nullas collectiones fuisse nisi *auctoratas*, cum plures eodem sæculo prodierint privatorum hominum studio. Ipsa Dionysii Exigui collectio hoc sæculo ineunte privatim vulgata, solum multo post auctoritatem obtinuit. Collectionem ab ipso Quesnello editam, non Romanæ Ecclesiæ codicem, sed privati Gallicani hominis opus esse alibi demonstrabimus. Quid autem Gallicanæ collectionis nomine intelligat, haudquaquam exponit. Plures quidem hujus ævi nobis sunt notæ, quas mox indicabimus; at omnes publica approbatione carent. Quod si Gallicani codicis nomine has Gallicanas privatas collectiones accepit, falsum, immo falsissimum est, nulla Romanorum pontificum decreta in iis contineri. Non solum enim in antiqua Gallicana collectione, quam Quesnellus edidit, plures decretales pontificum describuntur, verum etiam in antiquissimo codice Corbeiensi, quo idem Quesnellus est usus, quique Vigilii ætate scriptus, Gallicanam collectionem certissime exhibet, ut idem Quesnellus fatetur dissert. 16, num. 4 et 12. Codex etiam Morbacensis a pluribus laudatus, aliusque huic similis Vaticano-Palatinus 574, in quibus collectio mere Gallicana habetur, et perantiquus codex Veronensis 59, qui abbreviationem collectionis Gallicanæ præfert, non paucas decretales repræsentant. Idem est de celebri Colbertino codice Fossatensi, qui item est Gallicanus. Fatetur Quesnellus *hæc decreta* (Romanorum pontificum) *magni fecisse, et pro data occasione usurpasse in suis conciliis Galliarum antistites*. Nisi ea omnia, quod incredibile est, tenerent tantum memoriter, utique ex codicibus data occasione repetebant. Ipsum S. Hilarium in Celidonii causa summorum pontificum litteris usum indicat auctor Vitæ cap. 16, ubi nuptias cum vidua arcere a clero tradit, quippe id *apostolicæ sedis auctoritas et canonum prohibent statuta*. Sed quid pluribus laboramus, si idem Quesnellus melius fortassis edoctus, cum dissertationem 16 scripsit, num. 4 et 12, diserte probat codices canonum apud Gallicanos olim fuisse etiam ante Dionysium, qui decretales epistolas summorum pontificum canonibus insertas continerent? Forte vero cum is ejusmodi codicem in præmissa dissertatione negavit, codicem *auctoratum* publica Gallicanorum antistitum auctoritate probatum (de quo tamen auctor Vitæ S. Romani non loquitur) intellexit, nec tamen inficiari voluit eas ab aliis privatis canonum codicibus abfuisse. Enimvero cum plures privati ejusmodi codices exstiterint, in aliquo ex his negari nequit inserta decretalis Leonis in Celidonii causa. Quesnellus quidem in laudata dissertatione 16 non inficiatur; quin ex concilio Aurelianensi III **909** an. 538, ubi can. 3 ipsa Leonis verba ex cap. 5 hujus epistolæ exscripta leguntur, hanc *in codice tunc usurpato per Gallias* fuisse insertam colligit. Immo adeo his codicibus inserta fuit, ut ex solis mss. collectionibus Gallicanis ad nos pervenerit; invenitur enim in solis exemplaribus antiquissimæ collectionis Corbeiensis, et collectionem 12 ac 24, quæ Gallicanæ sunt, ut alibi ostendimus : unde tota Quesnelli ratiocinatio ad laudatum testimonium refellendum inutilis est. Vindicata igitur authenticitate et auctoritate narrationis ad rem nostram pertinentis, quæ legitur in Vita S. Romani, episcopalem Celidonii sedem, quæ ex hac Vita eruitur, disertius statuamus.

CAP. II. *Celidonus Vesontionis episcopus constituitur.* —1. Quantum intersit cognoscere cujus Ecclesiæ Celidonius episcopus fuerit, ipsa Quesnelli fusior in hoc disputatio satis declarat. Cum enim is præsumat Hilarium haud facile posse excusari si episcopum sibi non subditum judicavit atque deposuit, Celidonium non Vesontionensi Ecclesiæ extra jus Hilarii positæ, ut post editum testimonium ex Vita S. Romani omnes consenserant, sed alicui sedi provinciæ Viennensis præfuisse, multis probare contendit. Hinc laudatam S. Romani Vitam, quæ episcopatum Vesontionensem eidem expresse tribuit, aut supposititiam, aut saltem interpolatam primum ostendere, et Vesontionensem

episcopatum ab eo excludere; dein vero eumdem episcopum Hilario subditum constituere, et in hanc rem Arelatensis episcopi metropoliticum jus vindicare pluribus capitibus nititur. Cum vero S. Romani Vitam a Quesnelli objectis purgatam superiori capite sincerissimam demonstraverimus, Vesontionensis Celidonii episcopatus in Maxima Sequanorum constitutus, ab omni jure Hilarii sepositus satis exinde cognoscitur. Idipsum autem aliis documentis plenius confirmare licet.

2. Alienæ quidem provinciæ, quæ Hilario non suberat, Celidonium fuisse episcopum etsi non aperte affirmet Leo, Valentinianus tamen imperator, qui ex Leonis relatione Novellam dedit, non obscure indicat, cum de Hilario queritur: *Alios incompetenter removit.* Hæc Celidonium ab Hilario depositum respiciunt, et adverbium *incompetenter* notat judicem, qui in non subditum incompetens judicium exercuit. Utri potius credendum sit, imperatori neganti Celidonium Hilario subditum, et neganti in publica lege, quæ nec a Quesnello vocari potuit in dubium, an Quesnello, qui pluribus quidem capitibus eum subditum probare contendit, at nullum antiquum testimonium Novellæ contrarium producit, sed solis conjectatiunculis, quibus facile indulsit, laborat ea in hypothesi, quod non fuerit Vesontionensis episcopus, et quod apocrypha vel falsata sit S. Romani Vita; utri, inquam, citius credendum sit, quisque judicet. Non ergo una hæc Vita episcopatum Celidonii a jure Hilarii removet, sed ipsa imperatoris Novella, cui Quesnellus nihil reposuit. Cum igitur Celidonii episcopatus vi hujus Novellæ Hilario non competens, extra Viennensem provinciam quærendus sit, qua in urbe eum situm credemus, nisi Vesontione, ubi illum figit Vita S. Romani, quam sinceram ostendimus? Ita ex eadem Novella Quesnelli sententia Viennensis provinciæ episcopatum Celidonio asserens palam refellitur, et episcopatus ejus Hilario minime competens maxime confirmatur.

3. Duo alia testimonia hoc idem comprobantia subnectamus. Primum ipse auctor Vitæ S. Hilarii hæc tradit c. 16: *In excursibus autem quis, ut dignum est, explicabit quantum ejus* (Hilarii) *præsentia profectum contulerit civitatibus Gallicanis, sanctum Germanum sæpius expetendo, cum quo sacerdotum ministrorumque vitam nec non profectus excessusque tractabat? Ubi ejus adventus innotuit, flammata ad utrumque nobilium et mediocrium studia convolarunt, astruentes Celidonium internuptam suo adhibuisse consortio*, etc. Quesnellus ita hæc interpretatur c. 1, ac si S. Hilarius in visitatione Ecclesiarum sibi subjectarum in sua Viennensi provincia, comite uteretur S. Germano Autissiodorensi episcopo; cumque utrique simul ad aliquam ejusdem provinciæ **911** civitatem pervenissent, eo sese ex vicina aliqua ejusdem provinciæ urbe accusatores Celidonii contulerint. Hac autem interpretatione Celidonii episcopatum in eadem provincia situm insinuat. Verum ipsa textus verba *S. Germanum sæpius expetendo* hunc ab Hilario Autissiodori sæpius conventum palam significant; et hoc pariter sensu ea intellexit Tillemontius art. 14 Vit. S. Hilarii tom. XV, pag. 71, scribens: *Saint Hilaire donc alla voir saint Germain d'Auxerre, comme il faisait assez souvent; dès qu'on sut qu'il y était arrivé, diverses personnes illustres et d'autres moins qualifiées vinrent faire à ces deux saints de grandes plaintes contre Quélidoine.* Hic igitur textus indicat locum Autissiodoro proximum fuisse episcopalem Celidonii urbem, ex qua non tam *nobilium* quam *mediocrium studia* Autissiodorum *convolarunt*, cum ibi S. Hilarium reperiri auditum fuit: longius enim iter arripere non fuisset omnibus commodum. Si Celidonius episcopatum alius urbis in provincia Viennensi suscepisset, ejus accusatores Arelatem facilius quam Autissiodorum in Lugdunensi quarta Senonia positam perrexissent. Porro Vesontio ab Autissiodoro non multum distat. Hinc etiam intelligitur cur hoc Hilarii judicium in eadem Vita refe-

A ratur veluti consequens eorum excursuum quos idem sanctus extra suam diœcesin peragebat, et cur computetur inter fructus qui *Gallicanis* civitatibus provenerant.

4. Aliud testimonium sumi potest ex inscriptione epistolæ S. Leonis, quam in veteri codice invenit Jacobus Sirmondus, cujus hæc verba sunt: *In vetere scheda* (in margine editionis Conciliorum *VV. CC.*, id est *veteres codices*, seu saltem *vetus codex* citatur) *sequens epistola non ad Viennensis tantum provinciæ, sed etiam ad Maximæ Sequanorum episcopos missa inscribitur hoc modo: Dilectissimis universis episcopis per provincias Maximam Sequanorum, et Viennensium constitutis Leo.* Ideo in *Maximam Sequanorum*, cujus caput erat Vesontio, hæc decretalis missa fuit, quia de Celidonio Vesontionis episcopo agebatur, ita ut ad eam provinciam hæc decretalis maxime pertineret. Hanc proinde inscriptionem magnum pro Vesontionensi Celidonii episcopatu argumentum Tillemontius fatetur not. 3 in Vit. Hilarii, pag. 845. Quesnellus B vero, suo more, cap. 3, exiles aliquot conjecturas agglomerat, ut huic inscriptioni fidem detrahat. Omnia exemplaria tam excusa quam manu exarata appellat, quæ hanc inscriptionem ignorant. Sed omnes editi ex Merlino proficiscuntur. Nemo præterea codicibus usus est, nisi Sirmondus et Quesnellus. Omnes autem hujus Leoninæ epistolæ codices, quos tam magnifice prædicat, revocantur ad tres ab eodem memorati in observationibus ad eamdem epistolam, ex quibus duos fatetur similes Corbeiensem et Thuaneum collectionis 2, tertium Victorinum, quem pertinere ad collect. 24 aliunde cognovimus. Plures nos vidimus duarum posteriorum collectionum 12 et 24, at omnes unius sunt originis, ut ex variantibus ferme similibus liquet. Hi autem omnes mss. libri, qui inscriptione carent *Maximæ Sequanorum*, ex eo autographo proveniunt quo hæc decretalis ad solos Viennensis provinciæ episcopos missa fuit. Sirmondi autem peculiaris codex, qui inscriptionem diversam *Maximæ Sequanorum* C præfert, aliam antiquissimam originem demonstrat. Plura quidem exempla ejusdem epistolæ cum variis inscriptionibus ad episcopos diversarum provinciarum ab ipso Leone missa fuisse inde cognoscimus, quod licet S. Leo scribens c. 2 *vestræ provinciæ sacerdotibus*, unius tantum provinciæ mentionem faciat, eo quod episcopos cujusque provinciæ, in quam peculiari exemplo ac titulo directa erat epistola, alloquatur, plurium tamen provinciarum simul meminit, et ad earum episcopos etiam sermonem dirigit c. 6: *Omnem dissensionis materiam de vestris provinciis removete;* et c. 9: *Non enim nobis ordinationes vestrarum provinciarum defendimus.* Et ne de pluribus provinciis regionariis seu civilibus hæc dicta credantur, sed de pluribus ecclesiasticis, quæ diversis metropolitis suberant, perpendantur illa c. 6: *Ordinationem sibi.... singuli metropolitani suarum provinciarum cum his qui cæteros sacerdotii antiquitate præveniunt, sibi per nos jure defendant.* Cum ergo de restituto plurium D provinciarum metropolitis jure agatur, et ad plurium provinciarum episcopos sit sermo, impossibile est utique hanc epistolam ad solos episcopos provinciæ Viennensis fuisse transmissam, sed eodem exemplo cum diversis inscriptionibus, **913** uti fieri solebat, cuilibet provinciæ congruentibus tradita dici debet ad omnes quorum intererat; ac proinde nihil est cur ex inscriptione vulgata, quæ solam provinciam Viennensem præfert, repudietur veluti supposititia inscriptio Sirmondiani codicis, quæ *Maximam Sequanorum* repræsentat. Quod si negari nequit ob Projectum, quem cum Quesnello Narbonensis primæ episcopum probabilius videbimus, eam decretalem missam fuisse ad episcopos hujus provinciæ, licet hanc inscriptionem nullus codex ad nos transmiserit, et ob articulum Leontii, qui conciliis variarum provinciarum præses instituitur, ad omnes harum episcopos pari ratione traditam negari non potest; multo minus negandum erit eam fuisse directam ad antistites Maximæ

Sequanorum, quorum inscriptionem Sirmondianus codex servavit. Id autem accidit ob Celidonium, de quo in ea decretali agitur; ac propterea is ad eam provinciam pertinuisse, ac Vesontionensis fuisse episcopus cognoscitur. Hinc non immerito Vesontionensis Ecclesiæ tabulæ Celidonium hoc tempore episcopum, eodemque tempore Importunum eidem suffectum, et postea restituto Celidonio depulsum veluti pseudoepiscopum referunt; quod in nullis aliis aliarum Ecclesiarum documentis legitur. Omnia igitur monumenta, Vita S. Romani, imperatoris Novella, ipsa S. Hilarii Vita, et inscriptio Leoninæ epistolæ Celidonii episcopatum Vesontionensem comprobant. Quesnellum sine ullo documento negantem quis audiat?

5. Neque contra tantam auctoritatem moveant illa Leonis verba ex c. 3 epistolæ, a Quesnello objecta cap. 3, n. 2: *Mansisset namque in illum* (Celidonium) *prolata sententia, si objectorum veritas exstitisset*. Hic Hilarii jurisdictionem in Celidonium Leo fateri videtur, ac proinde ipse Celidonius non extra Hilarii provinciam in maxima Sequanorum, sed in Viennensi episcopus constitutus creditur. Sed perperam. Cum enim Celidonium Vesontionis episcopum et extra jus Hilarii fuisse omnia antiqua documenta hactenus considerata certum efficiant, *mansisset* sententia in Celidonium non jure Hilarii, quem *incompetentem* judicem ex relatione Leonis ipse imperator in Novella prodidit, sed vel jure aliorum episcoporum ejusdem provinciæ Celidonii, qui in concilium acciti fuerant (*convenisse enim probatissimos sacerdotes* auctor vitæ Hilarii tradit), vel potius facto, quatenus idem Leo, *si objectorum veritas exstitisset*, non absolvisset Celidonium, sed depositionem ipsius alias irritam jurisdictionis defectu, at canonibus suffultam, in custodiam eorumdem canonum sua sententia ratam fecisset. Ita enim de prolato in Celidonium judicio, *quod tamquam viduæ maritus sacerdotium tenere non posset*, testatus fuerat paulo ante: *Quod nos quidem servantes legalia statuta, sollicitius voluimus custodiri, non solum circa sacerdotes, sed circa clericos quoque minoris officii*.

6. Minus multo movere debet quod Quesnellus eodem capite n. 5 ingerit de Maxima Sequanorum Burgundionibus, ut putat, subjecta, quos Romanis inimicos Hilarii Romani metropolitæ judicium minime permissuros fuisse affirmat. Sed Hilarii tempore nec Burgundiones Romanorum hostes, nec Maximæ Sequanorum dominos fuisse cum indicavimus annot. 1 (*Col.* 431, *n.* a) in cap. 1, tum vero luculentius Antonius Pagius et Tillemontius probarunt.

7. Constituto ex hactenus dictis Vesontionensi Celidonii episcopatu, et confutatis iis quæ pro eo excludendo Quesnellus attulit c. 2 et 3, nihil opus est ea expendere vel refellere, quæ pro statuendo jure Hilarii in totam provinciam Viennensem fusius subjecit a cap. 4 usque ad 13; hæc enim ad præsentem de Celidonio controversiam nihilum pertinent, nisi in hypothesi quod episcopatus ejus Vesontionensis apte expunctus fuerit. De his tamen, quæ nunc pertransimus, redibit sermo parte II, c. 3, ubi Projecti causa opportunam eorum animadversionem revocabit.

8. Interim hæc prima est in Celidonii quæstione adversus Hilarium censura, quod in episcopum a sua provincia remotum judicium sibi minime competens usurpaverit; unde ipse Quesnellus sub finem cap. 1 scripsit: *Tamquam alieni juris invasor ab omnibus pene scriptoribus exagitatur, propterea quod Celidonium episcopum non modo innocentem, sed et ad se nullatenus pertinentem deponere ausus fuerit*. Multo autem major esset hæc accusatio, si Celidonius non simplex episcopus fuisset, sed metropolita, ut nonnulli existimant ex illis **915** potissimum Vitæ S. Romani verbis. *Celidonium supradictæ metropolis* (Vesontionis) *patriarcham*. At non omnino cogunt. Nam vox *patriarcha*, sicut apud Gothos et Vandalos pro simplici alicujus civitatis episcopo accepta pernoscitur ex Cassiodorii et Victoris Vitensis testimoniis, quæ cap. 1 indicavimus, ita eodem sensu potuit accipi etiam a Burgundionibus, qui, dum auctor Vitam scribebat, in Maxima Sequanorum dominabantur, et ex inducta apud eosdem locutione idem auctor *patriarcham* poterat appellare Celidonium præcipuum suæ regionis episcopum, etsi nullo metropolitico jure frueretur. Vesontionenses quidem antistites adhuc in synodis posterioribus sæculi VI non inter metropolitanos, sed inter simplices episcopos subscripti leguntur. Vide inter alia synodum Matisconensem anni 585. Metropolim autem laudatus Vitæ auctor vocavit Vesontionem civitatem primariam Sequaniæ, eo quod in civili dispositione hujus provinciæ metropolis esset, ut ex notitia Galliarum manifestum est.

9. Sed sive episcopus sive metropolita fuerit Celidonius, mala erit semper Quesnelli defensio, qua illum a Vesontionensi episcopatu removere nisus est. Æquior Hilarii apologia hac in parte fuisset illa qua Quesnellus sub finem cap. 2 usus est, ut eum ab usurpato alieno jure purgaret in ordinando S. Romano presbytero non longe a Vesontione; nimirum id Hilario licuisse ait ex consensu, qui præsumendus est, Eucherii Lugdunensis ejus amicissimi, in cujus ditione fuisse creditur (sicuti est hodie) monasterium Jurense. Cum ad judicium Vesontione convenerint ex aliis locis sacerdotes, teste Hilarii Vita, eoque etiam profectus videatur S. Germanus Autissiodorensis, qui cum Hilario accusatoribus præceperat ut pararent testes, ille ex comprovincialium consensu et cum eorum etiam judicio Celidonium deposuisse videri potest, et forte etiam ex Eucherii metropolitani assensu, siquidem Vesontio nondum ecclesiastica metropolis Lugdunensi episcopo suberat: aliquos enim metropolitanos *plus gratiæ tribuentes personali privilegium sibi debitum* in Hilarium *transtulisse* S. Leo queritur c. 6.

Cap. III. *Depositio Celidonii per Hilarium, et ejusdem restitutio per Leonem expenduntur.* — 1. Hæc duo judicia quoad substantiam atque naturalem justitiam primum expendenda sunt. Vitæ Hilarii auctor judicium ejus ita describit c. 16, ut nihil æquius appareat. Duo impedimenta Celidonio accusatores objecisse traduntur, *astruentes ipsum internuptam suo adhibuisse consortio... simul ingerentes sæculi administratione perfunctum, capitali aliquos condemnasse sententia*. Tum de judicio additur: *Conveniunt ex locis probatissimi sacerdotes* (quod concilii speciem exhibet). *Res omni ratione prudentiaque discutitur. Accusatio testimoniis confirmatur. Adhibetur vera simplexque definitio, ut quem Scripturarum regulæ removebant, voluntate propria se removere deberet.* Utrum Celidonius huic judicio interfuerit, vel, si interfuit, num nihil reposuerit testibus contra se adductis, nullibi dicitur. Immo ejus appellatio mox subsecuta, et multo magis contrarii testes in Romano judicio allegati satis ostendunt ei non defuisse quod reponeret, ac propterea quo jure eum *convictum* Quesnellus affirmaverit c. 1 ignoramus. Appellatio autem ad pontificem his verbis exprimitur: *Ille* (Celidonius) *Urbem credidit expetendam, ibique se injusto rigore arguit condemnatum*. Hæc valde ambigua sunt: videri enim potest Celidonius non negasse omnino objecta impedimenta, at de nimio et injusto rigore sententiæ tantummodo fuisse conquestus. De falsitate autem accusationum et de injustitia judicii apud pontificem querelas manifeste interposuit. Hilarius Romam pariter perrexit, et gestorum seriem suggessit. Porro Leonis judicium ex epist. 10, c. 3, liquet. Habitum fuit *sanctorum concilium sacerdotum*, adhibiti testes Hilario præsente, et ita pro Celidonio respondentes, *ut quod Hilarius* cum episcopis *residens posset opponere, non haberet*. Interrogatus in eodem consessu, *rationabile quod posset respondere non habuit*; sed *ipse* **917** *se suis responsionibus innodabat*. Tandem, uti traditur c. 7, *cum quæreretur ab*

causam, turpi se fuga credidit subtrahendum. Ita remotum fuit ejus judicium, et Celidonius suæ Ecclesiæ restitutus. Omisimus Leonis querelas adversus Hilarium, quem eodem c. 3 ea locutum prodit, *quæ nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum posset audire*, et c. 2 *ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantibus minuentem* affirmat; nec quo sensu hæc ab Hilarii defensoribus explicentur nunc expendimus : ad justitiam enim judicii circa Celidonium, de qua una nunc agimus, hæc nihil pertinent, et paulo post opportuniori loco observabuntur. Ex ipsa autem simplici narratione quam proposuimus quis Leonini judicii æquitatem non videat? Hanc confirmat Valentinianus in Novella, ubi Celidonii depositionem ab Hilario factam non obscure reprehendit. Hanc exploratius testatur anonymus Jurensis in Vita S. Romani de Hilario affirmans : *A sede episcopali memoratum Celidonium nulla existente ratione dejecerat.* Quod si Celidonius inter sanctos accersitus creditur, ut ex Vesontionensis Ecclesiæ tabulis Chiffletius indicat, alia non levis confirmatio accederet. Virum enim sanctum voluisse non modo Leonem falsis testibus decipere et injustam sententiam subripere, verum etiam contra conscientiam episcopatum retinere usque ad mortem, a quo omni lege arcebatur, incredibile est.

2. Neque opponi videtur auctor Vitæ S. Hilarii. Licet enim c. 16 *definitionem* (id est judicium hujus in Celidonium) *veram et simplicem* affirmaverit, tamen c. 17, indicans judicium Leonis judicio Hilarii contrarium, protestatur se *non audere tantorum virorum judicia ventilare:* quod qui non audet, profecto Leonis judicium si non probat præ judicio Hilarii, certe non improbat. Subdit tamen nonnulla quæ Leonis narrationi contraire, et veritatem ac rationem Hilario, præoccupationem et deceptionem Leoni tribuere videntur. Inquit enim : *Hoc breviter tetigisse sufficiat, quod solus tantos sustinuit........ quod inquirentes edocuit, quod altercantes vicit..... et quod quos ratione non flexerat, credidit relinquendos.* Si hæc referantur ad Hilarii actionem in Celidonii causa, dum Hilario præsente ea Romæ agebatur, ex Leonis testimonio falsissima sunt; non solum enim Hilarius non *edocuit inquirentes*, nec *altercantes vicit* in hac causa, verum etiam non habuit quod Celidonio ac testibus *posset opponere*, nec *quidquam rationabile quod in sanctorum concilio sacerdotum posset respondere;* ac propterea non reliquit *quos ratione non flexerat*, sed potius ab iis se subduxit *quæsitus ad causam*, quos ratione non poterat flectere, cum quod rationabile responderet, vel opponeret, non haberet. In hac autem hypothesi quatenus Leonis testimonium testimonio auctoris Vitæ, ubi invicem pugnare creduntur, præferendum sit, cap. 1 ostendimus ; idque multo magis ex eo confirmatur, quod non solus Leo de justitia sui judicii testatur, verum et Valentinianus imperator, et anonymus Jurensis auctor Vitæ sancti Romani.

3. S. Leo in memoratis litteris ea de S. Hilario refert quæ non solum publice gesta fuerant, verum etiam gestis publicis videntur inserta. Præmisit enim initio ejusdem cap. 3: *Quæ igitur apud nos in causa Celidonii episcopi gesta confecta sint, et quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem, præsente supradicto episcopo audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat.* Et mox gestorum veluti compendium subjicit, in quo sunt ea quæ superius retulimus. Hæc igitur Leo de Hilario scribens, quæ in publico judicio actis ipsis tradita videntur, et ad episcopos Gallicanos scribens ipso Hilario vivente, qui si falsum aliquid in epistola fuisset enuntiatum, allegatis ipsius concilii Romani Patribus ac gestis potuisset revincere, vera procul dubio scripsisse præsumendus est citius quam Vitæ auctor, qui et Hilario et Leone mortuis de re cui ipse non interfuit, non ex publicis gestis, sed ex relatione eorum qui Hilario favebant, subobscure scribens, ipsam rem potius involvit quam exposuit.

4. Diximus *involvit :* consideranti enim diligenter totum contextum, in quo non solum autor a ferenda sententia de Leonis ac Hilarii judiciis in Celidonii causa se subtrahit, verum etiam Hilarium se ab eadem causa agenda subduxisse indicat ; quo ea verba referantur, et quid peculiare insinuent, incertum erit. Neque enim facile intelligetur, quatenus absque contradictione et inani **919** jactantia scribi potuerit S. Hilarium *edocuisse* et *vicisse* utique ratione, *quos ratione ne flexisse* quidem traditur; si utrumque ad eamdem de Celidonio quæstionem et ad easdem personas referendum sit. Idem auctor Vitæ præmiserat Hilarium Leoni statim ab initio dixisse se *ad officia, non ad causam venisse, protestandi ordine, non accusandi, quæ sunt acta suggerere.* Hæc Quesnellus arripiens contendit hunc declinasse omnem actionem et disputationem in ipsa Celidonii causa coram pontifice, propterea quod causa in Galliis definita novo judicio Romæ ventilari ac discuti Ecclesiarum Gallicanarum, uti putat, consuetudo vetaret. Vide partem tertiam Quesnellianæ dissertationis c. 3, ubi hac de causa et hoc sensu verum non diffitetur, quod S. Leo affirmavit, Hilarium *nihil habuisse quod responderet*, nimirum, ut ille explicat, *non ex juris penuria, nec ex probationum defectu, nec ex loquendi difficultate, sed inde quod Leonis facto solita judiciorum Gallicanorum forma immutabatur*, cui Hilarius præjudicare noluit. Quid de hac interpretatione et de toto hoc systemate, quo jus apostolicæ sedis impetitur, sentiendum sit, paulo post erit sermo. Nunc sufficit ipsos adversarios confitentes habere, Hilarium reipsa non respondisse, nec adversus testes pro Celidonio productos opposuisse quidquam quo eos falsi revinceret. Id autem satis est ut Leonis judicium quoad substantiam justissimum cognoscatur. Quocumque enim fine S. Hilarius sese non opposuerit, cum judiciorum justitia ex allegatis et probatis deducatur, justissime quidem S. Leo, testibus diligenter excussis et ab eo qui poterat non confutatis, Celidonium restituit. Hic nimirum non quæritur utrum Leo potuerit aut debuerit judicium ferre renitente Hilario, de quo mox dicemus plura ; sed de æquitate ipsius judicii per se impræsentiarum quæritur; et in iis circumstantiis in quibus Hilarius nihil reponere, sed potius fuga declinasse inventus est, aliud judicari nec potuit nec debuit.

5. Tota igitur quæstio ad solum jus revocari potest, nimirum jurene S. Leo Celidonii causam in Galliis judicatam, repugnante S. Hilario, novo judicio Romæ discusserit ac judicaverit, et in hoc quidem totus laborat Quesnellus a cap. 14 usque ad disputationis finem, ut Leoni succenseat, ac si contra canones et contra Ecclesiarum Gallicanarum consuetudinem egerit ; Hilarium autem non solum vindicet, verum etiam eximie laudet, quod Leoni fortiter resistens, pro iisdem canonibus et consuetudine dimicaverit. Ita a facto ad celebrem juris quæstionem de episcoporum appellationibus apud Romanam sedem interpositis disputatio flectitur. Hoc autem argumentum cum sit præsentis controversiæ præcipuum, maximique momenti, in quo non tam de S. Leone quam de insigni Romanæ sedis prærogativa agitur, exactius discutiendum est.

Cap. IV. *De Leonis jure in causa Celidonii judicata in Galliis ab Hilario Arelatensi, seu de jure appellationum ad apostolicam sedem. Præmittuntur nonnulla principia ex quibus tota res dirimenda est. Quesnellianæ disputationis omissiones. Hilarii apologia quam male a Quesnello contexta. In quæstione facti, quam tantum agendam proposuerat, involvit quæstionem juris, Hilariumque apostolicum jus in appellationibus episcoporum non agnoscentem ac juste renitentem audacissime exhibet.* — 1. Ne inaniter laboremus et evagemur in incertum, quædam principia sunt præfigenda sine quibus res ex æquo cognosci et dijudicari non posset. Inde enim tota confusio Quesnellianæ disputationis et tota Quesnelli allucinatio dimanat, quod principia non tenuit quæ erant præmittenda

vel saltem præsumenda; immo illud principium, ex quo judicium hac in quæstione maxime pendet, omnino præteriit.

2. *Tribus ex capitibus ecclesiastica jurisdictio statui potest, ex consuetudine, ex jure canonico et ex divino.* Jurisdictio ecclesiastica ex diuturna consuetudine probatur, non quod consuetudo det per se jus, sed quia vel titulum aliquem præsumit ecclesiastici aut divini juris, quo jurisdictio jamdiu collata fuerit; vel quovis titulo ab initio deficiente, cursu temporis jurisdictio probatur **921** acquisita sive ex consensu eorum quorum interest, sive ex ipsa dispositione juris, ut in præscriptionibus accidit. Hinc *antiqua consuetudo* pro jure Alexandrini episcopi in Ægyptum, Libyam et Pentapolim allegata in Nicæno concilio can. 6, jurisdictionem ejus probavit, quæ in eodem concilio firmata fuit; eodemque sensu episcopo Antiocheno et cæteris metropolitanis sua privilegia ac jura, quæ consuetudine nitebantur, similiter fuere confirmata. Jure canonico statuitur jurisdictio, cum B per canones seu decretales cuipiam tributa ostenditur, si ea alio potentiori jure abrogata, vel dissuetudine aut potius consuetudine aliorum contraria ei præscriptum non sit. Tandem jure divino constituitur jurisdictio, cum alicui ab ipso Deo collata ostenditur, quæ tamen nulla cujuspiam opposita consuetudine præscribi, nullo humano jure abrogari potest; sicut ipsum divinum jus, quo fuit collata, nulli humanæ præscriptioni aut abrogationi subest. Solum si divino jure nullus fuit eidem jurisdictioni præstitutus limes, potest vel consuetudine vel ecclesiastico jure exercitium ejus certis finibus et modis circumscribi publici boni et congrui ordinis causa.

3. Id autem ex duabus causis provenire potest. Primo ex voluntate ejus qui jure divino illimitato potitur, si in definitum aliquem modum publico bono consentiat. Hac ratione pontifices jus sibi proprium et illimitatum jure divino consenserunt circumscribi suis vel suorum prædecessorum decretis, quibus sane vi coactiva non tenebantur (nemo enim in se, C nec par in parem habet imperium), et similiter consenserunt idem jus certis coarctari finibus seu modis ac decretis conciliorum particularium, quæ cum etiam per Gallos pontificibus subsint, eorum canonibus obligari non poterant, nisi ex consensione. Omittimus interim limites præfinitos a conciliis generalibus, hoc unum tantummodo indicantes, horum pariter decreta vim generalis synodi non habere nisi ex consensu Romanorum pontificum, ut liquet ex ipso Chalcedonensi, cujus decretum in favorem sedis Constantinopolitanæ vim generalis concilii non habuit, quamdiu Leonis et Romanorum pontificum consensus defuit: nec quisquam Leoni aut aliis ejus successoribus vitio vertere potuit, cum eidem decreto refragati sunt, eo quod sine eorum consensu non obligaret. Quod si decreta generalis synodi sine consensu pontificum obligandi vim non habuerunt, cum in præjudicium cedebant juris episcoporum Alexandrini et Antiocheni, quibus tamen ejus divinum non favebat, D sed mere ecclesiasticum in Nicæno firmatum, quis ea vim generalis synodi habere existimet deficiente consensu Romani pontificis, si in restrictionem ederentur ejus pontificii juris, quod non ex ecclesiastica, sed ex divina institutione originem ducit? Secundo jurisdictio divini juris illimitata certis modis ac finibus constringi potest ex auctoritate alicujus superioris, qui divino jure majorem jurisdictionem obtinens, certum modum certosque limites inferioribus divino licet jure præsidentibus ob bonum publicum præstitueret. Ita episcopalem jurisdictionem divini juris concilia generalia potuisse restringere nemo dubitat. Eamdem pariter episcopalem jurisdictionem, quoad limitationem et exercitium subesse jurisdictioni pontificum, ipsi Galli theologi et canonistæ fatentur, uti videre est apud Gersonem et alios.

4. *Qui alicujus jurisdictionem statuendam sumit, satis est si eam ipsi competere probet uno ex tribus* A *laudatis capitibus, nimirum vel consuetudine quæ non sit abrogata, vel jure canonico quod adhuc vigeat, vel divino, dum ab habente jus divinum superioris ordinis limitata non fuerit. Qui vero jurisdictionem alicujus negandam suscipit, haud satis est, si probet uno vel altero ex capite illam deesse; probare enim debet deesse ex omnibus; alias uno ex capite, quod intactum supersit, jurisdictio eidem competere poterit.* Res manifesta est per se, unde ulteriori explicatione aut confirmatione non indiget.

5. *Cum fieri possit ut in ecclesiasticis judiciis non minus quam in sæcularibus, plures eadem judicandi potestate seu jure, sive ex iisdem, sive ex diversis titulis fruantur, nemo de jure quod cuipiam competat, violato querimoniam movere potest si alius judicium exerceat, nisi hoc jus sibi competens, nullo titulo isti convenire statuerit.* Ita cum ex Africanorum disciplina constituta in Carthaginensi anni 416, apud Dionysium can. 125, jus esset cognoscendi de appellationibus presbyterorum et aliorum inferioris ordinis clericorum **922** tum conciliis Africanis, tum primatibus provinciarum, nec conciliorum jus læsum dici poterat si primates judicassent, nec jus primatum si ad concilia judicium fuisset delatum. Hinc etiam sequitur non recte negari jus alicujus in aliquo loco, si forte ibidem judicium non ipse, sed alius exercuerit, nisi probari possit eum idcirco non exercuisse tale jus, quia ipsi vere nullo titulo competit. Sic negari non posset appellationum jus conciliis plenariis Africæ, si fortassis in aliqua Africæ provincia nullæ appellationes ad hujusmodi concilia delatæ fuissent, sed primatis judicio *omnes* terminatæ. Hic nimirum adhibenda est præclara illa Natalis Alexandri distinctio Hist. Eccl. sæc. IV, dissert. 20, prop 2: *Aliud est jure aliquo semper non uti, aliud jus illud non habere. In quo viri alioquin eruditi allucinati sunt, qui substantiam juris a perpetuo et non interrupto ejus usu non distinguunt.*

6. Tandem *duplici modo quis pro suo jure vel consuetudine in judiciis resistere potest alii ne judicium assumat.* 1° *Negando ei jus.* Et tunc si juste neget, eo quod hoc jus nullo titulo ei competat, juste resistit, nec obedire cogitur ei qui jure caret; secus vero si titulus aliquis ei suppeteret: resistere enim habenti jus, et perinde ei resistere ac si nullo jure fungatur, apertam injustitiam prodit, nec constantiæ, sed pertinaciæ est, si quis ei juri subjectus parere et acquiescere nolit. 2° *Instando et urgendo, ne quis eo jure quod ei competit utatur, eo quod non expediat consuetudines immutare, vel pericula timeantur ac fraudes.* Et si quidem id moderate fiat, et sola pericula quæcumque efficacia proponantur, dummodo jus non negetur quod est, et solum bonum publicum quæratur, reprehendi nequit; quemadmodum non reprehenduntur Aurelius, Augustinus, aliique Africani episcopi, qui pari moderatione restiterunt appellationibus transmarinis in epistolis ad Zosimum, Bonifacium atque Cœlestinum. Vitium autem irrepet si zelo boni publici moderationis limites quis pertranseat in modo resistendi, et multo magis si ita pertinaciter resistat ut non merum bonum publicum procurare, sed jus negare videatur ei qui jure certissimo fruitur.

7. His præmissis, si Quesnellus ex æquo vindicare volebat S. Hilarium, cum Leoni restitit, ne in Celidonii causa Romæ judicium fieret contra consuetudinem, uti putat, Ecclesiæ Gallicanæ, probare debebat 1° consuetudinem Gallicanæ Ecclesiæ fuisse ut appellationum judicia vel numquam reciperentur vel in Galliis tantummodo fierent; 2° hanc Gallicanorum consuetudinem omne jus pontificium excludere, quod apostolicæ sedi competit non tam ex consuetudine quam ex ecclesiastico, ac præsertim ex divino jure, quo primatus ejusdem in ipsos Gallicanos statuitur; 3° vel saltem, si quod jus Romanis pontificibus inesse agnoscit ad ipsa appellationum judicia præcipue in episcoporum causis, in eo laborare debebat ut osten-

deret Hilarium Leoni restitisse non negando jus quod illi competebat, nec ita eidem resistendo ac si jus nullum haberet; sed urgendo consuetudinem, pericula, fraudes, idque congruo quidem zelo, at servato moderamine, ne vel jus videretur negare, vel debitam apostolicæ sedi reverentiam violaret.

8. At nihil ex his Quesnellus. Primo enim consuetudinem Gallicanæ Ecclesiæ, quæ pluribus judiciis appellationum exactis in Galliis probanda erat, ne uno quidem teste aut facto constituit. Multo autem minus ostendit eam omne jus pontificium exclusisse. Etsi enim totus in eo laborat ut nonnulla quæ litteris tradita sunt appellationum acta ad Romanam sedem enervet, et ita consuetudinem eidem ereptam existimet, nonnihil etiam attingat de jure ecclesiastico, ut hoc quoque ipsi subducat, præterit tamen jus divinum, a quo Romanæ sedis prærogativæ maxime pendent. Ea porro ipsa quæ vel de consuetudine totus exagitat, vel de jure ecclesiastico attingit, quam male probata sunt, et quot fallaciis implicata! Testatus quidem est post initium cap. 14 se non disputaturum de jure, sed de mero consuetudinis facto; immo hanc juris quæstionem a suo instituto alienam pronuntiat : *Totum igitur opus, totus labor noster in examine erit facti, non in discussione juris, quæ ab instituto nostro aliena est.* At quid inde elici potest pro vindicando S. Hilario, cum S. Leoni restitit, si, posita etiam consuetudine Gallicana, quæ præsumitur, jus præsertim divinum consuetudine fortius in ipsis appellationum causis Leoni aliunde fuerit, **925** contra quod Hilarius omni nisu absque debita moderatione restitisset? Nisi ergo quæstio juris prius discutiatur, et nisi probetur nullum jus Leoni fuisse in judicanda Celidonii causa, tota Quesnelli disputatio de sola Gallicanorum consuetudine in appellationum causis, quæ pontificium jus in iisdem intactum relinquit, si etiam probata fuisset, æquæ Hilarii apologiæ nihil prodesset, nisi forte ea ita deducatur ut Hilarium pro suarum Ecclesiarum consuetudine fortiter quidem, at cum debita moderatione laborantem, jus pontificium nec negantem nec impetentem exhibeat.

9. At numquid hac ratione contexitur Quesnelli disputatio? Immo vero quisquis eam attente legerit non pauca inspersa deprehendet quibus, dum ille omnem consuetudinem in appellationibus Gallicanis Leoni defuisse ostendere suadet, nullum præterea jus pontifici fuisse non obscure insinuet. Ante examen factorum ex quibus consuetudo elicitur, principium statuit quo indicatur ex natura episcopatus, quem Christus *unum atque individuum instituit*, et *cujus a singulis in solidum pars tenetur*, ac proinde quasi ex ipsa Domini institutione proficisci, ut appellationes *ad provincialem vel etiam ad majorem synodum* deferantur; adeo ut *si quis secus fecisset, et ad extraneos judices vellet per appellationis libellum confugere, is episcoporum concordiam cohærentem collidere, unitatemque scindere merito putaretur.* Ubi ipsum Romanum pontificem cum *extraneis* quibuslibet episcopis ac judicibus, qui nullo jure appellationum fruuntur, videtur involvere. Hinc ibidem subjicit jus in appellationes episcoporum metropolitanis una cum provinciæ synodo esse delatum *jure quodam naturali et consuetudine ab omnibus recepta, quam sacrosancta postmodum conciliorum firmavit auctoritas*, ac si contra hoc qualecumque jus *naturale*, contra consuetudinem ab omnibus receptam, et contra conciliorum auctoritatem obnitatur, qui alio causas appellationum avocet vel recipiat. Hinc cap. 16 Hilarium Leoni resistentem *constantiæ* et *fortitudinis* laudat, Leonique succenset, quasi in recipienda Celidonii appellatione *sedis suæ amplitudini plus æquo studuerit*; affirmatque eum canonum Sardicensium *auctoritati maxime incubuisse*, ac si nihil divini juris eidem suppetat, solumque ecclesiasticum istorum canonum jus prætendi possit, quod tamen ipsum subducere nititur. Hinc eumdem pontificem *imperatoris auctoritate*

A *munitum novum sibi jus parare* conatum ibidem pronuntiat, quasi antea nihil ejusmodi juris ullo titulo eidem fuerit. Hinc part. III, c. 3, veluti Leonis præjudicium traducit, quod *hoc auctoritati ac splendori sedis* suæ deberi putaret, ut scilicet appellationes ad eamdem deferrentur; idque affirmat *novum jugum* Gallicanis Ecclesiis et sacerdotibus a Leone paratum, *quod nec illi nec eorum patres ferre umquam potuerant; quodque jugum si Hilarius Gallicanarum Ecclesiarum apex his imponi passus esset, ipse tamquam et propriæ dignitatis desertor, et Gallicanæ libertatis traditor a suis coepiscopis erat coarguendus.* Hinc tandem Hilarium non tam obnisum contra Leonem ante sententiam, sed etiam post illam affirmat; ac propterea part. I, c. 1, paulo ante finem scribit : *Jura suæ Ecclesiæ usque ad extremum spiritum obtinuit, et qua pollebat eloquentia strenue defendit;* et part. III, c. 1 : *Antiquis inhærebat præsul Ecclesiæ suæ privilegiis; et Gallicanis episcopis annuentibus eamdem semper, quoad vixit, usurpavit potestatem, etiam* B *refragante Leone et minitante Augusto;* idque ex eo probat nihil opponi debitæ erga Romanam sedem reverentiæ, quia *non latebat inertem esse ac otiosam primariorum præsulum erga inferiores episcopos prærogativam, cum nihil ab his nisi secundum normam canonum arrogatur.*

10. Hæc vera censeri nequeunt, nisi Leo omni appellationum jure privatus supponatur, et idcirco Quesnelli disputatio, quæ quæstionem solius facti et consuetudinis expendendam ab initio proposuit, re ipsa ad jus negandum vergit, de quo se nolle quæstionem movere professus fuerat, cum tamen id esset non solum quærendum, sed etiam statuendum, antequam ea quæ ex ipso excerpsimus disputationi insereret. Quod autem ille non præstitit, nos præstabimus, ut rectum de omnibus judicium feratur; et postquam pontificium jus certissimum demonstrarimus, num Quesnellianæ apologiæ ratio, quæ Hilarium Leonis juri pertinaciter obnitentem exhibet, C idonea ejus defensio, an verius gravissima sit accusatio, exploratum fiet. Immo cum Hilario Quesnellus ex arbitrio tribuat **927** inobedientiam post ipsum Leonis decretum, quam nec probavit nec probare potuisset; gravasse ipsum multo magis, quam ipsa res ferat intelligemus. Interim ad singulos juris titulos excutiendos accedamus; quæ autem æquior Hilarii defensio esse queat sub finem exponetur.

Cap. V. *Consuetudinis titulus circa episcoporum appellationes ad Romanam sedem a Leone assertus vindicatur; et Quesnelli conatus ut eum illi eripiat eliduntur.* — 1. Nemini persuaderi poterit eam apud Gallicanos consuetudinem fuisse ut nullæ in Galliis appellationes reciperentur a provincialium conciliorum sententiis ad alios judices vel in Galliis vel extra Gallias. Hoc quidem sensu Quesnelli sententiam nonnulli interpretati sunt ex iis quæ indicavit part. I, cap. 15. Id autem perinde esset ac dicere appellationis præsidium jure omnium gentium inductum ob D innocentes, qui prima cognitione sive per errorem, sive ex malitia perperam damnati fuerint, quodque non negatur inferioris ordinis clericis, si episcopi sui sententia se gravatos senserint; hoc, inquam, justissimum præsidium negatum fuisse episcopis Gallicanis etiam innocentibus, si conciliorum provincialium judicio injuste fuissent condemnati; ac propterea episcoporum conditionem fuisse deteriorem quam clericorum : quod sane absurdissimum est. Quod si Gallicanis episcopis licuit appellare, consuetudinem apud eos obtinuisse, ut aliquando saltem provocarent ad Romanum pontificem, cum Sardicenses canones, qui ejusmodi appellationes probant, a Gallis recepti fuerint, ut capite sequenti patebit, dubitare non licet. Id ex subjiciendis exploratius fiet.

2. Appellationum consuetudo, quæ ex aliquot actorum serie nascitur, probatur testibus qui vel quasdam singulares appellationes indicent, ex quibus aliæ similes colligi queant, vel ipsam appellationum

consuetudinem expresse testentur. Et primum quoad singulares appellationes cum in maxima priscorum monumentorum inopia exigenda non sint gesta quoad quaslibet particulares Ecclesias, si aliquot vetustæ appellationes suppetant ex diversis Ecclesiis Occidentis atque Orientis, satis esse debet ut ex iis earum quoque Ecclesiarum consuetudo colligatur, ex quibus injuria temporum nulla ejusmodi documenta supersunt, si præsertim hæ Romanæ sedi peculiari jure subjectæ eidemque viciniores, faciliorem appellandi facultatem habuerint.

3. Hanc probationem ex peculiaribus quibusdam gestis sumptam ut Quesnellus eludat, singula primum Gallicana judiciorum gesta, quorum memoria vel indicium nactus est, diligenter expendit. Hæc autem fere omnia sunt gesta causarum episcopalium, in quibus nulla fuit appellatio : perinde ac si ex causis, in quibus nulla appellatio fuit, sequatur quod nec in aliis causis umquam exstiterit. Hinc ad excludendas appellationes Gallicanas inepta est causa Marciani Arelatensis a Quesnello pluribus discussa cap. 14, in qua ne appellationis quidem umbra indicatur; et inutiles pariter sunt causæ Euphratæ Agrippinensis, Paulini Trevirensis, Hilarii Pictaviensis, Saturnini Arelatensis, Lazari Aquensis, et Armentarii Ebredunensis, qui de appellatione ne cogitarunt quidem, ut idem Quesnellus refert cap. 16, nec non causæ Priscilliani et Instantii, qui de sententia Burdigalensis synodi ad Romanum pontificem non appellarunt. Neque vero quempiam moveat Hilarii et Paulini *injusta damnatio*, quæ, annotante Quesnello, *utrique ad Romanum pontificem jus peculiare tribuisset*, si tum appellandi viguisset consuetudo. Quid enim hi Arianorum vi oppressi appellassent ad Liberium pontificem, si ipse pariter ab iisdem Arianis oppressus, et eadem de causa actus in exsilium, illis opitulari non poterat?

4. His porro causis, in quibus nulla fuit appellatio, Quesnellus ex ordine temporum interserit causas, Proculi Massiliensis sub Zosimo, Maximi Valentini sub Bonifacio, et Danielis vagi ac flagitiosi hominis apud Cœlestinum ab Orientalibus accusati, et apud Gallos diu quæsiti ad Romanum judicium. Hæ autem omnes sunt causæ primæ cognitionis non a pontificibus arreptæ, sed Romanæ **929** sedi vel ab iisdem Gallis Patroclo Arelatensi ac Valentinæ Ecclesiæ clericis, vel ab Orientalibus delatæ. Hæ porro causæ, licet appellationem non præferant, cum tamen satis ostendant agnitam etiam a Gallis apostolicæ sedis auctoritatem in ipsis causis primæ cognitionis, multo magis in appellationibus ab iisdem observatam fuisse demonstrant. Si quid vero contra ejusmodi facta probasset Quesnellus, pro excludendis causis primæ cognitionis probasset, de quibus cap. 7 dicemus aliqua; pro expungendis autem etiam appellationibus de quibus nunc agitur nihilum evicisset.

5. Hic autem notare obiter liceat in Quesnello incohærentiam plane manifestam. Totus in eo est part. I c. 6, et part. II. c. 3 et 4, ut omnia Zosimi decreta pro statuendis Arelatensis Ecclesiæ juribus in ipsam Narbonensem secundam adversum Proculum Massiliensem, qui ordinationes in ea usurpasse traditur, justa et rata ac a Gallis episcopis recepta ostendat. Eadem porro decreta irrita et non recepta contendit cap. 16, cum adversum Proculum decernunt, qui ab indebitis ordinationibus adhuc post interdictum Zosimi nequaquam abstinuit. Ita eadem decreta, ubi ipsi placet, rata et recepta; ubi non placet, irrita et repudiata ex arbitrio traduntur.

6. Ex universis autem causis appellationis duas tantum Hispanicas Quesnellus profert et excutit, quæ speciem quamdam provocationis ad Romanam sedem præferunt. Una est Basilidis Hispani episcopi, qui ob idololatriæ crimen una cum Martiali episcopo in provincia depositus, Romam ad Stephanum confugit, a quo etiam cum Martiali in episcopatum restitutus videtur. Protestatus autem fuerat Quesnellus

A c. 16 : *Quid in aliis provinciis fuerit usu inductum, non est his animus inquirere, quippe quod ad Hilarii causam non facit*. Notum nimirum ipsi erat alias identidem esse aliarum provinciarum consuetudines. Hinc porro sicut quæ uno loco obtinuit consuetudo, haud opus est ut alibi obtinuisse credatur, ita quæ in aliqua provincia non viguit, haud exinde consequitur eam nec in alia viguisse. Sed in appellationum materie quantum intersit Hispaniarum aliarumque provinciarum consuetudinem cognoscere, ut de Galliis judicetur, facile est intelligere. Licet enim alia nonnumquam sit in aliis provinciis consuetudo, quæ tamen in cæteris omnibus provinciis invenitur, si præsertim a divino jure aliquam originem ducat, eadem pariter in Galliis fuisse dicenda est, nisi positivis documentis aliter demonstretur. Quesnellus vero positivis argumentis aut exemplis, quæ decerant, non potuit ostendere appellationes a Galliis exclusas. Hinc forte duas ab Hispanicis judiciis B appellationes, quas infirmare se posse credidit, intermiscendas putavit, ut vel ex his duobus exemplis Hispaniis idem de Galliis judicaretur.

7. Quam male autem infirmaverit appellationem Basilidis et Martialis exinde patebit quod hæc maxime appellatio consuetudinem apud Romanos antiquissimam probet. Quesnellus enim nihil afferre potuit quo ipsam appellationem, aut Romanum in ea judicium, ex quibus consuetudo et antiquitas satis evincitur, in dubitationem induceret. Solum hac appellatione et Romano judicio indicatis, ea Cypriani verba subjecit, quæ si probarent aliquid, non contra facta et consuetudinem, de qua nunc agimus, sed contra jus, de quo ille nolebat disputare, probarent. Nam sancti martyris locus uti a contextu separatus proponitur, insinuat inane habendum judicium S. Stephani papæ in hac causa, quippe quod *rescindere ordinationem alterius episcopi in locum Basilidis substituti jure perfectam* NON POTUIT; quæ non factum, sed jus videntur impetere.

C 8 Ut vero elucescat quam perperam Quesnellus hac in re extra orbitam excurrerit, et præter Cypriani mentem allegarit ejus verba, ipsum factum exactius proponendum est. Basilide Legionis et Asturicæ episcopo et Martiali Emeritensi depositis, et a Stephano per appellationis judicium restitutis, Sabinus, et Felix qui illis fuerant in episcopatum subrogati, cum se ob eorum restitutionem judicio Romano decretam, et, ut videtur, exsecutioni traditam, exclusos vidissent, ad S. Cyprianum in Africam transmiserunt cum litteris Felicis presbyteri et plebium Legionis et Asturicæ, nec non Lælii diaconi et plebis Emeritæ, ac tandem cum epistola Felicis episcopi Cæsaraugustani, qui pro iisdem intercedebant. Mox congregata synodus Carthagine Cypriano præside; **931** is cum tota synodo ad supradictos Felicem presbyterum, Lælium diaconum et plebes pro Sabino et Felice rescripsit adversum Martialem atque Basilidem, non quod Stephanum appellationum jure expertem crederet, sed quod a Basilide deceptum D putaret. Integer textus recitandus est : *Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, et conscientiam etiam propria confessione nudatam Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, et gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injuste in episcopatum, de quo fuerat juste depositus. Hoc eo pertinet ut Basilidis non tam abolita sint quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata ejus etiam fallaciæ et circumventionis crimen accederet*. Vides unam *fallaciam et circumventionem* afferri uti rationem ejus sententiæ : *Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest?* Hinc non ex defectu pontificii juris, sed ex deceptione et fraude, cui apostolica sedes suis judiciis non vult suffragari, Cyprianus rescripsit standum esse priori judicio, quo Basilides et Martialis depositi fuerant; et allegavit S. Cornelii Romani antistitis auctoritatem, qui decreverat *ejusmodi homines ad*

pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi. Ita etiam ipsi pontifices, qui sane suum jus propugnarunt, sententias fallaciis subreptas deceptoribus favere non posse nonnumquam pronuntiarunt. Nihil ergo hæc ad jus infirmandum, sicut nec ad appellationum praxim inficiandam pertinent.

9. Quid porro reipsa evenerit, cum sola supersit Cypriani epistola, non liquet. Ex hac quidem colligi videtur Basilidem et Martialem suis sedibus restitutos fuisse Stephani judicio, adeo ut hac de causa Felix et Sabinus expulsi, Cypriani et Africanorum patrocinium quæsierint. Hinc Cyprianus licet contra Basilidem et Martialem scriberet, cum tamen auctoritate careret qua illos excluderet vel excludere præciperet, plebes tantummodo monuit ne cum ipsis veluti episcopali sedi actu præsidentibus communicarent; nec de Felicis aut Sabini, qui erant ejecti, communione mentionem fecit. Indicantur præterea aliqui episcopi, ut videntur, Hispani cum Basilide B atque Martiali communicantes, quorum exemplum ne plebes sequantur, Cyprianus hortatur; cumque solius Cæsaraugustani episcopi longius positi litteræ contra ipsos allatæ fuerint, indicium non leve exoritur omnes finitimos episcopos, ne dicamus cæteros fere omnes, saltem post Stephani judicium eisdem adhæsisse. Forte etiam potior pars cleri cujusque Ecclesiæ eos receperat, seu cum iisdem communicabat : nam ex toto clero Legionis et Asturicæ unus tantum presbyter, et ex toto clero Emeritensi unus diaconus tantum, quibus solis Cypriani epistola inscribitur, adversus eosdem querelas promoverunt. Hæc porro inter ipsos Hispanos episcopos, et inter clerum divisio, et hæc plurium tum episcoporum tum clericorum cum illis communicatio, a qua unus presbyter, unus diaconus et unus Cæsaraugustanus episcopus abfuisse probantur, de ipsius causæ merito dubitationem aliquam injicit. Cyprianus Stephanum a Basilide deceptum traducit. Aliquis forte ipsum Cyprianum a Felice et Sabino, qui erant a suis se- C dibus pulsi, circumventum suspicabitur, ita ut ei *longe posito et rei gestæ ac tacitæ veritatis ignaro* contigerit, quod ipse de Stephano credidit. Id ipsum facillime putabitur de Felice Cæsaraugustano in remotiori Hispaniæ parte constituto, ita ut magis præsumendum sit pro finitimis episcopis, qui cum Basilide et Martiali communicasse videntur. Litteræ unius presbyteri vel diaconi cum plebe seu portione plebium pro ejectis episcopis scriptæ peculiari gratiæ ac factioni tribui queunt; si præsertim potior cleri pars cum alia plebium parte Basilidi et Martiali communicasse credatur. Cæterum (quidquid id est) ut ad appellationum causam redeamus, audire libet Stephanum Baluzium, qui sane Romanæ sedis prærogativis nimium indulsisse dici nequit. *Recte*, inquit not. 27 ad epistolam memoratam Cypriani, *ex hoc collegit Baronius antiquissimum in Ecclesia usum esse ut ex remotissimis orbis partibus episcopi qui se injusta perpessos esse a collegis suis crederent, provocarent ad Romanum tamquam ad primarium Ecclesiæ universalis* D *antistitem.* Et laudata Pamelii annotatione qua idem statuerat, addit : *Futilia sunt quæ hic adversus Pamelium scripsit Goulartius.*

933 10. Episcopalium causarum exemplum aliud, quod Quesnellus memorat, est illud Instantii, Salviani et Priscilliani, qui a Cæsaraugustana synodo absentes damnati, Romam profecti ad Damasum, teste Sulpicio Hist. Sacr. l. II, c. 48, *se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt.* Cæsaraugustana pariter synodus ad Hispaniam spectat. Hinc autem patet quamdam appellationem interpositam fuisse, quæ tamen a pontifice recepta non fuit, eo quod nota erant illorum crimina, et appellatio innocentium favore inducta apertis hæreticis patrociuari non debuit. Quot aliæ appellationes eadem ratione repudiatæ leguntur ab iis qui certissimo jure utebantur? Perperam autem Quesnellus illorum re- A pulsam ab ipso pontificis conspectu in hanc causam refert, quasi auctore Sulpicio : *Additum quippe fuerat in synodali adversus eos sententia, ut si quis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eamdem sententiam promovendam.* Qui hæc ipsum summum pontificem respicere existimat, Cæsaraugustanam, id est non tam generalem quam provincialem synodum, Romanis pontificibus superiorem credat necesse est. At Quesnellus, non Sulpicius, hanc repulsæ causam allegavit : quippe is Cæsaraugustanum decretum exponens ea verba cap. 47 retulerat, antequam de Romana repulsa quidquam indicaret.

11. Nullum aliud appellationis exemplum Quesnellus refert. Sic in tota disputatione de appellationum consuetudine ille ut consuetudinem provocandi ad Romanum pontificem expungeret, octo causas obtrudit in quibus nulla interjecta fuit appellatio, et tres in quibus de prima cognitione, non autem de appellatione agitur : ut nihil ex his ad excludenda secundæ cognitionis judicia, aliquid autem ad ea potius astruenda elici queat. Duas tantum episcoporum causas ad Romanam sedem delatas expendit, quas cum negare non posset, infirmare studuit non facti fidem, sed pontificium jus, quod ad eam quæstionem spectat in qua de jure agitur, non vero ad hanc in qua de facto et consuetudine quæritur.

12. Neque vero hæ duæ tantum appellationes Leone antiquiores a scriptoribus memoratæ credantur. Alia supersunt appellationum exempla ex Africa, quæ fortassis Quesnellus indicare voluit, et simul refellere, cum Africanos appellationibus resistentes laudavit. Restitisse quidem ipsos, modeste tamen, non negarimus, ut illas quoad inferiorem ordinem (quemadmodum statuetur capite sequenti) impedirent, non quod pontificium jus non agnoscerent, sed quia hæc appellandi facultas in tanta longinquitate regionum vertebatur identidem in improborum refugium et scandalum, ac ob difficilem testium transmissionem ex Africa, pericula deceptionum et fraudes afferebat. At simul plurium appellationum episcopalium exempla, quæ consuetudinem ostendunt, ultro confessi sunt, ut liquet ex Augustino epist. 209 ad Cœlestinum papam, alias epist. 1, inter illas Cœlestini apud P. Coustantium num. 8 : *Existunt exempla, inquit, ipsa sede apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos*; et tum antiqua tum recentia ejusmodi exempla indicans subjicit : *Quæ ut a nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo.* Tria autem exempla profert, eaque ex una provincia Cæsariensi, et in peculiari tantummodo judicorum specie Augustini causæ congruente, qua quis *nec episcopali sit spoliatus honore, nec relictus omnimodis impunitus.* Ex his alia plura aliarum provinciarum et aliorum judiciorum exempla quisque conjiciet. In hunc autem locum admonuit P. Coustantius : *Apostolicæ sedis in Afrorum judiciis potestas* (adde et consuetudo) *hic aperte prædicatur.* Ipsa causa Antonii episcopi Fussalensis, de qua Augustinus in eadem epistola loquitur, fuit appellatio, primum ad Bonifacium papam, cui ipse Numidiæ primas assensus est, commendatitias ei litteras tradens ad eumdem Bonifacium; dein ad Cœlestinum, cujus judicio Augustinus gesta transmittens, non reluctans, sed obsecutus convincitur. Et ut alia Africanorum omittamus exempla, satis erit indicare appellationem Lupicini Afri episcopi, quam ipse Leo memorat in epistola 12 ad episcopos Mauritaniæ, cap. 12. Confer quæ de his Afrorum appellationibus fusius disseremus capite sequenti, n. 25.

12. Celebres sunt appellationes ex ipsis Ecclesiis Orientis Eutychis, Theodoriti, Flaviani et aliorum, de quibus observationibus ad sequentes Dissertationes **935** adversus Quesnellum disputabitur. Celebria item ex Oriente vetustiora exempla Athanasii, Marcelli, aliorumque episcoporum Thraciæ, Cœlesyriæ et Palæstinæ, qui Romam *se contulerunt, et secum*

injuste actum esse conquesti sunt, uti Julius I testatur in epistola ad Eusebianos, n. 18. Neque moveat si quis Athanasii, ex. gr., appellationem proprie dictam neget. Quid enim refert si Athanasius appellationem proprie non interposuit, quando delata ad Romanam sedem ejus condemnatione ab Eusebianis Athanasii hostibus, ut Romanum pontificem præoccuparent, ille quoque suos legatos ad pontificem misit, et Romam accitus ad judicium accurrit, et hoc judicium, in quo sententiam retulit, non primæ, sed secundæ cognitionis judicium fuit anterioris retractatorium, et a tota Ecclesia approbatum? Quod in appellatione Quesnello displicet, et toto nisu impugnatur, non est ipsa appellatio per se, sed judicium cognitionis secundæ, cui judicium primæ cognitionis subjiciatur. Si ergo ex causa Athanasii judicium secundæ cognitionis intervenit, recte hinc eorum judiciorum consuetudo elicitur, quæ plerumque ob interpositam appellationem ferri solent, quæque in controversiam veniunt, cum de appellationibus quæstio movetur: unde non immerito etiam veteres hoc Athanasii exemplum pro appellationibus attulere. Quid referamus appellationum causas ex Illyrico, in quo peculiarem facultatem Romani pontifices, antiquis præsertim temporibus, adeo exercuerunt, ut Thessalonicensem episcopum in toto Illyrico vicarium suum constituerint? Vide quæ de Illyricianis appellationibus a Leone indicantur epist. 5, c. 6, et epist. 6, c. 5, ubi id non tam *pro traditione veteris instituti*, quam *secundum ecclesiasticum morem* esse pronuntiat.

14. Quod si ex his consuetudo dignoscitur in deferendis ac recipiendis appellationibus ad Romanum pontificem ex provinciis nedum Occidentis, verum etiam Orientis, quis non colligat æqualem consuetudinem in causis Gallicanis, cum Gallicana Ecclesia eodem vel etiam potiori aliquo jure Romano episcopo subesset, eidemque proximior faciliorem appellationum delationem et cognitationem præberet? Gallicanam nimirum ac præsertim Arelatensem Ecclesiam suam originem Romanæ sedi debere, idem Quesnellus fatetur c. 14. Ipsa S. Cypriani epistola in Marciani Arelatensis causa, quam acceptis Gallorum litteris ad Stephanum pontificem scripsit, peculiarem hujus auctoritatem in Galliis demonstrat. *Adeo non dubitavit* Cyprianus (P. Coustantii minime suspecti verba recitamus) *quin Stephanus ipsius consilio et hortatu litteras ad provinciam et plebem Arelatensem mitteret, quibus et Martianum abstineri, et alium episcopum in ejus locum substitui præciperet, ut et quis fuerit substitutus sibi significari simul roget... Quo in negotio Cyprianus Romani pontificis tum ad dimovendum de sede sua Arelatensem episcopum, tum ad alium ei subrogandum auctoritatem haud dubio testimonio agnovit.*

15. Erravit autem turpissime Paschasius Quesnellus cum c. 14 ante finem scripsit *nihil in causa Martiani postulasse Gallos a Stephano papa, quod a Cypriano similiter non petierint.* Similem stropham Anglicanus heterodoxus cecinit, quam idem Coustantius perstrinxit: *Neque enim audiendus videtur recens annalium Cyprianicorum scriptor, cujus sententia nihil a Stephano postulabat Cyprianus (cum illi auctor erat ut litteras ad provinciam mitteret) quod ipse præstare paratus non erat, nisi subaudiatur, si in eadem sede et loco fuisset, nimirum in sede Petri.* Cum Coustantio concinit etiam Baluzius, qui pariter suspectus esse non potest. Vide ejus notationem 11 in Cypriani epist. 67. Enimvero quodnam jus in episcopos Gallicanos tributum umquam fuit episcopo Carthaginensi, uti Romano omnes asserunt? Quid autem Cyprianus in præsenti necessitate ac periculo longiori litterarum circuitu a Stephano morosiore, uti ferebatur, in negotio petiisset, si ipse critius per sese præstare potuisset? Sed nec ipse in se eam auctoritatem novit, quam agnoscebat in Stephano; nec Galli aliud quidquam ab eo postulasse credendi sunt, nisi ut Ste-

A phano, a quo nihil obtinuerant, suis litteris stimulos admoveret. *Nempe* (ut recte monuit eodem loco Coustantius) *qui summis rebus præsident, ubi nonnullus vel præ nimia occupatione, vel pro prudentia differre compelluntur, sæpe culpantur ut segnes; ubi vero diligentiam adhibent, vix vitare queunt præcipitis animi suspicionem.*

937 16. Inane porro est quod Quesnellus subjicit eodem c. 14, Martianum non fuisse deponendum auctoritate Romani antistitis aut consilii, quia aperto schismate separatus a catholicis, jam diu ante in schismatis auctoribus fuerat condemnatus. Quot enim alii schismatici atque hæretici depositi sunt, licet hæresim vel schisma apertum prodidissent, aut se a catholicis separassent? Nonne plures catholici adhuc cum Martiano communicabant, quod eum legitima auctoritate nondum depositum cernerent? Nonne hac de causa Faustinus Lugdunensis ac cæteri ejusdem provinciæ episcopi primum ad Stephanum, ut sua B auctoritate uteretur, deinde ad Cyprianum scripsere, ut Stephanum excitaret? Quod porro Cyprianus addit de episcopis in successoris electionem cogendis, quos veluti synodum Quesnellus præfert, nihil officit: nam ad solam electionem et ordinationem pro ejus temporis disciplina episcopos præcepto Stephani cogendos Cyprianus instituit, ad depositionem non item; et Stephani auctoritas interponenda fuit, ut Martianum abs se abstentum ac proinde damnatum atque depositum significans, Gallos quoque ad abstinendum cogeret, ac in vacantem sedem alium ex more electum atque ordinatum subrogandum præciperet. Hæc etsi nostro proposito non necessaria, ad refellendam audacissimam Quesnelli opinionem haud superflua visa sunt. Interim vero qui in Galliis Cypriano teste poterat Martianum removere, et successoris electionem præcipere, idque non tam Cypriano postulante quam ipsis Gallis, qui ad Stephanum antea scripserant, per se instantibus, et per Cyprianum urgentibus poterat; poterat utique ex ipsa Gallorum ejus C temporis disciplina in eumdem Martianum vel in alios episcopos ferre primæ cognitionis sententiam, nedum appellationis causam definire. Prima etiam cognitio in causis episcoporum Proculi Massiliensis et Maximi Valentini ab iisdem Gallis, id est, a Patroclo ad Zosimum, et a Valentinæ ecclesiæ clericis ad Bonifacium delata, hanc eamdem disciplinam apud Gallos perstitisse multo magis confirmat: adeo ut qui primæ quoque cognitioni non restiterunt, appellationibus multo minus restitisse evidenter noscantur.

17. Id autem nobis impræsentiarum debet sufficere, ut consuetudinem appellationum fuisse credamus in Galliis, sicut in aliis et Occidentis et Orientis provinciis obtinuisse jam vidimus. Si omnia vel plura saltem gesta pontificum, qui Leoni præcesserunt, in posterorum memoriam mandata fuissent, non dubitamus quin aliquot Gallicanorum episcoporum appellationes ante illam Celidonii Romam de- D latæ et judicatæ invenirentur nemine repugnante. Hujus rei indicium subolescit in causa S. Bricii episcopi Turonensis. Cum enim accusatus turpissimi criminis episcopatu pulsus fuisset, et Justinianus in ejus locum ordinatus, quod sine illius depositione saltem implicita ab episcopis ordinatoribus fieri non potuit, Romam confugit, quo Justinianus etiam Turonicis instantibus *suum negotium acturus* statim contendit. Id appellationis speciem appellationi Celidonii similem præ se fert. Justinianus vero in itinere Vercellis obiit, eique statim Armentius episcopus suffectus fuit, qui Justiniani forte exemplo territus, Romam proficisci noluit. Quid autem hic actum fuerit, cum Bricius pontifici quæ sibi occurrerunt exposuit, traditum non est. Scimus solum eum ad sacra mysteria ibidem peragenda fuisse susceptum. Et licet judicio Romanæ sedis ejus depositio irrita et injusta agnita fuerit, ipse tamen alia de causa, quæ sanctitatem ejus commendat, sedem suam statim repetere

noluit, sed post annos septem *auctoritate papæ* restitutus atque susceptus traditur: qua quidem *auctoritate* Armentius expellendus fuerat, nisi S. Bricio Turonum accedente e vivis excessisset. Lege Gregorium Turonensem lib. II Hist. Franc. c. 1, et lib. X, c. 31. Si alia documenta suppeterent, idipsum clarius pateret aliis exemplis. Sola documenta Galliarum peculiaria, quæ hujusmodi appellationes prodiderint, deficiunt non modo ob insignem monumentorum per ea tempora inopiam aliis quoque præstantioribus materiis communem, verum etiam quia singulares et vulgares id genus causæ præteritæ fuerunt a scriptoribus, nisi quid peculiare ac celebre præ se ferrent. Hinc cum appellationum Gallicanarum consuetudo ex particularibus Gallorum episcoporum causis apud scriptores commemoratis colligi nequeat, ex consuetudine et appellationibus aliarum Ecclesiarum quas indicavimus colligenda est. In consuetudine enim generali **939** omnium provinciarum Occidentis atque Orientis solos Gallicanos sine ulla contraria probatione vel documento excipere, est plane inanissimum.

18. Quid porro si deficientibus particularibus appellationum Gallicanarum exemplis idonei testes suppetunt, qui hanc antiquiorem consuetudinem disertissime astruunt? Perspicuum quidem est S. Leonis testimonium epist. 10, ad ipsos Viennenses episcopos scripta, c. 2: *Nobiscum vestra fraternitas recognoscat apostolicam sedem pro sui reverentia a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus* (en de ipsis Gallis atque Viennensibus testatur) *innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum* VETUS CONSUETUDO *poscebat, appellationes causarum aut retractata aut confirmata esse judicia; adeo ut servata unitate spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde litteris, quod sancte agebatur, perpetuæ proficeret charitati.* Hoc manifestum testimonium Quesnellus eo nomine excludit c. 14, quia *nemo in propria causa testis est idoneus.* Nihil audacius, ne dicamus temerarium magis. Hac ratione nec credendum esset conciliis cum de propriis rebus testantur. Creditur Cæsari aliisque gentium scriptoribus cum de suis gestis scripsere. Leoni autem testanti de consuetudine appellationum ad apostolicam sedem, et testanti non rem occultam, sed publicam, nec privato scripto testanti, sed publica epistola ad eosdem Gallos tradita, ac litteras hinc inde datas ac redditas alleganti credendum non erit? In dubium vocari potest testis cum alius contrarius testis æqualis saltem auctoritatis profertur. Ubi vero nihil est repugnans, quis probabilem dubitationem injiciat? Nullum vero testem contra testimonium Leonis Quesnellus attulit, et præterea de pontifice tam sancto et a mendacii atque ambitionis suspicione alieno aliquid falsi dubitare nec possumus nec debemus.

19. Forte Quesnellus obtrudet illud Hilarii, qui a Leone poposcisse traditur *ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret*; ac si *mos solitus* aliam innuat Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinem, quæ appellationes Romam delatas ignoraret. Ita idoneum testem habendum censet Hilarium in propria causa, qui Leonem in sua idoneum non habuit? Neque reponatur Honorato seu Vitæ auctori, quicumque fuerit, fidendum: nam cum hoc loco non sua, sed Hilarii verba retulerit, semper Hilarius testis affertur. Cæterum cum diu post Hilarii mortem Vitæ auctor scripserit, num ea fuerint præcisa Hilarii verba, dubitari potest: verba enim quæ evolant, cursu temporis et traditione vulgari mutationem aliquam recipere solent; unde non est certum num ipsum Hilarii testimonium sincerum reponatur. Adde quod illa verba sunt valde obscura, nec explorato Leonis testimonio opponenda, ac si contrarium aperte pronuntient. Referenda creduntur ad appellationum consuetudinem, de qua in textu nulla expressa invenitur mentio. Quid si quis ea solum referri contendat ad illa quæ mox subjiciuntur, *externas aliquos apud Gallias publicam merito exce-* A *pisse sententiam, et in Urbe sacris altaribus interesse?* Propositus enim fuerat non mos *Galliarum* solitus, sed *Ecclesiarum*. Contra *morem* autem *solitum Ecclesiarum* videri poterat eum Romæ sacris altaribus interesse, qui publicam sententiam exceperat; non vero appellationes in Urbe recipi, quas ex omnibus tam Occidentis quam Orientis Ecclesiis Romam delatas vidimus. Quod si de ipsa appellationum consuetudine hæc interpretari quispiam velit, *mos solitus* potest intelligi de actis frequentioribus, quod scilicet frequentius causæ in Galliis terminarentur, nec appellationes fuerint valde frequentes. Id autem Leonis testimonio nihilum contradiceret: quippe sicut ad Romanam appellationum consuetudinem comprobandam in cæteris provinciis sufficit ut aliquæ causæ ad apostolicam sedem delatæ identidem fuerint; sufficit etiam in Galliis. Itaque nihil est cur consuetudo Gallicanarum appellationum a Leone disertissime asserta ex hoc valde obscuro et incerto Hilarii testimonio in dubium vocetur. Puduit forte eumdem Quesnellum B suæ propositionis, qua c. 14 Leonis testimonio eo titulo fidem detraxit, quia testis fuit in propria causa; unde c. 16 alia ratione scripsit: *Cum Leo dixit per diversarum appellationem causarum, sicut vetus consuetudo poscebat, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia, vel memoria lapsus est, vel a Celidonio palpante et imponente delusus, vel denique alia penes se rerum in Galliis gestarum monumenta habuit, quæ ad nos usque non pervenerunt.* Primum de lapsu memoriæ, et secundum de Celidonii **941** fraude commentitia sunt, et nulli indicio fulta. Tertium vero nobis quam maxime favet, et ab eodem Leone indicatum videtur, cum litteras datas ac redditas, quæ nunc desunt, in contextu superius recitato allegavit. Plura quidem Gallicanorum antistitum facta contigisse, quæ ad nos pervenerunt, satis innuit Cœlestinus, cum ad episcopos Viennenses et Narbonenses scribens epist. 4, n. 5, horum *plerosque* Romæ *tempore aliquanto versatos* tradit, et similiter alia diversi temporis testimonia C Gallicanos episcopos eadem in urbe fuisse commemorant. Quid autem causæ fuerit, documentorum inopia latet. At cum ex tam frequenti Gallicanorum antistitum ad Romanam sedem concursu facile perspicitur quantum ipsi hujus sedis dignitati ac auctoritati detulerint, tum vero in tanta hujus dignitatis et auctoritatis observantia, de aliquot appellationum causis eo delatis, quas Leo, cui monumenta non deerant, satis testatur, dubitandum non est.

20. Ne vero de Leonis fide ulla suspicio adhuc supersit, alium antiquiorem testem proferemus, qui in Hilarii causa nequaquam implicitus, a studio partium alienissimus fuit. Is est S. Innocentius, qui in epistola ad Victricium Rothomagensem Gallum postquam de minoribus, id est de clericorum causis statuit, hæc n. 6 de majoribus subjicit: *Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, et* BEATA CONSUETUDO *exigit, post judicium episcopale referantur.* Inter causas majores judicia de episcopis recensenda nemo ambigit. Cum D porro hæc post episcopale judicium ad apostolicam sedem referri Innocentius jubet, non solas relationes respicit, ut quibusdam interpretari placuit, sed etiam appellationes, si quæ interponendæ viderentur; neque enim relatio inanis præcipitur, sed qua episcopale judicium Romano subjiciatur, ita ut ubi appellationi sit locus, Romani episcopi auctoritati ac arbitrio remittatur, ut quatenus illi placuerit, vel judices in provincia nominet, vel legatum *e latere* mittat, vel ipse in Urbe dijudicet, ut Sardicensis synodus præscripsit. Hinc sane hujus synodi mentionem statim subjecit Innocentius, dum ait *sicut synodus statuit*; neque enim quidpiam simile in Nicæno constitutum legitur: præter Nicænos vero canones soli Sardicenses sub Nicænorum nomine a Romanis per hæc tempora recepti allegabantur. Expresse autem Sardicensis statuit de episcoporum appellationibus ad Romanam sedem can. 3, 4 et 7. Constantius, not. c, hæc

referenda contendit non ad hos canones, sed ad epistolam ejusdem synodi ad Julium, in qua declarat *congruum et valde congruentissimum esse si ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes*. Verum de his verbis, quæ *statuti* formam non exhibent, vix dici potuisset, *Synodus statuit*, uti de laudatis canonibus rectissime dicitur, ac præterea solos Nicænos et Sardicenses canones Nicænis subjectos et Nicænorum nomine inscriptos a Romanis pontificibus allegari, cum statuta laudant, consideranti singulas antiquarum decretalium allegationes patebit, et alibi fortassis pluribus demonstrabitur. Quare Hincmarus Gallicanus episcopus tom. II, p. 774, hunc Innocentii textum de appellationibus rectissime interpretatus est. Porro verbo *beata consuetudo*, vel, ut alii vetustiores codices habent, *vetus consuetudo exigit*, quæ Leonis testimonium confirmant, desiderantur quidem in mss. Dionysii et aliis, quos Sirmondus, Labbeus, et Quesnellus secuti sunt. At leguntur in codicibus trium antiquissimarum collectionum Italicarum, Vat. Reginæ 1997, Barberinæ 2888, Lucensis 88, necnon in mss. collectionum Hispanicæ et Isidori, in ms. Oxoniensi collectionis Quesnellianæ, in vetustissimo codice Colbertino 784, et in alio Colbertino 3368, laudatis a P. Coustantio et apud Hincmarum opusc. 45, c. 12, quos Romana et veteres conciliorum editiones sequuntur. Hinc Coustantius hæc verba retinuit, et aliis etiam ejusdem Innocentii testimoniis communivit.

21. Sed jam tempus est ut a consuetudine ad jus ecclesiasticum transeamus. Neque enim sola consuetudo apostolicæ sedis jus in appellationibus astruit. Immo cum consuetudo, uti vidimus c. 4, per sese non tribuat jus, sed aliunde præsumat sive ex ecclesiastico jure, sive ex divino, tum appellationum consuetudinem, quam pro Romano pontifice hactenus constituimus, legitimam et jure inductam quisque multo evidentius cognoscet, postquam ecclesiasticum
942 inprimis, ac dein divinum jus explicarimus. Nihil autem Quesnellum tota hac disputatione evicisse patebit, cum soli consuetudini insistens, eamdem perperam infirmare studuit; alios autem ecclesiastici ac divini juris titulos, qui præcipui sunt, vel leviter et cavillose attigit, vel præterivit.

CAP. VI. *De appellationibus ad Romanam sedem de jure ecclesiastico. Expenditur canon quartus Antiochenus, qui omnem appellationem videtur excludere. Sardicenses canones explicati. Quesnelli commenta circa istos disjecta. Quam recepti fuerint etiam in Galliis. Quid de Africanis. De pontificiis constitutionibus circa appellationes. Observatio in canonem primæ synodi Constantinopolitanæ.* — 1. De ecclesiastico appellationum jure non idcirco inquirimus, quasi credamus appellationum jus Romanæ sedi competere jure ecclesiastico (ex altiori enim divino jure promanat, quod in ipso ecclesiastico jure appellationes Romanæ sedis statuente non obscure præsumitur), sed ea de causa hoc examen instituimus, ut detegantur Quesnelli commenta, quæ in hac quoque parte suæ dissertationi inseruit.

2. Opponit primum, c. 15, quintum canonem Nicænum, ubi appellationum causæ provinciarum synodis discutiendæ remittuntur. At præterquam quod in hoc canone de solis laicorum et clericorum, non autem de episcoporum causis sermo est; ii appellationum judices designantur, quorum erat facilior quibusque in locis cognitio, ut ne tamen pontifex exclusus dici possit. Enimvero hoc decreto Nicænam synodum non reprobasse appellationes ad apostolicam sedem, exinde manifestum est quod in Sardicensi synodo, quæ ex pluribus patribus Nicænis coaluit, et Nicæni concilii veluti appendix habita est, appellationes ejusmodi expresse approbantur; neque enim eosdem Patres sibi contradixisse credendi sunt, ac delesse hac in re eam synodum, pro quas arta tecta servanda tantopere laborarunt. Eadem ratione nihil

A obesse intelligitur concilii Constantinopolitani canon secundus, quem in ipsis episcoporum causis eamdem Nicænam regulam præscribentem Quesnellus subjecit.

3. Fortius videri potest quod affertur ex concilii Antiocheni can. 15 his verbis expressum : *Si quis episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus episcopis ejusdem provinciæ, cunctique consonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium episcoporum provinciæ manere sententiam.* In hoc canone insistunt qui sententias synodorum provincialium etiam in episcoporum causis inappellabiles volunt. Hunc ita Quesnellus extulit part. I, c. 15, ac *si sententia ab omnibus episcopis unius provinciæ lata, ab aliis episcopis retractari nec debeat nec possit.* Nonnulli hoc loco reponent Antiochenos canones ab Eusebianis Arianis editos fuisse, et hac de causa ab Innocentio I epist. 7, c. 3, repro-
B bari. At hoc prætermisso (veros enim eorumdem canonum auctores detegemus tom. III, in tractatu *de antiquis Collectionibus canonum*, ubi de Græca collectione erit sermo), illud imprimis animadvertimus, eo canone 15 non omnem appellationem seu retractationem expungi, sed solum in casu consensus omnium episcoporum unius provinciæ denegari illud novum judicium e vicinæ provinciæ episcopis instituendum, quod antecedenti canone concessum fuerat. De jure autem appellationis aut retractationis in pleniori synodo aut in alio tribunali superiore ne verbum quidem. Deinde eo solo casu novum judicium laudato can. 15 excluditur, quo crimen adeo sit manifestum ut ne uno quidem episcopo discrepante omnes in condemnationem consentiant. Id in legitimis judiciis nulla præcipitantia, præventione nulla institutis non solet accidere nisi cum reus vel confessus est, vel saltem convictus; quo quidem casu aliquot etiam civiles leges tum antiquæ tum recentiores appellationem vetant. Id ergo æquissimum in
C suis provinciis Antiochenis Patribus videri potuit, ut ne idcirco appellationem reprobarent, cum quis se injuste gravatum existimet; huic enim novo judicio in pleniori synodo satis providerant can. 12 : *Si*
943 *quis..... a synodo fuerit episcopus forte damnatus..... oportet ad majus episcoporum converti concilium, et quæ putaverit habere justa, plurimis episcopis suggerat, eorumque discussiones ac judicia præstoletur.* Cæterum si in iis quoque circumstantiis, quibus aliquis episcopus omnium licet episcoporum suæ provinciæ sententia condemnatus, aliquo nomine se gravatum sentiat, omnis appellatio aut judicii renovatio can. 15 sublata credatur; idem canon hoc sane sensu nec a Græca nec a Latina Ecclesia umquam receptus fuit, ac proinde tum in Oriente tum in Occidente appellationum causæ semper viguere, et Sardicensium posteriorum canonum prævaluit auctoritas, qui dum appellationibus aditum patere censuerunt, hunc Antiochenum canonem emendarunt, simulque apostolicæ
D sedis juri in appellationibus prospexere.

4. De Sardicensibus itaque canonibus, qui appellationes Romano episcopo explorate asseruere, plenius agendum. De quo antequam disputamus, observare libet, quod idem Quesnellus notavit in epist. 6, ad Anastasium Thessalonicensem. Cum S. Leo cap. 5 hujus epistolæ appellationes Illyrici sibi reservasset, *ratio exceptionis est*, inquit, not. 6, *quod Illyricianæ provinciæ, ut Occidentalium partium portio, ad Romanum pontificem jure peculiari pertinebant*. En fatetur hoc loco *peculiare jus* Romani pontificis in causis appellationum totius Occidentis etiam in Illyricianos Græcos, tam longo spatio dissitos, qui Thessalonicensem episcopum sedis apostolicæ vicarium habebant; ac proinde multo magis in Gallos utpote Occidentales et viciniores; quod tamen jus hac in dissertatione negare contendit. Sequitur autem ea notatione sic : *Cæterum quod hic de appellationibus scribit S. Leo, id ex Sardicensibus canonibus asserit, ut vete-*

ris instituti et reverentiæ sedis apostolicæ mentio testatur. Hinc illud jus Sardicensibus canonibus refert, quos tamen parte I præmissæ dissertationis c. 15 mirum in modum distorquere studet. Vide mirificam hominis cohærentiam. Hoc autem in nisu quot errores paucis periodis intexuit! Ut res tota plane exploratcque noscatur, ipsis primum canonibus recitatis sinceriorem explicationem subjiciemus.

5. Canones huc pertinentes sunt apud Dionysium Exiguum can. 3, 4 et 7, qui postremus rectius in Græco est can. 5. Ex can. 3 hanc ultimam partem, quæ solum ad rem præsentem spectat, quæque idcirco separato numero effertur in mss. aliarum antiquarum collectionum Latinarum, excripsisse sufficiat: *Si aliquis episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium* (sic Dionysius, aliæ collectiones Latinæ cum Græco, *judicium*) *renovetur; si vobis placet, S. Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt* (aliæ collectiones Latinæ addunt: *vel ab episcopis qui in* proxima provincia morantur) *Julio Romano episcopo; et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et det judices. Si autem probaverit talem causam esse ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet.* Canon quartus: *Gaudentius episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulistis, ut cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma; alter episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata.* Canon septimus, alias quintus: *Osius episcopus dixit: Placuit autem ut si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est, et confugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se audiri, si justum putaverit ut renovetur judicium vel discussionis examen, scribere his episcopis dignetur qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri deprecatione sua moverit episcopum Romanum ut de latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi quid velit et quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse qui præsentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit episcopos sufficere ut negotio* **947** *terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit.*

6. Hi canones adversus Eusebianos conditi videntur. Siculi enim contra hos qui S. Athanasio antea inique condemnato omnem restitutionis spem adimentes, in Antiochena pseudosynodo successorem elegerant, Sardicenses Patres scripserunt synodicas quibus eumdem Alexandrinum antistitem innocentem declararunt, suæque sedi restituerunt, ita hos canones sanxisse videntur ob contundendas injustas eorum querelas adversus Julium pontificem, ac si is Orientalium synodorum jura violasset, cum ejusdem Athanasii et aliorum episcoporum Orientis ad Romanam sedem confugentium causas post eorum depositionem dijudicandas suscepit, illud præferentes (ut ex Julii epistola ad eosdem, et ex ipsorum pseudosynodica Sardicensi liquet) quod sicut Orientales suo judicio non subjecerunt causas ab Occidentalibus definitas, sed eorum judicia rata habuere, ita etiam nec Occidentales episcopi, nec ipse Romanus pontifex deberet sese ingerere in causis Orientis, nec retractare Orientalium synodorum judicia, quasi primatui Romanæ sedis nihil subessent.

7. Porro ut genuinus sensus istorum canonum perspiciatur, advertendum est in tertio canone verba: *Si aliquis episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa,* indicare condemnationem seu depositionem episcopi,

A uti colligitur ex can. 4, ubi de deposito episcopo sermo est; verba autem *Addendum, si placet, huic sententiæ*, etc., hunc canonem quartum ad eamdem causam anterioris canonis referri aperte indicant. Hinc etiam Dionysius *damnati* episcopi mentionem in titulo c. 3 posuit: *Quod si damnatus appellaverit Romanum pontificem.* Dionysius quidem, sicut etiam auctor collectionis Quesnellianæ in titulo, necnon Ferrandus in Breviario de appellatione ad Romanum pontificem hoc canone agi præsumpserunt; idque ex eo videntur deduxisse, quia tota res summo pontifici decernenda subjicitur. At si propria appellatio ad sedem apostolicam ab episcopo deposito interjecta fuisset, illam Osius satis expressisset in ipso canone, uti expressit can. 7, al. 5, nec de eadem initio can. 7 idem decretum repetendum fuerat. Ipsa certe canonis tertii verba nihil amplius indicant, nisi sermonem esse de episcopo, qui prima cognitione damnatus, ut fieri solebat, a suæ provinciæ episcopis novam causæ cognitionem efflagitet: B *Putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur;* quod quidem secundæ cognitionis judicium ex faciliori et frequentiori usu, ubi expressa ad sedem apostolicam appellatio non intercessisset, a finitimis episcopis in synodum cogendis quærebatur. Decernitur autem ut in honorem memoriæ S. Petri ipsi judices primæ sententiæ scribant ad Julium Romanum antistitem, qui si novum judicium adhibendum crediderit, secundæ cognitionis *judices det* ex finitimis utique episcopis; unde canone 4 aliquid addendum subjicitur post hoc secundum *episcoporum judicium, qui in vicinis locis commorantur.*

8. Observandum porro est hoc tantum canone tertio adhibitam fuisse a Patribus formulam *S. Petri apostoli memoriam honoremus.* Ubi enim non intercedit expressa ad Romanam sedem appellatio, novum, quod petebatur, judicium ex finitimis episcopis quæri solebat, ut ex can. 14 Antiocheno aliisque testimoniis liquet; neque in hoc apostolica auctoritas C necessaria erat. Cum igitur Sardicenses Patres non ex jure quod cogeret, sed ex observantia in sedem apostolicam hanc methodum servari præceperint, ut hac ratione ejusdem sedis auctoritatem et honorem promoverent, cui Eusebiani detrahere conati fuerant, ea formula usi videntur. In hoc autem *pontificii primatus* ratio habita fuit. Neque enim hunc honorem Romanæ sedi iidem Patres detulerunt, quasi putarent nullum ipsi jus in appellationibus competere, quod sequentibus canonibus satis declararunt, sed quia eo quoque casu quo judices ex finitimis provinciis darentur, citius ab ea sede dandos crederent, quæ ratione primatus in omnes Ecclesiæ provincias jurisdictionem habebat, quam a metropolitano episcopo, qui per se in provinciæ finitimæ episcopos nihil juris habet. Cæterum hac formula abstinuerunt in canonibus sequentibus, ubi de appellatione proprie dicta ad summum pontificem sermo est, quia hic non merum honorem alias non necessarium, sed jus pro- D prium ejusdem sedis noverunt. Verba autem laudati canonis: *Si vobis placet*, non trepidantium et dubitantium sunt, ut Quesnellus perperam interpretatus est, sed communis fuit formula, ut liquet ex aliis **949** ejusdem concilii canonibus, qui cum certas et justissimas leges fixerint, nullam trepidationem ac formidinem recipiebant.

9. Ita porro commode intelligitur discrimen quod intercedit inter can. 3 et canonem 7, al. 5. In illo enim de mera novi judicii petitione agitur sine appellatione ad Romanum pontificem, in hoc autem de appellatione proprie dicta ad episcopum Romanum, ad quem episcopus depositus confugere, ac ipsum appellationis judicium promovere traditur; unde hic can. 7, al. 5, non vero can. 3, insertus fuit a Zosimo in Commonitorio quod dedit legatis ad Africanos an. 418, cum appellationem proprie dictam a Sardicensi confirmatam probare voluit. Duos autem judicandi modos Osius hoc casu appellationis proposuit, si Ro-

manus episcopus *justum putaverit ut renovetur examen*. Primum, *ut scribere his episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant*; quæ est delegationis species, eaque magis obvia atque facilior. Alterum, ut *e latere suo presbyterum*, vel ex Græco *presbyteros* mittat, qui præsentes cum *episcopis* (finitimæ provinciæ) *judicent habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt*; quæ manifestior delegatio noscitur, eaque rarior et difficilior, ob quam peculiaris appellantis *deprecatio* requiritur.

10. Restat ut canonem quartum explicemus. Hic est appendix canonis 3, ut indicant illa: *Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti*; idque addendum in hypothesi qua episcopi depositio statuta ab episcopis suæ provinciæ in primo judicio, etiam in secundo ab episcopis finitimis, quos Romanus pontifex judices dederit, confirmata fuisset, indicare videntur sequentia: *Cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur*, secundo utique judicio, quod solum ad episcopos finitimos poterat pertinere. Si ergo is qui depositus fuit, huic quoque judicio non acquiescens, *proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma*, decernitur ut *alter episcopus in ejus cathedra post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata*. Licet nimirum duo uniformia depositionis judicia præcesserint, alter in concilio episcoporum ejusdem provinciæ, alterum ab episcopis finitimis, vi tamen appellationis ad apostolicam sedem, quam depositus (uti tertio canone præfertur) proprie antea non interposuerat, tertium judicium conceditur, et istud quidem in Urbe, quo causa *in judicio episcopi Romani* termineiur. Hinc forte ecclesiasticus stylus, ut tria judicia concedantur, manavit.

11. Secuti porro sumus Latinam lectionem, quæ hoc præsertim in canone eadem est non tam in omnibus mss. Dionysii, verum etiam in codicibus sex aliarum collectionum, quæ licet in radice canonum Sardicensium cum Dionysii editione conveniant, a Dionysio tamen non prodeunt, nimirum Veronensis 58 Vatic. Reginæ 1997, Barberinæ 2888, Lucensis, Quesnellianæ et Hispanicæ; unde confirmatur vel maxime quod expresse affirmat Dionysius (*a*) Exiguus, originale istorum canonum fuisse Latinum: interpretationes enim ex Græco diversæ originis, tantam similitudinem conservare non possent. Hinc etiam congruit istorum canonum lectio cum lectione duorum canonum, qui ex Romano archivo educti a Zosimo in Apiarii causa, et Faustini legati commonitorio inserti, in concilio Carthaginensi an. 419 recitantur. Quod si Græcum textum originale contendas, duo originalia exempla in Sardicensi scripta dicenda erunt, alterum Latinum pro Latinis, qui ibidem fuerant frequentiores, alterum Græcum pro Græcis, quorum præsertim de causa concilium agebatur. Latinus certe textus plenior et perfectior est. Etsi enim duo canones leguntur in Græco continentes res Græcorum proprias, quæ omitti potuerunt in Latino textu, plura tamen non peculiaria Latinorum ex solo Latino hactenus prodierunt, et plura item Latini textus clariorem et aptiorem sententiam fere exhibent, quam in Græco. De hoc duplici originali istorum canonum plenius fortassis disseremus tomo III, in tractatu *de Collectionibus canonum*.

951 12. Quod si canonis quarti Græca lectio adeo expressam appellationis et judicii in Urbe habendi mentionem non exhibet, uti lectio Latina, satis tamen reipsa innuitur iis e Græco redditis verbis quibus nulla nova aliorum judicum delegatione memorata, ipsius Romani episcopi cognitio exigitur, ut causæ terminus imponatur. *Si quis episcopus fuerit depositus judicio episcoporum qui sunt in vicinitate, et dicat rursus sibi defensionis locum competere, non prius in cathedram ejus alius substituatur, nisi Romanus episcopus cognoscens de hoc finem imposuerit*. Certe illum qui potest per delegatos judices vel per legatum causam cognoscere, eodem jure posse etiam per se illam definire, negari nequit; ipsaque Osii formula, qua can. 7, al. 5, delegationem finitimorum aut legati transmissionem proponens, *scribere dignetur*, inquit, non legem pontificibus impositam, sed faciliores et expeditiores appellationum cognoscendarum in provincia modos ab iisdem pontificibus electos respicit, quin tamen hi vetentur, ubi expedire videatur, extra provinciam cognoscere, sicuti Julius Romæ ipsis Sardicensibus approbantibus, ac dein iidem Patres Sardicæ in Dacia Athanasii Alexandrini causam dijudicarunt. Ita quidem canones Sardicenses intellexerunt ipsi Græci, antequam in Photianum schisma prolaberentur, posse nimirum Romanos pontifices sive per delegatos sive etiam per se de appellationum causis cognoscere et judicare. Audiatur Theodorus Prodromus senior, qui primus omnium ante schisma sacros canones interpretatus est in celebri opere περὶ ἑρμηνείας κανόνων. En ipsius verba in canones Sardicenses, quæ ex eodem opere ms. edidit Nicolaus Comnenus Papadopolus in Prænotionibus mystagogicis pag. 367, πάντοτε, καὶ ἐν πάσῃ τῇ κρίσει τοῖς καταχριθεῖσιν ἔξεστι τὸν Ῥώμης τῆς πρεσβύτερος ἐπικαλέσαι κἀκείνου ὁρίζοντος, κριθῆναι πάλιν, παρά τε αὐτοῦ, ἢ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ. *Semper et in omni judicio damnatis licet Romanum episcopum appellare, atque eo jubente iterum judicari vel* AB IPSO, *vel ab ejusdem legatis*.

13. His præmissis, Quesnelli errores facile detegentur. Falsum est primo quod ait huic concilio *deberi earum appellationum originem*. In duobus enim canonibus 4 et 7, qui de appellatione ad Romanum pontificem loquuntur, nihil invenies quo novum jus condi vel leviter indicetur. Non tribuitur hujusmodi appellationum interponendarum aut recipiendarum facultas, sed certa præsumitur, et solum canone septimo diversus modus designatur a pontificio beneplacito pendens; canone autem quarto eorum audacia reprimitur qui appellatione ad apostolicam sedem pendente, episcopo quasi absolute deposito contra appellationis jus successorem creare niterentur; quod in Eusebianos aliqua ratione constitutum videtur, qui Athanasii causa Romam delata, in Antiochena pseudosynodo Gregorium Alexandriæ episcopum consecraverant. Adde quod canon septimus, dum profitetur delegatos apostolicos, si a pontifice mittendi judicentur, *habere auctoritatem ejus a quo destinati sunt*, jus utique in hisce causis non a concilio tributum, sed ipsi pontifici competens satis declarat; quod quidem jus in appellationibus non tam Occidentis quam Orientis ad solum primatum referri potest, quo Romanus antistes omnibus et Orientis et Occidentis episcopis non solo ordine, sed jurisdictione etiam præsidet. Jus autem appellationum quatenus in primatu radicem habeat, capite sequenti patebit. Cum Valentinianus III imperator in epistola Chalcedonensi collectioni inserta, quæ inter epistolas Leonis censetur epist. 55, asseruit Flavianum Constantinopolitanum episcopum a pseudosynodi Ephesinæ sententia ad Romanam sedem appellasse *secundum solemnitatem*, seu, ex Græco *secundum solemnem usum conciliorum*, qui scilicet præsertim post Sardicensem canonem invaluit, hujus rei originem non concilio Sardicensi, sed primatui attribuit. Memorato enim primatu ob quem Romanus episcopus *locum habet et facultatem de fide et sacerdotibus judicare*, subdidit: *Hac enim* (primatus) *gratia secundum solemnitatem conciliorum et Constantinopolitanus episcopus eum* (Romanum antistitem) *per libellos appellavit*.

(*a*) In epist. ad Stephanum Salon. ait: *Statuta quoque Sardicensis concilii atque Africani, quæ Latine sunt edita*, etc. Sicut ergo canones Africani certo Latine editi sunt, ita etiam Sardicenses.

14. Falsum est secundo *nihil de appellationibus decrevisse Sardicenses Patres, sed tantum retractationis seu revisionis causæ decernendæ potestatem fecisse Romano episcopo, ut demonstrat illustrissimus Petrus de Marca de Concord. l.* VII, *c.* 3, *et ex ipsa canonum Sardicensium lectione manifestum fit.* Si jungatur hæc propositio cum præcedenti, aperta contradictio incurret in oculos. **953** Ibi enim Sardicensi tribuitur *origo appellationum*, de quibus hic *nihil decrevisse* traditur. Quod si can. 3 appellatio proprie dicta non memoratur, eam tamen ipsa lectio septimi aut quinti canonis manifestam facit; et revisionis seu retractationis judicium, cum a superiori auctoritate Romanæ sedis, ut hic accidit, *datis judicibus*, etc., instituitur, reipsa appellationis judicio congruere nemo negaverit, nisi qui in synonymis vocibus inaniter velit ludere et fucum imperitis facere. Error Quesnelli ex eo dimanavit quod cum Marca existimaverit Romanum episcopum vi istorum canonum debuisse causam committere prioribus judicibus, quibus alios e finitimis episcopis adjungeret, vel etiam legatum; ubi autem priores judices debent novo judicio suos quoque calculos dare, non propria appellatio, sed mera revisio ab iisdem vocatur. At quam hæc hypothesis falsa sit, ex præmissa canonum explicatione quisque intelliget: finitimos enim episcopos designandos canon 7, al. 5, aperte tradit, eodemque sensu accipienda sunt illa can. 3, *det judices;* de prioribus autem judicibus admittendis ne verbum quidem. Quod porro solam retractationem *in ipsa provincia decernendam* a Sardicensi approbatam Quesnellus præsumit, ex canone 4 falsum evicimus paulo ante; idque confirmat ipsa immediate subsequens observantia, canonum et legum tutissima interpres: nonnullæ enim appellationum causæ superiori capite indicatæ, Romæ definitæ leguntur, adeo ut nec Celidonii causa sit primum hujusmodi exemplum, nec S. Leo in hoc judicio ab ipsa Sardicensi disciplina recesserit.

15. Ex eodem antecedenti capite patet etiam falsum, quod a Quesnello subjicitur, hanc synodum statim non fuisse receptam ab Orientis, immo nec ab Occidentis episcopis. Exempla enim quæ ibidem indicavimus, etsi pauca ob monumentorum inopiam, satis tamen Sardicensem disciplinam tum in Oriente tum in Occidente receptam probant. Advertendum vero hac in re maxime est, Sardicenses canones non præcipere appellationes ad Romanum episcopum in omnibus causis, ita ut prohibeantur aliæ novi judicii viæ quæ in provinciis obtineant; sed eas, ubi interpositæ sint, jure interjectas, et a pontifice, vel per delegatos judices, vel per se dirimendas probare. Itaque ut hæc disciplina recepta ostendatur, haud opus est multa *statim* subsecuta harum appellationum exempla proferre; sed sufficit ea, licet pauca indicasse, quorum memoria superest. Qui autem non receptam affirmare audet, exempla causarum debet producere, in quibus appellationi Orientales et Occidentales restiterint. Aliquid hac in re ex solis Afris opponi potuit, quod tamen quatenus nihil obsit paulo post explicabimus. Ex cæteris autem Occidentalibus aut ex Orientalibus nihil, nisi forte eorum iniquorum hominum obtrudantur molimina, qui Romano circa S. Athanasium judicio etiam post Sardicensem synodum perverse restiterunt.

16. Quod porro Quesnellus addit, Orientales *ob hanc forte causam concilii istius canones in suas collectiones non retulerunt, sicut nec Gallicani*, primum quoad Orientalium collectionem seu codicem canonum quomodo probare possit non intelligimus. Græcus quidem codex, quo usus est Joannes scholasticus Antiochenus, postea patriarcha Constantinopolitanus, auctor sexti sæculi, hoc canones continebat. Neque credendum est Christophoro Justello, qui Græcum canonum codicem sine Sardicensibus edidit. Hæc enim Justelliana collectio in nullo Græco exemplari ab ipso inventa, sed ex ingenio compacta fuit. Titulus eidem præfixus *Codex canonum universæ Ecclesiæ*, cum falsissimus sit, ut probavit Constantius, fictionem satis prodit. Nullum certe ms. exemplar laudat, nisi regios codices canonum cum commentariis Zonaræ et Balsamonis, quos ad emendandum Græcum Tilianæ editionis textum adhibuit. Hinc codex a Justello editus reipsa idem est ac codices Tilii, Zonaræ et Balsamonis, in quibus Sardicenses canones leguntur, et ex solo Justelli præjudicio arbitrario omissi fuerunt. Citatur Palatinus codex Stephani Ephesini omnino congruens cum prætenso *codice Ecclesiæ universæ;* at gratis hoc affirmari ex eo patet quod ipse Justellus eum sese non potuisse nancisci in præfatione pag. 16 tom. I *Biblioth. juris canonici veteris* professus sit. Græcus quidem codex, quem Dionysius Exiguus Latine reddidit, Sardicensibus caruisse videtur, ut ex ejusdem epistola ad Stephanum Salonitanum colligere licet. At num similiter alii Græci canonum codices tum caruerint, affirmari nequit, cum laudatus Joannes Antiochenus, **955** qui paulo post Dionysium eodem sæculo floruit, vetustius utique exemplar nactus fuerit, quod cum aliis canonibus Sardicenses præferebat. Hoc sane canones Græce scriptos, ab ipsius synodi tempore apud Græcos extitisse suadet non tam ordo istorum canonum diversus a Latino, quam aliqui canones, qui a Latinis omissi, ex Latino codice sumi non potuerunt. Hinc etiam Latinam eorumdem interpretationem ante annos mille et amplius exaratam in antiquissimo ms. Veronensi 55 reperimus, quæ ex Græco codice sumpta fuit, ei, ut videtur, simili, quem Socrates, Sozomenus, Theodoretus, et ipsi Patres Chalcedonenses habuere, uti tomo III pluribus ostendetur; unde hos canones saltem in aliis codicibus etiam Chalcedonensis tempore apud Græcos fuisse manifestum est. Præterea Patres synodi Constantinopolitanæ in epistola ad Damasum et Occidentales num. 5, unum ex Sardicensibus canonibus allegarunt non obscure, licet Nicæni nomine allegarint, unde hi canones apud Græcos hoc tam antiquo tempore usui fuisse noscuntur. At de his omnibus plura disserentur laudato tomo III in tractatu *de antiquis Collectionibus* part. I, cap. 1, et præsertim 6.

17. De Gallicanorum porro collectione, seu codicibus canonum falsissimum est quod *Quesnellus* affirmat. In omnibus enim antiquis Gallorum collectionibus Sardicenses canones reperiuntur, quales sunt Quesnelliana, Colbertina 1868, a Constantio laudata in præfatione tom. I Epist. Rom. pont. n. 77. Fossatensi et Morbacensi, cui similis est codex vetustus Palatinus 574. Hæc autem postrema collectio vetustiorem et puriorem Gallicanæ Ecclesiæ codicem exhibet, quippe præter Nicænos et Sardicenses canones in Romanorum consuetudinem Nicænis subjectos, nullos alios canones nisi Gallicanos complectitur; unde Gallicana Ecclesia æque ac Romana antiquis temporibus non Antiochenos, sed Sardicenses recepisse cognoscitur. Hic autem animadvertendum maxime est quam longe a veritate et a priscorum Gallicanorum codicum fide aberret Quesnellus, qui dum part. III, c. 1, S. Hilarium *pro custodia canonum* utique receptorum in Galliis, Leoni in hac causa Romæ restitisse commemorat, eo quod causam Celidonii *novo rursus judicio ventilari ac discuti, recepti tum in Galliis canones non sinebant*, ut explicat capite tertio; Antiochenos canones, quibus solis appellationes excludi opinatus est, intelligere potuit, qui tamen in Galliis non fuerant recepti: contra vero Sardicenses, quibus appellationes approbantur, non receptos in Galliis traducit, qui tamen eodem ac Nicæni honore in omnibus Gallicanis codicibus recepti inveniuntur. Nonne id est verum tamquam falsum, et falsum tamquam verum traducere?

18. Neque reponatur Quesnellum, cum negavit Sardicenses canonum codici insertos, intellexisse publicum codicem a Gallicana Ecclesia in aliqua synodo approbatum, qualis nullus ex memoratis fuit. Hæc enim hypothesis de codice publico priscis illis

temporibus, de quibus nunc loquimur, inanissima est; nullus enim ejusmodi codex tunc exstitit, et hac ratione non tam Sardicenses quam Nicæni canones, qui in memoratis codicibus pari modo describuntur, et in nullo alio codice publica Gallicanæ Ecclesiæ auctoritate approbato ostendi queunt, dicendi essent a Gallicanis non recepti: quod sane absurdissimum est. Quamquam Sardicenses canones a Gallicanis aliquo modo receptos etiam in synodo quis negaverit, si consideret aliquot episcopos Galliæ interfuisse in concilio Sardicæ, ubi iidem canones constituti et episcoporum subscriptionibus firmati fuerunt.

19. Neque prodest Quesnelli conjectatio ad excludendos e Gallicanis codicibus canones Sardicenses, quia horum nulla est mentio in Leonis epistola ad Viennenses (*Epist.* 11, *nunc* 9), ubi de violato (ut ipse putat) appellationum jure adversus Hilarium conqueritur. Numquid enim negativa ejusmodi conjectura, quæ multis de causis nutare potest, certis et antiquis Gallorum codicibus, qui Sardicenses exhibent canones, præferri potest? S. Leo autem idcirco hos canones in laudata epistola præterivit, quia non tam consuetudini quam altiori primatus juri instandum putavit. Cæterum Valentinianus, qui in eadem Hilarii causa ex Leonis relatione ac sententia celebrem novellam eddidit, eos canones satis indicavit, cum initio præmisit *sacræ synodi auctoritatem*.

20. Reliquum est ut de Afris nonnulla observemus, quos Sardicensi disciplinæ **957** adversos Quesnellus tribus in capitibus 14, 15 et 16 obtrudit. At primo inane est Africanorum resistentiam proferre, ubi non de Afrorum, sed de Gallicanorum disciplina quæstio est, cum præsertim hi Sardicenses canones suis codicibus insertos receperint, illi vero, cum restiterunt, plane ignorarint. Causa nimirum in qua Africani post Sardicense concilium appellationibus obstiterunt, fuit Apiarii. In hac autem restitisse, quia ignorabant Sardicensium decreta, illud evidenter evincit, quod cum illa a Romanis veluti Nicæna opponerentur, non solum scripserunt in epistola ad Cœlestinum hos canones non reperiri in Nicænis etiam authenticis, verum etiam indicantes se alias pariter synodos expendisse, addiderunt, *in nulla invenimus Patrum synodo constitutum*; ex quibus manifestum fit acta Sardicensia, in quibus illi canones inventi fuissent (*a*), pro diligentia tunc adhibita nuspiam reperisse. Nullam quippe aliam Sardicensem synodum tunc Africani noverant, nisi illam quam Ariani Sardica discedentes, Philippopoli habuere, cujus encyclicas illi per fraudem Sardicæ nomine prænotaverant; unde Augustinus lib. III in Crescon. c. 34, scripsit: *Disce ergo quod nescis, Sardicense concilium Arianorum fuit, quod notum jamdiu est.* Qui vero ea de causa restiterunt veri Sardicensis concilii canonibus, quia in nulla catholicorum Patrum synodo eos invenerunt, proprie non repudiarunt ejus synodi canones; sed potius ostenderunt se eos fuisse recepturos, si cognovissent veram Sardicensem synodum, et in hac eos canones nacti fuissent. Id fatetur ingenue etiam Coustantius (*Tom.* I *Epist. Rom. pag.* 1062, *not.* e), qui alias appellationibus ejusmodi nequaquam favet; unde in notatione ad hæc Africanorum verba scribit: *Hæc igitur si in Sardicensi synodo, cui Gratus Carthaginensis episcopus interfuit, statutum fuisse comperissent, nullo, ut videtur, negotio suscepissent.* Et iterum not. *d* in epist. 15 Zosimi id ratione confirmat (*Ib. pag.* 982): *Satis illi* (Zosimo) *erat, Afris, qui in Carthaginensi* II *concilio can.* 10 *profitentur, atque cod. can. Ecclesiæ Afric. c.* 13 *repetunt: « A nobis veterum statuta debere servari »; Sardicensis synodi proponere auctoritatem: neque ipsi metuendum erat ne decreta respuerent, quæ primatem suum* (adde ex Anathasio, *et triginta quinque alios episcopos Africanos*) *vel præsentia vel subscriptione comprobasse didicissent. Tantum ea de causa decretis illis quæ Zosimus Nicæna appellarat, concedere se non posse epist.* 2 *ad Cœlestinum num.* 4 *scribunt: « Quia, inquiunt, in nulla invenimus Patrum synodo scriptum. » Si hoc tam gravi in synodo constitutum reperissent, eos statim Zosimi voluntati obsecuturos fuisse quis dubitet?* Idipsum etiam fatetur Tillemontius art. 324 in Augustini Vita, tom. XIII, pag. 864. Cum vero Gallicani antistites eos canones perspectos haberent, et in suis quoque codicibus recepissent, ex ipsa Africanorum mente non poterant resistere; ac propterea Africanorum resistentia pro æquali resistentia Gallorum nihil concludit. Illud vero mirum et ineptum maxime accidere debet, quod ab iis ipsis qui canones Sardicenses a gravissima et antiquissima synodo editos norunt, ac in omnibus tum Latinis tum Græcis canonum codicibus jam receptos fatentur, contra appellationum jus Romano pontifici in iisdem assertum nihil frequentius quam Africanorum resistentia obtrudatur. Præclare in hanc rem Nicolaus Comnenus Papadopolus in *Prænotionibus mystagogicis* respons. 6, sect. 2, n. 15, pag. 366, Græcos Photianos refellit. *Zosimi assertio*, inquit, *si Africanos non convincebat Sardicensis ignaros, num non convincat Photianos gnaros Sardicensis concilii, quod et recipiunt et ad vim disciplinæ canonicæ recipiunt?... Dicebant Africani... ejus canones nullos agnoscimus, nec eorum penes nos aliquis est. An idipsum vos quibitis affirmare, cum synodi Sardicensis canones vobis Harmenopulus passim objiciat, Photius, Balsamon, Aristenus, Margunius, cæteri denique quotquot canonum explanationem delibavere, omnes enucleent? Nihil ergo quod attinet ad id de quo agimus Africanorum vobis prodest Patrum sententia.* Quæ si contra Græcos etiam schismaticos valent, multo fortius valere deberent ad revincendos eos Latinos qui a schismate alienissimi, Sardicenses canones a Latina præsertim Ecclesia receptos inficiari non possunt.

21. Secundo falsum est Africanos cum ex ignoratione veræ synodi Sardicensis restiterunt canonibus in commonitorio Zosimi descriptis, re ipsa ea mente **959** iis restitisse, ut excluderent episcoporum appellationes, de quibus hic sermo est. Ex nonnullis quidem verbis epistolæ Afrorum ad Bonifacium pontificem suspicio oriri potest non levis, eos, dum restiterunt canoni Sardicensi 5, alias 7, in quo de episcoporum appellationibus agitur, ad has quoque appellationes repellendas restitisse. Ut autem omnis ejusmodi suspicio depellatur, qua de re quæstio tunc fuerit, et quatenus canon de appellationibus episcoporum in disputationem venerit, enucleatius quam hactenus factum vidimus, explicandum est. Appellatio ad Romanum pontificem, ob quam magna inter Africanos et Romanos exstitit quæstio, non alicujus episcopi, sed Apiarii presbyteri appellatio fuit, quam uti omnino novam et Africanæ disciplinæ contrariam episcopi Afri adeo tulerunt moleste, ut quod numquam antea fecerant, statim in synodo an. 418 expresso canone 125, apud Dionysium interdixerint, ne presbyteri aut alii inferioris ordinis clerici appellent *ad transmarina judicia*, quo nomine Romani episcopi soli Afrorum superiores intelligi poterant. Hoc præcipue decretum pontificem Zosimum, ad quem Apiarius confugerat, sollicitum reddidit. Cumque præsentiret Afros post hujusmodi decretum difficiliores futuros, ut negotium facilius transigeret, hanc appellationem in Africa terminandam censuit, eoque propterea non unum, sed (quod in rebus maximi momenti fieri solet) tres legatos transmisit, Faustinum episcopum Potentiæ, Philippum et Asellum Romanæ Ecclesiæ presbyteros, qui una cum episcopis vicinis de ea causa cognoscerent et judicarent. Quod presbyterorum appellationes ab episcopis vicinis dijudicarentur, Afris displicere non poterat; nam in ipso concilio anni 418 hæc earum-

(*a*) Confer not. 3, tom. præced. (*Col.* 1515, *n.* b) in Quesnelli observat. ad epist. 13.

dem appellationum cognoscendarum ratio præstituta fuit can. 125, apud Dionysium. *Placuit ut presbyteri, diaconi vel cæteri inferioris ordinis clerici in causis quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant*, etc. Id vero unum quod Africanos hac in re permovere poterat, fuit delegatio apostolica, qua appellationi satisfaciendum laudatus pontifex duxerat. Hanc vero, quæ nova Africanis erat, ut Zosimus approbatam suaderet, canonem 5 Sardicensem, qui ejusmodi delegationem præstituit, una cum aliis duobus canonibus Sardicensibus Nicænorum nomine (ut in codicibus Romanæ Ecclesiæ erant inscripti) commonitorio inseruit secundum eum ordinem quo in iisdem codicibus legebantur: hac enim de causa cànon 5, al. 7, *de appellationibus episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem* primum locum in commonitorio habuit, secundum autem canon 8, *ne episcopi ad comitatum importune navigent*, ac tertium canon 17, *de tractandis presbyterorum et diaconorum causis ad finitimos episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint.*

22. In commonitorio simplices canones inserti. Eorum autem usus in quæstionem de qua agendum erat, legatis non per scripturam, sed verbis significatus fuit. *Injuncta* enim *nobis sunt*, inquit Faustinus in synodo an. 419, *a sede apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis... sicut in gestis superioribus meminimus.* Utinam superessent hæc anterioris synodi gesta, cum scilicet laudati legati Africam ingressi, Patres, qui citius congregare potuerunt anno 418, antequam cogeretur plenaria synodus anni 419 convenerunt, ac suam legationem de Apiarii appellatione exsequentes memoratos canones in commonitorio descriptos produxere, eorumque usum in rem de qua agebatur verbis exposuerunt. Hinc enim palam fieret quo sensu canon præsertim de appellatione episcoporum causæ appellationis presbyteri aptatus fuerit. Magna et *diuturna disceptatio prolixis gestorum voluminibus contenta* traditur in epistola Africanorum ad Bonifacium n. 1 et 3. In synodo anni 419 hoc unum a Faustino indicatur, in laudatis anterioribus gestis actum fuisse potissimum *de Nicænis canonibus, ut conserventur et constituta eorum et consuetudo; quia aliqua ordine et canone teneantur, aliqua consuetudine firmata sunt.* Quorsum isthæc canonis atque consuetudinis distinctio in appellationem Apiarii? Hæc, ut credimus, innuit canonem de appellationibus episcoporum ad Romanum pontificem in presbyteri causa eo sensu fuisse productum, ut eodem canone approbata cognosceretur apostolica delegatio in appellationibus; consuetudinem vero fuisse adjectam ea forte de causa quod hæc eadem delegatio probata in appellationibus episcoporum, usitata quoque esset in presbyterorum aliorumque clericorum appellationibus; **961** sicque Africani episcopi non obniterentur, si quod de primi generis appellationibus decretum fuerat, in appellatione Apiarii presbyteri recipiendum esset, cum præsertim legati sedis apostolicæ hac de causa missi in Africam, non soli, sed una cum episcopis vicinis juxta ipsam disciplinam Africanam deberent judicare, uti alter Sardicensis canon commonitorio insertus statuit. Ita sane commode intelligitur quo æquissimo sensu uterque canon 7 et 17 in hac causa productus fuerit, cum alias ambo inepti fuissent. Solus enim canon Sardicensis decimus septimus, cum de appellatione quidem presbyterorum ad finitimos episcopos, non autem ad Romanum pontificem decernat, ad hanc appellationem ab Apiario interpositam, de qua erat quæstio, nihilum pertinuisset; multo autem minus contulisset canon Sardicensis quintus, alias septimus, si non eo sensu quem exposuimus appellationi presbyteri aptatus fuisset. Igitur ne hi duo canones præter quæstionem, quæ Africanos maxime sollicitabat, circa inferiorum clericorum appellationes allegati dicantur, et ne delegationi apostolicæ et concertationi cum Africanis occasionem

A dedisse credatur alia quæstio de episcoporum appellationibus, de qua nullum in his circumstantiis indicium est, usus et explicatio proposita satis probabiles judicabuntur.

23. In hac autem tota disceptatione Africani perspexisse videntur, nec canonem 5, alias 7, de appellatione ad Romanam sedem, nec consuetudinem quam legati ingesserant, suffragari in causa Apiarii; siquidem ille canon de episcoporum, non autem de presbyterorum aut aliorum inferioris ordinis clericorum appellationibus loquitur; consuetudo autem qua idipsum obtinere dictum fuit in istorum appellationibus, etsi forte alibi, seu in Italia vigeret, non tamen in Africa, ubi sola omnibus nota Nicænæ synodi decreta custodiebantur, in quibus nihil tale invenitur. Id subindicare arbitramur illa Afrorum verba in litteris ad Bonifacium papam, quibus num. 4 hunc rogant *ut quemadmodum ea apud Nicæam a Patribus acta vel constituta sunt, sic ea a nobis facias custodiri; et ibi* B *apud vos ista quæ* (legati) *in commonitorio attulerunt, facias exerceri*; et cum infra num. 5 petunt ne cogantur his canonibus, si vere Nicæni non sint, obligari, etiam *eo ordine vel apud vos in Italia custodirentur.* Hinc etiam in epistola ad Cœlestinum num. 3: *Nulla Patrum definitione*, inquiunt, *hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ*; quia nimirum canon de appellatione episcoporum, etiamsi verus esset, ad presbyterorum causas non pertinet, nec ad istorum appellationes ulla apud Afros consuetudine extensus fuit.

24. Neque tamen negarimus occasione hujus canonis, qui de episcopis statuit, disceptationem et contentionem potuisse deflectere ad ipsas episcoporum appellationes, quatenus eo canone proponuntur. Licet enim episcopos Romam provocare, ibique suam causam audiri Africana disciplina, ut mox ostendemus, non interdiceret, et consuetudo etiam aliquot ejusmodi appellationum probaret, hæc tamen delegationis apostolicæ methodus nova prorsus accidit. Cumque episcopi ex ea, si semel reciperetur, Africanæ disciplinæ C nonnihil præjudicii timerent, sive quod hac via frequentiores fierent hujusmodi appellationes, sive quod ex Faustini exemplo, qui Apiario faverat, a delegatis metuerunt, sive alia quacumque de causa, canoni hanc methodum proponenti fortassis sese opposuerunt, non ut excluderent omnes appellationes episcoporum, sed ut hanc novam delegationis methodum impedirent. Hoc sensu cum ipsum canonem abs se exsequendum polliciti sunt in epistola ad Bonifacium, quoad in Nicænis diligentior inquisitio fieret, satis indicarunt se nolle cogi ad hanc methodum, si Nicæno canone constituta non sit, quippe quæ recepta licet in Italia, Africanis ignota erat. Ita nulla quæstio de episcoporum appellationibus, nisi quoad modum.

25. Has quidem appellationes alia methodo in Africa fuisse receptas, aliquot episcopalium appellationum documenta manifestant. Antonii episcopi Fussalensis appellatio, cui tantum abfuit ut Africani resisterent, nec quidquam in eam vellent producere (ut D S. Hilarius fecisse creditur) ne præjudicium Africanis crearent; quin potius ipse Numidiæ primas illum commendavit Bonifacio, ac deinde ad Cœlestinum *universas retulit*; et Augustinus gesta transmittens rationes adjecit quibus æquissimum pontificis judicium promoveret. Quid porro dicendum de tribus aliis causis quas uti recentiores Augustinus laudat? Etsi illa **963** Laurentii potuit accidere post concilium Maii an. 419, cui ille subscriptus creditur, non tamen etiam aliæ duæ: incredibile enim est tres ejusdem generis causas ex una provincia Cæsariensi brevi intervallo repente Romam delatas, et simili moderamine definitas, si nullæ umquam antea delatæ fuissent. Igitur Prisci et Victoris causas, quæ ante causam Laurentii ab Augustino referuntur, post an. 418 incidisse affirmari nequit, nisi ex hypothesi de repudiatis antea episcoporum appellationibus; quod præsumi quidem potest, probari non potest. Qua vero conjectura Laurentius ab Augustino nuncupatus loco

ultimo esse creditur Laurentius Icositanus, qui concilio an. 419 subscripsit tamquam *legatus provinciæ Cæsariensis*, eamdem Priscus appellatus primo loco a Baluzio (*Tom.* III. *Concil. p.* 211) creditur *Priscus Quidiensis* subscriptus collationi an. 411, n. 243, cujus episcopatus ad provinciam Cæsariensem pariter pertinuisse cognoscitur ex notitia provinciarum et civitatum Ecclesiæ Africanæ. Quod si quis opinetur Mauritanicas Prisci et Victoris causas incidisse, vel Augustino cognitas fuisse ante causam Apiarii, cum ipsum Augustinum aliosque episcopos (a) injuncta a Zosimo ecclesiastica necessitas traxerat in Mauritaniam, diuque ipsos ibidem modo hic modo illic detinuerat, non videmus quomodo revinci possit. Quid quod alia a suis temporibus *remotissima* ejusmodi appellationum et judiciorum Romanæ sedis exempla idem Augustinus in eadem epist. 209 indicat, quæ recentioribus exemplis contentus prætermittenda putavit? Quænam porro *remotissima* exempla hic Augustinus significat? Suburbicarias causas primæ cognitionis hic intelligere merum est somnium. Si enim Afris communis Italiæ disciplina ac Sardicensium usus erat ignotus, ut paulo ante vidimus, multo magis ignotæ esse debebant causæ suburbicariæ, easque Africano scriptori inquirere atque cognoscere non facile fuit. Hæc igitur *remotissima* exempla æque ac *recentia*, quæ Augustinus subjecit, ad Africam pertinent; alias *remotissima et externa*, dixisset, *non requiram, recentia et nostra commemorabo*. Hæc porro Africana *remotissima* exempla æque ac *recentia* ad apostolicam sedem delata, non primæ, sed secundæ cognitionis judicia respiciunt: nisi quis forte primam quoque Africanarum causarum cognitionem Romano pontifici aliquando tributam putet. Exstiterunt igitur Africanæ aliquot vetustiorum appellationum causæ, in quibus apostolica sedes secunda cognitione vel *judicavit*, eo adhibito moderamine quod in prima cognitione captum non fuerat; *vel*, si in prima cognitione adhibitum fuit, *aliorum judicata firmavit*. Neque dicas ex hoc Augustini testimonio, qui ab inquisitione vetustiorum exemplorum abstinuit, inferri non posse aliqua ejusmodi judicia reipsa præcessisse. Etsi enim affirmari certo nequeat num remotiora exempla Augustinus requirens, aliquas ejus generis, quæ in rem suam facerent, reperturus fuisset, hinc tamen certo sequitur eum putasse aliquas potuisse inveniri; quod ipsi exploratum ac omnino certum præsumit, episcoporum causas secundæ cognitionis ex Africa vetustiori æque ac recenti ætate ad apostolicam sedem fuisse delatas, quæ utique ad præsumptæ permissionis tempus referri nequeunt. Certe anterior profecto est ejusdem Augustini epist. 43, in qua hæc de Cæciliano Carthaginensi et de collegis ejus episcopis Africanis scribuntur num. 7: *Neque enim de presbyteris aut diaconis aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum judicio, præsertim apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reservare.* Agebatur quidem de episcopali causa, in qua magna erat inter catholicos et donatistas Africanos episcoporum ac sententiarum divisio. Sed non in has peculiares circumstantias Augustinus refert rationem deferendi judicii ad apostolicas Ecclesias (quo nomine Romanam intelligi ex contextu aliisque testimoniis manifestum est), sed quia illi quorum causa agebatur, non erant presbyteri aut diaconi, etc., sed episcopi; ubi palam significatur ex ipsa Africanorum disciplina licuisse eorum causam ad apostolicam sedem deferre, cum episcoporum esset causa, non presbyterorum vel diaconorum, etc., quibus solis ad transmarina confugere Africana disciplina non ferebat.

26. Nullum certe decretum invenitur contra episcoporum appellationes, sicuti adversus illas clericorum inferioris ordinis primus canon insertus legi- A tur synodo anni 418. Id autem istis hoc primum tempore interdictum fuit occasione appellationis Apiarii, quia hos ad transmarina judicia provocare contra disciplinam **965** et usum erat; episcopis autem non item, quia pluribus exemplis semper receptum fuerat, cum præsertim a Grato Carthaginensi totius Africæ primate, aliisque Africanis episcopis signati fuerint canones Sardicenses, qui episcoporum appellationes probabant. In synodo Hipponensi an. 393, ac in Carthaginensi an. 397, omnibus tum episcopis tum clericis concessum fuit *ut a quibuscumque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, provocaretur*. Si clerici de sui episcopi judicio quererentur, poterant ad vicinos episcopos provocare, et iterum ab his confugere ad synodos plenarias Africæ, vel ad primates suarum provinciarum. Hinc ipsos, si forte gravati fuissent, appellationis subsidium non deerat in ipsa Africa, ut ne ad judicia transmarina confugerent. Cum autem causæ B episcoporum prima cognitione afferendæ essent ad primatem vel ad concilium universale Africanum, ut post Hipponensem synodum canone 19 synodi Carthaginensis an. 397 constitutum fuit, ne his solis alterum judicium denegatum credatur, provocatio ad Romanum pontificem interdicta esse non potuit.

27. Neque reponas hoc interdictum indicari in concilio Carthaginiensi an. 419, can. 28, apud Dionysium, ubi repetito iisdem fere verbis canone anterioris concilii an. 418 (apud eumdem Dionysium can. 125), quo presbyteris et reliquis clericis prohibetur ne ad transmarina judicia confugiant, additur, *sicut et de episcopis sæpius constitutum est*. Non desunt magni nominis auctores etiam Galli qui hoc additamentum *sicut et de episcopis sæpius constitutum est*, perperam intrusum existiment, cum absit a simili canone anterioris concilii an. 418, unde totus hic canon sumptus est; nec verisimile sit hanc particulam additam fuisse a Patribus in concilio an. 419, in quo iidem scribentes ad Bonifacium pontificem, profitebantur se illam disciplinam appellationum interim C servaturos, quoad de Nicæni concilii exemplaribus certiora responsa afferrentur. Addunt præterea videri incredibile si de episcoporum appellationibus *sæpius* constitutum fuisset, nullum ejusmodi canonem reperiri in tot canonibus qui ex tam multis Africanis conciliis supersunt, et de episcoporum judiciis statuunt; cum de vetitis presbyterorum et aliorum inferioris ordinis clericorum appellationibus aliquot canones repetiti inveniantur. At suspicandum non credimus de additamento in his verbis, quæ non solum leguntur in collectione Dionysii, verum etiam in tribus aliis antiquis collectionibus, quæ ex diversa divisione canonum ejusdem synodi Carthaginensis an. 419 aliam originem præferunt, uti sunt collectiones Vat. Reginæ 1997, Barberina 2888, et Lucensis similis Colbertinæ 784. Immo ex his collectionibus supplendum est aliquid quod hoc in canone apud Dionysium non legitur, sicut nec legitur in textu D Græco codicis, ut vocant, Ecclesiæ Africanæ, qui vere non est nisi Græca Africanorum canonum ex Dionysio versio. Sic enim ibidem num. 33 hic canon producitur: *Item placuit ut presbyteri, diaconi vel cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint, si de judiciis suorum episcoporum questi fuerint, vicini episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant, et inter eos quidquid causæ fuerit definiant adhibiti ab eo episcopi. Quod si et ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad primates suarum provinciarum, aut ad universale concilium, sicut et de episcopis sæpius constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra eamdem provinciam in communionem suscipiatur.* Desunt in Dionysio voces *vel ad universale concilium*. Hæc autem non debere omitti patet ex verbis epistolæ

(a) Vide August. epist. 190 et 191, cap. 1, et Possid. Vit. August. c. 14, tom. V Concil. p. 267.

Afrorum ad Cœlestinum paulo post recitandis, necnon ex canone anterioris synodi an. 418, qui hoc loco repetitur, et similia exhibet etiam apud Dionysium can. 125, ubi legitur : *Quod si et ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem*, etc. Hic porro animadvertendum est aliquam mutationem in repetendo hoc canone fuisse inductam : ubi enim an. 418 scriptum fuit, *non provocent nisi ad Africana concilia*, etc. anno 419 sic expressum fuit, *non provocent ad transmarina judicia, sed ad primates*, etc. Si prima lectio retenta fuisset, additamentum *sicut et de episcopis sæpius constitutum est*, indicaret *sæpius* constitutum fuisse ut episcopi etiam *non provocent nisi ad primates*, etc., *vel ad universale concilium;* quod **967** idem esset ac declarare transmarina judicia iisdem quoque interdicta fuisse. At ea verborum mutatio aliquo peculiari consilio præter morem inducta videtur ne scilicet hoc additamentum ad transmarinorum judiciorum interdictum referendum esset, sed ad alteram partem tantum qua primatum et conciliorum Africæ judicium conceditur clericis, sicut ipsis episcopis *sæpius* constitutum fuit. Ante hoc scilicet tempus presbyteris post episcopi sui judicium provocatio patebat tantum ad vicinos episcopos sex, qui eorum causam terminabant; unde Augustinus epist. 65 anni 402, n. 2, scripsit : *Sex episcopis causam presbyteri terminari concilio statutum est*, nimirum in Hipponensi an. 393 et in Carthaginensi an. 397, in quo Breviarium canonum Hipponensium lectum et confirmatum fuit. Cum autem ob appellationem Apiarii anno 418 omnibus clericis interdicta fuisset provocatio ad transmarina, ne illi de hoc judicio sibi sublato quererentur, tertia quoque cognitio ipsis concessa fuit novo jure, et pro hac iidem judices constituti fuerunt clericis, qui *sæpius* episcopis decreti fuerant; unde Africani in epistola ad Cœlestinum hac in negotio scripta ob hoc novum decretum favore clericorum editum, non necessariam ostendunt appellationem ad transmarina, hanc præcipuam rationem afferentes num. 3 : *Maxime quia unicuique* (de inferioribus autem clericis loquuntur) *concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ provinciæ* (id primates respicit) *vel universale provocare.* Hoc quidem sensu illud additamentum accipiendum esse, ex ipso facto liquet. Cum aliquot Africani canones reperiantur qui appellationes ad transmarina clericis prohibent, ne unum quidem reperiri qui easdem interdicat episcopis, si *sæpius constitutum* fuisset, est plane incredibile.

28. Neque dicas non omnes anteriorum Africæ synodorum canones ad nos pervenisse. Etsi enim non omnia Africana concilia cum suis canonibus supersint, cum tamen ex una parte plura hujusmodi monumenta in antiquis canonum collectionibus sedulo fuerint inserta, ex alia vero parte id Africanis usitatum fuerit, anteriorum synodorum canones in subsequentibus conciliis repetere et confirmare, aliquod saltem antiquorum canonum vestigium superest in synodis quas habemus, quarum fere canones non novi sunt, sed ex antiquis constant. Id autem adeo certum est, ut Dionysius Exiguus, qui in referenda synodo anni 419 recensuit omnes anteriores synodos sub Aurelio celebratas ab anno 393, plures aliquarum canones præterierit, eo quod ab ipso vel in anteriori synodo jam descripti, vel in posteriori describendi fuerant. Nos in antiquissimo ms. capituli Veronensis ineditam synodum Carthaginensem anni 421 nacti sumus tomo III inserendam, in qua ne unus quidem canon novus est, sed omnes hic illic in conciliis jam vulgatis recepti ac repetiti inveniuntur. Adde quod etiamsi Dionysium a repetendis iisdem canonibus abhorrentem aliquot rari canones fugerint, cum tamen in synodo anni 419, quam ex proposito suæ collectioni inseruit, agitata fuerit controversia de appellationibus, in recitandis omnibus canonibus Africanis ad appellationes pertinentibus diligentissimus fuit; adeo ut canonem qui appellationes ad transmarina clericis prohibet, ob aliquod verborum discrimen seu ob additamentum paulo ante indicatum bis recensuerit can. 28 et 125. Is autem, qui circa appellationes adeo sollicitus fuit, ut vel paucarum vocum rationem habuerit; non omisisset profecto canonem easdem appellationes interdicentem episcopis, si alicubi eum nactus fuisset, cum præsertim nulla in hunc repetitio caderet. Nullum igitur canonem ejusmodi retulit, quia in tot conciliis Africanis insertis synodo an. 419 nullum invenit. Si autem nullum ejusmodi interdictum exstitit inter canones ab Aurelio in tam multis synodis editos, et a majoribus etiam susceptos, quibus tota Africanæ Ecclesiæ disciplina comprehenditur, quis suspicari adhuc possit hoc interdictum *sæpius* constitutum fuisse? Cum ergo nullus canon episcoporum appellationes ad transmarina inhibeat, has autem exempla quorumdam episcoporum paulo ante indicata receptas, non autem vetitas manifestius evincant, illud additamentum referri nequit ad particulam *non provocent ad transmarina.* Cum porro episcopis *sæpius* constituti legantur judices vel primates vel concilium universale Africæ, ut legere est in Hipponensi an. 393, in Carthaginensi an. 397, ac in aliis synodis jure, ad ea tantum, *sed ad primates suarum* **969** *provinciarum, vel ad universale concilium*, illud additamentum, quod his quidem verbis subnectitur, referendum agnoscimus.

29. Num vero quod episcopis prohibitum non fuit usque ad synodum anni 419 vetitum fuerit in subsequenti concilio anni circiter 425, quo Apiarius in nova crimina relapsus Faustino legato iterum transmisso in Africam judicatus fuit, dubitare quispiam poterit. Etenim *ex concilio vigesimo* sub Aurelio, quod idem est ac ea synodus anni circiter 425, hoc decretum, seu potius cujusdam decreti compendium vel titulus recitatur in synodo habita a Bonifacio Carthaginensi anno 525 : *Ut nullus ad transmarina audeat appellare.* Hoc tamen decretum episcopos non comprehendisse tria nobis suadent : primum, quia adhuc post hanc Aurelii synodum quidam Africani episcopi, nemine contradicente, ad Romanum pontificem provocarunt, ut ex appellatione Lupicini, de qua inferius dicemus, manifestum est; secundo, quia Bonifacii ætate noti jam erant in Africa canones Sardicenses, qui episcoporum appellationes approbant; unde a Ferrando Carthaginensis Ecclesiæ diacono sub idem tempus expresso Sardicensis nomine in suum Breviarium canonum relati fuerunt. Si autem tunc erant noti, eos etiam ab Afris receptos dubitare non licet, cum a Grato Carthaginensi in Sardicensi concilio firmati fuerint, ipsique Patres conciliorum ann. 418 et 419 eum quoque Sardicensem canonem, qui maxime displicebat, se recepturos indicarint, si eum in aliqua catholicorum synodo reperissent, ut superius animadvertimus. His autem canonibus receptis, Bonifacius inter canones observandos referre non poterat canonem qui appellationes episcoporum a Sardicensi probatas interdiceret. Hinc autem credimus eum canonem non ad appellationes episcoporum, sed ad illas clericorum in Sardicensi prætermissas pertinuisse. Neque generalis et indefinita vox *nullus* quempiam moveat. Simili enim generali locutione in eadem Bonifacii synodo exprimitur aliud decretum, vel potius decreti compendium *ex concilio sextodecimo* sub Aurelio his verbis : *Ad transmarina qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Hoc concilium XVI est illud habitum ann. 418, cujus can. 125 apud Dionysium invenitur. Ex integro autem hoc canone cognoscitur solas clericorum appellationes fuisse interdictas. Idem ergo de canone synodi vigesimæ credendum est, licet in summario Bonifacii generalis formula adhibita fuerit. Tertium peremptorium, ut videtur, argumentum elicimus ex ipsa epistola Patrum Africanorum ad Cœlestinum papam, quæ in eadem vigesima synodo scripta fuit. In hac de appellationibus

episcoporum et clericorum agitur, sed diverso modo. Cum de clericorum appellatione sermo est, hæ ne ullo modo admittantur pontificem rogant : *Presbyterorum*, inquiunt num. 3, *et sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua, quia et nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ*; quod idem est ac dicere quia ipsi canones a Faustino allati ad has appellationes non pertinent. De appellationibus vero episcoporum loquentes num. 2, non ut absolute repellantur, sed ne *facilius* recipiantur, efflagitant : *Deprecamur ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere*. De episcopis autem hic sermonem esse ostendunt sequentia, quibus post allegatum Nicænæ synodi decretum hanc rationem subjiciunt : *Nam etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de* EPISCOPIS *voluit observari, ne in sua provincia a communione suspensi, a tua sanctitate præpropere vel indebite videantur communioni restitui?* Et dein ad clericorum appellationem transeunt : *Presbyterorum quoque*, etc., ubi particula *quoque* præcedentia non de clericis, sed de episcopis dicta fuisse confirmat. Quid autem hæc diversa loquendi ratio circa episcopos et clericos, nisi quia his, non vero illi interdicta fuit appellatio? Solum hac petitione, ne episcoporum provocationes *facilius* admittantur, cum nimiæ frequentiæ et abusibus voluerunt prospicere, tum vero eas ex Africana disciplina permissas, etsi rariores cuperent, se tamen non prohibere indicarunt. Quod si eæ rationes in eadem epistola subjiciuntur num. 3, quæ æque de episcoporum ac de inferioris ordinis clericorum appellationibus probant, aliud est obiter rationes omnibus communes inserere, aliud est æque omnes absolute recusare ac interdicere, quod de solis **971** clericorum appellationibus invenitur. Hinc forte has rationes inseruerunt paragrapho ubi de clericis agunt, non autem illi ubi de episcopis, quorum provocationes cum Africana disciplina non vetaret, satis esse putarunt, si *facilius* non reciperentur. Ex hac ergo epistola novum potius argumentum eruitur, quo episcoporum appellationes ab Africanis receptæ confirmentur.

30. Hic porro animadversione dignam putamus eam rationem qua hi episcopi clericorum appellationibus restiterunt. Sive acta synodi an. 419, sive epistolæ ad Bonifacium et Cœlestinum in causa Apiarii scripta legantur, ne verbum quidem detegetur quo apostolicæ sedis jus in iisdem causis in dubium vocetur. Omnes rationes ad difficultates ob locorum longinquitatem, ad pericula dilationum et fraudum, ad improborum abusus pertinent : quorum exempla in ipsa Apiarii appellatione demonstratum fuit. Licet enim justissime depositus ob crimina Africanis certa, hoc tamen effugio sese protexit, ac Faustinum legatum ita circumvenerat, ut ejus patronus potius quam judex videretur, cujus patrocinio fretus nonnisi post trium dierum disceptationem ad confessionem criminum compulsus fuit. Hoc tam funesto exemplo et abusu ad zelum excitati Africani Patres, hujusmodi appellationes, seu verius reproborum clericorum perfugia ex Africana disciplina interdicta ab apostolica sede omnino repellenda scripserunt. Etsi vero id prohibuerint jam inde ab an. 418, nihilo tamen minus non solum Faustinum et duos alios legatos ab apostolica sede missos non repulere, sed eorum etiam sententiæ acquiescentes Apiarium communioni restituerunt. Adeo vero apostolicam auctoritatem in his ipsis clericorum appellationibus venerati sunt, ut licet idem Apiarius post primam restitutionem anni 419 in nova crimina relapsus, atque idcirco depositus, ad Romanum pontificem iterum confugerit; licet nova delegatio Faustini transmissa fuisset eo tempore cum jam Africani certi erant inter Nicænos non reperiri eum canonem qui pro ea fuerat productus, ac proinde ea conditione amplius non tenerentur, qua se obligarant solum usque ad diligentiorem Nicænorum canonum inquisitionem; adhuc tamen in apostolicæ sedis observantiam eumdem Faustinum legatum ut judicem receperunt, et solum conquesti sunt cum Cœlestino quod ille Apiarii patrocinium potius quam judicium susceperit, et defensoris magis quam judicis personam gesserit : hacque de causa zelo justitiæ ducti, meras rationes fraudum et periculorum efferentes, rogarunt pontificem ne amplius reciperet appellationes ejusmodi, quæ ex abusu pravorum in perniciem vergunt, et ne uteretur hujus generis legationibus, quas in nulla synodo constitutas repererant, quasque his primis exemplis male cessisse experti fuerant. Ubique igitur intactum jus, et sola pericula ac scandala proposita, ob quæ modeste et humiliter restitere, ac ejusmodi appellationes interdicendas putarunt. Videant qua moderatione iis utendum sit, qui hac in re Africanis magistris ac ducibus gloriantur, ac simul intelligant quam perperam hanc Africanorum resistentiam solis appellationibus clericorum transferunt ad episcoporum appellationes, quas ab Africanis numquam vetitas et semper receptas ostendimus. Sed hæc obiter. Stet interim Afros episcopos restitisse quidem, sed modeste, at intacto jure, inferiorum clericorum appellationibus; Sardicenses autem canones statuentes de appellationibus episcoporum hac occasione repudiasse ex sola ignorantia, quoad methodum apostolicæ delegationis tantum; reipsa tamen cum horum appellationes admitterent, eosdem canones olim a majoribus suis firmatos atque susceptos, quoad substantiam recepisse, licet per hæc tempora eos inducto præsertim Nicænorum nomine ignorarent.

31. Ex his porro evincitur falsitas illius prolixæ annotationis, qua Quesnellus caput 12 epistolæ 12 Leonis ad Mauros eo peculiari nomine supposititium statuit, quia Lupicini episcopi Afri appellationem ad Romanum pontificem præfert, a qua Africanos abhorrentes ex documentis in Apiarii causa editis veluti certum traducit. Cum vero nos hoc caput omnino sincerum aliunde probarimus, hinc potius episcopalium appellationum disciplinam ab Afris haudquaquam repudiatam agnoscimus, cum præsertim nulla hac in re controversia excitata notetur, summaque erga Leonem Romanum pontificem Africanorum observantia ex toto epistolæ contextu elucescat. Cæterum si non hoc tempore, certe non multo post ipsi Sardicenses canones ab Africanis recepti videntur, eo **972** quod fortassis cursu temporis, sive accuratius inquirentes, sive docentibus Romanis nos a Nicænis distinctos, ac Sardicensium nomine a Grato Carthaginensi aliisque majoribus suis approbatos, ac in Carthaginensi synodo ab eodem Grato laudatos tandem didicerunt. Quidquid autem de Africanis, quoad Sardicenses canones, quispiam existimet, nihil convincit pro Gallis vel cæteris qui Sardicenses canones in suos codices retulerunt, ut superius ostendimus.

32. Sardicensibus canonibus subjiciendæ sunt synodi Romanæ epistola sub Damaso scripta ad imperatorem Gratianum, et ejusdem Gratiani lex, quibus episcopalium appellationum disciplina statuitur, et Celidonii appellationis præcipua ratio ac vindiciæ proponuntur. Concilium Romanum a Gratiano legem petiit, quo judiciorum ecclesiasticorum ordo sæculari, ut aiunt, brachio protectus adversus renitentes firmaretur; et huic petitioni lex plane respondens edita fuit, quæ cum emendatior sit ac sensui conformior, ex ea Romanæ synodicæ in unico et minus emendato codice a Sirmondo inventæ lectio corrigenda est. Igitur in synodica Romani concilii Patres ab imperatore imprimis petunt, n. 9, *ut jubere pietas vestra dignetur, quicumque vel ejus* (Damasi pontificis, ut ex contextu atque ex ipsa Gratiani lege liquet) *vel nostro judicio, qui catholici sumus, fuerit condemnatus, atque injuste voluerit Ecclesiam retinere, vel vocatus sacerdotali judicio* (ex lege Gratiani legendum, *ad sacerdotale judicium*) *per contumaciam non adesse, seu*

ab illustribus viris præfectis prætorio Italiæ vestræ, sive a vicario accitus ad urbem Romam veniat. Cum unus esset præfectus prætorio Italiæ, et plures vicarii qui præfecto prætorio Italiæ suberant, error est manifestus in verbis *præfectis prætorio Italiæ vestræ et vicario;* ac præterea in subsequentibus deesse videtur membrum quod antecedentibus respondeat. Melius et integrius legitur in lege ex qua hic quoque synodicæ textus corrigendus, seu potius supplendus est: *Aut ab illustribus viris præfectis prætorio Galliæ atque Italiæ, sive a proconsulibus vel vicariis auctoritate adhibita ad episcopale judicium remittatur* (quod membrum ad verba antecedentia *vocatus ad sacerdotale judicium* refertur, et in synodica desideratur) *vel ad urbem Romam sub prosecutione perveniat.* Hæc de primæ cognitionis judiciis, quoad loca Romæ viciniora. Subditur vero statim de iisdem judiciis quoad loca a Romana urbe remotiora in laudata synodica, et totidem fere verbis in lege: *Aut si in longinquioribus partibus hujusmodi emerserit quæstio, ad metropolitani per locorum judicia deducatur examen, vel si ipse metropolitanus est, Romam necessario, vel ad eos quos Romanus episcopus judices dederit, contendere sine dilatione jubeatur.* Cum non solum præfecto prætorio Italiæ, verum præfecto prætorio Galliæ, sicut et proconsulibus, Hispaniæ scilicet et Africæ, ac vicariis præfectorum præceptum tradatur, generalis utique disciplina hac lege exponitur, quæ totius Occidentis, ac nominatim Gallicanas Ecclesias spectabat. Et in locis quidem a Romana urbe non valde remotis ipsa quorumlibet episcoporum prima cognitio vel provinciali synodo, vel Romano antistiti asseritur: in remotioribus autem quoad episcopos tribuitur metropolitano, et subintelligitur cum suæ provinciæ synodo; quoad metropolitanos vero Romano pontifici, vel iis quos idem pontifex judices delegaverit, et præcipitur ut si quis ad judicium vocatus adesse noluerit, sæculari brachio compellatur. Tum de provocatione a judicibus primæ cognitionis additur: *Certe si vel metropolitani vel cujusque alterius sacerdotis suspecta gratia vel iniquitas fuerit, vel ad Romanum pontificem, vel ad concilium certe quindecim episcoporum finitimorum ei liceat provocare.* Duæ provocandi seu appellandi rationes indicantur, quarum altera *ad Romanum pontificem* cuivis libere conceditur, si judices primæ cognitionis in suspicionem veniant. Celidonio autem Hilarius, qui metropolitanus ipsius non erat, et incompetens judicium usurpaverat, suspectus esse potuit, necnon ejus causæ minus idonei judicari potuerunt etiam cæteri Galliarum episcopi, in quos eumdem Hilarium maximam auctoritatem exercuisse, non tam in S. Romani Vita quam in ipsa S. Leonis epistola innuitur; ac propterea vel ex hoc ad Romanum pontificem citius quam ad finitimos Gallicanos antistites provocare ipsi Celidonio maxime licuit. Neque refert utrum is ante an post judicium Hilarii provocaverit. Nam præterquam quod ignotum est num ipsi Hilarii judicio **975** interfuerit, certe cui licet ob suspicionem aliquam ante judicium provocare, eidem multo magis licet post judicium, si quoad gravamen antea suspicabatur, reipsa post judicium sibi obvenisse compererit; qua quidem de causa appellationes etiam a judicibus, de quibus antea nulla erat suspicio, omni jure conceduntur.

33. Inter ecclesiastici juris regulas referendæ sunt epistolæ decretales Romanorum pontificum, quas quidem Gallicanos veneratos suis collectionibus canonum inseruisse ante Dionysium, et vim statuti habuisse apud ipsos Quesnellus fatetur diss. 16 tomo III edenda, § 12, et ita fatetur ac si secus sentire sit *Apostolicæ sedis auctoritatem totis quingentis annis* ab illis ita spretam credere, ut ante Dionysium *de colligendis illis decretis non cogitaverint*. Et addit: *At meliora nos ac magis religiosa de Gallicanis aliisque Ecclesiis erga caput ac primatem suum existimamus.* Itaque in rem præsentem haud omittenda est epistola Innocentii ad Victricium Rothomagensem, quam sane iidem quoque codices ab eo laudati præferunt, sicut et codex Morbacensis, Palatinus 574 et Fossatensis qui puras Gallicanas collectiones continent. Victricium Romam venisse, ut aliquod crimen sibi per calumniam impositum Romano in judicio purgaret, ex S. Paulini epist. 37 ad eumdem scripta colligitur. Ea autem Innocentii decretalis Gallicano episcopo *normam atque auctoritatem* a Romana Ecclesia postulanti tradita, Galliarum Ecclesias potissimum respicit. In hac autem cap. 3 statuitur ut majores causæ, inter quas sane judicia de episcopis maxime censentur, *ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.* Id appellandi, ubi quis se injuste damnatum senserit, facultatem decernit, quam quidem et a Sardicensi synodo constitutam, et consuetudine confirmatam ostendimus. Paulo ante ibidem præceptum fuerat ut causæ etiam *superioris ordinis*, id est episcoporum, in concilio ejusdem provinciæ terminentur; nec alicui liceat a judicio episcoporum provincialium ad alias convolare provincias, *sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri;* quod jus appellationum ad hanc Ecclesiam sartum tectum servat.

34. Concludam hoc caput ecclesiastici juris Constantinopolitani episcopi exemplo. Decretus *fuerat* in synodo Constantinopolitana I anni 381 episcopo Constantinopolitano *honoris primatus post Romanum episcopum, propterea quod urbs ipsa sit junior Roma.* Postea episcopi hujus urbis Nectarius, S. Joannes Chrysostomus, Atticus, Sisinius, et S. Proclus de episcoporum causis et appellationibus ex variis Orientis provinciis ad se delatis passim judicarunt; quod deinceps in Chalcedonensi confirmatum fuit can. 9 et 17. Id autem cum nullo jure per se attribui posset episcopo Constantinopolitano, qui ne metropolitanus quidem fuerat, sed Heracleæ suffraganeus, suffulciri et defendi cœpit ex memorato canone concilii Constantinopolitani I, ac si primatus honoris huic sedi tributus, quia est nova Roma, non merum honoris gradum, sed eorumdem privilegiorum participationem inferret, uti colligitur ex Chalcedonensis concilii act. 16, nec non ex ejusdem relatione ad S. Leonem. Quare sicut Romanus pontifex de episcopalium appellationum causis cognoscebat, ita etiam Constantinopolitanum posse de iisdem cognoscere ex Constantinopolitanæ synodi decreto judicatum fuit. Igitur hoc jus Romanæ sedi per hæc quoque ante Leonem tempora competens, ac præsertim in Occidentalibus episcoporum causis frequenti usu exertum notissimum esse debuit, ut simile jus in Orientis episcopos communicato sibi novæ Romæ honore Constantinopolitanus antistes exercendum putaret. Huic quidem juris prærogativæ Romana sedes plurimum restitit, non solum quia Constantinopolitanæ synodi canones olim nec noverat nec receperat umquam, verum etiam quia reipsa hæc synodus nudum honoris gradum post Romanum episcopum, non autem jus ullum Constantinopolitanis detulerat. Mirum vero nobis maxime accidit, neminem succensere Constantinopolitanis episcopis, quod Orientalium appellationum jus nullo canone ipsis tributum usurpaverint solo colore unius canonis, qui merum honorem vindicabat, nonnullos vero usurpati juris accusare Romanos pontifices, cum illud jus exercuere, quod ipsis antiquis Orientalibus ac Constantinopolitanis erat certissimum, et non tam consuetudine quam in Sardicensi concilio aliisque ecclesiasticis **977** documentis apertissime asseritur. Quid si non hoc solo ecclesiastico, sed etiam divino jure appellationum causæ Romanæ sedi competant? de quo exploratissimo capite sequenti statuetur.

CAP. VII. *De appellationibus ad Romanam sedem ex divino jure; et quatenus appellationum jus in primatu radicem habeat.* — 1. Hoc præcipuum pontificii juris fundamentum est, cui et consuetudo et ipsum ecclesiasticum jus circa appellationes innititur; unde Va-

lentinianus III, in litteris ad imperatorem Theodosium, quæ inter Leoninas sunt epist. 55, idem appellationum jus et ex consuetudine et a conciliis apostolicæ sedi tributum *hujus rei*, id est primatus, *gratia* in Flaviani causa, quæ appellationis causa fuit, eidem asseruit, ut in antecedenti capite vidimus. Hinc etiam Leo primatus jura ab Hilario violata, cum Celidonii appellationi restitisse visus est, cap. 2, epist. 12, conquestus fuit. Quesnellus part. I, c. 15, dum appellationum consuetudinem repudiatam probare studet, *hujus disciplinæ causam et originem in episcopalis dignitatis natura et sacrosanctis privilegiis fundatam* tradit, hoc est, in jure divino, quod *jus non scriptum* vocat. Hac in hypothesi quoties vel antiqua vel recentiore disciplina episcoporum judicia per appellationem ad sedem apostolicam delata fuere, divinum episcopalis dignitatis jus violatum fuisset. Quis tantum commentum in animum usquam inducet? Interest igitur non minimum pontificium jus circa appellationes e divini juris primatu dimanans explicare et constituere, ne qua injuria episcopalibus judiciis exinde illata credatur. Idem Quesnellus hoc ipsum aliquando pervidit; nam dissert. 16, quam tomo III inseremus, § 14, n. 4, aperte declarat, Gallicanos, cum appellationes receperunt, *respexisse ad primatus pontificii dignitatem, ac potentiorem, ut Irenæus loquitur, principalitatem*. Jam in canonibus Ecclesiæ Africanæ communis illa regula inseritur can. 15 apud Dionysium, *ut a quibuscumque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, provocare liceat*. Hinc appellationis jus ad Romanum pontificem in tota Ecclesia negari nequit nisi ab eo qui *majorem auctoritatem* supra quaslibet totius orbis Ecclesias eidem summo pontifici negare cum hæreticis et schismaticis audeat. Hæc autem *major auctoritas* primatui seu *potentiori principalitati* referenda est. Quatenus vero hoc appellationum jus e pontificio primatu, ac proinde ex divino jure dimanet, ut facilius ac rectius intelligamus, in primigeniam ecclesiasticæ jurisdictionis originem paulisper intendendus est animus; et quid a Christo circa pontificum Romanorum jus supra episcopos fuerit institutum, ante est perspiciendum; neque enim jura melius quam ex ipsa institutione et origine cognosci possunt.

2. Omnes apostolos inter se divina constitutione fuisse æquales, uno Petro excepto, qui Christo deferente non meri ordinis, sed peculiaris jurisdictionis primatum supra omnes obtinuit, ac propterea neminem cæterorum apostolorum ex divino jure habuisse supra alios jurisdictionem, solum autem Petrum eodem jure divino eam habuisse, inter catholicos convenit. Cum porro eodem jure apostolis episcopi successerint, nec tamen majorem præ illis jurisdictionem, Christo instituente, sint consecuti, Petro autem successerit Romanus pontifex, et cum eadem primatus jurisdictione successerit, consequens fit nullum episcoporum nisi solum Romanum pontificem jure divino supra alios episcopos jurisdictionem accepisse. Ad hanc autem jurisdictionem supra episcopos pertinet causas episcoporum cognoscere et judicare; id enim jurisdictionis est, quæ superiori tantummodo competit. Igitur ex Christi institutione ac divino jure nemo singulorum episcoporum de aliorum episcoporum causis potest cognoscere et judicare; Romanus autem potest: unde Valentinianus in laudata epist. 55 ad Theodosium inter primatus pontificii jura retulit generalem *potestatem de fide et sacerdotibus* (id est episcopis) *judicare*.

3. Hinc quidem nulli patriarchæ, metropolitæ nulli jure divino instituti sunt, quibus hæc jurisdictio eodem jure tribuatur; sed omnes ecclesiasticæ institutioni **979** sicuti originem, ita et auctoritatem referunt. Cum enim Petrus ejusque successores Romani pontifices nec ubique præsto esse, nec omnibus omnium episcoporum causis pro suo jure possent ubique opportune prospicere, ecclesiastica institutione pro-

A visum fuit ut in singulis provinciis singuli, et alii rursum in majoribus diœcesibus majorem, quam episcopatus fert, haberent auctoritatem, vi cujus inter cætera de episcoporum causis certa ratione ac modo cognoscerent, de quibus ex jure divino solus Petrus ac successores ejus cognoscere potuissent, et hac ratione, quæ sane verissima est, jurisdictio Petri ac successorum ejus peculiaris ex institutione divina, ecclesiastica quodammodo delegatione aliis communicata fuit. Tales sunt illi qui postea patriarchæ vel metropolitani appellati sunt. In hanc autem institutionem ecclesiasticam, quæ proprium Petri ac successorum ejus jus aliis episcopis communicavit, ipse procul dubio S. Petrus aut successores ejus saltem interpretative, ut ita dicam, consensisse credendi sunt; nemo enim alius per se ea jurisdictione expers illam potuisset in quempiam transferre eo inscio vel invito, qui eamdem solus non humano, sed divino jure obtinebat. Vulgata est enim illa juris regula: B *Nemo potest plus juris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur*. Quod si apostoli pro extraordinario apostolatus jure in universam Ecclesiam, quod in episcopos successores non transivit, supra antistites ipsos jurisdictionem habentes potuerunt quibusdam eamdem communicare, eamque præterea aliquibus majorum sedium episcopis reipsa communicasse præsumantur, cum communicassent jurisdictionem, quæ jure ordinario ac divino soli Petro ac successoribus ejus competebat, non sine interpretativo saltem istorum consensu eam communicasse dicendi essent, vel saltem sine ipsorum præjudicio, ne jurisdictio quæ ordinario et divino jure ad ipsos pertinet detrimentum caperet.

4. Hanc autem patriarcharum ac metropolitarum jurisdictionem conciliorum canones subinde approbarunt, vel certis finibus, prout necessitas vel utilitas flagitabat, coercuere: initio vero pluribus in locis immemorabili tantum consuetudine certus modus viguit, certique fines fuerunt præscripti, qui pro lege C habebantur, et in canonibus confirmati inveniuntur. Quidquid autem sive canones sive consuetudo circa hanc jurisdictionem patriarchis aut metropolitis attribuit, cum juris sit et institutionis meræ ecclesiasticæ, primigenio et divino Petri ac Romanorum pontificum juri præjudicare non potuit: quidquid enim ecclesiastici, immo et apostolici juris est, juri divino ne tantillum quidem decerpere potest. Quæcumque ergo ecclesiastica vel etiam apostolica auctoritate instituta fuerit patriarcharum aut metropolitarum jurisdictio in episcoporum causis, salva semper intelligenda est Romanorum pontificum divini juris auctoritas; adeo ut sicut ante eam institutionem ecclesiasticam isti ex divino jure poterant de causis episcoporum cognoscere ipsa cognitione prima, ita post eam institutionem æque pro suo jure possint. Quare nec canones nec consuetudo, sicut nec apostoli ipsi potuerunt efficere ut Romani pontifices, qui soli sunt immediati episcoporum superiores jure divino, D eadem immediata jurisdictione in episcopos non gaudeant, quæ ex divino jure descendit, nec ut ad ipsos eodem jure non pertineat ipsa episcopalium causarum prima cognitio, si eam, aliis licet ecclesiastica institutione communicatam, ex eodem jure ad se revocare crediderint expedire. Nec si id facerent, alienum jus arripere, et patriarcharum vel metropolitarum jurisdictionem per injuriam usurpare et infringere, sed proprium jus sibi divina institutione competens repetere et exercere dicendi essent. Hinc nullius quidem injuriæ in Gallicanorum antistitum privilegia accusari potest Patroclus Arelatensis, cum Proculi Massiliensis, aut Hilarii Narbonensis causam in prima cognitione ad apostolicam sedem detulit; nec in ea re usurpati juris notari queunt Zosimi decreta, quæ adversus Proculum pro Arelatensis jure edita, ipse Quesnellus part. II, c. 4, veluti æquissima vindicare studet. Similiter reprehendi nequeunt Valentinæ Ecclesiæ clerici, cum Maximi episcopi cau-

sam ad Bonifacium papam immediate cognoscendam detulere.

5. Posset quidem nonnullis in circumstantiis contendi hanc primigenii juris revocationem, si qua insolita in provinciis judiciorum forma aboleretur, non expedire, eo quod plura exinde incommoda aut scandala sequerentur, quæ ex naturali ac divina lege impedienda sunt, et ut impedirentur quidem, ea ecclesiastica **961** institutione provisum fuit; ita ut hanc institutionem licet ecclesiasticam immutare et delere pro repetendo primigenio licet divino jure, sit ea in hypothesi pluribus incommodis et scandalis viam aperire, ac potestatem divini juris velle exerere et exercere in destructionem Ecclesiæ, cum in ædificationem tantummodo collata fuerit. At aliud est quærere num quid expediat vel liceat; aliud vero negare potestatem et jus ipsum, quod institutione divina certum sit, et alieni juris usurpationem criminari. Qui de primo solum disputat, si non passione vel præjudicio aliquo, sed zelo ac veritate ducatur, soliusque boni publici intuitu agat, ut scandala impediat, et rationes in hanc rem opportunas quibuscumque potest viribus (debita semper observantia et moderatione servata) urgeat atque promoveat, quibus institutionem ecclesiasticam consuetudine firmatam sartam tectam servandam, a novitate autem inducenda abstinendum esse suadeat; at nihil tamen opponat quod ipsam pontificiam certeque divinam institutionem feriat, non solum nihil peccaverit, verum etiam sancte et laudabiliter faciet. Ita nemo est qui non plurimum commendet S. Bernardum, cum monasteriorum exemptiones ab episcoporum jure sola ambitione quæsitas, et nullo communis utilitatis intuitu, sed pro officiorum magnitudine, vel solo pontificis arbitrio concessas reprehendit, ab eisque in posterum concedendis Eugenium III deterrere conatus est, non ea tamen de causa quod hæc concessio pontificiam auctoritatem excederet, et episcoporum jus invaderet ac per injuriam violaret, sed quia opponebatur rationi ac justitiæ late sumptæ, quæ ambitionem et vitia fovere vetat, atque scandalis exinde manantibus aditum occludere jubet. *Sic factitando*, inquit ad Eugenium pontificem (*Lib.* III *de Consid. c.* 4, *n.* 4), *probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc quia potestis; sed utrum et debeatis, quæstio est*; et in hoc explicando pluribus prosequitur. Vides hic indicatam distinctionem potestatis seu juris, quod non vocatur in dubium, immo plane asseritur, et executionis (eo quod non expediat) illicitæ; in qua una demonstranda sine læsione juris ac potestatis insistitur. Nec dissimiliter idem doctor lib. III de Consid. ad eumdem Eugenium, c. 2, et epist. 178, ad Innocentium II, cum appellationibus ad sedem apostolicam sese opposuit, in abusibus et scandalis exinde enascentibus institit, seu in eo quod expediret, intacto semper jure, quod ex primatu dimanare professus est. *Appellatur de toto mundo ad te. Id quidem in testimonium singularis primatus tui. At tu, si sapis, non primatu gaudebis, sed fructu*, etc.

6. Si hac eadem methodo atque moderatione uterentur, quicumque pro suarum regionum consuetudinibus aut institutis veterum canonum conservandis disputant, nihil esset criminandum. At si a quæstione *utrum expediat ac fieri debeat*, quæ una in rebus ejusmodi locum habere potest, transeant ad negandam vel in dubium revocandam jurisdictionem pontificiam, quæ certissima est ex ipso divino jure, nonne aperta perversio et injuriosa ac injusta disputatio erit? Ita si de prima episcopalium causarum cognitione apostolicæ sedi reservanda ageretur, qui aliorum judicum, ubi alia disciplina viget, jurisdictionem hac perversa et falsa ratione vindicandam putaret, et idcirco pontifices alieni juris usurpatores traduceret, pro vindicando illorum jure ecclesiastico indubium et altius pontificum jus a divina institutione manans aderirctur atque violaret; et dum canones atque consuetudines Ecclesiarum, quæ sunt institutionis ecclesiasticæ, in hanc rem afferret ac propugnaret, divinæ institutioni, cui jus pontificium innititur, contrairet; immo pugnaret etiam adversus ipsos canones, qui hanc supremam divinæ institutionis jurisdictionem confirmarunt sæpissime, et salvam semper in quibusque ecclesiasticis sanctionibus voluerunt intelligi. Injuriæ quoque deberet accusare ipsam Tridentinam synodum, quæ hanc primam de gravioribus episcoporum causis cognitionem Romano pontifici asseruit sess. 13, c. 8, et sess. 24, c. 5. Rationes quibus hæc reservatio expedire dicenda sit, hic inquirendæ non sunt; de solo enim pontificio jure nobis est quæstio.

7. Hoc autem loco præteriri nequit Quesnelli audacia, cum part. I, c. 9, Gallicanis episcopis Arelatensi adhærentibus succenset, quod una cum Viennensi episcopo controversiam de jure metropolitico sub Ravennio renatam S. Leonis judicio subjecerint. Eodem quoque nomine Patroclum Arelatensem reprehendit **962** cap. 16, qui ob similem controversiam Zosimum adiit. Moleste nimium fert hic scriptor, Gallicanas causas ad apostolicam sedem dijudicandas deferri: adeo ut si ipse S. Trophimus primus episcopus Arelatensis ab eadem apostolica sede missus in Gallias, obortis aliquot inter episcopos dissidiis, hæc ad Romanum pontificem retulisset, dubitare liceat num aliquid etiam reprehensionis et querelarum sparsisset adversus eumdem S. Trophimum, quasi hoc exemplo Gallicanis Ecclesiis præjudicium creasset. Non queritur quod ea causa ante Leonem et Zosimum in Taurinensi concilio episcoporum Italorum examini subjecta fuerit, tametsi illi Itali episcopi nullo proprio jure Gallicanis præessent. Solius Romani episcopi, qui in totam Ecclesiam, se præsertim in Gallicanas a Romana immediate dimanantes jurisdictionem habet, judicium refugit, ac Gallicanos hoc tribunal adeuntes maximi præjudicii auctores traducit. Hilarium omnibus imitandum proponit, qui ad Leonem profectus, *palam denuntiavit se ad officia, non ad causam venisse, protestandi ordine, non accusandi, quæ acta erant suggerere*. Ita solius Hilarii exemplum suo modo explicatum cæteris præferendum putat. Consuetudinem et canones ingerit, ac si consuetudo et canones pro Romano jure non probarent, vel divinum apostolicæ sedis jus ullis canonibus aut consuetudinibus infirmari seu deferi potuerit. Multo autem mirabilior est hæc Quesnelli querela, cum controversia inter Viennensem et Arelatensem ejusmodi esset, quæ nec a Gallicanis episcopis, nec ab Italis Taurinensis concilii Patribus definiri aut componi potuerit. Num perpetuo debebat ebullire ac episcopos in partes discindere, ne ad Romanum tribunal deferretur? Zosimus quidem agente Patroclo adjudicavit illam Arelatensi. At Zosimi sententia, quam subreptio extorserat (ut probabimus part. II, c. 2), per Bonifacium saltem quoad Narbonensem metropolim emendata, quoad Viennensis quoque jus infirmata credi potuit. Hinc autem cum eadem controversia sub Leone revixerit, ad quem confugiendum erat nisi ad eam sedem quæ antea de eadem causa cognoverat atque decreverat? Neque vero S. Leo, cum Ravennii ordinationem approbavit, quidquam de ea controversia pro Arelatensi decidere voluit. Solum enim ipso facto approbavit Arelatensem episcopum metropolitam esse a Viennensi distinctum; nihil autem de peculiari, et, ut ita dicamus, individuo Viennensis aut Arelatensis jure constituit. Cum porro ea occasione episcopi apud Leonem egerint etiam de confirmandis peculiaribus prærogativis Arelatensi sedi a Romana concessis, uti erat jus formatarum et indicendarum synodorum ex universis Gallis, nonne hac præsertim in re si quid dubii inciderat, justum erat ipsum privilegiorum fontem adire, ut ex certa confirmatione omnis dubitatio tolleretur? Quid præjudicii his in rebus Quesnellus comminiscitur? Num præjudicio esse potest, in

controversiis et ambiguitatibus de jurisdictione ecclesiastica inter Gallicanos exortis ab ea sede sententiam quærere, a qua omnis Gallicanarum Ecclesiarum jurisdictio originem ducit? Neque jus ob S. Trophimi honorem olim quæsitum ingeratur. Numquid enim honor S. Trophimi, qui in Gallias a Romana sede missus, omnem jurisdictionem ab eadem accepit, in eo collocandus est, ut jus ejusdem sedis successores ejus haudquaquam agnoscant, et ab eo quasi suis juribus pernicioso maxime caveant? Nonne hæc vel suspicari solius hominis esse potest, qui ob infensum in Romanos pontifices animum minus recte judicet? Sed redeamus in viam.

8. Licet autem in re præsenti non agatur de prima episcopalium causarum cognitione, de qua pauca quædam attigimus, nemo tamen non videt, hæc si plurimum valent in quæstione de prima earumdem causarum cognitione, in quæstione de appellationibus valere multo magis. Si enim Romanus pontifex ratione primatus ex divino jure potest immediate judicare de episcoporum causis ipsa cognitione prima, multo magis poterit in causis appellationum, quæ post judicium patriarcharum aut metropolitarum in synodis provinciarum ad superiorem ipso jure deferuntur, qualem supra patriarchas et metropolitas et supra ipsas provinciales synodos esse Romanum antistitem catholicorum nemo dubitat. Quod si in quibusdam regionibus præsertim a Romana sede remotis antiquo usu receptum fuit ut hæ quoque causæ a finitimis episcopis vel a pleniori synodo cognoscantur ac terminentur, id ecclesiastica pariter institutione 985 fuit inductum, non aliquo peculiari jure, quod sive finitimis episcopis, sive pleniori concilio divina institutione competeret, sed ob expediendum facilius et celerius negotium et ne ob longinquitatem itinerum ac difficilem traductionem testium moræ innecterentur longiores, quibus scandala diutius vigerent, et subreptiones aut obreptiones facile irreperent. Igitur in hoc pariter, si res ita ferat, agi poterit eo nomine quod non expediat novitatem inducere (nam *ipsa quidem mutatio consuetudinis*, ut notavit Augustinus epist. 118, *etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*), non vero quod jurisdictio pontificibus desit. Et siquidem hæc jurisdictio in ejusmodi causis vocaretur in dubium prætextu consuetudinis aut canonum; consuetudo et canones per summum abusum præferentur divino ac certo juri Romanorum pontificum, cui omne humanum jus cedat necesse est.

9. Idem dicatur de canonibus Sardicensibus, qui causas appellationum episcoporum a Romano pontifice per delegatos in provincia judices, vel per legatum in eam missum cognoscendas innuunt. Id enim similiter illud respicit, quod credebatur magis expedire, non vero quod pontificium jus hoc limite circumscriptum putaretur; unde can. 4 ejusdem synodi memorantur causæ episcopales agendæ *in urbe Roma et in judicio Romani episcopi determinandæ*. Similiter cum Africani episcopi in litteris ad Cœlestinum institerunt ut de appellationibus judicium ferretur in Africa, pro suarum Ecclesiarum disciplina, quam utiliorem existimabant, retinenda laborarunt; unde difficultates ejusmodi judiciorum (si extra Africam instituantur) pravorum *improba refugia*, dolos, ac subreptiones facile irrepentes exposuere; quæ ad id quod expedit pertinent: nihil autem impetiverunt pontificium jus, quod toto hoc in negotio intactum eos reliquisse satis colligitur ex capite antecedenti num. 30.

10. Ingerit Quesnellus sub finem c. 16, illa eorumdem Africanorum et alia similia Cypriani verba, quibus *negotia quæcumque in suis locis, ubi orta sunt, finienda*, et *causas illic audiri ubi crimen est admissum*, justum et rationabile dicitur. Idipsum etiam statuerunt imperatores Valentinianus et Valens leg. 10 et 13, Cod. Theod. *de Accusat.* et *Inscriptionibus*. Id autem respicit solum quod expedit; et sicut imperatores iis legibus non sibi ademerunt jus, quod sibi competebat, easdem causas cognoscendi per se ubicumque essent, ita nec laudati Patres recitatis verbis eam jurisdictionem pontifici denegarunt, quam eidem competere certissime cognoscebant. Quod si nonnullis in locis ipsam jurisdictionem aliquatenus perstrinxisse videntur, novum non est in disputationis æstu aliqua verba excidere quæ aliquanto excedunt, et nimis probant quam deberent, et quam ipsi vellent a quibus illa adhibentur.

11. Opponit Quesnellus paulo post initium c. 14, illa Africanorum, seu Cypriani in libro de Unitate Ecclesiæ: *Episcopatum unum esse atque indivisum, cujus a singulis in solidum pars tenetur*; ac mox transiens ad formam judiciorum et appellationum in provinciis subdit: *Si quis secus fecisset, et ad extraneos judices vellet per appellationis libellum confugere, is episcoporum concordiam cohærentem collidere unitatemque scindere merito putabatur.* Alia Cypriani verba respicit ex epist. 55. Verum quidem est, quod primo loco scripsit Cyprianus, *episcopatum unum esse cujus a singulis in solidum pars tenetur.* At cum a Romano pontifice ea pars teneatur exclusis reliquis, in qua primatus non ordinis, sed præcipuæ jurisdictionis situs est, nec id negetur a Cypriano, qui eumdem primatum pluribus statuit; cum negari nequit quin ejusdem primatus causa supra omnes episcopos divino jure pares jurisdictionem obtineat, tum negari consequenter nequit quin eodem jure possit de iisdem judicare sive in prima sive in secunda cognitione; et appellatio ad ipsum dici non potest appellatio ad extraneum judicem, cui jus non competat. Illa porro, *episcoporum concordiam cohærentem collidere*, si ex integro Cypriani textu sumantur, a pontificio jure proscindendo alienissima cognoscentur. De schismaticis enim, qui condemnati Romam confugerant, ut schismati patrocinium quærerent, ait: *Oportet eos quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola ac fallaci temeritate collidere*; quæ non in censuram pontificii juris, sed in detestationem solius temeritatis hominum perfidorum, qui Cornelium papam cum Cypriano cohærentem dolo malo 987 et fallaciis disjungere nitebantur, ab eodem producta ex contextu liquet. His igitur et similibus testimoniis omissis, quæ ad perstringendum jus pontificium perperam traducuntur, eorum doctissimorum sanctissimorumque pontificum auctoritas sequenda erit, qui idem jus certis principiis fultum asseruerunt; vel ad summum, ubi circumstantiæ videantur postulare, insistendum erit exemplo S. Bernardi, qui jus pontificium proferens, pro solo publico bono et episcoporum jure ex incommodis aliis prodeuntibus cum moderamine et observantia apostolicæ sedi debita dimicavit. Hæc æquissima regula est de ejusmodi controversia disserendi, quam qui non probe tenet, et consuetudinis aut canonum in provinciis receptorum nomine adversus jus pontificium circa appellationes disputat, divinæ institutionis jurisdictionem perperam impetit, et magno etiam cum scandalo, quod ab impetito primatus jure separari non potest.

12. Hactenus proposita de appellationum jure ad ea quæ in re præsenti agenda sunt sufficiunt; neque enim hanc controversiam agitatam a multis plenissime ad incudem revocare, nec omnia et singula quæ in eam incidunt expendere consilium fuit, sed ea tantum exinde delibare et proponere, quæ principii loco esse queant, ut quid in appellatione Celidonii sentiendum sit dijudicare possimus. Itaque ut paucis totam hanc disputationem perstringamus, Quesnellus cum causam de Celidonii appellatione c. 14 aggressus est, meram facti quæstionem verbis proposuit, et quid per ea tempora in Gallia obtinuerit sese expensurum prætulit. At cum hoc factum involveret consuetudinem et canones in Gallia receptos, ex quibus solis jus appellationum Leoni competere potuisse præsumpsit, reipsa in quæstione facti juris

quæstionem implicuit, et negatis pro appellatione Celidonii consuetudine atque canonibus, Leonem nullo jure de ea cognovisse, novumque jus in Galliis hac cognitione studuisse sibi comparare ostendere voluit, uti c. 4 recitatis ejus verbis demonstratum fuit. Nos vero tum consuetudinem tum canones appellationum jus in episcopalibus causis apostolicæ sedi tribuere duobus antecedentibus capitibus ostendimus. Id autem juris quatenus in prærogativa primatus fundetur, et e jure divino descendat, hoc capite satis explicasse et constituisse nobis videmur. Igitur cum S. Leo, renitente licet S. Hilario Arelatensi, judicavit Celidonii causam, non Hilarius pro consuetudine, nec pro canonibus in Gallia receptis pugnavit, nec Leo contra consuetudinem atque canones quidquam gessit, uti Quesnellus contendit; sed potius Hilarius, si huic judicio uti incompetenti restitisset, consuetudini et canonibus receptis sese opposuisset, immo etiam divinum primatus jus impetisse Leoni videri potuit; hic autem in ea causa judicans fecit quod poterat jure facere tum ex consuetudine tum ex regulis canonum, ac præsertim ex prærogativa primatus. Cum vero in Hilario hujus consuetudinis, canonum et divini juris ignorantiam et multo minus contemptum nequeamus credere, ne maximam ipsi injuriam appingamus, eum Romano judicio in Celidonii causa ea ratione repugnasse, quod in Leone jus appellationum non agnosceret, haudquaquam putamus.

13. Alia igitur de causa eum restitisse credimus, quod scilicet hanc causam Romæ cognosci ac judicari non crederet expedire. Quo nomine si circumstantiæ id postulare videbantur, potuit quidem sese modeste opponere, et causas proferre, ita ut pontificium jus intactum relinqueret. Num vero hac moderatione usus sit, facti quæstio est valde obscura, eo quod explorata documenta, quæ totius dissidii circumstantias indicent, nequaquam suppetant. Auctor Vitæ Hilarii moderationem et observantiam tota narratione repræsentat, nec in ejus ad Leonem allocutione, quam c. 17 describit, ullum verbum est quod dissidium præferat circa jus pontificium, immo Hilarium pontificio juri deferentem satis indicat illis verbis, quibus eum protestatum scribit, *si Leo aliud velit*, nimirum si velit causam definire, *se non futurum molestum*; quæ obsequentem animum et jus non inficiantem exhibent. Virtuti quidem et constantiæ Hilarii ascribit quod, dum Romæ suum judicium circa Celidonium defendit, *solus tantos sustinuit, quod nequaquam minantes expavit, quod inquirentes edocuit, quod altercantes vicit, quod potentibus non cessit, quod... communioni suæ, quem cum tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquievit, quod..... quos ratione non flexerat, credidit relinquendos*; sed **969** hæc nimis generalia sunt, ex quibus num disputando modum tenuerit ejus tantum quod expediret, an vero in hoc ferventius agenti aliqua exciderint, quæ videri possent ipsum jus ferire, colligi nequit. Econtra insolentibus et arrogantibus verbis Hilarium usum, quibus ipsius beati Petri reverentiam minuisse, et potestatem aliqua ratione impetisse visus est, Leo epist. 10, c. 2 et 3, non obscure significat; quod tamen ad contentionem juris circa appellationes necessario referendum non est, cum ipsa in quæstione ejus quod expedit, ferventior contentio aliqua verba exprimere potuerit, quæ auctoritatem apostolicæ sedis viderentur impetere. Confer hac in re quæ dicentur in observat. ad part. III, c. 1. Auxiliaris præfectus, in epistola ad Hilarium Vitæ hujus inserta c. 17, etsi arrogantiæ consilium ab eo amoveat, quædam tamen acerbiora, quibus Romanæ aures offenderentur, eidem excidisse indicat. Auctor autem Vitæ, qui illum Romæ fortiter dimicantem exhibuit, pertinacem non fuisse ostendit, cum eumdem reversum Arelatum *ad placandum animum S. Leonis inclinata humilitate conversum* tradit; et licet quæ eum *in hac causa dixisse* commemoret ad apologias pertinere

A credantur, in his tamen se moderate defendisse, ne pro placando Leone magis magisque irritaret, indubium videtur.

14. In tanta gestorum obscuritate, dum jus pontificis non negetur, reprehendere quidem nolumus, qui S. Hilarium moderate vindicare student; ac satius credimus judicium Deo reservare, quam temere aliquid definire; quod consilium idem auctor Vitæ Hilarii proposuit scribens: *Tantorum virorum* Leonis et Hilarii *præsertim jam ad supernam gratiam vocatorum nec in narratione audeo judicia ventilare*. Quesnellus vero omnino coarguendus, qui cum vindicandum sumpsit S. Hilarium, ita vindicandum putavit, ut non solum accusarit Leonem, sed ipsum pontificium jus ab Hilario jure impetitum prætulerit.

CAP. VIII. *Duo Leoni objecta in Celidonii negotio refelluntur.* — 1. Observationes in primam partem non concludemus nisi prius duas gravissimas criminationes diluamus, quibus Quesnellus in fine capitis
B ultimi partis primæ Leonem notare ausus est. Primum eum accusat quod Celidonium communionis suæ participem faciens, *sacris altaribus interesse passus est, antequam causæ ejus examen de novo institueretur*; quod pluribus canonibus vetitum prodit. De Celidonio scilicet interpretandum credit eum locum Vitæ Hilarii c. 17, quo hic coram Leone questus est *aliquos apud Gallias publicam merito excepisse sententiam, et in Urbe sacris altaribus interesse*. At in primis de legitima sententia a legitimo judice edita canones loquuntur. Sententiam autem Hilarii in Celidonium ab incompetenti judice latam vidimus; unde Celidonium incompetenter depositum Valentinianus tradidit. Sententiam autem ejusmodi manifeste nullam et irritam qui canones servandam tradidere?

2. Deinde canones qui allegantur, cum excommunicatos ab aliis recipi vetant, a legitimæ appellationis circumstantiis præscindunt, et num idipsum hoc quoque interpositæ appellationis casu servandum sit, nullo indicio significant. Appellationem quidem legi-
C time interpositam, nisi quid specialiter excipiatur, sententiæ effectum suspendere, generalis ac notissima regula est, quam idem Quesnellus profitetur dissert. 8, n. 1. Enimvero cum in Sardicensi concilio sermo esset de casu appellationis ad Romanum pontificem ab eo interpositæ qui depositus fuerat, decretum fuit can. 4 ut appellatione pendente nullus in locum ejus ordinetur; quod sane depositionis effectum ipsa appellatione suspensum præsumit; unius enim episcopi legitima depositio alterius ordinationem inferebat. Si autem depositionis effectus suspendendus erat quoad ordinationem alterius, consequens videbatur quod ipsa depositio haberetur suspensa, ita ut ille adhuc episcopus habendus esset, quoad ipsius causa novo judicio determinaretur. Hinc forte in eodem canone ejusmodi episcopus non absolute *depositus* dicitur, sed *qui videtur esse depositus*, ac si per appellationem effectu suspensivo in episcopatus gradu persisteret, et communione episcopali, seu in gradu
D episcopi recipi posset præsertim ab eo ad quem appellavit.

991 3. Hanc quidem disciplinam obtinuisse apud Romanam Ecclesiam, ut quicumque a gradu suo depositi et communione sui gradus privati ad sedem apostolicam appellassent, iis communio in suo gradu traderetur, quoad causa non esset determinata, palam fit ex facto Apiarii presbyteri, *quem* (ut scripserunt Africani episcopi in epistola ad Cœlestinum pontificem) *tua sanctitas credens appellasse, quod probare non potuit, communioni reddiderat*; ubi ratio reddendæ Apiario communionis non in novum judicium, quod nondum habitum fuerat, sed in ipsam appellationem refertur; neque hoc reprobatur ab Afris, nisi quatenus appellatio interposita vere non fuit nec probari potuit. Hanc eamdem Romanæ Ecclesiæ praxim factum Lucipini episcopi Africani, cui deposito ante judicium secundæ cognitionis *communionem hac ratione reddidimus*, inquit Leo epist. 12, c. 12

(quod caput a suppositionis nota luculenter vindicavimus), *quoniam cum ad nostrum judicium provocasset, immerito eum pendente negotio a communione videbamus fuisse suspensum*. Vides manifeste appellationi effectum suspensivum tribui, ita ut Lupicino tamquam adhuc episcopo communio reddita fuerit. Hanc ergo Romanam disciplinam idem Leo pariter secutus est, cum Celidonium, qui ob impactum bigamiæ impedimentum depositus fuerat, appellatione interposita, ante ipsum Romanum de eo judicium in suo gradu sacris interesse permittens communioni reddidit.

4. Altera Quesnelli adversus Leonem criminatio est, qua illum *ecclesiastici moris nonnihil oblitum* tradit, *cum per imperatoriam sanctionem Gallicanæ Ecclesiæ consuetudini derogare primus tentavit, illudque a Valentiniano III edictum elicuit : Ne quid tam episcopis Gallicanis quam aliarum provinciarum liceat sine viri venerabilis papæ Urbis æternæ auctoritate tentare; sed illis omnibusque pro lege sit quidquid sanxit vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas*; et post pauca de Leone queritur: *Dum sæculares potestates adversus Hilarium totamque Ecclesiam Gallicanam commovit*. Valentiniani III lex intelligitur, inter Leoninas epist. 11, eo consilio edita ut executioni efficaciter mandaretur ea Leonis ad Viennenses epistola, qua Hilarius compescebatur, ne aliorum metropolitarum jura usurparet, ne incompetentia judicia exerceret, appellationibus resisteret, totamque Gallicanam Ecclesiam suo libito regeret. Qui in hoc imperialem potestatem adhibitam queritur, Leonis gesta contra jus, seu in oppressionem alieni juris fuisse præsumit. Nam sæcularem potestatem invocari pro jure observando et ad cogendos inobedientes, quis reprehendere potest? Plura vetustiora sanctissimorum episcoporum et pontificum exempla, quæ nemo coarguet, id satis vindicant. Jus quidem in eo fuisse Hilario Quesnellus ostendere nisus est. At quam irrito conatu laboraverit, in causa Celidonii jam vidimus, in Projecti autem causa parte sequenti videbimus. Sola ergo falsa præsumptione Quesnelli criminatio innititur. Multo autem magis imperiali auctoritate opus erat adversus Hilarium, siquidem militari manu, armatoque præsidio in sua consilia contra alienum jus abusus ferebatur, ut Leo et Valentinianus testantur. Num in Hilario reprehendi nequit sæcularem potestatem contra jus adhibere; in Leone autem reprehendetur, cum pro jure et observantia canonum eamdem invocavit, ut ille cohiberetur, qui patricio præfectorioque præsidio fultus abutebatur? Nonne *regia potestate coercendi, qui turbant Ecclesiam*, ut in postilla marginali notavit idem Quesnellus ad cap. 1 epist. 118? Non soli hæretici vel schismatici, sed etiam qui zelo nimio ac præpotenti feruntur, ita Ecclesiam turbare et scandala excitare queunt, ut regia potestate in subsidium advocata merito compescantur. Si Quesnellus Romanæ sedis potestatem in judiciis et appellationibus ea lege approbatam queritur, quo jure hæc approbatio nitatur jam demonstratum est. In appellationum quidem causis multo ante imperialem legem a Gratiano petendam Romana synodus non dubitavit. Vide epistolam synodi et ipsam legem Gratiani apud Coustantium tom. I Epist. Rom. pont., inter Damasi Epistolas num. 6 et 7. Si vero potissimum displicet imperiali sanctione fuisse præscriptam obedientiam legibus pontificiis, nonne apostolicæ sedi ratione primatus jure divino obedientiam omnes debere, Ecclesia catholica etiam Gallicana semper professa est? Non itaque Leo cum imperialem legem obtinuit, sed verius Quesnellus cum hanc censuram scripsit, ecclesiastici non tam moris quam juris oblitus est.

993 IN SECUNDAM PARTEM

DE CAUSA PROJECTI ;

Ubi de ecclesiasticis Galliarum provinciis ac metropolibus.

CAP. I. *Duo accusationum capita adversus S. Hilarium Arelatensem in Projecti causa a Quesnello perperam constituta ostenduntur.* — 1. Ad duo accusationis genera Quesnellus revocat, quæ Hilario in Projecti negotio objiciuntur : unum, quod Projecto ægrotanti successorem superordinaverit, idque egerit non exspectatis civium votis, testimonio plebis, honoratorum arbitrio, electione clericorum ; alterum, quod in aliena provincia hanc ordinationem patraverit. Primum cum probare non posset, in suspicionem adducere studuit, propterea quod *a solis Hilarii adversariis hæc testata habeamus*. Cum autem fateatur nullam hujus rei nisi apud Leonem haberi mentionem, qui ex ipsius Projecti ac civium ejusdem urbis litteris rem gestam describit, adversarios Hilarii Quesnellus habuisse dicendus est, si non Leonem judicem, certe Projectum episcopum et cives ejusdem urbis : adeo ut de his etiam intelligenda sint illa quæ ab eo subjiciuntur, nimirum hæc objecta *tam esse indigna episcopali viro sacrorum canonum disciplinæque studioso,*
B *qualem Hilarium exhibent tot Gallicanæ synodi, quæ ipso agente ac præside celebratæ sunt, ut merito inter adversariorum invidorumque calumnias numeranda sint.* Incredibile maxime est Projectum et cives ejus per calumniam Hilarium gravasse, et hisce calumniis Leonem facile credidisse, remque inseruisse publicæ epistolæ, quæ de calumnia facile revinci posset. Quid quod non solus Leo, sed etiam Valentinianus imperator hoc factum in lege publica satis indicavit? Huc enim pertinent illa epist. 11 : *Indecenter alios* (episcopos) *invitis et repugnantibus civibus ordinavit.* Hanc quoque calumniam imperatorem e Leone ebibisse Quesnellus affirmare potest. At cum nullum antiquum testem alleget qui contrarium subindicet, apud neminem fidem inveniet. Ipsum silentium auctoris Vitæ Hilarii, qui totus est in ejus laudibus atque vindiciis, nihil calumniosum in hoc negotio a Leone traditum innuit. Cum enim non ignorarentur Leonis litteræ quæ hoc factum præcipue taxant, si calumniæ fuisset obnoxium, eam detegere auctor non prætermisisset.

C 2. Hanc Hilarii defensionem satis infirmam Quesnellus vidit, cum parte III, cap. 4, aliam vindicandi rationem inivit. Etsi enim satis credibile existimet (ut et nos credimus) virum tam sanctum non præsumptione aliqua, sed zelo ob aliquot nobis ignotas circumstantias ad hanc ordinationem perinde agendam ductum fuisse, cum tamen rem hanc adversus canones gestam negare non possit, condonandum nihilominus putat sancto viro, *dum variis Ecclesiarum negotiis emergentibus incumbens, aliqua paulo nimis præcipitanter exsequitur, ut ad alia zelo disciplinæ accensus properaret.* Hanc excusationem, dum S. Hilarium a malitia purgans, Leonem non accusat, libenter accipimus. Sufficit ad vindicandam Leonis de Hilario censuram, si iste contra disciplinam egisse, ipso fatente Quesnello, dicendus sit. Immo hoc præcipitantis Hilarii exemplum in re tanta probabile efficit etiam in Celidonii causa simili præcipitantia usum fuisse, ut mirum non sit si in eo judicio decepD ptus fuit. Satis de prima accusationis parte.

3. Plura dicenda erunt de secunda, in qua Quesnellus pluribus disputat, cum videat eam criminationem qua *in aliena provincia* ordinatio ab Hilario 995 usurpata traditur, si vera sit, haud facile posse excusari. Pauca quidem et hac in parte sufficerent, cum Leoni alienam provinciam testanti citius credendum sit, quam Quesnello solis imbecillibus conjectationibus neganti. Cujus enim Ecclesiæ episcopus fuerit Projectus, cui Hilarium superordinavit successorem, nemo prodidit. Quesnellus autem conjectando existimat fuisse episcopum provinciæ Narbonensis primæ, quam Arelatensi subditam contendit. Cum vero Projectus alienæ provinciæ episcopus a Leone tradatur, ex hoc Leonis testimonio alterutrum inferendum erat, vel Projectum non fuisse episcopum in Narbonensi prima, si hæc ad Arelatensem pertinebat, vel si fuit episcopus in eadem provincia Narbonensi, eam ad Arelatensem nihilum pertinuisse.

4. Nos quidem probabilissimum credimus, Projectum fuisse episcopum in prima Narbonensi; eam enim lectionem Leonini textus ex mss. prætulimus: *Quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia, et id quod nullus decessorum ipsius ante Patroclum habuit, quid usurpat? cum et ipsum, quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliori sublatum* (*Epist.* 10, *c.* 4). Indicatur enim his verbis episcopatus *alienæ provinciæ*, quam Patroclus quidem Zosimo concedente obtinuerat, sed postmodum retractata Zosimi concessione amiserat, ita ut Leonis tempore *aliena* esset. De sola autem Narbonensi prima id verum est, quippe quam solam Narbonensi episcopo metropolitano ademptam Patroclo primum tradidit Zosimus, et dein Bonifacius Patroclo sublatam, expresse Narbonensi episcopo restituerat. Igitur in hac episcopus erat Projectus, cui Hilarius cum superordinavit successorem, ordinationem *in aliena provincia* quæsivit. Hæc autem ordinatio contigisse videtur post judicium in causa Celidonii Vesontione habitum, adeo ut Hilarius Vesontione in Narbonensem primam profectus, celeriter ordinaverit episcopum, ut mox Romam adversus Celidonium pergeret. Sic enim commode intelliguntur illa Leonis epist. 10, c. 5: *Cursu, ut didicimus, celeri itinera multa conficiens, et per longinquas provincias.... discurrens*, etc. Magnum provinciarum intervallum inter Vesontionem in Maxima Sequanorum et Narbonensem primam intercedit; quod non verificaretur, si Hilarius Arelate in Narbonensem provinciam transisset. Hinc etiam Projecti querela post exactum Romanum de Celidonio judicium ad Leonem delata traditur, cum Hilarius jam Roma excessisset.

5. Hæc quidem ordinatio in aliena provincia peracta, ab usurpatione alieni juris vindicari aliqua ratione posset, si metropolitani assensu peracta diceretur. Id autem videntur innuere illa Leonis verba c. 6, ubi de ordinationibus quæ metropolitanis singularum provinciarum competunt loquens ait: *Alienum jus alter sibi non audeat vindicare. Suis limitibus, suis terminis sit unusquisque contentus; et privilegium sibi debitum in alium transferre se posse noverit non licere. Quod si quis negligens apostolicas sanctiones plus gratiæ tribuens personali* (hæc Hilarium videntur respicere) *sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens, non is cui cesserit, sed is qui intra provinciam antiquitate episcopali cæteros prævenit sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem.* Hæc tam sollicite declarata et constituta non fuissent in causa Hilarii, nisi personali hujus gratiæ privilegium suum metropolitæ, et in his Narbonensis episcopus, detulissent.

6. Hoc tamen vindiciarum genere, quod apostolicis decretis reprobatur, Quesnellus non contentus, eam Hilarii defensionem multo conatu extulit, quæ pro jure suo Hilarium egisse præfert, et hanc ordinationem non in *aliena*, ut Leo tradidit, sed in propria Arelatensi provincia peractam statuere nisus est, quod sequenti capite expendetur.

997 CAP. II. *Ordinatio in aliena provincia ab Hilario peracta demonstratur. Narbonensis prima Narbonensi metropolitæ semper subjecta, abjudicatur a metropolitano Arelatensi. Zosimo subreptum fuit a Patroclo circa missionem S. Trophimi.* — 1. Quesnellus ut suam sententiam propugnet, cum multa de Arelatensis sedis jure pluribus capitulis congerit, tum vero quæ ad rem præsentem spectant huc revocantur. Id primum contendit Arelatensem episcopum jam ab initio metropolitici juris præfuisse toti Narbonensi solidæ, ac propterea subjectam habuisse provinciam Narbonensem primam, in qua Hilarius Projecti successorem ordinavit; adeo ut per meram subreptionem Narbonenses episcopi eam sibi posterius asseruerint, quod tamen per decretum Zosimi, reintegrato Arelatensis jure, cassatum fuit. Cum vero negare non posset Zosimi successores Bonifacium I et Cœlestinum pro metropolitico Narbonensis episco-

A pi jure in eamdem provinciam decreta tulisse, quæ Zosimi constituta ea in parte rescindunt, id secundo contendit, ex antiquo Arelatensis Ecclesiæ jure hæc decreta effectum non fuisse sortita in Galliis, et idcirco Hilarium, cum Projecto successorem dedit, in sua, non autem in aliena provincia episcopum ordinasse.

2. Hæc duo quæstionis capita, ut quam brevius fieri queat, exsolvantur, quoad primum ad tempora Zosimo anteriora spectans, pro metropolitico jure Narbonensis episcopi in Narbonensem primam certum documentum litterarum apostolicarum Hilarius Narbonensis ad ipsum Zosimum miserat. Nullum antiquius documentum indicatur, quod pro Arelatensi oppositum fuerit. Solum Zosimus epist. 6 ad Hilarium Narbonensem hoc apostolicum Narbonensis sedis privilegium affirmavit subreptitium: *Evacuato eo, quod obtinuisse a sede apostolica subreptitie comprobaris*; et epist. 1, ad episcopos Galliæ, c. 2, Arela-B tensem sedem ordinationum jus in utramque Narbonensem *semper habuisse* diserte prodidit. In his et similibus unius tantum Zosimi testimoniis tota Quesnelli auctoritas est. At contra Zosimum testatur Leo neminem episcoporum Arelatensium *ante Patroclum* in eam provinciam in qua erat Projectus, ordinationum jus sibi vindicasse. *Id quod nullus prædecessorum ipsius ante Patroclum habuit, quid usurpat* (*Epist.* 10, *c.* 4)? Tota igitur lis his duobus contrariis testibus fulta ex eo pendet, utri potius credendum sit, Zosimone affirmanti antiquum jus episcopi Arelatensis in primam Narbonensem, an Leoni neganti. Pro deceptione autem Zosimi non levis præsumptio est.

3. Hunc pontificem Patroclo Arelatensi nimium fidisse ac ab eodem præsente malis artibus circumventum fuisse et deceptum, ex Herotis causa certissimum est. Acceptus scilicet erat apud Zosimum Patroclus, eo quod amicitia et patrocinio fungebatur Constantii consulis et magistri militiæ, *cujus per ipsum gratia*, inquit Prosper (*in chronica, ad an.* 412), *quærebatur*. Cum C vero Herotis sedem invasisset, e re sua erat ut Heros a Zosimo damnaretur, sicque se in Arelatensi sede firmaret. Sicut autem quæ hoc consilio Heroti Patroclus imposuit, Zosimus nimium credulus ebibit et litteris tradidit, ita etiam facile suscepit, et ingessit, quæ ille venditavit pro Arelatensis *sedis jure* in Narbonensem primam, ut ne hæc majorem fidem mereantur quam quæ adversus Herotem opposuit. Neque magis probant *gesta et multorum consacerdotum* testimonia, quæ pro Arelatensis sedis prærogativa Zosimus memorat epist. 6, ad Hilarium Narbonensem, c. 1. Patroclo enim homini fraudulento atque violento facile fuerit in suum favorem ac sensum eos episcopos captivare, quibus *infami mercatu sacerdotia venditabat* teste Prospero Tirone in Chronico ad annum 20 imperatoris Theodosii. Alii autem fortasse non tam fallaciis quam metu compulsi fuerunt, ne eum adversarium haberent, qui Constantii favore fretus Herotem persequebatur. Quid quod hi testes et gesta D ex eorumdem testificationibus in eo versabantur, ut institutionem metropolitici juris Arelatensis referrent in S. Trophimum, a quo jus ordinationum in ipsam Narbonensem primam ad Arelatenses successores suos transmissum, et *custoditum usque in proximum tempus, gestis apud nos habitis*, **999** *multorum consacerdotum testimoniis approbatur?* Sic enim Zosimus eadem epist. 6, c. 1. Quæ autem de hac Trophimi missione ex eorumdem utique gestorum ac testium fide ab hoc pontifice traduntur, nonnulla falsitatis indicia præferunt, quæ ipsa gesta ac testes satis in suspicionem adducunt.

4. Primo Zosimus Trophimi missionem affirmat primam omnium in Gallias, adeo ut *ex ejus fonte totas Gallias rivulos accepisse* tradat epist. 1, ad episcopos per Gallias et septem provincias constitutos. Et epist. 6, ad Hilarium Narbonensem de ordinationibus episcoporum provinciæ Viennensis ac duarum Narbonensium sermonem faciens, *Ad illas regiones*,

inquit, *tanti nominis* (id est episcopatus) *reverentiam* (Trophimus) *primus exhibuit, et in alios* (seu potius *in alias*) *non immerito ea quam acceperat auctoritate transfudit*. Hæc ut vera essent, oporteret S. Trophimi missionem ad apostolica tempora invehere ante SS. Pothinum et Irenæum, quibus episcopis ineunte sæculo secundo Lugdunensis et Viennensis Ecclesiæ florebant. Hanc quidem apostolicam ætatem Trophimi missioni tribuunt episcopi Arelatensi metropolitæ faventes in libello supplici ad Leonem papam epist. 65 inter Leoninas, dum *a S. Petro* et *ab apostolis* S. Trophimum Arelatem missum tradunt, *et exinde aliis paulatim regionibus Galliarum donum fidei et religionis infusum*. Hæc quæ nota affirmantur omnibus Gallis, et apostolicis documentis probata, ex litteris Zosimi pendent, quæ in Galliis vulgatæ jam fuerant. Hinc tota hujus antiquitatis auctoritas ad Zosimum, seu ad Patroclum et consacerdotes ejusdem a Zosimo allegatos revocatur. Patroclo autem necessarium erat apostolicitatem ingerere, ut suam sedem Arelatensem Viennensi, cum qua potissimum contendebat, anteriorem et matrem suaderet. Hæc vero apostolicæ ætatis antiquitas palam refellitur a vetustiore scriptore Gallo Sulpicio Severo, qui nullius partis studio ductus, rerumque antiquarum præsertim Gallicanarum peritus, Christianam religionem in Gallias *serius* illatam sincere professus est lib. II, cap. 32 Hist. Sacræ : *Serius trans Alpes Dei religione suscepta.* Diptycha etiam Arelatensis Ecclesiæ a Mabillonio edita tom. III Analector. pag. 432, hanc apostolicam antiquitatem excludunt; quatuor enim tantum episcopos referunt ad Marinum usque, qui an. 314 Arelatensi I synodo interfuit. Hinc in Taurinensi synodo, ubi ante Zosimum causa inter Arelatensem et Viennensem summa contentione agitata fuit, et *allegationes episcoporum auditæ* traduntur, Arelatensis (*a*) episcopus vel hanc apostolicam Trophimi missionem non produxit, quia eam a majoribus non acceperat; vel si produxit, nullo idoneo documento probare potuit : alias causa certo certius adjudicata fuisset eidem episcopo, qui ex hac tam vetusta missione suam Ecclesiam ipsius Viennensis matrem satis superque demonstrasset. Hæc vetustiora Zosimo documenta imposturæ Patrocli indicia sunt manifesta; adeo ut ipse Quesnellus hanc apostolicitatem missionis S. Trophimi non tam deserere quam falsitatis notare non dubitet. Vide ejus notas in epist. 65, ubi de S. Trophimi missione a B. Petro apostolo ait : *Et hoc ego falsissimum puto.* Hanc quidem missionem ad Decii tempora, id est ad medium tertium sæculum, Gregorius Turonensis retulit; nec nisi ex præjudicio ac fide testimonii Zosimi, seu verius Patrocli ac Gallicanorum qui Zosimum seu Patroclum secuti sunt, ejus sententiam nonnulli reliquerunt.

5. Alia porro evidentior impostura elucet in illis quibus S. Trophimus *primus metropolitanus Arelatensis civitatis ex hac sede directus* traditur epist. 5, ac ex eodem *semper* idem jus metropoliticum a successoribus ipsius custoditum proditur epist. 6. Id tam falsum est quam quod falsissimum. Per ea enim antiqua tempora quibus S. Trophimus in Gallias missus fuit, quibusque persecutiones efferbuerunt, nullus in Galliis metropoliticam dignitatem obtinuit. In hoc ipse Quesnellus ultro consentit part. I, c. 13, n. 8, ubi de ea hierarchiæ forma loquens, qua metropolitanis episcopis subjiciuntur, ait : *Quod ante synodi Nicænæ tempora difficillimum est deprehendere.* Et c. 12 hanc hierarchicam institutionem illa tempestate quærere *præsertim in Gallia transalpina, quæ* **1001** *fidem sero admisit, hominis est*, inquit, *antiqua novaque miscentis*. Confer quæ de seris Gallicanarum metropoleon initiis dicentur cap. 3, § 2. Quod si una cum Trophimo sex alii episcopi in Gallias missi fuere ad fidem ibidem spargendam ac instituendas Ecclesias, ut cum Gregorio Turonensi idem Quesnellus censet part. I, c. 13, n. 9, et in notis laudatis ad epist. 65, non major ratio est cur Trophimo potius quam aliis sex episcopis idem jus metropoliticum, quod pro jure ordinationum accipitur, tributum dicatur; ac inter hos jus idem traditum fuisset socio ejus Paulo, qui primus præfuit Narbonensi civitati, eo tempore metropoli totius provinciæ, quæ idcirco Narbonensis appellabatur. Hæc falsitatum indicia, Zosimo Patrocli et fautorum ejus fallaciis afficta noscuntur; unde jure Tillemontius not. 1 in Vitam S. Dionysii Parisiensis tom. IV, pag. 707, non dubitavit scribere : *La mission de saint Trophime par les apôtres et par saint Pierre n'étant fondée que sur des auteurs qui ne l'avancent que pour soutenir une prétention que l'on peut assurer être insoutenable, et dans laquelle M. de Marca* (de primis Gall. episc. c. 13) *avoue que Patrocle avait surpris Zosime par ses mensonges* (obreptum Zosimo per falsam Patrocli suggestionem), *il n'y a guère lieu de s'y vouloir arrêter.* Et not. 2 in Zosimi Vitam tom. X, pag. 838, ait : *Tout cela est fondé sur la bonne foi de Patrocle, à qui on peut attribuer toutes sortes de mensonges sans faire tort à sa réputation.* Similiter Faidit, seu auctor Gallus operis inscripti *Eclaircissements sur la doctrine et sur l'histoire ecclésiastique des deux premiers siècles; à Maëstricht an.* 1695, pag. 157, hæc in ipso titulo seu synopsi præfert : *Que la tradition qui fait envoyer saint Trophime par saint Pierre dans les Gaules pour les convertir à la foi est une fable inventée par Patrocle d'Arles, pour appuyer ses prétentions de métropolitain sur Vienne. Conjectures que saint Trophime ne vint à Arles que vers l'an 255, et y remplit la place de Marcien. Preuves que d'autres avant lui avaient prêché la foi en France, et y avaient fondé des Eglises au Ier et au IIe siècle.*

6. Ubi vero hæc imposturæ et obreptionis argumenta sunt, quis Zosimi testimonium episcopi Arelatensis antiquum jus affirmantis in Narbonensem primam præferendum credat testimonio Leonis, qui hoc jus nemini *ante Patroclum* fuisse affirmavit? Numquid similia obreptionis et fallaciæ argumenta in Leone indicari queunt? Zosimus solius Patrocli et fautorum ejus suggestionibus, qui Romam accesserant, hoc negotium transegit Hilario Narbonensi absente, et ignorante quæ ab illis ingesta fuerant. Postulante enim per litteras Zosimo, ut de suo jure documenta transmitteret, satis aptas credidit apostolicas litteras, quæ suæ sedis prærogativam et possessionem firmabant, nec absens potuit respondere testibus quibus Patroclus Zosimo obrepsit. At S. Leo de obreptione Zosimi satis edoctus fuit posterioribus decretis Bonifacii et Cœlestini, quibus Zosimi decreta retractata fuere : hi enim pontifices non ita statim Zosimi prædecessoris sui decreta abrogassent in favorem Narbonensis sedis, nisi eum a Patroclo deceptum, et S. Trophimi narrationem confictam detexissent. Præterea S. Leo cum post ordinationem Ravennii Gallorum episcoporum Arelatensis sedis fautorum preces accepit, in quibus eadem Zosimi decreta eademque S. Trophimi narratio ingerebatur, ut eadem sedes Viennensi præferretur, utriusque partis allegationes a clericis præsentibus traditas accurate expendit, nec tamen quoad Trophimi missionem quidquam invenit ex quo causam Arelatensi addiceret. Solum cum semper utrasque civitates Arelatensem et Viennensem claras fuisse reperisset, *ut quarumdam causarum alterna ratione, nunc illa in ecclesiasticis privilegiis, nunc ista præcelleret* ; eam provinciæ divisionem constituit, quam Taurinense con-

(*a*) Id quoque Tillemontius paulo dissimiliter innuit tom. X, pag. 681 : *Pour ce qui regarde les Eglises d'Arles et de Vienne, soit que l'évêque d'Arles se fût servi de son argument de saint Trophime, soit qu'on ne l'eût pas encore inventé, il est visible que le concile de Turin n'y eut point d'égard.*

cilium suaserat; Narbonensi autem episcopo jus suum in Narbonensem primam intactum reliquit, et sicut is hoc jus apostolico privilegio firmatum olim obtinuerat, ita etiam post Leonis decretum semper obtinuit.

7. Hinc porro tertium Quesnelli caput eliditur, quo ita Arelatense jus in hanc provinciam extulit, ut Bonifacii decretum subreptitium et in Galliis non receptum ingesserit. At quoad subreptionem, cum subreptitia ostenderimus decreta Zosimi quæ in Patrocli violenti et vaferrimi gratiam Narbonensem primam contra veterem usum et contra apostolicum privilegium Arelatensi sedi subjecerant, quomodo subreptionis notari potest decretum Bonifacii, quo impacta Zosimo **1003** subreptio recisa fuit? Non meminit quidem Bonifacius rescriptorum Zosimi. Cum vero ea tam solemnia fuerint, et Bonifacio Romanæ Ecclesiæ presbytero præsente edita, eumdem latere non potuerunt; quod satis est ut ejusdem silentium in obreptionis et ignorantiæ suspicionem adduci nequeat. Nec opus fuit audire vel Patroclum Arelatensem, quem per fraudes Zosimum decepisse exploratum erat, vel Hilarium Narbonensem, pro quo satis loquebantur litteræ quas una cum apostolico suæ sedis privilegio ad Zosimum misisse Bonifacius tum Romæ præsens sciebat. Quomodo tamdem obreptitium dici potest hujus pontificis decretum, quod a nullo Bonifacii successore revocatum, immo veluti omnino ratum et justum a Cœlestino confirmatum fuit, et cujus causa Leo in epist. 10 affirmavit: *Idipsum, quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum esse sententia meliore sublatum;* et ita sublatum ut Narbonensis episcopus eodem jure semper potitus sit? *Videbatur concessum*, inquit S. Leo, quia decretum Zosimi ob fraudulentiam et notariam subreptionem irritum habuit. Quesnellus autem ut hoc decretum propugnet, non tam Bonifacio quam Cœlestino et Leoni deceptionem impingere non veretur.

8. Quæ porro conjecturæ a Quesnello afferuntur cap. 5 ut Bonifacii decretum in Galliis usu non receptum nec effectum sortitum ostendat, adeo incongruæ et exiles ac longius quæsitæ sunt, ut per se nihil conficiant. Usus quo effectus probetur a factis pendet. Unicum autem factum Lutubensis Ecclesiæ, quod hactenus proditum sit, ad provinciam Narbonensem primam pertinet, et istud præterea Bonifacii constitutione posterius non est. In hoc autem ipso facto solus Patroclus Zosimi decretum in usum perducturus, Lutubensibus episcopum dare contendit. At cum Zosimo subreptum scirent ejusdem Ecclesiæ clerus et populus, legatos ad Bonifacium misere, qui de Patroclo questi sunt inter cætera hoc nomine quod *in aliena provincia prætermisso metropolitano contra Patrum regulas ordinasset.* Hic autem pontifex nullam rationem habens rescriptorum Zosimi, quæ non ignorabat, adeo ea irrita censuit, ut ad Hilarium Narbonensem scripserit epist. 12: *Nostra auctoritate commonitus, quod quidem facere sponte deberes, desideriis supplicantium et voluntate respecta, ad eumdem locum in quo ordinatio talis celebrata dicitur, metropolitani jure munitus, et præceptionibus nostris fretus accede; intelligens arbitrio tuo secundum regulas Patrum quæcumque facienda sunt a nobis esse concessa; ita ut peractis omnibus, apostolicæ sedi, quidquid statueris, te referente clarescat, cui totius provinciæ ordinationem liquet esse mandatam.* Non dicit se hoc decreto *mandare*, sed *liquere esse mandatum*, antiquo scilicet suæ sedis jure, cui subreptitias Zosimi constitutiones reipsa non derogasse credidisse videtur: unde eum affirmavit *sponte sua* jam potuisse idipsum facere, ut auctoritate apostolica, qua Zosimi constituta rescinderentur, non indigeret. Ne quid vero dubii superesset, eumdem metropolitanum ejus provinciæ hac epistola declaravit confirmavitque, ne fortassis cuipiam Zosimi decreta impedimento esse crederentur. Post hoc autem Bonifacii rescriptum nullum

A aliud factum ad Narbonensem primam provinciam spectans, memoriæ mandatum est ad S. Hilarium usque, qui Projecto successorem dedit: unde miramur Quesnelli animositatem, qua sine ullo facto hoc decretum ante S. Hilarium Arelatensem effectum non fuisse sortitum, seu non receptum pronuntiavit, cum præsertim idem decretum a Cœlestino confirmatum fuerit, et Leo ipse, dum affirmat Zosimi decretis Patroclo jus in eam provinciam *temporaliter* fuisse concessum, Hilarioque Arelatensi succenset, quod post cassationem Bonifacii idem jus usurparit, neminem post Patroclum et post decretum Bonifacii idem jus sibi arrogasse præsumat.

9. Atqui, inquit ille c. 5, cum S. Leo scribat nullum Hilarii decessorem jus metropoliticum in eam provinciam sibi vindicasse *ante Patroclum*, hujus successores Bonifacii decreto neglecto idem jus exercuisse exinde sequitur. Hæc vero mera cavillatio est inanissima. Cum enim eo loco S. Leo antiquam solummodo, quæ præferebatur, Arelatensis possessio-
B nem ante Patroclum voluerit revincere, et justitiam aperire decreti prædecessoris sui Bonifacii, qua Zosimi decretum emendatum fuisse statim subjicit, soli antecessores Patrocli commemorandi fuerunt. Fortius videri potest argumentum ex Cœlestini epistola ad **1005** *episcopos per Viennensem et Narbonensem provincias constitutos*, in qua Bonifacii decretum confirmans, neminem suæ provinciæ limites præterire, nec quidquam in alterius episcopi injuriam præsumendum decernit. His S. Honoratum Arelatensem indicari Quesnellus putat, ac si Bonifacii decretum negligens, omnes provincias a Zosimo concessas, et ipsam Narbonensem primam rexerit. Sed titulus epistolæ cum provincia Viennensi unicam Narbonensem præfert. Unde autem colligas sermonem ibi esse potius de Narbonensi prima quam de secunda? In hac quidem episcopus Aquensis jus metropoliticum exercere debebat ex Bonifacii decreto, ut explicabimus c. 6, n. 5. Hoc tamen decretum cum non ita es-
C set expressum de Narbonensi secunda, uti fuerat de Narbonensi prima, Honoratus in illam jus sibi superesse fortassis credidit, idque a Cœlestino illis verbis indicari potuit, ut ne ad Narbonensem primam hoc testimonium traducatur; quæ cum expresse a Bonifacio exclusa fuisset a jure metropolitico episcopi Arelatensis, hoc decretum a sancto viro Honorato contemptum sine ullo certo teste affirmare, temerarium et hujus memoriæ injuriosum est. Adde quod memorata Cœlestini epistola in duas veluti partes distinguitur. Prima pars tribus capitibus comprehensa eos abusus qui ad pontificem delati fuerunt, manifeste perstringit; et in hac nihil legitur quod alieni juris usurpationem insinuet. Altera vero pars quasdam generales disciplinæ regulas subjicit, quibus inserendis nulla peculiaris querela occasionem dedisse indicatur. Immo ea tantum ratio affertur sub finem c. 3, ut apostolicæ sedis statuta *licet plerisque cognita*, hac repetitione *ad disciplinæ normam* quisque
D revocare festinet. Et sicut quædam in his regulis interdicta ab Honorato violata colligi nequeunt, ita nec primum statutum de metropolitarum juribus non violandis, quod uti recentius a Bonifacio editum et ad easdem provincias pertinens inter cætera primo loco repetendum visum est. Hinc tandem resolvuntur omnes Quesnelli nisus, quibus Hilarium Arelatensem excusaturus, Narbonensem primam provinciam Arelatensi metropolitano subjectam fuisse contra apertum Leonis testimonium contendit; simulque patet quam jure idem pontifex ipsum Hilarium hoc quoque nomine reprehenderit, quia *in aliena provincia* Projecto successorem consecravit.

Cap. III.—*De dispositione civili provinciarum Galliæ præsertim circa Narbonensem solidam. Quinque provinciæ non ex sola Narbonensi excisæ, sed Aquitaniam et Novempopulanam comprehendebant. Alia divisio provinciarum sex sub Theodosio I. Divisio septem provinciarum IV sæculo facta ostenditur. Omnium Galliarum*

divisio in duas diœceses, quæ duobus vicariis præfecti prætorio Galliarum suberant. De notitia provinciarum ex ms. Veronensi edita, quæ libello provinciarum, et notitia dignitatum utriusque imperii vetustior ostenditur. Catalogus episcoporum concilii Arelatensis I *vindicatur; aliaque interior Narbonensis solidæ divisio conjicitur.* — 1. De divisione civili et ecclesiastica provinciarum in Galliis, de qua Quesnellus et in prima et in secunda præmissæ dissertationis parte pluribus disserit, nullam hactenus observationem fecimus, eo quod hæc valde implexa disputatio ad vindicandum Leonem necessaria non fuit. Nunc vero Leone satis aliunde vindicato, nonnulla de hoc argumento proferre non piget, quibus Quesnelli lapsus detegentur. De divisione civili imprimis dicendum est, cui antiqua ecclesiasticarum provinciarum divisio accommodata creditur.

2. Constat inter omnes Augustum Gallias dispartitum fuisse in partes quatuor, seu in tres Gallias, Celticam vel Lugdunensem, Belgicam, et Aquitanicam, ac in Narbonensem, quæ postrema uti vetusti juris populo Romano relicta, proprio *Provinciæ* nomine decorabatur. Hæc, de qua in causa S. Hilarii potissimum agitur, totam eam regionem complectebatur quæ posteriori divisione in provinciam Viennensem, in duas Narbonenses, in Alpes maritimas et Alpes Graias dissecta fuit. Ista Augusti partitio diutius obtinuit. Sub Diocletiano *novam insignem provinciarum* divisionem factam fuisse antiquus auctor libelli *de Mortibus persecutorum* testatur c. 7. *Provinciæ quoque in frusta* **1007** *concisæ, multi præsides, et plura officia singulis regionibus ac pene jam civitatibus incubare; item rationales multi, et magistri, et vicarii præfectorum.* Constantinum autem in provinciarum divisione aliquid novi constituisse omnes consentiunt. Quid autem illud fuerit, quod vel Diocletianus, vel Constantinus constituerunt, non ita certum est, ut certi aliquid affirmari queat. Constantini divisio ex notitia dignitatum aliisque notitiis provinciarum explicari solet. Sed hæ notitiæ exeunte quarto sæculo vel quinto lucubratæ, cum jam aliæ provinciarum divisiones et mutationes factæ fuerant, minus aptæ sunt, ex quibus Constantiniana distributio certo colligatur : unde plures errores ex hoc fonte manarunt. Legendus P. Joan. Antonius Blancus tom. IV *della Potestà e della Politica della Chiesa*, lib. II, c. 1. Aliis igitur testimoniis utendum est, et notitiæ præfatæ caute adhibendæ in iis locis quæ ad anteriorem distributionem illustrandam conferre queunt.

3. Num vero in Diocletiani aut Constantini divisione aliquid in Narbonensi, quam Augustus constituerat, immutatum, et quid novi inductum fuerit, nunc videndum est. Quesnellus in eam sententiam descendit part. II, c. 2, nihil fuisse immutatum ante medium sæculum quartum, sub quod eam divisam autumat in partes quatuor; ait enim : *Nihil autem in antiquis monumentis est quo conjici possit divisionem provinciæ Narbonensis solidæ in quatuor partes factam esse ante dimidium quarti sæculi.* Porro cap. 5, loquens de Narbonensi secunda, novam divisionem indicat in partes quinque sub finem sæculi quarti, postquam tyranni qui Gallias distraxerant compressi fuerunt : *Rebus vero imperii postmodum pacatis, provinciarumque illarum nova divisione per imperialem sanctionem inducta*, etc., ubi novam divisionem in quinque partes satis indigitat. Prima scilicet divisione Narbonensem solidam dissectam putat in Narbonensem, in Viennensem, in Alpes maritimas et in Alpes Graias; unicam enim Narbonensem memorat Sextus Rufus, qui sub medium sæculum floruit, et Breviarium dicavit Valentiniano I et Valenti imperatoribus circa an. 369. Cum vero post Sextum Rufum duæ Narbonenses memorentur, hac unius Narbonensis divisione provincias quatuor ad quinque redactas intelligere videtur, ita ut quinque provinciæ, quæ pluribus testimoniis appellantur, ex solida Narbonensi fuerint dissectæ, nimirum duæ Narbonenses, Viennensis provincia, Alpes maritimæ et Alpes Graiæ.

4. Hæc Quesnelli opinio plurimorum est, ne dicamus omnium. Si enim Pagium, et cum eo unum vel alterum excipias, cæteri omnes in ea sententia conveniunt, *quinque provincias* ex solida Narbonensi conflatas fuisse, nec in alias Galliarum partes extendi. Hoc pervulgatum tot eruditorum præjudicium ex eo potissimum pendet quia viderunt quinque provincias a Galliis distingui, uti in concilio V lentino an. 374, *Galliæ et quinque provinciæ* nominantur, et similiter in epistola Maximi tyranni ad Siricium papam an. 375, ac in Taurinensi concilio anni circiter 401. Cum autem sola Narbonensis solida discreta fuerit a tribus Galliis Celtica, Belgica et Aquitanica, quinque provincias ex sola Narbonensi sumptas collegere. Hinc non consenserunt in sententiam Pagii, qui Aquitaniam primam inter quinque provincias accensuit, Alpibus Graiis exclusis, quæ in notitia Galliarum septem provincias præferente ab his separantur.

5. At istud argumentum, quod evidens visum est, falsum deprehendimus. Etsi enim tribus primis sæculis Narbonensis solida Julii Cæsaris exemplo distingui soleret a Galliis, sæculo tamen quarto, cum nova provinciarum divisio facta fuit, non tam Narbonensem quam Aquitaniam a Galliis discretas invenimus. Quatuor testes sæculi quarti sufficient. Sextus Rufus in Breviario : *Sunt Galliæ cum Aquitania et Britanniis provinciæ decem et octo.* Philastrius hæresi 84 de Priscillianistis ait : *Sunt in Galliis, et Hispaniis, et Aquitania veluti abstinentes.* Ausonius in Arelate :

Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania læto.

Sulpicius Severus lib. II Hist. sacræ, c. 41 : *Sed id nostris* (id est *Aquitanis*) *Gallis ac Britannis indecens visum.* Addamus et testimonium Paulini Nolani in Natali XI de S. Felice, versu 154, quod an. 404 scriptum fuit :

Gallia Martinum, Delphinum Aquitania sumpsit.

Hæc autem Aquitaniæ distinctio a Galliis, quam non reperimus ante quinque provinciarum divisionem, satis **1009** indicio est Aquitaniam, quæ sub dispositione Augusti Galliis Celticæ et Belgicæ cooptabatur, in nova quinque provinciarum divisione ab iisdem Galliis separatam, accersitam fuisse inter provincias quinque, quæ a Galliis discerni solebant; sicut eadem Aquitania in omnium sententia posterius censita fuit inter septem provincias, licet hæ similiter distinguerentur a Galliis, uti apud Zosimum an. 417, in epist. 1 inscripta *ad episcopos per Gallias et septem provincias constitutos.* Neque tamen negarimus Aquitaniam adhuc potuisse appellari Galliam : nam etiam Narbonensis solida nonnumquam in Galliis recensita legitur; unde Galliæ Narbonensis appellatio est.

6. Aquitaniam quidem et Novempopulanam, quæ est Aquitaniæ pars, inter quinque provincias fuisse censitas palam fit ex Philastrio; qui cum hæresi 51, sub Manichæorum nomine Priscillianistas designans, hos *in Hispania et quinque provinciis latere* tradit, tum vero hær. 84 eosdem *abstinentium* vocabulo reperiri *testatur in Galliis, et Hispaniis, et Aquitania;* ubi hic Aquitaniam vocat, quod priori textu *quinque provincias* appellat : sola enim Aquitania (in qua quidem Priscillianistas errores suos sparsisse Sulpicius Severus Aquitanus lib. II Hist. c. 48 explorate docet) ad *quinque provincias* antea memoratas referri potest. Hoc testimonium Philastrii adeo nobis est evidens, ut si Aquitania, quam illi certe infecerunt ex testimonio Sulpicii, a quinque provinciis excludenda credatur, nullus alius locus quinque provinciarum assignari et probari queat, quem Priscillianistæ subeuntes, *in quinque provinciis latuerint.* Philastrius quidem Aquitaniam a Priscillianistis potissimum infectam in priori textu citius memorasset, quam *pro-*

vincias quinque, si hanc in quinque provincias comprehensam non cognovisset.

7. Porro Aquitaniæ nomine Philastrius non tam Aquitaniam proprie dictam significat, quam Novempopulanam, quæ Aquitaniæ pars est. Id patet ex testimonio Sulpicii, qui dum Aquitaniam a Priscillianistis infectam docet, inter cætera Elusam ab iisdem corruptam tradit, quæ in Novempopulana collocatur. *Iter eis* (Priscilliano et sociis) *præter interiorem Aquitaniam fuit; ubi tum ab imperitis magnifice suscepti, sparsere perfidiæ semina, maximeque Elusanam plebem... paucis prædicationibus pervertere.* Aquitania igitur et Novempopulana inter quinque provincias recensitæ fuere. Idipsum aperte confirmat Sextus Rufus, dum in Breviario ait: *Sunt Galliæ cum Aquitania et Britanniis provinciæ decem et octo: Alpes maritimæ, provincia Viennensis, Narbonensis, Novempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ. In Britanniis Maxima Cæsariensis, Flavia Cæsariensis, Britannia prima, et* B *Britannia secunda.* Plura in hoc textu animadvertenda sunt. Cum primis verbis Aquitaniam et Britannias a Galliis stricte sumptis distinguat, tria provinciarum corpora innuit, quæ constabant ex provinciis decem et octo. Quæ essent provinciæ Britanniarum, expresse declarat illis verbis: *In Britanniis Maxima Cæsariensis*, etc. Aliæ vero anteriores provinciæ inter Gallias et Aquitaniam dividendæ sunt. Porro etsi non ita expresse designet quæ essent provinciæ Galliarum, quæ autem Aquitaniæ, facile tamen intelliges, si animadvertas, Alpes maritimas cum reliquis usque ad Aquitanias duas continua geographica successione ab eodem describi, ut ex mappis geographicis liquet; Alpes autem Graias, cum ab Aquitanicis immediate præmissis longissime absint, cum Maxima Sequanorum et sequentibus continua item successione nominari: hinc enim perspicuum fit duplicem provinciarum seriem ab auctore distingui, quarum alteram ad Gallias retulit, alteram ad Aquitaniam. Porro ad Gallias stricte dictas referendam esse eam C seriem quæ a Graiis Alpibus exorditur, palam fit ex sequentibus provinciis Maxima Sequanorum, Germaniis duabus, etc., quæ semper inter Gallias stricte acceptas exstitere. Alia ergo series incipiens ab Alpibus maritimis spectat ad Aquitaniam. Cum vero in hac serie ponantur Alpes maritimæ, provincia Viennensis et Narbonensis, quas ad quinque provincias pertinuisse nemo dubitat, etiam Aquitaniam totam quinque provinciis accensitam ambigi nequit. Quod si in hac serie duas Aquitanias Sextus Rufus recensens, non quinque, at sex provincias enumerat, id ex eo accidisse credimus quia ex provinciis quinque, nova unius Aquitaniæ divisione in duas, provinciæ sex, dum scriberet, effectæ fuerunt. Scripsit ille sub Valentiniano I, circa an. 369. Verum ante hoc tempus, **1011** ut observavit Pagius ad an. 374, num. 9, sub eodem imperatore una tantum erat Aquitania, quod patet ex inscriptione apud Gruterum CCCCXLV, 8: *Saturninio Secundo v. c. præsidi provinciæ Aquita-* D *nicæ magistro memoriæ..... Ob egregia ejus in rempublicam merita D. D. N. N. Valentinianus et Valens victores ac triumphatores semper Augusti statuam sub auro constitui locarique jusserunt.* Vides Saturninium *præsidem provinciæ Aquitanicæ* appellari, non vero *provinciæ Aquitaniæ primæ, vel secundæ*, quemadmodum scribendum fuerat, si Aquitania tum divisa fuisset in duas? Id multo evidentius comprobatur ex S. Hilario Pictavorum episcopo, quæ urbs ad Aquitaniam secundam postea distinctam pertinuit. Hic enim ante Sextum Rufum scribens librum *de Synodis* sub finem anni 358 in inscriptione eidem præfixa duas quidem Germanias, Belgicas duas, et duas Lugdunenses distinguit, at unicam *provinciam Aquitanicam*, sicut et unicam Novempopulanam ac Narbonensem unicam designat. *Dilectissimis et beatissimis fratribus et coepiscopis provinciæ Germaniæ primæ et Germaniæ secundæ, et primæ Belgicæ et Belgicæ secundæ, et Lugdu-* A *nensis primæ et Lugdunensis secundæ, et provinciæ Aquitanicæ et provinciæ Novempopulanæ, et ex Narbonensi plebe et clericis Tolosanis, et provinciarum Britanniarum episcopis Hilarius.* Si igitur in Sexti Rufi serie unicam Aquitaniam colloces, uti erat Hilarii tempore, quænam fuerint ante eumdem Rufum quinque provinciæ, manifestum fiet. Habebis enim Alpes maritimas, provinciam Viennensem, Narbonensem, Novempopulanam et Aquitaniam. Quinque ergo provinciæ non e sola Narbonensi solida, sed ex Narbonensi simul et Aquitania coaluerunt. Neque tamen ita solidam Narbonensem comprehenderunt, uti totam Aquitaniam: nam Graiæ Alpes e solida Narbonensi dissectæ, in Gallias proprie dictas, ut ex eodem Rufo accepimus, traductæ fuerunt.

8. Hæc porro quinque provinciarum divisio Sexto Rufo anterior a Constantino fortassis originem habuit. Cumque in hac divisione Aquitania Galliis ante accensita, ad has quinque provincias conficiendas cum Narbonensi coaluerit, et distingui cœperit a Galliis, videtur Constantinus universas Gallias secasse in partes duas, ita ut Aquitaniam et Narbonensem provincias in quinque provincias dispertierit, Galliarum nomine relicto provinciis cæteris, quæ antiquam Belgicam et Lugdunensem comprehendunt, et inter has concludi voluerit Alpes Graias, quæ ad eas partes propius accedunt. Ita duas diœceses constituit in Galliis, quæ in notitia a marchione Maffeio e vetustissimo codice capituli Veronensis edita designantur, nimirum diœcesim Viennensem, quæ quinque provincias continebat, cuique præerat vicarius quinque provinciarum laudatus in lege 15, *de Paganis* an. 399, directa *Procliano vicario quinque provinciarum*; et diœcesim Galliarum in eadem notitia Veronensi designatam, quæ reliquas provincias complectebatur, cuique alium vicarium sub præfecto prætorio Galliarum præfuisse nihil dubitandum est, sicut sub præfecto prætorio Italiæ in duas diœceses dispertitæ duo erant vicarii, alter Urbis, Italiæ alter. Cum Sextus Rufus initio laudati textus tria provinciarum corpora memorat, *Gallias cum Aquitania et Britanniis*, tres diœceses videtur innuere sub præfecto prætorio Galliarum, quæ a tribus vicariis regebantur. *Concinit* in hac trium diœceseon divisione Sulpicius Severus, qui similiter distinguit Aquitanos, Gallos et Britannos; ubi Aquitanorum nomen æque ac Rufus pro illis provinciis usurpat, quæ Aquitaniam et veterem Narbonensem complexæ, *quinque provinciæ* aliter appellari solebant. Clarius in notitia dignitatum utriusque imperii harum trium diœceseon distinctio indicatur, cum memorantur rationales summarum, et rationales rei privatæ *quinque provinciarum*, *Galliarum et Britanniarum.*

9. Huic vicario Galliarum, quem tum exstitisse affirmavimus, objici potest notitia dignitatum, quæ dum memorat provincias sub præfecto prætorio Galliarum, et per diœceses quatuor ea ætate distributas, nimirum per Hispaniam, per septem provincias, per Gallias et per Britannias, tres solos vicarios, Hispaniarum scilicet, septem provinciarum et Britanniarum recenset; cumque *vicarium septem provinciarum* nominat, non septem tantum, sed decem et septem provincias describit, id est, omnes tum septem provinciarum, tum Galliarum, ac si omnes vicario septem provinciarum subessent; ex quo nonnulli **1013** errorem suspicati in titulo *sub dispositione vicarii septem provinciarum*, corrigendum putarunt *sub dispositione vicarii decem et septem provinciarum.* Sed *vicarium quinque provinciarum*, quæ postea septem dictæ sunt, sine ulla provinciarum Galliæ attributione nominat lex 15, *de Paganis; vicarium* autem *Galliarum* astruendum notitia a marchione Maffeio vulgata dubitare non sinit. In hoc enim monumento distincte nominantur diœceses tres, nimirum *diœcesis Galliarum*, *diœcesis Britanniarum*, *et diœcesis Viennensis*, quæ postrema alias vocabatur *septem* (uti tunc erant) *provinciarum.* Hæ autem omnes

diœceses erant sub dispositione præfecti prætorio Galliarum. Quævis autem diœcesis, nisi regeretur a proconsule, qui vice sacra præsidens, a præfectis prætorio nequaquam pendebat, ut P. Joan. Antonius Blancus demonstrat (*Dell'Ester. Polit. lib.* II, *c.* 2, § 7, *n.* 1); Vicarium habebat præfecto prætorio subditum, ut omnibus notum est. Diœcesis ergo Galliarum, quæ a præfecto prætorio Galliarum pendebat, vicario non caruit. In notitia ergo dignitatum, ubi vicarii Britanniarum et septem provinciarum notantur, solus vicarius Galliarum per errorem omittitur, et *sub dispositione vicarii septem*, uti dicitur *provinciarum*, perperam provinciæ septemdecim recensentur, cum decem pertinerent ad dispositionem vicarii Galliarum.

10. In hac quidem notitia dignitatum, quæ post Hispanias Galliarum præfecto subjectas conscripta est, quatuor diœceses non obscure indicantur, cum sub dispositione viri illustris Comitis sacrarum largitionum nominantur rationales summarum quatuor, Hispaniarum, quinque provinciarum, Galliarum et Britanniarum; et sub dispositione comitis rerum privatarum ponuntur rationales totidem rei privatæ *per Hispanias, per Gallias, per quinque provincias et per Britannias.* Hæ non provinciæ, sed diœceses quatuor sunt, quarum singulæ plures provincias continebant. Similiter ergo sub dispositione præfecti prætorio Galliarum quatuor vicarii assignandi erant, Hispaniarum scilicet, quinque vel septem provinciarum, Galliarum et Britanniarum. Hæc omissio vicarii Galliarum in notitia dignitatum auctoris imperitiæ vel incuriæ tribuenda est, quem aliis quoque in locis lapsum pluribus demonstrare possemus. In Oriente scripsisse patet ex his quæ de regionibus Constantinopolitanis et provinciis Orientis exactissime tradidit. Cum porro in descriptione regionum Constantinopolis auctor memoret inter cætera regione 1 et 10 *domum Placidiæ Augustæ*, quæ Constantinopoli exstitit ann. 423 et 424, regione autem 10 nominet *domum Eudociæ Augustæ*, quæ eodem an. 423 Augusta a Theodosio Juniore appellata fuit, citius hoc anno hæc notitia scripta dici potest. Cum vero auctor accurate descripsit quæ ad Orientem pertinent, tum vero quæ ad Occidentem spectant, ex memoriis quæ reperit sumpta fuere; unde non pauca miscuit nova et antiqua, ac nonnulla prodidit non uti tunc erant, sed uti in documentis anterioribus nactus est. Hinc in Britanniis dignitates ac Romanas militias expressit, quæ suo tempore non exstabant, cum jam inde ab anno circiter 409 Britanniæ a Romano imperio subductæ fuissent. Treviros in Galliis posuit, cum hæc urbs jamdiu demolita fuisset, et alia ejusmodi similiter notavit, quæ hic appendere necesse non est. In hac ergo hominis de rebus Occidentalibus minus exacta descriptione, si vicarium Galliarum non invenimus, nihil movere potest quominus ea bipartita Galliarum divisio sub duobus vicariis quinque provinciarum (quæ postea septem dictæ sunt) et Galliarum, quam constituimus, Constantino tribuenda credatur.

11. Hæc satis de hujusmodi quinque provinciarum partitione: quæ viguit ad Valentinianum I usque, sub quo Aquitania in duas provincias dissecta, ut ex Sexto Rufo intelleximus, ex quinque provinciis sex evaserunt. Cum porro Ammianus Marcellinus, qui sub Theodosio I scripsit, duas Narbonenses appellet, uti duas item vocat etiam concilium Aquileiense an. 381, in epistola ad episcopos *provinciæ Viennensium et Narbonensium primæ et secundæ*, tertiam hanc divisionem paulo post secundam fuisse inductam agnoscimus, ex qua eædem provinciæ septem factæ fuerunt; et hæ quidem sunt illæ septem quæ in notitiis recensentur. In notitia provinciarum e ms. Veronensi edita per marchionem Maffeium sic: *Diœcesis Biennensis* (Lege *Viennensis*) *habet provincias septem. Biennensis* (Lege *Viennensis*), *Narbonensis prima, Narbonensis secunda, Novempopuli, Aquitania prima, Aquitania secunda, Alpes* 1015 *maritimæ.* Hæ in notitia dignitatum constituuntur *sub dispositione viri spectabilis vicarii septem provinciarum.* Vetustior igitur hæc septem provinciarum divisio est quam vulgo creditur; et hæ septem ex illis quinque profectæ sunt additione nulla, nec solidam tantum Narbonensem comprehendebant illæ quinque, quæ ex Aquitaniarum et Novempopulanæ accessione septem posterius factæ fuerint, ut hactenus apud eruditos obtinuit.

12. Hic difficultatem movebit *quinque provinciarum* appellatio, quæ invenitur in documentis scriptis sub finem quarti sæculi, et sub initium quinti, uti est Taurinensis synodus habita circa an. 401. Hac potissimum ex causa factum est, ut septem provinciarum divisio post initium sæculi quinti facta credatur, ita ut quinque provinciæ, quæ vulgo creduntur ex Narbonensi solida conflatæ, Aquitaniarum et Novempopulanæ accessione septem evaserint. Sed quoniam Aquitaniam et Novempopulanam in quinque provinciis fuisse manifestum fecimus ex Philastrio, sola quinque provinciarum appellatio sicut probare nequit, ex quinque illis provinciis per Aquitaniæ divisionem sex provincias factas fuisse sub Valentiniano I quas Sextus Rufus distincte commemorat, ita nequit efficere quin ex sex ob novam divisionem secundæ Narbonensis duobus quarti sæculi monumentis probatam septem effectæ fuerint. Quinque autem provinciarum appellatio non solum post ejusmodi divisionem ea de causa perseverare adhuc potuit, quia subdivisio duplex Aquitaniæ et Narbonensis in duas in iisdem quinque provinciis facta, nihil novi additamenti aliunde acceperit, ac idcirco homines antiquæ locutioni assueti, eamdem non dimiserunt; verum etiam quia septem provinciæ licet divisæ, nondum tamen in unum corpus septem provinciarum appellatione donatum publica auctoritate coaluerint. Id enim solum contigit sub Honorio circa an. 407, cum Petronius præfectus prætorio Galliarum generalem septem provinciarum conventum singulis annis Arelate cogendum indixit; unde post hanc publicam sanctionem *quinque provinciarum* appellationi *septem provinciarum* nomen substitui cœpit.

13. Cæterum antiquior hæc septem provinciarum divisio agnosci debuit ex libello provinciarum Romanarum, quem primi ediderunt Andreas Schotus et Surita post Antonini Itinerarium, recusit Petrus Bertius tom. II Thesauri geographici, pag. 35, et emendatiorem ex Vaticano Reginæ ms. vulgavit Schelestratius tom. II Antiq. Eccles. in append. pag. 549. Hunc libellum sub Theodosio I lucubratum ostendit cardinalis Norisius in Epochis Syromacedonum dissert. 4, c. 1, et nihilominus septem provinciæ in eo jam tum divisæ recensentur ante decem provincias, quæ ad Gallias proprie dictas pertinent. Sed ne quis forte ex ipsa septem provinciarum enumeratione hunc libellum posteriorem contendat, idipsum apertius confirmat notitia Veronensis a v. cl. Maffeio impressa, quam sub Theodosio Majore exaratam apertius demonstrare possumus. Hæc licet ex unico quantumvis antiquissimo at indiligenti codice eruta, aliquot erroribus et defectibus non careat, plura tamen antiquitatis indicia præfert. Primum in descriptione provinciarum Galliæ duas tantum Lugdunenses exhibet, ut apud Sextum Rufum et Ammianum Marcellinum; ex quo antiquior cognoscitur, quam libellus provinciarum antea laudatus, in quo quatuor Lugdunenses recensentur, ac propterea tunc exaratam fuisse patet cum duæ Lugdunenses nondum dissectæ fuerunt in quatuor, immo antequam discinderentur in tres; quam divisionem hactenus ignotam ex singulari (a) inscriptione a marchione

(a) In Antiquitatibus Galliæ epist. 20, n. 3, inscriptio profertur, qua Geminus Agrippinensis post.

Maffeio in Antiquitatibus Galliarum inserta colligi posse credimus. Dein in diœcesi Orientis, quæ Ægyptum comprehendit, omittitur Arcadia, et in diœcesi Pontica Honorias non apparet; quæ duæ provinciæ in libello **1017** provinciarum descriptæ a Theodosio e filiorum nominibus appellatæ creduntur. Præterea quinque tantum Ægypti provinciæ leguntur, ut apud Ammianum Marcellinum, non autem sex; et in Britanniis quatuor tantum, ut apud Sextum Rufum, non autem quinque : licet illæ sex et istæ quinque ante finem quarti sæculi existerent. Quod autem evidentius nobis videtur, est illud, quod tres diœceses describuntur continuæ Britanniarum, Galliarum, et Viennensis septem provinciarum, quas sub præfecto prætorio Galliarum collocatas ostendimus; ab his autem tribus, Italica diœcesi interposita, separatur diœcesis Hispaniarum, et huic immediate subjicitur diœcesis Africæ, eo quod nondum per id tempus Hispaniæ essent sub præfecto prætorio Galliarum, sed æque ac Africa vice sacra, id est, imperatoris vice, non autem vice præfecti prætorio a proconsule regeretur. Igitur hæc notitia eo tempore exarata est cum Hispaniæ proconsulares erant, et antequam vicarium sortirentur, qui a præfecto prætorio Galliarum pendebat. Hispaniæ autem proconsulares esse desiisse, ac accepisse vicarium postremis Gratiani annis et primis Theodosii Senioris, ex Severo Sulpicio colligitur lib. II Hist. Sacr. c. 49. Neque obstat divisio duarum diœceseon Illyrici, quæ in notitia Veronensi appellantur *diœcesis Mysiarum* et *diœcesis Pannoniarum*. Cum enim hæ longe sejungantur a diœcesi Italiciana, non referunt eam divisionem Illyrici Orientalis et Occidentalis, quæ post Theodosium inducta, Occidentale Illyricum Pannoniarum præfecto prætorio Italiæ subjecerat; sed vetustiorem divisionem exhibent, cum totum Illyricum proprio præfecto subjectum ad Occidentale imperium pertinebat usque ad eumdem Theodosium I, ut P. Joan. Antonius Blancus statuit lib. II *dell' Ester. Polit. della Chiesa*, c. 1, § 8. Notabilis et vetus diœceseon dispositio in hac notitia continetur. Primo enim describuntur diœceses subjectæ præfecto prætorio Orientis, tum illæ præfecti prætorio Illyrici, dein præfecti prætorio Galliarum, postea diœcesis præfecti prætorio Italiæ, tandem duæ proconsulibus subditæ, Hispaniarum et Africæ. Si ergo hæc notitia prioribus Theodosii I annis confecta septem provincias jam memoratas describit, nihil de hac hujus temporis divisione dubitandum relinquitur.

14. Tres hactenus provinciarum divisiones sæculo quarto factæ. Nunc aliam Narbonensis solidæ partitionem his anteriorem eruditorum examini subjicere liceat. Catalogus episcoporum primi Arelatensis concilii habiti an. 314 nobis indicio est. Hujus catalogi auctoritatem Quesnellus frustra elevare studet part. II, c. 2. Ut autem omnia ejus objecta diluantur, animadvertendum imprimis est hunc catalogum perperam ab eodem appellari *subscriptiones* ejusdem concilii. Est enim, ut ille pariter confessus est n. 3, index episcoporum et clericorum qui in eo concilio convenerunt ex diversis provinciis in ipsarum provinciarum rationem descripti : in quibus idcirco subscriptionum ordo quærendus non est. Deinde haud contendimus hunc catalogum factum fuisse in ipso concilio. Id unum dicimus, ex memoriis ejus temporis fuisse digestum ea ætate qua quinque provinciarum divisio nondum constituta fuerat. Distin-

A guendi autem sunt a codicibus codices. Duo sunt fontes ex quibus hic catalogus prodiit. Vulgati ante Sirmondum a mss. pendent collectionum Isidorianæ et Hispanicæ. Sirmondus eum catalogum edidit e ms. antiquissimæ collectionis Corbeiensis, cum quo plane concinit in hoc catalogo alius pervetustus item codex alterius collectionis, quam Coustantius invenit in ms. Colbertino 3368, et ex quo eum edidit tom. I Epist. Rom. pontif. pag. 343. Hi duo antiquissimi codices continentes duas distinctas collectiones Gallicanas vetustiores Hispanica, ex qua Isidoriana profecta est, sinceriorem præferunt eum catalogum; et ex uniformi ejus descriptione maximam eidem auctoritatem conciliant. In Hispanicis et Isidorianis mss. posterioris ætatis quædam in provinciarum nominibus immutata fuere, quæ Arelatensis synodi tempori non congruunt, uti sunt, ex. gr., Aquitanica prima et Aquitanica secunda, quam divisionem Arelatensi primæ posteriorem ostendimus. Cum hic error
B et hæc arbitraria mutatio non inveniatur in duobus illis antiquioribus codicibus, in quibus nihil cum Arelatensis ævo non concordat, vel ex hoc intelligimus horum codicum catalogum sub Arelatensis tempus fuisse descriptum, eamque provinciarum rationem in iisdem conservatam fuisse quæ in autographo sub idem tempus expressa fuerat. Si quid enim ex **1019** posteriori ævo fuisset in his codicibus immutatum, ut in Hispanicis, et exinde in Isidorianis accidit, aliqua ejusdem generis emendatio ad provinciarum ejus ævi normam facta fuisset. Neque vero ut hujus catalogi fides infirmetur, in suspicionem adduci potest cum Quesnello ea Arelatensis primæ ad Silvestrum epistola, cui ipse catalogus in codicibus subjectus legitur; ac si altera tantum ex Arelatensi codice edita sit ipsa ejus concilii epistola ad laudatum pontificem, hæc vero sit ipsius Breviarium a quodam studioso homine posterius conditum et alicubi interpolatum, qui pariter catalogum episcoporum compegerit. At hanc pariter ejus synodi epistolam, non vero Bre-
C viarium esse, ipsa ejusdem forma, quæ in omnibus codicibus exhibetur, demonstrat. Quod si de altera epistola, uno licet Arelatensi codice probata, dubitare non licet, multo minus suspicandum erit de hac, quæ tot et vetustissimis diversæ originis manuscriptis, eodemque Arelatensi codice munitur, cum præsertim nihil habeat quod cum illa non maxime congruat; interpolatio enim quam Quesnellus suspicatus est in illis verbis canonis primi de Paschate : *Et juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas*, quæ in altera epistola non leguntur, inanissima est. Cum enim duæ ejusdem concilii epistolæ habendæ sint, num interpolationi verti potest, si Patres in secunda epistola, in qua eosdem canones quandoque brevius repetiverunt, omittenda putarint ea verba quæ in anterioribus litteris satis expresserant? Certe ut idem dies Paschæ ex eorumdem Patrum decreto ab omnibus servaretur, providendum sane fuit ut qui omnibus præest eumdem diem paschalibus litteris
D indiceret. Nicæna synodus non instituit paschalium dirigendarum disciplinam, sed unice decrevit (Cyrillo teste in Prologo paschali) ut Alexandrinus episcopus ob peritiam computi paschalis diem Paschatis significaret Romano pontifici, cujus auctoritate omnes eumdem Paschæ diem cognoscerent atque servarent; et ex hoc testimonio vetustiorem litterarum paschalium consuetudinem agnoscimus. Vindicata igitur hac epistola, nihil jam superest apud Quesnellum ex quo

dignitatem præsidatus, administrator rationum novem provinciarum fuisse traditur. Sunt qui putent Novempopulos seu Novempopulanam intelligi. Sed Novempopulana una provincia erat, non novem. Nulla porro in notitiis vel auctoribus novem provinciarum Occidentalium mentio occurrit. Solum provincias octo in Galliis Sextus Rufus et notitia Veronensis describunt, quæ in notitiis posterioribus decem numerantur, eo quod duæ Lugdunenses a Sexto Rufo et notitia Veronensi memoratæ in quatuor dissectæ fuerint. Forte vero antequam quatuor efficerentur, sectæ fuerunt in tres; et ita aliquandiu Galliarum provinciæ novem exstiterunt, et per hoc tempus Geminus ex Agrippina oriundus in ipsa Gallia, harum novem provinciarum rationalis fuit. Nulla æquiori ratione hæc inscriptio explicari posse videtur.

de catalogi antiquitate ac fide ambigendum sit. Ipsa A ratio quam ille affert cur idem catalogus serius digestus fuerit, nimirum ut veritas probaretur canonis 18 concilii Arelatensis II, in quo Arelatense I *ex omnibus mundi partibus* collectum traditur; unde etiam ipse catalogus Arelatensi II in mss. præfixus legitur; hæc, inquam, ratio, quæ antiquitatem abripere nititur, adeo arbitraria et imbecillis est, ut duplici falsa hypothesi nitatur. Prima est, Arelatense II esse concilium; cum sit vere mera collectio canonum sub initio VI sæculi digesta, ut tomo tertio probabitur; quo quidem tempore si catalogus in eum finem quem Quesnellus præsumit fuisset exaratus, ejus ævi provinciæ designandæ fuissent. Altera est, ipsum catalogum in mss. præfigi synodo Arelatensi II, ac si ad hanc referatur. Id quidem ex aliquot vetustioribus editionibus colligi potest, in quibus idem catalogus ab Arelatensi I separatur, et Arelatensi II præmittitur. Id vero inconsideratione ejus editoris accidit, qui cum in codicibus seu editis Isidorianis quibus usus est, B hunc catalogum descriptum reperisset inter concilia Arelatense I et II, quæ ibidem continue sequuntur, hæc separans, laudatum catalogum ad Arelatense II spectare credidit, nec totam inscriptionem eidem catalogo præmissam exactius animadvertit, quæ ipsum ad antecedens Arelatense I apertissime refert. Conjectationes adeo inanes nonne sinceritatem et antiquitatem catalogi confirmant potius quam infirmant? Hinc jure de hoc Quesnelli nisu Tillemontius scripsit: *Car ceux qui ont voulu dire que cela avait été ajouté depuis n'en ont point de preuve* (*Tom.* XV, *in Hilar. art.* 8, *p.* 52). Nihil igitur impedimento esse potest quominus hic catalogus sub ipsam Arelatensem I synodum ex ipsius gestis lucubrata credatur, quod vel ipse Quesnellus alia ratione confiteri coactus fuit, cum n. 4 scripsit, *indicem, qui Breviario annectitur, ex ipsa epistola et aliis forsitan actorum exemplaribus confectum esse.*

15. Ex hoc porro catalogo, uti in sincerioribus et vetustioribus collectionibus Corbeiensi et Colbertina C describitur, discimus Alpes maritimas nondum Arelatensis I temporibus fuisse provinciam a Viennensi distinctam. Nam diaconus Portus Nicæensis Alpium maritimarum describitur sub titulo *Ex provincia Viennensi*, non vero *Ex provincia Alpium maritimarum*, uti dicendum fuisset si concilii Arelatensis I ætate Alpes maritimæ provinciam constituissent a **1021** Viennensi diversam. Idem videtur de Alpibus Graiis. Licet enim ex harum civitatibus nullus in eo concilio profeRatur unde hæc res comprobari queat, notitiæ tamen posteriores provinciarum Galliæ satis indicant, Alpes Graias æque ac maritimas olim fuisse partes provinciæ Viennensis, cum Alpes Graias appellent *Viennensem tertiam*, et maritimas *Viennensem secundam.* Hæc enim denominatio non aliunde originem ducere posse videtur, nisi quia utraque hæc provincia ante divisionem in Viennensi comprehenderetur: quemadmodum tres Lugdunenses secunda, tertia, et quarta in iisdem notitiis hoc nomine donantur, quia D Lugdunensi solidæ antea ascriptæ fuerant. Cum porro Viennensis provincia ex Narbonensi solida dissecta fuerit, jam patet hanc primam fuisse Narbonensis solidæ divisionem, nimirum in partes duas, quarum altera cis Rhodanum provincia *Viennensis* appellata est, quæ etiam Alpes Graias et maritimas continebat; altera vero trans Rhodanum, ubi Narbo jacet, *Narbonensis* provinciæ nomen retinuit; et hac prima divisione obtinente, quæ forte Diocletianum habuit auctorem, Arelatense I concilium habitum fuit. Tum secuta est altera, ut videtur, Constantini divisio, cum in constitutione quinque provinciarum a Viennensi dissectæ fuerunt Alpes maritimæ et Graiæ, uti superius explicavimus. In tertia divisione, qua ex quinque provinciis sex factæ fuerunt, nihil ex antiqua Narbonensi vel Viennensi sectum fuit; sola enim Aquitania divisa est in duas. At in quarta divisione sub Theodosio I, qua septem provinciæ constitutæ sunt, secunda Narbonensis excisa fuit sive ex Narbonensi, sive, ut alii probabilius judicant, ex Viennensi, cui finitima est, interjectis inter ipsam et Narbonensem primam flumine Rhodano et tota provincia Viennensi, ita ut pars Narbonensis primæ, ex qua exscinderetur, esse nequiverit. In catalogo etiam ante laudato Arelatensis primæ synodi presbyter Aptensis Narbonensis secundæ recensetur sub titulo *ex provincia Viennensi*, quod tum ad eam pertineret. Narbonensis vero secundæ appellationem, etsi a Viennensi secta fuisset, obtinere potuit, quatenus olim ante divisionem Viennensis a Narbonensi, in Narbonensi solida continebatur. Hæc de varia dispositione civili provinciarum in Gallia præsertim Narbonensi.

CAP. IV. *De Arelatis et Viennæ prærogativis in dispositione civili. Utriusque metropolis initia statuuntur. Notitia Galliarum civilem, non ecclesiasticam dispositionem exhibet. Ejus antiquitas a Quesnelli censuris vindicatur.* — 1. Post constitutam civilem dispositionem provinciarum Galliæ ac præsertim Narbonensis solidæ, de præcipuis ejusdem metropolibus Vienna et Arelate, quæ ad rem nostram maxime pertinent, nonnulla exactius statuenda sunt. Nam Quesnellus ut Arelato primatum tribueret, ejus prærogativas civiles nimium multum extulit. Viennæ autem privilegia et dignitatem si non omnino præteriit, certe extenuare ac deprimere studuit. Episcopi Galli Arelatensis urbis studiosi epist. 65, ad S. Leonem c. 4, hanc ob privilegia civilia supra Viennam extollere nisi sunt, inter quæ illud præcipuum est, quod ibidem præfectus prætorio et reliquæ potestates semper inhabitent; quod idem est ac istam omnium Galliarum metropolim declarare. Econtra S. Leo, qui *allegationes utriusque partis* expenderat, in responsione ad eosdem epist. 66, c. 2, Viennæ et Arelato *commune jus quondam fuisse a gentibus*, id est quoad civiles prærogativas, testatur. Id autem quam vere dictum fuerit ut quisque intelligat, utriusque metropolis initia atque dignitas, quæ in civili dispositione maxime spectantur, explicanda sunt. De Arelate imprimis statuamus.

2. Arelas, sita in provincia Viennensi, licet olim esset pluribus nominibus celebris, ad metropolis tamen honorem non pervenit nisi circa annum 405 vel 407, cum propter irruptiones barbarorum Petronius præfectus prætorio Galliarum e Treveris sedem præfecturæ Arelatum transtulit, ibique septem provinciarum conventum quotannis cogendum præcepit. Tunc enim hæc urbs ob sedem ipsius præfecti non solum septem provinciarum caput, sed omnium Galliarum metropolis esse cœpit, et hac de causa in lege Honorii an. 418 **1023** *metropolitana civitas* appellatur. Hoc primum hujus honoris testimonium legitur. Nullum certe antiquius a Quesnello afferri potuit. Non parum quidem is laborat part. I, c. 5, ut hanc dignitatem vetustiorem ostendat. At nihil cogit. Quod enim ex eadem lege Honorii opponit, ubi ille septem provinciarum conventus, ex quo metropoliticum Arelatis jus elicitur, *incuria temporum et desidia tyrannorum* interruptus traditur; intermedium tempus respicit, quo post eum conventum a Petronio institutum, Constantinus et Constans aliique tyranni Gallias et Arelatum occuparunt ac perturbarunt. Ille sane conventus cum laudatum Petronium auctorem habeat, ante sedem Arelatum ab eo traductam, institutus dici nequit, ac proinde ex hoc conventu ibidem præscripto Arelas metropolis probari non potest ante an. 405 vel 407, cui ejus sedis traductio et conventus indictio affigitur, ut videre est apud Pagium ad an. 401, n. 36, et Tillemontium in Zosimo art. 1, tom. X, pag. 682, et in Honorio not. 2.

3. Gravius fortassis videbitur testimonium quod idem Quesnellus subjicit ex epist. 65 episcoporum Arelatensi adhærentium ad Leonem papam, ubi hanc urbem non ab Honorio tantum, sed etiam a Valentiniano I vel II, *matrem omnium Galliarum* appellatam

tradunt. *Hanc*, inquiunt, *clementissimæ recordationis Valentinianus et Honorius fidelissimi principes specialibus privilegiis, et, ut verbis ipsorum utamur, matrem omnium Galliarum appellando decorarunt.* At observamus hos episcopos studio amplificandæ dignitatis Arelati liberaliori licentia fuisse locutos. Id ex constitutione Honorii, quæ superest, palam fit. Quam enim urbem iste *metropolitanam* tantum vocat, illi *matrem omnium Galliarum* ipsis imperatoris verbis appellatam testantur : *ut verbis*, inquiunt, *ipsorum utamur.* Neque idcirco eos appellationem, quæ ipsorum et Honorii ævo Arelati non competeret, usurpasse putamus ; vere enim *matrem omnium Galliarum* erat Arelas, ex quo sedes præfecti prætorio facta fuerat, quatenus ob hanc sedem cunctis Galliarum urbibus atque provinciis præsidebat. Neque id a Valentiniano I vel II dictum credatur. Cum enim sub his imperatoribus sedes præfecti prætorio, ex qua una ille titulus proficisci potuit, non esset Arelate, sed Treviris, sola Trevirorum urbs tunc erat et dici poterat *metropolis Galliarum ;* quo plane sensu *metropolis Galliarum* nominatur ab Athanasio (*Apolog. de Fuga*, *n.* 4, *t.* I, *p.* 322), qui aliquandiu Treviris fuit. Arelati vero eum titulum, qui uni Trevirorum urbi tum competebat, contra veritatem facti a Valentiniano fuisse tributum, incredibile est. Episcopi igitur sicut Arelatis gratia in allegando Honorii testimonio liberiori formula usi sunt, ita in conjungendis Valentiniano et Honorio eam tropologicam locutionem adhibuisse videntur, qua plurali numero duobus vel pluribus ascribuntur, quæ per partes inter illos distinguenda erant. *Quis ignorat* (fatetur idem Quesnellus in notis ad hoc ipsum episcoporum testimonium n. 7) *illius tropi frequentem esse usum*, *qua pluralis numerus pro singulari ponitur, præsertim cum in præcedentibus plurium mentionem fieri contigit?* Hinc Pagius ad an. 401, n. 45, non male existimat, laudata episcoporum verba, licet plurali numero et copulative expressa disjunctive esse explicanda, ita ut privilegia quæ primum commemorant, ad Valentinianum pertineant, titulus vero *matris omnium Galliarum* ad solum Honorium referendus sit.

4. Multo autem minus ad metropolim Arelati vindicandam ante sæculum v illa conferunt quæ de Constantio Arelate consulatum adeunte et ludos dante, de *Constantinæ* et *Gallulæ Romæ* appellatione a Quesnello afferuntur. Hæc enim insignis quidem urbis, non autem metropolis indicia sunt, ac propterea aliis quoque urbibus, quæ non erant metropoles, similia contigisse legimus. Ita *Constantina* appellari potuit Arelas, uti Cirta in Numidia, et aliæ duæ civitates certe non metropoles in Phœnice et Arabia eodem nomine donatæ fuerunt. Ausonius vero in urbis magnitudinem, frequentiam et commercium, quibus Arelas Romam quodammodo æmulabatur, *Romæ Gallulæ* titulum refert. Nullo itaque testimonio Arelatensis metropolis civilis initia probari potuerunt antiquiora anno circiter 407.

5. Vetustius vero initium Viennæ metropolis fuit. Ipsum antiquum Provinciæ nomen primum indicium est. Antiqua enim *Viennensis provinciæ* denominatio, quæ pluribus quarti quoque sæculi documentis probatur, non aliunde **1025** provenire potuit, nisi quia jam inde ab ipsa Diocletianea seu Constantiniana provinciarum divisione Vienna, non autem Arelas civilis provinciæ Viennensis metropolis fuit. Quod enim huic evidentissimæ rationi opponit Quesnellus de provinciis Lugdunensibus secunda, tertia et quarta, quarum metropolis ex hoc Lugdunensi nomine non erat Lugdunum, inanissimum est. Etsi enim hæ tres provinciæ a solida Lugdunensi dissectæ haberent peculiarem cujusque metropolim a Lugduno diversam, antequam tamen distraherentur in partes, omnes eamdem Lugdunensem urbem metropolim agnoscebant, et idcirco Lugdunensium nomen retinuerunt, quia ante hanc divisionem Lugdunum erat earum metropolis. Ita etiam Viennenses provinciæ tres in aliquibus posterioris ævi notitiis nominantur, quæ licet post divisionem propriam metropolim habeant, antea tamen Viennam communem metropolim civilem agnovisse videntur. Ita etiam Narbonensis secunda sic appellata est, quia olim metropolim habuit Narbonam, quæ toti Narbonensi solidæ nomen dedit. Nullæ inveniuntur provinciæ, quæ ab aliqua civitate nomen acceperint, nisi hæc civitas ipsius provinciæ aliquando metropolis fuerit. Hæc igitur Viennensis provinciæ denominatio de metropolitica Viennæ prærogativa dubitare non sinit.

6. Accedunt testimonia Eusebii Cæsariensis et notitiæ Galliarum. Ille enim sub Constantini ævum, quo Viennensis provincia a Vienna nomen accepit, hanc urbem *metropolim* diserte nominat I. v Hist. c. 1, et similiter notitia Galliarum a Sirmondo edita, cujus exemplum pervetustum legitur in ms. capituli Veronensis, in descriptione provinciæ Viennensis Viennam *metropolim* nominat. Quoad Eusebii quidem testimonium non repugnat Quesnellus : *Nemo enim non videt*, inquit, part. I, c. 12, *Eusebio sermonem esse de dignitate civilis Viennensis urbis.* Solum de geographica, non vero civili metropoli intelligendum putat ; et c. 11 Strabonem profert, qui Viennam *Allobrogum metropolim* nominavit, ac si Constantini ævo, quo alia provinciarum distinctio vigebat, eodem sensu Eusebius locutus fuerit : quod quam sit imbecillum quisque perspiciet. Notitiæ vero Galliarum auctoritatem, qua Vienna civilis metropolis apertissime traditur, elevare et infirmare integro capite nititur. Ecclesiasticam, non vero civilem notitiam esse posteriori quidem tempore in gratiam Viennensis episcopi lucubratam contendit, cum scilicet Burgundiones sub an. 480 Viennensem tractum occuparunt.

7. At civilem, non vero ecclesiasticam notitiam esse multa manifestum faciunt. Si enim ecclesiastica notitia esset, quæ ecclesiasticas provincias cum suis metropolibus describeret, non solum Vienna, verum etiam Arelas inter metropoles ecclesiasticas accensenda fuerat. Præterea Narbonensis secunda Alpes maritimæ et Graiæ non fuissent recensendæ uti separatæ provinciæ, quarum civitates Arelatensi vel Viennensi metropolitano suberant. Adde quod in Maxima Sequanorum tria castra et unus portus nominantur, qui ad ecclesiasticam dispositionem nihilum pertinent. Tandem, ut alia omittamus, post descriptas decem provincias Galliarum hic titulus subjicitur : *Item in provinciis septem.* Hæc autem distinctio septem provinciarum a decem provinciis, eam divisionem procul dubio præfert, quæ non ecclesiastica, sed civilis est, qua scilicet universæ Galliæ in duas diœceses partitæ fuerunt, ut capite antecedenti vidimus. Hæc notitia in pervetusto ms. capituli Veronensis 50 describitur post Itinerarium Burdigalense cum hoc titulo : *Incipit annotatio provinciarum atque urbium Galliarum cum privilegiis suis ;* quæ privilegia ad metropoles civiles ibidem designatas referuntur.

8. Hujus porro notitiæ ætatem satis indicat summa ipsius concordia cum divisione provinciarum Galliæ, quæ in notitia dignitatum exhibetur. Sicut enim hæc paulo post annum 423 exarata fuit, idem etiam de illa judicandum videtur. Id apertius demonstrat titulus *septem provinciarum*, quem ex hac notitia Galliarum recitavimus. Hic enim reperitur in documentis scriptis paulo post initium sæculi v, nimirum in epistolis Zosimi et Bonifacii I, in lege Honorii an. 418, et in memorata notitia dignitatum ; in posterioribus autem monumentis nuspiam invenimus. Anteriorem vero ætatem, quam huic notitiæ tribuendam suspicamur, argumento non levi constituendam reservamus numero 11.

9. Ex his Quesnelli opinio plane corruit. Cum enim hæc civilis, non autem **1027** ecclesiastica notitia sit, lucubrata dici nequit in gratiam Viennensis episcopi, qui notitiæ ecclesiasticæ descriptionem postulasset. Cum porro sub initium v sæculi fuerit lucu-

brata, frustra eam sub Burgundionibus scriptam Quesnellus comminiscitur; cum præsertim si hoc etiam tempore scripta crederetur, non eam dispositionem civilem præferat, quæ sub barbaris Romanas provincias in partes discindentibus alia erat a divisione Romanorum; sed eam dispositionem exhibeat quæ Romana est, et initio sæculi v sub Romanis obtinuit. Sidonii testimonium, quod in suam sententiam Quesnellus allegat, nimium enormiter ab eodem explicatur. Cum enim ille l. II, epist. 7, ad Græcum episcopum Massiliensem scripsit an. circiter 475: *Jam non primi comprovincialium cœpistis esse, sed ultimi* non de Massiliensibus loquitur, quorum civitas in notitia Galliarum ultimo loco designatur, sed loquitur de Leontio Arelatensi, Fausto Regiensi, Basilio Aquensi, et Græco Massiliensi, qui sub Romanorum ditione constituti, ut se et suas civitates a barbaris tutas redderent, Arvernorum urbem, cui Sidonius præerat, iisdem barbaris cedere, et sic pacem inire studebant. Hos autem Sidonius coarguens, hac urbium cessione non primos in civili dispositione, uti ante fuerant ob Arelatum, quæ sedes erat præfecti prætorio Galliarum, sed ultimos futuros prænuntiat, cum hac distrahendarum urbium via, ita paucæ civitates Romanis superessent, ut minima jam esset in Galliis Romanorum ditio, nec *majores* amplius dici possent, qui, ut mox subdit, *minores incipiebant non habere*. Hic germanus Sidonii sensus. Comminiscitur ergo Quesnellus, cum aliam Sidoniani textus interpretationem a sententia et mente auctoris alienam ingerit; omnesque ejus conjectationes, quibus huic interpretationi innixus, exponere nititur quomodo notitia sub barbaris condita fuerit, arbitrariæ et inanes demonstrantur.

10. Quæ vero animadversiones in ipsam notitiam ab eo proponuntur, ut illam posterioris ætatis esse suadeat, non minus imbecillæ sunt. Opponit primum Arelatem, quæ ex lege Honorii an. 418 metropolis declaratur, eoque tempore ob sedem præfecturæ omnibus Galliis præsidebat, ea in notitia nedum sine ullo metropolis titulo, sed inter ultimas civitates provinciæ Viennensis recenseri. At observandum est, in ea notitia, licet sub Honorii tempus descripta, notari cujusque provinciæ metropoles. Provinciæ autem Viennensis metropolis sicut jam inde a divisione Viennensis provinciæ a Narbonensi solida fuit Vienna, ita et sub Honorio eamdem prærogativam conservavit. Arelas enim, cum ex traducta sede præfecturæ metropolis esse cœpit, septem provinciarum metropolis constituta fuit, non autem provinciæ Viennensis, cui adhuc Vienna antiquiore privilegio præsidebat. Etsi vero quæ pluribus provinciis metropolitico honore præerat, eodem plerumque gauderet in suam peculiarem provinciam, id tamen Arelati non accidit, cum antiquior Viennæ possessio exclusa non fuerit; sicut nec antiquum Viennensis provinciæ nomen fuit immutatum: quod tamen evenisset si metropoliticum ipsius provinciæ jus a Vienna Arelatem fuisset traductum. Quid ergo mirum si in notitia quæ solas cujusque provinciæ metropoles ritu veteri signat, sola Vienna, non autem Arelas metropolis appelletur.

11. Hactenus ea in sententia locuti sumus, qua hæc notitia paulo post initium quinti sæculi scripta præsumatur. Si vero proferre liceat quod probabilius credimus, hanc notitiam sæculo v anteriorem putamus. Hactenus quidem vetustior habita non fuit, eo quod mentionem faciat septem provinciarum, quarum divisionem post initium sæculi v factam fuisse apud omnes obtinuit. Cum vero has septem provincias sub Theodosio I constitutas capite antecedenti ostenderimus, nihil hinc impedimenti exoritur, quominus ea notitia sæculo v anterior judicari queat. Similiter nihil obest quatuor Lugdunensium partitio, quippe quam reperimus in libello provinciarum, quem ante v sæculum lucubratum cardinalis Norisius ostendit (*Epoch. Syr. Maced. dissert.* 4 *c.* 1). Ut A vero hanc notitiam Galliarum vetustiorem credamus, illud in causa est quod in descriptione provinciæ Viennensis Arelas sine metropolis titulo recensetur. Porro Arelas ad honorem metropoliticum erecta fuit circa an. 407, cum præfecti prætorio sedes et caput omnium Galliarum esse cœpit, ut vidimus paulo ante. Civitas vero tanto honore prædita sine ulla honoris nota recensita non fuisset in notitia **1029** quæ post hoc tempus scripta fuisset. Quesnellus ex hac animadversione multo posteriorem credidit, cum tamen posteriori licet ætate secundum Romanam dispositionem hac in notitia exhibitam ab hoc honoris gradu non decesserit. Igitur multo probabilius anterior dicenda est hæc notitia, eo scilicet tempore exarata cum non dum Arelas ad metropoliticam dignitatem evecta fuerat; ita ut nihil mirum sit si inter comprovinciales provinciæ Viennensis civitates sine ullo metropolis titulo recensita fuit. Quod vero inter ultimas refertur, eam habet causam quia notitiæ auctor eum B ordinem secutus est quem geographicus situs obtulit. Primo enim post Viennam metropolim urbes viciniores et mediterraneas notavit, tum vero ad mare vergentes, inter quas Arelas et Massilia ultimum locum tenent.

12. Cæteræ Quesnelli animadversiones in notitiam Galliarum leviores sunt. Quod enim profert de Castro Nicæensi in notitia omisso, quod ante Leonem episcopatu fruebatur, ecclesiasticam notitiam esse præsumit, quam civilem jam diximus. Cum vero in eadem civili notitia tria alia castra Sequanorum, et duo Lugdunensis primæ memorentur, Nicænse omissum dicendum est vel auctoris incuria, vel potius, quod ita per hoc tempus exiguum esset et angustum, ut inter castra recensendum non videretur; unde Hilarus papa non *castrum*, sed diminutive *castellum* appellat. Quæ porro subjicit ex Paulino Nolano, ab auctoris mente alienissima sunt. In epist. 28, ad Victricium Rothomagensem de celebritate loquitur, qua Rothomagum ex egregiis ejusdem episcopi gestis *inter* C *urbes sacratas* eminebat; quod ad dispositionem civilem, de qua nunc agimus, nihilum pertinet. Licet enim ea civitas ante hoc tempus esset civilis metropolis, non tamen ante Victricium ita celebris *inter sacratas urbes* fuit. Idem est de Morinorum civitate, quam Paulinus ibidem memorat ratione habita religionis, non autem dispositionis civilis, quam unam notitia describit. Argumentum tandem ex synodo Taurinensi huc nihilum pertinet, cum in hac synodo non de civili, sed de ecclesiastica metropoli dubitatio fuerit, ut capite sequenti ostendemus. Nihil ergo notitiæ auctoritatem elidit; ac propterea solidum ex hac quoque argumentum suppetit, quo Viennam civilem metropolim fuisse dicamus, et antiquiorem quidem Arelate, nimirum jam inde ab institutione provinciæ Viennensis, quæ a Vienna metropoli nomen accepit. Immo antequam Arelas ob sedem præfecturæ eo traductam ad metropoliticam nedum septem provinciarum, sed omnium etiam Galliarum dignita- D tem eveheretur, Viennam fuisse sedem vicarii præfecti prætorio, quamdiu hic Treviris stetit, et idcirco fuisse etiam metropolim non solum suæ provinciæ, verum etiam quinque provinciarum, quæ postea septem dictæ sunt, colligi posse videtur ex vetustissima notitia Veronensi, in qua *diœcesis Viennensis* appellantur septem provinciæ, quibus vicarius præerat. Neque enim aliunde hæc diœcesis a Vienna nomen accepit, nisi quod ibidem vicarius præfecti sedem haberet. Ex his porro omnibus multo apertius cognoscitur, quam jure S. Leo scripserit, Viennæ et Arelato *commune jus quondam fuisse a gentibus* (*Epist.* 66. *c.* 2). *Quondam*, inquit, quia diversis temporibus altera alteri præstitit, Vienna quidem antiquiori ævo, cum suæ provinciæ metropolis, et probabilius etiam vicarii sedes fuit; Arelas vero ætate posteriori, cum circa an. 407 præfecturæ sedes esse cœpit. Nunc ad ecclesiasticarum provinciarum et Metropoleon dispositionem accedamus.

CAP. V. *De antiqua institutione et dispositione provinciarum ac metropoleon ecclesiasticarum in Galliis, ac præsertim in provinciis dissectis e Narbonensi solida. Sera earumdem initia; nec ad civilem formam omnino exacta demonstratur.* — 1. Duo circa provincias et metropoles ecclesiasticas in Galliis constituenda sunt, ut de iis quæ Quesnellus multis in locis sparsit, judicium feratur. Primum quandonam harum forma fuerit inducta; deinde num ad formam provinciarum et metropoleon civilium. Si ecclesiasticæ provinciæ Galliarum in aliquo trium priorum sæculorum fuissent institutæ, et ad civilium provinciarum **1031** formam exactæ, ut Quesnellus non uno loco præsumit, cum eo tempore solida Narbonensis nondum esset divisa, sicuti Narbo tunc semper exstitit totius provinciæ metropolis, ipso Quesnello fatente parte I, sub finem c. 11, ita nihil dubium esset quin Narbonensis episcopus ejusdem provinciæ metropolita fuisset constitutus, non vero Arelatensis, aut quisquam alius. At hierarchiæ ecclesiasticæ formam tribus illis sæculis, et ante Nicænum quærere in Galliis, omnino inane esse ex eodem Quesnello accepimus. Hujus testimonia allegavimus capite secundo, n. 5. Quæ cum non obscure ingesserit, haud satis intelligetur quomodo sine contradictione aliqua scripserit, part. II, c. 2 : *Cum eruditiores quique, paucis exceptis, ad ea tempora* (antea notaverat annum 250) *referant religionis et disciplinæ exordia in Galliis, si tunc una provincia* (id est Narbonensis) *unusque metropolitanus fuerit, valebit regula Innocentii I papæ : secundum pristinum provinciarum morem metropolitanos episcopos oportere nominari; nec ad mobilitatem necessitatum mundanarum debere Dei Ecclesiam commutari.* Hac in sententia unus Narbonensis episcopus secundum dispositionem civilem totius Narbonensis metropolitanus fuisset institutus, nec ejusmodi constitutio ex mente Innocentii fuisset immutanda. Quesnellus vero indicare hoc loco voluit Arelatensem episcopum toti Narbonensi, uti putat, fuisse præpositum jam inde a medio sæculo III ob S. Trophimi missionem, quam capite secundo ad id probandum omnino ineptam ostendimus. Si S. Trophimus Gallias petiit circa medium sæculum III, ut ex Gregorio Turonensi Quesnellus censuit, una cum S. Trophimo ab eodem Gregorio missus traditur etiam Paulus, qui Narbone sedem fixit, sicut Trophimus Arelate; ac propterea non minus ex hac missione Narbonensis civitas quam Arelas profecisset : immo Narbo multo magis, cum hæc eo tempore totius provinciæ metropolis esset. Solum Quesnellus a contradictione purgari potest, eo quod metropolis ecclesiasticæ institutionem in Galliis sub medium sæculum III non affirmet absolute, sed sub conditione, *si tunc una provincia unusque metropolitanus fuerit.* Proinde id uti probabilius ab eodem accipimus, quod expressius docuit, nimirum ecclesiasticarum metropoleon formam post Nicænam synodum in Gallias invectam ac institutam fuisse.

2. Nos vero id insuper probabilius credimus, de hac hierarchica forma constituenda Gallicanos episcopos serius cogitasse, et adhuc post Nicænæ synodi tempus antiquam methodum tenuisse, quæ tribus prioribus sæculis viguit, ut scilicet cum nondum metropolitani essent constituti, episcoporum synodis vel antiquior, vel civitatis, in qua synodus cogebatur, episcopus præsideret. Ita cum concilio Valentino anni 374 præfuit Fœbadius, seu, ut alii cum Sulpicio Severo (*Hist. lib.* II, *c.* 44) et cum editis conciliorum scribunt, Fœgadius episcopus Aginnensis Ecclesiæ, quæ numquam metropolitanum habuit, descriptis post eum aliis episcopis insigniorum sedium Arelatensis, Viennensis, Trevirensis, et Lugdunensis, sola antiquioris ætatis ejus ratio haberi potuit, eo quod nondum certa esset metropolitarum institutio; neque enim post horum institutionem in more fuit ut metropolitani (quicumque adessent) simplici episcopo quantumvis antiquiori locum cederent. Et si quidem Arelatensis præsertim episcopus eum gradum ac primatum in Galliis semper obtinuisset jam inde a S. Trophimi missione, uti ex Zosimo seu verius ex Patrocli et fautorum ejus suggestione Quesnellus jactitat, Concordius ejusdem Ecclesiæ episcopus eumdem gradum tenuisset in hoc suæ provinciæ concilio; nec si eamdem traditionem atque consuetudinem a majoribus accepisset, quam Patroclus sæculo sequenti ingessit, permisisset umquam ut simplex episcopus huic vetustissimo et insigni suæ sedis privilegio præjudicium afferret. Hoc quoque documento Patrocli impostura confirmari potest.

3. Neque huic argumento quidquam obsunt difficultates quæ synodi Valentinæ subscriptionibus Quesnellus opposuit part. I, c. 11. Fœgadii enim nomen primo loco non in subscriptionibus ponitur, sed in inscriptionibus duarum epistolarum ejusdem synodi, quas Quesnellus adeo ratas habuit, ut contra subscriptiones ipsas harum inscriptionum seriem extulerit, ex qua eidem synodo, ut ait, *præfuisse Fægadius legitur.*

4. Quod si Marinus Arelatensis primus nominatur in inscriptione epistolæ concilii **1033** Arelatensis an. 314, id non metropolitico juri, sed vel antiquitati ejus tribuendum est, vel potius quod loci episcopus esset a Constantino imperatore in causa de qua tum agebatur, præcipue deputatus; ubi enim metropolitæ non essent, vel antiquior, vel loci episcopus cæteris præferebatur. Idem imperator in epistola ad Melchiadem papam apud Eusebium judices in ea causa abs se delectos hoc ordine nominat : Reticium Augustodunensem, Maternum Agrippinensem, et Marinum Arelatensem : idemque ordo servatur in actis Romanæ synodi, in qua iidem judices ob eamdem rem ante Arelatensem convenerant, uti videre est apud Optatum lib. I. Porro Reticius Augustodunensis certe metropolitanus non erat. Marinus igitur, qui simplici episcopo postponitur, metropolitanus non fuit; et si quidem in concilio Arelatensi præmittitur Reticio, qui in Romano eidem prælatus fuerat, sola loci ratio in causa esse potuit.

5. Neque obsunt quæ de Saturnino Arelatensi traduntur, cum in Arelatensi pseudosynodo an. 353 ac in Biterrensi an. 356, S. Hilarium Pictaviensem condemnandum curavit. Neque enim eum his pseudosynodis provinciarum Viennensis vel Narbonensis metropolitico jure præfuisse ex ejusmodi gestis colligi potest; sicut nequit colligi Valentem et Ursacium episcopos certe non metropolitanos metropolitico jure usos fuisse, cum in variis pseudosynodis multa adversus catholicos pro suo arbitrio obtinuerunt. Sicut autem hi hæreticorum præpotentes ac præcipua factionis capita gestorum auctores a scriptoribus nominantur, ita etiam Saturninus Arelatensis, ut ne tamen huic, sicut nec illis jus metropoliticum exinde tribuatur. Hanc comparationis rationem ex Sulpicio Severo confirmamus, qui lib. II Hist. c. 40 scribit : *Italiam, Illyricum, atque Orientem Valens et Ursacius, cæterique quorum nomina edidimus, infecerunt, Gallias nostras Saturninus Arelatensium episcopus homo impotens et factiosus premebat.*

6. Hæc quæ de tam sera institutione metropolitarum in Galliis delibavimus, nemini mirifica et incredibilia videantur. Nam et in Italia ipsa, et in Hispaniis sub hoc idem circiter tempus, id est, post medium quartum sæculum metropoles ecclesiasticæ institui cœpere : uti de Italicis (Romana semper excipienda est) pluribus statuimus in dissertatione jam parata, *De origine antiquiorum Ecclesiarum et metropoleon Italiæ.* De Hispaniis vero idipsum probari liceret; unde in concilio Cæsaraugustano habito paulo post Valentinum laudatus Fœgadius Aginnensis, eo quod tum nulli essent metropolitæ, ratione ætatis primum (ut in Valentino) supra cæteros omnes etiam celebriorum Hispanicarum sedium episcopos locum obtinuit. Vetustius quidem Hispanorum metropolitarum indicium occurrit in epistola 1 Siricii ad Himerium Tarraconensem c. 8, scripta an. 385. Quod si in Eliberitana multo anteriori synodo *primæ cathedræ epi-*

scopus nominatur can. 58, hoc nomine non metropolitanum, qui tum non erat, sed antiquiorem episcopum Africanorum more intelligi optime ostendit Cajetanus Cennius tom. I *de Antiquit. Eccl. Hispanæ*, c. 4, num. 8. Conferenda hoc loco erunt quæ de canonibus Sardicensibus disseremus tomo III, ubi hæc sera ecclesiasticarum metropoleon apud Latinos institutio ex duobus canonibus in originali Latino aliter ac in Græco expressis non modicum confirmabitur.

7. Neque vero quispiam existimet Gallicanos primariarum urbium episcopos ante hanc epocham, si non in conciliis, saltem in ordinationibus episcoporum aliquid metropolitici juris exercuisse. Quibus enim ordinationum jus est, hi veri sunt metropolitæ, iisdemque uti talibus præcipuus semper locus ante episcopos in conciliis tributus fuit; ac propterea si primus locus celebriorum urbium episcopis non fuit traditus in Valentina synodo, nullum quoque jus cuipiam ipsorum in ordinationibus tunc fuisse manifestum videtur. Cum in concilio Arelatensi I an. 314, can. 21, fit ordinationum mentio sic : *De his qui usurpant sibi quod soli debeant ordinare, placuit ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem episcopis; si tamen non potuerint septem, sine tribus fratribus non audeant ordinare*; præterquamquod verbum *usurpant* nullum jus cuiquam fuisse satis indicat, certe qui id usurpabant non appellantur metropolitani, uti vocantur in conciliis Orientalibus Nicæno, **1035** Laodiceno et Antiocheno; eo quod nondum per hæc tempora certi metropolitæ jure ordinationum præditi essent in Gallicanis provinciis, ut in Orientalibus reperiebantur.

8. Hoc sane ordinationum jus nondum fuisse in Galliis sub ipsum tempus concilii Valentini, et solum sub finem ejusdem sæculi induci cœpisse atque constitui, evidentius probari potest ex quæstionibus ad Taurinensem synodum delatis, ex quibus hæc sera metropoleon ecclesiasticarum institutio magis magisque confirmabitur. Tres quæstiones ibidem agitatæ potissimum considerandæ sunt. Prima est querela adversus Proculum Massiliensem, eo quod in Narbonensi secunda episcopos ordinasset. Hanc autem querelam adversus eum non promoverunt Arelatensis, aut Viennensis episcopi, qui alias pro vindicando sibi jure metropolitico in eadem synodo invicem contendebant; sed soli episcopi Narbonensis secundæ ea in re conquesti sunt, idque non eo consilio ut præservarent hoc jus Viennensi episcopo vel Arelatensi, ac si alteruter suus esset antiquus metropolita; sed hac ratione, quod *sibi alterius provinciæ sacerdotem præesse non debere* contenderent; quæ ratio æque Proculum Massiliensem ac Arelatensem et Viennensem episcopos excludit. Cum enim omnes hi tres ejusdem Viennensis provinciæ essent, æque omnes ad aliam provinciam pertinebant. Illud autem ex his manifeste sequitur, tam seram fuisse metropoleon ecclesiasticarum initia, ut nondum per hoc tempus Arelatensis aut Viennensis episcopus jus metropoliticum exercuisset aut obtinuisset in ordinandis episcopis Narbonensis secundæ; unde iidem, qui de jure metropolitico in Viennensi provincia inter se certabant, nihil moverunt circa Narbonensem secundam adversus Proculum Massiliensem, qui in ea primus idem jus veluti proprium sibi quæsiverat per episcoporum ordinationes, eidemque propterea *se tamquam metropolitanum diceret præesse debere*. Ipsius autem provinciæ episcopi ægre ferentes alius provinciæ episcopum sibi præferri, satis indicarunt se ex Nicænis canonibus suæ tantum provinciæ episcopum metropolitam non recusaturos, quæ item innuunt eos nondum certum metropolitam accepisse.

9. Secunda quæstio Taurinensibus proposita exarsit inter Arelatensem et Viennensem. Quisque ordinationum jus et primatum in provincia Viennensi contendebat. Dubium hac in re Patribus videtur exortum, quia post auditas utriusque partis allegationes, quæ ipsis oblatæ fuerunt, incertum adhuc fuit utra civitas esset metropolis : nam *a synodo definitum est ut qui ex eis approbaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ primatus honorem obtineat.* Controversia non levis inter eruditos vertitur, num Patres *metropolis* nomine civilem intellexerint an ecclesiasticam. Plerique de civili interpretantur. At Pagius ad an. 401, n. 37 et seqq., hanc sententiam refellit. Nemini quidem dubium esse poterat utra civitas civilis metropolis esset. Solam autem Viennam Taurinensis synodi tempore civilem fuisse metropolim ostendimus cap. 4. Quamquam si utraque civitas diverso nomine tum fuisset metropolis, cum id ignorare non potuerint ejusdem synodi Patres, non eam sententiam protulissent quæ unam civitatem tantum metropolim præsumit. Cum igitur non de civili, sed de ecclesiastica metropoli locuti sint, difficultas in hoc non ex eo pendere potuit, quod Viennensis episcopus metropoliticum jus sibi tardius arrogasset adversus Arelatensem, quasi is solus antea eo usus fuisset; tunc enim certum esse debuisset solam Arelatem esse veram metropolim, contra quam usurpatio recens episcopi Viennensis nihil præjudicii creasset. Dubium ergo ex eo proficisci potuit, quia in recenti institutione ecclesiasticarum metropoleon uterque episcopus Viennensis et Arelatensis id juris sibi competere præferebat, eo quod suam quisque sedem cæterarum ejusdem provinciæ ecclesiarum matrem seu metropolim esse contenderet, Arelatensis ob missionem S. Trophimi, Viennensis vero ob suæ Ecclesiæ antiquiorem originem, quæ S. Trophimi ætatem exsuperat. Cui rationi, ut ita dicamus, ecclesiasticæ, rationes fortassis unusquisque adjecit ex prærogativis civilibus singularum civitatum, quæ pariter sub Leone ex abundanti in allegationibus eidem exhibitis utrinque propositæ cognoscuntur ex epist. 66, ac ita utrinque graves, ut parem incertitudinem apud ipsum pontificem pepererint, ex qua provinciam inter Arelatensem et Viennensem episcopos (ut Taurinenses Patres consilium dederant) dividendam **1037** censuerit. Hæc autem quæstio solum in Taurinensi primum excitata videtur, propterea quod non multo ante hoc concilium in inducendis metropolibus hi duo antistites ordinationes episcoporum provinciæ Viennensis veluti pro jure suo exercere cœperint; alias multo ante hæc controversia mota fuisset. En ergo quomodo ex Taurinensi colligitur ordinationes ex metropolitico jure paulo ante hoc tempus cœpisse.

10. Hujus argumenti vim forte pervidit Quesnellus, cum part. I, c. 5, aliam hujus controversiæ occasionem afferre studuit. Præsumit se jam probasse capite antecedenti Arelatensem semper primatum obtinuisse in Narbonensi solida, nemine contradicente, cum tamen antecedenti capite nihil attulerit ex quo ille primatus constituatur, ut ex annotationibus eidem capiti subjectis patebit. Ratio etiam quam paulo ante attulimus id generatim confirmat. Si enim certa et antiqua fuisset Arelatensis possessio, recens vero nisus Viennensis episcopi, uti Quesnellus jactat, qui fieri potuisset ut Taurinenses Patres adhuc ancipites Arelatensi causam non adjudicarent? Quæ vero ille cap. 5 congerit ut recentis nisus episcopi Viennensis occasionem et controversiæ causam designet, falsa et commentitia sunt. Falsum est divisionem Narbonensis solidæ, ex qua Viennensis episcopus occasionem sumpserit, *non ita pridem*, seu non multo ante Taurinense concilium, factam fuisse. Viennensis enim provincia jamdiu sub Diocletiano aut Constantino divisa fuerat, uti capite tertio constituimus. Falsum est etiam turbas sub Eugenio tyranno excitatas provinciam Viennensem in partes discidisse, et hac occasione aliis civitatibus tyranno parentibus cum Viennensi, aliis cum Arelatensi sub Romana ditione perseverantibus, Viennensem episcopum persuasisse Eugenio ut ibi primatum ecclesiasticum constitui juberet, ubi imperii sui sedem vel saltem incunabula habebat. Eugenius tyrannus, occiso Valentiniano II

totas Gallias, nedum totam Viennensem provinciam occupavit, nec ulla hujus fuit in partes scissio quæ Viennensi primatui inducendo occasionem dederit. Falsum est etiam Gallicanos episcopos jamdiu expetiisse S. Ambrosium, ut de episcoporum dissidiis hanc ob causam exortis in Gallicana synodo cognosceret et judicaret. Testimonium enim ipsius Ambrosii, quod Quesnellus allegat ex sermone in funere Valentiniani Augusti, non has a Quesnello confictas dissensiones respicit, sed illas a Severo Sulpicio (*Hist. lib.* II *in fine, et Vit. S. Martini dial.* 3, *n.* 13) indicatas, quibus Gallicani ob Ithacianos in partes divisi, schisma quoddam confecerant, quod in ipsa Taurinensi synodo memoratur can. 6. His igitur Quesnelli commentis repudiatis, nulla alia superest æquior causa dissensionis de jure metropolitico inter Arelatensem et Viennensem, nisi quia in recenti metropoleon ecclesiasticarum institutione paulo ante eam synodum pro suis quisque prærogativis ad primatum contendit.

11. Hæc autem recens institutio evidentior fiet ex tertia quæstione ab eodem concilio Taurinensi definita can. 3. Quatuor episcopi, Octavius, Urso, Remigius et Triferius, qui *in usurpatione quadam de ordinatione sacerdotum ad invidiam vocabantur*, simplices utique episcopi, non autem metropolitani erant. Hi autem se ob hanc causam non condemnandos probarunt, *quod dicerent prius se non esse conventos*. Hanc excusationem ob actus præteritos concilium accepit, ne eos ulla pœna mulctaret. Igitur ordinationes episcoporum, quæ ante interdictum hujus synodi nullam pœnam meruerunt, ante hoc tempus nullius sedis juri erant alligatæ lege vel consuetudine ulla; alias illi satis ex hoc de usurpatione *conventi* fuissent. Igitur nulli certi metropolitæ erant ante hoc concilium, sed induci cœperant sensim; vetitum autem eisdem episcopis fuit ne quid simile de cætero sibi arrogarent, quia metropolitanorum institutio, quæ paulo ante induci cœpit, ab eodem concilio confirmata fuit. Has omnes observationes in tria priora concilii Taurinensis capita si in unum complectaris, et cum iis jungas quæ ex concilio Valentino animadvertimus, ad persuadendam seram metropolitarum institutionem in Galliis nihil desiderabis.

12. Hac autem prima quæstione expedita, superest altera, num ad provinciarum ac metropoleon civilium formam ecclesiasticæ accommodatæ fuerint, nec ne. Hic non quæritur de eo quod cursu temporis accidit. Certum est enim sequiori ætate ad civilem fere formam in Galliis ecclesiasticas provincias et metropoles **1039** exactas inveniri; quod tamen ipsum tunc obtinuit, cum Romano imperio in iisdem Galliis exstincto, vetus Romanarum provinciarum forma, nomine tantum retento, confusa prorsus ac sublata fuerat. De initiis quærimus, cum civili dispositione vigente ecclesiasticæ provinciæ et metropoles inductæ fuerunt. Has quidem civili formæ accommodatas Quesnello persuasum fuit: nam part. I, c. 12, scribit: *Cum ecclesiasticæ disciplinæ fundamenta posita sunt, constitutusque ordo hierarchiæ, ad formam politiæ civilis ordinati sunt ecclesiastici gradus, stabilita sedium episcopalium dignitas, metropolitarum potestas erecta*. Nihil evidentius falsum. Si enim hæc civilis forma observata fuisset, divisa jam, uti c. 3 vidimus, solida Narbonensi in Viennensem, in duas Narbonenses, in Alpes maritimas et in Alpes Graias, quæ postremæ Galliis proprie dictis assignatæ fuerunt, totidem provinciæ ecclesiasticæ ac metropolitæ totidem constituti fuissent in quavis harum provinciarum metropoli. Id tamen non evenit: certe enim Narbonensis secunda, Alpes maritimæ et Graiæ diutius proprio metropolitano expertes, Arelatensi vel Viennensi metropolitæ subjectæ fuerunt. Cum porro nulla umquam quæstio fuerit cum Narbonensi episcopo ante Patroclum Arelatensem, ille pacifice jus suum in provincia Narbonensi prima obtinuisse videtur, quod et privilegio apostolico confirmatum fuit. Solus Patroclus sub Zosimo litem illi intentavit, cum tamen nemo *ante* eumdem *Patroclum* in ejus provincia aliquid sibi arrogasset, ut ex Leone intelleximus. In hac itaque provincia ad civilem dispositionem ecclesiastica aptata fuit. At non ita in provincia Viennensi. Cum enim eo tempore quo institui cœperunt metropolitani, sola Vienna esset civilis provinciæ metropolis, ut ex disputatis capite antecedenti manifestum est, si ex civili dispositione sumpta fuisset ecclesiastica dispositio, soli Viennensi episcopo primatus tribuendus fuerat. Certum nihilominus est tum Viennensem tum Arelatensem episcopum post Valentinam, uti vidimus, synodum an. 374, ordinationes episcoporum exercuisse in eadem provincia Viennensi, idque pro jure quisque suo esse putavit, non ex dispositione civili, quæ solam Viennam tunc agnoscebat metropolim, sed ex ecclesiasticis cujusque prærogativis, quas potissimum in Taurinensi allegarunt; et harum quidem natura ibidem expensa cum incertum reddidisset utra Ecclesia alteri præemineret, atque aliarum Ecclesiarum mater seu metropolis esset, ejusdem synodi Patres in hoc incerto jure provinciam inter eos episcopos dividendam suaserunt. Quod autem subinde a Zosimo decretum fuit pro episcopo Arelatensi, nihil cogit, cum a Patroclo per subreptionem, ut vidimus, extortum fuerit. Potius cogit, quod *consideratis allegationibus utriusque partis præsentium clericorum* testatur S. Leo epist. 66, c. 2, *ita semper intra provinciam vestram et Viennensem et Arelatensem civitates claras fuisse, ut quarumdam causarum alterna ratione nunc illa in ecclesiasticis privilegiis, nunc ista præcelleret*. Quæ cum antiquum utriusque exercitium et quasi possessionem demonstrassent, ex qua neutri primatum deferri aut adimi posset, in Taurinensium Patrum sententiam provinciam inter ipsos divisit; quod posterius custoditum fuit. Ita civilis provinciarum divisio in ipsa Viennensi provincia ecclesiasticarum provinciarum norma non fuit.

13. Ex his autem duo corollaria adversus Quesnellum colligi queunt. Primo cum metropolitani ecclesiastici in Galliis nondum sub Valentinæ synodi tempus fuerint constituti, ac idcirco ipse Arelatensis episcopus per id tempus primum locum non tenuerit in eo concilio, quod in Viennensi ejus, ut *ille* contendit, provincia coactum fuerat, falsum agnoscitur, quod Patroclus et fautores ejus Zosimo ingesserunt, Arelatensem antistitem ob S. Trophimi reverentiam primatum *semper* obtinuisse; quod etsi de jure ordinationum assertum sit, ex ejusmodi tamen primatu in ordinationum jure, primatus etiam in synodis eadem de causa ortus fuisset. Præterea ex tam sera institutione metropoleon in Galliis colligitur ecclesiasticam Arelatensem metropolim post medium sæculum IV cœpisse institui, cum Narbonensem quoque episcopum in Narbonensi prima jus metropoliticum exercuisse, Quesnellus occasione (uti patet) novæ divisionis inficiari non audeat. *Non diffitemur*, inquit part. II, cap. 3, *episcopum Narbonensem aliquot annis metropolitico jure potitum esse in Narbonensem provinciam prima II.... occasione novæ divisionis*, quam *ante dimidium* **1041** *quarti sæculi* factam fuisse affirmavit cap. 2. Si autem sub idem circiter tempus Arelatensis et Narbonensis episcopi metropoliticum jus exercebant, perperam igitur Quesnellus jactat Narbonensem episcopum in Narbonensi prima jus sibi usurpasse proprium Arelatensis, ac si Arelatensis ante Narbonensem idem jus metropoliticum obtinuisset. Hinc etiam intelligitur *veterem illam consuetudinem*, *et priscam institutionem* quam Arelatensi tribuit Zosimus, ut Narbonensem recentioris usurpationis revinceret, meræ Patrocli imposturæ innixas fuisse; utraque enim metropolis eadem sera initia habuit. Quod si Hilarius Narbonensis non potuit, *quid habuisset antiqua consuetudo*, *suggerere* ex epist. 6 Zosimi, idcirco non potuit quia sincerior fuit, nec voluit in suæ sedis gratiam ea antiqua commenta in-

gerere, quæ Patroclus absente et inscio Hilario pro Arelatensi confixit.

14. Ex eo porro quod civili provinciarum dispositioni aptata non fuit dispositio ecclesiastica, falsum ostenditur, quod Quesnellus venditare studuit, Narbonensem episcopum metropoliticum jus usurpasse in Narbonensem primam occasione novæ divisionis civilis, cum scilicet divisa fuit Narbonensis prima a Viennensi. Harum enim provinciarum divisio non medio quarto sæculo, ut ille existimat, facta fuit, sed, ut cap. 3 vidimus, sub ejusdem sæculi initium; multo autem posterior fuit harum ecclesiasticarum metropoleon institutio, quæ cum ex ea divisione originem vel occasionem non sumpserit, aliunde inducta fuit ab episcopo Narbonensi et ab Arelatensi atque Viennensi; quod scilicet antiquiores Ecclesiæ essent et celebriores in sua provincia, et multis prærogativis ornatæ; et in his solus Narbonensis antiquum apostolicum privilegium obtinuit, quod ex unius Patrocli fraudibus apud Zosimum subreptionis notari potuit; at fallaciis illius detectis a Bonifacio I, Cœlestino ac Leone Zosimi successoribus, sartum tectum habitum fuit.

Cap. VI. *De jure metropolitico in Ecclesiis provinciarum Narbonensis secundæ, Alpium maritimarum et Alpium Graiarum.* — 1. Quesnellus omnes provincias e Narbonensi solida dissectas jam inde ab institutione metropoleon in Galliis ad Arelatensis episcopi jus pertinuisse contendit. Metropoles in Galliis induci et institui cœpisse sub finem sæculi IV capite præcedenti ostendimus. Sub idem vero tempus Narbonensem primam proprio metropolitano præditam, nec nisi per Patrocli Arelatensis subreptionem a Zosimo fuisse traductam in jurisdictionem Arelatensis, quod statim post Zosimum a Bonifacio retractatum fuit, capite secundo demonstratum est. Nunc de tribus aliis provinciis e solida Narbonensi excisis dicendum superest, de quibus Quesnellus tribus postremis partis secundæ capitibus pro Arelatensi jure statuere nititur. Nonnulla de singulis brevius observanda Quesnelliana commenta detegent.

2. De Narbonensi secunda imprimis agamus. Proculum Massiliensem ante finem sæculi IV, cum Arelatensis metropolis cœpit, ordinationes episcoporum fecisse ac jus metropoliticum exercuisse in eadem provincia, ex synodo Taurinensi ostendimus cap. 5, p. 8. Quod si illi in hac synodo contradictum fuit, non tamen ab Arelatensi, sed ab episcopis ejusdem provinciæ contradictio profecta est non ex eo nomine, ut Arelatensi subessent, sed ut omni alterius provinciæ metropolitano excluso, ipsius Narbonensis secundæ metropolitam haberent, ut ibidem animadvertimus. Patribus autem adeo certa visa est antea cœpta Proculi possessio, ut idem jus ipsi adimendum non putarint, qui sane jus ipsum attribuissent Arelatensi, si, cum esset præsens, antiquiorem et diuturniorem suam possessionem potuisset ostendere, qua Proculi ordinationes usurpationis nomine excludendæ fuerant. At solis Narbonensis II episcopis loquentibus, Arelatensis conticuit; eo quod nullos actus nullumque jus in eam provinciam præferre poterat; nec de ea suo juri subjicienda quidquam cogitabat.

3. Patet igitur quam inanis sit Quesnelli conjectatio, qua, ut Arelatensis jus in hanc provinciam astrueret, hunc ob ejus temporis difficultates Proculo Massiliensi cessisse comminiscitur; ac si antea semper certum ejusdem fuisset jus, et certa possessio, quæ nullo idoneo documento probari potuerunt. Certe enim Arelatensem metropolim ante synodum Valentinam inductam non probavit; nec, ut credimus, contra ea quæ attulimus probare potuisset. Quæ vero produxit ex Zosimi litteris, æque commentitia esse et Patrocli obreptioni ascribenda, c. 2, demonstratum videtur. Hinc forte Proculus, qui Taurinensis concilii auctoritate munitus (a) falsitates a Patroclo suggestas explorate noverat, iis litteris uti subreptitiis se non teneri existimans, initio non paruit: utrum vero æque non paruerit, cum novis litteris Zosimus institit, eumque pro deposito habuit, ignoratur. Zosimus quidem epist. 11, ad Massilienses eum depositum et nihilominus episcopos consecrantem indicat scribens: *Cum ipse jam non sit episcopus, episcopos facit.* Id P. Coustantius intelligit de damnatione quæ anterioribus epistolis memoratur, ac præsertim epist. 7. Sed hæ omnes epistolæ condemnationem latius accipiunt: merum enim interdictum exprimunt, quo illi vetitum fuit in Narbonensi secunda episcopos ordinare: nullum autem depositionis indicium præferunt, ut legentibus palam fiet. Probabile nobis est in sola epistola 11 depositionem aliquam indicari; postquam utrum Proculus se pro episcopo gesserit necne, monumentorum inopia non liquet; mirumque maxime accidit, Quesnellum sine ullo (b) teste idoneo venditasse has quoque litteras non tam a Proculo quam ab episcopis Gallicanis fuisse neglectas, idque in eam causam retulisse, quod judicia de Gallicanis episcopis a Romanis pontificibus edita nihili in Galliis fierent. Id iste ex suis adversus Romanam sedem præjudiciis ingerere maluit, quam fateri subreptionem litterarum Zosimi, et huic subreptioni Proculo cognitæ æquiorem quamdam excusationem ascribere.

4. Nihil dubitandum videtur Patroclum Arelatensem post eas litteras Zosimi, quibus ipsi præcipiebatur ut alium in Proculi locum ordinaret, reversum in Gallias, harum litterarum auctoritate; et Constantii patrocinio fretum, Massiliensibus novum episcopum consecrasse; nisi forte Proculus, quem non restitisse amplius credimus, hac obedientia ita Patrocli et Zosimi animos deliniverit, ut in sua sede relictus fuerit. Solum itaque hoc tempore Narbonensis secunda in Arelatensis jus primum transivit.

5. Modicum vero hoc Patrocli jus Zosimi litteris acquisitum viguit. Cum enim Bonifacius ejusdem Zosimi decretum *meliore*, ut ait Leo, *sententia* delevit, Narbonensi episcopo auctoritatem restituens in Narbonensem primam, eam generalem regulam subjecit, quæ ad omnes alias ecclesiasticas provincias extenditur: *Nulli*, inquit, *videtur incognita synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem propria verba ponamus. Per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas.* Id quidem conspirabat in episcoporum secundæ Narbonensis sententiam, qua suam provinciam alterius provinciæ episcopo non debere esse subjectam in Taurinensi synodo contendebant. Unde, mortuo jam Proculo, cui hæc provincia fuerat ascripta quoad ipse viveret, ex hoc Bonifacii decreto ac ex Nicæno canone ab eodem relato manifeste sequebatur, Narbonensem secundam proprio metropolitano frui debere, non autem Arelatensi episcopo subjici, ne unus episcopus duabus provinciis præsideret; ac propterea

(a) Falsum est inter cætera quod traditur epist. 5 Zosimi ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis secundæ, in ea synodo *longe aliud actum fuisse;* nam ex ipso proœmio liquet coactam fuisse ob nonnullas episcopales causas, quarum prima fuit illa circa Narbonensem secundam quam Proculus sibi attribuerat.

(b) Cœlestini epistola 4 ad episcopos provinc. Vienn. et Narbon., cui Quesnellus innititur, dum Massiliensem episcopum suppresso nomine laudat, non Proculum, sed Venerium probabilius respicit. Confer Tillemontium in Zosimo art. 9, qui si addit testimonium ex Vita S. Honorati, hoc etsi ad Proculum pertineat, non tamen illud tempus spectat, quo depositus fuerat; multo anterius enim tempus contextus indicat, ut idem Tillemontius fatetur in S. Honorati Vita.

jus metropoliticum in secundam Narbonensem episcopo potioris civitatis Aquensis eodem canone atque decreto attributum videtur.

6. Hunc quidem Nicænum canonem, uti a Bonifacio recitatur, nemo anteriorum pontificum indicavit umquam neque cognovit. Alias cum omnes Nicænis **1045** canonibus maxime deferrent, oppositam disciplinam non permisissent in provinciis Italiæ et Suburbicariis, ut pleræque proprio metropolitano carerent, et unus metropolita nedum duabus, sed pluribus provinciis præsideret. In Italia etsi septem essent provinciæ civiles, duo tamen metropolitæ tantum exstiterunt, Mediolanensis et Aquileiensis; in quo idem pontifex Bonifacius nihil innovavit : nam solum sub Cœlestino vel Xysto III sedes Ravennas ad jus metropoliticum evecta fuit. Diutius porro in decem provinciis Suburbicariis solus Romanus episcopus metropolitam egit. Cum Zosimus Patroclum Arelatensem Viennensi provinciæ et duabus Narbonensibus præesse jussit, adeo eam disciplinam a Nicænis Patribus præscriptam non novit, ut se potius ex Patrum regulis agere affirmaverit epist. 5. Enimvero canon ejusmodi inter Nicænos non invenitur, nec in Græco textu, nec in ulla antiqua versione Latina, nec in abbreviatione Rufini ; immo nec inter canones Sardicenses, qui sub Nicænorum nomine a Romanis pontificibus allegari solebant. Cum autem episcopi Narbonensis secundæ jam in Taurinensi synodo contenderint *sibi alterius provinciæ sacerdotem præesse non debere*, et Hilarius Narbonensis apud Zosimum epist. 6 asseruerit *in aliena provincia ab alio non debere fieri sacerdotes*, et Lutubenses Narbonensis primæ cum Bonifacio questi fuerint Patroclum *in aliena provincia contra Patrum regulas ordinasse*, conjectura Coustantii satis probabilis nobis videtur, *Bonifacium non propria Nicæni concilii verba referre voluisse, sed verba quæ forte in Lutubensium libello e Nicænis canonibus summatim expressa erant* (ex postremis forsitan verbis canonis 4, ubi *per unamquamque provinciam* metropolitani nominantur) *repetiisse, ac veluti sibi propria declarasse.* Hoc Bonifacii decretum a Cœlestino expresse confirmatum fuit epist. 4, ad episcopos Viennensis et Narbonensis provinciæ, n. 6 : *Primum*, inquit, *ut juxta decreta canonum unaquæque provincia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta, nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus ; alter in alterius provincia nil præsumat.*

7. Ex his autem apostolicis decretis jus metropoliticum episcopo Aquensi tributum, adeo ut is verus metropolita fuerit provinciæ Narbonensis secundæ, S. Leo videtur præsumere, cum scripsit epistola 10, c. 6 : *Ordinationem sibi .... singuli metropolitani suarum provinciarum .... restituto sibi per nos jure defendant. Alienum jus alter sibi non audeat vindicare. Suis limitibus, suis terminis sit unusquisque contentus ; et privilegium sibi debitum in alium transferre se posse, noverit non licere. Quod si quis negligens apostolicas sanctiones, plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens ; non is cui cesserit, sed is qui intra provinciam antiquitate episcopali cæteros prævenit sacerdotes , ordinandi sibi vindicet potestatem*. De metropolitanis loquitur , qui plus gratiæ tribuentes personali, privilegium suum in alios transferre se posse crediderant. Id intelligi nequit, nisi de metropolitanis , qui alicujus gratia jus sibi competens prosequi et exsequi noluerunt. Forte episcopus Aquensis in Arelatensium episcoporum observantiam a jure quod ex laudatis apostolicis decretis sibi competebat , abstinuit, iisdemque omne exercitium in sua provincia reliquit, uti similiter de Ingenuo Ebredunensi videbimus , qui propterea ab eodem Leone de suæ provinciæ *illicita cessione* culpatus fuit; neque enim aliam metropolitici juris origi-

A nem habuit Ebredunensis episcopus in provincia Alpium maritimarum, quam Aquensis in Narbonensi secunda. Solæ Bonifacii ac Cœlestini litteræ Nicænum canonem referentes, pro utriusque jure allegari queunt, et has forte litteras *apostolicarum sanctionum* nomine Leo complexus est. Ex his porro liquet Arelatenses episcopos adhuc post decretum Bonifacii in possessione perstitisse Narbonensis secundæ, ac in eadem uti ipsius metropolitas, episcopos ordinasse. Hinc antistites Arelatensi adhærentes , inter quos Asclepius episcopus Aptensis ex secunda Narbonensi, epist. 65, c. 2, ad Leonem scribunt : *Ab hujus Ecclesiæ* (Arelatensis) *sacerdote tam decessores nostros quam nos ipsos constat in summum sacerdotium donante Deo consecratos*. Cum vero Auxanius episcopus, ut videtur, Aquensis, Romam legatus sive a synodo **1047** Gallicana, sive a Leontio Arelatensi, hac occasione ab Hilaro papa privilegium obtinuerit pro ordinando Nicænsi episcopo in Alpium mariti-
B marum provincia , multo magis pro ordinationibus episcoporum suæ provinciæ Narbonensis secundæ eumdem laborasse, et jus metropoliticum sibi restituendum curasse satis credibile est.

8. At etiam post Hilarum papam Aquensem episcopum ac propterea totam Narbonensem secundam subjectam fuisse episcopo Arelatensi *Quesnellus* inferri putat ex serie libelli Symmacho papæ oblati an. 514, ac ex rescripto ejusdem ad Cæsarium Arelatensem, ex quibus Aquensem episcopum ab Arelatensi ad synodum evocari potuisse manifestum est. Hoc tamen argumentum non est omnino evidens. Arelatensi enim episcopo jus fuisse synodi cogendæ ex pluribus provinciis, ipsosque metropolitas evocandi, ex ipso Leone manifestum efficitur. Etenim epist. 10, ubi S. Hilarius Arelatensis plectitur, duo jura ejus distinguuntur : jus metropoliticum in solam provinciam Viennensem, et jus cogendæ synodi ex aliis provinciis. Primum jus Hilario ablatum absolute et independenter transfertur in episco-
C pum Viennensem; quoad jus vero indicendi concilia ex pluribus provinciis, consensum Leontii antiquioris episcopi requirendum decernit : *Et quoniam honoranda est semper antiquitas, fratrem et coepiscopum nostrum Leontium probabilem sacerdotem hac, si vobis placet, dignitate volumus decorari, ut præter ejus consensum alterius provinciæ non indicatur a vestra sanctitate concilium ...... metropolitanis privilegii sui dignitate servata.* Nonne hinc agnoscitur jus evocandi ipsos metropolitanos ad synodum? quod si ad Hilarium non pertinuisset, nihil erat quod de hac facultate per antiquiorem supplenda quidpiam statueret. Hoc decretum temporale fuit, quoad Hilarius vixit; unde eo exstincto idem S. Leo Ravennio illius successori mandavit ut synodum e pluribus provinciis cogeret , in quo omnes episcopi suæ ad Flavianum epistolæ subscriberent. Hoc jus Arelatensi attributum videtur a Zosimo, apud quem Patroclus plurimum potuit. *Apostolicæ sedis auctoritate munitus* traditur in
D epistola hujus pontificis septima, et *delegatio apostolica* memoratur epist. 10, quo respicientes episcopi Gallicani in epist. 65, ad Leonem, c. 3, Arelatensi antistiti *apostolicæ sedis vicem mandatam* affirmant. Forte in aliqua Zosimi ad Patroclum epistola , quæ desideratur, ejusmodi synodorum indicendarum facultas expresse continebatur. Hinc Hilarus papa Leontio Arelatensi, qui Ravennio successit, *monarchiam* quamdam in Narbonensem primam attribuit epist. 7, et hoc jus evocandi ipsos metropolitanos ad synodum expressius confirmat epist. 8, c. 2 : *Per annos itaque singulos ex provinciis , quibus potuerit congregari, habeatur episcopale concilium, ita ut opportunis locis atque temporibus, secundum dispositionem fratris et coepiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, metropolitanis per litteras ejus admonitis, celebretur.* Et epist. 10 : *Synodalia quotannis concilia, quorum maxime in fratre et coepiscopo nostro Leontio Arelatensis Ecclesiæ*

sacerdote summam placuit esse, celebrentur. Et post nonnulla : *Congregationes annuas ordinante fratre et coepiscopo nostro Leontio, admonitis metropolitanis, quod sæpe dicendum est, iis locis celebrare dignemini, ad quæ conveniendi nulla sit cuiquam commeantium difficultas.* Aquensis igitur, etsi metropolitanus fuisset, ab Arelatensi vocari poterat ad synodum, ut ne idcirco suffraganeus ejus dicatur, quemadmodum suffraganei sedis Arelatensis dici nequeunt alii plures certi metropolitæ, qui in aliis synodis Gallicanis Arelatensi præside convenerunt.

9. Unum in Symmachi epistola 10 fortius videtur, cum Arelatensem episcopum Aquensis et aliorum *metropolitanum* indicat illis verbis : *Etsi tam Aquensis Ecclesiæ antistes, vel alius quilibet metropolitano pontifici*, etc. Et apertius in libello, cui Symmachus respondet : *Aquensis etiam civitatis episcopum sanctitatis vestræ moneri præcipite constitutis, ut dum a metropolitano antistite Ecclesiæ Arelatensis ad synodale concilium fuerit evocatus, vel aliqua ordinationis causa eum sibi postulet religio divina necessarium, minime venire frustretur* (*Tom.* V *Conc. col.* 439). Hic *metropolitanus* vocatur non solo jure evocationis ad synodum, sed occasione ordinationum, ad quas soli comprovinciales evocabantur ; nisi forte aliquis rarus casus contingeret illi similis, **1049** quo comprovincialibus deficientibus Sidonius alios metropolitanos ad ordinationem accivit in epistola ad Agroecium Senonensem. Enimvero concilio Aurelianensi IV an. 541, Aurelianensi V an. 549, ac Avernensi II anni ejusdem episcopus Aquensis non inter metropolitas, sed inter episcopos subscriptus legitur (*Tom.* V. *Concil. col.* 119); quæ satis ostendunt eum per hæc quoque tempora omni jure metropolitico caruisse, ac proinde Arelatensi subditum cum tota Narbonensi secunda.

10. Ad Alpes maritimas accedamus. Etsi Zosimus Arelatensis sedis jura maxime extulit, cum tamen eidem non attribuerit nisi provincias tres, Viennensem scilicet et duas Narbonenses, eo tempore quo Alpes maritimæ, sicut et Graiæ, jamdiu constitutæ fuerant, hæ Arelatensis juri non fuisse subjectæ videri possunt. At forte Zosimus tres illas tantum provincias nominavit, sive quia veteri formula sub Viennensi provincia utræque Alpes maritimæ et Graiæ comprehendebantur, sive probabilius quia eas tantum provincias exprimendas putavit, quas a suis, quibus gaudebant, metropolitanis abstrahere, et Arelatensis juri addicere voluit; Narbonensis autem prima metropolitam agnoscebat Hilarium Narbonensem, secunda Narbonensis Proculum Massiliensem, et Viennensis saltem ex parte episcopum Viennæ Simplicium. Cæterum ingenuus Ebredunensis *Alpium maritimarum provinciæ metropolitani* SEMPER *honore subnixus, ac de provinciæ suæ dudum ab apostolica sede* (id est a Leone) *illicita cessione culpatus* traditur ab Hilaro papa epist. 4. Id Bonifacii constitutionem respicit paulo ante laudatam, qua cuique provinciæ proprium metropolitam præesse ex Nicæno canone sanxerat. *Illicita* autem *cessio* ad ea gesta refertur, ex quibus eum inter Arelatensis suffraganeos recensitum, Arelatensis juri se et suam provinciam subjecisse cognoscimus. *Semper* nihilominus *metropolitani honore subnixus* dici potuit non facto, sed jure; quatenus ejus cessio suæ sedis privilegio per apostolica scripta firmato præjudicare non potuit. Quare hunc pariter cum Aquensi a Leone perstrictum existimamus epist. 10, ubi non unum, sed plures sui privilegii disertores accusat. Num vero Leonis censura in eumdem ob illicitam cessionem, quæ ab Hilaro *dudum* facta traditur, hanc generalem notam indicet epistolæ 10 insertam, an vero aliam specialem ipsius Ingenui, cum forte de Ecclesiis Nicænsi et Cemellensi ab uno episcopo regendis decrevit in litteris quæ desiderantur, dubitari potest. (*Confer. diss. de Epist. deperditis, n.* 97.) Specialem quidem censuram ipsius Ingenui Hilari verba designare videntur. Certe hic Ingenuus forte post hanc postremam Leonis reprehensionem, ejus auctoritate munitus, suum jus sibi vindicare studuit; unde querelas ad Hilarum papam detulit ob rescriptum quod Auxanio, uti creditur, Aquensi *in præjudicium suum* concesserat circa memoratas Nicænsem et Cemellensem Ecclesias, quæ in provincia Alpium maritimarum collocantur. *Suum* autem *præjudicium* appellare non potuisset, si hujus provinciæ Ecclesias non ad se, sed ad Arelatensem metropolitam pertinere putasset. Post non multum vero tempus ad pristinam Arelatensis subjectionem Ebredunensis episcopus rediit. In aliquot enim conciliis Galliarum non metropolitarum, sed episcoporum locum ejus subscriptiones demonstrant. Vide concilium Parisiense IV an. 573, et Matisconense II an. 585.

11. De Alpibus Graiis pauca. Nihil de his exploratum invenimus, nisi ratio habenda sit Vitæ S. Jacobi Tarantasiæ episcopi, quæ eum a S. Honorato Arelatensi ordinatum, et in hanc regionem missum tradit. Id unum certum est, hanc episcopalem sedem a S. Leone Viennensi metropolitæ fuisse attributam; quod indicio est eam antea ad Arelatensem vel Viennensem episcopum pertinuisse. Cum vero Octodorum altera earumdem Alpium civitas in notitia Galliarum descripta, nec Viennensi attributa, ultra Tarantasiam subsidens prope Maximam Sequanorum, ab Arelatensi longius absit, inter civitates Arelatensi episcopo relictas dici nequit (citius enim una cum Tarantasia viciniori Viennensi antistiti concessa fuisset), ac propterea Octodorensem antistitem alii metropolitæ, ex gr. Lugdunensi, fuisse subditum valde credibile est. Neque obest quod ex Aquileiensi synodo Quesnellus conjecit. Falsum est enim acta ejusdem synodi alias provincias quæ legatos ad concilium destinarint, non memorare nisi Viennensem et utramque Narbonensem, ita ut ad alterutram illarum **1051** pertinere debeat Theodorus Octodorensis. Inscriptio quidem unius epistolæ ejusdem synodi Viennensem et duas Narbonenses provincias earumque legatos memorat, eo quod ad harum provinciarum episcopos missa fuit. At cum eidem synodo interfuerit etiam Justus Lugdunensis, qui legatus Gallorum in actis appellatur, jure Sirmondus verisimillimum credidit, aliam exstitisse epistolam Justo redeunti traditam ad eas Galliarum provincias quarum vicem in eodem concilio sustinuerat. Hinc num Theodorus Octodorensis ex prioribus illis, an cum Justo ex his posterioribus provinciis ad concilium accesserit, ex hisce actis conjici nequit. Si autem ratio quam proposuimus efficacior videatur, ut Octodorensis nec Viennensi nec Arelatensi episcopo subjectus judicetur, non totas Alpes Graias ad ecclesiasticam Viennensem aut Arelatensem provinciam pertinuisse palam fiet.

1053 IN TERTIAM PARTEM.

CAP. I. *Duæ Leonis adversus S. Hilarium censuræ a Quesnello perperam dilutæ. Æquior ejusdem S. Hilarii defensio proponitur.* — 1. Cum in præmissis observationibus primam et secundam Quesnellianæ dissertationis partes ex æquo refellisse nobis videamur, pleraque allata in parte tertia, cum præmissis partibus innitantur, facili confutatione disjicientur. Hic Quesnellus S. Hilarium purgare studet a quibusdam S. Leonis censuris, quæ eidem temeritatis ac superbiæ notam videntur impingere. Censuræ ad hæc duo capita revocantur. Primum, quod Hilarius *ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, Ecclesiarum statum et concordiam sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excesserit.* Secundum, quod debitam S. Petro reverentiam verbis arrogantioribus minuerit. Prima accusatio incompetentem Hilario depositionem Celidonii, et ordinationem alterius episcopi in Projecti locum respicit, ob quas ibidem pontifex subjicit eum *in se transtulisse debitam metropolitanis sacerdotibus dignitatem.* Hinc *omnium Galliarum* nomine latius sumpto, alienas provincias et Ecclesias ab eodem his gestis turbatas ex contextu indicari

nihil dubium est. Hanc primam accusationem quam A male Quesnellus eo nomine diluerit, quod Hilarius in sua provincia, non autem in aliena deposuerit Celidonium, et alium episcopum superordinaverit Projecto, ex præmissis patet. Aliam æquiorem vindicandi Hilarii viam nos indicavimus, si nimirum hæc eum gessisse dicamus non præsumptione aliqua aut superbiæ impulsu, sed ecclesiastica quadam sollicitudine et zelo disciplinæ, nec sine consensu et permissione saltem tacita ipsorum metropolitarum, qui sive ob amicitiam, sive ob sanctitatis ejus famam, ei plurimum deferebant; adeo ut *plus gratiæ tribuentes personali*, *privilegium sibi debitum* in eum *transferre se posse crediderint;* quod tamen cum Patrum decretis vetaretur, et reipsa utroque in memorato casu in malum exitum recidisset, Leo juste reprehendit.

2. Difficilior est purgatio secundæ accusationis, qua S. Petri reverentiam *arrogantioribus verbis* Hilarius minuisse a pontifice traditur. Indicantur autem verba *quæ nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum* B *posset audire.* Hæc Hilario exciderunt, cum in Romanum concilium veniens, ubi Celidonii causa ad examen vocabatur, judicium renuit. Duplici vero ex capite huic Romano judicio obniti potuit Hilarius, sive quia jus non esse pontifici in hac causa putaret, sive quod ex circumstantiis non crederet expedire, causam ejusmodi Romæ potius quam in Galliis iterum cognosci et judicari. Quesnellus primam rationem Hilario tribuit, quæ cum pontificio juri quod part. I constituimus, adversetur, dum Hilarium defendere nititur, magnæ injuriæ reum traducit. Aliam potius rationem eum movisse credimus, quæ pontificium jus non lædit, uti part. I, c. 7, n. 12 et 13, explicavimus. In hac solum verbis minus caute usus excessisse dicendus videtur. Nihil enim gravius protulisse si quis contendat, Leoni contrarium testanti calumniam impingat necesse est. Testimonium Auxiliaris præfecti opponitur. At cum hic, qui ipsi concertationi non adfuit, id unum affirmet se nec minimum quidem Hilarii factum arrogantiæ contagione C fuscatum recordari; scire autem *impatienter ferre homines, si sic loquamur, quomodo nobis conscii sumus;* hujus testimonium non tanti esse videtur, ut testimonio **1055** Leonis de re præsenti ac publica (quod si falsum esset, ex iisdem actis ab eo missis revinci potuisset) anteferendum sit. De præteritis Hilarii gestis et verbis Auxiliaris loquitur sibi perspectis, cum in Galliis et Arelate præfecturam gerens, ejus familiaritate utebatur; quæ ad acta et verba coram universo concilio gesta et probata, de quibus tantum S. Leo testatur, nihilum pertinent. Præterita quidem Hilarii consuetudo, ejusque humilitas ac sanctitas magnam præsumptionem pariunt; at non ejusmodi, quæ Leonem sanctissimum ac mitissimum pontificem, cujus moderatio in ipsos etiam hæreticos notissima est, solemnis calumniæ reum convincere possit. Sanctis quoque viris nonnulla minus recta identidem excidere, dum æstu disputationis feruntur, quis ignorat? *Nec me latet* (fatetur ipse Quesnellus D part. II, c. 1) *quam facile sit a suo quemque ingenio etiam pium, etiam sanctum seduci;* si præsertim justissimam causam non suo, sed publico bono se defendere existimet. Justissimam quidem Celidonii depositionem censebat Hilarius, adeo ut eam novo judicio Romæ non retractandam, intacto apostolicæ sedis jure, ex circumstantiis crederet. Hinc *se ad officia, non ad causam venisse* protestatus est (*Vit. Hil.*, c. 17). Fieri ergo potuit ut dum ea quæ ad impediendum Romanum judicium congruentissima et efficacissima putabat, nihilum persuadere deprehendit (huc enim referenda putamus illa Leonis: *Hilarius rationabile, quod in sanctorum concilio sacerdotum posset respondere, non habuit*); fieri, inquam, potuit, ut ferventius in hac re disputanti vel etiam conquerenti, non malo quidem animo, sed inconsiderate (quod facillimum est) quædam minus cauta verba exciderint, quæ arrogantia et debitæ S. Petro reverentiæ contraria viderentur. Quin fieri etiam potuit ut (quod Quesnellus c. 2 suspicatur) *Leoni satis perspecta tunc non fuerit Hilarii sanctitas, et in illo contentionis æstu non eo sensu Hilarii verba accepta fuerint a Romano pontifice, quo ab Arelatensi proferebantur.* Quidquid pro excusando Hilario afferatur, dum jus pontificium ab eo intactum credamus, libenter accipiemus.

3. Novatores incassum sibi patrocinia quærunt ex hac sancti episcopi contentione cum summo pontifice, nisi ea cum Quesnello ad inficiandum pontificium jus perperam referatur. Econtra catholici ex ejusmodi facto divinam providentiam admirantur, quæ quosdam lapsus in ipsis sanctis viris quandoque permittit, ut exinde humiliores facti ad majora proficiant. Ita quidem Hilario evenit, quippe qui post ejusmodi contentionem reversus in patriam, non solum statim, ut auctor Vitæ ejus refert, *totum se ad placandum Leonis animum inclinata humilitate convertit*, verum etiam latam a pontifice adversus se sententiam humiliter ferens, pastoralibus officii sui curis ac perfectioni animum ferventius intendit. *Totum se*, inquit Vitæ auctor c. 17, *orationi, prædicationi, operationi velut incipiens mancipavit rigore districtus, miseratione perpetuus, largitione promptissimus*, etc. Et post pauca: *Abstinendo victu, operi insistendo, itinera pedibus conficiendo, ita se tenuavit, fatigavit, exhausit, ut vix quadragesimi octavi anni circulum adimpleret.* Hanc autem mirificam divinæ providentiæ dispositionem, qua iidem sanctorum lapsus convertuntur in bonum, Quesnellus pervertere satagit, dum cap. 1 comminiscitur, S. Hilarium adhuc post S. Leonis decretum perstitisse in sententia, ac metropoliticam *semper quoad vixit usurpasse potestatem*, *etiam refragante Leone et minitante Augusto.* Et c. 2, ne Hilarium solum relinquat, Gallicanos etiam episcopos in eumdem Romani judicii contemptum adducit, dum eos *posthabito Transalpini conventus judicio*, Gallicanæ synodi sententiam adversus Celidonium decretam, constanter ratam habuisse, et in electione successoris Hilarii neglectum ab iisdem et pro irrito habitum Leonis decretum pronuntiat. Ita homo apostolicæ auctoritati infensus, sub specie vindicandæ sancti Hilarii memoriæ, eumdem infamat, ipsumque ejus inobedientiæ et contumaciæ patronum præferre cupit, quæ non sanctorum virorum, sed refractariorum hominum propria est. Hæc vero quam sint commentitia, et non minus ab Hilario quam a Gallicanis fuerint aliena, sequenti capite demonstrabitur.

1057 CAP. II. *Leonis decreto nec Hilarium, nec Gallicanos episcopos restitisse, adversus Quesnellum probatur.* — 1. Ut Hilarium Leonis sententiæ renitentem Quesnellus præferat, eum c. 2 adhuc post eamdem sententiam pro jure suo defendendo apologias scripsisse, et legatos Romam misisse affirmat. Huc vero refert quod auctor Vitæ narrat: *Et quia quantum in hac causa dictaverit, huic operi nulla possum ratione connectere, Auxiliaris præfecti quæ fuerit sententia, credidi inserendum.* Ita post Romanum judicium rejicit quæ ante judicium, cum defensioni locus esset, ab Hilario scripta et per legatos Romam missa fuerunt eo consilio, non tam ut suum judicium in Celidonium æquum, ut putabat, ostenderet, quam ut humilioribus verbis agens Leonem deliniret, ne se et sedem Arelatensem suis privilegiis exueret. Id ex ipso contextu Vitæ satis elicitur. Auctor enim narrat Hilarium, qui ante sententiam Roma excesserat, Arelatem reversum, statim *totum se ad placandum Leonis animum inclinata humilitate convertisse*, et in hanc rem legatos misisse in Urbem, primo Ravennium presbyterum, tum Nectarium et Constantium episcopos. Mox dictata seu apologias commemorat quæ per eosdem legatos Romam missa noscuntur, hisque tandem subjicit Auxiliaris præfecti epistolam ad ipsum Hilarium, qua accepta hunc nihil amplius pro suo jure laborasse, sed toto vitæ tempore conquievisse testatur. Discessit ille Roma, *hiemis rigore sæviente*, nimirum exeunte Januario, vel Februario ineunte. Sententia autem Leo-

nis lata fuit VIII idus Julias. Intermedio igitur tempore ea gesta fuerunt, ac proinde apologiæ ante sententiam dictatæ et editæ sunt; et si quidem statim post Hilarii reditum *ad placandum Leonis animum* legati cum apologiis directi sunt, apologiæ ejusmodi post VIII idus Julias prorogari nequeunt; cum præsertim hæ post sententiam scriptæ in Leonis contemptum, non ad placandum, sed ad exulcerandum ipsius animum contulissent. Quesnellus part. I, c. 8, Hilarium post Romanum judicium resistentem traducit ea hypothesi quod Leonis sententia lata fuerit VIII idus Januarias, qua die signatur brevior Leonis epistola ad Viennenses episcopos. Cui sententiæ cum ille non acquievisset, exinde factum putat *ut S. Leo quinto post primam epistolam mense aliam longe prolixiorem, diuturnaque meditatione ac cura elaboratam ad eosdem episcopos scripserit.* Verum hæc hypothesis falsa est; eam enim breviorem epistolam, de cujus germanitate idem Quesnellus alibi dubitationem insperserat, eo capite octavo ut Hilarium Leonis judicio resistentem B obtrudat, genuinam præsumit, cum tamen inter supposititias referenda sit, ut ex admonitione nostra palam fiet.

2. Post sinceram vero epistolam scriptam circa VIII idus Julias, quæ Leonis sententiam adversus Hilarium exhibet, hunc adhuc suum jus prosecutum, et eam metropoliticam, qua privatus fuerat, *semper quoad vixit, usurpasse potestatem*, affirmari quidem potuit a Quesnello, probari autem non potuit. Nullum certe factum allegabitur, testimonium nullum. Verba auctoris Vitæ, quibus Hilarium in proposito suo constantem præferens, ait c. 17: *In discrimine vitæ positus, communioni ejus, quem cum tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquievit*, Quesnellus sub finem cap. 8 ita recitat ut ad totum tempus vitæ Hilarii referenda videantur, cum tamen a scriptore de eo tempore dicta sint quo Hilarius Romæ una cum Celidonio sacris interesse noluit. Idem porro auctor Vitæ descripta epistola Auxiliaris præfecti, qua Hilario ut sese demitteret et acquiesceret, non obscuris C verbis suaserat, hæc statim subjicit: *Talia percipiens, totum se orationi, prædicationi, operationi velut incipiens mancipavit*, et reliqua, quæ sub finem præcedentis capitis recitavimus. Omnia autem hæc episcopalis quidem ministerii, quod Hilario relictum fuit, et sanctæ vitæ officia sunt, quæ ad metropolitici juris munera reduci nequeunt. Immo hæc scribendi ratio sanctum virum exhibet, qui Auxiliaris consilium secutus, nihil amplius resistens, soli episcopali curæ, suique ipsius cultui se totum addixerit. Idem sane Quesnellus hoc unum ex laudatis Vitæ verbis colligi **1059** posse affirmavit part. I, c. 8, Hilarium *ab hujusmodi contentionibus quiescentem Leoni amplius molestum non fuisse* (fuisset autem molestus, si adhuc post editum tam solemne judicium metropoliticum jus exercere voluisset), *totum vero se animabus commissis oratione, prædicatione ac cura sua juvandis colendisque dedisse; quibus sedulo incumbens vivendi finem fecit.* Immo paulo post affirmat toto eo tempore quo D ille supervixit, *nullam se obtulisse occasionem, quam nec Hilarius quæsierat, qua necesse esset Leonis decreto contraire: prima enim, ut manifestum est, ab illo tempore occurrit Vasensis episcopi ordinatio*, quæ post Hilarii mortem a Ravennio ejus successore facta fuit. Ubi autem nulla metropolitici juris exercendi occasio incidit, Hilarium se ut metropolitanum gessisse, et metropoliticam *semper quoad vixit, usurpasse potestatem* dici nequit. Quid quod incredibilem rem ingerunt qui eum in metropolitica potestate usurpanda perstitisse contendunt? Cum enim Leonis decreto imperatoris lex accesserit, qua ejus decreti exsecutio in ipsis Galliis præcepta fuerat, si quid contra audere voluisset Hilarius, imperatoris ministri, quos mandatum imperiale urgebat, non permisissent. Hinc ipse Quesnellus part. I, c. 9, de hac lege sermonem faciens, *parendi*, inquit, *necessitatem fecerat constitutio imperialis a Valentiniano edita adversus Hilarium*;

A quæ plane revincunt illa quæ idem sibi contradicens scripsit part. III, c. 1: *Hilarius eamdem semper quoad vixit usurpavit potestatem etiam.... minitante Augusto.* Contradictiones in eo qui falsum propugnat, facile occurrunt.

3. Quoad Gallicanos episcopos audacter affirmat part. III, c. 2, hos *posthabito Transalpini conventus judicio Gallicanæ synodi sententiam adversus Celidonium decretam constanter ratam habuisse.* Quam facile est falsa gratis venditare! Judicium potius Hilarii contra Celidonium post Romanam synodum et post Leonis judicium irritum fuisse habitum ex eo cognoscimus, quod Vesontionensis Ecclesia laudatum Celidonium a Leone restitutum, in sua sede mortuum ac sepultum, Importunum vero, qui in ejus locum fuerat ab Hilario suffectus, eo suam sedem post Romanum judicium repetente, pulsum tradat, ut videre est apud Chiffletium in Vesontione tom. II, pag. 115 et 138. Ipsa Valentiniani lex Celidonii restitutionem a Leone decretam exsecutioni procul dubio mandatam dubitare non sinit.

4. *Sed quam longe abessent Gallicani provinciarum illarum antistites a Leonis constitutione effectui tradenda, in ipsa ordinatione Ravennii clarum evasit*, inquit Quesnellus part. I, c. 8, ac si hæc ordinatio, qua Ravennius velut metropolita Arelatensis electus fuit, adversus Leonis decretum pugnet, quo jus metropoliticum Viennensi episcopo concessum fuerat. Ut perspicuum fiat quam sit inanis hæc ratio, observandum est episcopos Arelatensi sedi adhærentes adeo ratum habuisse Leonis decretum, ut Hilarium omni metropolitico jure privatum agnoscentes, hoc jus Ravennio ejus successori novo decreto *reparandum* petierint. Sic enim illi epist. 65, cap. 1: *Non aliqua nova institui, sed prisca per vos optamus et antiqua reparari. Nec enim justum est ut honorem ejus* (Ravenni) *quem, ut probavimus, impense diligitis, illa res minuat, qua pietatem vestram alter* (Hilarius) *offendit. Et sane manifestum est Ecclesiæ Arelatensi divinæ gratiæ favorem adesse, cui talem habere contigit sacerdotem, per quem privilegia dignitatis antiquæ, quæ dolebat sibi pro tempore diminuta, gauderet in perpetuum recentioribus apostolicæ sedis auctoritatibus reformata.* Si irritum habuissent Leonis judicium quo Hilarius Arelatensis sedis privilegiis exutus fuerat, hæc *pro tempore diminuta* nequaquam dici potuissent. Id autem dictum est a Gallis, quia ea privilegia Hilario vere fuisse sublata noverant; unde Leo in responsione epist. 66, c. 1, ita hanc Gallorum postulationem expressit, *ut quod decessor ipsius* (Ravennii) *merito suæ præsumptionis amiserat, reformetur.* Addiderunt autem *pro tempore*, quia eadem privilegia in unius Hilarii pœnam eidem adempta, ex Leonis mente, qui *in Ecclesiarum privilegiis nihil convelli, nihil excidi* patiebatur (ut idem tradidit epist. 66, c. 1), Arelatensi sedi, mortuo Hilario, reservabantur. Solum scilicet Hilarium punire voluit Leo, non autem sedem suis prærogativis exuere; unde si attentius legatur tota epistola 10, sola persona Hilarii multata invenietur. *Nec ultra Hilarius audeat conventus indicere synodales. Non ergo intersit* **1061** *ulli ordinationi; non ordinet. Noverit se non solum ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis provinciæ, quam male usurpaverat, potestate privatum.* Omnia unum Hilarium pulsant; de sede aut successoribus ne verbum quidem. Forte hæc solius personæ multa, quæ ad successores non transiret, clarius expressa fuerat in alia deperdita epistola, quo hoc jus Hilario ademptum, in Viennensem episcopum deputatione quadam interina traductum fuit. *Quam potestatem*, inquit ipse Leo epist. 66, c. 2, *Hilario episcopo* (non *sedi Arelatensi*) *ablatam, Viennensi episcopo credidimus deputandam*; et ex hac fortassis quæ periit epistola, antistites Gallicani pontificiam mentem apertius edocti, in laudatis ad Leonem litteris Arelatensis episcopi dignitatem *pro tempore diminutam* tradidere.

5. Hæc certe vetus Ecclesiæ disciplina fuit, ut si

qui metropolitæ ex aliqua ipsorum culpa, non episcopali sede, sed solo metropolitico jure privarentur, hæc pœna unam eorum personam ac vitam afficeret, non autem ad successores transiret; interim vero, dum illi viverent, jus metropoliticum ad antiquiorem episcopum pertineret. Id palam fit ex epist. 8 Hilari papæ, qui Leoni immediate successit. Cum enim Hermes e Biterrensi episcopatu, a quo indigne fuerat exclusus, ad Narbonensem promotus fuisset, Hilarus id contra canones gestum agnoscens, ita ei Narbonensi sede relicta, jus metropoliticum ordinationis episcoporum in antiquiorem ejusdem provinciæ antistitem transtulit. *Ei*, inquit, *qui nunc Ecclesiæ Narbonensi præsidere permittitur, ordinandorum episcoporum ob hæc quæ prave facta sunt, sustulimus potestatem, quam ita ad fratrem et coepiscopum nostrum Constantium Uceticæ Ecclesiæ antistitem, quia ævo honoris primus esse dicitur, pertinere censuimus, ut si superstite Herme episcopo defunctus fuerit, illum hæc cura respiciat quem repererit episcopalis ordo primatem. Herme autem episcopo deficiente, faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur Ecclesiæ, quem non civitas, sed causa præsumptionis amisit.* Similiter cum S. Leo in eadem epist. 10, ubi de S. Hilario agit, cap. 6, sublaturus alium quemdam, si forte irreperet, metropolitarum abusum, generale edictum sanxit, ut si quispiam metropolitanus mandatis non pareat, jus ordinandi ad eum pertineat, *qui intra provinciam antiquitate episcopali cæteros prævenit sacerdotes;* solam utique peccantis personam punire voluit, ita ut, hoc defuncto, redeat ad successorem eadem prærogativa, *quam non civitas, sed causa præsumptionis amisit*. Quod si idem pontifex cum Hilarium jure metropolitico exuit, solam vitam ejus pari de causa respiciens, Leontio quidem antiquiori episcopo jus in convocandis diversarum provinciarum synodis detulit in eadem epist. 10, c. 9, cæteras vero juris metropolitici prærogativas in alia epistola, quæ desideratur, transtulit in episcopum Viennensem, id eo speciali nomine fecisse credendus est, quia Viennensis episcopus cum Arelatense in aliquot saltem ejusdem provinciæ Ecclesias jus sibi esse contendebat. Id tamen non impedit quin utriusque juris sive in Leontium antiquiorem antistitem, sive in Viennensem traducti decretum solam Hilarii vitam afficeret, adeo ut, Hilario mortuo, utrumque jus ad Ravennium successorem redierit. Hinc ex electione Ravennii colligi non potuit cum Quesnello episcopos comprovinciales metropolis Arelatensis Leonis decreto nequaquam paruisse. Hilario enim mortuo Leonini decreti vis desierat; quo cum pontifex sola persona Hilarii multata, Arelatensi sedi suum jus intactum reliquisset, jure post ejus mortem comprovinciales episcopi ad metropolitæ electionem convenere sine Viennensi; unde illam Leo approbavit epist. 40 et 41. Id ipse Quesnellus fateri coactus fuit in præmissæ dissert. part. I, c. 8, scribens: *Nihil de neglecto Viennensi episcopo metropolitano in Ravennii ordinatione suggerit aut reprehendit; unde promptum existimare Leonem noluisse Ecclesiam Arelatensem jure metropolitico sua sententia spoliare, sed solummodo Hilarium multare; quo mortuo, æquum judicavit ut omnia in statum pristinum redirent.* Solum fallitur, quod hocce consilium œconomiæ gratia inductum arbitretur post electum Ravennium, hanc autem eamdem vim ex disciplina ejus temporis ipsi decreto ab initio fuisse nequaquam putet.

6. Cur vero, inquies, comprovinciales episcopi priscum jus Hilario ademptum Ravennio redintegrandum petiere, si post Hilarii obitum ex Leonis mente ac ex disciplina ipsa ad eumdem redierat? Id ortum duxit ex veteri controversia **1063** Viennensis episcopi, qui cum ex decreto Leonis, vivente Hilario, jus Arelatensis obtinuisset, eo adhuc mortuo, jus suum prosequebatur in aliquot Ecclesias, ac præsertim in Vasensem, cui Ravennius reviviscente pristino jure episcopum dederat. Hinc itaque Ravennius et comprovinciales novum decretum a Leone postularunt, non ut post mortem episcopi metropolitico jure privati antiquum jus ad successorem rediret, sed ut in jure controverso inter Arelatensem et Viennensem episcopos supra Vasensem aliasque Ecclesias, quod vivente Hilario Viennensi traditum fuerat, Arelatensis privilegia sarta tecta servarentur, ne quod *pro tempore* in solius Hilarii pœnam fuerat ablatum, in perenne successorum ac sedis detrimentum cederet.

7. Ex his etiam ordinatio Vasensis episcopi, quæ post mortem Hilarii ad Ravennium ejus successorem ex veteri disciplina rediit, pro astruendo jure Hilarii nihil probat; et multo minus probat Hilarium idem jus, quod ipsi Gallicani Hilario ablatum professi sunt, *Gallis episcopis annuentibus* obtinuisse, eamdemque semper, quoad vixit, usurpasse auctoritatem *etiam refragante Leone*; quod cum Quesnellus ingessit, pro æqua Hilarii apologia magnam eidem inobedientiæ et contemptus criminationem impegit. Neque eum vindicat ratio ab eodem subjecta, c. 1, *quia non latebat inertem esse ac otiosam primariorum præsulum erga inferiores episcopos prærogativam, cum nihil ab his secundum normam canonum arrogatur.* Hæc præsumunt Hilarium omnia egisse secundum canones, nec quidquam extra suam provinciam sibi arrogasse, quod tamen Quesnellus irrito conatu probare studuit, ut antea ostensum est. Cum porro Hilario reipsa imponit inobedientiam et pertinaciam, quæ ab ipso alienissima nullis canonibus probatur, ejus sanctitas hujusmodi defensionem, quæ juris specie et canonum nomine crimina protegit, maxime detestatur.

Cap. III. *Vindicantur Leonis verba, quibus Hilarium nihil rationabile protulisse tradidit. De testibus a Celidonio productis. Judicium S. Leonis vindicatur. Quid sentiendum de aliquot accusationibus adversus Hilarium Leonis epistolæ insertis.* — 1. Ea Leonis verba de Hilario epist. 10, c. 3: *Rationabile quod in sanctorum concilio sacerdotum posset respondere, non habuit* quorum sensum alibi exposuimus (*Vid. c.* 1, *num.* 2), Quesnellus c. 3 de jure appellationis dicta interpretatur, adeo ut hoc uno angeretur Leo quod Hilarius Celidonii appellationi obniteretur. Hæc pariter jus appellationum, quod luculentissime constituimus, Leoni defuisse præsumunt. Eadem porro verba idem Quesnellus eo nomine in suspicionem vocat, quia omnibus *in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt.* Si ea verba ad jus referenda essent, et Hilarius in hoc restitisset, cum pro appellationum jure constituendo luculentissima et consuetudinis, et canonum, et divini juris testimonia a nobis producta fuerint part. I, c. 5, 6 et 7, nonne quidquid ab Hilario contra fuisset allatum *rationabile* esse non poterat? Si vero referantur ad factum, quomodo rationabile credi potest quod judex rationabile non fuisse testatur (*Vid. observ. in part.* I, *c.* 2)? Num porro judex cum causam aliquam sibi competentem recipit, et deficientem in responsionibus et probationibus, ac declinantem a judicio damnat, nihilque rationabile protulisse pronuntiat, traduci possit veluti testis in propria causa, ex ipsis juribus aliis judicandum relinquimus.

2. Quod porro eodem capite a Quesnello subjicitur de testibus a Celidonio in Romana synodo productis, illa quidem præsumptio Leonis judicio obesse, judicio autem Hilarii favere videtur, quod in rebus facti facilius et cautius judicia ferantur in loco ubi res gesta est, et ubi testes minus facile decipere queunt, quam in loco valde dissito, si præsertim soli testes a reo adducti eodem pervenerint. Igitur judicium Vesontione ab Hilario habitum, ubi Celidonius erat episcopus, et ubi plures testes inventi fuere, deceptioni minus obnoxium videri potest, quam judicium Leonis habitum Romæ, ubi soli testes a Celidonio producti fuere. Id quidem non leve videretur, si de facto actum esset, **1065** quod Vesontione acci-

disset. At id non constat; immo oppositum multo est probabilius. Impedimentum Celidonio objectum fuerunt nuptiæ cum vidua quam ille ante episcopatum duxisse dicebatur (*Vit. Hil. cap.* 16). Additum quoque fuit aliud impedimentum, uti appellant, lenitatis, nimirum *sæculi administratione perfunctum* capitali aliquos condemnasse sententia. Ubi autem hanc sæculi administrationem, seu officium judicis exercuerit, non exprimitur. Gerebantur autem ejusmodi administrationes et officia variis in locis, ac proinde fieri potuit ut dum alibi quam Vesontione sæculari administratione fungeretur, uxorem ejusdem loci duxerit; ac propterea de re ageretur quæ non Vesontione, sed alibi contigerat. Quis autem scit qua in urbe et qua in provincia id evenerit? Enimvero si res hæc Vesontione accidisset, ac fuisset ibidem nota, uti supponitur, ante ejus electionem patuisset, dumque ex more cleri populique suffragium quæreretur, hoc impedimentum saltem ab aliquo productum fuisset in medium, ejusque ordinationem impedisset. Igitur ex ipsa electione et ordinatione pacifica objectæ postea nuptiæ ad alium remotum locum pertinent, ita ut soli exteri testes Vesontione non minus quam Romæ adducendi fuerint, nec major pro Vesontionensi quam pro Romano judicio fides et auctoritas ex productis testibus colligi queat. In Vesontionensi autem judicio testes male fidos adhibitos illud indicio esse potest, quod impedimentum lenitis, in quo etiam testes Vesontione accusationem confirmarunt, non constitit; unde nulla de eo amplius in Romano judicio quæstio mota fuit, de qua apud Leonem nullum indicium. Ita ergo falsi et accusatores et testes esse potuerunt in impedimento bigamiæ, ut in impedimento lenitatis fuisse videntur. Potuerunt nimirum aliqui in Celidonium male animati falsas accusationes spargere, et falsos testes forte ex solo auditu proferre, qui Hilarium zelo disciplinæ abreptum aliosque Vesontione coactos judices deciperent. Romam autem a Celidonio æquiores et instructiores testes, qui ipsum in administrationibus nossent, potuere adduci, quibus Hilarius, licet gesta secum tulerit, respondere non potuit. Hæc gravior præsumptio est, quæ majorem Romano quam Vesontionensi judicio ex ipsis testibus fidem conciliat. Certe Jurensis monachus, qui Vesontioni proximus, et Hilarii ævo fere suppar S. Romani Vitam scripsit, ex fama atque traditione ejusdem Ecclesiæ Hilarii sententiam *nulla existente ratione* editam accusavit. En igitur ex ipsa Vesontione, in qua Hilarius Celidonium deposuerat, calculus pro Leonis sententia. Majus hoc testimonium est, quam solum testimonium auctoris Vitæ S. Hilarii, qui ex sola Arelatensi fama, non autem ex Vesontionensi scripsit. At de hoc plura in observationibus ad primam partem c. 3. Neque idcirco fieri potuisse negamus ut testes a Celidonio producti Leonem fallerent. At cum hi interrogati fuerint præsente Hilario, is autem tametsi testium et actorum Vesontione esset instructissimus, *quod posset opponere non habuerit*, magna pro iisdem præsumptio exoritur, qua Leonis judicium, ut res ejusmodi ferunt, æquissimum judicetur.

3. Hic autem dissimulare non possumus magnam Quesnelli audaciam, qua Leonem in hac causa ex præconcepto in Hilarium affectu egisse traducit. P. Jacobus Longueval, l. IV, *Histoire de l'Eglise gallicane*, tom. II, pag. 35, tantam criminationem paucis exsufflat: *Le P. Quesnel, qui semble n'avoir entrepris de commenter les œuvres de saint Léon que pour faire le procès à ce grand pape, l'accuse d'avoir agi par prévention contre saint Hilaire. Mais saint Léon avait été témoin à Rome du procédé d'Hilaire; il avait examiné les pièces du procès dont il était juge. Peut-on sans témérité juger qu'un si grand homme et un si saint pape ait agi par passion contre un autre saint?* Enimvero si de judicio in causa Celidonii habito, quo Hilarii sententia recisa fuit, sermo sit, quid, quæso, Leoni agendum fuerat, Celidonio appellante, insistente, et testes producente, Hilario autem nihil opponente, et A judicium declinante, nisi illud solemne legum omniumque tribunalium principium sequi: *Actore non probante reus absolvitur?* Nemo potest hac in re Leoni succensere, nisi eum in ejusmodi appellationibus judicandi potestate expertem et incompetentem judicem existimet. Id sane unum Quesnellus pro Hilarii apologia produxit, et eidem sancto viro hanc falsissimam sententiam affigens, huc omnia ejus dicta, omne silentium, ipsamque a Romano judicio fugam retulit. **1067** Ita ad juris quæstionem totam hanc causam revocavit, quam de mero facto futuram initio receperat. Hoc autem pontificium jus cum luculentissime (ut nobis quidem videtur) constitutum fuerit, tum ex consuetudine, tum ex canonibus, tum ex divino jure, S. Leo, cui hoc jus erat exploratum, aliter judicare non potuit; ejusque judicium nemo poterit juste reprehendere, nisi qui cum Quesnello jus pontificium neget. Dum vero hic, ut se et suum præjudicium occultet, hanc sententiam ab omni jure abhorrentem B S. Hilario ascribit, eum apostolicæ auctoritati adversantem traducit, atque apologiæ nomine magnam ipsi criminationem et ignominiam intexit. Nos eximiam tanti viri sanctitatem venerantes, quam ipse etiam Leo post ejus mortem testatus est, cum eum *sanctæ memoriæ* appellavit epist. 40, alia æquiori ratione ipsum vindicare studuimus. Quod si hæc minus placeat, quæcumque alia melior et probabilior afferatur, dum pontificium jus omni antiquitate atque auctoritate suffultum non lædat, libentissime suscipietur atque probabitur.

4. Quod si de variis Hilarii accusationibus Leonis epistolæ insertis, et in Celidonii causam vel præter ipsam incidentibus agatur, cum ad facta pertineant quæ apostolicæ sedis jus non tangunt, non inficiamur in his Leonem non minus quam Hilarium potuisse allucinari et decipi. Optaremus quidem eas accusationes ita posse purgari, ut dum Hilarius defenditur, Leo non accusetur. Utinam nobis licuisset auctorem Vitæ Hilarii imitari, qui vel a narrandis non- C nullis abstinere satius duxit hac ratione allata (*Cap.* 17): *quia tantorum virorum, præsertim jam ad supernam gratiam evocatorum, non audeo judicia ventilare!* Cum vero Quesnellus Hilarii purgandi prætextu Leonem impetiverit, officii nostri fuit eas rationes producere quæ ad hunc vindicandum magis conferre visæ sunt. Quod si exinde nonnihilum censuræ in Hilarium redit, id non nobis, sed monumentis quæ supersunt tribuendum est. Leonis epistola hac in re plurimum probat, cum de contentione Romæ habita testetur, quæ ipsis gestis una cum epistola missis in Gallias inserta fuit. Neque enim de calumniis Hilario impactis a sanctissimo præsule suspicari licet. Cumque Leo hasce litteras exararit non statim post disputationis æstum, sed quinque circiter menses post, cum omnis æstus, si qui fuit, plane conquieverat, ac præterea eam scripserit post receptos et auditos Hilarii legatos ad ipsum placandum, et Hilarium excusandum seu purgandum missos, inter quos Ravennium pontifici *probatum* fuisse discimus ex epist. 40 D et 41, hoc tanto intervallo melius edoctus, si quid etiam antea præter gestorum fidem ac rei veritatem animo præsensisset, procul dubio emendasset. Licet autem in hac epistola aliquid acerbius Hilario excidisse indicetur quo apostolica auctoritas lædi visa est, quid tamen id fuerit non exprimitur. Si acta quibus tota hæc contentio descripta fuit ad nos pervenissent, qua æquiori ac certiori interpretatione Hilarii verba explicari possent, fortassis cognosceremus. In hoc autem obscuro satis æquam et probabilem censemus eam interpretandi rationem quam proposuimus, ut ne Hilarium contra apostolicum jus circa appellationes, contra veterem consuetudinem et contra ipsos canones Sardicenses, quos in Galliis receptos ostendimus, quidquam dixisse aut sensisse credamus. Quoad cæteras vero Hilarii censuras, quæ ad facta pertinent ab Urbe remota, num Leoni alicubi obreptum fuerit, inopia aliorum documentorum dijudicare non possumus.

DISSERTATIO SEXTA,

DE JEJUNIO SABBATI IN ECCLESIA ROMANA OBSERVATO, TEMPORE S. LEONIS PP. I.

Ad hæc verba epistolæ ejusdem 11 (*nunc* 9) *ad Dioscorum Alexandrinum episcopum*, *cap.* 1, Continuato sabbati jejunio, *et ad clausulam hanc sermonum de jejunio mensium septimi et decimi atque Pentecostes:* Quarta igitur et sexta feria jejunemus; sabbato autem apud beatum Petrum apostolum pariter vigilemus; *quæ verba a sermone* 4 *de Quadragesima*, *cui male hactenus inserta leguntur*, *rejicienda esse*, *et unde nata interpolatio*, *demonstratur*.

1069 I. De jejunio sabbati variam olim diversamque fuisse Ecclesiarum consuetudinem, et monuit S. Augustinus pluribus locis, et ex aliis passim auctoribus certissimum est. Sed quid potissimum observaverit Ecclesia Romana Leonis nostri ætate, ut accuratius inquiramus, invitat nos Romani hujus pontificis, cujus scripta recensuimus, memoria, et nonnulla etiam compellunt Epistolarum Sermonumque ejus loca, quibus vel jejunii sabbatici mentio injecta est, vel ex consilio videtur omissa. A

Sabbatorum porro in hac dissertatione multiplex ordo distinguendus. Vel enim de iis sabbati diebus agitur qui per quadragesimales hebdomadas occurrunt, vel de his qui quartam et sextam feriam Quatuor Temporum sequuntur; vel de quolibet sabbato per annum extra utraque illa tempora occurrente: quibus demum et sabbatum vigiliæ Pentecostes adjungi potest. De his seorsim nobis disserendum, omisso paschalis sabbati jejunio, de quo similis non movetur controversia.

II. Ac primum quidem sabbatis cujuslibet hebdomadæ extra Quadragesimam, aut Quatuor, ut aiunt, Tempora, nec non etiam extra paschalem Quinquagesimam ante Pentecosten positæ, observatum esse jejunium in Ecclesia Romana, tam manifesta evincunt testimonia, ut qui illud negaverit contentionem magis amare existimandus sit quam inquirere veritatem. B

1070 Sabbati jejunium jam a Silvestri temporibus, vel etiam ante fuisse institutum narrat Nicolaus I, pontifex Romanus ad Gallicanos episcopos scribens: *De jejunio sabbati*, inquit, *tempore sancti Silvestri confessoris Christi satis discussum est et disputatum, atque ut celebraretur per omnia definitum, nullusque post hæc ausu temerario contra istud statutum venire, aut saltem mutire præsumpsit.* Si ita vere scripsit (*a*) Nicolaus, istud, puto, ex apocryphorum commentariis hausit, aut populari Romanorum traditione. Unde enim discere potuit de Silvestro, quod Ambrosio, Augustino, Cassiano ipsique Innocentio primo C ignotum fuit? Si enim sub Silvestro jejunium sabbati discussum, statutum definitumque fuit, nec latere Innocentium potuit, Silvestro magis vicinum, nec illud Innocentius omittere, cum ad Eugubinum scribens congereret quidquid ad Romanæ istius consuetudinis patrocinium facere poterat. Putaverim ego vel Nicolaum memoria lapsum esse, ut Silvestrum pro Innocentio supponeret, vel scribarum allucinationem esse; idque duplici confirmo conjectura. Primum enim auctoritati Silvestri, Innocentii auctoritatem atque decretum subjunxisset Nicolaus, et ad ejus ratiocinia Photium, qui Romanam Ecclesiam calumniabatur, remisisset; quod certe majoris fuisset roboris quam nescio quam disputationem coram Silvestro habitam, omnibusque ignotam commemorare. Secundo, si post Silvestri definitionem nullum contra istud statutum venire, aut saltem mutire præsumpsisse dixisset, statim a Photio deprompta esset e codice Romano epistola Innocentii **1071** papæ ad Decentium, per quam manifestum est non longe a Silvestri ætate adversus sabbati jejunium etiam in suburbicaria diœcesi et mussitatum esse et disputatum. Novi ex opusculo sancti Petri Damiani LV, et ex Vita sancti Romualdi ab eo conscripta, aliquod scriptum nomine Silvestri papæ de sabbati jejunio venditatum esse tunc temporis, cujus etiam fragmentum refertur in *citato opusculo*. Sed scripta suspectæ antiquitatis et sinceritatis tam antiquo pontifici sine veterum auctoritate asserta, non magnum sibi conciliant ex auctore undecimi sæculi patrocinium.

III. Ex melioris igitur notæ monumentis asserendus est usus jejunii sabbatici in Ecclesia Romana. Certum est circa annum Christi 387 eam viguisse consuetudinem, quam ex epistolis sancti Augustini 86 et 118 notam habemus. Cum enim sancta Monica Mediolanensem Ecclesiam sabbato non jejunantem inveniens, quid sibi agendum esset dubitaret, interrogatus ab Augustino adhuc catechumeno Ambrosius respondit: *Quando hic sum*, *non jejuno sabbato; quando Romæ sum*, *jejuno sabbato. Ad quamcumque Ecclesiam veneritis*, *ejus morem servate*, *si pati scandalum non vultis aut facere* (*S. August. epist.* 118 *ad Januar.*, *cap.* 2). Circa ann. Chr. 392 perseverasse hunc morem in eadem Ecclesia testis est laudata epistola 86, quam scripsit jam presbyter *factus*, ut hominis cujusdam Romani protervitam retunderet, qui universas pene Ecclesias a Romana eo in ritu discrepantes injuriose lacessebat. Post annum 395 servatum esse, testatum facit epistola ejusdem Augustini 118, quam ad Januarium dedit cum jam episcopus esset. Quod enim ibi ait: *Alii jejunant sabbato*, de Romanis intelligendum esse satis insinuat responsum Ambrosii, quod statim ab eo refertur. Idem epistola 19 ad Hieronymum de eodem jejunio hæc habet verba: *Vellem me doceret benignitas tua utrum simulate quisquam sanctus Orientalis*, *cum Romam venerit*, *jejunet sabbato*, *excepto illo die paschalis vigiliæ*. Hieronymus ipse scribens ad Lucinium Bœticum epist. 28, jejunium quoque sabbati Romæ observatum commemorat. Anno 416, quo ad Decentium episcopum Eugubinum scribebat Innocentius PP., tantum abest ut quidquam de illa jejunii sabbatici consuetudine remissum esset, quin potius illam omnino servandam esse contendit. *Non negamus*, inquit, *sexta feria jejunandum; sed dicimus et sabbato hoc agendum..... Sabbatum prætermittere non debemus*; probatque tum ratione multiplici, tum diversis traditionibus, seu ecclesiasticis, seu apostolicis, ex quarum una jejunium sabbati in Ecclesia Romana celebratum esse satis initio epistolæ insinuat, ubi quæ de institutis ecclesiasticis ac apostolicis traditionibus habet, ad singula epistolæ capita pertinere suggerit. Joannes

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæc Nicolaus I sumpsit ex *Actis S. Silvestri*, quæ Gelasii quoque ætate a multis Romanis legebantur, ut idem Gelasius testatur in decreto de libris apocryphis. Cum vero hæc Acta a Baronio ad annum 315, n. 17, *compluribus mendaciis deturpata* probentur, et post alios eruditos viros a Papebrochio et Janningo pro non exigua parte falsi convicta sint, nullam in hac re ad jejunium sabbati pertinente, quæ inter commenta censenda est, fidem merentur.

Cassianus, qui Romæ sedente Innocentio commoratus est, et usque ad ann. Chr. 435 ætatem protraxit, eamdem Ecclesiæ Romanæ consuetudinem notam nobis **1072** facit, lib. III de Institutis cœnobiorum, cap. 10, cujus verba paulo post referemus. Socrates Innocentii temporibus æqualis, quique historiam suam usque ad decimum septimum Theodosii consulatum perduxit, hoc est, ad an. Chr. 439, disertis verbis scribit : *Romæ singulis sabbatis jejunant*, lib. V, cap. 22.

IV. Anno sequenti, qui ab Innocentii obitu fere vigesimus quartus fuit, Leo pontifex creatus est; quo sedente, viro scilicet paterni moris retinentissimo, non utique credendum est deferbuisse sabbato jejunandi Romanæ Ecclesiæ studium, sed et hujus observantiæ expressum habemus apud Leonem testimonium, quod posthabitum hactenus fuisse miror ab his qui hanc materiam attigerunt. Est in epistola ad Dioscorum Alexandrinum episcopum (*Epist. 11, al. 81*), quem sub ejus episcopatus initia hortatur ut Ecclesiæ suæ disciplinam et instituta ad Romanæ mores componat; tale est autem caput primum : *Quod ergo a Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis hoc volumus custodiri : ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur; sed post diem sabbati, ejus noctis quæ in prima sabbati lucescit, exordia deligantur, in quibus his qui consecrandi sunt jejunis, et a jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit si mane ipso Dominico die*, CONTINUATO SABBATI JEJUNIO, *celebretur; a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.* Vides ut moris erat apud Romanos sabbato jejunare, quandoquidem ab his qui mane Dominico die vel ordinabant vel ordinabantur, continuari velit sabbati jejunium : quis enim quod actum non est continuari posse dixerit?

Scio quid reponi possit, videlicet non hic de quolibet sabbato rem esse Leoni, sed de sabbato sancto, quod jejunando transigere omnibus solemne erat ac religiosum. Probant id tum ex Paschatis mentione quæ hic injicitur, tum quod Dominica illa vocatur dies Resurrectionis. Id ita persuasum habuerunt qui in prioribus editionibus hunc titulum vel apposuerunt vel appositum servando probarunt : *De ordinatione presbyteri aut diaconi, ut sabbato sancto celebretur, id est die Dominico.* Sed quam imperita manus hujusmodi titulum composuerit, evidens est, eum tot fere sint errata gravissima quot verba; sacerdotum enim nomine solos presbyteros, et sacerdotali ordinatione presbyterorum ordinationem censeri putavit; cum potius episcopos episcoporumque ordinationem isthæc significent. Deinde Dominicum diem cum ipso sabbato confundit. Ac demum quod generaliter de sabbato dicitur ad sabbatum sanctum restringit. Duo priora errata digito solum monstrasse sufficit; tertium nescio an quis velit defendere.

V. Certe de quolibet sabbato ac qualibet **1073** Dominica Leonem hic agere facile probatur : 1° quia episcoporum consecratio numquam fuit vel ipsi diei Paschatis affixa, vel illis statis Quatuor Temporum Dominicis; sed vel sola et qualibet Dominica, ut olim ; vel etiam in apostolorum festivitatibus, ut hodie, debuit celebrari. 2° Omnia momenta quæ Leo perpendit, tam pro aliis omnibus Dominicis faciunt, quam pro Dominica Paschatis : mundi scilicet exordium, apostolorum cum baptizandi potestate missio, nec non effusio Spiritus sancti, etc., quæ die Paschatis impleta non sunt, sed die solum Dominica. 3° Auctoritas Scripturæ, exemplumque apostolorum, quæ ex libro Actuum referuntur, non soli Dominicæ paschali conveniunt, sed quibuslibet diebus Dominicis : non enim in solemnitate paschali, Paulo et Barnabæ manus imposuerunt apostoli, et ad prædicandum gentibus eos miserunt. 4° Quia generaliter loquitur de sabbato : *Post diem sabbati, ejus noctis quæ in*

A *prima sabbati lucescit, exordia deligantur.* Quod enim Dominicam proxime sequentem *diem Resurrectionis* appellat, non est quod quemquam moveat, cum familiarissimum sit scriptoribus antiquis ut quemlibet Dominicum diem, Resurrectionis diem nuncupent, diem vero ipsum Paschatis, sanctum Pascha, vel paschalem festivitatem vocitent. Leo ipse in epistola ad Turribium, cap. 4, ait Priscillianistas jejunasse *die Dominico, qui est dies Resurrectionis Christi.* 5° Tantum abest ut mentio de Paschate persuadeat de paschali Dominica mentionem esse, quin potius hoc ipsum est quod contrarium demonstrat, quando, ut ostendat eam noctem quæ sequitur proxime diem sabbati, ad Dominicum diem pertinere, in exemplum adducit ipsum Pascha : *Sicut etiam*, inquit, *in Pascha Domini declaratur;* in quo videlicet nox sabbato sancto succedens festivitati paschali deputatur in officio Ecclesiæ, quod nunc apud nos die sabbati summo mane celebratur, per illa vero tempora, nonnisi post

B noctis subsequentis initia agebatur; in quo frequenter repetitur : *Hæc nox est in qua, destructis vinculis mortis, Christus ab inferis victor ascendit. O vere beata nox, quæ sola meruit scire tempus et horam in qua Christus ab inferis resurrexit!.... Hæc sunt enim festa paschalia*, etc. 6° Etsi ex historiæ ecclesiasticæ monumentis non constaret longe plurimos episcopos vel presbyteros extra diem ipsum Paschatis fuisse consecratos, hoc vel sola ratio suggereret. Quis enim sibi persuadeat per tot mensium intervalla, quod sæpe sæpius contigisset, relictas esse Ecclesias viduatas pastoribus, quod gravi interminatione sacri canones prohibent? Immo vero numquam in Paschate ordinationum benedictiones celebrabantur, quia tota hæc solemnitas regenerandis catechumenis erat consecrata, et mensis potius December ordinationi sacerdotum deputatus erat; unde toties in fine historiæ pontificum hæc clausula subjicitur : *Fecit ordinationes mense Decembri*, etc. **1074** Certum igitur est,

C cum hic scribit Leo noster : *Ut his qui consecrandi sunt numquam benedictio, nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur*, etc., non de die Paschatis, sed de qualibet Dominica, quæ Resurrectioni sacra est, intelligendum esse; ac proinde sabbatum antecedens, cujus jejunium continuari præcipitur, non sabbatum sanctum esse, sed quodlibet per annum occurrens.

VI. Qua porro occasione, qua de causa hæc jejunii sabbatici consuetudo in Ecclesiam Romanam invecta fuerit, non concors est omnium sententia. Sanctus Augustinus epist. 86 : *Est quidem*, inquit, *et hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quod apostolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem urbis Ecclesia jejunaverit, et consecuto tam prospero gloriosoque successu, eumdem morem tenuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ.* Eamdem rationem non a Romanis solum, sed ab aliis etiam nonnullis Occidentalium partium Ecclesiis obtendi suo tempore refert

D Cassianus lib. III de Institut. cœnobiorum cap. 10 : *Cujus*, inquit, *moderaminis causam nonnulli in quibusdam Occidentalibus civitatibus ignorantes, et maxime in Urbe, idcirco putant absolutionem* (jejunii) *sabbati minime debere præsumi, quod apostolum Petrum in eodem die contra Simonem conflictaturum asserant jejunasse.* Hæc ratio cum a plerisque Romanis Augustini ætate reprobaretur, suggilletur a Cassiano, et ab Innocentio papa, qui rem ex professo tractavit in epistola ad Decentium, nullatenus commemoretur, omnino videtur commentitia.

Alteram igitur rationem afferri narrat ibidem Augustinus. *Alii*, inquit, *propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana et nonnullæ Occidentis Ecclesiæ, elegerunt.* Quam rationem vehementer urget Innocentius loco citato, ita ut paris religionis esse velit per sabbati jejunium memoriam mortis Christi colere, ac jejunio sextæ feriæ ejus passionem, et diei Dominicæ lætitia Resurrectionis ejus gaudia celebrare.

Quod si putant, inquit, *semel atque uno sabbato jejunandum, ergo et Dominica et sexta feria semel in Pascha erit utique celebranda; si autem Dominici diei et sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est bidui agere consuetudinem, sabbato prætermisso, cum non disparem habeat causam a sexta videlicet feria, in qua Dominus passus est, quando et ad inferos fuit, ut tertia die resurgens redderet lætitiam post biduanam tristitiam præcedentem.*

Tertiam rationem suggerit uterque auctor, quæ tamen facile in præcedentem recidit. Eam ab apostolorum exemplo repetunt. *Quia*, inquit Augustinus (*Epist.* 86), *discipuli humanitus mortem Domini doluerunt... Nam utique constat*, addit Innocentius (*Epist. ad Decentium Eug.*), *apostolos biduo isto et in mœrore fuisse, et propter* **1075** *metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari.*

Quartam addunt aliqui, ut videlicet a Judæorum moribus longius recederetur. Siquidem perfidi isti non modo sabbato non jejunant, sed laute potius et oppipare epulantur, solemnique cultu festivum habent. Eam rationem subindigitat Cassianus loco citato: cum hæc ad contrarium Orientalium morem defendendum, quasi objectioni Romanorum occurrens, scribit: *Non ad communionem festivitatis Judaicæ absolutio ista jejunii reputanda est, his præsertim qui ab omni Judaica superstitione alieni monstrantur; sed ad refectionem, quam diximus lassi corporis pertinere: quod per totas anni septimanas jugiter quinis diebus jejunans, nisi duabus saltem interpositis refocillatum fuerit, facile laxescit ac deficit.* Ex eodem adversus superstitiones odio descendit, quod illorum maxime dierum jejunium horrori habuit Ecclesia, quos jejuniis suis Manichæos consecrare animadvertit. *Die Dominico*, inquit Augustinus epist. 86, *jejunare scandalum est magnum, maxime posteaquam innotuit detestabilis multumque fidei catholicæ Scripturisque divinis apertissime contraria hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ad jejunandum istum quasi legitimum constituerunt diem; per quod factum est ut jejunium diei Dominici horribilius haberetur.*

VII. His de prima sabbatorum classe expositis, ad alteram pergimus, illa videlicet sabbata complectentem quæ quartam et sextam feriam Quatuor Temporum excipiunt. Dubitandi locum dedit familiaris illa Leonis clausula, quam ad calcem omnium sermonum de isto jejunio solet apponere : *Igitur feria quarta et feria sexta jejunemus ; sabbato autem vigilias apud S. Petrum faciemus.* His enim verbis aliam feriarum illarum observantiam, aliam sabbati fuisse, videtur indicare, ut huic solas vigilias deputet, illis jejunandi necessitatem affigat. Verum non est ea mens Leonis; sed hoc potius intendit, ut in sabbato ad jejunium vigiliæ superadderentur. Enimvero sicut necesse erat ut aliorum dierum jejunium indiceretur Christianæ plebi, ita omnino fuisset supervacaneum de jejunio sabbati mentionem facere, cum jam peculiari lege ac consuetudine ad illud jejunium Romani astringerentur.

Deinde cui mortalium istud in mentem venerit, Romanos tanta religione sabbaticum jejunium observasse per reliquas anni hebdomadas, ut ad illud ex apostolica traditione, apostolorum exemplo, ac mysteriorum recolendorum necessitate teneri se existimarent, et dementis esse diceret Innocentius *bidui agere consuetudinem, sabbato prætermisso;* sabbatum autem tunc temporis ac per eas hebdomadas prætermisisse, quæ sanctiori Quatuor Temporum jejunio ex apostolica institutione consecratæ erant, quasi **1076** minus consuetudinis lex tunc urgeret, ex qua sabbati jejunium susceperant? At vetabant, inquies, instantes sabbati vigiliæ, quibus ferendis fideles, ejusdem diei jejunio fatigati, pares non fuissent; eam enim esse causam, ait Cassianus, cur sabbatum apud Orientales a jejunio esset immune. *Ex illo*, inquit (*De institutis cœn. lib.* III, *cap.* 10), *tempore* apostolico, *huic nocti*, quæ sabbati lucem antecedit, *deputata vigiliarum solemnitas usque in hodiernum diem per universum Orientem similiter observatur. Ideoque et absolutio jejunii post vigiliarum laborem ab iisdem apostolicis viris statuta non immerito præsumitur per universas Orientis Ecclesias.* Optime id quidem, quod ad Orientales attinet; sed quid ad Occidentales Ecclesias, ex quibus quæ sabbati jejunium colebant, fatigationem ex vigiliis ortam nullatenus attendisse testis est idem eodemque loco Cassianus? *Cujus*, inquit, *moderaminis causam nonnulli in quibusdam Occidentalibus civitatibus ignorantes et maxime in Urbe, idcirco putant absolutionem sabbati minime debere præsumi.*

3. Ex decreto Leonis de ordinatione sacerdotali, quod supra relatum a nobis fuit, manifestum est eam in quamlibet Dominicam etiam Quatuor Temporum cadere potuisse; cui celebrandæ necessarium erat ut jejunium sabbati continuaretur. Ubi cum exceptione nulla utatur, intelligendum relinquit sabbata illa non magis quam alia a jejunandi lege libera fuisse.

4. Augustinus epistola 86 hæc habet, quæ ad rem nostram facere videntur: *Non solum Pharisæus, qui bis in sabbato jejunabat, verum etiam Christianus, qui quarta et sexta feria et ipso sabbato jejunare consuevit, quod frequenter Romana plebs facit, in labore jejunii superabitur.* Et post multa quibus Urbicum illum seu Romanum exagitat, qui jejunium sabbati Romanis familiare cum cæterarum Ecclesiarum injuria insolentius jactabat, hæc iterum scribit: *Videat ergo quanta officiat contumelia ipsam quoque Romanam Ecclesiam, ubi et his hebdomadibus, in quibus quarta et sexta et sabbato jejunatur, tribus tamen diebus continuis, Dominico scilicet, ac deinde secunda et tertia prandetur.* Quis hæc legens non advertit Augustinum Quatuor Temporum jejunia designare? Quæ enim aliæ hebdomadæ, *in quibus quarta et sexta et sabbato jejunatur*, nisi hebdomadæ illæ, per quatuor anni tempestates solitæ jejunio celebrari? non ex cujusque voto ac devotione, sed ex consuetudine, *consuevit;* non ab aliquibus tantum, sed ab universa Romana Ecclesia, *Romana plebs;* non semel aut iterum, sed *frequenter*, hoc est, quater in anno, vel ter ad minus, si Quadragesimam seponas. Certe si quæ alia stata per annum jejunia ex consuetudine ecclesiastica Romæ frequentata fuissent, illorum aliquod appareret in antiquorum scriptis testimonium, præsertim apud Leonem nostrum, qui omnes hujusmodi Ecclesiæ suæ consuetudines tam accurate recensuit, tam studiose coluit, tam **1077** religiose observari curavit suis ad populum adhortationibus.

Hæc quidem Augustini verba non de Quatuor Temporum jejunio, sed de quadragesimali intelligenda esse somniavit e Calvini grege nonnullus, ne jejunii Quatuor Temporum observantiam jam a quarto Ecclesiæ sæculo apud Romanos religiose custoditam agnoscere cogeretur. Puduit Dallæum tam supinæ collegæ sui ignorantiæ, qua parte illam Augustini sententiam de Quadragesima interpretatus est; non placuit tamen Dallæo ad Quatuor Temporum jejunia eam esse referendam, quæ videlicet *nondum in usu fuisse* scribit, *cum Augustinus epistolam ad Casulanum scriberet;* licet statim fateri cogatur *necesse esse vivente fortasse ipso Augustino ista Quatuor Temporum jejunia, qualia quidem a Leone commemorantur, recepta fuisse.* Immo vero pag. 754 fatetur *Leonis ævo quater in anno, singulis scilicet anni tempestatibus, Romæ jejunatum fuisse; sive id ipse, sive alii* (QUOD VERIUS VIDETUR) JAM ANTE EUM *instituissent.* Quam e contrario melius efficaciusque argumentaretur Dallæus, si ex eo quod Leonis ætate, *immo etiam ante eum, ac vivente fortasse ipso Augustino*, receptus erat in Ecclesia Romana hujusmodi per quatuor anni tempora jejunandi ritus, eumdem etiam tum institutum ac receptum fuisse contenderet, cum ad Casulanum scriberet Augustinus. Inter Augustinum enim viventem et Augustinum scribentem fallor, si longa sunt temporum intervalla.

VIII. De sabbatis quadragesimalibus modo est agendum, de quibus tamen vix nobis a quoquam litem moveri intelligo: siquidem Joannes Dallæus, qui tamquam majoris nominis inter Calvinianos scriptor, ecclesiastici jejunii oppugnandi provinciam a sodalibus accepisse videtur, ultro fatetur cujuslibet hebdomadæ, ac etiam in Quadragesima, sabbatum jejunio fuisse apud Romanos consecratum : *Quod vel ex una*, inquit, *Augustini ad Casulanum epistola sic liquet, ut nisi per summam impudentiam negari non possit.* Et certe qui attenderit quo studio sabbati jejunium propugnet S. Innocentius, quamque religiosam existimet ejus observantiam, non facile adducetur ut illud per Quadragesimam remissum fuisse putet apud eos quibus piaculum erat illud quovis sabbati die prætermisisse. Omnium probationum instar erit criminatio illa adversus Romanam Ecclesiam, quæ Trullani concilii canone quinquagesimo quinto continetur. *Quoniam intelleximus*, inquiunt Græci, *in Romanorum civitatibus in sanctis Quadragesimæ* B *jejuniis, in ejus sabbatis jejunare, præter ecclesiasticam traditam observationem, sanctæ synodo visum est ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcusse vires habeat canon qui dicit : Si quis clericus inventus fuerit in sancto die Dominico vel sabbato jejunare, præter unum et solum, deponatur; sin autem laicus segregetur.* Quem Trullanum canonem commentantes Balsamon et **1078** Zonaras, Romanorum in hoc quadragesimalis sabbati jejunio perseverantiam (pertinaciam vocant) testatam faciunt. *Latinorum hoc peccatum*, inquit Zonaras, *emendare synodus conata est; verum in sua pertinacia hactenus permanserunt arrogantes, hodieque permanent.*

IX. Sunt tamen quos movet Socratis Historici, Leonis nostri, Cassiodori, ac venerabilis Bedæ auctoritas; e quibus Henricus Valesius, vir singularis eruditionis, suis in libri v Socratis cap. 22 annotationibus sibi persuasit, Socratis Leonisque ætate Romanos in Quadragesima non jejunasse die sabbati; sed tres tantummodo dies in singulis hebdomadibus C jejunio destinatos a Leone notari, quinque a Socrate.

Quod ad Bedam spectat, cujus libellum de Officiis laudat Valesius, vix digna sunt Beda Collectanea illa quæ libelli de officiis nomen induerunt; nec Telesphori constitutio quæ in eo libello refertur, certioris, puto, est fidei apud Valesium. Utut sit, nusquam apparet illic *quinta et septima feria plerosque non jejunasse in Quadragesima*, saltem apud Romanos. Narrat enim quadragesimale jejunium quinquagesimo die ante Pascha inchoatum fuisse ex Telesphori constitutione; ex illis autem quinquaginta diebus qui a Quinquagesima numerantur usque ad sanctam Resurrectionem : *si*, inquit, *octo Dominicos dies subtraxeris, in quibus jejunium non licet observare, remanent quadraginta et duo dies; et hi duo dies, quinta et septima feria, qui quadragenarium excedunt, apud quosdam jejunio deducuntur, apud quosdam in refectione propter Cœnam Dominicam et sanctum sabbatum habentur.* Quæ quidem, non de qualibet feria D 5, nec de quolibet Quadragesimæ sabbato dici, sed de his duabus solummodo feriis quæ ad hebdomadam sanctam pertinent, nemo non videt. Subjicit quidem post pauca hæc alia verba : *Septuagesima ideo fertur a fidelibus celebrari, ut et decimas dierum Deo reddere et nihilominus primam et quintam feriam et sabbatum possint a jejunio relaxare.* Sed hæc a Beda sine superioris ævi teste dicuntur, et admodum dubitanter, *fertur*, et ad ætatis regionisque suæ consuetudinem aliquam animum advertisse videtur, potius quam vel ad Romanæ Ecclesiæ ritum, vel ad illa tempora de quibus modo agimus. Ad alios igitur auctores pergamus, qui et in eo argumento majoris longe sunt ponderis, et majori etiam difficultate laborant.

X. Socratis locus sic habet : *Qui Romæ sunt tres continuas hebdomadas ante Pascha*, EXCEPTIS SABBATO ET DOMINICO DIE, *jejunant.* Torquent se mirum in modum scriptores varii ut nodum duplicem solvant A qui in verbis istis reperitur, unum circa hebdomadarum numerum quadragesimalis jejunii, alterum circa sabbati exceptionem in Romana Ecclesia. De primo nunc mihi accuratius inquirere non vacat : hoc unum dico, majorem esse Joannis Cassiani auctoritatem **1079** quam Socratis. Ille enim et eadem vixit ætate, et Romæ aliquamdiu commoratus est, et Leoni nostro familiaris fuit, ac demum apud Massiliam diu vixit, quæ et Romanæ Galliarum provinciæ erat, et cum Romanis commercium frequentabat. In collatione autem 21, cap. 24 et sequentibus, testis est sex integris hebdomadibus, solis exceptis Dominicis, jejunatum esse in Ecclesia Romana. *Quid causæ est*, inquit Germanus (*Collat.* 21, *cap.* 24), *ut sex hebdomadibus Quadragesima celebretur, licet in quibusdam provinciis religionis forsitan propensior cura adjecisse hebdomadam etiam septimam videatur, cum neuter numerus, die Dominico sabbatoque subtracto, quadraginta dierum impleat summam; sex enim et triginta dies in ipsis hebdomadibus tantummodo concluduntur.* Sicut enim vix dubium est quin abbas Germanus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ postmodum presbyter, de hujus Ecclesiæ consuetudine loquatur, cum septem hebdomadarum observationem commemorat, ita certum est istud, quod de sex hebdomadibus habet, de Romanorum ritu esse intelligendum, ut manifestum est his capitis 27 verbis : *Hi enim sibi sex hebdomadarum observationem præfixerunt, qui putant die quoque sabbati jejunandum; sex ergo in hebdomada jejunia persolvunt, qui eosdem sex et triginta dies sexies revolutos consummant* (*Collat.* 21, *cap.* 27). Qui enim meminerit Cassianum lib. III de Institutis cœnobiorum cap. 10 scripsisse, *maxime in urbe* jejunium sabbati observatum esse, Romanos hic ab eodem esse notatos non inficias ierit, ut immerito Dallæus Bellarminum suggilet eo quod de Latinis locutum esse Cassianum dixerat.

XI. Ut vero alteram Socratici textus partem, quæ de sabbatorum quadragesimalium jejunio est, discutiamus, omnes fere in eo conveniunt ut mendosum eum locum esse pronuntient; qua vero ratione emendari possit aut debeat non conveniunt.

Dionysius Petavius in animadversionibus ad sanctum Epiphanium pag. 360, et Hugo Mænardus in notis ad Sacramentarium Gregorianum pag. 53, existimant Socratem non de Roma veteri, sed de nova, id est Constantinopoli, locutum esse, voculamque νέᾳ scribarum oscitantia omissam, ita reponendam esse, ut pro ἐν Ῥώμῃ, legatur ἐν νέᾳ Ῥώμῃ. Suam firmant conjecturam ex Socrate ipso, qui post pauca affirmat Romanos omnibus sabbatis jejunasse : Ἐν Ῥώμῃ πᾶν σάββατον νηστεύουσιν; sibimet enim tam contraria scripsisse cordatum virum persuadere sibi non possunt. Ingeniosa conjectura, sed tamen quæ plures ob causas admitti non potest. 1° Enim quotquot in edendo Socrate operam hactenus collocaverunt, Musculus, Grynæus, Christophorsonus, Suffridus Petrus, Robertus Stephanus, Joannes Curterius, H. Valesius, nihil tale invenerunt in antiquissimis quibus usi sunt codicibus mss. quos ex Christianissimi Regis bibliotheca, ex Vaticana, Florentina, Allatiana, aliisque habuerunt. 2° Quis facile **1080** crediderit Socratis libros jam tum corruptos esse cum Tripartitam Historiam scribebat Cassiodorus, immo cum ante eum Epiphanius Scholasticus Socratem Latino idiomate donabat, cujus versione usus est Cassiodorus? Uterque porro eamdem lectionem repræsentat quam nunc in Socrate habemus. Nihil dico de Nicephoro, qui eadem ex Socrate transcripsit (*Lib.* XII, *cap.* 34), nec par est credere aut nullum tunc emendatum codicem Socratis superfuisse, aut Nicephoro non adfuisse, qui magna ex parte Socrati innititur. 3° Ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ morem referri non potest quod scribit Socrates, tres tantum hebdomadas continuas ante Pascha jejunatas esse. Theophanes enim aliique post ipsum testantur tempore Justiniani imperatoris quadragesimale jejunium octo

hebdomadibus apud Constantinopolitanos constitisse. Immo Sozomenus Socratis temporibus æqualis, jam tunc cum scribebat, septem hebdomadas Constantinopoli solitas esse jejunari per Quadragesimam, expresse profitetur. *Alii*, inquit (*Histor.* l. VII, c. 19), *septem hebdomadas computant, ut Constantinopoli, et per cunctas in circuitu provincias usque ad Phœnicem.* Quibus verbis explicat quod Socrates ipse magis implicite dixerat : *Qui autem*, inquit, *in Illyrico et per universam Græciam, et qui Alexandriæ degunt, sex ante Pascha septimanas jejunant*, etc.

XII. Aliam igitur viam ineunt nonnulli. Jacobus Capellus existimavit parenthesim illam, πλὴν σαββάτου καὶ Κυριακῆς : *Exceptis sabbato et Dominico die*, nativo suo loco motam esse, et post duas fere lineas esse transponendam, ita ut non de Romanis, sed de aliis Orientalium partium Ecclesiis, quas constat sabbatum ab omni jejunio immune per omnem annum, excepto sabbato sancto, habuisse; atque in hunc modum legendum putat : *Nam qui sunt Romæ tres simul septimanas ante pascha jejunant; qui autem in Illyrico et tota Græcia, quique Alexandriæ habitant, ante sex hebdomadas,* SABBATO ET DOMINICO EXCEPTIS, *jejunium quod est ante Pascha jejunant.* Probabilitate conjectura hæc non careret, si et codicis alicujus auctoritas suffragaretur, nec priora duo argumenta, quæ Petavii et Mænardi suspicionem evertunt, huic quoque adversarentur.

Christianus Lupus in scholiis ad canonem 55 Trullanum suam etiam symbolam ad nodi istius solutionem contulit. *Socrates*, inquit, *sibi ipsi non cohæret, dicens in eodem ejusdem libri capite :* ROMÆ SINGULIS SABBATIS JEJUNANT. *Forsan velit illam ipsam suo tempore jejunantem Romam olim sabbato non jejunasse; quod et veritati et illius isthic scopo est omnino consentaneum.* Parum felix, meo quidem judicio, suspicio. Primum enim non usquequaque est evidens, veritati esse consentaneum priscos olim Ecclesiæ Romanæ fideles sabbatum a jejunio absolvisse. Hieronymus enim morem istum in Romanam Ecclesiam inductum significat ex majorum præcepto quod ex lege apostolica **1081** descendisse censendum esset. *Unaquæque*, inquit (*Epist.* 28, *ad Lucinium Bœt.*), *provincia abundet in suo sensu, et præcepta majorum leges apostolicas arbitretur.* Augustini quoque tempore plurimorum erat opinio, ad imitationem apostoli Petri ab ejusque ætate Romanos jejunium sabbati assumpsisse; atque ipse Augustinus traditioni apostolicæ Romanorum, traditionem pariter apostolicam ab Orientalibus opponi posse. Cassianus idem testatur. Sed et Innocentius I satis significat hanc suæ Ecclesiæ consuetudinem tamquam ab apostolis acceptam apud suos tum haberi. Incertum igitur admodum est quod scribit Lupus, olim Romæ sabbato non esse jejunatum; cui unicus hic Tertulliani locus favere videtur, libro de Jejuniis cap. 14 : *Quamquam*, inquit, *vos etiam sabbatum si quando continuatis, numquam nisi in Pascha jejunandum, secundum rationem alibi redditam.* Quamquam nihil prorsus ad Romanorum consuetudinem facit Tertullianus, qui non contra Romanos, sed adversus omnes catholicos scribit, quique ut ex illorum ritu arguat, attendit magis ad id quod in Africanis, in Orientalibus et in plerisque Occidentalium Ecclesiis usurpabatur, quale erat jejunii remissio in sabbato, quam ad id quod paucæ Occidentales Ecclesiæ cum Romana agere consueverant.

Quod subjicit Lupus, conjecturam suam scopo Socratis esse consentaneam, prorsus a rei veritate alienum est. Socratis enim istud consilium fuit, ut varios variarum Ecclesiarum ritus exponeret, qui eo præsertim quo scribebat tempore tam in Oriente quam in Occidente usurpabantur. Quod et loquendi modus indicat : semper enim quasi de re præsenti disserens præsentis temporis vocibus utitur. *Primum igitur*, inquit, *jejunia illa quæ ante Pascha fiunt aliter apud alios observari reperias. Qui Romæ sunt... jejunant*, etc. Quod non diversum est ab his verbis quæ in eodem capite leguntur : *Qui Romæ sunt singulis sabbatis jejunant;* cum econtrario ubi præteritæ ætatis mores enarrat aut controversias, præteriti temporis modulis sermonem induere soleat.

XIII. Quid igitur ad Socratem dicemus? Hoc plane dicam : 1° Socratem hic de veteri Roma agere, nec de alia ætate quam de sua, nec aliter eum scripsisse quam nunc legimus, nec ejus verba e suo loco in inferiorem periodum esse dejiciendа.

2° Egregie allucinatum esse Socratem, Græcumque hominem sexcentis fere leucis a Romana urbe agentem, Romanæ disciplinæ ignarum, incertisque deceptum rumusculis, aliis errandi locum dedisse. Quis enim nesciat quam frequenter, quam facile errare eos contingat qui narrationem aggrediuntur rerum a se vel locorum spatiis vel intervallis temporum longissime remotarum; et multo etiam faciliorem esse lapsum cum ex rumore solum quæ narranda sunt hauriuntur (quod Socrates ipse sibi contigisse fatetur initio libri secundi), quam cum ex veterum scriptorum historiis **1082** accipiuntur. Hoc certe ne ipse quidem Valesius potest negare de suo Socrate, quem sæpe sæpius erroris arguit in annotationibus suis; quarum vix pagina una est in qua nigrum theta auctori suo non affigat. Socratis errorem correxisse Sozomenus videtur cum expunxit. Si enim, ut Valesio probabile est, junior fuit Socrate, etsi eadem vivens ætate, si posterior scripsit, Socratisque historiam ob oculos habuit, quædam ei addidit, in aliquibus emendavit, censendus est plane Socratem in errore deprehendisse, cum lib. VIII, c. 19, eamdem cum illo quadragesimalis jejunii varietatem edisserens, de trium illarum Ecclesiæ Romanæ hebdomadarum jejunio, deque sabbati ibidem remissione omnino silendum putavit.

3° Verosimillimum est Socratem, si Novatiana labe infectus non fuit, Novatianis saltem (quod et fatetur ultro H. Valesius) addictum fuisse, seu quod necessitudine ac familiaritate iisdem conjunctus esset, seu quod eorum disciplinam atque abstinentiam probaret. Cum autem hoc inter cætera profiterentur Novatiani, quod Ecclesia in synodis circa paschalem festivitatem observandum decreverat, nulla necessitate suscipi debere vel imponi, liberum esse cuique Ecclesiæ suo more uti, illudque omne indifferens esse, unde et ἀδιάφοροι nuncupari amabant; hinc natum est Socrati consilium per varios Ecclesiarum ritus excurrendi, eorum diversitatem describendi accuratius, illiusque præsertim jejunii quod Pascha antecedit. Hinc etiam libenter Romanam Ecclesiam in eo ab aliis maxime dissidentem repræsentavit, Quadragesimam hujus Ecclesiæ tribus tantummodo hebdomadibus circumscribens, easque sabbati simul jejunio, non secus ac Dominicæ imminuens; partim ut illam Novatianorum indifferentiam probatam catholicorum Romanorumque imprimis exemplo faceret, partim etiam ut indulgentiorem illius Ecclesiæ disciplinam exhibens, eorum quibus favere satagebat austeriores mores commendaret.

XIV. Quod fieri posse diximus, ut Socrates vel incautus, vel Novatianis favere cupiens, aliquid Romanæ Ecclesiæ imposuerit, fidem excedere nonnullis videtur. *Certe*, inquit Dallæus de prima parte Socratici textus agens, *non de arcano aliquo fidei capite, sed de facto (ut loquuntur) cuivis obvio, omniumque sensibus exposito agitur. Estne verisimile Socratem in re hujusmodi mentiri voluisse? Cujus prompta et expedita probatio in omnium hominum oculis quotidie versabatur. Profecto non hæreticum, sed insanum ac emotæ mentis hominem fuisse istum oportuit, si in hoc argumento sciens ac volens Ecclesiam calumniatus est.* Vix certe adduci quis possit ut insanum ac temerarium adeo consilium bonæ indolis homini in mentem venerit; non tamen ita rara sunt hujusmodi exempla ut sponte non occurrant. Quis, verbi gratia, post mille annos, cum ipsius Dallæi librum de jejunio et

Quadragesima evolvet, revocare in dubium audebit **1083** quod de catholica et præsertim Gallicana jejunii disciplina ætate nostra scripsit ille et sub omnium oculis publicavit? Quis non pro vero habeat, quod (ut ille affirmat lib. 1 cap. 11), anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, quo scribebat, *a quibusvis fidelibus aliud nihil exigebant publicæ catholicorum leges, nisi ut statis definitisque temporibus a carnibus abstinerent, prandereque ac cœnare etiam laute atque opipare, dummodo sine carnibus, impune patiebantur, contendebantque tales reprehendi non posse?* Quis non credat nudam et simplicem carnium abstinentiam pro vero jejunio a nobis habitam, immani, ut ait, et plane puerili errore? Quis non existimabit piaculum esse si non credat quod *singulis per totum annum hebdomadis feria sexta et sabbato jejunari præcepit* hodiernæ catholicæ Ecclesiæ disciplina? Hoc enim indubitanter asseverat Dallæus cap. 14 ejusdem libri; et lib. IV, cap. 5, iterum ait, *quod jejunium feriæ sextæ, non voluntarium, sed legitimum esse apud adversarios* (hoc est catholicos), *neque ex singulorum arbitrio spontaneaque devotione, sed ex publica necessariaque lege sic ab omnibus et singulis observari notum est, ut si quis eo die (ut ipsi quidem loquuntur) non jejunet, eum isti gravissimi criminis et quidem æterna morte digni reum censeant.* Post aliquot multos, inquam, annos fidem Dallæo abrogare plurimis forsan religio erit, homini Gallo scilicet de Gallicano more sui temporis serio scribenti, eoque asserente defendet jejunium per Adventum rigide observatum esse per ejus ætatem in Galliis. *Neque nobis*, inquit, *de Adventus jejunio molestior est adversarius* (Bellarminus), *quod itidem contendit non tam ex præcepto quam ex consilio aut voto a multis servari. Quamquam apud nos sane, id est, in Gallia, non minus accurate aut religiose hoc jejunium quam quodvis aliud* ET PRÆCIPI ET OBSERVARI *ab adversariis videam.* Hæc omnia aliaque plurima quam evidenter falsa, quam calumniose inventa, quam impudenter conscripta fuerint a Dallæo, nemo Gallorum, *nisi insanus aut emotæ mentis*, non intelligit. Et tamen quis post elapsa aliquot sæcula, id pro Dallæo non opponat aliquando, quod modo Dallæus pro Socrate? Estne verisimile, inquiet, Dallæum in re hujusmodi mentiri voluisse, cujus prompta ac expedita probatio in omnium oculis quotidie versabatur? Profecto non hæreticum, sed insanum ac emotæ mentis hominem istum fuisse oportuit, si in hoc argumento sciens ac volens Ecclesiam calumniatus est. Hæc paulo fusius persequi non piguit, ut hodierno exemplo evidens fieret quam suspecta merito esse debeat eorum scriptorum fides, qui propensiores fuisse in hæreticos præsumuntur; nec magis assentiendum Socrati homini Græco de jejunio Romanorum apud Constantinopolim scribenti, quam Joanni Dallæo Gallo in Galliæ metropoli viventi scribentique, cum de Gallorum jejunio **1084** tam ridicule fabulatur, tam perfricata fronte calumniatur.

XV. Denique ex nonnullarum Ecclesiarum Romæ vicinarum relaxatione, vel etiam ex Romanorum quorumdam a communi lege recedentium praxi; seu Manichæorum, qui sub catholico nomine diu Romæ latitarunt; seu Judæorum, qui sabbati diem festum habebant; seu catholicorum Ecclesiæ leges, ut hodie sunt plurimi, conculcantium, Socrates de tota Romanæ Ecclesiæ disciplina judicare præsumpsit. Varietatem enim non modicam in quadragesimale jejunium plurimorum intemperantia invectam in Ravennensi Ecclesia Romæ vicina deplorat Petrus Chrysologus, Leoni Socratique æqualis. *Si ergo*, inquit (*Serm.* 166), *quadraginta dierum simplex, purum, æquale, tantis testimoniis, sub tanti numero sacramenti traditum nobis a Domino jejunium perdocetur, unde ista varietas, unde novitas ista, unde hebdomadæ nunc resolutæ, nunc rigidæ, nunc indulgentes nimium, nunc severæ? Unde intemperati jejunii usus iste, qui aut afficiat sine venia, aut remittat ad crapulam?... Jejunium sit æquale, et, ut est nobis traditum, servetur ad corporis et animæ disciplinam. Certe qui jejunare non potest, non præsumat inducere novitatem; sed fateatur esse fragilitatis propriæ quod relaxat; et redimat eleemosynis quod non potest supplere jejuniis.*

Ex hoc egregio Chrysologi testimonio plurima lux nobis affulget. 1° Enim apparet varietatem a plurimis invehi cœpisse tunc temporis in Ecclesiam Ravennensem (cur non et in alias?). 2° Varietatem istam novitatis argui ab episcopo. 3° Varietatis ac novitatis istius caput unum esse, quod quadraginta dies non jejunarent, *traditumque a Domino sub tanti numero sacramenti jejunium* violarent. 4° Quod non æquale esset apud eos quadraginta dierum jejunium, sed nunc severum, nunc indulgentius. 5° Hebdomadarum quadragesimalium alias resolutas, alias rigidas illis fuisse. Resolutæ autem eæ fuisse videntur in quibus a jejunio dies aliqui absolvebantur; unde fiebat ut (quod prius notaverat) sacrati quadraginta dierum numeri mysterium solveretur. Vix autem dubium est quin sabbatum e resolutis his diebus esset, cum et ejusmodi remissioni faverent tot regionum etiam vicinarum exempla, et requiei seu Dominicæ seu cœlestis repræsentandæ significatio. 6° Elicitur eos qui jejunare non poterant, non contentos jejunium propter infirmitatem solvere, novitatem aliquam in observationem Quadragesimæ inducere voluisse, ut omnibus in eumdem ritum conspirantibus, nec ipsi jejunium quadraginta dierum implerent, nec tamen ab aliis discrepantes, singularitatis nota inurerentur. Hinc est quod dicit: *Qui jejunare non potest, non præsumat inducere novitatem; sed fateatur esse fragilitatis propriæ, quod relaxat.*

Ex hujusmodi igitur innovationibus oriri potuit falsa, quam concepit Socrates, de Quadragesima Romana, opinio. Ut enim Romanis **1085** paulo iniquiores erant Orientales, faciles calumniantibus aures præbebant, illudque pro Romanorum omnium consuetudine vinditantibus quod vel paucorum vel vicinorum erat indulgentia atque a communi lege declinatio.

XVI. Expenso textui Socratis succedit Cassiodori auctoritas, quæ eo potior ac validior videtur, quod ipse qui senator et consul et præfectus prætorio fuit in urbe Roma, Romanæ Ecclesiæ morem in observatione jejunii quadragesimalis ignorare non potuit. In Historia autem Tripartita Socratis locum mox a nobis discussum posuit his verbis: *Romani enim tres ante Pascha septimanas, præter sabbatum et Dominicam, sub continuatione jejunant.* Quis porro credat, inquiunt, illum in Historia sua hæc Socratis verba positurum fuisse, si rem se aliter habuisse scivisset? Certe Cassiodorus, si id falsum esse scisset, hæc Socratis verba consulto omisisset, ne lectorem in fraudem induceret. Quod cum non fecerit apparet vera esse quæ Socrates dixit de jejunio Romanorum. Hæc vir doctissimus.

Verum non ista persuadent. Quis enim nesciat hoc eis plerumque contingere qui compendiis scriptitandis student aut centonibus consuendis ex plurium scriptorum elucubrationibus, ut non minori cura errata exscribant quam quæ sunt veritati consentanea; quia videlicet non suam, sed aliorum sententiam repræsentare satagunt; nec alia corrigere curant, sed referre. Exemplo sit Sozomeni locus, quem in suam pariter Historiam Tripartitam transtulit Cassiodorus. Scribit ille lib. VII, cap. 19: *In urbe Roma nec episcopus, nec alius quisquam in Ecclesia populum docet.* Hoc falsum fuisse probabile est, ut alibi asserimus (*Vide dissert. 1 de Vita et reb. gest. S. Leonis ad an. Chr.* 440, *n.* 8 *et seqq.*), vel per id tempus in quod coincidit Sozomeni Historiæ finis. Sed si eam sub Leonis pontificatu concinnavit, ut verosimillimum est, de illius falsitate dubitari non potest. Jam vero sic inde arguo: Vel hoc scivit Cassiodorus, vel ignoravit. Si ignoravit, parum idoneus testis est Romanæ disciplinæ, nec magis audiendus cum de jejunio quam cum

de Romanorum pontificum silentio sermonem habet, A et proinde ineptus omnino, qui Socratem vel Sozomenum corrigeret; si vero non ignoravit contrariam consuetudinem Romæ Sozomeni et suis etiam temporibus viguisse, nec tamen emendavit Sozomenum, nec lectorem saltem monuit de contrario more per Leonem pontificem invecto, hinc certum habemus Cassiodori consilium fuisse, quæ apud Sozomenum vel Socratem legebat, intacta relinquere, excerptorisque tantummodo officio fungi, non emendatoris. Ad manum est alterum ex Sozomeno exemplum: capite enim 16 libri VII, agens de presbytero pœnitentibus præposito, qui episcopi vice confitentium delicta aure secreta excipiebat, remotusque tandem est ab hoc officio in Ecclesia Constantinopolitana, addit auctor iste: *Apud reliquas autem sectas hic mos etiamnum perseverat.* **1086** *Et in Occidentalibus Ecclesiis, ac præcipue in Ecclesia Romana, studiose observatur.* Falli Sozomenum, cum de omnibus Occidentalibus Ecclesiis, tum præsertim de Romana, con- B stanter affirmat H. Valesius in annotationibus, pluribusque probat, atque ex ipso Sozomeno ostendere nititur. Illa tamen nec omisit Cassiodorus, nec correxit; sed quod narratum reperit ab auctore suo, bona fide in centonem suum transcripsit lib. IX, cap. 35, ut planum sit certumque aliam ei non fuisse mentem quam *de singulis*, ut ipse loquitur in Præfatione, *dictatoribus deflorata colligere, et cum auctoris sui nomine in ordinem collocare.*

XVII. Ad Leonem tandem devenimus, cujus præcipue occasione de jejunio disserere in mentem venit. Hic, inquiunt, sermone 4 de Quadragesima, hanc clausulam sibi in jejuniorum indictione familiarem ita subjicit: *Secunda igitur et quarta et sexta feria jejunemus; sabbato autem apud beatum Petrum apostolum vigilias celebremus; qui commendati sibi gregis curam habere non desinens, custodiam nobis de suis precibus obtinebit.*

Torsit plurimum locus iste quotquot quadragesimalis jejunii materiam versarunt hactenus, quamque C parum feliciter in eo illustrando laboraverint, ex disserendis facile intelliget unusquisque.

Cardinalis Bellarminus existimavit *Leonem loqui de jejunio quatuor dierum, qui adduntur ante primam Dominicam Quadragesimæ, ut numerus quadragenarius compleatur* (*Tom.* III, *controv.* 3, *lib.* II, *cap.* 15); etsi non iidem qui olim. Hugo Mænardus Sacramentarium sancti Gregorii commentans istam Bellarmini explicationem merito rejicit, ostenditque quatuor illos dies Gregorii ipsius ætate in usu non fuisse, nedum Leonis temporibus. In eam autem it ipse sententiam, non plures revera dies Romæ tunc temporis jejunio fuisse consecratos, quam qui in eo sermone a B. Leone designantur. Subscribit Mænardo Dallæus, verbisque procacioribus doctissimum Bellarminum exagitat; sabbatum tamen tribus illis diebus ex solito per annum Romanorum more superaddendum existimat. Henricus Valesius, ne sabbati quidem jejunium per Quadragesimam Romæ tunc celebratum cen- D set, ac præter hunc Leonis locum probationem adducit nullam. Sic inter orthodoxos heterodoxosque medium Leonem nostrum hinc inde trahit in suam quisque sententiam, nec tamen quisquam capit aut explicat. Vera istius nodi solutio hæc est, Leonis non esse verba illa quæ objiciuntur, sed sermoni ejus superaddita, non fraudis faciendæ causa, sed aliqua occasione ac ratione, quas aperiemus, si prius probaverimus certo certius adjectitia esse quæ diximus.

XVIII. Non ea autem sola abjudicanda sunt Leoni, sed etiam pannus integer bene longus, cui illigata sunt in hunc modum. Post hæc genuina pontificis verba ad calcem sermonis posita: *Cui* (Deo) *ita demum sacrificium veræ abstinentiæ et veræ pietatis offerimus,* **1087** *si nos ab omni malitia continemus;* hæc alia subduntur in editis hactenus codicibus: *Cum inimicis autem crucis Christi nulla consensione jungamur, ne impiorum consortio sanctitas fidelium polluatur. Lux separetur a tenebris, et fugiant filios diaboli filii veritatis. In templum enim Domini, quod est Ecclesia Christi, nihil contaminatum inferri, nihil profanum oportet admitti: ut omni immunditia a penetralibus cordis exclusa, sanctificetur jejunium nostrum, et simus æternum sancti Spiritus habitaculum, qui nos a peccatorum sordibus emundatos et possidere dignetur semper et regere. Secunda igitur et quarta et sexta feria jejunemus; sabbato autem apud beatum Petrum apostolum vigilias celebremus, qui commendati sibi gregis curam habere non desinens, custodiam nobis de suis precibus obtinebit.*

Primum autem non satis cohærent extrema hujus panni verba cum hac clausula quæ sequitur, quæque vere Leonis est: *Auxiliante nobis per omnia Deo omnipotente*, etc., qua cum utitur Leo, miro eam artificio cæteris verbis inserit atque illigat. Hæc vero econtra, cum his optime connectitur, quæ pannum antecedebant hac ratione: *Si nos ab omni malitia contineamus; auxiliante nobis per omnia Deo omnipotente*, etc.

2° Quæ panno isti antea præmittebantur, in nostra vero editione sermoni finem imponunt, clarum est vere sermonis finem esse: *Cui ita* DEMUM *sacrificium*, etc., quibus alia si superaddidisset, videretur completum rursus instaurare sermonem.

3° Judæi magis designari videntur per hæc verba: *Cum inimicis crucis Christi*, etc., quam Manichæi, quos tamen solos in isto sermone exagitandos susceperat.

4° Aliter de utrisque agitur in sermone, aliter in panno. In illo enim de occultis hæreticis seu Manichæis disserit, quos ut deprehendere satagerent fideles, certis indiciis connotat, ab illorum errore caveri jubet, eosdemque prodi, si innotuerint, ut sacerdotum auctoritate a sanctorum societate pellerentur. In panno non de occultis hominibus, seu hæreticis, seu Judæis, rem habet, sed de his qui palam omnibus noti erant, nec hos prodendos monet, sed fugiendos.

5° Stylus Leonis nostri in hoc assumento desiderari videtur. Quale enim est illud: *Custodiam nobis de suis precibus obtinebit*, quod a nitore Leoninæ dictionis multum abhorret?

6° Cum duodecim sermones S. Leonis habeamus de jejunii quadragesimalis observantia dictos, nullus est, hoc unico excepto, qui hujusmodi annotationem feriarum vel secundæ, quartæ et sextæ, vel aliarum quarumvis umquam habuerit, vel nunc habeat. **1088** Porro si vel solæ nominatæ feriæ, vel aliæ quædam selectæ jejunio consecratæ fuissent, quis credat eas a Leone toties non fuisse indicendas, quoties ad plebem suam sermonem habuit? siquidem adeo religiose idipsum præstitit, cum de jejunio Quatuor Temporum verba fecit in sua Ecclesia. Si autem in aliis undecim sermonibus ab hujusmodi indictione abstinuit, nec in illo de quo quæstio versatur usus esse credendus est, ab eoque potius ablegunda est, tamquam adventitia, et ab ejus mente aliena.

XIX. 7° Si tres tantummodo dies quadragesimali jejunio addixisset Leo pontifex, ut suggerit istud additamentum, quam sibi ipse dissimilis ac contrarius fuisset! quippe qui toties quadraginta dierum jejunium nominat in suis Sermonibus. Serm. 3, cap. 2: *Ut* populus Christianus *ad paschale festum* QUADRAGINTA DIERUM SE CONTINENTIA *præpararet.* Serm. 5, cap. 3: *Saluberrime nos* QUADRAGINTA DIERUM JEJUNIO *præparemus.* Serm. 6, c. 2: *Apostolica institutio* QUADRAGINTA DIERUM JEJUNIIS *impleatur.* Serm. 7, cap. 1: QUADRAGINTA DIERUM JEJUNIUM, *quod festi paschalis est prævium.* Serm. 8, c. 4: *In istis* QUADRAGINTA DIERUM JEJUNIIS, etc. Serm. 10, c. 1: *Merito nos* QUADRAGINTA DIERUM JEJUNIO *præparari*, etc. Serm. 12, c. 1: JEJUNIUM *nos* QUADRAGINTA DIERUM... *exerceat.* Sed in hoc ipso serm. 4, quem discutimus, cap. 1, ita loquitur: *Magna divinæ institutionis salubritate provi-*

sumpsit ut QUADRAGINTA *nobis* DIERUM EXERCITATIO *mederetur*, IN QUIBUS *aliorum temporum culpas et pia opera redimerent, et* JEJUNIA CASTA *decoquerent. Ingressuri igitur, dilectissimi, dies mysticos et jejuniorum remediis consecratos*, etc. Quadraginta igitur dies ab initio Quadragesimæ usque ad Pascha numerabantur in Ecclesia Romana et jejunio consecrabantur, exceptis Dominicis; quarum exceptionem commemorare superfluum fuisset, quoniam et nemini ignota erat, et ab omnibus per totam Ecclesiam religiose servabatur. Sed et satis ipse declaraverat impiam Manichæorum consuetudinem suggillans, qui Dominicam diem suis jejuniis polluebant. Diem alium cum non excepit, a jejunio non exemit. Quoniam igitur tot jam argumentis infirmata clausula, certissimis hujus papæ testimoniis adversatur, merito potius eliminanda, quam ut *vir perspicuitatis in primis studiosus et in paucis disertus ac prudens*, qualis a Dallæo (*Lib. de Jejun. et Quadrages. p.* 535 *et* 546) depingitur Leo noster, contraria sibi ipse loqui judicetur.

B 8° Sed quid moras nectimus? Provocentur tandem adversarii ad antiquiores quosque ac melioris notæ (*a*) codices, quos penes arbitrium est et jus et norma de dubiis **1089** veterum scriptorum fetibus aut interpolationibus decernendi. Quinque igitur nobis suffragantur codices manuscripti vetustissimi probatissimique. Primus est e Regia Augusti nostri bibliotheca num. 541. Alter est illustrissimi D. Thuani num. 46. Tertius item Thuaneus num. 108, qui olim fuit S. Petri Fossatensis, scriptusque est anno Domini 1057. Quartus e Navarrica collegii Parisiensis bibliotheca. Quintus denique ex celebri et antiqua Corbeiensis monasterii bibliotheca Parisios advectus, servatur in celeberrimo S. Germani Parisiensis asceterio, scriptusque legitur ad calcem : *In illo anno quo rex Philippus filius Ludovici regis inunctus est.* In omnibus istis codicibus totus ille pannus, quem supra descripsimus, desideratur, ut merito insititius judicandus sit, atque ab hoc sermone removendus, sicuti revera removimus.

C XX. Sed qua occasione verba hæc inserta fuerint atque aptata, quoniam aperturos nos esse spopondimus, operæ pretium est inquirere. Norunt omnes in more fuisse, sive apud monachos, sive apud clericos officio ecclesiastico recitando aut cantando addictos, homilias sermonesque sanctorum Patrum suis usibus aptare et accommodare pro varietate officiorum occurrentium; illudque insuper sæpius ab iisdem usurpatum, ut hujusmodi sermonibus aliqua adderent quæ vel propriæ solemnitati convenirent, vel præsenti temporum necessitati. Sexcenta possent afferri exempla, si res probatione indigeret. Simile quid contigit huic sermoni 4 de Quadragesima. A quadragesimali jejunio ad aliud jejunium translatum est, quod alicubi a clericis vel monachis celebrabatur, atque ut pro more Leonis, et pro loci etiam consuetudine, feriarum quæ jejuniis istis deputatæ erant, solemnis inter officia fieret indictio, concinnata est hujusmodi clausula : *Secunda igitur et quarta et sexta feria jejunemus*, etc., quam bona fide transcripserunt ex libris lectionariis qui de sancti Leonis Sermonibus in

D A unum corpus colligendis, et publicæ luci dandis primi cogitaverunt.

Hoc ita esse non ægre fatebitur, qui Matisconensis I concilii canonem 9 in memoriam revocaverit. Hujus concilii Patres ex duodecim fere Galliarum provinciis congregati sunt **1090** anno Domini 581, ut Jacobo Sirmondo placet, vel potius 583, ut rectius visum est dictissimo Carolo le Cointe in Annalibus ecclesiasticis Francorum tom. I, ad hunc annum. Suam igitur sanctionem nonam sic efferunt : *Ut a feria sancti Martini usque ad Natale Domini secunda, quarta et sexta sabbati jejunetur, et sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus canones esse legendos speciali definitione sancimus, ut nullus se fateatur per ignorantiam deliquisse.* Quis non videat inde sumpta esse verba illa, in quibus explicandis tamdiu frustra sudatum est? Porro, cum ex tot provinciis adessent episcopi plurimique metropolitani, inque suas provincias probabile sit eos ritum istum advexisse a clericis observandum, inde est quod plurimi codices inventi sunt, in quibus sermo iste sancti Leonis hac clausula auctior legeretur. Hanc autem triduani jejunii legem a festo sancti Martini ad Natale Domini Matisconenses Patres crediderim esse mutuatos ab Ecclesia Turonensi. Testis est enim Gregorius Turonensis lib. X, cap. 31. Perpetuum hujus urbis episcopum, qui Leoni æqualis erat aut suppar, terna in septimana jejunia instituisse a Martini depositione usque ad Natale Domini.

XXI. Dubium restat de reliquis hujus panni verbis : *Cum inimicis autem crucis Christi nulla consensione jungamur*, etc. Quam ob causam enim hic assuta? Quæ ratio ut ea parte Leonis sermo excresceret? Longius non est arcessenda ratio. Ejusdem enim Matisconensis concilii canones 13, 14, 15 et 16, qui adversus Judæos conditi sunt, hæc adversus eosdem abjecta esse omnino persuadent. *Ut nullus Christianus*, inquit canon 15, *Judæorum conviviis participare præsumat. Quod si facere quicumque, quod nefas est dici, clericus aut sæcularis præsumpserit, ab omnium Christianorum consortio se noverit compescendum, quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.* Alios canones lector adeat, si volet. Judæorum scilicet copiosus erat tunc temporis numerus per provincias Gallicanas, ita ut Galliæ præsules sæpe sæpius in synodum coalescentes monuerint Christianam plebem, ut se ab illorum contagio ac societate abstineret. Crevit etiam eorum numerus circa annum 616, **1091** quo Hispaniarum rex Sisebutus Judæos omnes qui Christo nomen dare recusarunt, procul a Gothicis regionibus amandavit; quorum multi, teste Adone Viennensi, in Gallias sese receperunt. Eosdem regno pulsos regnante Dagoberto narrat Fredegarius. Cui rei cum rex edictis suis allaboraret, canonibus et adhortationibus suis episcopi, frequentioribus jejuniis episcoporum mandato indictis clerici et monachi, votis suis et precibus reliqui fideles egerunt procul dubio, ut juratos crucis Christi inimicos a fidelium societate removerent.

XXII. His ita explicatis, nullum restare dubium existimo circa Leonis locum; ex quo vel uno clarum

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Editionem Sermonum S. Leonis, quam P. Petrus Thomas Cacciarius Romæ vulgavit præcedenti anno 1753 accepimus. Ibi autem is in notatione ad serm. 4 de Quadragesima, pag. 112, quinque Vaticanis mss. 541, 544, 545, 546 et 547, expunctas a Quesnello lineolas vindicare nititur. Sed hi omnes, a nobis pariter inspecti, sunt codices trium recentiorum collectionum tertiæ, quartæ et quintæ; quibus sane præponenda haud dubie credidimus exemplaria duarum antiquiorum collectionum primæ et secundæ, ac præsertim Lectionaria duo basilicæ S. Petri, quæ Romana sunt, et quatuor alia, quæ memoravimus annot. 36 in eumdem sermonem tom. I, col. 162 (*Tom. præced., col.* 281, *n.* [a]). Ipse P. Cacciarius aliud Lectionarium vidit in cod. Vat. 1268, memoratis lineolis pariter carens. Lectionaria vero illa potissimum certe Romana, quanti præ collectionibus, maxime posterioribus, habenda sint, in præfatione Sermonibus præfixa pluribus declaravimus. Laudatus P. Cacciarius codicem Vat. Palatinum 432 memorat, in quo expunctæ lineæ leguntur exceptis postremis verbis : *Secunda igitur, et quarta, et sexta feria jejunemus*, etc., quæ in hoc panno maximam difficultatem facessunt. Sed unicum hoc Lectionarium Germanicum cæteris plerisque et potioribus, atque etiam Romanis, quæ totum hunc pannum omittunt, præferendum non est

A est quanti interest et sanctorum Patrum honoris, et ecclesiasticæ veritatis, ut ad antiquos codices mss. accurate emendentur ecclesiasticorum scriptorum monumenta. En quantos viros mendosus locus unicus exercuit, omnesque eorum frustratus est conatus! Scriptores partim catholici, partim hæretici id omne attulerunt in medium, quod in cordati viri mentem, non deprehensa loci interpolatione, venire poterat. Neutri tamen scopum attigerunt; neque tamen ob id sugillandi. Quamobrem cum heterodoxorum unus Joannes Dallæus insolentius insurgit in doctissimum cardinalem Bellarminum, ovantique ac triumphanti similis dictis conviciisque proscindit, quid aliud quam se et miserandum et ridendum omnibus objecit? Nodum enim istum non modo non solvit cæteris felicius, sed et mendoso loco in defensionem deploratæ causæ misere abusus est, triumphumque sc sibi ante victoriam cecinisse palam ostendit. Hoc hæreticis familiare. Corruptis enim plerumque sanctorum Patrum locis (si non ipsi corrumpunt) abuti solent adB versus doctrinam catholicam; sed elucescente tandem aliquando veritate, eadem loca in suæ doctrinæ patrocinium trahit Ecclesia. Enimvero cum certum modo sit nullum esse sancti Leonis sermonem inter quadragesimales, in quo certos indixerit jejunii dies per singulas Quadragesimæ hebdomadas rite obeundos, argumentum est omnes omnino hebdomadum quadragesimalium dies, excepta Dominica, in Ecclesia Romana fuisse jejunio consecratos. Alioquin Leo noster, *vir perspicuitatis imprimis studiosus, et in paucis disertus ac prudens*, hoc in maximo et sacratissimo jejunio non omisisset, quod in plerisque sermonibus de Quatuor Temporum jejuniis habitis tam religiose observavit; præsertim vero cum creberrima jejunii quadraginta dierum mentio idiotis saltem suspicionis ac dubii locum dare potuisset. Certe si liberum fuisset sancto Leoni ejusve prædecessoribus, qui post Manichæorum hæresim exortam Romæ sederunt, aliquos solummodo dies pro arbitrio deliC gere, quos solos quadragesimali jejunio explendo destinarent, numquam elegissent secundam feriam, ne videlicet ad hæreticorum istorum pessimam consuetudinem demittere se **1092** viderentur, qui secundam feriam in honorem lunæ jejunando sacrabant; quemadmodum fuse explicat hoc eodem sermone Leo noster; cum enim hujus feriæ jejunium nominatim commendasset plebi Christianæ, periculum fuisset ne hoc rudioribus veniret in mentem, Leonem videlicet vel malo animo damnare in Manichæis quod ipse suis indicebat, vel pessime suis commendare quod in Manichæis damnabat.

XXIII. Ut plena sit hæc de jejunio sabbati disputatio, superest quæstio de sabbato vigiliæ Pentecostes: utrum ea die jejunium indictum fuerit fidelibus in Ecclesia Romana, saltem Leonis nostri ætate. Affirmant nonnulli, novellam disciplinam magis ob oculos habentes quam veterem. Sed qui hanc vel a limine salutarit, non ambiget quin illud sabbatum a D jejunio liberum et immune fuerit, quamdiu apostolicas traditiones violare nefas fuit in Ecclesia.

Tertullianus lib. de Corona cap. 3: *Die Dominico*, inquit, *jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.* Sanctus Ambrosius relatus dist. 76, cap. 8: PER HOS QUINQUAGINTA DIES *nobis est jugis et continuata festivitas: ita ut hoc* OMNI TEMPORE *neque ad observandum inducamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus.* Et infra: *Instar ergo Dominicæ, tota* QUINQUAGINTA DIERUM *curricula celebrantur, et omnes isti dies velut Dominici deputantur; Resurrectio enim Dominica est.* Succinunt Hieronymus epistola ad Lucinium Bœticum et alibi, Augustinus epistolis ad Casulanum, ad Hieronymum, epist. 82, al. 19, § 14, etc., Epiphanius, Isidorus, aliique innumeri. Sed Leone nostro ejusque omnino coævis contenti simus.

Satis porro indicat in sermonibus de jejunio Pentecostes, Ecclesiam Romanam ante hanc festivitatem omnino non jejunasse. *Igitur*, inquit (*Serm.* 1, *cap.* 3), *post sanctæ dies lætitiæ, quos in honorem Domini a mortuis resurgentis ac deinde in cœlos ascendentis exegimus, postque perceptum sancti Spiritus donum salubriter et necessarie* (id est continuo) *consuetudo est ordinata jejunii.* Et serm. 2: *Manifestissime patet inter cætera Dei munera, jejuniorum quoque gratiam, quæ hodiernam festivitatem indivisa* SUBSEQUITUR, *tunc fuisse donatam.* Et serm. 4 de jejunio Pentec.: *Ad hanc ergo utilitatem nos, dilectissimi, præsens tempus invitat, ut a Resurrectione Domini usque ad Adventum Spiritus sancti quinquaginta diebus emensis, quos in lætitia præcipuæ festivitatis exegimus, ad jejuniorum remedia recurramus.* Idem in sermonibus de ipso festo Pentecostes; ex quibus luce meridiana clarius est vigiliam Pentecostes inter jejuniorum dies non fuisse tunc temporis numeratam.

Accedat ad Leonem Joannes Cassianus, qui ecclesiasticarum consuetudinum curiosus fuit indagator. Is collatione 21, cap. 11 et 19, introducit Germanum interrogantem **1093** cur totis Quinquagesimæ diebus jejunare esset prohibitum, cum utique Christus quadraginta tantum diebus post resurrectionem cum discipulis suis fuerit commoratus? Theonas, multis interpositis, respondet: *Hos quoque decem dies cum superioribus quadraginta pari solemnitate ac lætitia esse celebrandos; cujus festivitatis traditio per apostolicos viros ad nos*, inquit, *usque transmissa, eodem tenore servanda est. Ideo namque in istis diebus nec genua in oratione curvantur, quia inflexio genuum velut pœnitentiæ ac luctus indicium est. Unde etiam per omnia eamdem in illis solemnitatem quam die Dominica custodimus, in qua majores nostri nec jejunium agendum, nec genu esse flectendum, ob reverentiam resurrectionis Dominicæ tradiderunt.* Hoc non in sola Ecclesia Romana servabatur, sed per universam Ecclesiam, quousque institutis a Mamerto Viennensi episcopo Rogationum jejuniis, a pluribus longe lateque provinciis suscepta sunt, et ab ipsa Romana Ecclesia sub Leone III. Video quidem apud eumdem Cassianum referri cap. 11, Quinquagesimæ remissionem nequaquam tanta cautione servatam tunc fuisse in Syriæ monasteriis; sed de Ecclesiæ seu Romanæ seu universæ disciplina ex monasteriorum quorumdam institutis non est decernendum, quibus videlicet procul a populorum frequentia viventibus plurimum indultum est ob pœnitentiæ reverentiam, sicut testatur Isidorus libro de Officiis Ecclesiasticis, cap. 42: *Post Pascha usque ad Pentecosten licet traditio Ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandiis relaxaverit, tamen si qui monachorum vel clericorum jejunare cupiunt, non sunt prohibendi; quia Antonius, et Paulus, et cæteri* **1094** *Patres antiqui etiam his diebus in eremo leguntur abstinuisse, neque solvisse abstinentiam, nisi tantum die Dominico.* Ad hunc fere sensum Hieronymus epistola ad Lucinium Bœticum: *Utinam*, inquit, *omni tempore jejunare possimus, quod in Actibus apostolorum diebus Pentecostes et die Dominico apostolum Paulum, et cum eo credentes fecisse legimus*, etc.

Sed etsi aliquot jejuniis intertextam subinde paschalem Quinquagesimam videamus, in vigilia tamen Pentecostes haud scio an (*a*) ante undecimum sæcu-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Jejunium vigiliæ Pentecostes in Romana Ecclesia multo antiquiorem originem habet. Id exploratum fit ex Sacramentario initio hujus tomi edito, quod sub Felice III vel serius initio Pontificatus Gelasii compactum ostendimus in præfatione num. 10. Ibi enim Missa legitur *Pridie Pentecosten*, in qua jejunii ejus diei expressa fit mentio. Exstat etiam similis mentio in Sacramentario Gelasiano, lib. I, n. 77, oratione prima.

tum jejunatum sit. Salegunstadiense enim concilium, quod anno 1022 celebratum est, edicit cap. 2, ut si jejunium Quatuor Temporum Junii in vigiliam Pentecostes inciderit, non ibi celebretur, sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes. Quamobrem quod aliqui objiciunt ex sermone sancti Ambrosii relato distinct. 76, cap. 11 : *Non minore lætitia celebramus diem Pentecostes, quam sanctum Pascha curavimus. Tunc enim, sicut modo fecimus, jejunavimus sabbato*, etc. ; hoc, inquam, non potest esse Ambrosii, tum quia concilium mox citatum testatur aliter fuisse A observatum, tum quia contrarium habetur in ipso Ambrosio, qui, ut supra vidimus, ab illis quinquaginta diebus omnia omnino repellit jejunia, jugem et continuatam esse scribit festivitatem per hos quinquaginta dies, omnes denique istos dies velut Dominicos deputari, et esse instar Dominicæ. Certum ergo maneat absolutum a jejunio fuisse hoc sabbatum in Ecclesia Romana tempore et circa tempora sanctissimi nostri Leonis. Et hæc de omnium sabbatorum jejuniis apud Romanos modo sufficiant.

DISSERTATIO SEPTIMA,

DE CAUSA EUTYCHIS ARCHIMANDRITÆ CONSTANTINOPOLITANI A FLAVIANO EPISCOPO CP. IN SYNODO DAMNATI

Ad epistolas S. Leonis papæ 20 (nunc 23) ad Flavianum eumdem, et 21 (nunc 24) ad Theodosium Augustum.

1095 I. Plura sunt quæ a nonnullis passim assumi solent ex his epistolis, ut jus appellandi ad sedem Romanam ex omnibus orbis Christiani regionibus imprimisque ex Orientalibus, ab illarum partium episcopis ultro esse delatum etiam primis Ecclesiæ sæculis persuadeant. Apostolicæ primæque omnium sedi suam hanc tam excellentem prærogativam absit ut ego invideam, cujus potius auctoritatem eminentiamque sacrosanctis firmatam canonibus toto animo tueri ac propugnare velim. Verum ut immota et inconcussa manent vera fundamenta quibus apostolici primatus moles incumbit, sic per se ruere necesse est infirma illa et fucata argumenta quibus præpostero quorumdam studio fulciri solet; quorum inanitatem quisquis retegere sataget, is profecto non minimam a sede apostolica gratiam inierit. Nobis vero, quibus pro suscepto onere intactum dimittere nefas est quidquam eorum quæ apud Leonem nostrum luce indigent, necesse fuit aliqua circa ementitam Eutychis appellationem annotare, sic tamen ut brevitati studentes, quæ jam ab aliis occupata sunt, prætermittamus.

Hoc igitur censeo nihil ex utraque hac Leonis epistola haberi quo valide comprobetur (*a*) Romanum pontificem seorsim ac separatim ab aliis patriarchis majorumque diœceseon episcopis ab Eutyche fuisse appellatum. Id certum esse mihi videtur ex actis illius Constantinopolitani triginta episcoporum conventus, qui imperatoris jussu congregatus est ad relegenda recensendaque acta concilii Constantinopolitani, in quo præside et agente Flaviano Eutyches damnatus fuerat. Immo id patet ex ipsis Constantini monachi verbis, quem hæreticus ille suo nomine responsurum legarat ad illum conventum, in quo scilicet iste professus est, non apostolicam solummodo sedem 1096 ab Eutyche appellatam fuisse, sed synodos Romanam, Alexandrinam, Jerosolymitanam et Thessalonicensem. Non quidem palam et publice hoc egit Eutyches, sed secreto et clanculum in aurem patricii Florentii insusurravit post latam sententiam et solutam synodum. Unde veritas elucescit verborum Flaviani, quibus Leoni de posthabita Eutychis ad sedem apostolicam appellatione conquerenti ita respondit : *Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque calliditate, dicens judicii tempore libellos se dedisse appellationis et nobis et hic convenienti sancto concilio, et appellasse vestram sanctitatem. Hoc nequaquam ab eo factum est, sed etiam et in hac parte mentitus est : tamquam per fallaciam mendacii subrepere se sanctis vestris auribus putans* (*Epist. Flaviani c.* 3, *tom.* I, *pag.* 473).

B Hæc autem sunt verba Constantini monachi in illo conventu loquentis, cujus acta actione 1 Chalcedonensis relecta referuntur circa finem (*b*) : *Constantinus diaconus dixit : Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit sanctum concilium sanctissimi episcopi Romani, et Alexandrini, et Jerosolymitani, et Thessalonicensis, et hæc in Gestis non sunt inserta.*

Contra tam patens apertumque testimonium quid referri posset numquam divinassem. Sed ecce nuperus scriptor, qui adversus illustrissimum Petrum de Marca, immo adversus sacratissima episcoporum jura calamum acerbissime strinxit, opportune suggerit nobis quam facile exsufflari queat. Debile, inquit, Constantini monachi, hominis hæretici testimonium, multis difficultatibus obnoxium, cui Florentius ipse patricius contradicit, immo quod et ipsi Patres concilii Constantinopolitani reprobaverunt, pluris non debet fieri apertissima assertione sanctissimi papæ Leonis, strenuique Christi martyris Flaviani, C qui tam claris disertisque verbis ad solum Leonem appellatum ab Eutyche fuisse affirmant.

II. Hoc responsum æqua nobis lance per partes 1097 pensitandum est. Ac primum quod hæresis nomine fidem derogari vult Constantino monacho : quæro an major Eutychi hæresiarchæ habenda sit; cujus tamen testimonium ultro suscipit David? Deinde si hæretico hac in parte fides deneganda sit, erit et in altera : nec enim æquitatis ratio sinit, ut veracitati ejus detrahatur, cum de Alexandrina, Jerosolymitana et Thessalonicensi sedibus loquitur, applaudatur autem cum de Romana; nisi aliunde hujus ultimæ partis veritas, priorisque falsitas astruatur; quod nullatenus fieri posse infra docebimus. Addo quod etsi archimandritæ sui partes egerit Constantinus, non tamen eam ob rem hæreticæ notæ infamia inurendus est. Id enim his præsertim initiis, partim ex ignorantia sensus hæretici, partim ex humano affectu contingere potuit, quem postea deposuerit ut sententiæ episcoporum obtemperaret. Et hoc non esse a D vero absimile facit, quod cum Caresum et Dorotheum Monachos Eutychis asseclas, pariter cum suo magistro feriri sententia damnationis videamus in Chalcedonensi concilio, nihil tale de Constantino monacho legimus : quod argumento est Eutychi eum non adhæsisse, nisi quamdiu versutia ejus nondum satis perspecta, catholicus saltem ab imperitis ac simplicibus monachis haberi potuit.

2. Quidquid sit de fide hujus monachi, rem excutiamus. Sciendum imprimis Constantinum concilio Flaviani in causa Eutychis congregato non interfuisse, nisi ad momentum, cum, scilicet actione 4, Abraha-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide observationes subjiciendas num. 9.

(*b*) Κωνσταντῖνος ὁ εὐλαβέστατος διάκονος εἶπεν· Ἀναγινωσκομένης τῆς καθαιρέσεως, (Εὐτυχὴς) ἐπεκαλέσατο τὴν ἁγίαν σύνοδον τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Ῥώμης, καὶ Ἀλεξανδρείας, καὶ Ἱεροσολύμων σύνοδον, καὶ Θεσσαλονίκης. καὶ ταῦτα οὐ κεῖται ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν.

mum archimandritam ad synodum ab Eutyche vice A sua delegatum comitatus est una cum duobus aliis diaconis monasterii Eutychis, Eleusino et Constantio, qui rursus in conventu CP. sequentis anni pro recensione Actorum hujus concilii habito a xxx fere episcopis, pro persona Eutychis adfuerunt. Post hanc actionem, quæ in interrogandis audiendisque dictis legatis consumpta est, Constantinus nusquam apparet, nec de eo mentio in hac synodo, nisi act. 5 sequenti, in qua Martinus archimandrita refertur dixisse, Petro presbytero ad ejus monasterium misso, directam ad se fuisse chartulam præterita sexta feria per quemdam Constantinum diaconum, a quo ut subscriberet sollicitatus frustra fuerat. Cum ergo non adfuerit synodo, nec damnationi Eutychis Constantinus, quidquid in posteriore conventu de quo agitur locutus est, non a seipso locutus est, sed ex Actis synodi sibi ab Eutyche traditis legens recitavit. Hoc enim consilio convocati sunt episcopi apud Thalassium episcopum Cæsareæ Cappadociæ, ut Actorum synodi CP. veritas et integritas probaretur : quibus nonnulla B contraria his quæ acta fuerant, **1098** inserta fuisse conquerebatur Eutyches, ut preces ejus Theodosio imperatori oblatæ testantur, nec non et series hujus actionis. Cum igitur diaconi et notarii Ecclesiæ Constantinopolitanæ monimenta sua, quibus dicti concilii Acta excepta fuerant, protulissent, patricius Florentius dixit : *Dum singula capitula releguntur, quid in his reprehensibile censet pars reverendi monachi, prosequatur : et scripta, quæ penes se habet pars prædicti reverendi monachi, prolata, cum lectione Gestorum authenticorum conferantur. Et cum utraque pars obtulisset monimenta*, etc. (*Act.* I *conc. Chalced. post Acta concilii CP. sub Flaviano*).

Non ergo hic tam Constantini recitantis fides postulatur quam ipsius Eutychis, a quo commentaria synodi acceperat, ad quorum fidem Gesta concilii examinabat. Porro si mentitus est Eutyches dum ait appellatum a se fuisse concilium episcoporum Romani, Alexandrini, Jerosolymitani et Thessalonicen- C sis, æque imposuisse putandus est cum scripsit ad S. Leonem, (*a*) libellum se appellationis Flaviano dedisse, quo ad ipsum Romanum pontificem provocabat. Et revera mentitum eum fuisse asserit Flavianus tam in epistolis ad S. Leonem quam in hoc ipso conventu; asseruit patricius Florentius; asseruere denique Julianus, Seleucus, et cæteri episcopi, quotquot huic actioni interfuerunt. Rem ergo totam unico dilemmate conficio : vel mentitus est Eutyches, vel non est mentitus, cum asseruit se appellasse. Si mentitus non est, mentiti sunt omnes triginta episcopi hujus Constantinopolitani conventus; mentitus est imprimis Flavianus, nec non et Florentius; fatendum præterea Acta concilii CP. fuisse adulterata, cum appellationis quam interjectam a se dixit Eutyches, mentionem non faciant. Si vero mentitus est, neminem appellavit, adeoque non magis Romanum episcopum quam Alexandrinum, Jerosolymitanum, et Thessalonicensem; nullum enim inter illos discri- D men positum est in Actis sive a Florentio, sive a Flaviano, sive a notariis, sive ab aliis. Et quidem utrobique Eutychen mendacii reum fuisse credo, sive cum apud Leonem de appellatione ad ipsum interjecta, sive cum apud Orientales de eorum concilio provocato verba fecit; *tamquam*, ut loquitur Flavianus, *per fallaciam mendacii subrepere se sanctis auribus putans* (*Ep.* I *Flaviani ad S. Leonem cap.* 3).

III. Miror autem scriptorem quem excutimus, ita causæ suæ oblitum, ut verba episcoporum quibus nullam a se appellationis vocem auditam esse inter judicandum contestantur, pro se adduxerit, suo se ipse jugulans gladio. *Dum esset concilium et interrogatio proveniret*, inquit Seleucus episcopus, *nihil tale cognovimus dictum ab archimandrita* **1099** *Eutyche de appellatione. A reverendissimis episcopis dictum est : Et nos eadem confitemur* (*Act. CP. post. deposit. Eutych.*). Certe si vel ad unum antistitem Romanum appellatum fuisset audientibus episcopis, id isti cognovissent dictum, quod a se auditum pernegant; nec omnino reprobanda fuisset querimonia Constantini monachi de omissa in Actis synodalibus appellationis mentione expostulantis. Immo querelæ suæ astipulatorem habuisset Julianum Coensem episcopum, qui tam synodo quam posteriori conventui aderat. Erat hic sedis apostolicæ, apud quam nutritus fuerat, ipso Leone teste (*Ep.* 86, *nunc* 113, *c.* 2), religiosissimus cultor : *quæ eidem postea catholicam contra Nestorianos et Eutychianos hæreticos actionem materno jure commendavit*. Pontificis Romani vices obiit in Orientalibus regionibus per totam illam tempestatem, eidemque de damnato Eutyche statim post concilium Constantinapolitanum scripsit. Si ergo appellasset Eutyches Romanam sedem, pro jure hujus sedis procul dubio decertasset Julianus, et postulanti simpliciter Patricio, ut episcopi dicerent : *Si cognovissent appellantem virum religiosum monachum;* respondisset Julianus, Eutychen a se auditum, dum appellaret Romanum antistitem : quod tam longe abfuit ut diceret, quin potius primus omnium ac præ omnibus constanter asseverat, se nihil tale audivisse: *Coram Deo dico : nihil tale ab Eutyche monacho audivi in consessu*. Cum autem duorum tantum episcoporum ad hanc interrogationem respondentium verba Actis inserta habeamus, non sine peculiari numine hoc nobis Juliani præcipue testimonium ab oblivione vindicatum esse existimo, ut nimirum sinceri apostolicæ sedis discipuli voce ac judicio, certa rerum illic actarum notitia haberetur.

Etsi autem falsum sit Eutychen appellasse, dum legeretur damnatio, veri tamen aliquid ex ejus mendacio elicimus. Dum enim suggerit Constantino monacho verba, quæ appellationis suæ formulam continerent, non alia suggessisse credendus est vir sagacissimus, quam quibus appellatio concipi solita erat. Nimis enim putidum est mendacium, quod veritatis specie non adumbratur : ac proinde discimus non eam fuisse ad ea usque tempora consuetudinem Orientalium, ut ad unicum ex episcopis appellarent, sed ad eos omnes qui judicii, a quo provocabatur, participes non fuerant, nec (*b*) ad solum pontificis Romani concilium, quod totius Occidentis erat, sed et ad synodum aliorum patriarcharum, qui in causa suspecti non erant. Et revera eodem tempore quo scribebat Eutyches ad S. Leonem, se eum appellasse, scripsit etiam ad Dioscorum Alexandrinum, ut concilium œcumenicum convocaret, quo Flaviani judicium discuteretur, ut docet nos Liberatus cap. 12, ubi tamen corrigendus, cum ait, **1100** de ejusmodi concilio Eutychen non cogitasse, nisi absoluto conventu Constantinopolitano, in quo synodi Flaviani Acta relecta sunt : infra enim ex hujus conventus Actis ostendemus, jam tunc indictum fuisse Ephesinum concilium. Inde igitur perspicuum est Eutychen dum appellavit ad sedem apostolicam, vel non ejus solum pulsasse tribunal per ejusmodi appellationem, sed totius synodi œcumenicæ, cui saltem per legatos papa interesset; vel timuisse omnium Orientalium offensionem incurrere, si solius pontificis Romani judicio causam suam præter solitum morem discutiendam subjiceret.

Alterum quoque verum est, videlicet Eutychen appellationis verba pronuntiasse, non publice coram concilii Patribus, sive dum causa instrueretur, sive

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Etsi Eutyches mentitus est, cum appellationis libellum abs se oblatum in judicio, nec a Flaviano susceptum tradidit, appellationis tamen ementitæ libellum ad Leonem vere misisse ostendemus in observationum num. 3 et seqq.

(*b*) Hæc refelluntur in observ. n. 5 et seqq. ac præsertim n. 9.

dum pronuntiaretur damnationis sententia; sed *silenter*, ut ait Florentius, et dissoluto jam conventu. A Quod falsi arguere non licet, cum Flavianus ultro fateatur, non quidem se audivisse id ab Eutyche, *sed a viro magnificentissimo Patricio*, *ascendente me*, inquit Flavianus, *in superiora domus post solutam synodum*.

Verum est denique aliquam mentionem factam fuisse ab Eutyche Romani et Alexandrini episcoporum, dum causæ examini incumberetur a Patribus; non tamen ut ad eos provocaret, sed ut eum, quem præscriberent, loquendi modum amplecteretur. Basilius enim episcopus auditis episcoporum, quos Constantinus et Patricius recensebant, nominibus, jam meminisse cœpit, quod e memoria fuerat elapsum : *Jam in veritate*, inquit, *dico, adhuc ipso conventu sedente, et proponente hoc sancta synodo, ut diceret iste duas naturas inseparabiles et inconfusas in uno Domino, idque post adunationem; scio quid dixit religiosus archimandrita Eutyches: Si præceperint mihi* B *Patres Romanus et Alexandrinus, dico hoc ipsum. Hoc autem non quasi appellans dixit; sed dicens : Non sum ausus dicere propter Patres.* Atque ex his verbis, quorum aliqua aliquibus, alia aliis partim una vice effuderat, partim altera, nunc publice, nunc silenter, aliquando quasi appellans, aliquando tantum ut suam explicans mentem; audaciam sumpsit Eutyches imponendi tam S. Leoni per litteras, quam Patribus Orientalibus in conventu Constantinopolitano per Constantinum; inde appellationem mentitus est. Speravit enim se facile id persuasurum, cujus memoria, mensibus sex jam a soluto concilio elapsis, sic obliterata fuerat, ut tamen nonnulla incerta et dubia vestigia in aliquorum mente superessent. Eadem etiam fallacia libellum quemdam, quem obtulerat Patribus synodi, quemque suscipere synodus noluerat, appellationis libellum dixit, cum scripsit ad S. Leonem; fidei autem libellum hunc dixit per **1101** Eleusinium diaconum in conventu Constantinopolitano, ut conquesti sunt ibidem episcopi. C

Hinc patet quam contra Joannem Davidem militent ipsa argumenta quæ pro se congessit contra illustrissimum Petrum de Marca. Cujus tamen unum est verbulum quod a novelli hujus auctoris censura omni ex parte vindicare non possum; ubi scilicet eam ob causam dicit, in appellationis mentione omissum esse ab Eutyche Domnum Antiochenum episcopum, quia sententiæ Flaviani subscripserat. Cum enim illud appellationis commentum in aurem Florentii insusurravit Eutyches, nondum quid de eo actum fuisset in synodo rescire potuerat Domnus Antiochenus. Non est tamen quod tantopere sibi applaudat scriptor ille. In hujus enim rationis Petri Marcæ locum alias easque multiplices ac genuinas substituemus, quarum vim si excusserit, erit mihi magnus Apollo.

Prius autem notandum est hanc omissionem Domni non casu fortuito, sed ex præmeditato consilio factam fuisse : quod inde patet, quod nusquam in Eutychis verbis locum habuit, sive cum a Constantino Monacho referuntur, sive cum a Patricio Florentio, D sive cum hæc alia in ipso conventu dicta recenset Basilius episcopus : *Si præceperint mihi Patres Romanus et Alexandrinus*, etc. Licet enim alios episcopos alii omiserint; Basilius quippe utrumque tantum patriarcham Romanum et Alexandrinum nominat; Patricius præterea Jerosolymitanum; Constantinus addit et Thessalonicensem : at omnes ad prætermittendum Domnum Antiochenum conspirant : quod sine ratione nemo dixerit contigisse.

Eam porro nobis aperiunt Facundus Hermianensis episcopus, et Liberatus diaconus, immo et Acta concilii Ephesini. Nemo est enim qui Nestorianæ hæresis historiam vel primoribus labris attigerit, quem lateat quam graves inimicitiæ olim exarserint inter Joannem Antiochenum et Cyrillum Alexandrinum episcopos, occasione Nestorii Constantinopolitani, quem hic ut catholicæ doctrinæ impium adulteratorem insectabatur; ille contra ut propugnatorem fidei defendebat. Quæ simultates eo usque processerunt, ut Joannes Cyrillum, Cyrillus Joannem in suo quisque concilio anathemate feriret; inter quos licet redintegrata sit amicitia, iteratis tamen inter utrumque postea, occasione Diodori Tarsensis et Theodori Mopsuesteni, velitationibus, antiqua simultas recruduit : et hæc prima ratio est cur Domnus Eutychen infensum habuit, quia videlicet hic Alexandrini episcopi partibus semper faverat, et tam Nestorio quam iis omnibus quos Nestoriana labe infectos putabat, bellum indixerat. Domnus enim Joannis **1102** Antiocheni, qui Diodori et Theodori, immo et Nestorii patrocinium susceperat, erat ex sorore nepos; erat tum Theodorito Cyri, tum Proclo et Flaviano Constantinopolitanis episcopis et studiis et partibus conjunctus, adversus quos jam et Dioscorus Alexandrinus et Eutyches conspiraverant. Unde ille adversus Theodoritum sæpe calumnias struxit, Antiochenæ Ecclesiæ jura invadere conatus, et Constantinopolitanam sedem deprimere. Eutyches vero eos apud sedem apostolicam de Nestoriana hæresi litteris suis infamavit : dubium enim non est quin eos designet illa Eutychis epistola, quam Leonis rescriptum etiam nunc superstes subsecutum est.

2. Ratio cur Eutyches Domno infensus ejus concilium cum aliis non interpellavit, ea est quod is olim adversus Cyrilli capitula scripserat. Quam ob causam postea in Ephesino latrocinio, etsi per omnia Dioscori perfidiæ obtemperasset, ab eodem tamen depositus est. *Datis in medio*, inquit Liberatus (*Breviar. cap.* 12) *ejus epistolis, quas ad ipsum Dioscorum Antiochenus Domnus contra duodecim Cyrilli capitula scripserat, eo quod essent obscura*, etc.

3. Dissidii occasionem dedit Ibæ Edesseni episcopi causa. Hic partibus Nestorii saltem initio adhæserat, scripserat etiam contra Cyrillum Alexandrinum, Domnique patriarchæ sui erat studiosissimus. Apud quem cum accusatus fuisset, damnatis ejus accusatoribus, indemnatus ipse recessit, cum probata nimirum fuisset ejus innocentia. Quæ res episcopi Alexandrini ejusque partium fautores, quos inter Eutyches, vehementius commovit adversus Domnum, adeoque Eutychi satis persuasit nihil sibi ab eo patrocinii exspectandum esse adversus Flavianum, si ab hujus sententia ad illum appellasset : præsertim cum Ibæ calumniatores Eutychis consilio et impulsu ad hanc accusationem fuissent adducti; quod testatur ipse Ibas act. 9 concil. Chalcedonensis : *Uranius*, inquit, *episcopus Himerorum, in gratiam Eutychis omnia agens, præparavit ut quidam clerici accusarent me*, etc.; et act. 10 : *Eutyches adversum me pro fide quædam falsa confinxit, nec me in synodum introire permisit*, etc.

4. Probe noverat Eutyches quam alte insideret Dioscori animo facta olim (*a*) Domni cum Proclo conspiratio pro servando tertio canone Constantinopolitano defendendisque hujus regiæ sedis privilegiis, quibus jamdudum inhiabat Dioscorus : ac proinde pessime res suas egisset, si cum Dioscoro, cujus tribunal appellabat, appellasset et Domnum, qui infensissimum sibi habebat Dioscorum. Minuisset enim Dioscori in concilio potentiam, in qua maxime spem suam fiduciamque ponebat Eutyches.

1103 5. Cum Antiochenus antistes Constantinopolitanæ sedis prærogativæ communibusque juribus semper favisset, merito timebat Eutyches ne apud eum causa caderet, qui illum in synodo rite accusatum, convictum et damnatum, a proprii episcopi sententia sine ulla ratione appellasse cognovisset.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæc Domni conspiratio pro servando tertio canone Constantinopolitano, et dissidium ejus hac de causa susceptum cum Dioscoro gratis asseruntur.

6. Sed, quod pessime omnium Eutychen habuit, quodque novellum auctorem latere non debuerat, illud est, quod narrante Facundo Hermianensi episcopo didicimus : scilicet quod Domnus Antiochenus antistes primus omnium Eutychen infandam hæresim jam parturientem oppugnaverat. *Venerabilis Domnus Antiochenus*, inquit Facundus (*Lib.* XII, *cap. ult.*), *sui decessoris Joannis aliorumque præcedentium collegarum sententiam tenens*, *Eutychi Apollinaris hæresiarchæ impietatem renovare tentanti, et ob hoc Diodorum atque Theodorum anathematizare præsumenti*, PRIMUS *restitit*, *ad imperatorem Theodosium scribens*. Scripsit autem Domnus, non suo tantum, sed et totius synodi Orientalis nomine, quæ proinde præiverat Flaviani judicio et concilio Constantinopolitano. Hanc synodicam vel totam, vel magna ex parte retulit idem Facundus, lib. VIII, cap. 5, quam hic quoque exscribendam putavimus : quoniam et apud unum Facundum, cujus jam rara exemplaria, reperitur, et omissa est etiam in postrema Conciliorum editione; ubi nihil de synodo Antiochena, ex qua missa est synodica. Plurimum etiam illustrat historiam Eutychianæ hæresis, cujus damnationi a Flaviano in synodo Constantinopolitana, et postmodum ab œcumenica decretæ prælusit. Denique Domni ipsius causæ, quam in dissertatione nona acturi sumus, lucem non modicam allatura est.

VI. *Nunc igitur*, inquit Facundus (*Lib.* VIII, *c.* 5), *Domni quoque Antiocheni synodicam* (*a*) *memoremus epistolam, qui sicut ejus decessor Joannes, et ipse imperatori Theodosio scribens* : « Vestram, *inquit*, docere cogimur pietatem, quoniam Apollinaris hæresiarchæ impietatem Eutyches presbyter renovare pertentat, et apostolicas labefactare doctrinas, mysterii incarnationis dogma **1104** corrumpens, et divinitatem Unigeniti et humanitatem unam naturam vocans, commixtionemque et confusionem asserens factam, et salutarem passionem ipsi incontaminabili Deitati annectens, et hos qui columnæ veritatis et propugnatores pietatis fuerunt, et adversus omnem hæresim clare virtutem exercuerunt, Diodorum et Theodorum anathematizare præsumit, et in hoc Apollinaris similis vanitati. Ille etenim linguam adversus magnum Diodorum movit, quoniam eum agentem impie objurgavit. Clarum autem et hoc affinitatis dogmatum signum est : qui enim magnum pietatis certatorem Diodorum cum Apollinario verbis blasphemis impetit, e contrario semetipsum ostendit similitudinem vanitatis illius amplectentem. Iste autem magnus Diodorus testem quidem pietatis habet, clarorumque certaminum magnum illum Basilium. In illo enim claruit tempore quo Arii impietatis patroni, tunc imperatorum animas irretientes adversus veritatem illorum movere potentiam. Habuit autem iste in Antiochia certaminum cursus adversus hæreticorum austeritatem decertans. Dei autem homo sanctus Meletius, a quo appellationem habent apud nos apostolicorum custodes dogmatum (Meletianos enim nos vocant Arii sectatores) sacratissimum Diodorum gubernatorem Ciliciæ universæ præposuit, et Tarseorum ei regimen commisit. Iste in Regia civitate cum Gregorio, et reliquis, qui ejus erant studii, ter beatum Nectarium archiepiscopum ordinavit. Iste Joannis magni doctor, qui sedem Regiæ civitatis ornavit, et universum mundum doctrina complevit. Iste divulgatissimum illum Theodorum iis dogmatibus enutrivit, et clare atque fortiter edocens laborare, hæreticorum catervis eum immisit. Et sacratissimus quidem Diodorus cum Athanasio magno, et Petro, et Timotheo conflorult, Theodorus autem cum Theophilo, viris vice luminarium orbem illustrantibus, et qui sedem Alexandriæ ornaverunt. Sed laudatores quidem horum illi in omni vita fuerunt; accusare autem eos nullus alicubi præsumpsit evidenter. » *Hactenus Domni Synodica*.

VII. Jam nemini puto ambiguum esse cur Domni nomen in fictitio appellationis libello fuerit ab Eutyche prætermissum. Cur autem Thessalonicensis, qui omittendus potius videbatur, insertus fuerit, alia difficultas est, non tanti facienda, ut longa dissertatione indigeat. Etsi enim diœcesis Illyrici Orientalis, cujus caput erat Thessalonicensis episcopus, ab Occidentali patriarcha penderet, quia tamen *recisa* erat ab Occidentali **1105** imperio per ea tempora, par erat specialiter ejus mentionem fieri, cujus scilicet (*b*) episcopi Occidentalis patriarchæ *concilio se sistere non solebant*, nec poterant sine Orientalis imperatoris edicto. Et præterea tam ampla erat isthæc diœcesis, totque prærogativis decorata, ut promiscue cum cæteris confundi non debuerit. Quæ ante divisionem Illyrici privilegia habuit omitto enarrare. Sed regebatur tunc a suo peculiari præfecto prætorio, consessus honorem præ cæteris obtinebat in conciliis, ut patet ex Ephesino, ubi post Jerosolymitanum et Ephesinum episcopos, et ex Chalcedonensi, ubi post patriarchas locum suum habuit. Addo Illyricianorum episcoporum suffragium tanti momenti fuisse in Chalcedonensi concilio, ut cum de uno et altero epistolæ S. Leonis loco dubitarent, peterentque inducias a Patribus, ut tranquilla mente et non turbato animo eam cum Cyrilli aliorumque Patrum scriptis conferrent, eas impetrarint, totumque concilium, quod subscribendæ mox Leonis epistolæ sese accingebat, dilata in aliud tempus subscriptione suspensum tenuerint. *Differatur audientia*, aiunt judices, *usque ad quinque dies*, *ut intra hos conveniat sanctitas vestra ad sanctissimum archiepiscopum Anatolium, et communiter de fide tractetis* : *ut* qui *dubitant*, *doceantur* (*Part.* II, *act.* 2); nec subscripserunt tamen, nisi post septem dies, act. scilicet 4, quæ XVI kal. Novembris habita est. In qua id non tam ab aliis modo egerunt, sed peculiari : formulam enim prolixiorem consensionis suæ, quam inter se concinnaverant, ex charta dictaverunt, significantes sibi satisfactum esse circa ea loca quæ ex linguæ ignorantia satis intelligere non potuerant. Quibus expletis, omnes Illyriciani episcopi dixerunt : *Omnes de Illyrico eamdem vocem dedimus, cui omnes consentimus.* Vides, Joannes David, etsi Romanæ sedis jurisdictioni subessent Illyriciani episcopi, suis tamen juribus tunc usos esse (*c*), cum Leonis patriarchæ sui epistolæ, non nisi remotis, quas patiebantur, difficultatibus, consensum præbuerint.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) De hac synodica vide annot. 3 (*Col.* 219, *n.* b) in primam dissert. Quesnelli ad an. 418.

(*b*) Atticus Nicopolitanus veteris Epiri metropolita, qui inter Illyrici Orientalis episcopos profecto fuit, sub Leone nostro Romam accessit ex ipsius pontificis epist. 14, c. 1, et multo etiam post Bonifacio II papa Theodosius Echiniensis episcopus Stephani Larissæni sui metropolitæ et aliorum trium Thessaliæ episcoporum nomine ad Romanam synodum venit an. 531, ut contra Constantinopolitanum antistitem ageret; ac in eadem synodo interfuit etiam Abundantius Demetriadæ civitatis episcopus, qui ad Illyricum Orientale pariter pertinebat : nec tamen edicto imperatoris Orientis opus fuit. Vide tom. VI Concil. Ven. edit. col. 835, 839 et 842.

(*c*) Cum in Chalcedonensi concilio Illyriciani et Palæstini de quibusdam locis Leoninæ epistolæ ambigerent, utrisque induciæ datæ fuerunt eo fine, *ut qui dubitant*, inquiunt concilii Patres t. IV Concil. Ven. edit. col. 1329, *doceantur ... quia conveniens est omnibus dubitantibus persuadere*. Quis vero hinc cum Quesnello colligat, Illyricianos *suis juribus usos*, cum inducias postularunt, ut docerentur? Num jus esse poterat ambigendi de apostolicæ sedis definitione, quam uti fidei regulam tota Ecclesia episcoporum subscriptionibus jam susceperat? Confer annot. 22 (*Col.* 263, *n.* a) in dissert. 1 Quesnelli ad an. 451, ubi hac de re plura disseruimus.

Denique cum omnes Orientalium partium **1106** episcopi in duas partes tunc temporis dispertiti abirent, quorum alii Alexandrino episcopo adhærebant, erantque Nestorio aut de ejus opinione suspectis infensissimi; alii Antiocheno episcopo, qui ex adverso cæteros in Apollinaris hæresim propensiores habebant: noverat forte Eutyches ex Illyricianis plurimos sibi indulgentiores esse futuros, ut revera fuerunt: Dioscori enim nefandis decretis ultro manus dederunt, Eutychetem suo suffragio absolventes, damnantes Flavianum aliosque catholici dogmatis defensores. Quamobrem in Chalcedonensi synodo præ omnibus *Illyriciani, et qui cum ipsis reverendissimi episcopi clamaverunt: Omnes peccavimus, omnium miseremini:* quod iterum et tertio pronuntiaverunt, tam in ista quam in aliis actionibus sese ab aliarum provinciarum grege secernentes. Unde est cur mirari quis desinat nominatum cum patriarchis majorumque sedium episcopis Thessalonicensem episcopum pro sedis amplissimæ, provinciarumque illarum singulari prærogativa.

VIII. Jam vero quod sancti (*a*) Flaviani verba attinet, quæ verbis Constantini opponuntur, et in quibus præter unum Leonem nullus alius nominatur ad quem Eutyches appellarit, non est operosum respondere. Id enim non aliam ob causam factum est, quam quod solum Leonem tunc alloqueretur, eumdemque solum nominaverat hæresiarcha, cum ad eum scriberet: *Tamquam per fallaciam mendacii subrepere se sanctis* Leonis *auribus putans*, ut scribit ipse Flavianus ad S. Leonem, et quia inter patriarchas metropolitanosque, ad quorum concilium appellatum esse prædicabant, eminebat sine controversia, idque jure multiplici S. Leo: ut qui et primatum in Ecclesia tenebat, et totius, ad quam appellabatur, synodi caput erat.

Licet porro idem pontifex totam ad se causam pertraxisse videatur, cum et de singulis instrui postulat, et de Flaviani silentio conqueritur: *Cum studere, inquit, debuerit primitus nobis cuncta reserare:* non ita tamen est reipsa: similiter enim aliorum episcoporum quilibet, ad cujus sententiam **1107** per appellationis libellum provocaretur, et de negotio instrui postularet, et de silentio querelas moveret. Merito ergo ac potiori jure totius facti rationem ac notitiam volebat sibi Leo deferri, et quidem (*b*) primitus, utpote primati cui de eo cum cæteris ac præ cæteris decernendum erat, si appellationi locus dabatur. *Quoniam*, inquit ipse pontifex ad Flavianum (*Epist.* 20, *nunc* 23, *cap.* 1), *nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus.* Hæc verba sunt hominis non sibi uni jus omne ferendæ sententiæ arrogantis, sed prudentis, oculati, æquissimique judicis, qui suum, causa incognita, temere nolit conferre suffragium. Sed quid solvendis hujusmodi argumentis ex ipso Leone petitis tempus terimus? Non quærimus in hac præsenti causa an Leo sibi prærogativam illam vindicarit, sed utrum de facto Eutyches appellarit, et utrum ad solum Romanum pontificem. Quod quidem si egisset (ut actum esse ab eo existimavit S. Leo ex ejus callido mendacique libello), non esset quod miraremur, Eutychetem Romanam sedem appellantem a Romano pontifice ultro esse susceptum: præcipue cum de Nicæna fide agi videretur, cui tam Eutyches ipse, quam ejus accusator, se indivulse profitebatur inhærere Romani A enim præsulis tamquam capitis episcopalis coronæ, hæ sunt præcipuæ partes, ut e prima cathedra tamquam e specula conservationi canonum invigilet, fideique catholicæ custodem agat.

IX. Verum non Eutycheti vaferrimo impostori fidem habeamus; non Leoni ipsi, sanctissimo licet viro, aurem accommodemus, sedis videlicet suæ splendorem ac jura prosequenti. (*c*) Audiamus Flavianum novæ Romæ episcopum, Christique martyrem fortissimum, quem Orientalium de appellationibus animus ac consuetudo, totaque Eutychis agendi ratio latere non potuerunt. Censuitne ille concilii sui de Eutyche sententiam ad Leonem mittendam, necessumve esse ut si ab eo comprobaretur, maneret; si reprobaretur, evanesceret? Nihil certe tale apparet in utraque ejus epistola: nihil ab eodem actum legitur, quod huic opinioni vel minimum suffragetur. Scripsit quidem ad Leonem de damnato hæretico contumaci, presbyterioque illum esse nudatum nuntiavit; misit insuper B ad eum seriem Actorum in concilio Constantinopolitano. Sed quo fine, quo consilio? An ut relationis necessariæ debitum persolveret? hoc ex ejus verbis non elucet. Et quidem etsi hoc **1108** in majoribus causis, qualis est causa hæresiarchæ novum errorem per Ecclesias spargentis, præstari solitum esset ab episcopis, necesse tamen non erat, cum de aliquo seu laico seu clerico, non novæ hæresis auctore, sed antiquæ jamque proscriptæ propugnatore agebatur, qualis tunc existimabatur Eutyches, et postmodum etiam a Leone appellatus est. Forte scripsit ad Leonem Flavianus, eique Acta adversus Eutychen transmisit, ut ab eo confirmationis robur acciperent? At de hoc ne apex quidem conspicitur. Ipsum ergo audiamus suum exerentem consilium: *Gesta*, inquit, *quæ dudum de eo* (Eutyche) *confecta sunt, misimus ad vestram beatitudinem, in quibus eum de talibus convictum, et a presbyterio, et a monasterii administratione, et a communione nostra abjecimus: ut sanctitas vestra cognoscens quæ circa illum acta sunt, omnibus episco-* C *pis sub beatitudine vestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem: ne nescientes aliqui quid ille senserit, et de quibus convictus, quasi cum consorte fidei, vel per litteras, vel per aliquod aliud commercium agere inveniantur* (*Epist. nunc* 26, *c.* 4). Res plana est, nec interprete indigens. Decretoriam quippe noverat concilii Constantinopolitani, cui præfuerat, sententiam, nec operosa inquisitione opus esse; cum declarandum tantum esset, homuncionem istum impia Apollinaris et Valentini dogmata in œcumenica jamdudum synodo damnata renovantem, a communione Ecclesiæ et ministerio esse segregatum.

Aliam adhuc causam, immo et multiplicem in altera epistola recenset: quia nimirum Eutyches episcopali censura iratior obstinatiorque factus Constantinopolitanam perturbabat Ecclesiam, futurumque prævidebat Flavianus (*Epist. nunc* 26 *inter Leon.*), ut homo versipellis ad alias sedes, præsertimque ad Romanam, brevi mendaces querelas deferret, pontificumque aures occuparet (quod ab eo revera factum est), D nisi mature germana authenticaque rerum gestarum narratione Eutychis artes et fallacia præverterentur. Accedebat huc quod impius iste monachus jam per trivia et compita urbis regiæ famosos libellos affigi curaverat: *propositiones*, ut scribit Flavianus, *injuriarum publice ponens et maledictionibus plenas:* quibus videlicet concilii Constantinopolitani Patres, sententiamque illorum tamquam injustam proscindebat: quas querelas brevi non Orientales modo provincias,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Quæ hic et in sequentibus Quesnellus congerit, ut S. Flavianum apostolicæ sedis juri in hac Eutychis causa minime faventem praeferat, satis disjiciuntur in observ. n. 6 et seqq.

(*b*) Qui Leoni *utpote primati, primitus* tantum *cum cæteris et præ cæteris* de appellatione Eutychis decernendum putaret, primatum meri ordinis, non præcipuæ jurisdictionis astrueret. Appellationum autem jus ex primatu jurisdictionis apostolicæ sedi, seu Romano pontifici competere vidimus in observ. ad dissert. 5, part. 1, c. 7. Quatenus vero S. Leo hoc jus exercuerit in Eutychis appellatione ostendemus in observ. ad hanc dissert. 7, num. 8.

(*c*) Vide observ. num. 6 et 10.

sed etiam Occidentales esse pervasuras certum habebat. Tertio imperatoriam majestatem Eutyches convenerat, eique *preces obtulerat arrogantia et petulantia* **1109** *plenas*; ex quibus, annitente ac promovente Chrysaphio, futurum erat, quemadmodum res ipsa docuit, ut Eutychis patrocinium susciperet Theodosius; apud quem cum pro loci sui dignitate ac virtutis merito plurimum posse Leonem censeret Flavianus, eum pro communi fidei ac disciplinæ causa sollicitandum esse existimavit, ut pro virili sua imperatoris fidem sustentaret, et ab Eutychis defensione retraheret. Denique cum rumor disseminaretur imperatorem de cogenda universali synodo cogitare, in qua Eutychis negotium ad examen revocaretur, æquum erat ut Flavianus primariam sedem et hujus consilii certiorem faceret, et simul de occasione synodi, deque tota controversia, quæ illic discutienda erat, plenius instrueret, per ipsorum gestorum exhibitionem; quæ, Romano pontifice curante, cæteris etiam Occidentalis tractus episcopis innotescerent.

X. Jam vero monitus a Leone Flavianus quid extrema epistolæ suæ parte responderit, operæ pretium est contemplari. Intellexit ex ejus verbis ipsum, Eutychis appellatione cognita, novo sese examini judicioque accingere: quod omnino (*a*) superfluum cum agnosceret, hoc ipsum et persuadere satagit Romano pontifici. Monet ergo primum ne se hominis callidissimi technis ac fraudibus circumveniri sinat. Tum innuit non minus ardenti zelo allaborandum esse Romano pontifici, ut sententia Orientalium episcoporum plenum sortiretur effectum, quam si eam ipse tulisset. Cum enim Ecclesiæ, quæ una est, episcopatus quoque sit unus, qui uni quoque fidei ubique invigilet, omnium longe lateque positarum judicia Ecclesiarum sua facere quemque episcopum debere, probe intelligebat; si nimirum nihil contra ecclesiasticam regulam canonesque receptos perpetratum est. *Fiducialiter*, inquit (*Epistola nunc* 26, *cap.* 3), *age, secundum quod sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam et sanctarum Ecclesiarum disciplinam*. Tertio postulat ut damnationem Eutychis omnibus notam faciat suarum partium sacerdotibus. Quarto, cum ea regulariter et canonice facta sit, retractationi seu iterato examini locum non esse; causamque egere non nova disceptatione novoque judicio, sed pontificis solummodo apud imperatorem sollicitudine ac cohortatione: ne Ecclesiarum pax turbaretur, aut aliquod crearetur ab eo contra fidem præjudicium, si Eutychis patrocinium, aulicorum quorumdam **1110** impulsu, incautus susciperet. Verba Flaviani, ne quid falso supponere credamus, hæc sunt: *Simul*, inquit, *decernere damnationem adversus eum regulariter factam, et per propria scripta dignare; confortare autem piissimi et Christo amantissimi nostri imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio et defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit et turbæ quæ propter eum factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas litteras*. Postulat ergo Flavianus Leonis non judicium, sed *solatium*;

A non sententiam, sed *litteras*; *defensionem*, non confirmationem; propria scripta, non synodalia decreta: quia intorto semel in Eutychem anathemate per episcopale judicium, finita causa erat, nisi universale concilium hujus cognitionem ad se vellet pertrahere, vel ad Occidentale ultro deferretur: quod (*b*) removendum in hac occasione rectissime censebat Constantinopolitanus antistes: *Ne ubique*, inquit, *sanctissimæ turbarentur Ecclesiæ*, propter unius inquieti ac seditiosi monachi errorem ac malitiam.

De (*c*) congreganda tamen hujusmodi synodo jam tum cogitabatur. Unde certissime evincitur Orientales de Occidentalium ore tunc temporis non pependisse. Vel enim ante monitum consultumque Leonem de Eutychis damnatione istud consilii initum est; et sic perspicuum est ad ejus sententiam revocatum non fuisse Flaviani judicium, cum omisso illius tribunali aliud superius pararetur; vel post-datas ad eum litteras, receptumque ejus consensum, conceptum est B universalis synodi consilium: quod evidentius adhuc ostendit etiam post Leonis consensum necessariam synodum existimatam esse, ut priorum judiciorum sententia recenseretur, ac, si opus esset, reformaretur; vel denique decernendæ synodo ex *solius* appellationis Eutychis libello, seu vero, seu mendaci, color quæsitus est: quod evincit certum apud Orientales fuisse Eutychis appellationem, non ad unum Romæ episcopum esse devolutam, sed ad cæteros quoque patriarchas, eorumque synodos in universale concilium convocandas.

Ex consensu autem Leonis requisito ne quis cavillandi ansam arripiat, nemo est qui nesciat a summo etiam pontifice aliorum episcoporum (*d*) consensum requiri solitum fuisse similibus in causis; sicuti ab **1111** ipso Leone factum est post Ephesinum latrocinium, litteris ob eam rationem in universum pene orbem directis. Denium lectorem monitum volo, versionem prioris epistolæ Flaviani ad sanctum Leonem parum accuratam videri: quam si ad Græ- C cum (*e*) textum, qui temporum injuria excidit, emendare licuisset, aliquid forsan clarius invenissemus, quod opinioni nostræ suffragaretur. Ex hac tamen versione quamvis ab Occidentali et Romano forte viro facta, lectori sincero, nec nodum *in scirpo* quærenti, ad eruendam veritatem satis superque lucis affulget.

XI. Quod autem ab eximiæ eruditionis viro suggeritur, lectis scilicet Constantinopolitanæ synodi gestis adversus Eutychen, omnia sic a sancto Leone fuisse probata et confirmata, ut ab indicenda synodo generali abstineri debere censuerit tam sanctus Flavianus quam sanctus Leo, pace optimi viri dixerim, longissime a vero abest. (*f*) Removendum quidem existimavit Flavianus concilium quod fieri divulgabatur, ut scribit ad Leonem; sed quam ob causam? An quia, ut jam laudato viro videtur, accepta pontificis Romani confirmatione finita erat causa? At tantum abest ut sanctum Leonem approbantem aut D confirmantem tunc haberet Flavianus, ut potius pene iratum experiretur, propterea quod Eutychen severiori sententia, ut putabat, perculerat, qui statutis

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Quam non superfluum Flavianus crediderit S. Leonis judicium in Eutychis causa, disces ex observ. n. 6.

(*b*) Removendum quidem dixit Flavianus generale concilium, si Leo ex suo jure Constantinopolitanum judicium confirmaret. Vide observ. n. 6. Quod si causa Eutychis ad Romanum pontificem delata, concilium Ephesi adhuc indictum fuit, id agentibus hæretici patronis gestum, quis ad extenuandum Romanæ sedis jus traducere queat?

(*c*) In indictione generalis synodi requisitum fuisse ab ipso imperatore Leonis consensum, liquet ex epist. 33. Confer annot. 8 (*Tom. præced. col.* 789 *n.* b) in epist. 30.

(*d*) Hoc falsum probat ipsa ratio quam Quesnellus subjicit; neque enim Leo post Ephesinum latrocinium consensum episcoporum petiit; sed litteris ad multos scriptis illud latrocinium irritum declaravit.

(*e*) Græcus textus in lucem prodiit, eumque idem Quesnellus secundæ editioni adjecit. Quantum vero is nostræ sententiæ faveat, in observationibus videbimus.

(*f*) Removendum dixit Flavianus generale concilium, si Leo ex suo jure Constantinopolitanum judicium circa Eutychen confirmet. Vide observ. n. 6. Hinc autem quæ subjiciuntur ab homine apostolicæ sedis jus infirmare conante facile elidentur.

Nicænæ synodi inhærere videbatur. Cum enim hæc scribebat de concilio Constantinopolitanus antistes, gestorum contra Eutychen exemplaria nondum acceperat sanctus Leo, aut saltem nondum esse a se accepta et approbata vel reprobata rescripserat, sed solæ Eutychis litteræ ei fuerant redditæ : quibus perlectis, conquestus est tam apud Theodosium imperatorem quam apud ipsum Flavianum, quod *Eusebii episcopi accusatoris libellus de objectionis evidentia nihil haberet; et cum presbytero hæreseos crimen intenderet, quem tamen in eo sensum argueret, non evidenter expressit*. Addit, *nondum se agnoscere qua justitia a communione Ecclesiæ fuerit* Eutyches *separatus; sibi displicere, quod ea quæ in tanta causa gesta fuerant, etiam tunc silentio reticeret*. Et demum hortatur ut *quam plenissime et lucide universa illi, quod ante facere debuit, indicare festinet* (*Epistola* 20, *nunc* 23; *et* 21, *nunc* 24).

De (*a*) confirmatione igitur gestorum a se habitorum adversus Eutychen, ne per somnium quidem cogitabat Flavianus, cum de removendo concilio, quod parabatur, **1112** sermonem ad Leonem habebat. Hoc unum pro sacerdotali sollicitudine verebatur, ne, evocatis ad œcumenicam synodum episcopis, *sanctissimæ ubique turbarentur Ecclesiæ*; ipsissima enim ejus verba sunt in prima epistolarum quas ad Leonem scripsit. Et illam quidem minime necessariam synodum existimabat, quia quidquid impii dogmatis Eutyches evomuerat, in antiquis hæreticis Apollinari, Valentino et aliis jampridem damnatum fuerat atque proscriptum præcedentium conciliorum vel episcoporum sententiis; et ea etiam proferebat quæ sancti et universalis concilii Ephesini ante paucos annos congregati doctrinæ adversabantur, ac proinde ejusdem anathemati sententiæque obnoxium se faciebat. *Quæ pro nihilo ponens Eutyches*, inquit Flavianus, *arbitratur non se daturum pœnam præfinitam a sancto illo et universali concilio :* cui pœnæ declarandæ quid opus erat, ut universi Christiani orbis episcopi suis sedibus moverentur in synodum coituri? *Facta enim semel synodus abjecti cujuslibet erroris cunctos sequaces consequenter involvit*, inquit Felix papa (*Epist.* 12, *ad Zenon. imp.*, *ante med.*). *Et hoc*, teste Gelasio, epistola 4 ad Faustum, *non solum præsuli apostolico facere licet, sed cuicumque pontifici, ut quoslibet et quemlibet secundum regulam hæreseos ipsius ante damnatæ a catholica communione discernant. Acacius quippe* (de Eutyche idem dicito) *non fuit novi vel proprii inventor erroris, ut in eum nova scita prodirent; sed alieno facinori sua communione se miscuit*. Immo Eutyches amplius fecit, qui damnatum errorem non communione solummodo, sed assertione defensioneque suum fecit.

XII. Hæc erat genuina ratio quæ Flaviani animum a cogenda synodo deterrebat : cui plane annuit sanctus Leo, cum, litteris gestisque Flaviani acceptis, de qua re ageretur intellexit. In hæc enim verba statim rescripsit episcopo Constantinopolitano : *Litteras tuæ dilectionis accepi, cum gestis quæ apud vos de fidei quæstione confecta sunt. Et quia clementissimus impe-* A *rator pro Ecclesiæ pace sollicitus synodum voluit congregari, quamvis evidenter appareat* REM DE QUA AGITUR NEQUAQUAM SYNODALI INDIGERE TRACTATU, *tamen, frater charissime, subsecuturos esse significo, quos in hac re placuit destinare* (*Epist.* 32, *nunc* 36). Et in epistola sequenti, quæ est ad Theodosium : *Cum tam evidens*, inquit (*Epist.* 33, *nunc* 37), *causa sit, ut rationabilius indicenda synodo fuisset abstinendum... quia non talis quæstio orta est de qua aut possit aut debeat dubitari.* Ita sensit pontifex abstinendum **1113** a celebranda synodo, cum totius negotii seriem bene perspectam habuit. (*b*) Superfluam enim synodum arguit, ut liquido apparet, non ex approbatione aut confirmatione sedis apostolicæ, sed ex ejus inutilitate, ex causæ quæ ventilanda erat certitudine, ex quæstionis ipsius evidentia, quam in dubium revocare nefas ducebat. Quam persuasionem aliæ postmodum auxerunt circumstantiæ loci et temporis, quæ congregandæ synodo præscribebantur a Theodosio imperatore. Eam B enim et extra Italiam indici cognovit, et intra tantas temporis angustias convocandam, ut plerisque Occidentalium partium episcopis viam ad concilium præcludi cerneret. Hæc mens Leonis post acceptam indictionis synodi notitiam.

Sed antequam ea omnia nota essent pontifici, et postquam etiam de rei totius serie a Flaviano instructus esset, non modo e rei catholicæ utilitate synodalem conventum esse existimavit, sed et pro eo impetrando supplices ad imperatorem dedit litteras. (*c*) *Si pietas*, inquit (*Epist.* 23, *nunc* 54), *vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis episcopale concilium, cito (auxiliante Deo) poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari; ut per universum regnum vestrum, catholicæ fidei integritate servata, et pacem Christianam manere, et vestram apud Deum crescere gloriam gaudeamus*. Ex quibus et ex sequentium aliquot epistolarum verbis elucet Leonem persuasum tunc habuisse maximam utilitatem C allaturam esse synodum, idque multiplices ob causas.

Primum quidem ad veritatis ipsius manifestationem : eo quod apud hæresiarcham longe (*d*) plus ponderis habiturus esset œcumenicus Ecclesiæ conventus, quam vel cujusquam pontificis, vel synodi particularis auctoritas. *Pietas*, inquit (*Epist.* 26, *nunc* 38), *vestra, quæ in honorem Dei religiosissime catholicam diligit veritatem, apud Ephesum constituit synodale judicium, ut imperito seni ea in qua nimis caligat*, VERITAS INNOTESCAT.

2. Ut si ad saniorem mentem redire vellet **1114** hæreticus, a majori synodo gradui suo per indulgentiam episcopalem restitueretur. *Ut, si resipiscens*, inquit (*Ibid.*, *et seqq.*), *qui deviaverat, pro venia supplicaret, sacerdotalis ei benevolentia subveniret; et si per libellarem satisfactionem proprium damnaret errorem, communio ei sui ordinis non negaretur*. (*e*) Cautum quippe erat canone 12 Antiocheni concilii ab aliisque, ut *si quis a proprio episcopo presbyter, aut* D *diaconus, aut a synodo fuerit episcopus forte damnatus, et imperatoris auribus molestus exstiterit, oportere*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Immo gestorum in Eutychen confirmationem Flavianum a Leone postulasse, probabimus in observ. eodem n. 6, et post ejusmodi confirmationem haud necessariam credidit synodum generalem.

(*b*) Verba ante descripta Leo epistolis suis inseruit post expensa Acta synodi Constantinopolitanæ, et post confirmatum ejusdem synodi judicium; ac propterea post confirmationem sedis apostolicæ generale concilium superfluum credidit.

(*c*) Chronicæ notationis errore, qui irrepserat in epist. 54, hæc verba Quesnellus traduxit ad tempus anterius pseudosynodo Ephesina. Eo autem errore emendato ope ms. codicis Ratisponensis, patet S. Leonem ab imperatore petiisse generalem synodum in Italia, ut latrocinii Ephesini scandalis mederetur; quod pluribus explicaturi sumus in observ. ad dissert. 8.

(*d*) Has sequentes rationes apostolicæ sedis auctoritati minus congruas non Leonis verba, sed perversum Quesnelli commentarium ab ejusdem pontificis mente alienissimum inducere potuit. Hac autem vera de causa S. Leo concilio ab imperatore indicto assensus est, quia impediri non poterat; nec Eutychianistarum machinamenta prænoscens, utile futurum sperabat.

(*e*) Quid Antiochenus canon quasi Leonis consilium dirigens hic obtruditur, cum certum sit eos canones tunc a Romana Ecclesia non fuisse receptos? Quatenus vero hic canon apostolicæ auctoritati nihil detrahat, non est hic disserendi locus.

ad majus episcoporum converti concilium, et quæ putaverint habere justa, plurimis episcopis suggerant, eorumque discussiones ac judicia præstolentur. Hæc omnia, quæ in Eutychen apprime cadebant, in Constantinopolitano œcumenico denuo fuerant sancita.

3. Ut per diligentem inquisitionem, quæ in œcumenicis conciliis major adhibetur quam in quibusque aliis judiciis, os hæretici obstrueretur, qui alioquin semper de circumventione ac subreptione adversariorum conquesturus erat, nisi causa ejus generali sacerdotum examini subjiceretur. *Clementissimus*, inquit (*Epist.* 31, *nunc* 34, *c.* 12), *imperator pro benevolentia ac pietate animi sui de statu hujus, qui ante honorabilis videbatur,* DILIGENTIUS *voluit judicari; atque ob hoc indicendum credidit episcopale concilium.*

4. Ut pleno, (*a*) absoluto et irretractabili judicio tota res illa finiretur : *Pie ac religiose*, inquit ad synodum ipsam Ephesum convocatam scribens, *Christianissimus imperator haberi voluit episcopale concilium, ut* PLENIORE JUDICIO *omnis possit error aboleri* (*Epist.* 29, *nunc* 33, *cap.* 2). Unde cum sanctus Leo de fidei causa plurimum sollicitus, quem illa exitum tandem habuisset in synodo cuperet per Flaviani litteras edoceri, enixius postulabat ut eum *de totius causæ absolutione* certiorem faceret : ratus videlicet causam non aliter decretorie et irreformabiliter, ut ita dicam, absolvendam esse, quam pleniori et definitivo synodi œcumenicæ judicio.

5. Quia per concilii convocationem res in compendium mittebatur, tametsi operosius **1115** aliquid esset sexcentos episcopos in unum tribunal coalescere, quam unius episcopi aut provincialis synodi judicium instrui. (*b*) Experientia quippe docet vix ad alterius quam ad concilii universalis edictum, hæreticos vel nutantes in fide conquievisse. Quamobrem tunc demum posse ait Leo *omnia scandala quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota resecari*, si imperatoris pietas ejus suggestioni ac petitioni annuere dignata, haberi juberet episcopale concilium; hac via per universum Romanæ ditionis imperium servandam esse catholicæ fidei integritatem, custodiendam esse Christianam pacem, augendamque apud Deum omnipotentem imperatoris gloriam. Hæc in epistola 23 (*nunc* 54) ad Theodosium Augustum, cujus verba superius retulimus (*Supra*, *num.* 12), manifeste continentur.

XIII. Verum dum hæc S. Leo in ancipiti positus meditatur, modo ad congregandam synodum propensior, modo ad removendam, Theodosius Augustus eam apud Ephesum convocandam edixit, (*c*) inscio Rom. pontifice. Id evidenter colligitur, tum ex epistola prima sancti Flaviani, in qua optat removeri concilium, quod jam fieri divulgabatur; tum ex pluribus epistolis S. Leonis papæ, Actisque Chalcedonensis synodi. Illæ cuilibet obviæ sunt; ex his ita autem comprobo. Litteras dedit Leo ad Theodosium Augustum, quibus eum suppliciter orat ut concilium episcopale jubeat congregari; quæ litteræ datæ reperiuntur octavo vel nono kalendas Junias, seu 25 Maii die. At antequam ad imperatorem deferrentur, immo antequam scriberentur, indicta jam erat ab Augusto synodus Ephesina, nimirum ante quintum idus Aprilis, seu nonum hujus mensis diem. Nam in triginta episcoporum conventu, qui post depositionem Eutychis habitus est, Constantinopoli sub consulatu Protogenis dicto die quinto idus Aprilis ad recensenda Constantinopolitanæ synodi Acta, in hæc verba locutus est Meliphtongus episcopus : *Postulamus ejus* (Theodosii) *referri clementiæ... præcipue quia universalem præcepit fieri synodum, et necesse est majores causas in illud reservare concilium, et vocati sunt multi; et justum est, quæ a piissimo principe præcepta sunt, effectui mancipari.* Idem etiam confirmatur ex verbis **1116** Eusebii Dorylæi episcopi : *Conjuro vos*, inquit, *per sanctam et consubstantialem Trinitatem futuro concilio universali, secundum sanctionem Christi amicorum principum, hoc negotium reservari.*

XIV. Ex his quæ hactenus diximus ac probavimus, quædam vice synopsis breviter colligo. Ac primum quidem non eam fuisse consuetudinem Orientalium, ut synodalia gesta, quæ vel in concilio provinciæ a metropolitano, vel in diœcesena, ut nunc loquimur, synodo ab episcopo conficiebantur, in Occidentem examinanda mitterentur; sed tunc tantummodo esse illuc transmissa, cum vel particularis controversia aut accusatio in publicam fidei causam evaserat, vel cum quis in synodo damnatus ad cæteros episcopos provocabat, vel cum hæreticis imperatoris gratia abutentibus, primariæ sedis episcopum, qui apud principem ageret, conveniri, ejusque sollicitudinem adversus pervicacium hæreticorum malas artes accendi par erat. Nihil igitur *contra antiquum canonem et morem* (*Christianus Lupus, tom.* I *Schol. et Not. in Can. conc., ubi de Ephesino latrocinio*) agebat Flavianus, qui eo nomine arguitur a Christiano Lupo, cum (*d*) synodi suæ Acta Romam non retulit, quandoquidem id nec canonis auctoritas, nec consuetudo, nec exemplum postulabat. Quis enim, ut ex solis Chalcedonensis concilii Actis exempla proferam, quis credat Romam esse directa Acta synodorum Antiochenæ et Berythensis, non multo ante Constantinopolitanam habitarum in causa Ibæ? Quis alterius Antiochenæ in causa Athanasii Parrensis? Quis sexcentarum aliarum gesta ad Occidentales partes delata ad illud usque tempus dixerit? At potius contra morem egisset Flavianus, si de illis mittendis cogitasset, antequam Eutychis pervicacia, contestatoriorum libellorum publicatio, litteræ ad Leonem missæ, imperatoriæ potestatis metus, concilii a Theodosio convocandi rumor vel indictio, et alia ejusmodi necessitatem Flaviano imposuissent primariam sedem de causa jam communi facta instruendi.

2. Colligo (*e*) Eutychen, si appellavit Leonem pontificem, e duobus his unum persuasum habuisse : vel suam appellationem locum non esse habituram, quandoquidem eodem tempore quo scribebat ad Leonem, scripsit et ad Dioscorum, synodumque postulavit **1117** in Oriente ; vel ad eum sensum reducendam esse et accipiendam, qui Constantini monachi verbis exprimitur, ut scilicet alios metropolitanos et exarchas comprehenderet, nedum excluderet.

3. Quod (*f*) imperator ipse, cum synodum congre-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Quam absolutum et irretractabile Leo habuerit suum de tota Eutychiana causa judicium, ita ut nullo etiam generali concilio revocari posset in dubium, palam fiet ex dicendis in observ. ad dissert. 8.

(*b*) Unde hanc *experientiam* statuere possit, ignoramus. Alii enim sine generalibus synodis apostolicæ præsertim sedis auctoritati obsequentes, hæresim deseruere; alii contra in errore pertinaces nulli auctoritati cesserunt, ut de Arianis, Nestorianis, Eutychianis liquet. Quoad Leonis testimonium ex epist. 54, confer annot. 19 (*supra*, *col.* 657, *n.* c).

(*c*) Argumentum sumptum ex erronea notatione chronica epistolæ 54, quæ præferebat diem 25 Maii, ex emendatione diei et mensis eliditur. Confer annot. 19 (*Loco supracitato*). In indicenda vero synodo Ephesi Leonis consensum ab imperatore quæsitum probavimus annot. 8 (*tom. præced. col.* 789 *n.* b) in epist. 30.

(*d*) Flavianum suæ synodi gesta in Eutychen statim ad Leonem misisse patet ex epist. 22, quam statim ab eo scriptam in admonitione ostendimus, Quesnellum impugnantes, qui hanc non primam, sed alteram Flaviani epistolam fuisse contendit. Hac falsa hypothesi opinio innititur, qua Acta synodi Constantinopolitanæ Romam non ab initio, sed post excitatos ab Eutyche tumultus transmissa dicuntur.

(*e*) Ne hæc de Eutychis appellatione fucum faciant, vide observ. n. 3, 4, 5 et 9.

(*f*) Cum Eutyche omnia moliente ut sibi præsidium

gari jussit, vel ad appellationem Leoni ab Eutyche delatam animum advertit, quam ignotam habere non potuisset; vel de ea prorsus non cogitavit: si primum; eodem igitur modo eam intellexit quo ab Eutychete ipso intellectam esse docuimus, ut cæteros majores metropolitas sedesque admitteret; si postremum, non igitur putavit appellationi Eutychis deferendum; vel saltem ad supremum statim Ecclesiæ tribunal causam ejusdem esse deferendam existimavit, ne in longum res protraheretur.

4. Animadverto, cum Augustus congregandæ synodi consilium iniit, eum de consulendis Occidentalibus nullatenus cogitasse, sed postmodum invitasse suis (a) Leonem litteris, ut synodo præsentiam suam exhiberet. De qua re nulla mota est a Leone apud imperatorem querela.

Reliqua, quæ forensis ille theologus hoc de argumento disseruit, aliis excutienda dimittimus, quoniam non tam aliena refutare ex professo est animus, quam Leonis nostri scriptis, si quando opus est, lucem afferre.

XV. Quoniam tamen ex mentione libelli ab Eutyche oblati magnum argumentum trahunt, aliqua adjiciam, ex quibus illustrentur sancti Leonis epistolæ, quas tractamus, totaque causa Eutychiana. Nimirum quadruplex mihi distinguendum videtur libellorum genus, quos Eutyches a suo episcopo damnatus vel obtulit, vel obtulisse se mentitus est. Primus *appellatorius libellus* fuit de quo diximus. Secundus *contestatorius*, de quo sanctus Leo epistola 20 (*nunc* 23) ad Flavianum cap. 1. Scilicet post appellationem interpositam litteræ dandæ sunt ab eo a quo appellatum est, ad eum qui de appellatione cogniturus est, quas litteras dimissorias sive apostolos appellant... si autem id non accipiat, CONTESTETUR. Ita habetur Dig. l. XLIX, tit. 6, de Libellis dimissoriis. Cum igitur a se appellatum esse persuadere vellet Eutyches, appellationis libellum porrectum a se nec susceptum professus est publice affixis Constantinopoli per com- A pita libellis, et, ut scribit Liberatus, *posuit edicta apud Constantinopolim, et injustitiam se fuisse passum, populum* CONTESTATUS EST (*Parte* II *Ephes. syn. act.* 3).

Tertius libellus fuit querimoniæ: *Ad sedem enim* 1118 *apostolicam per libellum doloris sui querimonium misit*, inquit Leo noster epist. 21 (*nunc* 24) ad Theodosium Augustum. Libellus porro querelæ seu querimoniæ recte ac proprie oblatus dicitur a presbytero adversus episcopum seu patrem suum: *De paternis enim injuriis conquerentem filium*, aiunt jurisconsulti, *audiri justum est et usitatum; eum ipsum accusantem vix quisquam ferat.* Sic igitur veteres temperarunt istud, ut neque molliorem appellationem, quam pro judicii gravitate, neque acerbiorem, quam parentum pietas ipsa postulat, accommodarent.

Quartum libellum, supplicem videlicet, obtulit Eutyches, adversus Flaviani sententiam; immo plures, quos videre est act. 1 Chalcedonensis concilii.

B Quatuor hujusmodi libelli in primis distinguendi sunt, ne cujusque vis et energia alteri tribuatur, unde et totum hoc negotium consequenter obscuretur. Fuit igitur, 1° libellus (b) *appellatorius* ad concilium; 2° *contestatorius* ad CP. populum; 3° *querimonialis* seu querelæ ad sanctum Leonem; 4° libellus *supplex* ad imperatorem. Primus commentitius erat, nec revera datus; alii tres vere oblati. Quorum omnium libellorum mentionem facit S. Flavianus in epistola 1 ad S. Leonem.

EPISTOLA EUTYCHETIS HÆRETICI,

Ubi scribens ad papam urbis Romæ LEONEM, *negat in* CHRISTO *duas naturas, id est divinitatis et humanitatis.*

De mea in Dominum et Deum omnium Christum spe confidens, etc. (c).

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

quæreret, ejusque patronis agentibus imperator ad indicendam synodum adductus fuerit, quis ex hoc facto ea jure colligat quæ hic Quesnellus obtrudit?

(a) Vide supra, annot. 15 (*Col.* 655, *n.* c).

(b) Lege observ. num. 3.

(c) Integram hanc epistolam cum fragmentis eidem subjectis in Cassinensi codice, ex quo edita fuit, dedimus inter Leoninas tom. I, epist. 21.

1119 APPENDIX AD DISSERTATIONEM VII.

DE APPELLATORIO EUTYCHIS LIBELLO, QUEM EX CASSINENSI CODICE EDIDIT CHRISTIANUS LUPUS:

An revera sit appellationis libellus.

Mirum quanta fiducia Christianus Lupus asseveret C et ovanti similis clamet (a) scriptum illud quod ex Cassinensi codice ms. in suam de appellationibus lucubrationem transcripsit, ipsissimum esse appellationis libellum, quem ad Leonem I papam ab Eutyche hæretico missum aiunt, et quo retractatorium ab apostolica sede judicium postulabat.

Ac primum quidem placet Lupo libelli nomine scriptum istud donare, repugnante ipsa scripti epigraphe, et, quod palmare est, ipso scriptore invito ac reluctante; ipse enim Eutyches diserte distinguit inter libellos et epistolam hanc suam. *Subjunxi*, inquit, *his litteris meis utrumque libellum, et eum qui ab accusatore meo oblatus est synodo, et qui a me gestus quidem est, non tamen susceptus.* En ut unumquodque scriptum propriis nominibus appellat; suum et Eusebii libellum libellum dicens, litteras proprias non alia quam litterarum appellatione designans.

Libelli quidem nomen S. Leo usurpavit, quia judiciale est; nec tamen appellatorium dixit, sed libellum doloris, seu querimoniæ: cum autem ap- pellationis libellum commemorat, eum intelligit non qui ad ipsum missus ab Eutyche fuerat, sed quem *in ipso judicio, ut appellationum solemnia poscebant, se Eutyches obtulisse asserebat*, ut ait S. Leo; seu mentiebatur, ut rescribit Flavianus, per libellos omni fallacia atque calliditate plenos. Hoc si scripsit ad Leonem Eutyches, non certe his præsentibus litteris, quæ nihil canonicæ appellationis habent, nec in illis locis quæ a Lupo in hanc rem indicantur.

Prior locus est in ipso epistolæ limine. *De mea*, inquit Eutyches, *in Dominum et Deum omnium Christum spe confidens, ante omnia quidem, testis Deus Verbum est, in sensibus hujusmodi dignoscens veritatis probationem, invoco autem vestram sanctitatem, in testimonium * cordis mei et rationes sensuum meorum atque verborum.* Quid sibi vult aliud his verbis hæresiarcha, quam fidem narrationi suæ, quam subjecturus mox erat, conciliare, Deum Verbum qui omnia novit, in testimonium vocans sinceritatis animi sui, D 1120 ac ipsum deinde quem alloquitur lectorem

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Hac de re vide observ. num. 4.

* Ita corrigo, pro *in testimonio*, id enim sensus et constructio exigunt, cum præpositio *in* pariter afficiat vocem *rationes*, quæ sequitur. QUESN.

compellans, ut judicet quid erroris in hac sincera A suæ fidei professione contineatur; ac forte alludit ad illud Apostoli II Cor. I, 23: *Ego autem testem Deum Invoco in animam meam.* Ut enim eodem sensu Christum ac vicarium Christi hoc loco invocet, probant hi verborum nexus: *Ante omnia quidem, testis,* etc., et *invoco autem,* immo totius loci inspectio, maxime si iis solis virgulis distinguatur quibus illum distinximus; ita ut rudis ac male digesta translatio Græcæ istius epistolæ hunc prorsus sensum habere debeat: Ego de mea ipsius fide ac spe, de meo animo securus, primum quidem ipsum Dei Filium, qui sinceritatem professionis meæ bene novit, testem appello in testimonium cordis mei; deinde vestram sanctitatem testem etiam appello in rationes sensuum meorum atque verborum, id est, ut ipsa de verbis meis, meisque sensibus judicet, illorumque rationes pro sua æquitate expendat. Similem præfationem habuit Eutyches antequam libellum confessionis suæ recitandum traderet in pseudoephesina synodo. *Ego,* B inquit, *commendavi me ipsum Patri, et Filio, et sancto Spiritui, et verbo veritatis vestræ justitiæ, et testes vos habeo fidei meæ.* Eadem paucioribus usurpat in ipsa fidei confessione. *Attestante,* inquit, *mihi tam Deo quam vestra sanctitate.* Qui igitur illa verba appellationem juridicam sonare contenderit, non satis attente hæresiarchæ verba se legisse ostendit.

Neque vero alia hæc verba appellationem magis continent: *Rogabam ut innotescerent ista sanctitati vestræ, et quod vobis videretur judicaretis omnibus modis me secuturum quæ probassetis.* Rogantis hæc verba sunt, non appellantis ac pro jure suo judicium postulantis. Ut enim appellationis libellum rejicere nemo ad quem rite appellatur potest, ita appellans votum suum verbis non supplicibus, sed judicium ex necessitate secuturum exigentibus exprimit: cujus judicii sententiæ si obsecuturum se appellans spoponderit, uti hoc loco facit Eutyches, is profecto ridendum se omnibus propinat. Quasi vero obsequendi judicium superiorum sententiæ necessitas non C fuerit; nisi forte dixerit Lupus, quod tamen facile non crediderim, his Eutychen verbis sibi ipsum abstulisse facultatem a pontifice ad œcumenicam synodum appellandi, si contrarium sibi pontificis foret judicium. Demum verba objecta committere juvat cum aliis quæ in secundo Flaviani CP. conventu dicta sunt. Cum enim Eutychis fautores ipsum in primo conventu appellasse contenderent, hoc negant episcopi, quos inter Basilius: *In veritate,* inquit, *dico: adhuc ipso conventu sedente et proponente hoc sancta synodo, ut diceret iste duas naturas post adunationem,* **1121** *scio quia dixit religiosus archimandrita Eutyches: Si præceperint mihi Patres Romanus et Alexandrinus, dico hoc ipsum; hoc autem non quasi appellans dixit, sed dicens, Non sum ausus dicere propter Patres.* Hoc ipsum est quod Eutyches, his verbis Leonem alloquens, indicare voluit, quæ ad appellationem trahere frustra Lupus conatur.

Restat tertius epistolæ locus: *Ad vos igitur religio-* D *nis defensores et hujusmodi factiones exsecrantes confugio.... et obsecro nullo mihi præjudicio facto ex his quæ per insidias contra me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit super fidem proferre sententiam.* Vides, mi Lupe, quod videre non vis, ut Eutyches ad defensores religionis confugiat, non ut judices appellet; ut obsecretur nullum sibi ex Flaviani sententia creari præjudicium, non irritum clamet ex appellationis voce judicium; ut denique de fide potius sententiam proferri postulet, quam de sua depositione et excommunicatione, de qua tamen, si appellasset, primitus agendum ipsi erat.

Hæc refellendo Christiano Lupo satis superque sufficiant. Addo nihilominus ex abundantia juris scriptum istud integrum, cujus partes jam expendimus, si ad S. Leonem papam missum est, (*a*) non ad eumdem unum missum fuisse, nec pro eo uno confectum; sed esse epistolam encyclicam ad omnes primariarum sedium episcopos, quorum auctoritatem adversus Flaviani judicium movere ac sibi propitiam reddere avebat Eutyches. Nam etiam cum appellationem hæresiarchæ mentiti sunt qui pro ipso agebant apud Ephesum, non unum pontificem Romanum nominaverunt. *Cum legeretur damnatio,* inquit Constantinus monachus, *Eutyches appellavit sanctum concilium sanctissimi* **1122** *episcopi Romani, et Alexandrini, et Jerosolymitani, et Thessalonicensis; et hæc in gestis non sunt inserta. Magnificentissimus Patricius dixit: Turba facta et dissoluto conventu dixit ad me silenter appellans Romanum, et Ægyptium, et Jerosolymitanum concilium..... Basilius reverendissimus episcopus dixit.... dixit Eutyches: Si præceperint mihi Patres Romanus et Alexandrinus, dico hoc ipsum. Hoc autem non quasi appellans dixit.*

Igitur ad omnes istos episcopos, quos vel appellaverat vel appellasse se credi volebat, has encyclicas litteras, quas *querimoniæ libellum* appellat S. Leo, direxit, unumque illarum exemplar ad ipsum Leonem pontificem, cui imprimis debebatur, pervenit: unde ad Leonem papam scriptam fuisse nec falso nec incongrue annotavit tituli illius auctor, quem compilatorem vel descriptorem dicit Christianus Lupus ejusdem promulgator.

Encyclicam porro esse epistolam ipsa *tota quanta* est clamat epistola, in qua ne apex quidem de apostolica sede vel de pontifice Romano, cujus prærogativas ac splendorem prædicare non omisisset vir tunc temporis conciliandis sibi omnium quibus indigebat animis intentissimus. Iis igitur solis verbis usus est quæ omnibus primarum sedium episcopis conveniunt. Cui enim illorum non congruunt ista: *Invoco* (*b*) *vestram sanctitatem.... ut innotescerent ista sanctitati vestræ...... Ad vos igitur religionis defensores et hujusmodi factiones exsecrantes confugio.* Certe vel hæc sola posteriora verba, *ad vos religionis defensores,* etc., meridiano sole clarius patefaciunt, non ad unum, sed ad plures missum fuisse hoc qualecumque scriptum.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Confer easdem observ. num. 9.

(*b*) Ex his vocibus Latinæ versionis, quæ in litteris uni traditis observantiæ causa adhiberi queunt, infirmum prorsus argumentum sumitur, ut hæc Eutychis epistola encyclica ad plures missa inferatur. Vide epist. 68, ubi Ceretius aliique duo Gallicani episcopi Leonem plurali numero *destinantes, præmonetis,* etc., alloquuntur. Idem est in epist. 52 Theodoreti ad eumdem Leonem. Alia plura exempla afferre facile esset.

BALLERINIORUM OBSERVATIONES

IN DISSERTATIONEM VII QUESNELLI

De causa Eutychis.

1123 1. Cur Quesnellus nunc Eutychis causam peculiari dissertatione agitandam susceperit, satis agnoscitur ex ipso exordio, ubi eos perstringendos sibi proponit, *qui jus appellandi ad sedem Romanam ex omnibus orbis Christiani regionibus, imprimisque ex Orientalibus ab illarum partium episcopis ultro esse delatum etiam*

primis Ecclesiæ sæculis persuadere student. Hoc scilicet appellationum jus, quod illi non placuit in causa Celidonii episcopi Gallicani, in Orientalium causis displicuit multo magis; ac propterea Eutychis appellationem ad Leonem papam duplici ex capite submovere studuit: primo quia, inquit, ille vere non appellavit; secundo quia ementita ejusdem appellatio non fuit peculiaris ad Leonem, seu ad apostolicam sedem, sed communis ad synodos Romanam, Alexandrinam, Jerosolymitanam atque Thessalonicensem, adeo ut nihil præcipui juris in Romano pontifice agnitum fuerit.

2. Jam in observationibus ad disssert. 5 Quesnelli luculenter statuimus pontificium jus in recipiendis appellationibus ex toto Christiano orbe, et quatenus hoc jus ex ipso primatu eidem competat, satis aperte demonstrasse nobis videmur. Hac autem in controversia, quatenus merum Eutychis factum respicit, ultro confitendum est nullam appellationem ad Romanum pontificem ab eo interpositam fuisse in ipso Constantinopolitano judicio. Unam chartam professionis fidei (non autem appellationis libellum) ab eo ante sententiam oblatam fuisse liquet ex actis ejusdem CP. synodi, qua Eutyches damnatus fuit, et multo magis ex eorumdem actorum relectione in alio Constantinopolitano conventu habito die 13 Aprilis anni 449, quæ actioni primæ concilii Chalcedonensis inserta fuere. Solum si fides adhibenda est Constantino diacono, *dum legeretur, seu relegeretur damnatio*, Eutyches *appellavit sanctum concilium sanctissimi episcopi Romani, et Alexandrini, et Jerosolymitani, et Thessalonicensis.* Affirmante autem Patricio Florentio, *dissoluto conventu*, ille *dixit ad me silenter, appellans Romanum, et Ægyptium, et Jerosolymitanum concilium.* Postea vero ad S. Leonem scribens ait (*Epist.* 21): *Et quidem libellis statim subscriptione mea his addita obtuli scripta, ostendens de sancta fide professionem meam. Sancto autem Flaviano archiepiscopo neque libellum suscipiente, neque ut legeretur jubente, audiente tamen et respondente me ipsis verbis fidem, quæ Nicææ exposita, et a sancta synodo, expetebur duas naturas fateri*, etc. *Libellos*, seu *libellum* hic distinguit a *scriptis additis* de fide; et similiter in fine epistolæ ejusdem duo distincte commemorat, nimirum libellum *qui a me*, inquit, *ingestus est, non tamen susceptus, et editionem fidei meæ.* Si chartam professionis fidei dixisset oblatam, et non susceptam a Flaviano, qui, ut eam ipse Eutyches palam legeret, præcepit, aliquid veri dixisset. At cum oblatum et non susceptum affirmavit libellum a charta professionis fidei distinctum, nimirum appellationis libellum, turpiter mentitus est, uti ex actis paulo ante memoratis elicitur, et notavit S. Flavianus in epist. 26, ad S. Leonem. Confer not. 5 (*Tom. præced. col.* 715, *n.* [c]) in epist. 21.

3. Hunc vero libellum a professione fidei distinctum, qui nobis conservatus non fuit, sed Eutychis litteris ad Leonem erat adjectus, appellationis libellum fuisse Leo testatur epist. 23, quod non tam ex ipsius Eutychis epistola 21, quam ex ejusdem libelli ipsi epistolæ annexi lectione cognoscere potuit. Hac autem in re maxime mirum accidit Quesnellum in appendice præmissæ dissertationis non minimum laborare, ut ostendat epistolam 21 Eutychis ad Leonem, non *appellationis*, sed *querimoniæ libellum* fuisse; perinde ac si ille, etsi appellationem ad pontificem in judicio oblatam finxerit, non tamen ad eum post **1125** judicium miserit nisi querimoniæ libellum. Hinc in fine dissertationis, ubi quatuor Eutychis libellos distinguit, *libellum appellatorium ad concilium*, *querimonialem* vero *seu querelæ ad S. Leonem datum* prodidit. Id vero eo magis mirum videtur, quod in notis ad epist. 25 S. Petri Chrysologi ad Eutychen indubie scribat n. 4: *Evidens est judicium Ravennensis episcopi postulari ab Eutyche non potuisse nisi per appellationis libellum seu verum, seu fictitium.* Cur quod necessarium affirmat in Eutychis scriptis ad episcopum Ravennensem, cui in appellationibus Orientalium jus nullum erat, non perinde gestum concedit cum Leone, cui illud jus competebat, et apud quem appellationem, licet ementitam, judicii Constantinopolitani tempore interpositam, et postea ad Leonem transmissam ex ipsius pontificis testimonio discimus? Tota Quesnelli allucinatio ex eo pendet quod solas consideravit nobis conservatas Eutychis litteras ad eumdem pontificem, in quibus appellatio expresse non declaratur; nihil autem cogitavit de libello eisdem litteris annexo, et distincto a charta professionis fidei, quem cum oblatum in judicio, nec tamen susceptum Eutyches per mendacium in eadem epistola scripserit, appellationis quantumvis ementitæ libellum fuisse idem Quesnellus agnoscere debuit; quod enim ille finxit, ad appellationem pertinebat, ut palam fit ex relectione Actorum CP. synodi, et idem Quesnellus in dissertatione fatetur. Ad Leonem igitur hæreticus non solum misit epistolam, quam querimoniæ libellum non displicet appellari, verum inter alia documenta eidem annexa appellationis etiam libellum misit, qualem in judicio abs se propositum et non susceptum mendacissime prodidit.

4. Cæterum non multum enitendum fuit a Quesnello in appendice adversus P. Lupum, qui in ipsa Eutychis epistola appellationem videre sibi visus est. Hic hæreticus vaferrimus cum appellationem in ipso judicio interpositam finxit, noluit ementitæ appellationi præjudicium creare nova appellatione post judicium, ac si illam nullius momenti haberet. Hinc in epistola abstinuit a verbis appellationis iterum interponendæ, satisque habuit libellum appellationis ante sententiam ementitæ ad Leonem cum epistola mittere; ejusque judicium atque sententiam circa fidem petens, simul postulavit, quod inde sequebatur, ut scilicet irritarentur omnia in se gesta, si Constantinopolitanum judicium circa fidem reprobandum videretur. Considerentur attente hæc Eutychis verba: *Obsecro nullo mihi præjudicio facto ex his quæ per insidias in me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit supra fidem proferre sententiam, et nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere, et non excuti et eximi de numero orthodoxorum* (*Epist.* 21). Nonne his verbis, licet appellationis voce non utatur, Leonem aperte uti judicem interpellat, ut de judicio Constantinopolitano sententiam proferat? Cum præter sententiam circa fidem sibi etiam caveri postulat, nonne judicium etiam circa suam personam æquivalenti appellatione efflagitat? Quid Quesnellus violentis interpretationibus hæc verba distorquere nititur, ne quid appellationis continere videantur? Quid refert appellationis expressum nomen non inveniri in epistola quæ e Græco Latine reddita, minus peritum interpretem nancisci potuit, si illud reipsa petitur a Leone, quod per appellationem peteretur? Non appellationis vocabulum, sed ejus vis et potestas consideranda est. Vis autem appellationis in eo consistit ut superioris judicium de judicio inferioris quæratur; et ita quæratur ut ille de hoc sententiam ferat, et si injustum judicium agnoscat, rescindat, nullumque exinde condemnato præjudicium obveniat. Cum ergo Eutyches recitatis verbis ac in tota epist. 21 id petat a Leone, ut de Constantinopolitano Flaviani judicio circa fidem sententiam ferat, simulque sperans fore ut hoc judicium reprobetur, postulet ne sibi ullum ex eo judicio damnum aut periculum obveniat, nec eximatur ab orthodoxorum numero, nonne reipsa appellationis vim ac substantiam satis expressit, et appellationis jus Leoni vindicavit?

5. Alia vero duo longe graviora in ea, quam se in ipso judicio interposuisse Eutyches ementitus est, appellatione animadvertimus, quæ ad intelligendam Orientalium mentem circa pontificium jus in appellationibus non modicum conferent. Primo licet hæc appellatio in ipso Constantinopolitano judicio inter-

fecta non fuerit, et eatenus Eutyches mentitus sit; qui tamen hanc appellationem 1127 non solum finxit, verum etiam confictæ appellationis libellum ad Leonem misit cum querimoniæ litteris, ac ejusdem judicium petivit, is procul dubio jus appellandi ad Romanam sedem apud Orientales quoque exploratum ac certum præsumpsit, ac tale ut si appellatio in ipso judicio vere fuisset interposita, vim habuisset suspendendi judicii, vel irritum efficiendi quidquid postea, appellatione contempta, gestum fuisset. Secus enim si apud Orientales appellationis jus ad Romanum pontificem nihili habitum Eutyches cognovisset, num fuisset tam stultus ut fingeret quod sibi ex Orientalium sensu nihil proficeret?

6. Deinde si Eutychis dolosi et criminosi viri testimonium minimi fiat, num testimonium et factum S. Flaviani Constantinopolitani antistitis non maximi habebitur? Is epistola quidem 22, quam statim post Eutychis damnationem et primo scriptam in admonitione probavimus, cum de appellationis libello ad Leonem misso nihil sciret, simplicem erroris et damnationis ejus relationem cum gestis concilii ad eumdem pontificem direxit, rogans ut ipsam Occidentalibus notam faceret, ne forte versutus homo quempiam minus instructum deciperet. Hinc cadunt plura a Quesnello superstructa hypothesi, quod epistola 22 Flaviani ad Leonem non prima, sed altera posterior sit. Postquam vero a pontifice accepit litteras, quibus de appellatione ab Eutyche asserta intellexit, altera epistola 26 rescribens, mendacem quidem illum detexit, at simul agnoscens apostolicum jus in recognoscendis judiciis ipsorum Orientalium, quando etiam appellatio post judicium defertur, non solum Acta in Eutychem misit, verum ipsa Leonis judicio subjiciens, eumdem rogavit ut *propriam faciens communem causam et sanctarum Ecclesiarum disciplinam*, simul DECERNERE *in damnationem adversus eum regulariter factam et per propria scripta dignaretur...... Causa enim eget* SOLUMMODO *vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, et turbæ quæ jam propter eam factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas litteras. Removebitur autem et concilium, quod fieri divulgatur; quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.* In hæc Quesnellus : *Postulat ergo Flavianus*, inquit, *Leonis non judicium, sed solatium; non sententiam, sed litteras; defensionem, non confirmationem; propria scripta, non synodalia decreta.* Vah! malum interpretem. Nonne *decernere in damnationem regulariter factam* judicium et confirmationem significat? Vis quidem Græci verbi a Flaviano adhibiti συμψηφίσασθαι juridicam sententiam alii judicio calculis adjicientem seu confirmantem indicat. Verbum enim ψηφίζεσθαι, a quo illud originem ducit, forensi vulgata formula idem est ac *sententiam ferre*; unde et *sententia* ψήφισμα appellatur. Quid porro? Cum Flavianus addidit, causam *egere solummodo* Leonis litteris atque subsidio, nonne editi abs se judicii confirmationem non solum petiit, sed necessariam etiam ostendit? ac ita *solummodo* necessariam, ut par confirmatio a nulla alia sede prætereà requirenda sit? Quid quod adjecit, ex hac confirmatione eventurum ut ad tranquillitatem et pacem cuncta revocentur, et enata hæresis ac turbæ ob eam excitatæ facile destruantur, impediaturque ipsum generale concilium, quod convocandum ferebatur? Num hi tot ac tanti effectus ex litteris quæ nec judicium, nec sententia, nec confirmatio essent, sperari poterant? Nonne aliquid solemne ac peculiari apostolicæ sedis auctoritate editum a Flaviano quæsitum agnoscitur? Nonne litteræ, post quas generale concilium veluti non necessarium esset removendum, auctoritatem habituræ credebantur ad finiendam causam, eamque æquivalentem auctoritati concilii generalis, quod alia in hypothesi adhuc necessarium judicari potuisset? Videat ergo

A quisque æquus lector quam perperam Quesnellus Flaviani consilium et litteras interpretatus sit, ne in episcoporum Orientalium judicia apostolicæ sedis auctoritati ille quidquam detulisse credatur.

7. Quod si ejusdem Flaviani verba exactius pensemus, non ipse solus huic auctoritati apostolicæ tantum attribuit, sed Orientales quoque idipsum sensisse ac detulisse præsumpsit, cum ex Leonis litteris omnia in Oriente componenda exortamque hæresim disjiciendam prodidit. Nisi par in Romanam sedem apud omnes Orientales obsequium Flavianus novisset, hæc procul dubio affirmare non poterat. Enimvero si celebris illa epist. 28, ad eumdem Flavianum, qua S. Leo 1129 expensis Actis CP. synodi de tota re sententiam ferens, Eutychianæ hæresis condemnationem confirmavit; si, inquam, hæc epistola dolo malo occultata et suppressa non fuisset in generali synodo, quæ non necessitate ulla, sed imperatore Theodosio Eutychi favente ac jubente Ephesi coacta
B fuit, haud excitata fuissent illa scandala quibus eadem synodus in pseudosynodum transiit, totumque Orientem turbavit; sed acquievissent omnes qui hæresi non patrocinabantur, apostolicis litteris, ut in Chalcedonensi factum vidimus.

8. In hac autem Leonis epistola aliud in rem præsentem maxime conferens animadvertendum est. Ibi nimirum S. pontifex non de sola Eutychis hæresi, quæ in Constantinopolitana synodo proscripta fuerat, sententiam ferens, justam ipsius condemnationem confirmavit, sed ipsum quoque ejusdem synodi judicium examini subjiciens, duo in eo notanda indicavit, quæ cum emendationem aliquam ipsius synodi præferant, apostolicum jus retractandis, et, ubi opus sit, corrigendis etiam episcoporum Orientalium judiciis mirifice astruunt. Primo enim cap. 6 Constantinopolitano Flaviani judicio succensuit, quod sine ulla censura prætererit eam Eutychis sententiam: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero unam natu-*
C *ram confiteor.* In quæ S. pontifex, *Miror*, inquit (*Epist.* 28, *cap.* 6), *tam absurdam tamque perversam ejus professionem nulla judicantium increpatione reprehensam, et sermonem nimis insipientem nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum.* Nonne hæc ipsius CP. judicii emendatio est? Deinde cum Eutyches in hoc judicio fuisset absolute condemnatus, nulla spe restitutionis illi proposita, si resipisceret, emolliendum hoc decretum eodem capite duxit S. Leo, dum erga ipsum, si errorem damnet, miserationem exercendam præscribit. Ne vero his in rebus auctoritatem sibi indebitam Leonem usurpasse juris sui promovendi causa quispiam fortassis suspicetur, Chalcedonense concilium totaque Ecclesia catholica, quæ hanc dogmaticam epistolam omnesque ipsius partes tot cum laudibus susceperunt, et non ut privatas litteras, sed tamquam judicium solemne et auctoritati apostolicæ competens agnovere, hocce commentum luculenter refel-
D lunt. Non ergo solus Eutyches, non Flavianus tantum aut Leo, sed et generalis Ecclesiæ synodus, ac ipsa universalis Ecclesia hoc apostolicum jus legitimum astruit; et solus Quesnellus cum iis qui Romanæ sedis prærogativis adversantur, veluti usurpatum et incompetens jus traducere potest.

9. Nunc de altero capite, quo is Eutychem appellasse contendit non ad Romanum tantummodo pontificem, sed ad Alexandrinum quoque, et Jerosolymitanum, et Thessalonicense concilium; adeo ut si appellationum jus hinc colligendum sit, nihil Romano antistiti præ Alexandrino, Jerosolymitano ac Thessalonicensi tribuendum sit; vel si his episcopis atque eorum conciliis ex Eutychis appellatione nullum jus fuit supra Constantinopolitanum Flaviani judicium, nullum pariter Romano pontifici exinde deduci possit. Ad hæc primo animadvertimus Eutychem quidem appellationem sparsisse ad hos omnes apud quos præsidium sibi affuturum sperabat. At libellum ap-

pellationis, quod sciamus, ad solum Leonem misisse, et a solo Leone judicium institutum, ac sententiam epistola 28 latam liquet. Quid porro hac in re Eutyches egerit, ad verum jus appellationis astruendum non ingerimus; notum enim est criminosos et pertinaces homines justa sententia condemnatos, patrocinia etiam illegitima quærere, et quacumque via possunt, nisi turbas excitare, et imperitis fucum facere. Ad S. Petrum Chrysologum episcopum Ravennatem etiam scripsit, eo quod illum magni nominis, et multæ apud Valentinianum auctoritatis audisset, licet is nullo jure supra Constantinopolitanum antistitem ac synodum potiretur. Hinc ab ipso id responsi accepit epist. 25, c. 2, non posse se *extra consensum Romanæ civitatis episcopi* de ejusmodi causis cognoscere et judicare. Mirum est Quesnellum in notis ad hanc epistolam num. 2, hoc Eutychis factum ita ingerere, ut licet jus Petro Chrysologo hac in re non fuisse concesserit, Romano autem pontifici non negaverit, appellationem tamen num. 4 ab eo interpositam contenderit apud eumdem episcopum Ravennatem, indeque collegerit interpositam etiam fuisse ad alios metropolitas Occidentis æque ac ad Romanum pontificem. Hæc omnia gratis dicta sunt sine monumento ullo. Esto autem **1131** quod Eutyches appellationem prætulerit ad alios præter Romanum pontificem, quibus appellationis in hac causa jus nullum erat, numquid cum ad Romanum pontificem appellationis libellum reipsa misit, ad eum misit cui hoc jus non competebat?

10. Ut autem de hoc jure tute judicemus, non unius Eutychis factum, sed quid hujus facti occasione a Flaviano et a synodo Chalcedonensi Leonis judicium vel promoventibus vel suscipientibus gestum est, potissimum spectari debet. Vellemus Quesnellum meminisse ejus, quod scripsit num. 9: *Non Eutychi vaferrimo impostori fidem habeamus..... Audiamus Flavianum novæ urbis episcopum Christique martyrem fortissimum.* Certe quamquam Eutyches ad plures, immo et ad universalem synodum appellationem sparserit, *solo* tamen Leonis judicio eam causam indigere Flavianus, ut vidimus, confessus est; nec ab aliis metropolitanis aut patriarchis idem judicium flagitandum credidit, quod ab uno Leone ita postulavit, ut non solum nullius metropolitæ aut patriarchæ, sed nec ipsius generalis concilii judicio opus esse putarit. Et siquidem eodem Quesnello testante num. 9, Flavianum *novæ urbis episcopum... Orientalium de appellationibus animus ac consuetudo latere non potuerunt*, hanc eamdem fateri oportet fuisse Orientalium mentem ac consuetudinem in appellationibus, ut solius Romani pontificis judicium sufficere crederent, nec requiri aliarum sedium sententiam, aut generalis concilii, quod post judicium sedis apostolicæ removendum uti non necessarium idem Flavianus pronuntiavit. Synodus etiam Chalcedonensis cum suscepit Leonis sententiam in hac causa editam epistola 28, qua non solum de Eutychis hæresi, verum etiam de Constantinopolitano Flaviani concilio decretum fuit, eamdem pontificiam auctoritatem comprobavit. Quid? Ipse Quesnellus in notis ad laudatam Chrysologi epistolam hoc pontificium jus inficiari non potuit. Solum ut istud aliqua ratione extenuaret, appellationem ad eum delatam tradidit uti ad caput Occidentalis Ecclesiæ, ac si non ad Romanam sedem per se, sed ad Occidentale concilium delata censeri debeat, quæ ad Romanum episcopum defertur. *Occidentalem synodum*, inquit n. 1, *ejusque primatem illæ* (appellationum causæ) *attinebant*. Et n. 3: *Cum porro ad Occidentales episcopos appellabatur, Romani procul dubio episcopi omnium aliorum principis consensus explorandus erat, qui et synodi Occidentalis peculiari nomine caput, et universalis Ecclesiæ in causa maxime fidei procurator erat, et executor præcipuus canonum, qui in conciliis œcumenicis adversus hæreticos olim conditi erant.* Vide quot limitationibus hoc pontificium jus, quod fateri cogitur, circumscribat. Quatenus Romano episcopo per sese hoc jus competat etiam extra causas fidei, in observationibus ad quintam dissertationem ostendimus. In causa autem appellationis Eutychis solius Leonis nomine epistola 28 edita est, quod illi hoc jus ratione primatus competeret, nulla necessitate imposita cogendæ Occidentalis synodi, et uti apostolicæ sedis auctoritate edita, quæsita a S. Flaviano, a Chalcedonensi concilio et a tota Ecclesia catholica suscepta, ac summam exinde vim habere agnita fuit. Non ergo unius Eutychis testimonium in hoc valet, sed Flaviani, qui a Leone hoc judicium postulavit; sed Chalcedonensis œcumenicæ synodi, totiusque Ecclesiæ, quæ idem judicium a Leone editum tanta cum veneratione susceperunt. Vides igitur quo ex capite hæc licet ementita Eutychis appellatio ad statuendum apostolicæ sedis jus in ipsis Orientis appellationibus plurimum conferat. Cæteræ Quesnelli conjectationes, seu potius cavillationes cum satis ex dictis corruant, hominemque in Romanam sedem non bene affectum ostendant, ulteriori responsione non egent.

DISSERTATIO OCTAVA.

DE CAUSA FLAVIANI EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI IN PSEUDOSYNODO EPHESINA DAMNATI ATQUE DEPOSITI.

Ad epistolas 39 et 40 (nunc 43 et 44) sancti Leonis ad Theodosium imperatorem.

1133 I. Appellationum, quæ ad sedem apostolicam delatæ dicuntur primis Ecclesiæ sæculis, omnium celeberrima ea est quæ data est a Flaviano Constantinopolitano episcopo post latam adversum se a Dioscoro sententiam. Non enim tunc, inquiunt, a provinciali vel diœcesana synodo, sed ab ea quæ œcumenicæ synodi nomine gaudebat, ex omnibus videlicet episcopis collecta, et cui tres præcipui Ecclesiæ primates et patriarchæ, Occidentalis per legatos, Orientales per seipsos, intererant.

De hujusmodi igitur appellatione, quæ epistolæ 39 et 40 (*nunc* 43 et 44) præcipua est ac unica fere materies, paucis saltem disserendi necessitatem susceptum indicit consilium, etsi prolixiorem tractationem argumentum a doctioribus jampridem ventilatum non exigat.

Notandum imprimis, numquam a sancto Leone scriptum esse sedem suam a Flaviano esse appellatam, sed generatim dici *appellationem interpositam*, ut in hujus epistolæ capite 3 loquitur, et quod legati ipsius *fideliter reclamarunt, et eisdem* (*a*) *libellum appellationis Flavianus episcopus dedit.*

Concinunt Leoni Ephesinæ synodi Acta Græca in œcumenica Chalcedonensi relecta, in quibus aliud nihil a Flaviano dictum refertur, quam istud: (*b*) *Recuso te*, *παραιτοῦμαί σε*; et ab Hilaro Leonis legato: *contradicitur*, *κοντραδίκιτουρ*. Sive enim veram appellationem intellexerit Flavianus, ut scriptor novellus

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hunc fuisse libellum appellationis ad sedem apostolicam probabimus in observ. n. 4 et seqq.

(*b*) De hac formula confer observ. n. 2, ubi etiam sequentes cavillationes elidentur.

operose contendit adversus Marcam, sive recusationem, quod affirmant alii, et ipse David tandem fatetur, perinde est. Hoc unum assero, Leonis mentionem a Flaviano vel appellante vel recusante factam non fuisse. Quamquam, ut de recusatione Flaviani a Petro Marca asserta verbum dicam, miror tanta pervicacia propugnari hoc loco a Davide consuetas judiciorum canonicorum formulas, cum omnia contra jus fasque a Dioscoro præsumpta cognoscantur, nec Ephesino latrocinio accommodari ullo modo possent solitæ judiciorum consuetudines ac formulæ. Esto enim recusationi non sit locus secundum juris ordinem, nisi ante latam sententiam; nec appellationi, nisi post prolatum judicium: optime id quidem, cum vel legitimus judex merito in suspicionem venit, vel ab incompetente judicium adornatur. At nihil tale in Ephesino latrocinio reperias. Initio enim synodus legitime congregata jussu principis, assensuque pontificis, qui etiam per legatos intererat, recusari ac repudiari nullatenus potuit. Restat igitur ut tunc primum potuerint recusari Dioscorus ejusque synodus, cum ille omnia per vim scelusque sibi vindicans, et omnem judiciorum formam subvertens, ex episcopo visus est in prædonem et sicarium evadere, et synodum prius legitimam convertere in latrocinium. Tunc enim non tam appellationi, quæ legitimum ac competentem judicem supponit, quam recusationi ac protestationi locus erat contra conventum, quem *nulla ratio*, ut loquitur S. Leo, *synodum vocari sinit*.

Enimvero recusationis et appellationis latum est in pluribus discrimen; quorum hoc unum est quod recusatio sententiam in irritum mittit tamquam ab incompetenti judice latam; appellatio vero suspendit solummodo sententiæ effectum, tamquam injuste a judice, licet idoneo, profectam, donec a superiori ad examen revocetur. Porro toties tamque asseveranter Ephesinum judicium synodi nomine indignum clamat Leo noster, etiam ante iteratam cognitionem, ut satis significet magis recusationi quam appellationi locum fuisse. Ecqui enim **1135** synodus illa vocari queat, ubi omnia prædatorie acta sunt? *Ubi*, sicut conqueritur Leo, *hi qui collecti sunt, de fide et errantibus non secundum consuetudinem protulerunt; ubi primates synodi nec resistentibus sibi, nec consentientibus pepercerunt; ubi non omnes qui convenerant interfuisse cognovimus; ubi alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui pro unius Dioscori arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederant; ubi in omnes sævitum est Ecclesias;* ubi scripta apostolicæ sedis episcoporum auribus publicari non sunt permissa; ubi ejusdem legatis suus locus non est concessus; ubi, sicut Patres Chalcedonenses queruntur, *violentia facta est, vis cum plagis, minabatur damnatio, minæ exsilii tendebantur, milites cum fustibus et gladiis instabant; ubi gladii et fustes, qualis synodus est* (*Epist.* 39, *nunc* 43, *cap.* 1; *epist.* 75, *nunc* 95, *cap.* 2; *epist.* 39, *nunc* 43, *cap.* 1; *epist.* 40, *nunc* 44, *cap.* 1; *Chalced. syn. part.* II, *act.* 1)? Hinc vides quam merito jure clamavit Flavianus: Παραιτοῦμαί σε, *Recuso te*. Quia tamen episcoporum fere omnium consensus ac subscriptio nonnullam synodi imaginem impio conventui conciliabant, imperatorisque ac potestatum interveniebat auctoritas, Flaviano visum est, cum postmodum appellationis libellum apostolicæ sedis legatis tradidit, hanc appellationis vocem usurpare, ut ex jure appellationis novæ synodo locus daretur.

II. Appellans autem Flavianus, Leonis, ut dixi, nomen non interposuit: in quo ipsum etiam Leonem suffragatorem habemus. Cum enim de hac appellatione ac de iterando concilio sæpius agat in epistolis post Ephesinum conventum scriptis, numquam tamen sedem suam ait appellatam: quod pontifex sedis suæ jurium studiosissimus numquam omisisset, si ita fuisset; sed appellationem simpliciter interjectam asserit. *Cui*, inquit (*Epist.* 39 *et* 40, *nunc* 43 *et* 44, *c.* 3), *sacramento veræ divinitatis et veræ humanitatis in Christo, quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus et lacrymis supplicant sacerdotes; ut, quia et nostri fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit, generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum: convenientibus utique Orientalium provinciarum episcopis, quorum si qui superati minis atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur; ipsique, quorum est causa durior, si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant. Quam autem post appellationem interpositam hoc necessario postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta* **1136** *testantur, quæ a totius mundi sunt sacerdotibus constituta, quæque subter annexa sunt.* Lego hic reclamasse legatos, lego interpositam appellationem, lego etiam legatis datum appellationis libellum: at vero ad quem appellatum sit prorsus non lego. Immo, inquit Joannes David, ex his ipsis verbis perspicuum est Romanum pontificem esse appellatum. Omnis enim appellatio necesse est ut alicui judici deferatur. Cum igitur Flavianus libellum appellationis legatis dedit, eam ob causam dedit, quod in eis jurisdictionem agnosceret, quæ recipiendæ appellationis potestatem faceret: jus porro istud privatis hominibus competere non potuit; unde necesse est ut tamquam papæ legatis libellum hujusmodi tradiderit, quia pontificem pro idoneo appellationis discutiendæ judice agnovit. Miror homini versandis litibus ac procurandis dedito ita jurisdicendi normam et usum latere, ut ignoret quod nemo nescit qui forum a limine salutavit. Quis enim umquam vel somniavit libellum appellationis ei ad quem appellatur, vel ejus vicariis *tradendum* esse? Immo secundum juris Romani formam eidem traditur a quo appellatum est, qui litigatori decernat apostolos, id est litteras dimissorias, quæ sic dicunt: *Notum sit vobis R. appellasse a sententia mea, et ideo dimitto eum a judicio meo et ad vestrum dirigo*, ut ff. de Lib. Dimiss. l. 1. Ita Paulus apostolus cum Cæsarem appellasset a præside Festo (*Act.* XXV, 10), non alteri quam eidem præsidi appellationis vocem direxit, nec ab altero recepta appellatio aut appellans dimissus ad Cæsarem: *Tunc Festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti? Ad Cæsarem ibis* (*Ibid.*, 12). Et postea: *Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere* (*Ibid.*, 25). Jam vero Flavianus a Dioscoro ejusque infausta synodo appellans (*a*) ad aliud concilium, cuinam suum tradidisset libellum, nisi legatis Romanis, qui fere soli iniquis Dioscori molitionibus non consenserant? Primum, quia Dioscorus omnia per vim et impotentiam agens nullam juris formam servari permisisset; deinde, quia omnes fere synodi præsules captivas manus Dioscoro dederant; tertio, quia Occidentales maxime episcopos appellabat Flavianus, ut et Theodoritus, ac proinde necesse erat ut eorum patriarchæ ac omnium primati innotesceret Flaviani appellatio. Denique ad universale totius Ecclesiæ concilium provocanti, quis potius adeundus est appellationis libello, quam is qui et Ecclesiæ totius apex summus, et in fidei causa universalis velut procurator est,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Duo in observationibus ostendemus: 1° Flavianum appellasse ad sedem apostolicam, et ad Romanam synodum, quæ in ejusmodi causis a Romanis pontificibus congregari solebat; 2° auctoritatem harum synodorum fuisse præsertim in summo pontifice, cujus potestas potissimum appellationibus respiciebatur. Vide n. 5 et seqq., usque ad 12.

cui incumbit convocandæ œcumenicæ synodi præcipua sollicitudo ac cura, cui denique jus primæ sententiæ **1137** primique loci competit in conciliis? Hæ sunt veræ rationes quæ Flavianum moverunt ut appellationis vel recusationis libellum in manus legatorum deponeret, quos ad hunc effectum necesse non erat ut jurisdictionem propriam vel pontificis nomine haberent; sed sufficiebat ut concilii pars essent, et interpositæ appellationis testes idonei.

III. Ad id vero, quod decernit scriptor ille, esse necesse ut omnis appellatio ad aliquem judicem provocet, ita est, si is verborum Davidis sensus: quoties appellatur, ad aliquem appellari. Sed duo animadvertenda sunt, ne cui fucum faciant hæc verba: primum, male ab eo duos confundi, scilicet eum qui libellum appellationis recipit, et eum cujus est de appellatione judicare, quos longo intervallo distare ostendimus, cum is potius reciperet libellum a cujus sententia appellabatur; deinde notandum quod etsi ad aliquem semper appelletur, non tamen necessario requiritur ut ejus nomen vel viva voce vel scripto explicetur; solemnia enim appellationis aliud nihil exigunt, nisi ut mox lata sententia, judice adhuc pro tribunali sedente, litigans viva voce dicat: APPELLO. Et cum ex intervallo per libellum appellatorium appellatur, sufficit dicere, quis, a quo, et a qua sententia appellet, etiamsi appellati judicis nomen aut magistratus non exprimatur.

Evanescit igitur fucus ille quem ex verbis S. Leonis facere tentavit David. Nec solum pro ipso non pugnant Leonis ea verba, quæ aliena interpretatione torquere voluit, sed ipsum pontificis de sede sua silentium sensui, quem eidem affingere satagit, prorsus repugnat. Ut demus enim negativum argumentum non semper roboris plurimum habere, hoc tamen loco vim habet maximam, cum certum sit pontificem non ita causæ propriæ oblitum esse, ut appellationem, quam expressis verbis ad sedem Romanam Constantinopolitanus antistes detulisset, ipse premeret silentio, prærogativamque ultro delatam respuere videretur.

IV. Ex descriptis porro epistolæ 40 (*nunc* 44) verbis aliud nobis validissimum adest (*a*) argumentum, quo a Flaviano synodum appellatam esse constat, ac deinde Leonem quatenus synodi caput. Cum enim ex appellatione illius episcopi, congregandæ synodi œcumenicæ necessitatem arcessat, sole clarius est appellatam esse synodum, nec alterius auctoritatem pulsatam esse appellationis libello, ut de latrocinii Ephesini sententia judicium ferret. *Quam autem*, inquit, *post appellationem interpositam hoc necessario postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur*. Si enim ad unicum ex Occidentalibus episcopum cum provinciali **1138** vel diœcesana synodo provocatum est, quidni solus cum suis comprovincialibus judicium adornat? Ut quid omnium Ecclesiarum sacerdotes e suis sedibus dimoventur, si unius judicio possit causa finiri? Cur *necessario* postulata synodus œcumenica, quando non œcumenica synodus appellata est? Si sedes primaria libello adita est, sedi suæ pontifex litigantes sistat, rem discutiat, coepiscoporum sententiam postulet, judicium decernat, et causa finita est. Sed ideo *necessario* postulari generalem synodum *post appellationem interpositam* censuit Leo, quia illam a Flaviano postulatam esse ex ipsius libello atque ex consuetudine ecclesiastica intellexit; nec suæ providentiæ judicioque existimavit esse permissum, an synodo cogendæ supersederetur, an instaretur; sed ex necessitate et ex officii sui debito esse duxit pro ea impetranda etiam *cum gemitibus et lacrymis*, ut ipse ait, *et genibus provolutum deprecari*, ut scribit Liberatus (*Brev. cap.* 12). Ita Innocentius papa I, deposito S. Joanne Chrysostomo, *œcumenicam synodum*, ait Sozomenus lib. VIII, cap. 26, *convocare studuit*; scribensque ad clericos Constantinopolitanos, sic habet: *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti afferemus? Necessaria erit synodalis cognitio; quam etiam multo jam antea congregandam diximus. Ea quippe sola est quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest. Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei ac Christi ejus Domini nostri*. Et postea: *Ac nos quidem multum deliberamus quonam modo synodus œcumenica congregari possit; per quam divina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint*.

Idem sibi onus incumbere intellexit, ut diximus, S. Leo; sensere et reliqui Occidentalium partium antistites, qui audito appellationis nuntio, causam hanc ut sibi omnibus communem et cuique propriam amplexi sunt, supplicesque imperatorem per Leonis litteras adierunt, ut synodum generalem congregari juberet, in qua, discusso iterum Eutychis dogmate, Flavianique ac Dioscori causis cognitis, sententiam ferrent finem huic negotio imposituram. *Omnes*, inquit Leo (*Epist.* 40, *nunc* 44, *cap.* 3), *partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus et lacrymis supplicant sacerdotes, ut quia et nostri fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit, generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari; convenientibus utique Orientalium provinciarum episcopis*. Votum quidem suum Leoni significare nondum potuerant omnes Occidentales episcopi; sed pontifex ut omnium caput ac lingua, omnium mentem Theodosio explicat, omnium jus apud eumdem prosequitur ac urget, nullatenus dubitans **1139** quin omnes appellationem ad se delatam apud se vellent, congregata synodo, discuti; neque hoc sibi sumens, ut synodum suo unius nomine postularet; ne jus omnibus commune, proprium sibi facere ac reservare soli videretur. Notandum porro diligenter ex illis Leonis nostri verbis Occidentales omnes episcopos et Ecclesias, non eo solum nomine synodum supplices postulare, quod fidei causa omnibus communis periclitaretur, vel aliam ob rationem, sed ob id maxime *quia et legati sedis apostolicæ reclamarant, et eisdem appellationis libellum dederat Flavianus*. Jus enim inde suum arcessunt, Leone teste, Occidentales episcopi omnes, nec aliam proferunt hoc loco rationem.

V. Ex quo consequi necessario mihi videntur duo maximi momenti: alterum quidem, quod superius discussimus, non ad unum pontificem aliquem, sed ad omnes Occidentis saltem episcopos devolutam esse Flaviani appellationem; alterum (*b*) legatos sedis apostolicæ, non Romani solummodo pontificis nomine Ephesinæ synodo secundæ interfuisse, nec alias interesse consuevisse œcumenicis conciliis in Oriente congregatis, sed et omnium totius Occidentis episcoporum vice, quorum procurationem gerebant, cum per se interesse iidem non poterant. Hoc enim solemne erat Romano episcopo ut cum primum synodus universalis indicta erat, omnes sui patriarchatus episcopos ea de re admoneret cogeretque ipse Romæ synodum, ad quam invitati Occidentales confluerent; ut in commune de negotio illic tractando dissererent, deligerentque legatos absentium vicem impleturos. Nimirum qui ex illa Romana synodo legati mittebantur, non solius pontificis legati erant, nec ab ipso solo mitti dicebantur, sed ab universa synodo missi erant, ejusdem agebant vicem; tametsi legatorum sedis apostolicæ nomen semper retinerent, quia Occidentalium omnium coryphæus erat pontifex. Hoc clarissimum evadit ex tertia synodo œcumenica Ephesina, ubi Cyrillus legatorum apostolicæ sedis sententiam resumens, sic loquitur: *Deposuerunt enim sup-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hoc argumentum expungetur in observ. n. 13, Leonisque mens explicabitur n. 14 et seqq.

(*b*) Hæc et sequentia excutientur in observ. n. 25 et seqq.

plentes locum sedis apostolicæ totiusque synodi sanctissimorum Deoque dilectissimorum Occidentalium episcoporum (*Parte* II *Ephes. syn. act.* 3). Et in relatione missa ad imperatorem: *Piissimus*, inquit, *magnæ vestræ Romæ archiepiscopus, et universa Occidentalis synodus, per sanctissimos episcopos, quos ad nos ipsa misit*, etc. Idem manifestum est ex concilii sexti actis, ubi episcopi Portuensis, Paternensis et Rhegitanus locum tenere dicuntur concilii antiquæ Romæ, in quo centum et viginti episcopi convenerant. Hinc sæpe sæpius cum pontifex noster legatos ex synodo mittit, non suo tantummodo, sed et concilii nomine **1140** scribit in hunc modum: *Leo et sancta synodus, quæ Romæ convenit*, etc. Si quando autem vel bellorum tumultus, vel publicæ calamitates, vel temporis angustiæ synodum ex omnibus suis diœcesibus convocare pontificem non sinebant, tunc vel unaquæque diœcesis suum cogebat concilium, ex quo legati ad Romanam synodum missi sententiam episcoporum illius diœceseos ferrent, quæ demum communibus totius patriarchatus legatis ad œcumenicam synodum profecturis tradebatur; iidemque legati a sede apostolica cæterarum principe, ubi concilium convenerat, et ad cujus episcopum omnes Occidentales per legatos vel litteras velut ad κορυφαῖον, ut a Basilio vocatur, confluxerant, nomen legatorum sedis apostolicæ sortiebantur. Ita Leo noster indicta synodo Chalcedonensi, misit in Gallias, ut diœcesis Gallicanæ suffragium ex synodo Romam missum, per legatos apostolicæ sedis ad œcumenicam synodum deferretur. Testem habemus Leonem ipsum in epistola quam Gallicanis episcopis rescripsit post acceptas eorum litteras. *Optassemus quidem*, inquit (*Epist.* 77, *nunc* 102, *ad episc. Galliarum, cap.* 1), *fraternitatis vestræ litteras eo tempore quo promiseratis, accipere; ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam synodum vice nostra pro catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio jungeretur.* Cum denique tam arctus œcumenicæ synodo congregandæ terminus præfixus erat, ut nec aliarum diœceseon suffragia exspectare, vel ad eas ne litteras quidem mittere sineret, tunc coacto concilio vel ex diœcesi Urbis, vel ex iis episcopis qui tum in Urbe morabantur, legati mittebantur, qui totius patriarchatus Occidentalis procurationem a patriarcha ejusque diœcesana vel provinciali synodo suscipiebant gerebantque, et personam Occidentalium omnium in œcumenica sustinebant.

Ita factum est a Leone, postquam de indicta Ephesina synodo secunda ex Oriente nuntium accepit. *Imperator* enim, ut habet pontifex (*Epist.* 27, *nunc* 31, *ad Pulcheriam, c.* 4), *cupiens quam celerrime turbata componi, episcopali concilio, quod Ephesi vult haberi, nimium breve et angustum tempus indixit, diem kalendarum Augustarum præstituendo conventui; cum major pars reliqui sit temporis absumenda, ut profecto sacerdotum, qui negotio sufficiant, valeant ordinari.* Rebus, inquam, ita dispositis, aliud nihil restabat, nisi ut pontifex de Occidentalium suorum fide securus, eos dirigeret in Orientem, qui omnium causam agerent, scriberetque procul dubio de omnibus quod de Gallicanis scriptum a se fuisse ad Chalcedonensem synodum ipse narrat in rescripto ad Galliæ episcopos. *Merito*, inquit (*Epist.* 77, *c.* 2), *nos cognoscimus fratribus et coepiscopis nostris Orientalibus intimasse quod* **1141** *secundum evangelicam apostolicamque traditionem de incarnatione Domini nostri Jesu Christi una esset omnium nostrum et indiscreta confessio*, etc.

Inde manifestum est quam male sibi providerit Joannes David, cum ex eo quod legatis traditus dicebatur appellationis libellus, ad Leonem unum provocatum esse a Flaviano asseruit: siquidem ex dictis patet non solius pontificis personam gessisse legatos,

A sed omnium Occidentalium; ac proinde ad eos omnes delatam esse appellationem, quorum nomine intererant synodo. Ac consequenter jure merito synodum omnes Occidentalium partium episcopos postulasse, teste S. Leone, ac ejus neccessitatem ex legatorum reclamatione et Flaviani appellatorio libello eisdem oblato arguisse.

VI. At vero, inquit scriptor ille, S. Leo Nicænorum, id est hoc loco, Sardicensium canonum auctoritatem profert, ut ex appellatione Flaviani postulationis suæ æquitatem asserat. Nullam porro appellationem commemorant Sardicenses canones, præter eam quæ Romanum episcopum unice spectat: quare vel synodi decretis male et extra causam abutitur S. Leo, inquit ille, vel appellationem Flaviani sibi sensit esse devolutam.

Prævaricari dixerim qui tam infirmis fulcimentis causam sustentat, tamque contrariis sibi argumentis. Ita enim obscura sunt apud plerosque decreta illa

B Nicææ habita, quæ a S. Leone laudantur, ut nihil obscurius. Nihil quippe tale legitur inter Nicænos canones, et ad Sardicenses confugere cogitur David, quos sub Nicænorum nomine citatos a Leone divinat, ut a multis ante ipsum divinatum est. Verum hoc *non invitì* concedimus, (*a*) Sardicenses canones *alieno hic* nomine vestitos adductos esse a Leone, ut necessitatem concilii œcumenici argueret: jam absurdissimum esse contendo, quod inde consequi vult David, nimirum nemini tunc notum non fuisse Flaviani appellatione apostolicæ tantummodo sedis tribunal pulsatum esse, cum de solis hujusmodi appellationibus decernant canones Sardicenses. Hanc enim argumentandi rationem nemo est qui non Leone indignam existimet.

Si de solis appellationibus ad Romanum pontificem statutum est aliquid Sardicensibus canonibus, necesse est ut congregetur synodus œcumenica, quæ de appellatione Flaviani judicet.

C Atqui de solis appellationibus ad Romanum pontificem statuunt Sardicenses canones.

Ergo necesse est ut œcumenica synodus de Flaviani appellatione judicatura convocetur.

Vides, mi David, quam sit absurda illa major propositio, cui tamen inniti necesse est **1142** argumentationem tuam; rectius enim hoc in gratiam sedis suæ elicere Leo videretur. De solis appellationibus ad sedem apostolicam agunt Sardicenses. Ergo auctoritate Sardicensium canonum sola sedes apostolica de appellatione Flaviani judicare debet. At istud non elicit S. Leo, sed potius ex Sardicensium canonum decreto congregandum esse concilium, in quo appellatio discuteretur. Ut vero recte procedat argumentatio Leonis, unum supponendum est, quod a Davidis mente alienissimum, quodque maximi est momenti: nimirum, pontifici persuasum fuisse, quod cum Sardicensis synodus episcopis appellandi ad sedem apostolicam seu ad episcopum Romanum potestatem fecit, non ad episcopum solitarie sumptum,

D sed ad eum suarum diœceseon episcopis septum deferri voluit appellationem, nec aliter hanc dijudicandam censuit quam ab omnibus Occidentalibus episcopis sub patriarcha suo congregatis, *convenientibus utique*, ut expressis verbis hoc loco habet Leo, *Orientalium provinciarum episcopis.* Tunc enim vitiosum non erit pontificis ratiocinium, ita Augustum urgentis; sed potius dialecticæ canonibus omni ex parte congruet. Quod ut demonstretur, S. Leonis enthymema in syllogismum resolvi debet; ex quo quid ipse in mente habuerit quidque necessario supplendum sit, nemo sole meridiano clarius non videat.

Tale est igitur pontificis enthymema ex epistolis 39 et 40 (*nunc* 43 et 44).

Tribunal illud ad quod appellandum censuit Sardi-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide hac in re observationes n. 20 et seqq., in quibus tota sequens Quesnelli ratiocinatio ad crisim exigitur.

censis synodus, post appellationem Flaviani interpositam, necessario postulandum est.

Igitur concilii œcumenici tribunal, seu concilii Occidentalis sub patriarcha suo, convenientibus ex Oriente et ex toto orbe episcopis, post interpositam Flaviani appellationem, necessario postulandum est.

Hujus enthymematis minorem suppleri necesse est, ut in syllogismum perfectum evadat : quem subjicimus.

Tribunal illud ad quod appellandum censuit Sardicensis synodus, post appellationem Flaviani interpositam, necessario postulandum est.

Atqui synodus Sardicensis ad concilii œcumenici tribunal, seu concilii Occidentalis sub patriarcha suo congregati, convenientibus ex Oriente et ex toto orbe episcopis, appellari censuit.

Ergo concilii œcumenici tribunal, seu concilii Occidentalis sub patriarcha suo, convenientibus utique ex Oriente et ex toto orbe episcopis, post appellationem Flaviani interpositum, necessario postulandum est.

VII. Porro non hoc tantummodo habemus ex Leonis mente ac ratiocinio quod in præsenti probatum volebamus, scilicet nec ad solum pontificem appellationis libellum datum esse a Flaviano, nec id sibi Leonem **1143** ipsum sumpsisse, ut solus post appellationem judicaret; sed egregiam prœterea ac singularem Sardicensium canonum interpretationem accipimus ab ipso pontifice Romano traditam, talique pontifice, quo neque doctior quisquam, neque jurium sedis suæ studiosior, Romanam umquam rexit Ecclesiam. Ipso, inquam, Leone interprete docemur quid per episcopum Romanum fieri deberet cum ad ipsum appellabatur, et quo sensu ad ipsum appellari concessere canones illi. *Ipsi enim sunt canones*, inquit Gelasius papa (*Epist. 4 ad Faustum Mag.*), *qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri.* Ut res facilius intelligatur, lectoris oculis subjiciendi sunt canones Sardicenses.

Canon 3. *Quod si aliquis adjudicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Julio Romano episcopo : et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et det judices ; si autem probaverit talem causam esse ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt : si hoc omnibus placet ? Synodus respondit : Placet.*

Canon 4. *Gaudentius episcopus dixit : Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti, ut cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter episcopus in ejus cathedra post appellationem ejus qui videtur esse depositus omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata.*

Canon 7 *Osius episcopus dixit : Placuit autem ut si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum dejecerint ; si appellaverit qui dejectus est, et confugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se audiri ; si justum putaverit ut renovetur judicium* (Al. *examen*), *scribere his episcopis dignetur qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut de latere suo presbyterum mittat ; erit in potestate episcopi quid velit et quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit.*

Observandum porro concilium istud convocatum in gratiam sancti Athanasii, Marcelli, Asclepæ et aliorum episcoporum, quos calumniis jampridem

A vexabant Ariani : quod vel inde manifestum est, quod ad Julium tunc Romæ episcopum litteræ decernuntur, non aliam ob causam quam ut **1144** Athanasii negotium ad se pertinere intelligeret vi istorum canonum.

1. Consilium episcoporum orthodoxorum qui illuc convenerant istud imprimis fuisse ut causam sancti Athanasii ejusque sociorum in Occidentem pertraherent : tum quia plerique Orientales, penes quos summa rerum erat, ipseque imperator, Athanasium angue pejus oderant, ejusque perniciei toti allaborabant ; tum quia maxima pars Sardicensium præsulum Occidentalium erant Ecclesiarum, eorumque præsertim coryphæus Osius Cordubensis, totius synodi ingenium et lingua.

3. Canones illos in gratiam Athanasii conditos, ad ipsius etiam mentem, et velut ex præjudicio quod ipse Romam petens creaverat, esse constitutos. Septimo enim circiter ante Sardicense concilium anno

B illuc se Athanasius contulerat, postquam Eusebiani ad Julium papam legatos misissent, qui ejus auctoritatem Occidentalisque concilii tribunal adversus Athanasium compellerent. Et revera concilium Occidentale Romæ mense Junio an. 341 convocandum velut ex utriusque partis compromisso indictum est, ac postea celebratum.

His consideratis. Sardicenses Patres in trium illorum canonum primo supponunt episcopum a proprio provinciæ suæ concilio sententiam excepisse ; sed eumdem injuriam sibi factam esse existimantem postulare *ut concilium renovetur*. Osius, quem et diuturnus rerum ecclesiasticarum usus, et Arianorum importunæ tergiversationes docuerant sæpissime accidere ut sine ulla ratione ac pro hæreticorum vafritie episcopi sedibus suis moverentur in concilium congregandi, censuit optimum fore, si alicui a concilio daretur facultas dijudicandi utrum et quando appellationi locus esse deberet ; ne judicia ecclesiastica paterent magis nebulonum quorumdam artibus ac

C protерviæ, quam sæcularia. Habes enim codicis libro septimo titulum 65 : QUORUM APPELLATIONES NON RECIPIUNTUR : *Et cessat appellatio*, ut glossator habet, *quandoque ideo quia necessaria non est ; quandoque ideo quia non mereatur appellator audiri :* quod toto titulo citato explicatur. Quem potius hoc munere decorasset synodus quam pontificem Romanum, communem omnium patrem, et in quo sancti Petri apostoli memoria honoranda erat ? Synodus enim provincialis suspecta erat damnato ; vicinarum provinciarum episcopis eam ob causam congregari e re ecclesiastica non erat : hoc igitur oneris Romano datum, cui nec operosa inquisitione, aut totius negotii accurata discussione ad id opus erat ; sed summatim tantum vel ex litteris priorum judicum cognoscere, sicut sæculari judici facile est statim decernere, quorum appellationes recipere permittant aut vetent juris civilis leges.

Porro *si probaverit talem causam esse ut non refri-*

D *centur ea quæ acta sunt*, suum stat provinciali sententiæ robur integrum ; *si judicaverit renovandum esse judicium*, decernit **1145** renovandum, scribitque *episcopis qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, et juxta fidem veritatis definiant.* Mittit etiam, si ita voluerit, presbyterum e suo latere, qui episcopis judicaturis suffragium suum jungat auctoritate ac nomine ejus a quo mittitur.

Hæc habentur in canone septimo, ubi non plurimum interest an quæ duobus illis canonibus efferuntur de revisione seu retractatione simplici prioris judicii an de vera appellatione intelligi debeant, cum illud omne ita auctoritate concilii statuatur, ut in potestate litigantis maneat tribunal illud adire. Certe in duobus illis canonibus appellationis vox non occurrit, nisi semel tantum : *si appellaverit et confugerit ad Romanum episcopum ;* cujus loco in synodo Africana, ubi refertur canon 7, et in Græca versione

legimus, *si appellasse videatur:* ex quo videntur præsules istud appellationis veræ nomine non esse dignatos, quod his aliis verbis sæpius exprimunt: *Renovare examen, renovare judicium, refricare quæ acta sunt, confugere ad episcopum Romanum, causam iterum audiri.* Quamobrem cum ait, *Si appellaverit*, non addit, *ad Romanum episcopum;* sed subauditum vult potius, *aliud judicium;* subjicit vero statim: *et confugerit ad Romanum episcopum*, ut nimirum aliud judicium impetret secundum synodi decretum.

An vero ad posterius istud judicium judices de novo dati cum prioribus convenire deberent secundum mentem canonis, affirmat Marca, negat David; et ex ipsis canonis verbis obscurum mihi et incertum videtur. Quamquam omnino insolens videretur ut uni provinciæ in alteram jus daretur, hujusque sententiam, eadem neglecta provincia, ad examen illa revocaret. Viam ecclesiasticæ disciplinæ ac consuetudini magis congruentem inierant paucis ante annis Antiocheni Patres, quamquam et catholicæ doctrinæ et sancto Athanasio infensi, cum canone 14 statuerunt ut ad judicium de episcopo habendum, dissidentibus comprovincialibus episcopis, vicinæ provinciæ episcopi advocarentur, *ut per eos simul et per comprovinciales episcopos quod justum visum fuerit approbetur.*

VIII. Quod ordinem trium illorum Sardicensium canonum spectat, conjectura est Petri Marcæ, a Joanne Davide laudata, nativum non esse eum qui nunc in omnibus excusis manuscriptisque codicibus conspicitur: nimirum septimum canonem jungendum esse tertio et quarto; immo contendit solus David quarto esse præponendum. Conjectationem istam vel soli codices Romanæ Ecclesiæ, seu Dionysianus, seu noster Dionysiano antiquior, funditus evertunt. Quis enim credat Innocentii papæ I temporibus, id est, quinquaginta et quinque annis post Sardicensem synodum, tantam perturbationem in ordinem canonum invectam, aut inemendata exemplaria Romam transmissa, **1146** vel ab Osio in Occidentem secum apportata? Quis putet ita in omnes codices irrepsisse errorem, ut quotquot ex omnibus mundi partibus videri hucusque contigit, ea ordinis inversione laboraverint; nullus genuinam canonum seriem repræsentet? Audaciorem igitur nemo est qui non pronuntiet conjecturam, quam nec ulla necessitas postulat, nec probabilem facit ulla ratio idonea, nec ullus codex non reprobat. Quod enim illorum trium canonum eadem est materies; quod præsertim tertius et septimus unum idemque definiunt, arguit potius interjecto tempore editos esse, quam una serie ac una

A manu conditos: quia si (*a*) eodem tempore, eademque occasione definitum esset quidquid utroque continetur, in unum eumdemque canonem conjectum esset. Duo porro ideo facti sunt, quia post aliqua alia in synodo ventilata, venit in mentem episcopi alicujus priora decreta revolventis hæc tertii canonis de Romano episcopo verba, *det judices*, contractiora esse, nec formam judicii de quo agebatur satis aperire: hinc postulavit ille canonem explicari, conditionesque judicii de novo ordinandi distinctius exprimi; quod et obtinuit, condito eum in finem septimo canone.

At contra argutatur David ex his canonis quarti verbis: *Addendum, si placet, huic sententiæ quam plenam sanctitate protulistis, ut cum aliquis episcopus depositus fuerit*, etc. Ex his, inquit, verbis evidenter sequitur canonem qui quarto huic præibat aliquid statuisse circa depositionem episcopi. De hac tamen nihil prorsus in tertio canone; solus septimus eam expresse attingit. Igitur septimus canon quarto debet B præmitti. Nugæ, nugæ; in nullo enim trium canonum quidquam de depositione decernitur; sed eam omnes supponunt. Hoc cæteris amplius habet canon tertius, quod omnes omnino episcoporum complectitur causas in quibus qui causa cecidisset, de altero *judicio* appellando vellet cogitare: quas inter dubium non est primum eam locum tenere, in qua depositionis pœna illata esset episcopo. Id probe intellexit Gaudentius significari primis canonis verbis: *Quod si aliquis adjudicatus fuerit episcopus* IN ALIQUA CAUSA, hoc est, in qualibet causa: unde postulavit ut in depositionis causa, quæ una illarum et quidem major erat, id decerneretur (quod in aliis locum non habebat), ne dum appellationem suam apud apostolicam sedem prosequitur depositus episcopus, alius ei superordinetur, donec an appellationi locus dandus, an priori standum judicio, decernat ex mandato synodi Romanus pontifex, resque demum tota novo judicio determinetur.

C IX. Confirmato semel antiquo ac genuino canonum istorum ordine, pro quo novum Joannes David non alio animo supposuit quam ut novellam suam contortamque illorum interpretationem utcumque fulciret, jam per se ruit ædificatio hæc, cujus dimotum est **1147** fundamentum. Duo sunt autem quæ inde consequi manifestum est. Unum, non genuinam esse interpretationem, quæ defendi non possit, nisi inverso canonum ordine, contra omnium codicum excusorum et mss. fidem; contra Latinorum Græcorumque scriptorum omnium, qui canones istos vel ediderunt, vel interpretationibus ac suis commentariis illustra-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Nonnulla hic notanda sunt quæ in observationibus locum opportunum non habebunt. Sardicenses canones non uno eodemque tempore, sed diverso, atque actione quasi distincta fuisse constitutos, merum est commentum, quod nullo sive Græcorum sive Latinorum codicum aut editionum indicio probabitur. Omnes enim hi canones uno contextu diversis interlocutionibus proferuntur, quod unius ejusdemque actionis proprium est: ut in aliis canonibus Africanarum synodorum similiter propositis accidit, quos eadem actione conditos nemo ambigit. Cum porro duo fuerint canonum Sardicensium originalia exempla, unum Latinum pro Latinis, Græcum alterum pro Græcis, ut palam fiet ex dicendis tom. III in tractatu de Collectionibus, part. I, cap. 5, canon apud Latinos septimus in Græcis exemplis quintus est, canoni quarto *Gaudentius* immediate subjectus: qui sane ordo continuam seriem canonum ad eamdem materiem pertinentium evidentius præferens, æquior videtur. Quod si quis canonem septimum a quarto disjunctum cum Latinis codicibus malit, hunc duobus aliis canonibus interjectis eadem actione additum fuisse ab Osio dicere debebit, non vero alia posteriori actione constitutum. Neque verum est quod

hic Quesnellus obtrudit, tertio ac septimo canone *unum idemque* fuisse definitum, adeo ut, si eodem tempore, seu eadem actione statutum fuisset quidquid in utroque continetur, *in unum eumdemque canonem conjectum esset.* Nam canon septimus de appellatione proprie dicta ad Romanum pontificem D agit, de qua nihil canone tertio, ut in observationibus ad dissert. 5 ipsius Quesnelli cap. 6, num. 7, 8 et 9, fusius ostendimus. De hac appellatione proprie dicta ad sedem apostolicam post secundum judicium egerat Gaudentius, can. 4. Osius autem, can. 7, alias 5, agit de eadem appellatione post judicium primum, ut ibidem vidimus, num. 10: ex quibus patet quantum canon septimus a quarto discrepet, et quam male alter ab altero temperatus venditetur. Negari quidem nequit Osium in judiciis appellationum ad Romanum episcopum eos modos cognoscendi ejusmodi causas in provinciis proposuisse, qui expeditiores et faciliores sunt; non vero quidquam decrevisse, quo canon quartus retractaretur, aut facultas cognoscendarum causarum extra provinciam, ubi videatur expedire, Romanis pontificibus negaretur: qua de re vide observ., loco allegato, num. 12.

runt, judicium; contra antiquissimum Ecclesiæ Romanæ, cujus partes maxime aguntur, testimonium ex utroque codice erumpens.

Alterum inde consectaneum est, mentem concilii Sardicensis non tam ex contractioribus obscurioribusque (a) canonis tertii et quarti verbis, quam ex fusiori clariorique definitione septimi esse investigandam. Posteriores enim cogitationes prioribus derogant, et ex posterioribus decretis priorum accipienda interpretatio est : nisi communibus juris legibus, communique ipsi sensui nuntium velis remittere. Si igitur, quod contendit David, minus tribuitur pontifici Romano in tertio canone quam in septimo, minus etiam in septimo quam in quarto : cum septimus ultimo loco sit conditus, ex eo petenda est procul dubio priorum intelligentia, et ad hujus septimi sensum reducendus aliorum sensus. Nec temere quis, his consideratis, putaverit (b) episcopos Orientales, qui synodo intererant, animadvertentes verba hæc tertii canonis, *det judices*, quæ nihil de loco formaque judicii præscribunt, latissimum jus creare pontifici, prævidentesque fore aliquando, ut vi hujus decreti causæ Orientis in Occidentem traherentur, ac pro unius arbitrio pontificis terminarentur, sese commoverunt, petieruntque ut certi limites ponerentur concesso privilegio, nec extra suas provincias judicarentur. Augebat suspicionem Orientalium, quod Gaudentius (c), quem unum ex Occidentalibus fuisse et nomen et loquela indicant, dum canone quarto de addendis ad superiorem disserit, sic interpretatus est verba canonis, ut horum loco : *Si putat se bonam habere causam ut iterum concilium renovetur*, hæc alia supposuerit : *Si proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma;* et pro his : *Renovetur et det judices*, ista : *Causam in judicio Romani episcopi determinari;* qua interpretatione mirum in modum ampliabatur superius decretum. Quamobrem, reclamantibus episcopis satisfactum puto per septimi canonis conditionem, quo et tertius explicatus est ac temperatus, et suspicio ex affectata Gaudentii interpretatione nata ab animis Orientalium oblitterata est.

Confirmatur ex modo quo tres isti canones concepti sunt; tertius enim et septimus omnino canonis et decreti formam habent. Hoc tertii clausula indicat : *Si hoc omnibus placet? Synodus respondit : Placet.* Septimi similiter initium auctoritatem præsefert synodi decernentis ore sui præsidis Osii : *Osius episcopus dixit : Placuit.* Quartus vero propositionem solummodo continet **1148** episcopi unius, Gaudentii scilicet, qui synodo non præsidebat, et timide proponit ex proprio ingenio rem a synodo examinandam : *Addendum*, SI PLACET, *huic sententiæ;* nec responsum est a synodo : *Placet.* Adde, nihil ab eo directe propositum de judicio renovando, vel judicii forma; sed tantummodo de non superordinando episcopo in locum appellantis : quod vel ex titulo utrique codici inserto intelligitur, qui sic se habet in nostro veteri : *ut appellanti non superordinetur episcopus.* Et apud Dionysium Exiguum : *ut nullus accusati sedem usurpet episcopi.* Ex quibus manifestum est non ex isto quarto canone jus recipiendarum appellationum sibi vindicasse antiquiores Romanæ Ecclesiæ proceres, qui codicis auctores fuerunt, sed solummodo ex tertio et septimo. Illius titulus in nostro talis est : *De appellatione ad episcopum Romanum;* hujus vero talis : *De retractanda causa appellantis in synodo provinciali.* Ac demum certum evadit uni septimo inhærendum, qui ad tertii et quarti explicationem conditus videtur, cum uterque, aliquot allocutionibus interpositis, ad examen est revocatus instantia episcoporum.

Ad hunc (d) igitur respexisse nostrum Leonem putaverim, atque ex eo per consequentiam synodum in Occidente postulasse, ad quam et Orientales convolarent. Cum enim canon facultatem faciat episcopo Romano decernendi synodum ex finitima et propinqua provincia, in qua renovetur examen causæ episcopi a sententia propriæ provinciæ appellantis, si ab universali Orientalium provinciarum synodo appellaretur, sequitur ut universalem alteram in Occidente, ad quam et concurrant Orientales, postulare possit Romanus pontifex : qualem revera postulavit Leo, ut ex superioribus constat.

X. Si porro ex quarto etiam canone jus suum asseruisse pontifices Romanos, et illum Leonem pariter ob oculos habuisse contenderis, nolim ego contentiose nimis contraire. At si appellationem in eo commemoratam ad solum velis spectare pontificem, quod asserere videtur David, hoc et Sardicensium præsulum et sancti Leonis menti contrarium existimamus. Sardicenses enim hoc unum aiunt : *Si episcopus depositus proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma*, causam *in judicio episcopi Romani* esse determinandam. Quid sit vero *judicium episcopi Romani*, patet ex ipsis canonibus, de quibus agitur, ubi *judicium renovari* et *concilium renovari* pro uno et eodem accipiuntur. Et vero si judicium pro sententia acciperetur, non fuisset dicendum *in judicio*, sed tantum *judicio*. Constat igitur concilium Romani episcopi hic intelligendum. At quale concilium, investigandum nobis est.

Multiplex concilium Romano subest pontifici, sicut multiplicem in se uno habet administrationis ecclesiasticæ gradum. Est enim simul Urbis episcopus, Romanæ provinciæ metropolita, suburbicariarum diœceseon primas, **1149** Occidentalis tractus patriarcha, in tota denique Ecclesia caput et apex. Ut episcopus, synodum habet parœcialem, seu, ut nunc loquimur, diœcesanam; ut metropolita, provincialem; ut primas, synodum diœceseon plurimarum; ut patriarcha, patriarchale totius Occidentis; ut in Ecclesia caput et primas, œcumenicum. Cum intra parœciam seu diœcesim propriam ad eum appellatur a sententia judicis inferioris, (e) ad ejus appellatur

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Cum ex præcedenti annotatione canones 3, 4 et 7, alias 5, diversas circumstantias respiciant, nec septimus ad alios duos temperandos propositus fuerit, nihil est cur tertius ac quartus ex septimo explicandi sint.

(b) Hæc conjectura, qua Orientales tertio et quarto canonibus commotos et reclamasse, et septimi canonis condendi causam dedisse Quesnellus suspicatur; nullo fundamento suffulta, inter somnia computanda est.

(c) Hic Gaudentius Naissi in Dacia episcopus fuit, quemadmodum ostendemus tom. III, in tractatu de Collectionibus, part. I, c. 7. Neque refert quod hic usus sit verbis *si placet*, nec legatur synodum respondisse *Placet*. Nam alii quoque ejusdem synodi canones carent verbo *Placet*, et *Placuit*, qui nihilominus legitimi canones habentur. Adde quod in Græco post tertium canonem deest approbatio synodi, quæ legitur in Latino; post canonem vero 5, subjectum canoni 4 *Gaudentius*, appendi generalem præcedentium approbationem his verbis : Ἀπεκρίναντο οἱ ἐπίσκοποι· Τὰ λεχθέντα ἤρεσεν : *Quæ dicta sunt placuerunt;* quæ canonem tertium et quartum videntur comprehendere.

(d) Non ad septimum, alias quintum, canonem, sed ad quartum *Gaudentius* Leonem respexisse vidimus tom. I, in admonitione præmissa epistolæ 43, ubi hunc quartum canonem ei epistolæ subnexum ex mss. ostendimus.

(e) Nullas appellationes ad Romanum episcopum delatas, ad ipsum delatas vult Quesnellus ob jurisdictionem ipsius propriam, sed semper ad synodum vel parœcialem, vel provincialem, vel diœcesanam, vel Occidentalem, vel œcumenicam, nisi ex libera appellantium optione aliud significetur. Ut autem alia prætereamus de Romano pontifice ut episcopo urbis, vel ut metropolita, etc., ejus jurisdictio re-

synodum parœcialem, seu ad eum cleri sui consilio septum; cum ex provincia ad provincialem; cum ex diœcesibus suburbicariis ad diœcesanam; cum ex tractu Occidentali ad Occidentalem; cum ex aliis Ecclesiæ partibus ad œcumenicam et universalem; nisi ex libera appellantium optione ac libello aliud significetur. Ad hanc, ni fallor, normam Sardicensis canonis sensus eruendus est; ac eadem ratione de Flaviani appellatione judicandum.

Et certe quisquis æquitatis leges ac humani ingenii indolem, sepositis omnibus præjudiciis, consuluerit, numquam adducetur ut credat episcopum totius jam suæ provinciæ sententia condemnatum, deinde in altera adhuc vicinæ provinciæ synodo, quod vult David, eidem sententiæ subjectum, idque auctoritate pontificis Romani per legatum e latere missum præsentis ac subscribentis, eidem uni pontifici causam suam committere voluisse. Quam igitur satius est existimare litigantem eum episcopum post tentatum provinciæ suæ tribunal, pontificisque opem exploratam, de majori synodo appellanda cogitasse, qualis est vel Occidentalis, vel œcumenica; jusque illius synodi appellandæ episcopis concessum esse a Sardicensi synodo: quæ pontificem Romanum nominavit, ut illius caput ac primatem, cui nimirum debebat velut synodi procuratori libellus appellationis tradi, et ex hujus primatus jure, et ex necessitate, synodo videlicet, cui daretur, nondum congregata.

XI. Sed quid conjecturis agimus, qui pontificem ipsum Leonem canonis Sardicensis et appellationis Flaviani habemus interpretem? Cum enim ex subjecto epistolæ suæ canone Sardicensi *generalem ex toto orbe synodum intra Italiam*, id est synodum Occidentalem, *ad quam conveniant Orientalium provinciarum episcopi post Flaviani appellationem* (a) *necessario postulari* ac celebrari debere significet; cum præterea in eo canone nihil aliud ea de re habeamus, quam *causam* **1150** *episcopi, qui proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, in judicio*, hoc est concilio, *episcopi Romani esse determinandam*; sequitur absque dubio judicium seu concilium istud Romani episcopi aliud non esse, Leone ipso teste, quam œcumenicum ex toto orbe, seu generalem synodum intra Italiam, ad quam utique Orientalium provinciarum episcopi conveniant. Ita honorabatur sancti Petri apostoli memoria, cum post Orientalem synodum, cui non interfuerat Romanus pontifex, aliud judicium adornari in Occidente permittebatur, cui ipse præesset, quod per ipsum prioris synodi sententiam ad incudem revocaret, et cujus judicium ex ore pontificis prodiret: post quæ usurpari posset quod Leo in epistola ad Theodoritum scripsit in hunc modum: *Solis justitiæ jubar, densis per Orientem nebulis impeditum, pure ab Occidente resplenduit; ubi culmen suum in apostolis et doctoribus principaliter collocavit* (*Epist.* 93, *nunc* 120, *cap.* 2).

Sententiæ nostræ clare succinunt litteræ (b) Valentiniani et Augustarum, quas ex sancti Leonis suggestione dictatas, ad ejus mentem et consilium scriptas esse non dubito. Porro postquam ille dixit quod *secundum solemnitatem conciliorum* (Sardicense intelligit) *Constantinopolitanus episcopus Romanum per libellos appellavit*, ut solum faceret non appellatum esse per Flavianum ad Romanum episcopum solitarie sumptum, sed ad omnes potius Occidentis episcopos sub patriarcha suo congregandos, convenien-

A tibus utique Orientalium provinciarum episcopis, ut superius exposuimus; consequenter et ad concilii Sardicensis mentem Leonisque interpretationem postulat, *ut prædictus sacerdos* (Leo), *congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, a principio omnem causam quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides et ratio veræ Divinitatis expostulat.* Eadem ratione Licinia Augusta postulat *ut causa fidei et Christianæ religionis, quæ mota est, in partibus Italiæ congregato concilio ex integro perquiratur*. Eodem denique sensu concilium istud, quod *congregatis ex omni orbe reliquis sacerdotibus intra Italiam haberi* vult Valentinianus, quod et generalem ex toto orbe synodum Leo nuncupat, Placidia Augusta vocat *concilium apostolicæ sedis*, ad quod postulat *ut judicium transmittatur*; synodi Nicænæ seu Sardicensis mentionem injiciens, ut ex ejus auctoritate cogendam **1151** necessario synodum suadeat; et appellationem pariter Flaviani commemorans, cui judicium, quod appellaverat, debebatur ex ejus-

B dem synodi decreto. Appellationis porro Flaviani libellum distinctissime pronuntiat missum esse *ad apostolicam sedem, et ad omnes episcopos harum partium*, hoc est Occidentalium. Ex quibus certissimum evadit concilium Occidentalium omnium episcoporum esse concilium sedis apostolicæ, ex quo, convenientibus Orientalium partium episcopis, fit œcumenicum ac generale; idem denique esse ad quod appellaverat Flavianus, cum ad sedem apostolicam provocavit.

Videretur certe ab his quæ diximus non multum recedere David, cum scribit uno eodemque libello utrumque, pontificem et concilium, appellatum esse: concilio quippe pontificem inesse, et vicissim pontifici concilium; numquam ad unum appellari, quin et ad alterum provocetur, neminemque umquam credidisse Romanum pontificem solum et absque synodo sua de appellationibus ad sedem suam interjectis judicare posse.

C XII. Sed ludit profecto illuditque scriptor ille, cum quid doli verbis istis contineatur statim aperiat sequentibus lineis, ubi ex tot episcopis Occidentalibus et Orientalibus, quibus in synodum coactis præsidet pontifex, solum hunc judicem causæ necessarium esse pronuntiat: alios porro synodo interesse velut pro communi causa sollicitos, et qui litigantes interventu suo apud judicem sint adjuturi, non tamquam judices ex quorum suffragio ac sententia lis terminanda sit (c).

Quod quam sacrosancto episcoporum ordini injuriosum sit, quamque contumeliosum sacris œcumenicarum synodorum conventibus, nemo rebus ecclesiasticis vel leviter tinctus non videt, nemo sacræ hierarchiæ studiosus sine stomacho legit. Sed **1152** et quam Leoni hoc ipso loco contrarium, qui synodum generalem postulari debere asserit, non ex utilitate solum, sed ex necessitate; non ex indulgentia, sed ipso jure; non ex dispensatione arbitrioque pontificis, sed ex sanctorum Patrum

D auctoritate conciliorumque regulis; non denique ad pompam et splendorem, sed ut periclitanti fidei ejusque defensoribus oppressis succurreretur. *Quam autem*, inquit, *post appellationem interpositam hoc* NECESSARIO *postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur*, etc.

Rursus absurdum est omnino quod scribit auctor

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

tione primatus, quæ in præsenti causa potissimum spectanda est, ita personam ipsius afficit, uti primatus ipse est personalis: ac propterea appellationes ad eum delatæ ratione primatus ejusdem personalem jurisdictionem respiciunt. Vide observat. in dissert. 5, part. I, c. 7, et observ. seqq. n. 10.

(a) Confer observat. n. 23.

(b) Vide observ. num. 4, 5 et 23.

(c) *Il n'est pas malaisé*, inquit Joannes David, *de discerner à qui Flavien envoya son acte d'appel, comme étant le juge nécessaire de cette cause, et comme ayant droit de recevoir cet appel; et ceux auxquels il l'adressa, comme intéressés dans cette cause commune, et comme devant être ses médiateurs.* David, pag. 298.

citatus, pag. 294, *magnum scilicet synodum Chalcedonensem* (a) *non aliam ob causam convocatam esse, quam ut de appellatione Flaviani cognosceretur*. Si enim necessarii judices non sunt alii episcopi synodo præsentes, et solus Romanus pontifex necessarius est causæ cognitor, summæ imprudentiæ (ne quid amplius dicam) reus erit sanctus Leo, qui cum lacrymis et gemitibus supplicat ut sacerdotes ex toto orbe convocentur, Ecclesiis non sine gravi Christianæ rei damno relictis : cum unus pontifex propria possit auctoritate causam absolvere, propter quam solam concilium congregatur. Denique quis mentem Davidis possit assequi? Aut quis potius non miretur hominem sibi ipsum contraria scribentem, cum pluribus locis necessarium judicet episcopos in synodum coalescere, ut appellatio ad Romanam sedem delata discutiatur, et negotium terminetur, nec canonicum esse judicium, quod extra synodum de appellante episcopo fuerit prolatum ; aliis vero in locis, immo toto fere libro in hoc unum nitatur, ut totum hujusmodi negotium ex pontificis nutu et arbitrio pendere asserat ; cæterosque episcopos synodi spectatores agere, ut causam, quæ communis est omnium, obsequiis suis solummodo ac precibus promoveant?

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Cur S. Leo, necessarium duxerit concilium generale, exponemus in observ. n. 14 et seqq.

BALLERINIORUM OBSERVATIONES

IN DISSERTATIONEM VIII QUESNELLI,

De Causa S. Flaviani episcopi Constantinopolitani

1153 1. Quot conjectationes et sophismata Quesnellus congessit et involvit in præmissa dissertatione, ut S. Flaviani Constantinopolitani episcopi appellationem, quæ celeberrima est, et apostolicæ sedis auctoritatem in ipsas Orientales Ecclesias earumque etiam majores episcopos confirmat, eidem sedi subduceret, et ad generale concilium transferret? Ne lectores moresius detineamus in singulis, quæ prolixiorem nec omnino necessariam disputationem flagitarent, rem totam ad certa capita redigentes, ejus præcipuas fallacias ac inanes conatus demonstrabimus.

2. Et primo quidem haud opus est laborare in ea quæstione, num verba quæ in Ephesino latrocinio pronuntiavit Flavianus post sententiam inique prolatam, *recusatio* fuerit, ut indicat vis Græcæ vocis *παραιτοῦμαί σε recuso te*, an appellatio, ut vetus Latinus interpres reddidit, *appello a te*. Congruentius quidem *appellationi* locus fuit post sententiam, quam *recusationi*, quæ ex legum etiam antiquarum constitutionibus, ac ex ipsa judiciorum praxi ante sententiam preferenda est, cum vel judex est incompetens, vel judicii ordinem pervertens, ac præconcepto aliquo affectu laborans legitimus esse desinit. Dioscorus vero jam ante sententiam tyrannum agens, legatos apostolicæ sedis, ut oportebat, non observavit, Leonis epistolas, quæ ante omnia legendæ erant, legi noluit, et ante Flaviani sententiam Eutychen absolvit ; unde recusari omni jure potuit. Qui autem judicem tam iniquum ante sententiam non recusavit, si servandæ fuissent consuetæ judiciorum formulæ, post sententiam non eum recusare, sed ab eo appellare debebat. Sed in latrocinali judicio, ubi omnia erant perturbata atque confusa, sicut requirendæ non sunt legales formulæ, ita nec in vocibus recusationis vel appellationis est insistendum. Et licet recusatio post sententiam per se appellationem involvat ad alium judicem, cum tamen in brevissima formula, qua Flavianus est usus, nullus judex nominatus fuerit, ex hac unica formula, quæcumque sit, nihil pro apostolica sede elici potest. Aliunde igitur res expiscanda est.

3. Id autem, ex quo explorata Flaviani ad Romanam sedem appellatio colligitur, est ille libellus quem is legatis ejusdem sedis post sententiam obtulit ; in quo quidem appellationem fuisse expressam idem Quesnellus non inficiatur. At num. 2 Leonis nomen in hoc libello haud insertum contendit, idque ex ipsis S. pontificis litteris conjicit, in quibus *numquam sedem suam appellatam* tradit ; *quod pontifex sedis suæ jurium studiosissimus numquam omisisset, si ita fuisset*. Huic autem negativo argumento modicum fidens, addidit positivum, nimirum eumdem pontificem aliosque sacerdotes Romanæ synodi reipsa a Theodosio postulasse generale concilium, quod post Flaviani appellationem *necessario* petitum idem Leo tradidit. *Cur autem*, inquit Quesnellus num. 4, *necessario postulata synodus œcumenica, quando non œcumenicæ synodus postulata sit?* Ut autem tota hæc res palam fiat, omnisque dubitatio prorsus eximatur, tria nobis constituenda sunt : 1° S. Flavianum in latrocinio Ephesino depositum, appellationis libello legatis tradito, ad Romanum pontificem reipsa provocasse, et ad Romanam synodum, non vero ad concilium œcumenicum ; 2° S. Leonem hoc libello accepto, statim coacta Romana synodo, apostolicæ sedis auctoritate judicium instituisse, quo omnia ejusdem latrocinii gesta irrita, et S. Flaviani depositionem omnino inanem et nullam esse decrevit ; 1155 3° alia tandem de causa petiisse concilium generale, quam quod Flavianus ejusmodi concilium appellarit.

4. Flavianum ad Romanum pontificem provocasse indubii testes fidem faciunt. Cur Quesnellus merum negativum ex Leonis silentio ingerens, non allegavit Liberatum, qui dum ea quæ in hac causa narrat, ex documentis abs se inspectis sumpsit, appellationem ad apostolicam sedem a Flaviano delatam pronuntiat in Breviario cap. 12 : *Flavianus contra se prolata sententia, per ejus legatos sedem apostolicam appellavit libello?* Cur hoc loco præterivit Valentiniani imperatoris epistolam inter Leoninas 55, quæ cum ex Leonis relatione atque consilio ad Theodosium scripta fuerit, ut idem Quesnellus tradit n. 11, in ea non minus Valentiniani quam ipsius Leonis testimonium agnoscere licet? Ibi autem expresse scribitur : *Constantinopolitanus episcopus eum* (Romanum antistitem) *per libellos appellavit*. Hoc quidem testimonium Quesnellus ne omnino dissimularet, retulit quidem paulo ante finem dissertationis n. 11, sed ut ejus vim elideret, Valentinianum in iisdem litteris postulasse ait concilium, in quo cum Occidentalibus episcopis Orientales quoque convenirent, id est concilium generale, perinde ac si ad generale concilium Flaviani appellationem directam intellexerit. Licet vero idem Augustus ex Leonis consilio, quod postea explicabimus, synodum œcumenicam postulaverit, non tamen Flavianum ad ejusmodi synodum, sed ad summum pontificem provocasse adeo diserte tradidit, ut Petrus de Marca, qui Quesnello suspectus esse non potest, lib. VII *de Concord*. c. 7, n. 2, scripserit : *Flavianum vero ad Leonem papam provocasse tradito legatis libello, manifeste probatur ex epistola Valentiniani* ; et paulo post : *Libellum appellationis tradidit legatis summi pontificis, sic tamen ut ad* SOLUM *pontificem Romanum provocaverit*.

5. Idem testatur etiam Placidia Augusta epist. 56,

ubi solummodo appellationem Flaviani non ad unum A summum pontificem *sedis apostolicæ* nomine designatum directam tradit, sed *et ad omnes episcopos harum partium*. Episcopos vero *harum partium* Quesnellus n. 11 interpretatur *Occidentales*. Ita etiam testimonium Theodoriti, quo in epistola ad Renatum concilium Romanum post suam depositionem in latrocinio Ephesino appellavit, de totius Occidentis concilio intelligendùm contendit dissert. 10, num. 3, et hujus rei hanc rationem affert num. 2, qua Orientalium convocationem excludens, ad solius Occidentis concilium eum provocasse palam præfert. *Quid restabat*, inquit, *Theodorito agendum*, *Orientalibus pene omnibus vel furentibus*, *vel oppressis*, *vel ne hiscere quidem audentibus*, *nisi ut ad Occidentales sese converteret*, *eorumque fidem ac religionem sollicitaret?* Si autem similiter explicandum esset testimonium Placidiæ, ipso Quesnello de *Occidentalibus* interpretante, non ergo ad œcumenicam, sed ad Occidentalem synodum ad summum appellasset Flavianus; nec Quesnellus, nisi sibimetipsi parum cohærens, B œcumenicum concilium, ad quod ille provocaverit, ex illis verbis ingerere potest.

6. Sed falsum est in Placidiæ litteris *episcopos harum partium* indicare episcopos totius Occidentis. Ad hæc verba, quæ ex Leonis procul dubio mente scripta fuere, probe intelligenda conferent illa quæ idem pontifex inseruit epist. 44, ad imperatorem Theodosium : *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ*, *omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus et lacrymis supplicant sacerdotes*. S. pontifex hæc scripsit synodi Romanæ nomine, ut palam fit ex ipsa inscriptione ejusdem epistolæ : *Leo episcopus et sancta synodus*, *quæ in urbe Roma convenit*. Hanc synodum, quam audito nuntio latrocinii Ephesini habuit, et cujus nomine hæc scripsit, non erat utique synodus totius Occidentis, cui congregandæ longius tempus requisitum fuisset, moraque diuturnior quam res postulabat. Synodus fuit episcoporum, qui ex variis partibus aliis atque aliis de causis Romam accesserant, C vel ex finitimis etiam urbibus cito evocari potuerunt; ut in aliis plerisque urgentibus negotiis fieri solebat (vix enim ex toto Occidente generales synodi indictæ invenientur), et probabilius synodus fuit eorum episcoporum qui anniversario diei ordinationis S. Leonis celebrando kalendis Octobris frequentissimi convenerant, uti animadvertimus in observationibus ad dissert. 1 Quesnelli not. 1 (*Supra*, *col.* 220, *n.* c) ad an. 449. Igitur dum S. pontifex suæ synodi petitionem expressit sub nomine *Ecclesiarum et sacerdotum nostrarum* **1157** *partium*, his procul dubio vocibus *nostrarum partium* illi tantum episcopi intelligi queunt, qui ea in synodo Romana præsentes, una cum Leone, suo et suarum Ecclesiarum nomine Theodosium supplicabant. Similiter ergo et in Placidiæ litteris voces *ad omnes episcopos harum partium* de episcopis qui ex more Romanæ Ecclesiæ in Romana synodo congregari solebant, intelligendæ videntur, ut ne ad totius Occidentis episcopos in dis- D sitis ac remotis provinciis dispersos extendendæ sint. Si quis nullo allato documento secus judicet, præter usitatum morem ac sensum ex arbitrio eas interpretari convincetur. Adde quod haud probabile est Flavianum, qui hac appellatione promptum suæ calamitati remedium quærebat, id quæsisse quod longiores moras postulasset, ut scilicet ex toto Occidente episcopi convocarentur. Quod si credatur Flavianus non solum ad apostolicam sedem, verum etiam ad episcopos Romanæ synodi provocasse, id non alia de causa fecisse censendus est, nisi quia sciebat Romanos pontifices in gravissimis causis ejusmodi synodos solere cogere, ut maturius et exactius negotium dijudicaretur. Hoc quidem consilio S. Leonem epistolis hac in re transmissis non suum tantum, ut in aliis litteris, sed et synodi nomen inscripsisse credibile est, ne præcipiti quodam impetu sine congruo examine negotium hoc transegisse videretur.

7. Notanda vero potissimum sunt verba quibus S. Leo epist. 61, c. 1, suam et synodi sententiam distinguit. *Quæ scripta nostra*, inquit, *non solum apostolicæ sedis auctoritate*, *sed etiam sanctæ synodi*, *quæ ad nos frequens convenerat*, *unanimitate directa sunt*. Quesnellus hanc postillam affixit in margine : *Nota distinctionem et gradationem;* perinde ac si ab apostolica sede ad sanctam synodum quasi a minore ad majorem gradus fieret. At non ita est. Dum S. pontifex apostolicæ sedi *auctoritatem*, suæ autem synodo *unanimitatem* ascribit, palam innuit totam vel potiorem *auctoritatem* in ejusmodi synodis apostolicæ sedi esse deferendam; synodum autem secum congregatam non nominari, nec vim habere nisi ob *unanimitatem*, qua plures ad causam cognoscendam ac dijudicandam convocati, omnes in eamdem cum suo capite et cum sede apostolica sententiam transierunt. Quæ synodi *unanimitas* etsi plurimum conferre soleat ad judicii maturitatem declarandam et ad faciendam fidem, *auctoritati* tamen apostolicæ sedis nihil præjudicat, tum quia hæc per sese, etiam independenter a synodo, jus suum ex primatu dimanans exercere potest, ac identidem exercet, tum quia si tota vis synodi ex *unanimitate* pendet, efficax hujus auctoritas in apostolicæ præsertim sedis auctoritate ac judicio consistit; unde pleræque Romanorum pontificum epistolæ, licet in ejusmodi synodis exaratæ, non tamen synodi, sed solius pontificis nomine atque auctoritate editæ sunt ex antiquissima Romanæ Ecclesiæ consuetudine, ut liquet ex epistola synodi Romanæ ad clericos et monachos Orientales an. 485.

8. Id autem auctoritatis in Flaviani causa, quæ appellationem Orientalis episcopi respicit, multo magis perspicuum est. Quæro enim ex Quesnello num particulari synodo Romanæ, si a summo pontifice separetur jus tribuat cognoscendi causas appellationum quæ ex Oriente deferuntur? Judex appellationum profecto esse nequit, nisi qui superior est eo judice a cujus sententia appellatum fuit. Superior autem Orientalibus judicibus, qui Flavianum condemnaverant, Romanus quidem pontifex est ratione primatus, qui cum personalis prærogativa sit, ejus auctoritas a synodo nequaquam pendet, et idcirco ad eum etiam solum ac separatum a synodo appellare Flavianus potuit; cæteri vero Occidentis aut Romanæ synodi episcopi a summo pontifice sejuncti cum pari primatu ac jure non potiantur, Orientalibus superiores dici nequeunt: ac propterea Flavianus ad hos perinde separatos non potuit provocare. Quod si ad hos quoque provocavit, præmissa tamen appellatione ad sedem apostolicam, seu ad summum pontificem, ut Placidiæ testimonium præfert, cum hoc jus non ex prærogativa ipsorum propria, sed ex primatu Romani pontificis, quorum illi *unanimiter* sententiam tulerunt, in eosdem aliqua ratione dimanet, solum vel præcipuum jus Romani antistitis Flavianus respexisse credendus est, licet ex more judiciorum sedis apostolicæ etiam ad episcopos Romanæ synodi, qui in gravioribus id genus causis a pontifice advocari solebant, appellationem direxerit.

1159 9. Hinc sane laudatus Valentinianus totam appellationis rationem in primatum sedis apostolicæ, qui solius Romani pontificis proprius et personalis est, retulit his verbis epist. 55: *Debemus.... dignitatem propriæ venerationis B. apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare ; qualenus beatissimus Romanæ civitatis episcopus*, *cui* PRINCIPATUM *sacerdotii super omnes antiquitas contulit*, *locum habeat ac facultatem de fide et* SACERDOTIBUS *judicare.... Hujus enim rei gratia secundum solemnitatem*, *seu morem conciliorum Constantinopolitanus episcopus* EUM *per libellos appellavit*. Vides appellationis rationem in eo collocari, quia summus pontifex, *principatus*, seu primatus causa, habet *potestatem de sacerdotibus*, ac proinde de Constantinopolitano etiam episcopo *judicare?*

10. In hoc sane apostolicæ sedis, seu Romani pon-

tificis principatu seu primatu duæ potissimum distin- A guendæ sunt essentiales prærogativæ. Una quod idem primatus personalis est, ita uni personæ summi pontificis alligatus, ut nulli alii communis sit; unde qui primatum ejusmodi diviserunt, seu communem fecerunt SS. Petro et Paulo, constituentes duo Ecclesiæ capita, ac duos primates æquales, ab Ecclesia reprobati fuere. Id in dubium non vocabit ipse Quesnellus, quippe qui in opere inscripto : *la Discipline de l'Eglise*, tom. I, pag. 96, explicans illud Pauli II Cor. XII, 11 : *Nihil minus fui ab iis qui sunt supra modum apostoli*, ait : *En tout cela l'égalité ne regarde précisément que l'apostolat, non la primauté de l'apostolat;* quibus cum Petri primatum nemini ipsorum apostolorum communem fateatur, personalem utique ipsius, ac proinde etiam successorum ejus fuisse et esse, nec a quopiam pendere necessario cognoscit. Alia prærogativa est, primatum ejusmodi non meri ordinis et honoris principatum esse, sed præcipuæ jurisdictionis, ut ipsi etiam Gallicani scriptores cum catholica B Ecclesia profitentur. Hic ergo primatus, seu principatus peculiaris juris supra episcopos cum personalis sit, sicut apostolicæ sedis concilio et episcopis in eo congregatis communis dici nequit, sed est proprius solius summi pontificis; sic jus illud appellationis Flaviani ad sedem apostolicam delatæ ejusdem primatus causa, ut Valentinianus et Placidia testantur, iisdem concilio et episcopis ita communis dici nequit, ut summo pontifici per sese denegetur. Immo si pontifici ex primatu competit, ita hoc jus quatenus primati competens ipsius est proprium, ut aliis episcopis eodem primatu carentibus æque commune non sit; nec synodi ac episcoporum convocatione idem pontifex indigeat ad acquirendum vel exercendum hoc jus, quod ipsius proprium a nemine pendet, sicut nec pendet primatus, ex quo jus illud derivat, ut pluribus constituimus in observationibus ad dissert. 5 Quesnelli part. I, c. 7. Hac forte de causa Valentinianus ad solum Romanum episcopum appellationem C a Flaviano interpositam prodidit, nec memorandos duxit *harum partium*, seu Romanæ synodi *episcopos*, etiamsi in ipso libello appellationis nominati fuerint, ut ex Placidiæ testimonio colligere licet. Interim vero ex his quæ hactenus disseruimus indubiis testibus demonstratum credimus, S. Flavianum provocasse ad S. Leonem, non vero ad concilium totius Occidentis, nedum ad œcumenicum, ut Quesnellus contendit.

11. Ipsum vero Leonis factum eamdem rem apertius declarat. Accepto enim appellationis libello, quem Hilarus attulit, vel synodum episcoporum, qui e vicinis civitatibus expedite acciri poterant, nec non eorum qui Romæ variis de causis ex aliquot totius Occidentis partibus reperiebantur (unde *Occidentale concilium* ab Hilaro appellari potuit), statim coegit; vel, ut probabilius credimus, illud concilium quod ex iisdem fere episcopis celebrando diei anniversario ordinationis suæ jam coactum habebat, tantæ rei causa aliquamdiu produxit; ac in eo omnia latrocinii D Ephesini gesta præsertim in Flavianum rescidit. Id discimus ex epist. 46 ejusdem Hilari diaconi ad Pulcheriam, ubi hæc leguntur : *Vestra itaque veneranda clementia cognoscat a præfato papa cum omni Occidentali concilio reprobari omnia quæ in Epheso contra canones per tumultus et odia sæcularia a Dioscoro episcopo gesta sunt, et nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quæ per potentiam prædicti non sine læsione fidei, et præjudicio sanctissimi viri innoxiique* (Flaviani) *commissa sunt*. Hæc sane decretoriam sanctionem pro Flaviano a Leone in Romana synodo
1161 editam significant. Idem confirmatur epistolis ipsius Leonis 44, 45, 50 et 51, ex eadem synodo in Orientem missis, in quibus affirmat Flavianum in sua communione ac proinde in Constantinopolitana sede persistere, et quæcumque Ephesi acta sunt rata haberi non posse; insinuatque omnia in eo statu esse oportere in quo fuerunt ante omne judicium; quæ cum ex synodo scripta fuerint, non uti privatus, sed uti pontifex scripsit, ea utique apostolicæ sedis auctoritate, ad quam Flavianus provocaverat, additis etiam eorum episcoporum Romanæ synodi calculis, ad quos pariter eum appellationem interposuisse Galla Placidia prodidit. Hinc etiam in concilio Chalcedonensi act. 10, cum lectio actorum Ephesi peteretur, legati sedis apostolicæ sese opposuere, hanc rationem afferentes, quia *a beatissimo et apostolico Romanæ urbis episcopo omnia quæ ibi gesta sunt vana sunt habita*. Si Flavianus ad synodum œcumenicam appellasset, et Leoni absque ejusmodi synodo jus non fuisset decernendi in appellatione Flaviani, Ephesina acta privatim quidem judicare potuisset irrita, non autem id in synodo definire et edicere, nec ex synodo scribere, quod publicam et apostolicam auctoritatem ac judicium declarat. In eadem pariter synodo omnes qui Ephesinis gestis assensum præbuerant, a communione Leonis separatos fuisse colligi videtur ex epist. 80, c. 2, quod sane apostolicam auctoritatem interpositam confirmat.

12. Quesnellus dissert. 10 quodnam fuerit illud *apostolicæ sedis judicium* a Leone memoratum epist. 120, c. 5, quo Theodoritus in eodem Ephesino latrocinio depositus vindicatus fuit, contendit num. 4 situm fuisse in litteris quibus conjicit Leonem epistolæ 52 ipsius Theodoriti *rescripsisse, nec standum esse judicatis, nec exspectandum ei esse aliud judicium, ut Ecclesiam suam solito more gubernaret : quoniam quæ gesta erant Ephesi per unius hominis impudentiam* (lege *impotentiam*) *nulla catholicæ fidei ratio rata esse permittit*. Et post pauca : *Tale est*, subdit, *sedis apostolicæ judicium, ut ego quidem reor*. Negat quidem fuisse sententiam quæ partibus auditis pronuntiata fuerit; at judicium et decretum auctoritatis apostolicæ negare non potuit. Quod si verum est in Theodoriti causa, in qua quid Leo reipsa scripserit ignoratur, id multo magis fatendum est in appellatione Flaviani, ob quam et synodus Romæ coacta, et Ephesina gesta rescissa, et litteræ e synodo editæ sunt, quibus Flavianus inique depositus, et pro vero Constantinopolitano episcopo habendus decernitur. Hoc *apostolicæ sedis judicium* quis neget? Habes igitur pro asserenda appellatione Flaviani ad summum pontificem coæva testimonia omni exceptione majora; habes ipsum Leonis judicium, quod non tam ex ejus epistolis quam ex eodem Quesnello sive interpretante, sive confitente expressimus. Quis post hæc non inanissimum agnoscat ejusdem conatum, quo hanc appellationem a summo pontifice ad generalem synodum transferre studuit?

13. Atqui, inquies, si appellatio Flaviani generale concilium non requirebat, cur Leo epist. 44 a Theodosio petivit *ut quia et nostri* (legati) *fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit, generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari?* Et cur paulo infra *post appellationem interpositam hoc necessario postulari* affirmavit? Hæc tota vel potior est Quesnelli ratio, quæ tamen ut probaret aliquid, certum habendum esset Leonem non alia de causa postulasse, et dixisse *necessariam* synodum generalem post appellationem Flaviani, nisi quia ejus appellatio non ad ipsum Leonem aut ad Romanam synodum, sed ad concilium generale delata fuerit. Sed hæc ratio, quam Quesnellus quidem veluti unicam ac certam ingerit, falsa est. Flavianum enim ad synodum œcumenicam non provocasse ex coævis testibus vidimus, quorum interpretationem ipse Quesnellus suggessit. Vidimus etiam in iis Flaviani angustiis, in quibus expeditum remedium quærebatur, eum non debuisse generalem synodum petere. Possumus addere ipsum ex suis principiis non potuisse hanc synodum necessariam putare. Id liquet ex iis quæ ob ementitam Eutychis appellationem ad Leonem scripsit epist. 26. *Causa enim*, inquit, *eget solummodo vestro solatio et defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillita-*

tem et pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, et turbæ quæ propter eam factæ sunt, facillime destruentur. Removebitur autem et concilium, quod fieri divulgatur, quatenus **1163** *nequaquam ubique sanctissimæ perturbentur Ecclesiæ.* Qui in appellatione quam Eutyches ementitus est tantum Romanæ sedis auctoritati tribuit, ut solam ejus sententiam requiri et sufficere, eaque remotum iri affirmarit generale concilium, quod cogendum vulgabatur, uti amplius non necessarium, immo ex quo majores turbas excitandas timebat, quomodo secus judicare potuit in appellatione sua post pseudosynodum Ephesinam, in qua factiones et turbas prævaluisse experientia ipsa didicerat? Hæc vero omnia cum Leoni essent explorata ex ipso libello ac litteris Flaviani, non potuit ergo generalem synodum ea de causa *necessariam* affirmare, quod hoc judicium Flavianus postulasset. Alia igitur necessitatis ratio exquirenda est.

14. Si quis vero ipsas Leonis epistolas attente legerit, circumstantiasque ejus temporis diligentius considerarit, cur et quo sensu ille *necessarium* crediderit concilium generale, perfacile intelliget. In nulla Leonis epistola indicari invenies necessarium fuisse concilium generale ut Ephesina acta legitime rescinderentur, ac Flavianus iisdem gestis perperam depositus restitueretur. Enim vero cum eadem prædatoria et iniqua gesta palam et evidenter nulla atque irrita essent, ut idem Quesnellus probat dissert. 10, n. 4, superior ecclesiastica auctoritas necessaria esse non poterat ut rescinderentur atque ut in suam sedem, a qua gestis irritis deponi non potuit, Flavianus restitueretur. Solum cum eadem gesta rata haberentur a suis auctoribus atque fautoribus, imperialique auctoritate firmata fuissent, ad tollendum errorem apud multos pervulgatum, necessaria haberi potuit aliqua superior auctoritas, quæ eorumdem gestorum *nullitatem*, ut vocant, declararet. In id appellationem interposuit Flavianus ad eam apostolicam sedem, cujus auctoritatem alios Orientales implorasse noverat; et S. Leo ejusdem sedis auctoritate utens, ea gesta nulla et irrita esse declaravit in sua synodo, ut Quesnellus ipse probavit dissert. 10, n. 4, qui proinde pervidere debebat, in hac re Leonem non potuisse judicare necessarium concilium generale necessitate ulla juris, cui idem Leo satisfecit in sua synodo, cum ea gesta nulla esse palam edixit.

15. Tota igitur necessitas quam S. pontifex animo obvolvere potuit, factum spectabat, non jus. Esto enim quod Ephesina gesta, ac Flaviani depositio ex ipso jure nulla per sese et irrita essent; esto quod hæc nullitas pontificiis ac synodicis litteris fuisset declarata, obtinente tamen ea Eutychianorum vi ac præpotentia, cui Theodosius imperator patrocinabatur, Flavianus per summum scelus depositus et expulsus in suam sedem redire non poterat. Quid referebat eum restitutione juris non indigere, si sua sede carebat, et exsilii pœnas perpeti cogebatur? Adde cætera scandala ab eodem latrocinio Ephesino parta, quæ remedium præstolabantur. Sola pontificia ac Romanæ synodi auctoritas et declaratio satis esse poterat ac debebat ex jure. At in ea impotentia et præjudiciis quæ post idem latrocinium in Oriente obtinebant, prudentissimus pontifex ad eos effectus quos expetebat eam solam auctoritatem atque declarationem non satis futuras prævidit. Quid enim ex suis solis epistolis etiam Romanæ synodi nomine scriptis sperare poterat ab hominibus qui imperiali favore protecti Ephesi alias suas litteras suppresserant, et legatis apostolicis reclamantibus aures nequaquam præbuerant? Quid sperare poterat in Oriente, ubi ea violentia Theodosii favore dominabatur? Quis usitata juris remedia profutura speret, ubi non jus, sed vis prævalet? Imperatorem ab eo favore deducendum agnovit, ne violentis amplius patrocinaretur. Id autem haud facile obtentum iri pervidit, nisi Orientales episcopi, quorum numero et auctoritate circumventus ac deceptus fuerat, in sanam mentem revocarentur; alias enim quidquid ipse cum sua synodo scriberet, illis in præsentia obnitentibus nihil valeret. Ut autem Orientales saltem plerique sanarentur, nullum aptius remedium reperiri posse cognovit nisi generale concilium, in quo illi cum Occidentalibus convenirent. In hoc enim plures docti et catholici episcopi cum deceptis liberum tractatum habentes, eos facilius instruere, suadere et ad sanum consilium revocare facile possent, uti postea in concilio Chalcedonensi cum Illyricianis et Palæstinis feliciter contigit. Vidit præterea hoc concilium extra Orientem convocandum esse, ubi aliis Augustis imperantibus, omni violentiæ periculo submoto, factiosi homines nihil possent; sicque cuncta facilius **1165** componerentur. Hac ergo necessitate non juris, sed facti generale concilium in Italia petendum credidit post appellationem Flaviani, uti necessarium ad restitutionem ejus obtinendam, et ad resecanda ea scandala quæ in memoratis circumstantiis aliud juris remedium non patiebantur. Cum porro Theodosium in hoc ipsum concilium cogendum difficilem prævideret, trium Augustorum Valentiniani, Placidiæ et Eudoxiæ auctoritatem apud eumdem interponendam credidit, et ut efficacissimas ad eum litteras scriberent, obtinuit.

16. Hoc quidem consilium, quo non ob juridicam declarationem, sed ob remedium scandalorum œcumenica synodus petebatur, idem Leo in ipsis ad Theodosium litteris manifeste explicavit. Sic enim epist. 44, c. 3: *Generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum; convenientibus utique Orientalium provinciarum episcopis, quorum si qui superati minis atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur; ipsique, quorum est causa durior, si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant.* Similiter in epist. 69, c. 2: *Concilium universale intra Italiam.... Clementia vestra concedat ut in unum convenientibus omnibus his qui aut ignorantia aut terrore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur.* Concinit quod tradit epist. 54, ad eumdem imperatorem: *Si pietas vestra suggestioni et supplicationi nostræ dignetur annuere ut intra Italiam haberi jubeatis episcopale concilium, cito auxiliante Deo poterunt omnia scandala quæ in perturbationibus totius Ecclesiæ sunt commota, resecari.* Confer etiam epist. 70, ad Pulcheriam, in fine. Vides concilii convocandi consilium? Non ergo cum generale concilium Leo petiit veluti necessarium propter appellationem Flaviani, solam hujus depositionem, sed omnia latrocinii Ephesini scandala prospexit, non quod concilii generalis sententiam Ephesinis actis rescindendis aut irritis declarandis ipso jure necessariam putaret, sed ut tot malis efficax remedium afferretur.

17. Idipsum etiam Quesnellus cognovit et confessus est in Theodoriti causa, de qua agens dissert. 10, n. 4, *intellexit*, inquit, *statim pontifex post Ephesinum latrocinium opus esse concilio eoque generali, ut ex ejus litteris ea de re ad Augustum scriptis clarum est.* Recitato autem testimonio superius descripto ex epist. 44, in quo nulla Theodoriti aut aliorum qui Ephesi depositi fuerant facta mentione, œcumenicum concilium petitur ob remedium scandalorum, subdit: *Verum pro restituendo Theodorito neque provincialem neque generalem synodum necessariam esse duxit* (necessitate scilicet juris), *quoniam pro deposito habendus ille non erat, in quem non concilium, sed latrocinium, non episcopus, sed prædo improbus depositionis sententiam ferre conatus fuerat.* Si vero generalis synodus pro restituendo Theodorito non fuit ipso jure necessaria, qua cohærentia idem Quesnellus tradidit eam a Leone necessariam fuisse habitam pro restituendo Flaviano, de cujus fide et innocentia expresse cognoverat, illudque in sua synodo decretum tulerat, quo epist. 50 (ipso Quesnello ibidem observante) *monuit Constantinopolitanos, ne a sacerdote suo, qui*

similem cum Theodorito exceperat depositionis sententiam, ullæ eos minæ, ulla formido divelleret? Quisquis, inquit S. pontifex, *incolumi atque superstite Flaviano episcopo vestro sacerdotium ejus fuerit ausus invadere* (hoc sane decretum est) *numquam in communione nostra habebitur, nec inter episcopos poterit numerari*. Hoc decretorio Leonis judicio necessitati juris satis consultum fuerat. Concilii ergo convocandi necessitas ad merum factum, seu ad perdifficiles facti circumstantias, ut scandala facilius resecarentur, referenda est. Hoc item sensu ob solum scandalorum remedium generalem synodum ab imperatore petiit etiam Innocentius I, in causa injustæ depositionis S. Joannis Chrysostomi, ut indicant ipsa ejusdem pontificis verba in litteris ad clerum et populum Constantinopolitanum, quæ Quesnellus recitavit num. 4: *Sed quodnam remedium*, inquit, *hisce rebus in præsenti afferemus? Necessaria erit synodalis cognitio; quam etiam multo jam antea congregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest. Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei ac Christi ejus Domini nostri*. Et postea: *Ac nos quidem multum deliberamus*, **1167** *quonam modo synodus œcumenica congregari possit, per quam divina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint*. Similis vis dominabatur totumque Orientem turbaverat in Chrysostomi ac in Flaviani causa; et par utrobique concilii generalis necessitas, non juris, sed facti, ut effectus qui manifesto jure expetebatur, et sola vi erat impeditus, facilius obtineretur.

18. In hoc tamen ipso generali concilio Leonem ratione sui *principatus*, nec non delatæ etiam ad se appellationis potissimam auctoritatem habiturum jam indicavit Valentinianus, dum generalis synodi petitionem ita exposuit epist. 55, *ut prædictus sacerdos* (Leo) *congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, a principio omnem causam, quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat*; quasi potior ac fere tota sententiæ vis in eodem generali concilio ab ipso pontifice proficiscenda sit. Id autem non perinde accipiendum est ac si solus papa, non vero alii etiam episcopi in conciliis sint judices, sed quia in hac præsertim causa ad summum pontificem per appellationis libellum a Flaviano delata, eidemque per sese competente, ipsi potissimum iisdem nominibus tribuenda visa est sententia quæ in generali quoque concilio ab aliis unanimiter episcopis eo præsidente ac dirigente ferretur. Neque absimiliter Placidia epist. 56, post indicatam appellationem Flaviani *ad apostolicam sedem et ad omnes episcopos harum partium*, rogat *ut secundum formam et definitionem apostolicæ sedis, quam et nos tamquam præcellentem similiter veneramur, in statu sacerdotii sui illæso manente per omnia Flaviano* (quia scilicet de eo jam Leo in sua synodo satis decreverat) *ad concilium apostolicæ sedis judicium transmittatur, in qua primus ille qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum episcopatus ordinavit*. Generale quod petitur concilium non alia de causa *apostolicæ sedis concilium* vocatur, nisi quia in eo summus pontifex potiori auctoritate, quam ex suæ sedis *principatu* obtinet, universam causam componet ac dirimet. Nec alio sensu eadem Augusta epist. 58, ad Pulcheriam scripsit: *Ad apostolicam sedem, in qua primus apostolorum B. Petrus, qui etiam claves regnorum cœlestium suscipiens, principatum tenuit, episcopatus* (al. *episcoporum*) *causa remittatur*: quia nimirum ad eum jure pertinet, qui *episcopatus principatu*, nec meri ordinis, sed præcipuæ jurisdictionis principatu potitur. Vides num summo pontifici primum tantummodo locum primamque sententiam in generali synodo veteres tribuerint, ut ei Quesnellus in præmissa dissertatione asserere veritus non est, haud satis intelligens hac ratione pontificiam auctoritatem ad meri ordinis et honoris primatum redigi, quod a catholicis principiis alienissimum est. Sed hac de re plura dicere præsentis tractatus ratio non patitur.

19. Illud interim ex hactenus disputatis colligere licet, in quam sententiam pontificiæ jurisdictioni nequaquam contrariam Leo scripserit *post appellationem* a Flaviano interpositam generalem synodum *necessario postulari*. Tota nimirum ejusmodi necessitas non ex auctoritatis defectu in pontifice, qui jam satis judicium protulit, cum Ephesina gesta irrita declaravit, nec ex absoluta necessitate concilii generalis in appellatione Flaviani, qui non ad generalem synodum, sed ad ipsum Leonem appellationem direxit; sed ex difficilibus manavit ejus temporis circumstantiis, quæ pravorum malitia atque violentia alium efficacem remedii modum non ferebant. Hinc quidem totam necessitatem S. Leonem derivasse ex eo manifestum est, quod mutatis circumstantiis ob imperatoris Theodosii mortem, cum jam novus imperator Marcianus catholicos episcopos jam in exsilium pulsos revocasset, eodemque catholicam fidem protegente multi lapsi ad remedia satisfactionis quotidie accederent, et dogmaticæ ad Flavianum epistolæ passim subscriberent; idem pontifex etsi concilium generale, quod laudatus Marcianus antiquæ Leonis petitioni obsequens sese indicturum significavit epist 75 et 76 (*nunc* 77 *et* 82), omnino recusare non posset; illud tamen differri posse contendit veluti non amplius perinde necessarium, ut sub Theodosio fuerat, instructionesque suis legatis dedit, quibus interim sine convocatione generalis synodi scandalis remedium afferretur. Confer epist. 82 et 83. Ita etiam Innocentius I, qui in Chrysostomi causa generale concilium veluti necessarium expetierat, mortuo imperatore, qui contrariæ parti favebat turbasque **1169** commoverat circumstantiis mutatis nihil amplius de eo cogendo cogitavit, et sua sola auctoritate, cui novus imperator plurimum deferebat, omnia composuit. At cum Marcianus studio pacis citius componendæ œcumenicam synodum jam indixisset, S. pontifex Leo non necessitate aliqua, quam superesse crederet, nec (*a*) ut judicium ferretur de appellatione Flaviani ac de latrocinio Ephesino, ac si res essent suo judicio non plane definitæ, ei indictioni assensum præbuit; sed *ne devoto obviare videretur arbitrio*, et *ut quæcumque in querelam perturbationemque venerunt, ad unitatem pacis et fidei compressa omni dissensione revocarentur* (*Epist.* 89), uti sane in concilio Chalcedonensi prospere evenit. En idem concilii scopus scandalorum remedium prospiciens, quem in aliis ad Theodosium litteris expressit. Vides quam probe omnia conspirent, ne ille sensus elici queat, quem Quesnellus suadere nisus est, idcirco generalem synodum a Leone fuisse petitam, quod Flavianus non ad Leonem per se, sed ad generalem synodum appellaverit?

20. Nunc de alio Quesnelli molimine agendum, quo Sardicenses canones a Leone allegatos, ut generalis synodi necessitatem astrueret, in eum sensum distorquet, perinde ac si ex eorumdem canonum mente in Flaviani causam generale concilium congregandum fuerit. Id ex ipso Leone elicit, qui epist. 44 scribit: *Quam autem post appellationem interpositam hoc* (generale concilium in Italia) *necessarie postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur*. Nicænorum canonum nomine, ut alibi vidimus, Sardicenses intelligit. Sic autem Quesnellus argumentatur. Si de appellatione ad solam apostolicam sedem Sardicenses canones agere S. pontifex existimasset, non generale concilium *necessarie* cogendum, sed ad suum tantum tribunal Flaviani appellationem deferendam collegisset. Cum vero non hoc, sed synodi generalis necessitatem intulerit, ut hæc Leonis ratiocinatio legitima sit, dicendum est procul dubio persuasum ipsi fuisse

(*a*) Lege annot. 15 (*Tom. præced. col.* 918, *n.* [n]) in epist. 82.

Sardicenses canones, dum episcopis tribuunt facultatem provocandi ad sedem apostolicam, seu ad episcopum Romanum, id eo sensu tribuere quo idem Romanus episcopus non solitarie sumptus, sed cum sua Occidentali synodo, ad quam, ut idem Leo postulavit, etiam Orientales accederent, de appellationis causa cognosceret.

21. Tota hæc Quesnelli argumentatio ea hypothesi innititur S. Leonem ex canonibus Sardicensibus generalis synodi necessitatem collegisse ut de Flaviani appellatione judicium ferretur, et ad id probandum eos allegasse. Sed quam falsa sit hæc hypothesis ex pluribus et manifestissimis ipsius testimoniis ostendimus, quibus palam factum est eum qui jam antea in sua Romana synodo de injusta Flaviani condemnatione sententiam tulerat, non hujus judicii ferendi causa ob appellationem ipsius Flaviani generale concilium postulasse, sed ut restitutionis effectum ac remedia iis scandalis quæreret, quæ in circumstantiis quas memoravimus, non nisi in universali synodo sanari poterant. In omnibus quidem epistolis in quibus S. pontifex de hac synodo agit, ne unum quidem verbum invenietur in quo judicium de appellatione Flaviani ejusmodi concilio reservet.

22. Quod si absque præjudiciis cum sensu canonum Sardicensium conferatur objectum testimonium ex epistola 44 Leonis mens et consilium a Quesnelli interpretatione alienum multo magis patebit. Certe canones Sardicenses, quidquid ille eos interpretando aut potius aliorsum distorquendo laboret, appellationis jus, quod Romano pontifici expresse asserunt, ad generalem synodum non extendunt. Germanam et obviam trium canonum Sardicensium sententiam, qua totus Quesnelli nisus elidetur, exposuimus late in observationibus ad dissert. 5 ejusdem cap. 6. Horum canonum condendorum causa fuit negotium S. Athanasii, Marcelli, Asclepæ, aliorumque episcoporum Orientalium, quos Eusebiani hæretici ita deposuerant, ut nulli novo judicio, aut appellationi, qua illi ad Romanam sedem confugerant, locum esse contenderent, eo quod sicut Orientales in Occidentalium judiciis nihil juris sibi debent arrogare, ita nec Occidentales in judiciis Orientalium. Hac ratione catholici et sanctissimi episcopi, qui injusto judicio in Oriente essent depositi, omni justo subsidio ac remedio expertes, suis sedibus perpetuo carere debuissent. Huic autem hæreticorum molimini orthodoxi episcopi in Sardicensi concilio remedium aliquod opponendum **1171** putarunt, quo causæ ejusmodi appellatione interposita expedirentur. De causis itaque appellationis agebatur ad apostolicam sedem, et hoc quidem appellationis jus ita Sardicenses Patres laudatis canonibus attribuerunt Romano pontifici, ut, ipso fatente Quesnello, § 7, *ad Julium tunc Romæ episcopum litteræ decretæ fuerint non alia de causa quam ut Athanasii negotium ad se pertinere* (synodus) *intelligeret vi istorum canonum*. Et post pauca : *Concilium episcoporum orthodoxorum, qui illuc convenerant, istud imprimis fuisse, ut causam S. Athanasii ejusque sociorum in Occidentem pertraherent;* melius dixisset, *ut apostolicæ sedi appellationis judicia a solis Eusebianis hæreticis impedita vindicarent, et hac ratione futuris temporibus cognoscendis ejusmodi causis legitimum tribunal præstituerent*. Hæc, inquam, fateri debuit, quia in ipsis canonibus memoratis apostolicæ sedis prærogativa in causis ejusmodi manifeste exprimitur, nullaque generalis synodi convocandæ nedum necessitas, sed ne mentio quidem vel obscura indicatur.

23. Vide autem quam longo difficilique circuitu Quesnellus hanc necessitatem exinde nitatur inducere, et Romanæ sedis jus ipsis canonibus assertum infringere. Cum jus aliquod peculiare summo pontifici iisdem canonibus assertum negare non possit, id tantum juris illi tributum affirmat, ut in appellationis causa, non de judicio ipso a quo fuit appellatum, cognoscat ac sententiam pronuntiet, sed ut id unum decernat, num in eo casu appellationi locus esse

A debeat necne. Huc usque jus pontificium circa appellationes episcoporum in statuendo mero juris ordine collocatur, quod primatum non præcipuæ jurisdictionis, sed meri ordinis constitueret. Dein vero si appellationi locum patere Romanus pontifex judicet, vi eorumdem canonum concilium ab eo indicendum credit, at non semper generale, sed vel ex episcopis, *qui in finitima provincia sunt*, iis quoque receptis, si quos admittendos judicaverit; vel si appellatio Romani episcopi judicium petierit, de quo canone quarto agitur, concilium ab eo cogendum putat pro judicum a quibus provocatum fuerit qualitate diversum, ita ut si appellatum sit a judicibus alicujus provinciæ intra diœcesim cui pontifex uti primas præsideat, totius diœcesis concilium convocandum sit; si ex tractu Occidentali appellatio proveniat, indicendum sit concilium totius Occidentis; si autem ex Oriente, ut in casu Flaviani, appellatio interponatur, tunc concilium œcumenicum necessarium sit. Ita in omni

B appellatione episcopi Orientales ad sedem apostolicam, etiamsi maxime justa, uti fuit Athanasii aliorumque catholicorum episcoporum provocatio, seu perfugium, nihil concludere posset Romanus pontifex, immo nec totum Occidentis concilium, nisi totius orbis synodus cogeretur. Insanire quidem est, si hoc Sardicensibus Patribus in mentem venisse credatur. Quis tum appellationis remedium esset? Hæccine prudens et expedita pro innocentibus injusta condemnatione oppressis provisio, quam laudati Patres constituendam putarunt? Cum appellationes id genus identidem possint contingere, identidem generale concilium congregandum esset, et frequenter episcopi ex suis sedibus essent evocandi. Quis cogitationem seu potius commentum tam incredibile sibi suadeat? S. Leonem certe hoc non credidisse, ex judicio quod statim pronuntiavit manifestum est.

24. Ut autem detegatur quæ hujus mens fuerit, cum in epistola 44 ad Theodosium hos canones pro

C necessitate synodi allegavit, observandum est hanc eorumdem canonum allegationem inveniri tantum in litteris ad eum imperatorem qui pseudosynodo Ephesinæ patrocinium præstabat. Cum tam magno hujus conciliabuli patrono, qui novum judicium ægrius tulisset, mollius et suavius agendum erat, atque ut flecteretur facilius, auctoritas ipsi etiam venerabilis proponenda fuit. Nicænos autem canones Eutychis quoque fautores maxima observantia prosequebantur, cumque pro Nicænis haberentur canones Sardicenses, unum ex his Leo in rem præsentem allegavit, atque epistolæ etiam subjecit. Canon autem subjectus epistolæ, ut vidimus in admonitione præmissa epist. 43, fuit quartus Sardicensis, qui his verbis exprimitur : *Gaudentius episcopus dixit : Addendum est, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitatis protulistis, ut cum aliquis depositus fuerit episcopus eorum episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum* **1173** *sibi negotium in urbe Roma; alter episcopus*

D *in ejus cathedra post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Romani episcopi determinata*. Palam est sermonem fieri de appellatione ad judicium Romani pontificis. Duo autem hoc canone decernuntur: primo, ut post appellationem nullus in locum ejus qui videtur esse depositus ordinetur, donec causa appellationis determinata fuerit; secundo, ut ab ipso Romano episcopo judicium feratur. Hæc duo Leo a Theodosio postulavit : primum, cum capite secundo laudatæ epistolæ petiit *ut omnia in eo statu esse jubeatis in quo fuerunt ante omne judicium* (latrocinii Ephesini), *donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur;* secundum vero, cum capite tertio concilium generale in Italia cogendum postulavit, in quo ipse Leo commodius interesset, ac de tota re sententiam ferret. Hoc enim S. pontificis consilium etsi ipse aperte non explicavit in litteris ad Theodosium, satis tamen expositum fuit a Valentiniano in

epist. 55, quam ejusdem Leonis hortatu, ac in ipsius procul dubio sententiam ad eumdem Theodosium transmisit. Valentiniani verba licet paulo ante recitata hic repetimus. *Huic ergo* (Leoni) *postulanti... annuere non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, a principio omnem causam quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens sententiam ferat.* Viden'? Non dixit, ut *congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus* OMNES, sed ut *prædictus sacerdos*, id est summus pontifex, *sententiam ferat;* cui scilicet (ut paulo ante præmiserat) ob primatum competit *de fide et sacerdotibus judicare.* Neque idcirco negare voluit hanc facultatem fuisse etiam concilio generali seu aliis episcopis in generali concilio coactis. Absit. Sed cum sermonem fecisset de appellatione Flaviani, quam *ad eum* (Leonem) directam tradidit, ipsi cohærenter judicium tribuendum credidit, uti appellationis vi ad eum pertinebat. Ita ergo cum S. Leo non solam Flaviani causam, sed alia quoque latrocinii Ephesini scandala prospiciens, ex difficilibus circumstantiis concilium generale uti necessarium a Theodosio postulavit, Valentiniano ipsius mentem explicante petiit judicium Romani pontificis Flaviani appellatione quæsitum, ac post appellationem ejus necessarium, quo *hæc causa in judicio episcopi Romani determinaretur*, ut Sardicensis canon præscribit. Non igitur S. pontifex allegavit hunc canonem ut probaret necessitatem concilii generalis, quod per se, sicut non vi ejus appellationis, ita nec vi ejusdem canonis ulla ratione requirebatur, sed ut probaret se, dum propter appellationem Flaviani petit synodum generalem intra Italiam, in qua summus pontifex sententiam ferat, illud judicium petere quod in casu appellationis ad Romanum episcopum vi ejus canonis petendum fuerat. Hinc etiam Placidia Augusta in litteris ad eumdem Theodosium (*Epist.* 56), dum generale concilium in Italia postulavit, ita se expressit ut *in statu sacerdotii illæso manente per omnia Flaviano*, qui appellaverat, *ad concilium apostolicæ sedis judicium transmittatur:* quæ Sardicensi canoni quarto maxime congruunt. Repete nunc Leonis verba ex epist. 44, et eorum sensum intelliges. *Quam post appellationem Flaviani hoc* (judicium scilicet Romani episcopi, quod ex difficultate circumstantiarum utiliter habendum erat) *necessarie postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta* (de solius Romani episcopi per appellationem invocati judicio loquentia) *testantur.* Idipsum in epist. 43 sic exprimitur: *Ut necessarium sit et ea servare quæ Nicænus canon et quæ constitutio totius orbis episcoporum præcipit.* Quasi dicat: Peto uti necessarium concilium generale, sed simul necesse est etiam servare Nicænum, seu Sardicensem canonem, qui in appellatione ad apostolicam sedem delata judicium Romani pontificis efflagitat. Ita probe intelliguntur et concilientur omnia, ut ne opus sit eas violentas ac distortas interpretationes recipere, quas Quesnellus inducere et contra Leonis mentem aliunde exploratam de apostolicæ sedis jure in appellationibus, ejus verbis affigere studuit.

25. Sed quid diutius lectores moramur in iis interpretationibus refellendis, quas homo pontificio juri infensus commentus est, ut appellationem Flaviani ad œcumenicam synodum delatam ostenderet? Cum tota hæc quæstio versetur **1175** in decidendo, ad quemnam Flavianus vere appellarit, quid laboramus in intelligendis aut canonibus Sardicensibus, aut Leonis verbis, si ex testimonio non solum Liberati, verum etiam Valentiniani atque Placidiæ, quibus ipse libellus appellationis perspectus fuit, ad sedem apostolicam, et latius ad episcopos *harum partium*, id est Romanæ synodi, quæ in gravioribus causis a Romanis pontificibus cogi solebant, non vero ad generale concilium eum provocasse liquet? Concilium generale non libello Flaviani, a quo hanc cogitationem alienissimam demonstravimus, sed Leonis consilio postulatum fuit, illudque is necessarium censuit non ad judicium ferendum de latrocinio Ephesino, quod ipse statim post acceptum appellationis libellum in Romana synodo ediderat, sed ob difficultatem circumstantiarum quæ alia magis obvia juris remedia nequaquam ferebant. Cumque hoc ipsum generalis concilii remedium non ita facile ab imperatore latrocinii Ephesini patrono esset obtinendum, ad facilius inclinandum ejus animum Nicænorum canonum auctoritatem interponendam credidit: qui cum non de generalis synodi, sed de Romani episcopi judicio perspicue statuant, eos Leo ad ipsius synodi generalis necessitatem allegare non potuit nisi in eam rationem quæ ad episcopi Romani judicium redeat, ut paulo ante explicavimus. Quis igitur hæc, quæ S. pontifex pro cogenda œcumenica synodo alio consilio scripsit, transferre queat ad appellationem Flaviani, quam non ad ejusmodi synodum, sed ad Romanum episcopum et ad solos episcopos Romanæ synodi directam indubiis testibus certissimum est? Quis eam interpretationem canonum Sardicensium a Quesnello ingestam, et ad generale concilium translatam, quæ non solum a sensu ipsorum canonum abest quam longissime, verum etiam ab appellatione ejusdem Flaviani; quis, inquam, approbare poterit?

Excutitur Quesnelli sententia qua legatos apostolicæ sedis in synodis generalibus Orientis legationem gessisse omnium Occidentalium contendit.

26. Causa appellationis Flaviani perorata, non omittendum est illud commentum quo Quesnellus statuere nititur, § 5, *legatos sedis apostolicæ non Romani solummodo pontificis nomine Ephesinæ synodo secundæ interfuisse, nec alias interesse consuevisse œcumenicis conciliis in Oriente congregatis, sed et omnium totius Occidentis episcoporum vice, quorum procurationem gerebant, cum per se interesse iidem non poterant.* Res facti agitur, quæ documentis statuenda fuerat. Generalis propositio est: *Nec alias interesse consuevisse œcumenicis conciliis.* Vide autem qua ille ratione se expediat. Hoc in systemate legati sedis apostolicæ episcoporum totius Occidentis vicem ac legationem gessisse traduntur. Cum vero ad legationem expressum delegantis mandatum seu procuratio requiratur, ut verum sit legatos apostolicæ sedis omnium Occidentalium episcoporum *procurationem gessisse*, expressum omnium mandatum demonstrandum fuerat. Hoc autem mandatum duplici modo ab iisdem traditum Quesnellus affirmat, nunc in Romana synodo ex toto Occidente evocata eo fine ut omnes *deligerent legatos absentium vicem impleturos;* nunc vero in synodis singularum provinciarum Occidentis, a quibus legati mitterentur ad synodum Romanam cum facultate deligendi legatos, qui communi nomine ad œcumenicum concilium accederent. Innuit etiam idem fuisse sive *per legatos*, sive *per litteras* singularum synodorum provincialium id mandaretur. Hæc vero perinde fuisse gesta quam facile est affirmare, tam difficile est documentis statuere.

27. *Solemne erat*, inquit eodem § 5, *Romano episcopo, ut cum primum synodus universalis indicta erat, omnes sui patriarchatus episcopos ea de re admoneret, cogeretque ipse Romæ synodum, ad quam invitati Occidentales confluerent.* Si hoc erat *solemne*, aliquot exemplis probari poterit. Sed nec unum in tota antiquitate reperietur. Synodum quidem episcoporum qui Romæ reperiebantur, sive etiam e vicinioribus partibus in gravissimis causis convocare solebant Romani pontifices; generalem vero ex toto Occidente ne semel quidem indixisse invenientur. Quod si singula antiqua generalia concilia percurras, gratuita et falsa Quesnelli propositio multo magis patebit. Nicænæ primæ synodi gesta desiderantur, unde affirmari et probari nequit S. Silvestrum **1177** ejus causa concilium Occidentale convocasse. Idem est de synodo Sardicensi; quæ Nicænæ appendix habetur.

Solum legatos sedis apostolicæ utrique huic concilio interfuisse certum est: qui cum solius apostolicæ sedis vicem gessisse tradantur, eis legationem totius Occidentis nullo testimonio tribuere valde arbitrarium est: cum præsertim alii, qui aliis in synodis suo et alieno nomine interfuerunt, non tam suum quam alienum nomen in subscriptionibus exprimere consueverint. De synodo Constantinopolitana prima nihil attinet dicere, cum Romanis diutius ignota fuerit; unde solos Nicænos canones et Nicænorum nomine Sardicenses Romana Ecclesia usque ad Leonis ætatem recepit. Solum cum eam synodum posterius Romani pontifices approbarunt, ex Orientali synodo generalis evasit. Reliqua sunt duo concilia œcumenica, Ephesinum I et Chalcedonense. Alterutrius causa omnium Occidentalium synodum a Romano pontifice convocatam fuisse nemo probabit. Immo nec convocandæ quidem tempus fuit.

28. Ante Ephesinum concilium apostolicæ sedis legatus in Nestoriana causa a Cœlestino papa creatus fuit S. Cyrillus. Si in hanc delegationem cogenda fuisset synodus totius Occidentis, nimium tempus exspectandum fuisset. Enimvero eorum tantum episcoporum *qui in magna Romanorum urbe comperti sunt*, synodum fuisse illam in qua post multos tractatus epistola Cyrilli delegationem continens a Cœlestino exarata fuit, ipse Cyrillus, ex relatione utique Possidonii, qui eamdem epistolam Roma detulit, testatur. Hactenus vero etsi de Nestorio multa, nihil tamen agebatur de congreganda synodo Ephesina. Hanc Nestorio procurante repente Theodosius indixit die 19 Novembris anni 430. Dies synodo statuta fuerunt nonæ Maii anni sequentis. Hujus indictionis notitia sero ad Cœlestinum pervenit, adeo ut nequiverit legatos destinare nisi VIII id. Maii, quo eisdem Commonitorium traditum fuit; unde in ipso Commonitorio *de transacta synodo* timebatur. In his ergo angustiis de concilio ex toto Occidente cogendo ad legatos eligendos stultum est cogitare. Cyrillus quidem in prima actione Ephesina solus legatione apostolica functus est, quam in totius Occidentis synodo traditam non fuisse ostendimus.

29. Ob Chalcedonense concilium nedum episcopos ex toto Occidente ad Romanam synodum evocare, sed ne viciniorum quidem litteras exspecta e licuit, ut mox videbimus. Immo cum hujus indictio Romæ solum innotuerit post diem 9 Junii anni 451, uti ostendimus not. 3 (*Tom. præced., col.* 930, *n.* ?) in epist. 89, Leoni vix tempus fuit eligendi et instruendi legatos, quos celeriter ad concilium direxit die 24 ejusdem mensis; ac propterea epist. 91 queritur : *Ipsa interjectorum dierum paucitas necessarios sacerdotes nos evocare non sinit*. Vides ergo quo evaserit illud Quesnelli, *Solemne erat* cogere totius Occidentis synodum, quæ numquam coacta fuit.

30. Nec minus gratuitum est alterum de synodis singularum provinciarum Occidentis, quæ vel legatos vel litteras ad Romanam synodum mitterent cum facultate eligendi legatos ad concilium generale. Percurre iterum singula generalia concilia, et nihil ejusmodi elicies. Unum quod proferre potuit Quesnellus de Gallicanis episcopis pro sola Chalcedonensi synodo, contrarium potius ostendit. Scripsit ad eos S. Leo epist. 102 : *Optassemus quidem fraternitatis vestræ litteras eo tempore quo promiseratis accipere, ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam synodum vice nostra pro catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio jungeretur*. Igitur hæ quoque Gallicanorum litteræ defuere. Quomodo ergo ex singulari hoc exemplo, in quo ipsæ litteræ sero pervenerunt, consuetudo a Quesnello asserta colligi potest? Quid quod vera ratio cur Leo has litteras a Gallicanis petierat non ea fuit quod indicta generali synodo id usu receptum esset ad legatos omnium Occidentalium nomine eligendos, sed quia sub Theodosio in ea circumstantiarum difficultate quam antea explicavimus, S. pontifex expedire putabat Gallicanorum aliorumque Occidentalium sententiam Eutychianorum erroribus repugnantem opponere. Simili de causa et Mediolanensium epistolas postulavit; quas tamen et isti licet viciniores serius rescripsere. De legatis vero omnium nomine ac mandato eligendis nihil illi, cum hasce epistolas petiit, in mentem venit. Si ergo nec Occidentalis synodus Romæ coacta, **1179** nec e synodis provinciarum Occidentis legati, vel epistolæ Romam missæ fuerunt, quibus omnium nomine legati ad generale concilium destinarentur, quomodo legati a Romano pontifice missi legationem omnium Occidentalium gerere poterant?

31. Hanc responsionem ut declinaret Quesnellus tertiam quamdam viam ingressus est cum scripsit : *Cum tam arctius œcumenicæ synodi terminus præfixus erat, ut nec aliarum diœceseon suffragia exspectare, vel ad eos ne litteras quidem mittere sineret, tunc coacto concilio vel ex diœcesi Urbis, vel ex iis episcopis qui tum in Urbe morabantur, legati mittebantur, qui totius patriarchatus Occidentalis procurationem a patriarcha ejusque diœcesana vel provinciali synodo suscipiebant gerebantque, et personam Occidentalium omnium in œcumenica sustinebant*. Cum hæc forma synodi esset usitata, ut vidimus, non ergo duæ præmissæ formæ, quæ nullo exemplo antiquo probantur, veluti *solemnes* prædicandæ erant. Subjicit exemplum Ephesinæ synodi secundæ, in qua temporis angustia longiores moras non ferebat; et ait : *Rebus ita dispositis aliud nihil restabat nisi ut pontifex de Occidentalium suorum fide securus, eos* (legatos) *dirigeret in Orientem, qui omnium causam agerent*. Igitur tota delegatio in præsumptione fundatur. Multum quidem hæc præsumptio valebat, ut affirmari posset a pontifice ita omnes Occidentales sentire circa fidem, sicut ipse in sua Romana synodo definierat, cum præsertim in ejusmodi synodis passim interessent plures diversarum provinciarum episcopi Romæ tunc immorantes, qui aliorum comprovincialium episcoporum ac provinciarum doctrinam præstare poterant. De hac una doctrinæ concordia loquitur Leo in epistola ad Gallicanos. At cum de legatis agitur, ad quos eligendos expressum mandatum necessarium est, præsumptio consensus absentium non sufficit. Si legati solummodo *habent ejus auctoritatem a quo destinati sunt*, ut in Sardicensi concilio *traditur* can. 7, quomodo legati a sola sede apostolica, aut ad summum a Romana synodo missi, eorum quoque Occidentalium, a quibus non erant destinati, auctoritatem et legationem sustinuisse dici queunt? Solus Quesnellus et qui ejus sophismatibus inconsulte fuerunt abrepti id affirmare potuerunt.

32. Quod si S. Cyrillus in Ephesino concilio legatorum sententiam resumens dixit : *Deposuerunt enim* (Nestorium) *supplentes locum sedis apostolicæ totiusque synodi sanctissimorum Deoque dilectissimorum Occidentalium episcoporum*; et si ipsum concilium Ephesinum in relatione ad imperatorem ait : *Piissimus magnæ vestræ Romæ archiepiscopus et universa Occidentalis synodus per sanctissimos episcopos, quos ad nos ipsa misit*, etc., solos episcopos Romanæ synodi, et solam hanc synodum episcoporum, *qui*, ut ex eodem Cyrillo audivimus, *in magna Romanorum urbe comperti sunt* (quæ sane non fuit synodus totius Occidentis) *Occidentalium episcoporum* et *Occidentalis synodi* nomine intelligere potuerunt. Cæterum et Cyrillus in eadem allocutione, et concilium in eadem relatione legationem apostolicæ sedis et papæ Cœlestini solummodo appellarunt, eo quod litteræ solius Cœlestini nomine inscriptæ hujus solius delegationem ac procurationem præferrent. Neque subtilius in generalibus verbis *universi Occidentalis synodi*, *totius synodi Occidentalium episcoporum* aliisque similibus insistendum est. Nam iidem Ephesini Patres in alia relatione ad eumdem imperatorem non solum dixerunt synodum Ephesinam *in consensu suo habere universum Occidentem*, sed *totam item Africam*;

cum tamen ex Africa solus Besula diaconus interfuisset, qui a totius Africæ synodo nec delegatus fuit nec delegari potuit, uti fatetur ipse Capreolus episcopus Carthaginensis in epistola ab eodem diacono allata, et lecta act. 1. Idem etiam legitur in relatione a Quesnello laudata, cujus integer textus hic est: *Consessui* (Ephesino) *adest et Cælestinus sanctissimus piissimusque magnæ vestræ Romæ archiepiscopus, et universa Occidentalis synodus per sanctissimos episcopos quos ad nos ipsa misit, totaque Africa.* Vides ergo quam perperam Quesnellus ejusmodi formulas ingesserit, ut legationem apostolicæ sedis ad legationem totius Occidentis traduceret.

33. Quod porro veluti *manifestum* argumentum obtrudit *ex concilii* VI *actis*, *ubi episcopi Portuensis, Paternensis et Regitanus locum tenere dicuntur concilii antiquæ Romæ, ubi centum et viginti episcopi convenerunt*, valde **1181** mirificum est. Si enim ea acta expendantur, nec quidquam omittatur, non solum non obest hoc documentum, sed potius favet. Verum quidem est tres episcopos Joannem Portuensem, Abundantium Paternensem, et Joannem Regitanum in singulis actionibus et in subscriptionibus dici *locum præsentantes venerabilis synodi antiquæ Romæ centum et viginti quinque Deo amabilium episcoporum.* At simul verum est tres alios, nimirum duos Romanæ Ecclesiæ presbyteros Theodorum et Georgium, ac Joannem diaconum in iisdem actionibus et subscriptionibus appellari *locum præsentantes sanctissimi et beatissimi papæ Agathonis;* ac præterea verum est hos postremos, licet solo presbyterii aut diaconatus honore ornatos, constanter primum locum habere ante omnes etiam patriarchalium sedium Patres, ob personam utique Romani pontificis totius Ecclesiæ primatis, cujus vice fungebantur; illos vero licet episcopos et a plena Occidentali synodo missos a primis illis sejungi, et locum habere post præcipuarum sedium Patres. Nonne hæc appellationis et loci distinctio manifestam legatorum distinctionem astruit? nimirum et legatos papæ Agathonis haud fuisse legatos totius synodi Occidentalis, et legatos hujus synodi pro legatis papæ habitos non fuisse; alias omnes simul et nominati et subscripti invenirentur, et episcopi presbyteris et diacono præcessissent. Quid ergo

A Quesnellus unam legatorum synodi Occidentalis mentionem ingerens, hoc testimonium eo loci attulit, ubi legatos papæ eosdem fuisse ac Occidentalis synodi legatos sibi probandum sumpserat?

34. Quod si quæras cur in hoc uno concilio VI ejusmodi legatorum papæ ac synodi distinctio occurrat, ex iisdem actis facile intelliges. Imperator enim in suis ad Donum Agathonis prædecessorem litteris hanc duplicem legationem expresse postulaverat, alteram ipsius pontificis mandato et nomine, alteram mandato et nomine Romani concilii ex Occidente convocati. Hoc quidem duplex mandatum, uti ad duplicem legationem requiritur, idem imperator palam indicat in aliis litteris ad Georgium archiepiscopum Constantinopolitanum his verbis: *Agatho sanctus nuper ordinatus papa in apostolica sede prædictæ antiquæ Romæ hujusmodi nostros pios suscipiens apices* (post Doni mortem acceptos), *destinavit in præsenti propriam ejus indutos personam Theodorum et Georgium Deo amabiles presbyteros, et Joannem Deo amabilem diaconum; ex persona vero totius ejus concilii Joannem et Abundantium et Joannem venerabiles episcopos..... porrigentes nobis etiam* DUAS SUGGESTIONES, *unam quidem ejusdem Agathonis papæ, aliam vero concilii ejus.* En igitur duplex legatorum genus et expressum mandatum ac procuratio duplex; unde etiam duæ epistolæ in eisdem actis recitantur, altera solius pontificis, altera totius synodi nomine inscripta. Ex his autem duo maximi momenti in rem præsentem consequuntur: primum, legatos qui solius pontificis vice et nomine concilio intersunt, non fuisse habitos legatos totius synodi Romanæ et Occidentalis: alias opus non fuisset distinctam legationem petere ac destinare; secundum, ad legationem totius synodi distinctum mandatum et procurationem omnium episcoporum ejusdem synodi requisita fuisse, nec non mentionem expressam legationis synodi, quæ quidem in actis sexti concilii constanter notatur. Cum vero in aliis generalibus conciliis nullum legatur Occidentalium aut Romanæ synodi expressum mandatum, legati autem solius pontificis aut apostolicæ sedis nomine ac vice appellentur, hos totius Occidentis aut Romanæ synodi legatos venditare commentitium est.

DISSERTATIO NONA.

DE CAUSA DOMNI ANTIOCHENI EPISCOPI, EJUSQUE DAMNATIONE; DEQUE MAXIMI SUCCESSORIS EJUS ORDINATIONE: UBI EPISTOLÆ SANCTI LEONIS, CONCILIIQUE CHALCEDONENSIS ACTA ILLUSTRANTUR, ET ACTIO DE DOMNO HIS ACTIS INSERTA COMMENTITIA ESSE DEMONSTRATUR.

Ad epistolas S. Leonis 60, 78 et 80, nunc autem 80, 104 et 106.

1183 I. Maximum Antiochenum episcopum, qui substitutus est in locum Domni per Ephesini latrocinii proceres, confirmatum fuisse ab œcumenica synodo mirantur plurimi, causamque operosius investigare conantur. Hanc unam fere omnes catholici scriptores qui istam versarunt quæstionem afferunt: ideo Maximum, etsi a suspectis hominibus electum, consecratum a Constantinopolitano episcopo *contra canonicam regulam*, Domnoque adhuc in vivis agenti superordinatum; ideo tamen receptum esse a synodo, quia a sancto Leone in episcopatu confirmatus fuerat. Quamobrem autem inter multos episcopos qui a pseudosynodo Ephesina dejecti e suis sedibus per summum nefas fuerant, Domnus unus suæ restitutus non sit, omnibus aliis redintegratis, non minor difficultas est. Omnia enim Ephesini latrocinii acta in irritum missa sunt ab Occidentalibus episcopis, etiam ante Chalcedonensem synodum, sæpiusque contestatus est Leo papa imperatorem (*Epist.* 40, *nunc* 44, *cap.* 2) ut omnia in eo statu esse juberet in quo erant

D ante infaustam synodum, donec omnia per œcumenicum concilium reformarentur. Consequens erat ut depositio Domni et Maximi ordinatio irritæ essent, suumque ille reciperet locum. Hoc tamen ideo prohibuisse Leonem aiunt, *quoniam*, inquit Baronius (*Ad ann.* 451, *num.* 128), *causa cognita, eum juste damnatum esse intellexit.* Mentem suam clarius non explicat eminentissimus cardinalis, nec aperit in quo justior esset Domni depositio quam aliorum. In Ephesina quidem synodo ad sacrilega Dioscori consilia abripi se passus fuerat, subscripseratque Flaviani et Eusebii damnationi, restitutioni Eutychetis, impiisque decretis captivas manus dederat; sed ut erat illi cum **1184** multis culpa hæc communis, debuerat etiam et communis esse indulgentia, qua cum cæteris actum est in Chalcedonensi synodo. Forsan inde cæteris culpabilior, quod recentiori culpæ antiquæ suspiciones accedebant. Cum enim Joannis Antiocheni nepos et successor fuisset, Nestorianæ labis non secus ac ille insimulatus fuerat. Præterea nec ea

pollebat scientia ac animi constantia quæ difficillimis illis temporibus necessariæ erant in tantæ urbis episcopo.

Denique non abs re forsan quis dixerit Domnum ipsum depositioni suæ manus ultro dedisse, solitariæ vitæ deliciis illectum, quibus innutritus olim fuerat sub Euthymio abbate; quas cum refragante sancto Patre relinquere meditaretur, ut Joanni avunculo suo a fide catholica deflectenti opem ferret, hæc ab eo verba futuri prænuntia audivit: *Si*, inquit, *his neglectis, et tolerantiæ contemptis cogitationibus, tentabis a laura discedere, obtinebis quidem administrationem quam tuus habet avunculus, sed eam tibi rursus auferent mali homines et præstigiatiores, cum ab illis prius fueris seductus ignorantia.* Hæc refert Cyrillus monachus de S. Euthymii rebus gestis disserens; additque Domnum profectum Antiochiam: *Et cum illic*, inquit, *fuisset, omnia quæ ei prædicta fuerant effectum sunt sortita. Illeque postea magna ductus pœnitentia, quod non obedisset, ad ipsum revertitur gravi dolore visceribus cruciatus et acerbe deplorans.* Ex istis verbis hoc B confici videtur: Domnum pœnitentia ductum post ablatam administrationem (quod prædictum ei fuerat) Euthymium denuo convenisse, quodque vitæ reliquum fuit in secessu egisse, Maximo Antiochenæ Ecclesiæ episcopatum, quem hic Eutychianorum favore adeptus erat, sponte relinquens propria. Eaque demum vera erit causa cur ad sedem suam regressus non fuerit.

II. Qui porro Leonis auctoritatem hoc egisse **1185** putant, ut Maximus in Antiochena sede tam malis auspiciis collocatus remaneret, locumque cedere Domnus cogeretur, manifestum id esse aiunt ex actis Chalcedonensis concilii. Si quidem in actione quæ *De Domno Antiocheno* inscribitur, disertis verbis legitur confirmatum auctoritate Leonis fuisse Maximum. Hanc actionem quoniam discutere animus est ad ecclesiasticæ historiæ veritatem indagandam, operæ pretium est eam hic integram describere; nec C enim prolixa est, et de ea sub oculis posita facilius lector judicium suum interponet.

ACTIO DE DOMNO ANTIOCHENO, concilii Chalcedonensis parte II, *post actionem* 10.

Consulatu domini Marciani perpetui Augusti, et qui fuerit nuntiatus, sexto kalendarum Novembrium, Chalcedone secundum præceptum divinissimi et clementissimi domini nostri imperatoris, convenientibus in sancta ecclesia sanctæ martyris Euphemiæ; et magnificentissimo et gloriosissimo magistro militum et exconsule ordinario, et patricio Anatolio, et magnificentissimo et gloriosissimo sacrorum officiorum magistro Vincomalo; convenientibus etiam Paschasino et Lucentio reverendissimis episcopis, et Bonifacio reverendissimo presbytero, vicariis sanctissimi D archiepiscopi senioris Romæ Leonis, et Anatolio reverendissimo archiepiscopo maximi nominis Constantinopolis, et Maximo reverendissimo archiepiscopo Antiochiæ Syriæ, et Juvenale reverendissimo episcopo Jerosolymitano, et cætera sancta synodo, quæ ex sanctione divinissimi et clementissimi domini nostri Marciani imperatoris in Chalcedonensi civitate congregata est, quorum nomina infra sunt scripta; et residentibus universis ante cancellos sancti altaris, Maximus reverendissimus episcopus Antiochiæ dixit: Deprecor magnificentissimos et gloriosissimos judices, et sanctam hanc et universalem synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ

A episcopus, dignemini, et statuere ei certos sumptus de Ecclesia quæ sub me est.

Paschasinus et Lucentius reverendissimi episcopi et Bonifacius presbyter, vicarii sedis apostolicæ, per Paschasinum reverendissimum episcopum dixerunt: Sanctus et beatissimus papa, qui episcopatum sancti ac venerabilis Maximi episcopi Antiochenæ Ecclesiæ confirmavit, justo satis judicio ejus meritum approbasse videtur; si quidem memoratus reverendissimus episcopus Maximus suo arbitrio Domno voluerit esse consultum, ut sumptus ei de sua Ecclesia miserationis **1186** intuitu, prout æstimaverit, largiatur; ut contentus alimoniis quiescat in posterum. Quæ confessio Græce per Beronicianum virum devotissimum, secretarium sacri consistorii translata [*Al.* tradita] est. Anatolius reverendissimus episcopus Constantinopolitanus dixit: Laudo et ego condolentiam [*Al.* compassionem] beatissimi episcopi Antiochiæ Maximi, in quibus spontanea voluntate ipse tales precatorias [*Al.* preces] obtulit, ut sumptus præstaret Domno, qui fuit episcopus Ecclesiæ sanctæ quæ sub eo est, præter hoc prædicto nihil requirente.

Juvenalis episcopus Jerosolymitanus dixit: Amplector et ego consilium sancti episcopi Antiochiæ Maximi. Universa synodus vociferata est [*Al.* exclamavit]: Laudabiles merito sunt benevolentiæ archiepiscopi. Omnes cogitatum ejus laudamus. Hic decet ejus existimationem humanus cogitatus pontificis. Magnificentissimi judices dixerunt: Amplectente sancta synodo arbitrium Maximi viri religiosi episcopi Antiochensium, quod de Domno probavit, et nos eidem [*Al.* itidem] consentimus, ejus arbitrio derelinquentes, quæ sunt de Domni honorificentia. *Et alia manu*: Edantur. *Huc usque actio de Domno.*

III. Hanc actionem minime commentitiam esse, sed genuinam totis votis peroptarem. Hoc enim si esset, jam præclarissimum antiquissimumque præ manibus haberemus testimonium summæ auctoritatis pontificis Romani tum in synodos cum in Orientales episcopos, majorum, inquam, ac primarum sedium episcopos. Enim vero quantæ potestatis est, ut penes Romanum episcopum Antiocheni, et consequenter Alexandrini aliorumque episcoporum consecratio fuerit aut saltem confirmatio, ut ex hoc loco argumentantur cardinalis Bellarminus ejusque apologista Jacobus Gretserus (*Bellarm. tom.* I *controv.* III, *de Rom. Pontif. lib.* II, *c.* 12; *Gretserus Defens. Bellarm. tom.* II, *ad hunc locum*)! Qualis prærogativa, ut cum plures episcopi ab infausta synodo per vim scelusque depositi essent, eorum damnatio ac depositio rata esse juberetur, quam ratam esse debere judicaret Romanus episcopus; sola alterius episcopi in illius locum substitutio haberet locum, quam idem ille confirmasset! Quam evidenter denique hinc eluceret suprema ejusdem in synodos potestas, quarum acta ex ea parte robur habeant, cui ille robur adjecerit; ex illa cassa sint et irrita, quam irritam ille esse voluerit. Verum ut eruditi ac sapientis est theologi vera germanaque primariæ sedis privilegia toto animo atque ex solidis genuinisque probationibus adversus novatores vindicare, ita parum sinceri liberalisque animi sit eadem vel ultra præscriptos limites ampliare, vel incertis, caducis falsisque adminiculis ac fulcimentis sustentare. Nec enim mendacio eget veritas, sed potius ex mendacii consortio in falsitatis

A suspicionem veritas etiam testatissima vocari consuevit.

Tale est, mea sententia, id omne quod ex illa actione de Domno assertum est ab ecclesiasticis scriptoribus, quibus ad alia **1187** properantibus vacuum non fuit de (*a*) illius veritate accuratius inquirere. Mihi vero rem curiosius exploranti certum est (*b*) Domnum Antiochenum jam tum fato functum fuisse cum Maximus Antiochenæ Ecclesiæ pontifex factus est; ac proinde falsam esse ac commentitiam actionem illam, quæ de Domno inscribitur, sanctoque consilio Chalcedonensi putido mendacio affingitur: in qua videlicet Maximus inducitur Domno quasi post exauctorationem suam superstiti alimenta de suæ Ecclesiæ redditibus ex concilii indulgentia impertiens. Atque ut hoc constanter asseram, non levia et infirma videor mihi habere argumenta.

IV. Primum enim hæc una actio inter omnes alias Chalcedonensis concilii actiones Latine tantum edita reperitur, (*c*) Græce autem nuspiam apparuit: quod certe non leve indicium est suppositionis a Latino impostore aliquo factæ. Si enim illa vere in concilio confecta fuisset, Græce utique fuisset, atque Græcis hujus synodi actis inserta cum aliis actionibus legeretur. Cur enim hæc una a reliquarum actionum Græcarum corpore distracta fuisset, plane non apparet.

V. 2. Ex (*d*) unico nobis codice prodit hujusmodi actio, quem nulla auctoritas, antiquitas nulla commendabat; cum et chartaceus solummodo esset, et ab ignotis scholaribus Germanis duobus acceptus prædicetur. Talis enim est epigraphe qua insignita reperitur in Crabbiana, Suriana, aliisque Conciliorum editionibus: *Actio de Domno Antiocheno, quæ inventa est in codice Patrum Juliæ membranaceo, transcripta ex codice vetusto chartaceo, et dicitur ipsa fuisse Proculi et Albini Germanorum scholasticorum.* Philippus quidem Labbeus in novissima Conciliorum editione codicem quemdam laudat actorum Chalcedonensis concilii a Rustico Ecclesiæ Romanæ diacono cum Græcis codicibus collatorum, annotatorum, distinctorum. In hoc vero codice, qui dicitur esse D. Bohierii Divionensis, actio de Domno subjicitur actioni sextæ cum hoc titulo: *Explicit* VI *actio.* **1188** *Incipit* VII *de Domno Antiocheno quondam patriarcha translata ex Græco in Latinum.* Sed Rustici fides hoc in negotio suspecta est: cum enim schismaticus iste diaconus a Vigilio papa anathemati subjectus videret exemplum Domni tamquam post mortem damnati obtrudi solere ab adversariis trium capitulorum damnationem expetentibus, potuit homo hoc causæ suæ patrocinium ex mendacio asciscere, ut fabricata actione de Domno quasi adhuc superstite, eum post mortem non esse damnatum assereret, idque saltem Occidentalibus persuaderet. Quidquid porro sit de Rustici fide ac sinceritate, certum apparet mihi (*e*) solam actionem primam Chalcedonensis concilii ab eo esse recensitam: soli enim isti actioni nomen suum subjecit in hunc modum:

Ex cod. ms. Bohieriano.

Explicit prima cognitio Chalcedonensis concilii. Finivimus emendantes et conferentes manuscripta a pridie ante kal. XCII (*id est Decembris*) *feria* IV, *ind.* 13, XV *kal. Aprilis: Rusticus per gratiam Dei diaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ contuli, annotavi, distinxi. Deo gratias.*

Ex editione Petri Crabbi ord. min.

Finis primæ cognitionis Chalcedonensis concilii, quæ finita, emendata et collata est anno Domini 417 (emendatur in margine aut 454, aut 457, in omnibus pessime, inquit Labbeus), *feria* IV, *indictione* 13 *kalend. Aprilis* XII. *Rusticus per gratiam Dei diaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ, contuli, annotavi, distinxi. Deo gratias.*

B Eadem fere in editione Romana paucis variantibus. Ex illis porro apparet nihil certi statui posse ex hujusmodi annotationibus, quæ sibi non cohærent, ac insuper non unius Rustici esse, sed plurium diversorumque annotatorum, illam Bohieriani codicis monitionem. Rusticus enim relegit Chalcedonensem synodum ad codicem quem jam emendaverant et contulerant superiores ipso correctores; suamque pariter attestationem apposuit, ut illi suam. Sed hi actiones reliquas recensuerunt, ille ultra primam progressus esse **1189** non videtur. Addo annos quos annotatio prior designat, ad Rustici ætatem pertinere non posse, et priorem illam annotationem suspectam reddi ex hac voce *manuscripta;* antequam enim excudendorum codicum artem hominibus largitus esset Deus opt. max., supervacaneum omnino erat *manuscriptorum* ab editis discrimen, quod illic suggeritur. Præterea etsi demus actiones omnes Chalcedonenses a Rustico esse relectas et emendatas, clarum est actionem de qua disserimus inventam ab C eo non fuisse, quod vel unus codex Bohierianus testatur. Nam in eo titulus actionis de Domno omnino singularis est; nulla relectionis ac emendationis fit mentio: Latinæ ex Græco translationis mentio argumento est hoc ex Græco codice, quem conferens Rusticus in manibus habebat, non esse desumptum. Denique Petrus Crabbe, Laurentius Surius, aliique, qui in edendo Chalcedonensi concilio usi sunt codicibus a Rustico recensitis ac emendatis, cum ad actionem Domnianam veniunt, de Rustico nullam mentionem habent, sed palam profitentur se illam ex unico codice Juliæ membranaceo eruisse ac publicæ luci dedisse. Unde patet quam incerta ad nos via pervenerit, ejusque fidem omnem penes duos Germanos scholasticos versari. Sed tædet me tricarum istarum: ad alia argumenta suppositionis pergamus.

VI. 3. Est ex incerta sede, quam hactenus nacta est, ex quo inserta Chalcedonensibus actionibus.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Veritatem sinceritatemque hujus actionis in observationibus subjiciendis defendemus, Quesnellique nisus omnes ibidem retundentur.

(*b*) Id falsum evincetur ibidem n. 2.

(*c*) Etsi hæc actio Græce nuspiam apparuit, eam tamen e Græco Latine redditam in observationibus demonstrabimus. Græcorum autem codicum qui ad nos pervenerunt defectum in causis particularibus nihil probare patebit ex not. 18 (*Col.* 257, *n.* b) in dissert. 1 ad an. 451, ubi particulares ejusmodi actiones in multis codicibus Græcis generatim omissas, in aliis autem non paucis, qui particulares actiones exhibent, omissam actionem de Photio Tyri manifestum fecimus. Quid igitur mirum si hæc actio de Domno præterita fuit?

(*d*) Alium codicem nacti sumus, eumque vetustissimum ac diversæ originis, de cujus præstantia age- D mus in observat. num. 3 et seqq. Quesnelli allucinatio circa ipsum codicem quem hic nominat ex eo pendet quod epigraphen in vulgatis huic actioni præfixam editorum esse crediderit, ac si hi in ea typis imprimenda codice usi sint recenti transcripto ex alio duorum Germanorum. At hæc epigraphes, quam in observationibus ad mss. librorum fidem exactam proferemus. Rusticum habet auctorem ac proinde codices quoque in ea memorati antiquissimi sunt. Vide observ. num. 11 et 12.

(*e*) Id falsum ostendemus in observ. ad not. 2 Quesnelli in epist. 113. Distinctam eorum quæ lucubravit Rusticus notitiam Quesnellus habere non potuit, cum hæc scripsit: nondum enim prodierant Baluzii emendationes in textum Rustici, quas qui legerit, sequentes illius animadversiones inanes agnoscet.

Cum enim numero nullo consignata esset, eum sortita est locum quem cuique placuit ei assignare. Post septimam enim actionem collocata reperitur in editionibus Crabbianis, Suriana, et Biniana Latina A. D. 1606. Romana Græco-Latina, aliæque postmodum editiones sedem ei figunt post decimam actionem. Nulli earum editionum procuratores ita constituti vel immutati ordinis vicem ratione aut auctoritate codicis comprobant : ut manifestum sit inter alias synodi actiones (*a*) numquam esse numeratam, sed longe post collecta illius acta superinductam esse et interjectam, quæ nimirum tam incertis sedibus jactata conspicitur.

VII. 4. Constat actionem illam (*b*) Justiniano imperatori ignotam fuisse, siquidem in prolixo scripto qui inscribitur : *Confessio rectæ fidei Justiniani imperatoris adversus tria* **1190** *capitula et universo cœtui catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ* directus legitur, hæc habet : *Sancta Chalcedonensis synodus Domnum Antiochiæ factum episcopum post mortem condemnavit, quod solum ausus est scribere oportere taceri duodecim capitula Cyrilli.* Quomodo damnatus post mortem, si ei ex concilii sententia alimenta de redditibus Ecclesiæ Antiochenæ ministrata sunt a Maximo? An imperator ejusque administri, quorum opera in hoc negotio utebatur, existimandi sunt aliquid eorum ignorasse quæ actis Chalcedonensis concilii continebantur; illius, inquam, concilii, cujus unius gratia totam Ecclesiam commovebant?

VIII. 5. Non imperator solum ejusque consultores, sed ipsa etiam universalis synodus quinta eadem in sententia fuit, ut scribitur sub finem collationis sextæ : *Chalcedonensis*, inquit, *synodus Domnum Antiochiæ episcopum, eo quod scripsit debere taceri duodecim capitula sanctæ memoriæ Cyrilli, et post mortem condemnavit, cum confirmasset condemnationem ejus, et suscepisset Maximi ordinationem.* Si porro Domnus post mortem damnatus est a Chalcedonensi concilio (quod temere ac re inexplorata dictum esse a Patribus qui asseruerit injuriosus plane sit erga sanctam synodum, magisque ipse temeritatis reus), igitur superstes non erat Domnus cum synodus habita est, summæque ignorantiæ ac impudentiæ convincitur quisquis hanc actionem consarcinavit ac supposuit. At, inquies, non magis credendum concilio affirmanti Domnum post mortem esse damnatum, quam cum asserit eum a Chalcedonensi synodo damnationis excepisse sententiam. Nuspiam porro hæc damnatio legitur inter hujus concilii acta. Occurrunt objectioni ipsi Patres, cum in eo damnationem istam positam esse ostendunt, quod condemnationem ejus confirmarunt; confirmasse autem, cum synodi Ephesinæ acta quoad hanc partem non resciderunt; hæc vero non rescidisse circa illud, cum Maximi ordinationem in Domni locum propter hujus damnationem substituti irritam esse non jusserunt, sed potius approbarunt, ne minimam quidem querelam adversus illius ordinationem moventes. Ex his luce clarius est tempore Justiniani imperatoris et quintæ synodi universalis non lectam esse actionem illam inter acta Chalcedonensis concilii; alioqui quid erat facilius quam **1191** falsi eos arguere, productis synodi quartæ actis?

IX. 6. Cum Facundus Hermianensis in Africa episcopus opusculum suum pro trium capitulorum defensione conscriberet Justiniani imperatoris professionem fidei diligentissimo examine discussit, omnibusque adversariorum argumentis satisfacere conatus est, quæ pro damnatione eorumdem capitulorum adducta fuerant. At de damnatione Domni post mortem, ne verbulum quidem ullum apud eumdem legitur : quod tamen non omisisset vir sagacissimus et ad causæ quam propugnabat patrocinium intentissimus, si vel ex actis Chalcedonensibus vel aliunde compertum habuisset Chalcedonensi concilio fuisse Domnum superstitem. Eo major vis hujus argumenti, quod nihil tunc temporis omnium manibus versabatur frequentius quam concilii Chalcedonensis acta, de cujus potissimum auctoritate agebatur; quod de his actis instructissimi erant omnes sive concilii, sive trium capitulorum defensores, quos inter Facundus eminebat. Quod denique scribebat Constantinopoli, ubi accuratissima atque integerrima Chalcedonensium actorum exemplaria fuisse non est ambiguum; ubi et illud Acœmetarum monasterium situm erat, ad cujus codicem Rusticus diaconus synodi acta recensuisse dicitur; qui Rusticus in propria causa non secus ac Facundus prævaricatus esset, nisi ex hujusmodi actione adversariorum refutasset argumentum.

X. 7. Idem Facundus lib. II, cap. 1, Domnum annumerat sanctis Patribus et venerabilibus Ecclesiæ Christi doctoribus, Joanni, inquam, Chrysostomo, et Gregorio Nazianzeno, ex quorum approbatione ac testimoniis Theodoro Mopsuesteno episcopo patrocinium ac defensionem parare intendit; rem maxime horrendam putat, si vel eum vel ejus scripta anathemate percutere quis præsumat. Libro etiam VIII, cap. 6 et 7, Theodorum damnare metuit, ne Domno cum aliis sanctis Patribus injuriam faciat, quos Cyrillo præferendos putat. Eodem cap. 5, post recensitam cum laude Domni epistolam, de ipso cæteris Ecclesiæ luminaribus annumerato hæc habet : *Puto, clementissime imperator, quod magni sceleris magnæque profanationis esset judices istorum luminarium mundi pro Theodoro Mopsuestiæ calcare sententiam, et ad tenebras cæcitatis Eutychianæ* **1192** *transire.* Denique, ut multa alia prætermittam brevitatis causa, in ultima fere hujus operis pagina Domnum venerabilem appellat, eumque ut primarium fidei adversus Eutychen defensorem prædicat. Qua porro fronte Facundus, qui ex singulari in synodum Chalcedonensem reverentia commendari amabat, tam præclaris Domnum ornasset encomiis, maximis Ecclesiæ ac mundi luminaribus parem fecisset, magni sceleris magnæque profanationis esse putasset ejus calcare sententiam, ejusdem pro Theodoro testimonium tanti ipse fecisset, tantique voluisset fieri ab adversariis, si a Chalcedonensi synodo damnationis excepisset sententiam, et ad eam conditionem dejectus esset, ut stipem a successore suo petere cogeretur?

XI. Octavum inde nascitur mihi argumentum. Etsi enim Domnus impii Dioscori sententia exauctoratus, locum Maximo cedere coactus esset Chalcedonensium Patrum judicio, pristinæ suæ dignitati superstes factus, numquam tamen ad illud calamitatis profundum detrudi potuisse credam, ut (*c*) alimenta, nisi

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Idem accidit actioni de Photio Tyri, quam tamen genuinam nemo negaverit. Vide observ. n. 13, et notationem 18 (*Col.* 257, *n.* b) in dissert. 1 ad an. 451.

(*b*) Huic argumento negativo respondebimus in observ. n. 14. Nihil enim mirum si Justiniano, Patribus concilii V et Facundo ignota fuit hæc actio, quæ ita in eorum codicibus deerat, sicut in plerisque desiderabatur actio de Photio Tyri. Quod autem idem Justinianus et Patres laudatæ synodi in recitatis locis tradunt, Chalcedonensem synodum condemnasse Domnum post mortem, nihil movere debet. Nam præterquam quod alia quædam horum errata in rebus historicis manifesta sunt, hocque falsum convincitur ex nostra actione, quæ ipsis ignota fuit, profecto in cæteris actis nihil est unde ea condemnatio ac mors colligi potuerint. Solum enim in his legitur Maximum a concilio fuisse susceptum tamquam episcopum, quia illum S. Leo in communionem receperat. Vid. act. 10.

(*c*) Nil mirum si Domnus ne gravis esset iis apud quos episcopatu relicto sese in eremum recepisse Cyrillus in Vita S. Euthymii tradit, ea alimenta obtinuit quæ aliis episcopis depositis in eadem synodo

successoris sui arbitrio provisum esset, omnino ei deessent, tantæ nimirum sedis præsuli, qui cum avunculi sui loco successisset, non poterat multis opibus amicisque ac auctoritate plurima non pollere; ut ridiculum plane sit eum velut mendicum exhibere coram synodo, sollicitumque de alimoniis, et præter has aliud nihil requirentem. Hoc certe potius elegisset ut ad optimum patrem suum Euthymium remearet, qui olim Spiritu sancto afflatus eum prædixerat et in locum avunculi successurum, et ab ejusdem sede per impiorum scelus et potentiam aliquando esse pulsandum.

XII. 9. Nonnulla sunt in hac actione quæ fraudem aperiunt impostoris. Etsi enim quantum potuit imitatus est aliarum actionum stylum, in aliquibus tamen incautus allucinatus est. Enumeratis enim præcipuis synodi antistitibus, hæc brevitatis causa subjungit (a): *Et cætera sancta synodo, quæ ex sanctione divinissimi et clementissimi domini nostri Marciani imperatoris in Chalcedonensi civitate congregata est, quorum nomina infra sunt posita.* Quam imperitus fuerit hujus actionis artifex, aliqua verba testantur. Vox enim *cætera* in singulari numero vix usurpatur. Deinde ad quid illud *quorum* refertur, cum nulla vox ejusdem **1193** numeri vel generis præcesserit? Denique ubinam apparent *nomina infra scripta*, quæ describenda supponit? Omitto recensere barbarismos quibus scatet tota actio, quales sunt isti: *Humanitatem exercere*, *suo arbitrio* pro *spontanea*, ut inferius dicit, *voluntate confessio, condolentiam, precatorias, cogitatum, honorificentia, benevolentiæ laudabiles*, etc. Peccat etiam contra synodi ordinem debitamque sanctis Patribus reverentiam, quando Maximum inducit ad judices laicos preces suas dirigentem, posthabitis episcopis synodi principibus. Cum enim tunc temporis nec ferre possent episcopi ut Ecclesiarum œconomi coram judicibus laicis de bonorum ecclesiasticorum administratione rationem redderent, quemadmodum ex epistola 108 Leonis nostri manifestum est, quis credat eos primos omnium in synodo ab Antiocheno antistite compellandos fuisse, cum de portione ecclesiastici proventus deposito episcopo largienda ageretur? *Deprecor*, inquit ille, *magnificentissimos et gloriosissimos judices*, etc., tum sui oblitus respondentes legatos sedis apostolicæ introducit, cum contrario potius ordine res agi soleret. Ad universam enim synodum preces libellosque supplices dirigi mos est in aliis actionibus, tum judices a primariis synodi episcopis suffragium poscere. Ridiculum est etiam ut pro decernendis Domno alimoniis actionem (b) peculiarem, solemnemque instituerent Patres consultationem: quasi vero patrimonium pauperum non essent opes Ecclesiæ, et inter pauperes præcipuus ac singulari privilegio dignus non haberetur episcopus, qui per annos plurimos Ecclesiæ suæ summa cum laude præfuerat; ut opus Maximo fuerit veniam a synodo obtinere, quo ei humanum esse ac misericordem liceret erga prædecessorem suum. Duo sunt exempla in eadem synodo concessarum exauctoratis episcopis alimoniarum, sed res cum tanto apparatu ac splendore confecta non est, etsi longe majori egeret consultatione. Bassianus enim et Stephanus in Ecclesiam Ephesinam contra canones intrusi pelluntur ab episcopatu, atque ex unius et alterius suffragio ab Ephesiorum Ecclesia nutriri jubentur, quamvis Ecclesiam talibus hominibus pascendis gravari injustum videretur. Sabinianum similiter, qui post depositionem Athanasii Perrhenorum Ecclesiæ a concilio provinciali ordinatus erat episcopus, si post **1194** examinatam Athanasii depositionem, cessurus est episcopatu Perrhenorum, retenta dignitate episcopali, alimenta accipere vult synodus, hocque decernit unico verbulo, *pascatur*, non postulato ea de re singulorum suffragio, sed receptam consuetudinem sequens, nec tam ut licentia daretur tribuendæ miserationis, quam ne miserationi deessent qui subrogabantur depositis episcopi.

XIII. 10. Quando Leo rescidit acta pseudosynodi Ephesinæ ex omnium Occidentalium sententia, numquam de Domni depositione excipienda cogitavit, sed omnia omnino illic a Dioscoro perpetrata in irritum misit, eaque tamquam per unius hominis impudentiam contra justitiam et canonum disciplinam gesta, nulla catholicæ fidei ratione rata esse posse pronuntiavit (*Epist.* 47, *nunc* 51). Rogavit etiam Theodosium Augustum *ut omnia in eo statu manere juberet in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregaretur* (*Epist.* 40, *nunc* 44, *cap.* 2). Cur ergo effectum habuisse credatur lata in Domnum sententia? Non aliam certe (c) ob causam quam quia e vivis excesserat Domnus antequam vel Maximus eligeretur, vel ordinaretur episcopus.

XIV. 11. Chalcedonensis concilii acta tota quanta sunt, nihil habent quod memoriam Domni Antiocheni vel minimum inficiat. Dum eum nominari contigit (quod sæpius factum est, integris etiam actis conciliorum ab eo habitorum relatis), ne verbulum quidem de confirmata vel illata damnationis in eum sententia. Actione 14 interrogatus a judicibus Athanasius Perrhensis cur tertio evocatus a sancto Antiocheno concilio, non occurrit: *Quoniam*, respondet ille, *inimicus meus* ERAT *ipse qui judicabat Antiochenus.* Vides ut de Domno quasi (d) jam defuncto loquatur, nec in mentem judicum venisse in hujus causæ discussione Domnum interpellare, ut de judicio a se habito, lataque in Athanasium sententia rationem redderet. Quæ certe compendiosior via erat quam ut ad octimestrem disquisitionem negotium totum ab Antiocheno concilio discutiendum remitteretur.

XV. 12. Si aliquamdiu prædatoriæ synodo superstes fuisset Domnus, (e) numquam ita propriæ causæ propriique honoris oblitus esset, ut nec aliorum exemplum secutus veniam postularet pro culpa, nec de Dioscori perfidia querelas sive apud S. Leonem **1195** deponeret, sive apud ejus legatos, qui Con-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

assignata fuerunt, idque ex consuetudine jam recepta, uti Quesnellus num. 12 fatetur.

(a) Quanta olim esset difficultas et imperitia interpretum Latinorum, ostendimus in præfatione ad epistolas S. Leonis num. 51. Defectus hic a Quesnello taxati in aliis antiquis versionibus similiter inveniuntur. Nonnulla etiam ab amanuensium oscitantia proficisci potuerunt. Nomina autem episcoporum, *quæ infra scripta* indicantur, et desunt, omissa scribendi fastidio veluti non necessaria, sicuti in actione de Juvenali quædam interlocutiones ab eodem nostro interprete prætermissæ fuerunt. In ipsis Græcis codicibus nonnullæ ejusmodi omissiones occurrunt quæ ex diligentioribus versionibus antiquis, aut ex aliis Græcis mss. deteguntur. Nihil ergo hinc ad suppositionem convincendam eruitur.

(b) De Bassiano et Stephano Ephesinis, ac de Athanasio Perrhenorum episcopo peculiares causæ in concilio discussæ fuere, post quas stipendium ipsis mox constitutum, ut ne hujus constituendi gratia actio distincta habenda esset. Cum autem nulla alia peculiaris causa de Domno, qui jam episcopatum Maximo dimiserat, agenda esset nisi hæc quæ stipendium ejus respiciebat, hinc de hac re distincte actum fuit.

(c) Aliam causam assignabimus in observ. n. 2.

(d) Verba Athanasii ante descripta Domnum *jam defunctum* non significant. Interrogatus autem non fuit Domnus a judicibus, quia concilio non aderat.

(e) Domnus post depositionem pœnitentia ductus eremum cogitans, pro episcopatu nihil laborabat, ac propterea nihil vel ab ipso vel ab ejus amicis pro eo in suam sedem restituendo vel vindicando actum fuit sive apud Leonem sive in concilio.

stantinopolim pro reparanda Ephesina clade missi A fuerant. Quod si non fecisset, atque communionem catholicorum sacerdotum non requisivisset, merito negligentiæ argueretur. Immo vero ad Chalcedonensem synodum sese contulisset, ut apud sacram synodum de Dioscori violentia perfidiaque conquereretur; quod alii fecerunt, qui longe deterioris erant conditionis. Adfuisse quidem Domnum tunc privatum asserit cardinalis Baronius, non alio, opinor, argumento motus, quam quod id ex ista actione eruere sibi visus est, ubi ipse alimenta sibi postulans inducitur. Verum etsi disertis verbis præsens fuisse assereretur Domnus in hac actione, nihil confectum esset, cum hoc ipsum in controversiam vertatur, an fides scripto hujusmodi sit adhibenda. Cæterum aliunde non puto innotuisse Baronio Domni in concilio præsentiam, cum de hac tam altum ubique silentium sit, ut hoc silentio potius invicte probari putem apud hominem omni præjudicio vacuum, nec præsentem nec superstitem tunc fuisse Domnum episcopum.

B XVI. 13. Quis persuadeat sibi Domnum, qui tot annos Antiochenam rexerat Ecclesiam, ac proinde totam Orientis diœcesim, qui Joannis avunculi ac prædecessoris sui amicos omnes sibi devinctos habebat, qui plurimos ipse consecrationis titulo filios pepererat, quem insuper et pietatis amor et zelus fidei commendaverant plurimum : hunc, inquam, quis credat ita omni præsidio destitutum, ita contemptui habitum ab omnibus fuisse atque derelictum, ut nemo pro ejus defensione in medium prodiret, nemo sollicitaret synodum œcumenicam, nemo Antiochensium suum sibi episcopum restitui clamaret, nemo respueret Maximum veluti viventi episcopo superordinatum : præsertim cum hic contra jus et consuetudinem ecclesiasticam a Constantinopolitano episcopo esset consecratus, ille contra fas omne ab impio Dioscoro esset depositus. Certe immane illud facinus, quo se apud Ephesum polluit Dioscorus, ita horruere Orientalis diœcesis episcopi, ut majoris dissensionis seminarium et origo fuerit inter partium illarum C diœceses. Statim enim post solutam Ephesi pseudosynodum, reversisque ad sedes suas episcopis, *scissio facta est inter eos*, inquit Liberatus, cap. 12, *qualis antea numquam contigerat. Ægyptii quippe, Thraces, et Palæstini episcopi Dioscorum sequebantur; Orientales, Pontici, et Asiani sanctæ memoriæ Flavianum.* Quis putet, his omnibus consideratis, neminem illorum patrocinium Domni fuisse suscepturum, si quidem superstes fuisset, cum propter eum probabile sit ortam esse ex parte tantam dissensionem? Noverant nimirum antiquam utriusque illius sedis, Alexandrinæ, inquam, et Antiochenæ, **1196** æmulationem Dioscorum movisse, ut æmulum suum vi opprimeret, etiamsi in damnationem Flaviani Eutychisque restitutionem abripi se intentatæ mortis metu misere passus esset; nec verisimile est eos omni se erga patriarcham suum studio tunc exuisse, quod semper vehementissimum habuerunt Orientales. Quantæ enim turbæ, quantæ seditiones pro uno Dioscoro homine D impio ac sceleribus infami excitatæ sunt sequenti anno! Licet quippe publice in concilio œcumenico unanimi sexcentorum et amplius episcoporum sententia damnatus esset atque depositus, vix tamen adduci potuerunt Alexandrini ut alium in ejus locum eligerent, tametsi hoc etiam juberent imperiales sanctiones. *Super hoc enim*, inquit Liberatus (*Cap.* 13), *multa dubitatio processit, volentibus neminem penitus ordinare, ne adulteri viderentur, Dioscoro quippe vivente.*

XVII. 14. Plurimæ episcoporum causæ ac depositiones in synodo Chalcedonensi accuratissime discussæ sunt, etiam quæ ad propriam synodi hujus materiam non attinebant, etiam episcoporum quorum causæ jam in conciliis ventilatæ fuerant, nec paris cum Antiocheno episcopo ponderis ac meriti erant. Si igitur tunc incolumis fuisset Domnus, dubium non est quin ejus causa ad incudem revocata esset, cum et eorum imprimis gratia haberetur, qui lapsi erant in Ephesino conventu, nec aliud esset tribunal ad quod Antiochenus episcopus trahi posset. Certe scriptum habemus a Leone epist. 110 (*nunc* 139), ad Juvenalem Jerosolymorum episcopum, quod *detestandum illud Ephesinæ synodi judicium, ita sancti Chalcedonensis concilii auctoritate* (Christus) *destruxit, ut* NULLUM *depravatorum a remedio correctionis arceret.* Si (*a*) nullum arcuit, profecto nec Domnum, ac proinde fictitium esse oportet scriptum omne quod Leone contradicente testatur Antiochenum episcopum a remedio correctionis fuisse depulsum.

XVIII. 15. Nulla ratio apparet cur cum Domno durius actum fuerit et inclementius quam cum cæteris qui ad damnandum Flavianum subscriptionibus suis coacti erant. Immo cæteris erat innocentior, dignusque qui præ omnibus indulgentiam acciperet (*Facundus lib.* XII, *cap. ult.*); non solum enim primus omnium nascentem Eutychetis hæresim olim confoderat, Flavianumque ipsum accenderat exemplo suo ad pugnam; sed et postquam militum circumstantium metu concussus damnationi Flaviani subscriptionis propriæ consensum dedit, primus omnium pœnitentia ductus resipuit, quosque labentes secutus fuerat, iisdem resurgendi exemplo præivit. Immo eam ob causam detrimentum passus est dignitatis suæ, quod consensionem extortam sponte retractavit. Hujus rei testem habemus Nicephorum, quem hanc historiæ partem plurimi certe faciendam **1197** ab aliis antiquioribus historicis accepisse par est credere, cui nullum erat illius comminiscendi operæ pretium. Sic igitur scribit (*Lib.* IV, *cap.* 47) : *Cum quibus*, inquit, *et Domnus Joannis in Ecclesia Antiochena successor, annotatione sua ea tum confirmavit. At idem potestati suæ redditus, quod illis cessisset, retractavit, Dioscoro et principibus ex aula imperiali viris resistens, et contra decreta, utpote quæ adversus ecclesiasticas sanctiones facta essent, vociferans, synodumque impiam appellans, et subscriptionem denique suam reddi sibi flagitans. Verum synodus ea de causa huic quoque sacerdotalem ademit dignitatem.* Aliam depositionis causam afferre videtur Liberatus, cum hæc scribit, cap. 12 Breviarii : *Post omnes autem et Domnum Antiochenum* (deposuit) *remanentem ab orthodoxorum depositione : quia particeps factus Dioscori in depositione orthodoxorum et Eutychetis absolutione. Depositus autem est dolo Dioscori sic. Postquam consensit in omnibus Dioscoro, datis in medio ejus epistolis quas ad ipsum Dioscorum Antiochenus Domnus contra duodecim Cyrilli capitula scripserat, eo quod essent obscura, damnavit ægrotum et absentem illa die.* Duo isti auctores facile conciliantur, si dixeris primum veram rationem attulisse cur de deponendo Domno cogitarit Dioscorus; alterum vero eam exposuisse, quam pessimæ proditioni obtendebat : nemo enim crediderit ad id perpetrandum zelo fidei motum esse Dioscorum. Usque adeo autem a Nicephoro Liberatum non dissentire existimo, ut eamdem ab utroque rationem allatam esse putem, quam in Liberato obscuravit scribarum aut typographorum oscitantium allucinatio, nisi me fallit conjectura. Illius certe textus, quem modo descripsimus, vix ac ne vix quidem sensum congruum potest efficere. Quid enim sibi vult quod Dioscorus *deposuit Domnum Antiochenum remanentem ab orthodoxorum depositione, quia particeps factus Dioscori in depositione orthodoxorum et Eutychis absolutione?* Vides enim his verbis meram battologiam subesse, vixque dici posse quid sibi velit, *remanentem ab orthodoxorum depositione;* pro quibus si hæc supposueris : Deposuit Domnum Antiochenum *ab orthodoxorum*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Nullus ex iis qui correcti restitutionem petiere a Chalcedonensi repulsus fuit. Domnus autem repulsus dici nequit, quia eremum secessurus restitutionem nec petiit nec voluit.

depositione (a) *resilientem*, vel potius *remeantem*; hæc enim vox et ab altera unius solum litterulæ transpositione distat, et eo sensu reperitur apud S. Augustinum pariter Africanum, lib. II de Bapt. cont. Donatistas : *Quos*, inquit, *ad pacem atque unitatem sanctæ Ecclesiæ remeare cupimus*; et epist. 172, ad Crispinum : *Nisi ad communionem vestram remeavissent*. Jam enim et optimum exsurgit sensus, et eadem cum Nicephoro **1198** sententia exprimitur; quæ procul dubio plurimum Domni minuit culpam, tam strenua videlicet tamque prompta revocatione dilutam, et actionem illam commentitiam plane arguit. Post hæc enim si supervixisset Domnus, eadem prorsus ac potius longe majori benignitate exceptus haberetur a synodo, quam alii episcopi lapsi; nec de portione illi fructuum ecclesiasticorum impertienda cogitatum esset, cum pristinæ fuisset dignitati suæ cum cæteris restituendus.

XIX. 16. Ratio superiori affinis sumitur ex actione quarta Chalcedonensis concilii. Ibi judices in quæstionem vocant utrum Juvenalis Jerosolymorum, Thalassius Cæsareæ Cappadociæ, Eusebius Ancyræ, Eustathius Berythi, et Basilius Seleuciæ Isauriæ, qui omnes potestatem habuerant et principes fuerant conciliabuli, Flavianumque damnaverant; utrum, inquam, secundum canones alieni a dignitate episcopatus fieri deberent, similemque cum Dioscoro damnationis accipere sententiam. Res ad imperatorem defertur; eam ille ad concilii Patres remittit, qui omnes una voce episcopis indulgendum clamaverunt. Cur similis de Domno non habita est quæstio a judicibus? (b) Cur pari non exceptus indulgentia? Cur in synodum non admissus, qui istis longe erat innocentior? Quippe nec inter synodi principes fuerat, nec cum Dioscoro conspiraverat, sed ad subscribendum sententiæ jam latæ metu adductus, statim resipuit. At antiqua scripta, inquies, adversus Cyrilli capitula ipsamque adeo catholicam fidem edita, posteriori culpæ pondus addebant, auctoremque venia reddebant indignum. Hæc si valet ratio, non erat cur Theodorito parceretur, sedesque ei sua restitueretur. Nam et ipse totius illius controversiæ princeps fuerat, acriter decertarat adversus Cyrilli anathematismos, et a Dioscoro propter hanc causam fuerat a sede sua dejectus. *Alii quoque*, ut arguebat pro Theodorito Facundus lib. II, cap. 1, *quorum memoriæ communicamus, scripserunt adversus B. Cyrillum eumdem; verumtamen in anathemate denominati non sunt*. Non erat igitur cur deterior esset Domni conditio, cujus eadem erat cum Theodorito causa, vel cur Juvenali cæterisque lapsis in gratiam receptis, ipse solus (si in vivis fuisset) impiæ depositionis sententiæ subjectus maneret.

XX. 17. Si Domnus ante synodum œcumenicam et A adhuc superstes fuisset, et cum hæreticis damnatus, cum Anatolius scripsit ad sanctum Leonem, interrogavitque de nominibus Dioscori, Juvenalis et Eustathii, an ad sacrum altare recitari deberent, (c) de Domni pariter nomine interrogasset, et de **1199** eodem respondisset Leo, quod de aliorum nominibus. Altum utrobique de Domno silentium eum non modo vita functum arguit, sed etiam in pace ecclesiastica et in apostolicarum sedium communione decessisse.

XXI. 18. Constitutio Theodosii imperatoris, qua pseudosynodi acta confirmavit, postquam illius decreto Flavianum et Eusebium ab episcopatu exclusos narrat, addit : *Sed et Domnum* (d) *qui fuit Antiochenus episcopus, et Theodoritum, et alios*, etc. Quo loquendi modo, *qui fuit*, quem pariter pro Theodorito Eusebioque, utpote superstitibus, etsi sede sua dejectis non usurpavit, indicare videtur Domnum diem tunc supremum obiisse. Confirmatur ex constitutione Marciani Augusti, qua Theodosii memoratum edictum infirmat, B jubetque ut nihil obsit (e) Theodorito et Eusebio religiosis episcopis. Domni enim similiter mentio facienda erat, ut vel eadem pariter gratia gauderet, vel ab ea exciperetur. Sed admodum inutilis fuisset. Quippe cum Flaviano, qui martyrium pro fide obierat, non esset æquandus, ab ejus laudibus abstinuit; cum vero ad meliorem vitam jam migrasset, non erat de ejus restitutione laborandum cujus causa morte finita erat. Hæc una ratio afferri potest; qui aliam adinvenerit pergratum faciet si eam cum eruditis communicaverit.

XXII. 19. Cum Gelasius papa I ad episcopos Dardaniæ scriberet de damnatione Acacii, omnia quæcumque potest exempla corrogat ut apostolicæ sedis auctoritatem supra synodos evehat, plures enumerans episcopos quos a synodo damnatos absolvit sedes apostolica, alios etiam ab eadem damnatos, quos synodus absolverat, addensque veniam concessisse innumeris qui prævaricati erant in pseudosynodo Ephesina, dum hanc in irritum misit. Hic profecto C (f) locus erat de Domno memoriam faciendi, deque Maximo ejus successore. Observasset procul dubio ex actis Ephesinis hoc unum integrum stetisse, irritis aliis, ut Domni depositio et Maximi electio permaneret, quoniam utramque confirmaverat sententia sua pontifex. **1200** Nihil tale venit in mentem Gelasio, quippe qui Domnum vita functum noverat antequam successor ei subrogaretur Maximus.

XXIII. 20. Evagrius lib. I Histor. cap. 10, de episcopis a pseudosynodo Ephesina depositis agens, hæc habet : *Abdicatur etiam ab aliis Theodoritus episcopus Cyrensis, et Domnus quoque Ecclesiæ Antiochenæ antistes; de quo quid postea factum sit* (g) *non constat*. At vero si actio illa de Domno commentitia non esset, et Evagrii temporibus inter alias concilii actiones

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Hæc emendatio, ipsaque, quam Nicephoro conformem hoc loco Quesnellus Liberato tribuit, a subsequenti ipsius Liberati ratione et contextu refellitur.

(b) Confer not. 14 (*Supra, col.* 711, *n.* a).

(c) De solis principibus latrocinii Ephesini, qui adhuc episcopatum tenebant, Leo scripserat. Vide epist. 95, c. 4. Inter principes autem latrocinii non fuit D Domnus, ac præterea in eremum sese recepturus episcopatum Maximo dimiserat.

(d) Idcirco *qui fuit Antiochenus episcopus*, inquit Theodosius, quia Domnum depositum pro episcopo non habuit. Sic etiam act. 3 Chalcedonensi Dioscorus cum depositus fuit, *quondam Alexandrinus episcopus* appellatur. De Theodoreto autem aliisque episcopis quantumvis æque depositis Ephesi, ac Domnus depositus fuerat, si Theodosius eadem formula usus non est, id ex eo accidit quia in laudato textu horum episcopatum non nominavit.

(e) Theodoreti et Eusebii mentionem fecit Marcianus, quia hi a synodo episcopatui fuerunt restituti. Domni autem non meminit, quia hic episcopatum Maximo jam dimiserat.

(f) Cum Gelasius collegerit eorum exempla quos vel damnatos a synodis absolvit sedes apostolica, vel absolutos ab iisdem apostolica sedes condemnavit, aptum ipsi non erat exemplum Domni, quippe quem etsi damnatum a pseudosynodo Ephesina, sedes apostolica non absolverat; nec idoneum pariter exemplum Maximi, quippe qui ab apostolica sede susceptus, non tamen a synodo depositus fuerat.

(g) Hæc solummodo probant Evagrio ignotam fuisse nostram actionem de Domno, sicut et sequentia ostendunt eam latuisse etiam Liberatum, quia scilicet in eorum codicibus non legebatur. Id autem nihil conferre ad suppositionem ejus astruendam patebit ex observat. n. 14. Non constitisse autem Evagrio homini Antiocheno quid de Domno Antiochiæ episcopo actum fuerit, incredibile non videbitur consideranti eum secessisse in Palæstinæ eremum, quæ ab Antiochena Ecclesia plurimum abest, ibique solitariam vitam exegisse.

lecta fuisset, constitisset Evagrio quid factum esset A de Domno post ejus damnationem : nimirum a damnationis sententia absolutum non fuisse, Maximum in ejus locum substitutum a Romano pontifice esse confirmatum, Domnum alimenta a concilio petiisse ac impetrasse, annitente Maximo, quibus contentum privatam deinceps vitam egisse. His cognitis, quid Evagrius amplius de Domno scire peroptasset?

XXIV. 21. Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis diaconus, eorum quæ ad Chalcedonensem synodum spectant, curiosissimus indagator, in Breviario de causa Nestoriana et Eutychiana, ea quæ de Ephesina pseudosynodo et Chalcedonensi concilio recitat, asserit se Alexandriæ de Græco in Latinum translata accepisse : nullam tamen mentionem facit actionis de Domno habitæ in Chalcedonensi, licet accuratissime omnes tam sessiones quam actiones recenseat, earumque breviarium pro sui instituti ratione ex ordine digerat capite 13. Subsequens vero caput 14 ita exorditur : *Expleto ergo magno et venerabili Chalcedonensi concilio in duodecim secretariis et sedecim actionibus.* Suo igitur silentio actionem de qua sermonem facimus reprobat Liberatus; quæ si pro genuina habenda esset, jam non sedecim, sed septemdecim actiones erunt numerandæ. Ex quibus perspicuum est non modo Constantinopolitana synodi Chalcedonensis exemplaria, quibus Justinianus imperator et quintæ synodi Patres utebantur, actione illa caruisse, sed etiam Africana, Alexandrina, **1201** Romana, etc., quæ in manibus habuerunt Gelasius papa, Facundus, Liberatus, Evagrius et Nicephorus; ac proinde moram puramque esse fabulam per impostorem mala arte conflictam.

XXV. 22. Uno adhuc dilemmate sic argue. Leo pluribus in locis vult ut episcopis apud Ephesum lapsis pacis ac communionis gratia tribuatur, si corrigantur, et quæ male sunt facta propria subscriptione damnaverint; pertinaces vero justa severitate coerceantur. Vel igitur Domnus ex correctis fuit, vel ex pertinacibus. Si ex correctis, indulgentia procul dubio ei, sicut cæteris, concessa est; si ex pertinacibus et obduratis, jam ne illa quidem proventus ecclesiastici portione dignus erat, quam ei volunt ad successoris preces assignatam esse a synodo ex istius actionis auctoritate. (*a*) Nodus iste solvi aliter non potest quam si dixeris Domnum ad meliorem tunc vitam assumptum, nec de repetenda Antiochena sede, nec de necessariis vitæ mortali subsidiis cogitasse.

Sed quomodo, inquies, si vita functus, ad Euthymium abbatem, ut initio dissertationis diximus, reversus est, postquam omnia quæ ei prædicta fuerant effectum essent sortita, inter quæ præcipua erat depositionis prædictio? Respondeo, tempus quo reversus est Domnus ad Euthymium notatum non esse ab ejus vitæ auctore, idque probabiliter contigisse statim atque in semet reversus, de spreto a se sancti abbatis consilio cogitavit ac pœnitentia motus est. Ac **1202** præterea cum ab ejus depositione usque ad synodum Chalcedonensem duo anni fere effluxerint, et ad minus (*b*) unus annus ante Maximi ordinationem, nihil vetat Domnum suæ prævaricationis pœnitentem, de sua depositione afflictum, prædictionemque patris sui animo revolventem, et quid in tanta B rerum perturbatione facto opus esset ignarum, ad Euthymium confugisse, ut curarum suarum pondus apud eum deponeret, lenissetque acerbitatem doloris, sanctissimi viri consiliis ac monitis recreatus. Post quæ accidere ei potuit ultimus dies ante synodum Chalcedonensem et ante Maximi ordinationem.

XXVI. 23. Argumentum erui posset ex illis actionis verbis : *Sanctus et beatissimus papa episcopatum sancti ac venerabilis Maximi episcopi Antiochenæ Ecclesiæ confirmavit*, etc. Primum enim (*c*) non est illius ætatis ut Romanus episcopus hac unica voce papa sine aliquo addito designetur; nec, si bene memini, locus ullus est in actis Chalcedonensibus in quibus toties nominandus occurrit, ubi ad vocem *papa* non addatur vel *urbis Romæ*, vel *apostolicæ sedis*, vel aliquid simile. Deinde quod de (*d*) confirmatione Maximi per Leonem dicitur, posteriorum temporum stylum redolet. Per id enim temporis nondum orbem Occidentalem pervaserat hæc disciplina, qua factum est postea ut ordinationum in provinciis celebratarum confirmatio a pontifice Romano posceretur, C multoque magis ignota erat Orientalibus. **1203** Quod si confirmatum Maximum a Leone eam ob rem dixeris quod eum communionis suæ participem fecerit, eo etiam sensu ab aliis episcopis confirmatus esse dicendus est, qui eum a sua communione non removerunt ...

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hic nodus alia via facile solvitur, si nimirum recolatur quod superius diximus, Domnum licet correctum idcirco non fuisse restitutum in suam sedem, quia pœnitentia ductus restitui noluit, sed in eremum secessit.

(*b*) Domnus in latrocinio Ephesino depositus fuit mense Augusto anni 449; Maximum autem ordinatum fuisse aliquamdiu ante mortem Theodosii, qui obiit mense Julio anni 450, probavimus not. 26 (*Col.* 266, *n.* c) in dissert. 1 Quesnelli ad annum 451. Nondum ergo unus annus effluxerat a depositione Domni ad Maximi ordinationem, quam quidem Domno adhuc vivente peractam ostendemus in observationibus num. 2.

(*c*) Aliquot hujus ævi exempla, inter quæ duo sunt ex ipsa synodo Chalcedonensi act. 1 et 2, refert Baluzius in præfatione ad antiquam versionem ejusdem synodi num. 48. Hæc Quesnelli propositionem manifeste revincunt.

(*d*) Cum communionis litteras ipsi Orientales præcipuarum sedium episcopi a Romano pontifice in ordinatione sua quærebant, confirmationis quædam species in iisdem inerat, quatenus sese et catholicos et legitimos episcopos iisdem litteris ostendebant. Id ex primatu Romanæ sedis proprio originem ducit. Hæc enim illa sedes est catholicæ communionis et unitatis centrum, cum qua propter *potentiorem*, ut Irenæus loquitur, ejus *principalitatem* seu primatum convenire necesse est omnes undique fideles ac præsertim episcopos, ut sese catholicos et catholicæ communionis episcopos probent. Etsi vero ab aliis quoque episcopalibus sedibus novus episcopus has communionis epistolas quæreret, nullius tamen sedis litteris potentior hæc communionis et quasi confirmationis vis inerat nisi illis ejus cathedræ principalis, unde (ut S. Cyprianus loquitur epist. 55) *unitas sacerdotalis exorta est*, et ex qua *in omnes venerandæ communionis JURA dimanant*, ut tradidit synodus Aquileiensis anni 381, in epistola ad imperatores apud P. Coustantium inter Damasi epist. 12, n. 4. Hinc hujus præsertim sedis litteræ a catholicis episcopis ex antiquissima disciplina quæsitæ; quam D quidem viguisse Leonis tempore constat ex epist. 149 et 171, ubi non solum hujus disciplinæ consuetudo, verum etiam necessitas satis exprimitur, ut videre est ex not. 1 (*Tom. præced.*, *col.* 1140, *n.* b) in epist. 149, et not. 6 (*Ibid.*, *col.* 1216, *n.* g) in epist. 171; unde nihil mirum erit si Anatolius hac de re sollicitus clericos Romam misit curaturos ut S. Leo sibi communionis litteras aliquamdiu suspensas citius traderet, sicque ordinationem suam confirmaret. Neque vero simplicis communionis epistola Maximus indigebat; sed cum ipsius ordinatio aliquot defectibus laboraret, S. Leo bono pacis ac dispensatione quadam illam recipiens, *præesse eum Antiochensium* judicavit Ecclesiæ, ut Anatolius testatur act. 10 concilii Chalcedonensis; de quo vide plura not. 26 (*Supra*, *col.* 266, *n.* e) in dissert. 1 Quesnelli ad ann. 451.

verunt, vel etiam ab ineunte ejus episcopatu. Tametsi non negaverim majoris semper ponderis fuisse pontificis Romani communionem, quoniam et sedem apostolicam, primariam splendidissimamque regebat, et *potentiori*, ut loquitur Irenæus, *principalitate* cunctis eminebat, et *majores diœceses* tenebat, quemadmodum scribunt Arelatensis I concilii Patres; quarum diœceseon episcopi ei plerumque communione jungebantur, cui Romanus suam impertiisset.

XXVII. Verum Maximi ordinationem, et quæ eam præcesserunt, accuratius paulo examinemus: video enim in præoccupatas opiniones confidentius itum esse a nonnullis. Hoc porro primum certum est, Domnum a pseudosynodo Ephesina esse depositum: testes sunt Liberatus, Evagrius, Nicephorus, et alii locis superius citatis.

2. Certum est eum *post omnes*, ut Liberatus diserte asserit, esse depositum, et ut habet tractatus seu breviculus historiæ Eutychianistarum præfixus epistolis sancti Leonis in editione Romana: *Post diem tertiam synodi, qua dejectus est sanctæ memoriæ Flavianus, dejicitur etiam Domnus Antiochenus, Dioscorus repente discessit, solutusque conventus est.* Domni causam a Flaviani et Eusebii causis separatam voluit de industria Dioscorus: ut in utriusque damnationem, antequam damnaretur ipse, subscriberet. Hac arte et *dolo* (quæ vox Liberati istud indigitat) duo obtinebat, quibus Domno omnis ad suam sedem repetendam aditus præcludebatur: hinc enim adversos habebat quotquot a Dioscori partibus stabant et in ipsius Domni depositionem conspiraverant; inde vero infensos nacturus erat catholicos omnes, qui sententiam in Flavianum et Eusebium a Dioscoro latam horrori habebant.

3. Certum est eum a synodo absentem, immo et ægrotantem damnatum esse; ita ut nullus datus sit semetipsum defendendi locus: illud enim asserit Liberatus expressis verbis, cap. 12.

4. Certum est Domnum injuste esse damnatum, non modo quia omnis judiciorum forma a Dioscoro judicante pessumdata est, omniaque per vim ac furorem acta; sed etiam quia nullum aliud ei crimen objectum est, **1204** quam quod Cyrilli capitula, tamquam obscuriora, scriptis ad Dioscorum litteris silentio premenda dixisset. Si quid porro in eo peccatum fuerat a Domno, jamdiu illud omne (*a*) per pacem inter episcopos redintegratam abolitum erat et oblivioni datum.

5. Ex his quæ supra diximus probabilissimum, ac potius certum est, (*b*) non diu depositioni suæ superfuisse Domnum, nec usque ad concilium Chalcedonense, hoc est ad annum Domini 451 produxisse ætatem. Crediderim ego haud ægre ex eo morbo illum non convaluisse, quo afflictus decumbebat, teste Liberato, cum damnationis in eum sententia inflicta est, tædioque confectum obiisse: quoniam tam inexspectata tempestate dejectus e secunda Orientalium A partium sede, neminem vidit a quo præsidii aliquid sperare auderet, infensis sibi Dioscori sequacibus propter damnatum olim Eutychen, offensis catholicis propter approbatam Flaviani depositionem, quam brevi mors secuta est.

6. Si qua Nicephoro fides, si qua nostræ de obscuro Liberati loco conjecturæ probabilitas (*Sup. n.* 15), Domni condemnatio ejus pœnitentiæ fructus fuit: siquidem illi subjectus est propterea quod subscriptionis pœnitens suum sibi chirographum reddi vehementer postulavit, et in tanti sceleris auctores palam ac publice invehere veritus non est. Unde etiam forsan conceptum ab eodem de vita privata usque ad mortem agenda consilium morte superveniente abruptum.

XXVIII. 7. Denique ejus damnationem vel a Leone vel a concilio œcumenico ad examen fuisse revocatam nusquam legimus. Tantummodo actione 10, ubi ventilata est Ibæ Edesseni causa, cum judices B proposuissent ut relegerentur quæ in Epheso de Iba episcopo gesta erant, postquam legati Leonis, Anatolius, aliique tres suam aperuissent sententiam, Stephanus Ephesi episcopus dixit: *Et ego judico ut quæ contra canones in Ephesina metropoli facta sunt, infringantur, exceptis his quæ gesta sunt adversus Domnum Antiochenæ civitatis episcopum, ob hoc quia ordinatio Dei amantissimi episcopi Maximi facta pro eo canonice in Antiochena metropoli, a sanctissimo archiepiscopo Leone et hoc præsente sancto et universali concilio est suscepta.* Quod suffragium nescio an magni faciendum sit, cum (*c*) unicum sit, et ab eo profectum, quem actione sequenti exauctoratum legimus **1205** propter scelera per quæ sibi gradum ad Ephesinam sedem fecerat, ex quibus probabile est Stephanum ex odio ac malevolentia condemnationem Domni ratam esse voluisse; cui ita sentienti sicut nullus præiverat, ita nec ullus astipulatus est. Quidquid sit, hoc de suo asseruit Stephanus, nec dixit excepta esse a sancto Leone gesta Ephesi adC versus Domnum, cum alia omnia hujus infaustæ synodi acta cum cæteris Occidentalibus rescidit; nec quidquam definitioni Chalcedonensis concilii insertum est, quod illius condemnationem ad mentem Stephani confirmaret; sed solus fuit in ea sententia: quod facit plurimum pro Domni absolutione. Denique nihil in eadem Stephani sententia est, ex quo superstitem tunc fuisse Domnum asseras; immo hunc fato jam functum indicat, cum acta neget esse rescindenda ob eam solam rationem quia confirmata erat Maximi ordinatio (*d*) *canonice facta*: canonice enim facta non fuisset, si Maximus Domno adhuc superstiti nec canonice deposito superordinatus esset. Ad hoc unicum Stephani suffragium respexit quinta synodus, cum exempla undequaque exquireret episcoporum post mortem damnatorum, ut inde trium capitulorum damnatio roboraretur, quorum exemplorum inopia cum laboraret, avide arripuit

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Si pax illa celebris hic intelligatur, quæ inter S. Cyrillum Alexandrinum et Joannem Antiochenum constituta omnia hinc inde gesta abolita fuerunt, hæc nihil juvare potuit Domnum, cum hujus epistola ad Dioscorum multo post id tempus scripta fuerit. Quæ autem alia pax inter Domnum et Dioscorum *jamdiu* inita proferri queat, ignoramus.

(*b*) Domnum post depositionem exsilio pulsum, non fuisse revocatum nisi sub Marciano Augusto patebit ex observationibus num. 2. Cum autem ille non solum in eremum redire cogitaverit, verum etiam eo reipsa reversus sit, ut Cyrilli Scythopolitani testimonium in Vita S. Euthymii præfert, ibi quoque extremam diem obiisse dicendus est, non vero ex eo morbo quo decumbebat cum damnationis in eum sententia inflicta fuit.

(*c*) Unicum non est, cum alia duo similia testimonia eadem actione præcedant, nimirum legatorum et Anatolii; qui si Domni expressam mentionem non faciunt, cum tamen acta Ephesi excipiant in ea parte quæ ad Maximum pertinet, cujus ordinationem a D Leone approbatam affirmant, sola acta pseudo-Ephesina contra Domnum intelligere possunt; de Maximo enim Ephesi nihil gestum fuit. Hinc quæ subinde Quesnellus subjicit ut Stephani testimonium infirmet ac suspectum reddat, inania cognoscuntur.

(*d*) *Canonice factam* intelligere potuit Stephanus eo tantum nomine, quia post Domni cessionem ac dimissionem peracta fuit, Domnus scilicet post depositionem pœnitentia ductus eremum cogitans, episcoporum de se judicio sponte acquievit, quod canonicæ ordinationi locum dedisse judicatum fuit. Eamdem vero ordinationem Leo *contra instituta canonum* peractam tradidit, de quo confer *not.* 36. (*Infra, col.* 720, *n.* b).

Stephani verba, quasi fuissent a synodo approbata; et cum etiam absolutum a synodo œcumenica Domnum non legeret, sed Maximum potius confirmatum, confidenter asseruit Domnum post mortem damnatum; tametsi statim se simulque Stephanum Ephesinum explicuerit, dum significavit totum illud ex sola confirmatione Maximi esse assertum. Aliqua tamen macula, quod diffitendum non est, remansit aspersa Domni **1206** memoria propter damnatos catholicos antistites; quæ causa fuit cur in purganda ejus memoria tardiores se concilii Patres gesserint.

XXIX. Jam vero in deligendo et ordinando ejus in locum successore quid factum sit operæ pretium est discutere. Notanda imprimis quatuor legatorum sedis apostolicæ sententia in actione 10 Chalcedonensis concilii, qua diserte asserunt ordinationem Maximi Antiocheni episcopi in Domni locum subrogati Ephesinæ pseudosynodi gestis non esse accensendam, eamque fuisse sancti Leonis mentem, cum ex una parte omnia quæ ibi gesta sunt irrita esse judicavit, ex alia vero Maximum in suam communionem recepit. Verba legatorum in synodo hæc sunt occasione depositionis Ibæ a pseudosynodo Ephesina, cujus acta relegi volebant judices: *Paschasinus et Lucentius et Julianus reverendissimi episcopi, et Bonifacius reverendissimus presbyter, vicarii sedis apostolicæ, per Paschasinum dixerunt: Synodus proferri non potest, in qua illa nefaria delicta relecta sunt, et ob hoc ad lectionem videntur esse superflua ea quæ ibi sunt acta. Si ergo et a beatissimo et apostolico Romanæ urbis episcopo*, omnia *quæ ibi gesta sunt vana sunt habita* (*claret quia et sanctissimus episcopus Antiochenæ civitatis extra hæc est*, *quem post hæc beatissimus episcopus in propria communione suscepit*), *necessarium est* enim *ut rursus eumdem tranquillissimum et Christianissimum principem adeamus*, *quatenus illud concilium sacra et propria lege neque nominari præcipiat.* Fatendum est valde inemendata esse hæc verba tam in Græcis quam in Latina versione, in qua, 1° abundant ista: *Quem post hæc beatissimus episcopus in propria communione suscepit;* quæ (*a*) **1207** desiderantur in textu originali. Unde conjicimus vice glossematis ad marginem ex sequentibus Anatolii verbis ascripta postmodum in textum irrepsisse. 2° Superflua videtur vocula *enim*, quam ideo diverso ab aliis charactere notavimus, et quæ fortasse supposita est pro *etiam* a scriba ambigua vocis abbreviatione decepto; antiquissima enim Crabbi editio ita habet *ēm*, quod *etiam* non minus significare potest quam *enim*. 3° Non est ad quid vox, *eumdem* referatur, cum in superioribus de principe mentio

A non occurrat. 4° Nisi retineatur parenthesis, quam de nostro apposuimus, et vocula *enim* tollatur, ita ut ex his quæ antecedunt parenthesim, et his quæ subsequuntur, una sermonis series exsurgat, vix ulla connexio ac cohærentia inveniri potest in illa legatorum sententia; nec apparet cur hoc loco, ubi de Maximo quæstio mota non erat, hoc directe et ex professo probare videantur, ad synodum Ephesinam non pertinere Maximi ordinationem; vel, ut aliis placet, a rejectione actorum illius synodi esse excipiendam: recepta autem interpunctione et emendatione nostra, optime, ni fallor, omnia cohærent.

Tentabo et alia via hujus loci emendationem in Græco textu, qui clarus erit, si particula ὡς, quæ post δῆλόν ἐστι legitur, anteponatur geminæ huic voculæ, et altera particula ἵνα ut superflua rejiciatur. Sic ergo legendum putaverim: Εἰ μὲν οὖν καὶ ἀπὸ τοῦ μακαριωτάτου καὶ ἀποστολικοῦ ἐπισκόπου τῆς πόλεως Ῥώμης πάντα τὰ ἐκεῖ πεπραγμένα ματαία ἐστι· ὡς δηλόν ἐστι, καὶ ὁ ἁγιώτατος ἐπισκόπος τῆς Ἀντιοχέων B Ἐκκλησίας ἔξω τούτων ἐστιν· ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ τοῦ γαληνοτάτου καὶ Κριστιανικωτάτου βασιλέως ἐπιτύχωμεν· ὥστε ἐκείνην τὴν σύνοδον ἱερῷ ἰδίῳ νόμῳ μήτε ὀνομάζεσθαι προστάττειν. Quæ ita verto: *Si igitur et a beatissimo apostolicoque episcopo urbis Romæ omnia quæ ibi gesta sunt vana sunt reddita, ut manifestum est, et sanctissimus episcopus Antiochenæ Ecclesiæ extra hæc habetur, adeamus tranquillissimum et Christianissimum principem, ut illud concilium sua* **1208** *sacra lege nec nominari præcipiat.* Nimirum, quæ his verbis in Latina editione inseruntur, nec leguntur in Græco, pariter omittenda censemus, tametsi Petrus de Marca hæc retenta a veteri interprete credat juxta fidem antiquorum codicum: quod confirmare nititur ex sequenti Anatolii interlocutione, in qua negotium Maximi a rescissione gestorum Ephesinorum excipi vult propter communionem Maximo a Leone impertitam. Sed sibi ipsi sufficiunt legati, ut intelligantur; et sive sententia illorum ab Anatolii suffragio disce- C pet, sive illi concinat, non probat tamen id a legatis dictum, quod dictum non esse omnia originalium actorum exemplaria significant; nec necesse est ut eadem ab Anatolio et a legatis Romanis proferantur, siquidem hi aliquando inter se non conveniunt, ut videre est in sequenti actione Chalcedonensi *11 in* negotio Bassiani et Stephani Ephesi episcoporum, quorum alterutrum in ea sede retinendum esse censuit Julianus Coensis, aliis utrumque removendum contendentibus.

XXX. Inutile tamen prorsus non erit Anatolii in-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) In Græco textu vulgato, quem *originalem* Quesnellus vocat, non solum desiderantur verba *quem post hæc beatissimus episcopus in propria communione suscepit*, sed ista etiam *necessarium est enim*, quæ contextui necessaria ad glossema referri nequeunt. Alia quædam in vulgato Græco ejusdem synodi manca deprehenduntur, quæ ex Latina versione supplenda sunt. Quod porro hoc loco Quesnellus contendit, sensum esse integrum absque illis Paschasini verbis, tam absurdum et falsum est, ut potius sine illis sensus sit imperfectus. Cum enim is dixisset pseudo-Ephesina gesta a Leone irrita fuisse habita, addit in his generalibus verbis non comprehendi ordinationem Maximi ex eo palam constare, quod *post hæc* ipsum Leo *in propria communione suscepit*. Integer profecto non fuisset sensus, si Paschasinus hanc rationem non attulisset, ut consideranti patebit. Adde quod sequentia nullam connexionem haberent sine his vocibus *necessarium est enim*, quæ licet etiam in Græco vulgato inveniantur, Quesnellus tamen expungenda existimat. Non igitur necessaria est emendatio, qua ille postea alia ex arbitrio addens, alia detrahens, alia mutans, mirifice laborat ut bonum sensum sine illis verbis eliciat. Quod dein ingerit circa vocem *eumdem*, hæc interpretis est, qui Græcam, vocem τοῦ αὐτοῦ *eumdem* reddidit, cum hoc loco melius reddenda fuerit *ipsum*. Ne quid vero ad plenissimam Quesnelli confutationem desit, conferendos credidimus duos codices Græcos 164 et 555 bibliothecæ Venetæ S. Marci Chalcedonensem synodum continentes, ex quibus alia quædam in vulgato D Græco textu deficientia suppleri posse jam observavimus in admonitione præmissa actioni antea ineditæ Chalcedonensi tom. I, col. 1489. num. 1 (*Tom. præced., col.* 1249). Neque spes nos fefellit. Invenimus enim utrumque codicem præferre ea Græca verba, quæ respondent antiquæ versioni Latinæ, et in Græco vulgato desiderantur. Sic nimirum ibidem legitur: Δῆλόν ἐστιν, ὡς καὶ ὁ ἁγιώτατος ἐπίσκοπος τῆς Ἀντιοχέων Ἐκκλησίας ἔξω τούτων ἐστίν, * ὅν τινα μετὰ ταῦτα ὁ μακαριώτατος ἐπίσκοπος ἐν τῇ ἰδίᾳ κοινωνίᾳ ὑπεδέξατο· καὶ γὰρ ἀναγκαῖόν ἐστιν, * ἵνα ἐπὶ (ita melius cod. 164. quam in altero, et in vulgato ἵνα ἐπὶ) τοῦ αὐτοῦ, etc. Verba asteriscis inclusa ex mss. Venetis suppleta sunt. Ex his autem apparet defectum ejus codicis Græci, quo Romani editores usi sunt, profectum fuisse a facili amanuensis saltu, quo ab altero verbo ἐστὶν ad tertium exscribendo transcurrit. Hinc porro totus Quesnelli nisus prorsus eliditur.

terlocutionem propius inspicere : tota enim mihi vi- A detur arte composita ab homine versuto et de sua ordinatione male securo. Ita se habet post legatorum verba.

Anatolius reverendissimus archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ dixit : (a) Hinc destructionem ea quæ in Epheso nuper gesta sunt habuerunt, ex quo maxime post hæc optime sunt et Deo amabiliter emendata. Igitur definimus nihil horum valere quæ in illa dicta synodo sunt confecta, nisi illud circa sanctissimum Maximum magnæ Antiochenæ civitatis episcopum; quoniam et sanctissimus Leo Romanus archiepiscopus in communionem eum recipiens, præesse eum Antiochensium judicavit Ecclesiæ; quam formam sequens et ipse approbavi et præsens omne sanctum concilium.

Duo erant in legatorum sententia, quæ (b) Anatolium angebant : primum, quod dixerant omnia Ephesini conciliabuli acta **1209** vana esse, nefaria, nec nominanda; alterum est, quod Maximi Antiocheni negotium extra acta illa censendum esse con- B tenderant. Utroque concuti videbat homo sagax ordinationis suæ fundamenta. Si enim omnia synodi illius gesta sine exceptione irritanda erant ; jam periculum subibat Anatolius dignitatis suæ, cujus auctores fuerant synodi infaustæ principes. Si vero ab ejusdem concilii gestis secernebatur ordinatio Maximi, tunc unicum illud exemplum, quo ordinationem suam etsi a prædonibus designatam, tueri poterat, sibi per legatorum verba eripi cernebat, verebaturque ne illi eo consilio ita locuti essent, ut retractandæ postmodum ejus ordinationi, quemadmodum et de aliorum ordinationibus factum est, viam pararent. Hoc homo sagacissimus subodorabatur, subtiliterque declinare tentavit. Primum igitur, quia legati omnia gesta illa velut nefaria atque in omnibus a sancto Leone reprobata, nec relegi, nec examinari volebant, sermonem suum inde orditur ut dicat ab eo solum tempore gesta illa irrita fuisse, ex quo erant rite discussa et emendata, in prima videlicet actione Chalcedonensi. Hinc consequi volebat, pro- C prie non ex Leonis, sed ex synodi decreto petendam esse gestorum Ephesinorum rescissionem; ac proinde si quid ex illis nondum examinatum erat et emendatum a synodo, qualis ejus erat ordinatio, non irritum esse censendum. Tum velut definiens pronuntiat nihil horum valere quæ apud Ephesum confecta erant : Maximi tamen negotium caute excipit, ut et suum pariter exciperet : Πλὴν τοῦ κατὰ τὴν μεγίστην Ἀντιοχείαν ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Μαξίμου : *Excepto sanctissimo episcopo Maximo, qui præest magnæ Antiochiæ*. Ne vero infensos haberet legatos quibus contradicebat, eam exceptionem ex judicio sedis apostolicæ repetit ac firmat, cujus episcopus Maximum in suam communionem recipiens sua approbatione honestarat, quo suam quoque rem agebat, cum et ipse in communionem a Leone receptus esset. Significat insuper concilii œcumenici accessisse consensum, ut omnem hujus negotii retractandi spem legatis eriperet. Sed mirare, **1210** si placet, hominis vafritiem, qui cum in ordinando Maximo omnibus præivisset, eam sibi ordinationem contra canones vindicans, jactare audet se Leonis exemplum secutum esse, nec Maximum approbasse nisi post cognitam Leonis et communicantis approbationem. Ea est hominis sinceritas candorque animi.

XXXI. Firma igitur certaque manet legatorum S. Leonis sententia, asserentium inter Ephesina acta numerandam non esse Maximi ordinationem. Et revera etsi forsan deposito Domno decrevit illa synodus alium eligendum, non est tamen ordinatus nisi diu post solutam synodum. Primum enim Anatolius ipse, a quo Maximus ordinatus est, consecratus non est Constantinopoli episcopus, nisi post Flaviani mortem, ut ex breviculo historiæ Eutychianistarum Epistolis S. Leonis in editione Romana præfixo discitur, et ex fragmento epistolæ Anatolii ad Leonem PP., quod inter vetera Ecclesiæ Græcæ monumenta nuper luci dedit vir doctissimus Joannes Cotelerius p. 66. In eo siquidem, post mortem Flaviani narratam, ista legimus : *Tunc temporis Anatolius quidam presbyter Alexandriæ apud Constantinopolim morabatur*, etc. *Fit ergo iste Constantinopoli episcopus*. Successit igitur mortuo, non vero est viventi superpositus, quod nec Leo umquam objicere omisisset, si ita actum esset. Immo numquam a Leone fuisset receptus, quemadmodum scribebat ad Constantinopolitanos : *Quisquis incolumi atque superstite Flaviano episcopo vestro sacerdotium ejus fuerit ausus invadere, numquam in communione nostra habebitur, nec inter episcopos poterit numerari* (*Epist.* 45, *nunc* 50, *cap.* 1). Denique cum scribat ad Theodosium Augustum die 16 Julii anni sequentis, *de ordinatione ejus, qui Constantinopolitanæ cœpit Ecclesiæ præsidere* (*Epist.* 52, *nunc* 69, *cap.* 1), satis ostendit (c) recenter fuisse ordinatum, id est, fere decimo mense a soluta synodo Ephesina. Jam vero aliquod tempus fundandis episcopatus ejus exordiis dandum fuit, (d) antequam Antiochiam se conferret, ubi electionem et consecrationem fieri oportebat secundum canones, sicut revera canonice factam esse Antiochiæ, docet Stephanus Ephesinus, actione 10 Chalcedonensi. **1211** Illic Maximus, qui (e) diaconum et archimandritam agebat, in Antiochensium civitate *canonice*, si Stephano credendum, electus et ordinatus est; si vero Leoni fides

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Gr. αὐτόθεν, *ab eo tempore*.

(b) Hæc omnia mera sunt Quesnelli somnia. Cum enim Anatolii ordinatio a Leone fuisset approbata, nihil erat ex quo sibi metuens, hac arte et vafricie, quæ illi tribuitur, uteretur. Totum hoc Quesnelli commentum eo directum noscitur, ut Constantinopolitani hujus episcopi testimonium de Leonis auctori- D tate in cassandis pseudo-Ephesinis gestis et in confirmanda ordinatione Maximi partim eripiat ac aliorsum distrahat, partim vero in suspicionem adducat. Cassationem *omnium* actorum latrocinii Ephesini non Leoni, sed Chalcedonensi concilio ab eo tributam interpretatur, cum ejus verba nihil de Chalcedonensi loquantur, nec *omnia* Ephesina gesta actione prima fuerint lecta et emendata, sed ea tantum quæ ad S. Flavianum, et ad Eutychen pertinent; econtra vero S. Leo omnia irrita declaraverit. Pro excipienda autem ordinatione Maximi, Leonis auctoritatem ob deliniendos legatos ab Anatolio idcirco productam sibi fingit, ut negotium suum ageret, perinde ac si ipse nondum approbatus fuisset a S. pontifice, ac in eadem causa versaretur in qua Maximus; cum tamen is vivo Domno et probabilius etiam Constantinopoli fuerit ordinatus, ipse autem post Flaviani mortem in sua sede. Quod tandem ait huic Leonis confirmationi circa ordinationem Maximi concilii œcumenici accessisse consensum, ne id amplius retractari liceret, id consilii ex Anatolii verbis non colligitur. Quin cum tota synodus, nullo hac super re examine habito, pontificii judicii formam secuta tradatur, id solum elicitur, quanti apud œcumenicam synodum æstimata fuerit Leonis apostolica auctoritas. Tota nimirum synodus statim ab initio inter episcopos recepit Maximum sine difficultate cujusquam, quia a Leone susceptus fuerat.

(c) Anatolium ordinatum post S. Flaviani mortem exeunte anno 449 probavimus in admonitione ad epist. 53, tom. I.

(d) Maximum nec Antiochiæ ordinatum, nec post Theodosii mortem, videsis not. 26 (*Supra, col.* 266, *n.* •) in dissert. 1 Quesnelli ad an. 451.

(e) Maximus, diaconus et archimandrita Antiochenus, Nestorii adversarius, Ephesinæ synodi tempore memoratur. Num vero hic idem ille sit qui an. 450 consecratus fuit Antiochenus episcopus, sola similitudo nominis haud certa probatio est.

(*Epist.* 80, *nunc* 106, *c.* 2), *contra canonicam regulam, contra instituta canonum, sine ullo exemplo* talem ordinationem celebrare Anatolius præsumpsit : *Quod*, inquit Leo (*Epist.* 78, *nunc* 104, *c.* 5), *amore reparandæ fidei et pacis studio retractare cessavimus*. Quod unum in Maximi ordinatione peccatum notavit Leo, alia procul dubio notaturus, si qua alia ejus ordinationem infirmassent. Quod enim Facundus scribit (*Lib.* v, *c.* 3), Maximum Antiochenum et Juvenalem Jerosolymitanum vel dogmate vel communione Eutychianorum pollutos ante fuisse, quoad Maximum, vel pura puta Nestorianorum, quod illic Facundus insinuat, calumnia fuit, vel Facundi ipsius mera suspicio, inde nata, quod Maximum et ab Eutychianis ordinatum, et consequenter eorum saltem communione infectum putavit. At ab Anatolio, ut testis est Leo, fuit ordinatus, quem numquam pro Eutychiano habuit Romanus pontifex, etsi fidei ab eo professionem exegit, quam necessariam reddebat antiqua Anatolii cum Dioscoro necessitudo, cujus videlicet apocrisiarius fuerat.

A B

XXXII. Jam ex dictis plura habemus ad historiæ et disciplinæ ecclesiasticæ notitiam conducentia. (*a*) Primo videlicet eliminandam esse ab actis Chalcedonensibus actionem illam *de Domno* inscriptam ; tamquam quæ spuria sit et omnino commentitia.

2. Ad S. Leonis judicium referendum non esse quod Domnus sedi suæ post Ephesinum latrocinium non fuerit restitutus, sed ad ipsius Domni mortem, quæ restitutionem ejusdem prævenerat.

3. Maximi ordinationem Ephesinis actis ex mente legatorum sedis apostolicæ non esse annumerandam.

1212 4. Solum defectum qui in ea reprehendendus fuit, hunc fuisse, quod Anatolius ultra proprios terminos excurrens eam sibi ordinationem vindicarit.

5. Leonem amore pacis istud dissimulasse, tametsi probabile est Orientales eam ob rem non fuisse ordinationem (*b*) retractaturos. Etsi enim manifeste contra canones peccasset Anatolius, si aliquorum diœcesis Orientalis episcoporum ordinationem sibi arrogasset, quos nimirum omnes Antiocheno episcopo subjectos pronuntiarat synodus Nicæna, cum tamen de Antiocheni ipsius primatis ordinatione nihil in particulari præscripsisset, contra canones non videbatur esse, si admissis omnibus provinciæ episcopis, Constantinopolitano consecrationis honor ex omnium consensu deferretur : illi, inquam, qui ex decreto secundæ synodi œcumenicæ supra omnes sedes Orientales prærogativam obtinuerat.

Non diffiteor tamen istud ambitiose et contra consuetudinem ab Anatolio esse præsumptum : sed non sine exemplo, nec sine auctoritate canonum, quam suæ ambitioni obtenderet. Non aliter quippe ordinationem Thraciæ, Ponticæ et Asianæ diœceseon ad se traxerant Anatolii prædecessores, quam se metropoliticis ordinationibus immiscendo, non sua quidem sponte quoad speciem, sed invitati a provincialibus episcopis, rogatique quasi ambitiosarum pensationum coercendarum gratia, seditionumque avertendarum, quas frequenter moveri contingebat. Nec id etiam sine domestici canonis suffragio audebant. Constantinopolitana quippe synodus canone 2, post constitutos diœceseon terminos, ita eosdem a quolibet episcopo transiliri prohibuit, ut tamen eos qui invitati a provincialibus, Ecclesiarum se alienarum ordinationibus immiscuissent, pro canonum violatoribus haberi noluerit. **1213** *Non invitati*, inquit, *episcopi ultra diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, vel quibuscumque disponendis ecclesiasticis causis.* Quod dum decernerent hujus synodi Patres, ob oculos habebant procul dubio canones apostolicos 13 et 33, nec non et Nicænam definitionem. Testes habemus ipsos concilii episcopos, cujus (si non subsequentis conventus) synodicam ad Damasum aliosque Occidentis episcopos descripsit Theodoritus libro v Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 9. Hæc sunt ejus verba : *De privata autem Ecclesiarum administratione antiquus, ut scitis, mos obtinuit, sanctorumque Nicææ Patrum definitio, ut in singulis provinciis episcopi provinciæ* ET SI IPSI VELINT, CUM EIS FINITIMI ORDINATIONES SECUNDUM UTILITATEM *peragant. Qua ex forma scitote tum reliquas apud nos Ecclesias administrari, tum* ILLUSTRISSIMARUM ECCLESIARUM *creatos fuisse* SACERDOTES. Favent Antiocheni canones 13 et 22, quibus permittitur invitatis episcopis a suis alienæ provinciæ collegis, illius sese ordinationibus immiscere. His gradibus tendebant ad primatum Constantinopolitani episcopi. Primum enim ex benigna canonum interpretatione invitari se curavere ad ordinationes metropolitarum. Tum quod ex gratia tantum concessum videbatur, in apertum jus transiit. Denique canone ecclesiastico sancitum est, cum sese generalis synodi obtulit occasio. Iisdem passibus progressus est Anatolius ad majora. Subactis enim minorum diœceseon metropolitanis, de majoribus ordinandis incessit eum ambitio. Ac primum specie turbarum, quæ tunc timendæ erant, comprimendarum, sese Antiocheni episcopi ordinationi inseruit, seu, ut canones sinebant, invitatus ; seu missus ab Augusto, sperans id, quod occurrenti temporum difficultati datum erat, pro inviolabili aliquando consuetudine facile recipiendum : cui demum accederet canon ecclesiasticus, quo recepta consuetudo firmaretur sanciretúrque in perpetuum.

C

Hæc cum ita se habeant, Maximi ordinatio irritari eam ob causam non poterat : **1214** quoniam volentibus et secundum canonum indulgentiam invitantibus Anatolium Orientalis provinciæ vel diœcesis episcopis, facta non erat injuria (*Vide observationem* 1 *ad*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Omnia hujus recapitulationis capita ex anterioribus notis corruunt.

(*b*) Totum Chalcedonense concilium Maximum sine ullo examine ac sine ulla cujusquam protestatione suscepisse inter Patres, quia S. Leo ejus ordinationem susceperat, certum est ex testimoniis insertis actioni 10, quæ ineassum Quesnellus distorquere studuit. Num vero, si S. pontifex illum in communionem non recepisset, ordinatio ejus, antequam inter synodi Patres admitteretur, nihil difficultatis cuipiam Orientali episcopo injecisset, ex quo retractanda videri posset, non ita certum est, ut Quesnellus præsumit. Is quidem ut eam aliqua ratione vindicet, nec sine exemplo, nec absque auctoritate aliqua canonum peractam probare studet ; quibus Leoni manifeste opponitur scribenti epist. 104 Anatolium *sine ullo exemplo et contra instituta canonum* Maximi ordinationem præsumpsisse. Leoni autem magis quam Quesnello credendum est, Quæ enim exempla is pro- D ferl sunt episcoporum Thraciæ, Ponti et Asiæ, quæ Constantinopolitano antistiti postea attributæ fuerunt ; nullum autem exemplum afferre potuit episcopi Antiocheni, de quo nunc agitur, a Constantinopolitano ordinati, aut alicujus episcopi Antiochenæ diœcesis, in cujus ordinationibus nullus CP episcopus se umquam immiscuit. Canones porro, qui excipiunt invitatos ab episcopis provinciæ, ad excusandum Anatolium non conferunt, nisi ab Antiochenæ provinciæ episcopis ad Maximum ordinandum invitatus probetur. Immo cum eum *contra instituta canonum* ordinasse Maximum Leo testetur, episcopos provinciæ ipsum in circumstantiis canonum haud invitasse credibile est. Quod si hæc ordinatio Constantinopoli, non autem Antiochiæ habita verisimilius judicetur, uti conjecimus not. 26 (*Supra, col.* 266, *n.* c) in dissert. 1 Quesnelli ad annum 451, nullus canon ad hanc ordinationis rationem ullo modo excusandam poterit inveniri.

epist. 80, *nunc* 106). Et revera etsi Leo Anatolium exagitans ob tentatam ab eo majorum sedium depressionem, usurpatam objiciat ordinationem Maximi, neutri tamen ea de re negotium facessere visus est, non amore tantum pacis, sed etiam propter canonum de invitatis episcopis exceptionem. Præsensit etiam, ni fallor, Leo noster, nihil ab Anatolio actum esse hac in re contra Nicænos canones, sed tantummodo contra consuetudinem seu regulam ecclesiasticam: datum enim discrimen posuit inter utramque Anatolii usurpationem, alteram qua Antiochenum episcopum ordinare præsumpserat, alteram qua secundi honoris locum invadere tentavit: hanc contra Nicænos canones esse clamitat, illam vero contra canonicam regulam. *Post consecrationem*, inquit (*Epist.* 80, *nunc* 106, *cap.* 2), *Antiocheni episcopi, quam tibimet* CONTRA CANONICAM REGULAM *vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut* SACRATISSIMAS NI- A CÆNORUM CANONUM CONSTITUTIONES *conareris infringere; tanquam opportunum se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit*, etc. Notanda enim orationis auxesis in secundæ usurpationis narratione.

Quamobrem illam facile dissimulavit, hanc velut inauditam et tolerandam numquam se passurum spopondit: quoniam Nicænos canones totius mundi veneratione consecratos, aliisque omnibus singulari privilegio sacratiores infringebat pessumdabatque. Ex dictis sequitur non magis dispensatione vel confirmatione opus fuisse in ordinatione Maximi, quam olim opus fuit, cum Joannes Chrysostomus tot ordinationes ac depositiones etiam episcoporum aggressus est perfecitque in Asiaticis Ecclesiis, quod et refert actio 12 Chalcedonensis concilii, et confirmant quotquot res a Chrysostomo gestas prosecuti sunt.

BALLERINIORUM OBSERVATIONES

In dissertationem nonam Quesnelli, de causa Domni Antiocheni.

1215 1. Quonam consilio Quesnellus actionem Chalcedonensem de Domno a Rustico Romanæ Ecclesiæ diacono inventam et editum, de qua jure dubitari nequit, in certæ suppositionis opinionem adducere tam prolixa disputatione nisus sit, non vacat inquirere. Præfert ille num. 3: *Hanc actionem minime commentitiam esse, sed genuinam, totis votis peroptare. Hoc enim si esset, jam præclarissimum antiquissimumque præ manibus haberemus testimonium summæ auctoritatis pontificis Romani tum in synodos, tum in Orientales episcopos, majorum, inquam, ac primarum sedium episcopos.* Dum hoc documentum apocryphum et supposititium esse probare studuit, si gravia et satis firma protulisset argumenta, condonandum esset. At ea quæ adduxit in medium, adeo sunt exilia et imbecilla, ut non solum Baluzius, qui Quesnellum in non paucis refellendum et impugnandum sibi sumpsit, verum etiam Tillemontius, qui ei in pluribus favet, eorum imbecillitatem fateri et demonstrare compulsus fuerit.

2. Actio Chalcedonensis a Rustico edita Domnum adhuc vivum præsumit. Econtra Quesnellus eum ante Maximi ordinationem vita excessisse contendit. At Maximum vivente adhuc Domno ordinatum non ex hac una controversa actione colligitur, verum etiam ex indubio actionis 10 testimonio, quo rescissis omnibus pseudosynodi Ephesinæ gestis Maximi Antiocheni exceptio facta fuit. Omnia siquidem pseudo-Ephesina gesta rescindere idem fuit ac simul irritas facere et declarare omnes episcoporum depositiones quæ iisdem gestis sancitæ fuerant, eosdemque episcopos suis sedibus restituere, ac subrogatos removere. Post hæc autem gesta rescissa non solus Maximus, qui Domno deposito fuerat suffectus, sed etiam Anatolius, qui Flaviano pariter deposito successit, ex Chalcedonensis concilii mente in suis sedibus remansere. Quid autem causæ fuit cur unius Maximi, non vero Anatolii exceptionem synodus fecit? Ratio ibidem pro Maximi exceptione allata hæc fuit, quia Leo pontifex ejus ordinationem susceperat et confirmavit, dum illum in communionem recepit. Sed jam ante concilium idem pontifex etiam Anatolii ordinationem susceperat; nec tamen hæc de ipso ratio producta aut producenda visa est. Peculiaris ergo solius Maximi exceptio aliquid peculiare in eo præsumit quod in Anatolio non contigit. Cum Flavianus jamdiu esset mortuus, timeri non poterat ab Anatolio ne rescissis pseudo-Ephesinis gestis in suam sedem rediret. Cum vero Domnus adhuc viveret, ne ex eorumdem actorum rescissione aliquando vellet suam sedem repetere, Maximus metuere poterat; et idcirco peculiaris pro Maximo exceptio necessaria fuit. Cur autem Domnus, si in vivis erat, non ita suæ sedi resti- B tutus fuerit in synodo Chalcedonensi, uti inter cæteros suæ sedi redditus fuit Ibas Edessenus, licet Nonnus ei subrogatus viveret, ea de causa accidisse videtur, quia Domnus in pseudosynodo cum aliis lapsus, post depositionem pœnitentia ductus, ac in eremum sese recipiens, episcopatum Maximo sponte dimisit; cui idem Maximus miseratione commotus pensionem, qua ille contentus erat, ne monachis gravis esset, in Chalcedonensi procuravit. Sed quæcumque fuerit hujus facti ratio, non propterea repudiandum et negandum est factum ipsum aliunde certum, nisi manifesta, quæ nondum apparuit, ratio contrarium evincat. Hoc autem Chalcedonensis certissimæ actionis testimonium tantum est ad destruendam Quesnelli hypothesim, ut quæcumque ab eo afferuntur præ hoc **1217** testimonio nihil possint. Aliud argumentum fortassis evidentius adjicere placet, ex quo Maximum vivo adhuc Domno episcopum ordinatum multo magis patebit. Certum est ex Cyrillo Scythopolitano in Vita S. Euthymii, Domnum C post depositionem in se reversum, ac pœnitentia ductum, quod eidem S. Euthymio non obedisset, ad eum rediisse ac in eremum sese recepisse. Hunc quidem statim post depositionem eo migrasse arbitratur Quesnellus. At cum omnes episcopi in latrocinio Ephesino depositi hæresis nomine, ex more illorum temporum pulsi fuerint in exsilium, simili pœna multatum etiam Domnum dubitare non licet. Porro exsules episcopi revocati non fuerunt nisi post Theodosii mortem, cum novus imperator Marcianus eos redire jussit (*Leo epist.* 77). Vivo igitur Theodosio Domnus sicut revocatus non fuit ab exsilio, ita nec in eremum potuit proficisci. Maximum vero ordinatum fuisse ante obitum Theodosii probavimus not. 26 (*Supra, col.* 266, *n.* c) in dissert. 1 Quesnelli ad an. 451. Hæc ergo ordinatio contigit Domno adhuc vivente, antequam ab exsilio revocatus in solitudinem pergeret. Hoc argumentum ita nobis videtur evidens, ut pluribus laborare in refellendis singulis Quesnelli D conjectatiunculis opus non sit, cum præsertim has in notis ipsi dissertationi suo cujusque loco subjectis satis solverimus. Qui autem plura legere cupit, adeat Baluzium in præfatione ad antiquam versionem synodi Chalcedonensis num. 92 et seqq., atque Tillemontium in Leonem not. 54. Ipse etiam Quesnellus imbecillitatem suam pernovisse videtur. Cum enim post Baluzium secundam editionem curans ea fere omnia vindicare nisus sit quæ impugnavit Baluzius, hoc tamen in capite quod prolixius ab illo aggressum et impetitum fuit, licet aliquid novi inseruerit ex Labbeo et Cotelerio, nihil tamen Baluzii argumentis reposuit. Id non alia de causa contigisse credibile est, nisi quia quod probabiliter regereret non invenit.

3. Hic autem addemus ex vetustissimo codice Vaticano 1322, tres synodi Chalcedonensis actiones ad Maximum pertinentes, quarum duæ Domni etiam causam respiciunt, et una ignota omnino est, ex quibus germanitas controversæ actionis maxime confirmabitur. Licet has a cardinali Casanata Baluzius ediderit, cum tamen ipsa ab eo acceperit in fine suæ editionis, nec potuerit easdem commode considerare et evolvere, quid contineant, satis animadversum non fuit, nec illam e tribus actionibus antea ineditam a quopiam detectam invenimus.

4. De codice quem Romæ licuit expendere, imprimis dicamus. Millenariam ætatem superat, cumque pertinuerit ad Ecclesiam Veronensem, ut liquet non solum ex tribus documentis Veronensibus in fine descriptis, verum etiam ex notatiuncula antiquissimi caracteris VERONA in superiori margine paginæ 25, hic profecto codex vel fuit unus ex illis quos Pacificus archidiaconus Veronensis Ecclesiæ ineunte nono sæculo comparavit, vel inter eos erat qui ante ipsum Pacificum ad nostram Ecclesiam spectabant. Continet autem concilium Chalcedonense ex editione Rustici, sed mutilum : incipit enim ab actione secunda. Accedit in fine relatio concilii ad S. Leonem ex antiqua versione cum quampluribus episcoporum subscriptionibus, quæ in nullo alio manuscripto inveniuntur. Præmittuntur autem initio (quod mutilum agnoscitur) paginæ quatuor et viginti scriptæ charactere diverso a charactere reliqui codicis, eoque minusculo, sed antiquo; in quibus quædam documenta ad Chalcedonensem synodum pertinentia leguntur. Hæc autem cum in rem nostram maxime conferant, accurate consideranda sunt. Indicem primo subjicimus, servata lectione etiam mendosa codicis.

5. Pagina igitur secunda (prima enim desideratur) sic habetur. *Exempla* [Leg. *exemplar*] *epistolæ sacræ secundæ, quem* [Leg. *quæ*] *missæ sunt sanctæ synodo, quem* [Leg. *quæ*] *ad Nicæam convenit, de transeundo ad Chalcedonam. Victor* [Leg. *Victores*] *Valentinianus et Marcianus Augusti. Festinantes nos ad sanctam synodum pervenire, publica res...... causa necessaria satis inbuit* [Leg. *inhibuit*]. *Sed his* [Leg. *ex his*] *quæ vestra sanctitas scribit, agnovimus plures*, etc. Est lectio diversa a vulgata tomo IV Concil. Ven. edit. col. 843, hæcque nostra videtur ipsum originale Latinum; vulgata autem indicia præfert versionis ex Græco : hujusmodi enim sacræ, ut alibi diximus, Latino et Græco sermone edebantur. *Secundæ sacræ* mentio innuere videtur, prima pagina, quæ deest, descriptam fuisse primam eorumdem imperatorum sacram, **1219** qua synodus Nicææ indicta fuerat, cujusque originale Latinum exhibetur in collectione Quesnelliana, cap. 25.

Tum eadem pagina tergo : *Imperatores Cæsares Valentinianus et Marcianus victores Augusti sanctæ synodo, quæ apud Nicæam divino arbitrio et nostro decreto est congregata. Et quidem per sacras litteras nostras jam certum vestræ fecimus sanctitati ut ea quæ a sanctis Patribus nostris de venerabili atque orthodoxa fide constituta sunt confirmentur, ne ulterius orthodoxi populi vario videantur errore decepti*, etc. Est tertia sacra ad Patres adhuc Nicææ degentes missa, diversæ lectionis a vulgata tom. IV, col. 846, et uti videtur, ex originali Latino.

Dein pag. 3 : *Ordo gestorum habitorum Chalcedona præsentibus Marciano et Pulcheria Augustorum* [Leg. *Augustis*], *Paschasino Lybitano* (a) *provinciæ Siciliæ, et Luculenti Ausculano, et Bonifacio presbytero urbis Romæ vicariis religiosissimi et beatissimi*

A *Romanæ sacrosanctæ Ecclesiæ papæ Leonis, et cæteris episcopis, qui etiam subscripserunt. Cum pervenisset piissimus et fidelissimus imperator Marcianus*, etc. Est ipsa fere tota actio 6 Chalcedonensis, nimirum post breviorem introductionem, quæ etiam in Quesnelli collectione legitur cap. 25, allocutio Marciani ad synodum ex originali Latino in eadem collectione recepta, acclamationes Patrum, et definitio fidei, cui duo distincta symbola inserta sunt. Solus episcoporum et aliorum præsentium præmissus catalogus, ac subscriptiones, ac postrema pars ad canones sanciendos pertinens prætermittuntur. Hæ autem acclamationes et definitio inedita hactenus et incondita interpretatione efferuntur.

Post hæc pag. 8 a tergo eadem definitio fidei repetitur ex alia versione cum hoc titulo : *Incipit quæ his præsentibus episcopis acta sunt in Chalcedonensi concilio.*

Venerabilis totius mundi conventus, qui ex gratia Dei nostri, etc. Afferuntur hic quæ Baluzius ex hoc
B codice edidit, et novissime recusa sunt tom. IV Concil. Ven. edit., a col. 2063 usque ad 2065. Quo in loco duo observanda sunt : 1° Ex duobus symbolis unum Constantinopolitanum, seu unum Nicænum in Constantinopolitano auctum profertur, cui in fine additur anathematismus Nicænus contra Arianos; 2° huic anathematismo subnectitur *confessio fidei catholicæ* subjecta epistolæ Damasi ad Paulinum, quæ sic incipit : *Post hoc concilium Nicænum, quod in urbe Roma*, etc., quam confessionem Nicæno quidem symbolo et anathematismo nulla distinctione additam reperimus in duobus mss. antiquis Vaticanis 1337 et 1338, ac Baluzius pariter nactus est in aliis codicibus Colbertinis a P. Coustantio laudatis tom. I Epistolarum Roman. pontif. pag. 510, not. 2. Romanis scilicet cum olim ignotum esset Constantinopolitanum concilium, in quo contra Macedonianos Nicæno symbolo quædam adjecta fuere pro statuenda divinitate Spiritus sancti, hujus additionis loco ii-
C dem Romani laudato symbolo Nicæno subjecisse videntur hanc confessionem fidei, qua apud ipsos eorumdem Macedonianorum error ante ipsam Constantinopolitanam synodum proscriptus fuerat. Cumque hæc confessio in Occidente obtineret, et omnibus nota esset, eadem post Nicæno-Constantinopolitanum symbolum definitionis Chalcedonensis versioni, quam primo factam credimus, inserenda visa est. Primo, inquam, factam credimus : nam S. Leo fidei definitionem Latine utique redditam statim ab initio se expendisse et probasse innuit epist. 114, c. 1, cum tamen nondum legerat Latinitate donata cætera concilii gesta ac sextam actionem, cujus breviarium, ut mox videbimus, a Juliano transmissum se nondum accepisse testatur epist. 113, c. 3. Alia quædam gesta, quorum in hisce litteris mentionem facit, ex legatorum relatione ac Græcis gestis confuse perspectis cognoscere et judicare potuit; definitionem autem fidei probare (quod examen diligentissimum requirit) homo Græci sermonis vel ignarus, vel non
D satis peritus, sine Latina interpretatione non potuit. Post hanc igitur primam **1221** definitionis versionem præmissa fere integra sextæ actionis interpretatio subinde facta videtur, in qua idcirco eadem definitio fidei continetur ex alia versione Græco exemplo quoad substantiam magis congruente, licet valde incondita, et in nonnullis etiam particulis valde vitiosa, ut sunt illa omnia quæ ante omnium actorum interpretationem a Græcæ Latinæque linguæ peritiori postea lucubratam, Leone vivente Latinitate donata fuerunt.

(a) Leg. *Lilybetano..... et Lucentio*, vel *Lucensi Asculano*. Alii enim optimæ notæ codices Latini habent *Lucensis*, uti codd. Sirmondi in exemplari sententiæ ad Gallos missæ indicati not. 7 (*Tom. præced.*, *col.* 990, *n.* c) in epist. 103, et præstantissimus cod. Ratisp. citatus not. 11 (*Ibid.*, *col.* 919, *n.* 1) in epist. 83, et Vindebon. collectionis 5, not. 9 (*Ibid.*, *col.* 937, *n.* f) in epist. 93. Hinc suspicio est non levis verum legati nomen fuisse *Lucensis*, quod in actis synodi Græce redditum Λουκήνσιος, Latinus interpres *Lucentius* vertit, vel, ut alii codd. a Baluzio consulti, *Lucensius*. Versio prisca pariter habet *Luculensis*.

Sequitur breviarium actionum tertiæ et sextæ. Sunt duæ præcipuæ actiones concilii, ex quibus cætera aliis antecedentibus actionibus gesta satis intelliguntur. Breviarium tertiæ actionis, qua Dioscorus damnatus fuit, sic exorditur : *Incipit actus synodi Chalcedonensis, quæ congregata est III idus Octobris. Residentibus episcopis suprascriptis legitur*, etc., uti videre est tom. IV Concil. col. 2065. Breviarium vero actionis sextæ, qua definitio fidei edita est, incipit cum hoc titulo : *Item Chalcedonenses octavo kal. Novembris gesta hoc continent. Residet imperator cum episcopis*, etc., uti laudato t. IV, col. 2066 et 2067.

Tum pag. 13 additur versio trium actionum ad Maximum Antiochenum pertinentium, quarum prima agens de compositione inter eumdem Maximum et Juvenalem Jerosolymitanum habita fuit VII kal. Novembris; altera habita VI kal. ejusdem mensis, Domni causam respicit; tertia vero etsi in codice nullo distinctionis titulo prænotetur, diversa tamen agnoscitur ex die diverso, *die* (forte *pridie*) kal. Novembris; hæcque de Juvenali simul ac de Domno agens, ex solo hoc codice suppetit, sententiamque Quesnelli multo luculentius refellit; qua de re postea dicendum erit pluribus postquam has tres actiones exhibuerimus.

Pag. 16 iterum profertur allocutio Marciani ad synodum hoc titulo eidem præscripto : *Allocutio imperatoris Marciani. Cum in sancta Chalcedonensi synodo convenissent præsente Augusta Pulcheria dixit. Ubi primum*, etc.

Pag. 17 : *Incipit constitutio ad synodum Chalcedonensem. Imperator Marcianus. Tandem aliquando*, etc., uti in collectione Quesnelliana, cap. 26.

Eadem pagina : *Incipit alia constitutio divæ memoriæ Marciani in* (Leg. *pro*) *synodo Chalcedonensi. Imperator Marcianus Augustus Palladio præfecto prætorii. Venerabilem catholicæ orthodoxorum fidei*, etc., quæ in supradicta Quesnelli collectione recitatur, cap. 27.

Pag. 18, epistola Leonis papæ ad eamdem synodum, quæ in nostra editione est epist. 114.

Pag. 19, alia ejusdem ad Anatolium, quæ nobis est epist. 87.

Pag. 20, alia ad imperatorem Marcianum. Nobis est epist. 89.

Eadem pagina, alia ad synodum Chalcedonensem, quæ est epist. 93.

Pag. 21, alia ad Marcianum, quæ in hac editione est epist. 94.

Tandem pag. 22 : *Imperator Marcianus Augustus Palladio præfecto prætorii. Licet etiam sacratissima constitutione*, etc., uti in Quesnelli collectione, cap. 28.

6. Ut præstantiam hujus rarissimæ collectionis quisque perspiciat, animadvertendum est in indicatis documentis ea ex Chalcedonensibus gestis collecta fuisse, quæ primitus vivente Leone Latine reddita fuerunt; cujusmodi est versio integræ fere actionis VI, et alia versio definitionis fidei : unde auctor collectionis Quesnellianæ, quæ anterior versione integra omnium actorum Chalcedonensium, non nisi primas interpretationes recepit, caput vigesimum quintum ex his versionibus derivavit, ut superius monuimus. Ipsa quoque inconcinnitas et ruditas interpretandi primum fetum interpretis seu interpretum Græcæ linguæ minus peritorum satis declarat. Breviarium duarum actionum tertiæ et sextæ esse illud breviarium quod Julianus Coensis ad Leonem misit, satis probabiliter ostendemus in observationibus ad not. 2 (*Tom. præced., col.* 1433, *n.* [a]) Quesnelli in epist. 113. Actio de compositione inter Maximum et Juvenalem versionem exhibet diversam non solum ab interpretatione Rustici, quæ legitur tom. IV Conc., col. 1515, verum etiam ab antiqua, quæ ibidem profertur col. 2035, eaque vetustior agnoscitur, et, ut paulo post probabimus, ex originalibus gestis profecta, ac sane melioribus quam quæ Rustico ac antiquo omnium actorum interpreti usui fuere. Ab eodem vero hujus versionis auctore ex iisdem sincerioribus Græcis gestis Latine redditæ fuere duæ aliæ actiones, de quibus redibit sermo. Ipsum Latinum originale **1223** exemplar allocutionis Marciani imperatoris, quod in hac versione insertum, antiquo omnium actorum interpreti, et auctori etiam vetustioris versionis in Hispanica et Isidoriana collectionibus receptæ defuit (hi enim eam ex Græco reddere coacti fuerunt) acta concilii primigenia et originalia nostro interpreti præsto fuisse demonstrat, in quibus ea allocutio Latine et Græce pronuntiata, utroque sermone descripta fuerat, ut ex Rustico didicimus. Leges tandem sex, et omnes originales Latinæ, ac Leonis epistolæ fere rarissimæ, omnesque sinceræ collectorem ex optimo fonte ebibisse confirmant. Hæc vero omnia, si exacte perpendantur, quantam fidem concilient huic collectioni et actioni ipsi de Domno, quam Quesnellus expungere nititur, nemo est qui non videat.

7. Nunc actiones tres ad Maximum Antiochenum pertinentes, quarum duæ Domnum respiciunt, proferamus, ut in laudato codice exhibentur cum hoc titulo.

Exemplar gestorum de Græco in Latino (sic) *translatum.*

Consulatu domni nostri perpetui Augusti VII kal Nov. Chalcedone secundum præceptum divinissimi clementissimi domini Marciani perpetui Augusti, convenientibus in sancta ecclesia sanctæ martyris Eufemiæ (*a*) vvec et magistri militum consule ordinario et patricio Anatholio et viro clarissimo et illustri præfecto Palladio, et v. c. et illustri magistro officiorum Vincomalo, convenientibus etiam (*b*) et Paschasio et Lucullensio reverentissimis episcopis, et Bonifacio viro religioso presbytero vicario archiepiscopi senioris Romæ Leonis, et Anatholio venerabili archiepiscopo splendidi nominis Constantinopolitanæ, et Maximo venerabili episcopo Antiochiæ Syriæ, et Juvenale venerabili episcopo Hierosolymitano, et cætera sancta et œcumenica synodo hodie quæ secundum sancta divalia divinissimi et clementissimi Domini in Chalcedonense civitate congregata est, omnibus residentibus ante cancellos sancti altaris, magnificentissimi et inlustres judices dixerunt. Divus et clementissimus noster dominus rogitus a Maximo et Juvenale sanctis episcopis, præcepit nos inter eos audire de his quibus vertuntur capitulis, et convenientes memorati venerabiles viri certa ad invicem, nulla interveniente scriptura, statuerunt quæ nobis manifesta (*c*) constituerunt [et videntur ex] consensu juste esse statuta. Hæc itaque necessario arbitrati sumus et in conspectu sanctæ synodo sin-

(*a*) Lege VC. *magistro militum et exconsule ordinario*, etc., uti liquet ex act. 1 et aliis, in quibus hic idem Anatolius nominatur. Hoc autem loco præterea notandum est, hæc et sequentia verba usque ad *reverentissimis episcopis* deesse in codicibus Rustici; unde vel in hoc exactior est nostra interpretatio.

(*b*) Leg., *et Paschasino, et Lucensi*, vel *Lucentio*. Paulo post pro *vicario* leg. *vicariis*.

(*c*) Leg., *constiterunt*; post quod verbum in codice sunt signa brevis lacunæ. Uncis inclusa suppleta ex aliis versionibus. Post pauca legendum *sanctæ synodi*.

gula instruere, ut et de vestro decreto et ex nostra sententia quæ placuerint roborentur.

Maximus reverentissimus episcopus Antiochiæ Syriæ dixit : Placuit mihi et reverentissimo episcopo Juvenali, quos post multam altercationem ad concordiam et sedem Antiochiæ urbis, quæ est sancti Petri; habere duas Phœnices et Arabiam, sedem vero Hierosolymitanam habere tres Palæstinas; si tamen id venerabili patri nostro archiepiscopo Romæ majoris Leoni placuerit, qui cupit (*a*) ubi sanctorum Patrum canones infringibiles permanere; et rogamus ex sententia vestræ magnificentiæ et sanctæ (synodi) per scripturam hæc roborari.

Juvenalis venerabilis episcopus Hierosolymitanus dixit : Eadem mihi placuit ut sanctam quidem Christi anastasim tres Palæstinas habere, sedem vero Antiochiæ duas Phœnices et Arabiam. Rogo et ego ex sententia vestræ magnificentiæ et sanctæ synodi hæc roborari.

Paschasinus et Lucullensis venerabiles episcopi et Bonifacius presbyter vicarii sedis apostolicæ per Paschasinum venerabilem episcopum dixerunt : Ea quæ concordantibus fratribus nostris Maximo V. R. Antiochenæ Ecclesiæ episcopo et sancto et venerabili Juvenali Hierosolymitano bono pacis placuisse

1225 noscuntur, id est, ut Antiochena Ecclesia duas Phœnices et Arabiam habeat, Hierosolymitana vero tres Palæstinas habeat, etiam nostræ humilitatis interlocutione firmentur, ut nulla in posterum super hoc negotio supradictis Ecclesiis controversia relinquatur.

Qua interlocutione Græce interpretata per Veronicianum virum devotum agentem in rebus et secretarium sacri consistorii, Anatholius venerabilis archiepiscopus gloriosissimæ Constantinopolitanæ dixit : Quæ complacita sunt inter beatissimum episcopum Maximum Antiochiæ et venerabilem episcopum Hierosolymitanum Juvenalem, et ex mea interlocutione firma manebunt. Et sancta quidem Ecclesia Antiochenæ urbis duas Phœnices et Arabiam habeat, sancta vero Ecclesia Hierosolymitanorum tres Palæstinas habeat, ut deinceps unaquæque Ecclesia adversus alteram propter hanc rem nullam habeat altercationis querelam.

Omnes universi venerabiles episcopi vociferati sunt, quorum nomina infra scripta sunt. Et nos hæc ipsa dicimus, consentimus eis quæ a Patribus dicta sunt.

Magnificentissimi et gloriosissimi judices dixerunt : Opus (*b*) et hic factum et sanctæ Trinitatis et divini clementissimi nostri imperatoris præpositionis, ut ea quæ jurgantur ab eis (*c*) quæ altercari poterant uni consilio deciderent voluntati quæ ad concordiam. Igitur Maximi sancti episcopi Antiochensium et Ju- A venalis sancti episcopi Hierosolymitani factus consensus, sicuti singulorum expositio firma ex nostra sententia stat, decreto sanctæ synodi in perpetuo tempore permanebit; id est, ut Maximus quidem sanctus episcopus sive sancta Antiochensium civitas duas Phœnices et Arabiam sub potestate sua habeant; Juvenalis vero sanctus episcopus Hierosolymitanus sive sancta Ecclesia quæ sub ipso est, tres Palæstinas sub potestate sua habebit; sopitis secundum præceptum divi et clementissimi nostri Domini universis pragmaticis, aliisve promeritis (*d*) partibus litteris divinis, et multæ in eis ascriptæ, hæc scilicet.... causa sæcularia. *Et alia manu.* Edantur.

Exemplum ex Græco in Latino.

B Consulatu domini Marciani perpetui Augusti et qui nuntiatus fuerit VI kal. Novembris, Chalcedonæ, secundum præceptum divi clementissimi domini nostri Marciani perpetui Augusti, convenientibus in sancta ecclesia sanctæ martyris Euphemiæ *magnificentissimo* et gloriosissimo magistro militum exconsule et patricio Anatholio, et magnificentissimo gloriosissimo præfecto sacri consistorii [prætorii] Palladio, et magnificentissimo et gloriosissimo magistro sacrorum officiorum Vincomalo, convenientibus etiam et Paschasino et Lucentio viris reverentissimis episcopis, et Bonifacio viro reverentissimo presbytero (*e*) vicario sancti archiepiscopi senioris Romæ Leonis, et Anatholio viro reverentissimo archiepiscopo (*f*) magnissimi nominis Constantinopolitani, et Maximo viro reverentissimo episcopo Antiochiæ Sy-

C riæ, et Juvenali viro reverentissimo episcopo Hierosolymitano, et cætera sancta synodo quæ ex sanctione divi et clementissimi domini nostri in Chalcedonensi civitate congregata, quorum nomine supra-scripta, residentibus universis ante *cancellos sancti* altaris, Maximus vir reverentissimus episcopus Antiochiæ dixit : Deprecor magnificentissimos et gloriosissimos judices et sanctam hanc universalem synodum humanitatem exercere in Dominum [*Leg.* Domnum], qui fuit Antiochiæ episcopus, et statuere ei certos sumptus de Ecclesia quæ sub me est.

Paschasinus et Lucensius viri reverentissimi episcopi et Bonifacius presbyter vicarii sedis apostolicæ per Paschasinum virum reverentissimum episcopum dixerunt : Sanctus ac beatissimus papa, qui episco-

D patum sancti ac venerabilis **1227** Maximi episcopi Antiochenæ Ecclesiæ confirmavit, justo satis judicio ejus meritum approbasse videtur; siquidem memoratus vir reverentissimus episcopus Maximus suo arbitrio Domno voluit esse consultum, ut sumptus ei de sua Ecclesia miserationis intuitu prout æstimaverit largiatur, ut contentus alimoniis quiescat in posterum.

(*a*) Sic codex. Vulg., *uti*; sed emendandum *ubique* contextus ostendit.

(*b*) Leg., *et hoc factum est sanctæ*, etc.; ac dein *propositi*, seu *propositionis* pro *præpositionis*.

(*c*) Locus valde corruptus. Legendum fortassis, *qui altercari poterant, uno consilio deciderent voluntatisque concordia*, vel quid simile.

(*d*) Leg., *a partibus litteris divinis et multa in eis ascripta, hac scilicet de causa. Et alia manu*, etc.

(*e*) Leg. *vicariis*, ex Rustico et contextu.

(*f*) Sic etiam codices Rustici pro *maximi*.

Qua (*a*) confessione Græce per Veronicianum virum devotum secretarium sacri consistorii translata, Anatolius vir reverentissimus episcopus Constantinopolitanus dixit : Laudo et ego compassionem beatissimi episcopi Antiochiæ Maximi, in quibus spontanea voluntate ipse tales preces obtulit ut sumptus præstaret Domno, qui fuit episcopus Ecclesiæ sanctæ quæ sub eo est, præter hoc prædicto nihil requirente.

Juvenalis episcopus Hierosolymitanus dixit : Amplector et ego consilium sancti episcopi Antiochiæ Maximi. Universa sancta synodus vociferata est (*b*) quorum nomina his. Decibiles merito benivolentiæ archiepiscopi. Omnes cogitatum ejus laudamus. Hæc decet ejus æstimationem. Humanus cogitatus pontificis. Magnificentissimi judices dixerunt : Amplectente sancta synodo arbitrium Maximi viri religiosi episcopi Antiochensium, quod de Domno probavit, et nos idem consentimus, (*c*) quæ sunt ejus arbitrii derelinquentes de Domni honorificentia. *Et alia manu.* Edantur.

Consulatu piissimi et amatoris Christi Flavii Marciani perpetui Augusti et qui nuntiatus fuerit, (*d*) die kal. Novembris, Chalcedone metropoli Bithyniæ provinciæ sancta major et œcumenica synodus quæ Dei gratia et sanctione piissimorum imperatorum virorum religiosorum congregata est, statuit ea quæ ejus sunt. Quidam quidem de instancia beatissimorum episcoporum operata est ut Maximo Antiochensium majoris civitatis, et Juvenali Hierosolymensium gratia redderetur; justum etenim est ut memoria (*e*)..... scitorum pax obtineat. Plurimis itaque ab utrisque dictis..... conspectu jus sanctæ majoris synodi magnificentissimorum et gloriosissimorum judicum sub præsentia convenit (*f*) utriusque, et ut duas quidem Phœnices et Arabiam supra alias Orientalis provinciæ sub sede Antiochensium Ecclesiæ agere et sufficere (*g*) eorum regentiæ, et nihil aliquando amplius quærere; tres vero Palæstinas sub sede esse Hierosolymæ Ecclesiæ et sufficere earum regentiæ et nihil in posterum quærere. Convenit etiam et omnia quæ hic acta sunt et pragmatica gesta et multa vel si quid aliud sive per episcopos sive per imperatores aut judices facta sunt, (*h*) utrimque partibus vacua esse omnino. Hæc præfati beatissimi episcopi non ex decreto judiciario, sed ex communi consensu complexi sunt, et (*i*) consenserunt accipiunt. Igitur tolimus (*j*) eodem beatissimum episcopum Maximum petentem humanitatem de Domno qui fuit episcopus Antiochiæ, (*k*) ut ei communicacionem ut plebeo præstari tantummodo, ut sumptus ex eadem quæ sub eo est sancta Ecclesia, in eo statu durante in quo est, et nihil amplius requirente. Pariter et nos decernimus, et decreto communi firmamus hæc quæ suprascripta, et immoventia et firma sancimus.

1229 Paschasinus et Lucensis et Julianus episcopi sancti, et Bonifacius presbyter vicarii beatissimi papæ Leonis dixerunt : Beatissimus papa caput universalis Ecclesiæ, apostolicæ dignitatis honore conspicuus, Leo, privilegia Antiochenæ Ecclesiæ reformari secundum veterum Patrum statuta constituit. Ideoque et nos Phœnicem primam vel secundam simulque Arabiam, quas nuper amiserat, revocari ad jus pristinum, sancta synodo consentiente, decrevimus : quia hoc præstantibus inlustrissimis præcelsisque judicibus pacis (*l*) studiis utrisque episcopis placuit conventio, (*m*) provinciarum divisio quiete mitigaret. Unde Hierosolymorum prædictus antistes tres Palæstinas, quas olim tenuit, inconcusse possideat; Antiochenus vero memoratas justitia exigente (*n*) reciperet; quatenus dissensione depulsa, sacerdotali concordia inviolata serventur. Laudantes namque votum reverentissimi Antiochiæ urbis Maximi, quod circa Domnum ejusdem quondam civitatis antistitem spontanea voluntate dignanter ostendit, ut humanitatis solatia ab Ecclesia consequatur, nostra interlocutione firmamus, ita ut CCL solidos annis singulis consequatur, nihilque amplius requirere audeat, sed in eo statu communione tantum fruatur et requie.

Paschasinus episcopus statui et subscripsi.

Lucensis episcopus statui et subscripsi.

Et cæteri episcopi infrascripti ita subscripserunt, qui supra scripti sunt.

8. Observandum est has tres actiones in laudato codice insertas esse documentis Chalcedonensibus ejus antiquissimæ versionis, quæ legitur in pervetusta collectione Quesnelliana, et ante integram ejusdem concilii interpretationem, uti vocant, *antiquam* obtinebat; quamque Leone vivente statim post concilium

(*a*) Legendum *interlocutione*. Rustici tamen codices *confessionis* nomen similiter præferunt.

(*b*) Tres voces *quorum nomina his* nullum sensum afferentia ignorant Rustici codices. Post pauca legendum cum Rustico : *Hic decet ejus æstimationem humanus cogitatus pontificis.*

(*c*) Melior syntaxis apud Rusticum : *Ejus arbitrio relinquentes quæ sunt de Domni honorificentia.*

(*d*) Forte *pridie*.

(*e*) Hic et deinceps, ubi puncta notantur, corrosus est codex. Forte *placitorum*; et dein *in conspectu hujus sanctæ majoris synodi, ac magnificentissimorum*, etc.

(*f*) Forte *utrisque*, et postea *Orientales provincias*.

(*g*) Leg. *earum*.

(*h*) Forte *utrisque*.

(*i*) Supple *quæ*.

(*j*) Leg. *eumdem*, vel aliquid deest.

(*k*) *Ut* abundat, vel scribendum *et si*; ac similiter post pauca : *Et sumptus* pro *ut sumptus*. Hoc autem loco animadvertenda sunt potissimum verba *et ut communicationem ut plebeo* (id est *laico*) *præstari tantummodo*; ex quibus Domnum dimisso non tam episcopatu quam episcopatus honore contentum fuisse laica communione, et uti laicum sese gessisse colligitur; quod plane concinit cum iis quæ narrat Cyrillus Scythopolitanus in Vita S. Euthymii apud Cotelerium tom. II Monum. Eccl. Græc. pag. 247, ubi eum in eremum se recepisse et monachi vitam cum ipso S. Euthymio egisse significat.

(*l*) Leg. *studio*.

(*m*) Hanc mendosam lectionem sic corrigi posse suspicamur : *Ut provinciarum divisio quietem mitigaret*, vel quid simile.

(*n*) Leg. *recipiat*.

elaboratam nihil ambigimus. Antequam enim integra illa gestorum Chalcedonensium versio fieret, quæ *antiqua* dicitur; quædam præcipua documenta Chalcedonensia Latine statim reddita fuerunt, quæ idcirco in vetustiores collectiones Latinas traducta inveniuntur. Vide quæ in hanc rem dicemus in observationibus ad not. 3 (*Tom. præced., col.* 1435, *n.* a) Quesnelli in epist. 113. Ejusdem itaque temporis harum etiam trium actionum versio esse videtur; unde harum versionem multo anteriorem Rustico et antiquo interprete paulo post videbimus.

9. Cum vero præcipua illa Chalcedonensium gestorum capita et documenta, quæ statim ab initio Latinitate donata fuerunt, generalia et maximi momenti fuerint, ut ex laudata observatione patebit, cur inter particulares causas, aliis omnibus omissis, solæ tres actiones ad Maximum Antiochenum pertinentes Leone vivo Latinitate donatæ fuerint, si quis inquirat, dicemus suspicari nos Græcum earumdem exemplum ad Leonem a Maximo fuisse transmissum, cum ad ipsum in rem suam litteras et nuntios misit, easque hac occasione redditas fuisse Latine. Ex epistola enim Leonis 119 ad eumdem Maximum satis colligitur hunc de læsis Antiochenæ sedis privilegiis apud pontificem fuisse conquestum; huc enim procul dubio respicit S. Leo, cum ibidem scribit: *Unde cum aliquid pro Antiochenæ Ecclesiæ privilegiis dilectio tua agendum esse crediderit, propriis litteris studeat explicare*. Id autem respicere eam compositionem qua Juvenali Jerosolymitano tres Palæstinas in Antiochenæ sedis præjudicium Maximus cesserat, satis indicant sequentia, quibus Juvenalis ausus S. pontifex reprobat, legatorumque assensum contra Nicænos canones irritum declarat. Soli enim cessioni Palæstinarum, quæ Nicænis decretis adversabatur, legati pontificis assensum præstiterant. Ei vero compositioni Maximus in synodo Chalcedonensi assensus fuerat non absolute, sed, ut in nostro codice legitur, sub hac conditione: *Si tamen id venerabili patri nostro archiepiscopo Romæ majoris Leoni placuerit*. Placere autem hanc compositionem persuaserat legatorum assensus atque sententia promulgata actione ultima: unde tunc acquievit Maximus, et compositio probata fuit. At cum ille subinde in causa Anatolii cognovisset Leonem nolle quidquam valere, quod Nicænæ synodi statutis opponeretur, in spem erectus, ne idem pontifex probare vellet compositionem cum **1231** Juvenali, quæ canoni Nicæno apertissime repugnabat, ipsius mentem explorare voluit per litteras, et in hanc potissimum rem Marianum presbyterum et Olympium diaconum misisse videtur cum laudatis Chalcedonensis synodi actionibus quæ huc pertinebant, quibusque consensus abs sese ita sub conditione datus exprimitur, ut si pontifex legatorum sententiam irritam crederet, redintegrandis suæ Ecclesiæ privilegiis locus pateret. Hinc in allegata epistola S. Leo tum ante tum post reprobatum Juvenalis principatum in tres Palæstinas, inane et irritum declarat quidquid contra Nicænos canones attentatum fuerit, idque etiamsi missi abs se legati consenserint. Neque dicas S. pontificem sese in epistola de Maximi causa haud satis instructum præferre, explicatioresque ab eodem litteras petere; quod non videtur potuisse contingere si ipsas actiones accepisset. Etenim etiamsi non accepisset hasce actiones, satis quoad causam instruendus fuerat a duobus legatis Maximi, ut ne in hanc rem novæ a Maximo litteræ exspectandæ essent. Dein cum duo in ea causa Antiochenæ sedi præjudicio fuissent, 1° quod compositio cum Juvenali, assentiente ipso Maximo, facta fuit in synodo, 2° quod huic compositioni quantumvis Nicæno canoni contrariæ non solum non contradixerunt Leonis legati, uti contradixerant canoni pro Constantinopolitana sede edito, sed ipsam quoque approbarunt, S. pontifex utrumque se probe cognovisse palam facit. Primum quidem, cum scripsit cap. 4 facile dissolvi *quarumlibet consensionum pacta*, quæ Nicænis canonibus contrairent; alte-

A rum vero, cum pronuntiavit capite 5 æque irritum fore si quid contra eosdem canones a suis legatis probatum fuerit. Quid ergo, inquies, Leo a Maximo petiit? Cum is exploravit pontificis mentem, simul indicasse videtur tempus agendi aliquid in hac causa tunc non fuisse opportunum, cum omnia in Palæstina hæreticorum tumultibus essent perturbata, ipseque Juvenalis, qui Antiochenæ sedi præjudicium intulerat, e sua sede pulsus, decreto sibi jure non potiretur. Hinc S. Leo hisce in circumstantiis aptum tempus sibi a Maximo significandum exspectans, scripsit sub finem capitis tertii: *Unde cum aliquid pro Antiochenæ Ecclesiæ privilegiis dilectio tua agendum esse crediderit, propriis litteris studeat explicare, ut nos consultationi tuæ absolute et congrue respondere possimus*. Notanda adverbia *absolute* et *congrue*. Interim vero *generalem* suæ mentis regulam, quæ Maximi circumstantiis congrueret, non *absoluta*, sed conditionata locutione statim subjecit. *Nunc autem ad omnia* GENERALITER PRONUNTIARE *sufficiat, quod si quid a*

B *quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacumque synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre decretis, et facilius erit quarumlibet consensionum pacta dissolvi, quam prædictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi*. Et similiter cap. 5: *Si quid sane ab his fratribus quos ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis*, etc. *Nam quod ab illorum* (Nicænorum Patrum) *regulis discordat, apostolicæ sedis numquam poterit obtinere consensum*. Cum hoc postremum de legatorum assensu solam Maximi causam respiciat, Leonem de ea probe informatum agnoscimus. Nihil ergo impedit quominus credamus Maximum per suos legatos ad eum instruendum misisse actiones ipsas concilii, quas idcirco separatim jam ab initio Latine redditas probabilissimum nobis videtur. In hanc quidem rem suffecisset si duas solas actiones de Juvenali loquentes Maximus

C misisset. At cum in ultima trium actionum causæ Juvenalis et Domni simul jungantur, actionem pariter de Domno Maximus transmittendam putavit. Ita omnes hæ actiones Græce scriptæ, ut a Leone intelligerentur, curantibus fortassis ipsis Maximi nuntiis Latine redditæ fuerunt, ac propterea hæc versio ex Græco exemplo, quod idem Maximus quam accuratissimum atque authenticum direxit, facta, melior etiam, ut mox patebit, invenitur.

10. Actio de Juvenali, quæ ex hac versione ac ex nostro codice suppetit, cum editis tum Græcis tum Latinis quoad substantiam plane cohæret. Quædam vero discrimina notare plurimum interest. Paragraphus *Qua interlocutione Græce interpretata*, etc., in nostro codice postponitur interlocutioni Latinæ Paschasini, qui cum Latina lingua loqueretur, ejus interlocutio postmodum in Græcum sermonem vertebatur. Id autem melius in nostro codice quam in Græco, **1233** ubi perperam ille paragraphus, et verba

D indicantia interlocutionem Græce redditam subjiciuntur interlocutioni Juvenalis, qui Græca lingua usus interpretatione Græca non indigebat. Id etiam melius quam in antiqua versione Latina, ubi idem paragraphus non solum post Juvenalis interlocutionem ponitur, verum etiam hæc interlocutio *Latine interpretata* dicitur, ac si Græcæ Græcorum interlocutiones in Græca synodo Latine redderentur. Rusticus in versione hujus actionis notante Baluzio hunc paragraphum omisit, sive quod deesset in Græco codice ex quo illam reddidit, sive quod eam extra locum positam, veluti corruptam et spuriam repudiavit. Noster itaque codex et nostra versio meliorem originem præferunt. Accuratiorem etiam fontem confirmant illa in fine ejusdem actionis: *et alia manu, Edantur*; quæ in nostro codice et versione leguntur, in Græco autem textu vulgato, et in aliis Latinis antiqua et Rustici versionibus desiderantur; at similiter apposita fuerunt in fine actionis de Domno, quam

etiam Rusticus edidit. Hi duo melioris et accuratioris originis characteres, qui in nostro codice deprehenduntur, fidem conciliare debent ei conditioni, qua Maximus tres Palæstinas Juvenali cessit, *si tamen id venerabili patri nostro archiepiscopo Romæ majoris Leoni placuerit, qui cupit sanctorum Patrum canones infringibiles permanere.* Formula quidem *Romæ majoris* e Græco fonte proficiscitur. Hujus autem conditionis rationem dedimus paulo ante. Quæ si non legitur nec in edito Græco textu, nec in duabus aliis Latinis versionibus, dum optimi codicis et melioris originis argumenta habemus, nihil exinde movebitur quisquis consideret alia ab aliis sive notariis in ipsa synodo, sive posterioribus amanuensibus fuisse prætermissa non solum in Latinis versionibus, sed etiam in originali Græco. Græcus textus et Rustici versio in hac ipsa actione de Juvenali omittunt plura episcoporum nomina, quæ leguntur tantum in antiqua versione. Num idcirco de repudiandis ejusmodi nominibus quispiam cogitavit? Paragraphum *Qua interlocutione Græce interpretata* a Rustico omissum vidimus. Alia similia in aliis versionibus animadvertere licuit, quæ hic recensere non vacat. Notarii in conciliis plures fuere, et quædam a nonnullis accuratius scribi potuerunt quæ ab aliis negligerentur. Posteriores quoque amanuenses quædam potuerunt sive negligenter sive studiose præterire. Quapropter ejusmodi defectus in aliquot vel paucioribus vel pluribus codicibus argumento esse nequeunt, ut additamentis interpolati traducantur illi codices optimis notis distincti, dum quædam in aliis mss. prætermissa, at satis congrua exhibent. Quod si hæc versio a Græco exemplo, quod Maximus ad Leonem miserit, originem ducit, notarium ejusdem Maximi in hoc capite excipiendo et describendo accuratiorem fuisse nihil est dubitandum. Desunt e contra in nostro codice octo interlocutiones, quæ post interlocutionem Anatolii in Græco et in aliis Latinis versionibus leguntur. Hæ autem uti non necessariæ omitti potuerunt sive ab antiquo interprete, sive potius ab exscriptore et compilatore hujus collectionis, quem brevitati consuluisse vidimus.

11. Actio de Domno cum ea prorsus concinit quam Rusticus e ms. exemplo Juliæ patriciæ edidit. Solum in nostro codice verus ordo deprehenditur, cum hæc actio subdatur actioni de Juvenali pridie habitæ, in ms. autem Juliæ patriciæ perperam præponeretur, ut ex notatione Rustici didicimus. Quesnellus num. 5 huic Rustici codici fidem detracturus, unicum, recentem et infimæ fidei fuisse et a duobus ignotis scholaribus Germanis acceptum ingerit. Mala autem hujus codicis epigraphe ille usus est : quam emendatiorem ex Rustici mss. sic Baluzius protulit : *Actio de Domno Antiocheno, quam inveni in codice patr.* (id est *patriciæ*, non *Patrum*) *Juliæ membranatio novo transcriptam e codice vetusto chartatio, quem dixit ipsa fuisse Proculi et Albini Germanorum scholasticorum*, id est fratrum causidicorum. Hic autem Juliæ codex, licet novus Rustici tempore, qui medio sexto sæculo scripsit, nunc recens appellari nequit; multo autem minus codex ille Proculi et Albini, qui jam tam *vetustus* censebatur. Etsi vero hi duo codices pro unico haberi queant, cum alter prodeat ex altero, quantæ tamen fidei esse debeat codex qui medio sexto sæculo *vetustus*, paulo post Chalcedonense exaratus fuerat, nemo non videt. Nunc autem alius Vaticanus codex accedit, idemque vetustissimus, qui eamdem actionem ex Græco exemplo redditam præfert. Hinc alia Quesnelli objectio **1235** eliditur, qua hanc actionem a Rustico confictam suspicatur. Vaticanus enim codex in hac collectione Chalcedonensi præmissa a Rustico non proficiscitur. Quod autem ille tertio opponit, Rusticum soli primæ actioni Chalcedonensi studium operamque navasse, rejicietur a nobis fusius in observationibus ad not. 3 ejusdem Quesnelli in epist. 113 (*Tom. præced., col.* 1435, *n.* a).

12. Si porro Juliæ patriciæ codex Græcus fuisset, et ex eo hanc actionem Rusticus Latina lingua donasset, uti Græcum fuit illud exemplar, ex quo tres descriptæ actiones traductæ fuerunt, non solum duos Latinos, sed duos etiam Græcos diversæ originis codices haberemus qui hanc actionem genuinam confirmarent. Sed cum versio hujus actionis a Rustico edita similis videatur interpretationi nostri codicis, quam antiquissimam vidimus, nihil est ambigendum quin exemplar Juliæ patriciæ, et Proculi atque Albini codex Latini fuerint. Rusticus quidem non tam Græcos quam Latinos codices se adhibuisse aliquot in locis indicat. Hanc igitur actionem non reddidit ex Græco, ut hactenus creditum est, sed ex antiquiori versione transcripsit. Hinc codices Juliæ, Proculi et Albini hanc nostri codicis interpretationem continebant, quæ vel ex hoc vetustissima agnoscitur, et ex eo Græco exemplari deducta, quod nisi Maximus in rem suam ad S. Leonem transmisisset, hac actione de Domno careremus. Causa enim Domni, in qua de statuenda pensione agitur, adeo exigua visa est, ut Græci actorum Chalcedonensium collectores eamdem neglexerint, ut alia item omisere ; ac propterea Latina eorumdem actorum versio eam actionem non exhibet. Hinc ipsis etiam Græcis scriptoribus Justiniano, Evagrio, etc., ac Liberato inter Latinos ignota fuit; quorum silentium nihil aliud probat nisi hos adhibuisse solos codices actorum Chalcedonensium, in quibus desideratur; nec incidisse in ullum exemplar nostro simile, aut simile codici Juliæ, vel Albini et Proculi, ex quibus Rusticus et nos eamdem accepimus.

13. Actionem vero de Domno multo magis sinceram constituit alia actio, quæ ex solo Vaticano ms. prodiit. Pensionem enim quam anterior actio Maximi arbitrio permiserat, ne quid deinceps controversiæ incideret, postulante fortassis ipso Maximo, legati Leonis taxarunt. Dies, exordium et subscriptiones distinctam actionem ostendunt. Nec mirum sit novam actionem Chalcedonensem prodire : actiones enim de particularibus gestis ab aliis omissæ, ab aliis descriptæ fuerunt, ut placuit. Hinc prior actio de Domno inventa fuit a Rustico in solo codice Juliæ patriciæ. Græci mss. libri duas actiones habent de Caroso et Dorotheo, ac de Photio Tyrio et Eusthatio Berythensi, quæ deerant in exemplaribus quibus antiquus interpres, Rusticus, Liberatus et Evagrius usi sunt. Confer not. 18 (*Tom. præced., col.* 257, *n.* b) in dissert. 1 Quesnelli ad an. 451. Taxatio pensionis pro Domno non absimilis est illi quæ Bassiano et Stephano Ephesinis episcopis ante duos dies act. 11 decreta fuerat. Neque moveat in hac actione pontificis titulus *Caput universalis Ecclesiæ :* nam iidem legati qui hunc titulum illi dederunt simili formula usi sunt act. 1, paulo post initium. De Leone enim aiunt : *Qui est caput omnium Ecclesiarum*; et non absimiliter act. 6, in subscriptionibus definitionis fidei : *Beatissimi atque apostolici viri universalis Ecclesiæ papæ urbis Romæ Leonis.* In sententia tribus pontificiis legatis Julianus accensetur, ut in act. 9, sub initium, et in act. 10, ubi lectionem actorum pseudosynodi Ephesinæ interdixerunt. In hac autem sententia cum iidem legati præmiserunt Leonem *constituisse privilegia Antiochenæ Ecclesiæ reformari secundum veterum Patrum statuta*, ex pontificis mente ac mandato juxta antiquos canones se decrevisse videri voluerunt. Hæc ad vindicandam et illustrandam novam hanc actionem, quæ aliam impetitam a Quesnello actionem de Domno satis superque confirmat, adjicienda fuere. Cum vero ex his præstantissimis Vaticani codicis documentis, quæ hactenus non satis cognita aut observata fuerunt, a laudata actione de Domno omnis suspicio amovetur, tum vero exinde, ut Quesnelli verbis concludamus, *jam præclarissimum antiquissimumque præ manibus habemus testimonium summæ auctoritatis pontificis Romani tum in synodos cum in Orientales episcopos, majorum, inquam, ac primarum sedium.*

DISSERTATIO DECIMA.

DE CAUSA THEODORITI EPISCOPI CYRI PSEUDO-EPHESINÆ SYNODI SENTENTIA DEPOSITI, A S. LEONE PAPA RESTITUTI, IN CHALCEDONENSI SYNODO PURGATI.

Ad epistolam Sancti Leonis 93 (nunc 120) ad eumdem Theodoritum scriptam.

1237 I. *Benedictus*, inquit S. Leo, *Deus noster*, A *cujus invincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te, secundum apostolicæ sedis judicium, demonstravit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probavimus, pro universalis Ecclesiæ defensione servaveris* (*Epist.* 93, *nunc* 120).

Quale fuerit illud *apostolicæ sedis judicium* (*a*), a multis quæsitum est hactenus, inque varias itum est sententias. Nonnulli aliquod vel in synodo vel extra synodum a S. Leone de restitutione Theodoriti decretum conditum fuisse autumant, postquam ad eum causam suam per libellum appellationis detulisset. Verum cum de hujusmodi decreto ne apex quidem ullus appareat, sive in actis Chalcedonensibus, sive in aliis rerum tunc temporis gestarum monimentis, tam facile refellitur quam profertur. Alii eadem synodali ac judiciali sententia Theodoritum restitutum ajunt, qua pseudosynodus Ephesina in irritum missa fuerat: in illo videlicet episcoporum conventu, quorum cinctus agmine Romanus pontifex apud S. Petrum venisse in occursum Valentiniani Augusti B Augustarumque legitur in epistolis ea de re scriptis ad Theodosium imperatorem de actorum hujus conciliabuli rescissione. Apud me vero certum est de Theodoriti causa nullam intercessisse sententiam, sive quæ a solo Leone, sive quæ a synodo sit emissa; sed illud solummodo judicium a Leone commemorari, quod communionis litteris continebatur. Dum enim querelas Theodoriti ultro suscepit pontifex, eidemque suam communionem impertivit, consequens fuit ut eumdem ab omni hæreseos macula mundum judicaverit; deputaveritque inter adversariorum calumnias, quidquid 1238 obtruserant, ut eum velut suspectum de fide a synodo arcerent, vel etiam quasi de hæresi convictum deponerent in synodo. Quod ut magis lectori persuadeatur, ob ejus oculos rem totam compendiose ponimus.

II. Theodoritus episcopus Cyri sub Antiocheno patriarcha jam a multo tempore infensum habuerat Dioscorum Alexandrinum, tum propter singularem C suam eruditionem vitæque sanctimoniam, quibus obscurari se Dioscorus homo laudis appetentissimus existimabat, cum propter anathematismos S. Cyrilli decessoris ejus olim a se impugnatos. Theodoritum ob eam causam hæreseos notare, appetere calumniis, omnibusque modis lacessere jam tum aggressus est Alexandrinus. Egit postea apud Theodosium imperatorem, ut Ephesinæ, quæ parabatur, synodo interesse prohiberetur, veritus Eutychis hæresiarchæ patronus acerrimum hæreticorum impugnatorem, qualem se numquam non exhibuerat Theodoritus. Neque his contentus, cum omnia sibi in illa pseudosynodo per vim nefasque arrogasset, Theodoritum ab ordine episcopali dejecit, depositionis sententiam in eum non secus ac in alios episcopos catholicæ fidei propugnatores intorquens.

Hoc ubi rescivit Theodoritus, doluit ipse vicem suam; quidque caperet consilii in tanta rerum perturbatione apud se cogitans, circumspiciensque omnes Orientalis Ecclesiæ episcopos, aut etiam sæculi potestates, neminem invenit quem adire, vel cui suas querelas deferre posset. Chrysaphius enim, cujus consilio agebatur imperator, Eutychis patrocinium palam et publice susceperat. Augustus ipse hæreticorum arte delusus pseudosynodi sententiam auctoritate sua tuebatur. Dioscorus totius illius tempestatis auctor erat et artifex præcipuus. Domnus similem cum Theodorito depositionis sententiam 1239 exceperat. Constantinopolitanus episcopus per Eutychianorum scelus et immanitatem si nondum supremum diem obierat, at saltem fere enecatus ad Hypæpense exsilium deportatus erat. Quid restabat Theodorito agendum, Orientalibus pene omnibus vel furentibus, vel oppressis, vel ne hiscere quidem audentibus; nisi ut ad Occidentales sese converteret, eorumque fidem ac religionem sollicitaret? Dedit igitur litteras ad Leonem tamquam Occidentalium patriarcham, omnium episcoporum caput, ac communem totius Ecclesiæ Patrem; ejus (*b*) omniumque pariter Occidentis episcoporum opem implorans. De appellatione enim nihil habet Liberatus, qui cap. 12 hæc solummodo scribit: *Theodoritus episcopus papæ suggessit quanta mala pertulerit ex insidiis Dioscori, rogans ut celerius tali causæ subveniretur per alium conventum episcoporum.*

III. Sed ipsum Theodoritum audiamus ita Leonem nostrum pro se alloquentem. *Ego autem*, inquit (*c*), *apostolicæ vestræ sedis exspecto sententiam: et supplico et obsecro vestram sanctitatem, ut mihi invocanti justum vestrum et rectum judicium opem ferat, et jubeat ad vos venire, et ostendere meam doctrinam vestigia apostolica sequentem.* Quibus verbis duo mihi postulare videtur Theodoritus. Primum quidem ex sancti Leonis sen- C tentia ac consilio tamquam prudentissimi piissimique præsulis doceri cupit, an judicio Dioscori ipsum stare satius sit pro Ecclesiæ pace, quam aliarum synodorum tribunal pulsare; quod quidem novarum forte turbarum occasio esse poterat. Et hic quidem est primorum verborum sensus: *apostolicæ vestræ sedis exspecto sententiam.* Quam interpretationem non ex nostro, sed ex ipsius Theodoriti natam ingenio verba sequentia comprobant. *Ante omnia autem*, inquit (*d*), *rogo ut sciam a vobis, an in injusta hac depositione me oporteat acquiescere, an non: vestram enim exspecto sententiam. Et si judicatis me stare asseritis, stabo; nec ulli deinceps homini molestiam exhibebo; sed quod flecti non potest Dei et Salvatoris nostri judicium exspectabo.* Ex quibus dignosci potest quam

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hoc *apostolicæ sedis judicium* quale fuerit, explicabimus in observationibus num. 4 et seqq., ubi Quesnelli effugia disjicientur.

(*b*) Appellationem ad Leonem excludere nititur, D omnesque occidentales cum Leone comprehensos suadere studet: quæ duo a nobis refellentur in Observ. n. 1 et seqq.

(*c*) Ἐγὼ δὲ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον, καὶ ἱκετεύω, καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα ἐπαμῦναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαί μου τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν. Theod. ep. ad Leon. cap. 5.

(*d*) Πρὸ δὲ πάντων μαθεῖν ἀντιβολῶ παρ' ὑμῶν εἴτε χρή με στέρξαι τὴν ἄδικον ταύτην καθαίρεσιν, εἴτε μή· τὴν γὰρ ὑμετέραν προσμένω ψῆφον· κἂν κελεύσητε τοῖς κατεψηφισμένοις μεῖναι, ἐμμενῶ, καὶ οὐδένι ἀνθρώπων ἐνοχλήσω λοιπὸν, ἀλλὰ μενῶ τὸ ἀκλινὲς τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν κριτήριον. Theod. epist. 113, cap. 6.

sincere vel quam erudite illa Theodoriti verba interpretatus sit scriptor nuperus de judiciis episcoporum Gallice disserens pag. 318. Alterum quod sciscitatur Theodoritus, hoc est, ut si judicaret S. Leo standum non esse Dioscori sententiæ, aliud concilium in Occidente apostolica auctoritate **1240** haberetur, ad quod ipse convolare posset ab injusta sententia absolvendus. Is est superius descriptorum verborum sensus : *Obsecro vestram sanctitatem ut mihi invocanti justum vestrum et rectum judicium opem ferat et jubeat ad vos accurrere.* Quem sensum perspicue elicimus ex ipsius Theodoriti epistola eodem tempore ac eodem de negotio scripta ad Renatum Romanæ Ecclesiæ presbyterum, qui Ephesum vice Leonis directus fuerat. *Hac igitur*, inquit (a), *de causa tuam oro sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo, ut apostolica utatur auctoritate, et præcipiat ad vestrum convolare concilium* (b). Et iterum in epistola ad Anatolium patricium Constantinopolim missa : *Tuam*, inquit (c), *magnificentiam oro, ut hanc gratiam a triumphatore imperatore obtineas, ut ad Occidentem accedam, et ab illis Deo dilectissimis et sanctissimis episcopis judicer : et si vel minimum quidem fidei regulam transgressus esse ipse repertus fuero, in ipsum maris profundum projiciar.*

Sive autem concilium istud, quod adire optat Theodoritus, ex solis Italici tractus episcopis componi velit, quod non reor, sive ex omnibus Occidentalium partium præsulibus, quod probabilius est, perinde est mihi. Etsi enim illorum solummodo episcoporum concilium postulatum esse concesserim, quibus ex proximis provinciis ad Romanum pontificem concurrere solemne erat, ut juxta sanctorum Patrum decreta geminus, vel unus saltem per singulos annos episcoporum haberetur conventus, quemadmodum ex epistola S. Leonis 16, cap. 7, edocemur, non esset sententiæ nostræ adversum : quoniam manifestum est tale concilium a Theodorito (d) non ex juris necessitate esse postulatum, sed ex ipsius litigantis arbitrio, cui liberum fuit juxta Ecclesiæ Africanæ morem et Carthaginensis concilii decretum, judicium sibi deligere apud Occidentalium episcoporum synodum, ea lege ut quæcumque a delectis sponte propria judicibus emitteretur sententia, ei sese irretractabiliter submitteret. Ita enim in gratiam damnati episcopi provisum fuit a Carthaginensibus Patribus anno Christi 407, ut legitur in codice Africanæ Ecclesiæ cap. 96, quod ne apud alias Ecclesias in usum vocaretur, nihil obstabat. *Si fuerit*, inquit canon, *provocatum, eligat qui provocaverit judices, et cum eo et ille contra quem provocaverit ; ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare.* **1241** Ex spontaneo igitur delectu, non ex necessitate Romani pontificis synodum convenisse dicendus erit Theodoritus, si ad eam solam provocavit. Si enim ad hoc jure teneretur, ut quid verebatur ne preces suæ a pontifice non admitterentur, nec suum effectum recursus sortiretur ? Hoc enim plurimum deprecatur in sua epistola ad sanctum Leonem. *Supplicationem*, inquit (e), *meam quæso ne respuatis ; nec miseram meam canitiem despiciatis.* Cur Renati presbyteri gratiam captat, ut ipso agente ac suadente ad concilium Occidentis convolare ipsi permitteretur ? Cur hortatur Romanæ Ecclesiæ archidiaconum, ut S. Leonis zelum accendat ? *Dignare*, inquit (f), *Deo dilectissime, zelum accendere sanctissimi in omnibus et beatissimi archiepiscopi, ut etiam Orientis Ecclesiæ vestra fruantur protectione.* Quam denique ob causam se ipsius judicio, qualecumque esset, assensurum atque adhæsurum spondet ? Talem enim sponsionem nemo est qui non rideat, si de judice agatur quem adire et cui obtemperare necessitas fuerit ; tunc enim, velit nolit is qui appellat, nec licet ei judicium declinare, nec sententiæ obedientiam detrectare. Non incongrue autem talis sponsio præmittitur, cum judicium a delectis ipsius litigantis arbitrio judicibus postulatur, ne isti judicandi onus a se removerent. Quamquam autem hæc dicimus de Romana synodo, probabilius tamen existimamus de universaliori Occidentis concilio cogitasse Theodoritum : cum absolute ad Occidentem accedere, et ab Occidentis episcopis judicari exoptet.

Conjecturam hanc nostram mirum in modum confirmat epistola Theodoriti 117, quæ Florentio quidem episcopo inscripta legitur, sed prorsus videtur (g) ad episcopos Romanæ seu Occidentalis synodi directa. Necessaria enim est, quantum sapio, tituli emendatio, quæ clarissimi Garnerii opinio est, gravissimis indiciis fundata. « Primum (inquit) quod Theodoritus ad plures scribat : utitur enim semper numero multitudinis, solitus singulares quoscumque, etiam summum pontificem, et Augustam Pulcheriam singulari nomine compellare. Quod autem interpres posuit *sanctitatem tuam*, non consonat Græco, ὑμετέρᾳ ἁγιωσύνῃ : quemadmodum nec quod dixit, *vir sanctissime*, Græce enim legitur ἁγιώτατοι. 2° Quod plures illi ad quos scribitur, forent Occidentalium partium, opponit siquidem Orientalibus. 3° Quod plures illi quoque Occidentales fuerint episcopi : præterquam quod enim id titulus indicat, demonstrat insuper vox *sanctitatis vestræ* tertium adhibita. 4° Quod episcopi isti non defecissent a fide, Orientis Ecclesiis communem calamitatem **1242** passis : atque ita inde spes erat restituendæ rei : *Dei gratia reliquit nobis semen sanctitatem vestram, ne fiamus sicut Sodoma*, etc. 5° Quod tanta illi forent auctoritatis, ut possent depellere Orientis Ecclesiarum calamitatem, exortam hæresim proscribere, eos qui Incarnationis doctrinam adulterare ausi sunt, aperte redarguere, illorum qui pietatis causa vexantur, patrocinium et defensionem suscipere, per injuriam pulsos non despicere, sed juste subsidio injuriam reprimere, ac veritatem præfracte impugnantes docere. 6° Quod ad eos mittantur legati : iidem nimirum qui ad Leonem papam tunc dirigebantur. » (*Vide notas et dissert. Garnerii tomo nostra Patrol. XLVIII.*)

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Διά τοι τοῦτο τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην παρακαλῶ, πεῖσαι τὸν ἁγιώτατον καὶ ὁσιώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῇ ἀποστολικῇ χρήσασθαι ἐξουσίᾳ, καὶ εἰς τὸ ὑμέτερον ἀναδραμεῖν κελεῦσαι συνέδριον. Theod. 116 ep., ad Renatum presb.

(b) Cur Theodoretus ad Leonem appellans, *concilium* nominet, ibidem explicabimus n. 2, ubi etiam quod concilium intellexerit, constitutum invenies.

(c) Ἀντιβολῶ τὴν ὑμετέραν μεγαλοπρέπειαν ταύτην αἰτῆσαι τὴν χάριν τὸν καλλίνικον κορυφὴν [*F. leg.* κορυφαῖον], ὥστε με τὴν ἑσπέραν καταλαβεῖν καὶ παρὰ τοῖς ἐν ἐκείνῃ θεοφιλεστάτοις καὶ ἁγιωτάτοις ἐπισκόποις δικάσασθαι. Idem epist. 119, Anatolio patricio.

(d) Cum hoc loco Theodoreti supplicationem ad meram liberi compromissi speciem revocare Quesnellus nititur, pontificium jus in appellatione ejus conatur infringere; cum tamen Theodoreti verba in observationibus recitanda num. 2 prærogativam primatus aperte designent, cujus jus in appellationibus etiam episcoporum Orientis luculenter statuimus in observ. ad dissert. 5, cap. 5, 6 et 7. Idcirco autem Theodoretus petiit ne repelleretur, quia appellatio quantumvis ad legitimum judicem delata, si injusta judicetur, repelli potest.

(e) Μὴ διαπτύσητέ μου τὴν ἱκετείαν παρακαλῶ, μηδὲ τὴν ἀθλίαν μου παρίδητε πολιὰν μετὰ πολλοὺς ὑβρισμένην καμάτους. Theod. ad Leon., c. 5.

(f) Καταξίωσον τοίνυν, θεοφιλέστατε, πυρσεῦσαι τὸν ζῆλον τοῦ τὰ πάντα ἁγιωτάτου καὶ ὁσιωτάτου ἀρχιεπισκόπου, ὥστε καὶ τὰς τῆς ἀνατολῆς ἐκκλησίας τῆς ὑμετέρας ἀπολαῦσαι κηδεμονίας. Epist. 118, ad archidiac. Roman.

(g) Hac de re confer observ. num. 3.

A Hæc si vana non est viri eruditi conjectura, immo quia vix in dubium revocari potest, *Litem, quam, ut res sunt, invidiosam in dissertatione* 1, *cap.* 9, putabat, nec audebat dirimere, ipse aperte dirimit in dissertatione 2, ad epistol. 117 Theodoriti. Quis enim post hæc negare possit (*a*) totum Occidentis concilium a Theodorito fuisse compellatum, cum talis appellationis testes habeat ipsius Theodoriti ad Occidentale concilium litteras, legatosque illius causam acturos ad idem directos : quibus et aliæ epistolæ ad Renatum, et Anatolium, et Liberatus Diaconus suffragantur?

Auctoritati addit idem Garnerius rationem, quam præstare ipsi incumbit : *Agebatur enim*, inquit (*Diss.* 1, c. 10), *una de majoribus causis : cujusmodi nulla disceptabatur ea ætate vel ab ipsis summis pontificibus nisi in episcoporum conventu. Fuisse vero causam hanc inter majores, vel ex eo maxime apertum est, quod de fide episcopi nominatissimi, depositi a synodo in qua fuerant omnes totius orbis patriarchæ* (Romanum excipe) *quæstio haberetur.*

IV. Acceptis porro Theodoriti et aliorum litteris, auditaque Hilari relatione, quid Theodorito rescripserit sanctus Leo ignoramus : quid egerit inquirimus. Intellexit statim pontifex post Ephesinum latrocinium (*b*) opus esse concilio, eoque generali, ut ex ejus litteris ea de re ad Augustum scriptis clarum est. *Generalem synodum*, inquit (*Epist.* 40, *nunc* 44, *cap.* 10), *jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum; convenientibus utique Orientalium provinciarum episcopis : quorum si qui superati minis atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur.* Verum pro restituendo Theodorito, neque provincialem, neque generalem synodum necessariam esse duxit, quoniam pro deposito habendus ille non erat, in quem non concilium, sed latrocinium; non episcopus, sed prædo improbus **1243** depositionis sententiam ferre conatus fuerat : in eum, inquam, quem *nec in jus vocasset, nec præsentem judicasset, nec quid de suscepta a Deo et Salvatore nostro humanitate sentiret, interrogasset* (*Epist.* 52, *Theodor. ad S. Leonem*). Quod ita apud omnes certum erat, ut quidquid in illo miserando Ephesi conventu factum erat, pro infecto ab omnibus passim catholicis haberetur. *Quoniam*, inquit S. Leo (*Epist.* 47, *nunc* 51), *ea quæ in Epheso nuper contra justitiam vel canonum disciplinam per unius hominis impudentiam gesta sunt, nulla catholicæ fidei ratio rata esse permittit.* Unde et monet Constantinopolitanos, *ne a sacerdote suo*, qui similem cum Theodorito exceperat depositionis sententiam, *ullæ eos minæ, ulla formido divellat. Quisquis enim*, inquit (*Epist.* 45, *nunc* 50, *cap.* 1), *incolumi atque superstite Flaviano episcopo vestro sacerdotium ejus fuerit ausus invadere, numquam in communione nostra habebitur, nec inter episcopos poterit numerari.* Hoc ipsum est quod ab imperatore Theodosio poscebat Leo noster, cum rogabat eum *ut omnia in eo statu esse juberet, in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregaretur* (*Epist.* 40, *nunc* 44). Cui postulationi annuit pro Theodosio Marcianus, cum in ejus mortui locum suffectus est : qui et majorem revera ex toto orbe episcoporum synodum congregavit, et eidem jussit interesse Theodoritum.

Ex dictis manifestum est Leonem nostrum (*c*) nullum habuisse judicium ad causam Theodoriti ventilandam; sed eidem communione non interrupta fuisse conjunctum, ejusque litteris rescripsisse, nec standum esse judicatis, nec exspectandum ei esse aliud judicium, ut Ecclesiam suam solito more gubernaret : quoniam quæ gesta erant Ephesi *per unius hominis impudentiam, nulla catholicæ fidei ratio rata esse permittebat* (*Epist.* 47, *nunc* 51). Eo libentius autem sententiam adversus Theodoritum latam pro nulla habuit, quod de ejusdem fidei integritate novum ex Oriente testimonium ad ipsum fuit delatum. Ex litteris enim Anatolii Constantinopolitani episcopi post Flaviani mortem ordinati resciverat Theodoritum encyclicæ ad Flavianum eumdem epistolæ ultro subscripsisse, nec Nestoriana Eutychianaque solum dogmata damnasse, sed ipsis etiam Nestorio et Eutychi anathema dixisse. Istud enim præstitum esse ab omnibus episcopis qui Antiocheno suberant, quorum unus erat Theodoritus, discimus ex epistola Leonis
B nostri ad Paschasinum Lilybætanum, quam nunc primum in lucem emittimus. *Noveris etiam*, inquit (*Epist.* 68, *nunc* 88, *c.* 3), *proxime me epistolam Constantinopolitani episcopi accepisse, quæ refert,* **1244** *Antiochenum episcopum missis per provincias suas tractoriis, universosque episcopos et epistolæ meæ præbuisse consensum, et Nestorium ac Eutychen pari subscriptione damnasse.* Ex hujusmodi subscriptione, vel etiam ex ea epistola quam ad Leonem scripserat Theodoritus, intellexit Romanus pontifex judicavitque ipsum ab omni hæresis macula immunem, nihilque hac ex parte obstare quominus suam ei communionem more solito impertiret; et ille suam Ecclesiam cum pace ecclesiastica retineret. Tale est *sedis apostolicæ judicium*, ut ego quidem reor, de quo in hac epistola quam commentamur, mentio facta est; quod quidem non demonstrat restitutam esse judiciali pontificis sententia suam Theodorito sedem; sed amotam solum nonnullam erroris suspicionem, quæ ei forte vel ex adversariorum repetitis sæpe
C sæpius calumniis, vel ex antiquis cum Cyrillo concertationibus inhæserat.

V. Enimvero si eam ob rem restitutum a sede apostolica Theodoritum contendas, quia eum communionis suæ sinu complexus est; quidni (*d*) a cæteris quoque episcopis restitutum eum pronunties : cum et Maximus Antiochenus ejus primas, et Anatolius Constantinopolitanus, et alii plurimi antistites Orientalium partium, communionis cum eo nexum vel abruperint numquam, vel mox religaverint. Quamquam Romani pontificis votum ejusque communionis suffragium præ cæteris habitum esse quis velit diffiteri, utpote primariæ omnium sedis episcopi, viri insuper sanctissimi doctissimique, et in hac præsertim causa catholicæ fidei strenui defensoris? Rem tamen totam ex Leonis facto finitam esse asserere non possumus, cum eam rursus ad incudem vocatam (*e*) a Patribus Chalcedonensibus, notum sit cuilibet hujus synodi Acta recensenti. Idque factum est ex ipsius sancti
D Leonis mente : cum enim post Ephesinam pseudosynodum hoc unum poposcisset S. Leo, ut omnibus a Dioscoro decretis supersederetur, et *omnia in eodem statu essent in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregaretur* (*Epist.* 40, *nunc* 44) : hoc procul dubio pontificis erat consilium, ut majoris hujusmodi episcoporum numeri judicio et examini omnia de novo quasi injudicata subjicerentur, ubi primum congregatus esset. Nec

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Id impugnatur in observ. n. 2.

(*b*) Quo sensu et quibus in circumstantiis S. Leo necessarium scripserit concilium generale, fuse explicatum est in antecedentibus nostris observationibus ad dissert. 8, num. 14 et seqq.

(*c*) Immo peculiare judicium Leonem de Theodoreto habuisse demonstrabimus in observationibus subjiciendis a num. 4 usque ad n. 8.

(*d*) Confer not. 25 (*Col.* 715, *n.* d) in dissertationem præcedentem, ubi peculiaris et potentior vis communionis traditæ a sede apostolica explicatur.

(*e*) Quatenus Theodoreti causa iterum agitata fuerit in synodo Chalcedonensi sine præjudicio judicii de eo lati a S. Leone, exponemus in observ. num. 9 et 10, ex quibus sequentia diluentur.

est quod quis Theodoriti causam ab ista lege eximendam existimet, cum potius hæc præ cæteris una synodi examen postularet. Alii enim plerique episcopi, quos pseudosynodus Ephesina sedibus suis dejecerat, ante latrocinium **1245** in suspicionem erroris non venerant, ac propterea rescissis pseudosynodi actis, res illis sua integra erat : Theodoritus autem longe ante Ephesinum conventum suspectæ fidei notatus fuerat a catholicæ sententiæ propugnatoribus. Nestorio visus erat patrocinari, et ex erroris suspicione ansam arripuerat imperator eum a synodo removendi. Quare etsi et a Leone in communionem receptus et ad Chalcedonense accersitus esset imperatoris edicto, non hoc tamen uno diluebantur antiquæ suspiciones; sed futuro judicio via parabatur, cui et ejus fides discutienda, et adversariorum accusationes examinandæ servabantur. Inde est quod judicibus laicis introduci eumdem in synodum postulantibus juxta imperatoris edictum, non pauci aliqui episcopi, ut videtur nonnullis, sed longe plurimi, (*a*) Ægyptii videlicet, Palæstini et Illyriciani clamaverunt : *Miseremini, fides perit; Istum Canones ejiciunt; Hunc foras mittite; Magistrum Nestorii foras mittite; Synodus orthodoxa Theodoritum non suscipit; Cyrillum iste anathematizavit.* Hos inter episcopos Illyriciani ducem habebant (*b*) Thessalonicensem episcopum, qui cum vices Romani episcopi gereret in Illyrico, ab ejus nutu pendebat : nec tamen apostolicæ sedis judicium, quo Theodoritus ab omni hæresis macula mundus pronuntiatus fuerat, obstare credidit, quominus ille a synodo tamquam de fide ex antiquo suspectus removeretur. Rursum vero instantibus judicibus eum recipi, vix tandem acquieverunt dicti episcopi, quasi ex indulgentia ac dispensatione; non prius tamen quam (*c*) Maximi Antiocheni primatis sui testimonio nulla hæretici sensus peste infectus esse Theodoritus probaretur, et insuper pollicerentur judices nullum ex præsentia illius præjudicium creandum esse, causamque integram futuro examini esse reservandam : hisque impositis conditionibus tandem admissus est Theodoritus.

VI. Ad octavam concilii actionem ubi perventum est, vocata fuit ad examen Theodoriti causa. Cumque vociferarentur episcopi, ut ipse Nestorium anathematizaret, restitit aliquandiu, non quod impio hæresiarchæ faveret : jam enim, ut ex epistola 68 (*nunc* 88) S. Leonis ad Paschasinum vidimus, ei dixerat anathema cum cæteris Orientalis diœcesis episcopis, quorum unus erat, iidemque actione 1 Chalcedonensi, cum de illo tractaretur, idem sunt testati : **1246** *Nos*, inquiunt, *in pura charta subscripsimus :* non quod diverticula quæreret, quibus ab anathematizando Nestorio posset abstinere : talia enim de tanto

A viro comminisci indignum est : sed partim quia moleste ferebat aliam sibi quam aliis legem imponi, qui cum cæteris actione 4 professus fuerat Nicænum et Constantinopolitanum symbolum; epistolam Leonis ad Flavianum, quæ Nestorio anathema dicebat, amplexus fuerat; fidemque suam solemni subscriptione firmaverat; partim et maxime quia cum damnatus a synodo Dioscori reclamasset, omnia rite et pro more conciliorum ex ordine recenseri ac recognosci volebat; ne clancularium ac velut furtivam absolutionem ex delicti conscientia quæsiisse videretur. Ea causa est cur relegi in primis postulavit tam preces imperatori, quam libellos legatis a se oblatos : *Si vobis*, inquit, *videtur*, *legantur coram vobis, ut sicut sæpio cognoscatis.* Nec prius compendiosam illam professionem, *Anathema Nestorio*, etc., quæ tot indecoris clamoribus flagitabatur, elici a se passus est, quam fidem suam a calumniis, quibus toties impetita fuerat, prolixiori assertione vindicaB ret : qua publice enuntiata, *dixit Anathema Nestorio*, etc. Sanctus quippe ille episcopus de integritate fidei suæ probanda (quo antiquius nihil catholico sacerdoti esse debet) magis erat sollicitus, quam ut vel synodo interesse, vel Ecclesiæ dignitatique suæ restitui curaret. *Vere*, inquit, *non dico, nisi quomodo novi Deo placere prius persuadebo* (al. *satisfacio*) *vobis*, *quia neque de civitate curo*, *neque honore opus habeo*, *neque ob hoc veni; sed quia calumniam passus sum*, *veni persuaderé me esse orthodoxum* (*Chalc. act.* 8). His ita peractis, et omni tunc demum non scrupulositate, sed dubitatione, ut judices loquuntur, sublata, secuta est synodi sententia, quæ sancti Leonis judicium communionem suam Theodorito impertientis approbans atque confirmans, suæ eum sedi restituit, hanc potissimum judicii causam afferens : (*d*) *Quoniam*, inquit, *et Nestorium et Eutychen non solum scripto*, *sed et sub præsentia totius consessus ore proprio anathematizavit.*

VII. Ex dictis intellige, erudite lector, quam miC sere in ipso meridiano sole cæcutiant, qui episcoporum in synodum œcumenicam coalescentium sacrosanctam auctoritatem deprimentes ac ludibrio habentes (multo magis autem extra synodum) (*e*) meram illis **1247** pontificiorum mandatorum exsecutionem ex suo officio competere contendunt, tum in hac, de qua agimus, causa, tum in aliis omnibus. Cum potius apostolicæ sedis hæc sit non infima laus, synodorum œcumenicarum exsecutricem esse. Tali enim prærogativa gloriatus est Gelasius papa, eamque sedi suæ pro suo scilicet principatu asserere non erubuit epistola 13 : *Confidimus*, inquit, *quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum*, *quod universalis Ecclesiæ probavit assen-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hi omnes in prima actione Dioscori et Eutychis præjudiciis irretiti erant; ac proinde nihil mirum, si Theodoreto, quem Dioscorus uti Nestorianum damnaverat, adversabantur.

(*b*) Anastasius Thessalonicensis aberat, et solummodo per legatum interfuit.

(*c*) Adhuc post testimonium Maximi, et post judicum pollicitationem illi reclamarunt. Solum judicibus iterum ac tertio urgentibus in eadem actione prima acquiescendum fuit.

(*d*) Cum de Theodoreto actum fuerit in decima actione, ut iis satisfieret qui de ejus fide ambigebant, iis publica ejus protestatione convictis, hæc potissimum ratio istorum causa ingerenda fuit in ipsa sententia, quam legati pronuntiarunt, ita tamen ut huic rationi præmiserint Leonis judicium, sicut etiam istud universa synodus in acclamationibus commendaverat. Confer observat. num. 4.

(*e*) Nemo catholicus inficiari potest episcopos in conciliis præsertim œcumenicis una cum summo pontifice, qui eis vel per se, vel per legatos *ut caput membris* præsidet (sunt formulæ ipsius concilii Chalcedonensis in relatione ad Leonem, nobis epist. 98, c. 1) esse veros judices atque legislatores, ac uti tales controversias definire, ferre sententias, leges condere, et ad exsecutionem obligare. Editis deinde concilii decretis iidem postea exsecutores fiunt, cum D ea ad praxim deducunt, uti obligantur : et hac ratione ipsi Romani pontifices sese exsecutores professi sunt, ut ne tamen in rebus ad disciplinam pertinentibus potestas dispensandi aut mutandi aliquid, cum expedire videatur, ipsis negari queat. In causa autem Theodoreti licet judicium apostolicæ sedis, quod concilio præcessit, illum restituerit restitutione juris; actualis tamen restitutio eidem concilio reservata fuit, ut explicabimus in observ. num. 10, ibidemque etiam ostendemus num. 9, quatenus sine ullo sedis apostolicæ præjudicio licuerit synodo post judicium Leonis ea de causa iterum cognoscere, ut dubitantibus satisfieret, nihilque Leoni subreptum ex ipsa Theodoreti confessione atque anathemate in Nestorium pateret.

sus, non aliquam magis exsequi sedem præ cæteris oportere : quæ et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continua moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, etc. Et infra : *Ponamus tamen*, inquit, *etiamsi nulla synodus præcessisset, cujus apostolica sedes recte fieret exsecutrix*, etc. Et vero quod ad Theodoritum pertinet, manifestum est Chalcedonensem synodum illius (*a*) negotium non aliter pertractasse; quam si ad aliud jam tribunal non esset delatum. Hic enim licet communionis Romani episcopi particeps factus; licet ejusdem, ut volunt, judicio restitutus; licet patriarchæ sui in synodo præsentis munitus suffragio; licet imperatorio etiam edicto non synodi modo consors effectus, sed et ad suam reductus Ecclesiam (de eo enim maxime intelligendum est quod scribit sanctus Leo ad Pulcheriam : *Quod sacerdotes*, inquit (*Epist.* 59, *nunc* 79, *c.* 2), *catholicos*; *qui de Ecclesiis suis injusta fuerunt ejecti sententia*; *reduxisti*); licet denique epistolæ sancti Leonis semel et iterum subscripsisset; hæreticus tamen proclamatus est a maxima synodi parte, atque e synodo tantum non ejectus (Romanis etiam legatis tacentibus, nec pro Leonis judicio, et sententia quam synodo præivisse volunt, intercedentibus), vixque tandem purgatus est, suæque redditus Ecclesiæ, postquam et ejus fides ab ipsa synodo iterato examine fuit discussa, et ipse hæreticos *sub præsentia totius consessus ore proprio anathematizavit*.

Porro sententiæ synodi, cui præfuserat judicio suo Romanus pontifex, suum etiam postea consensum adhibuit, tum aliis epistolis, cum ea maxime quam ad ipsum Theodoritum dedit aliquanto post finitam synodum : in qua plurimum gratulatur quod ab invincibili veritate omnis hæreseos immunis demonstratus esset, quod apostolicæ sedis de ipso judicium fuisset confirmatum, quod denique aliud nihil optandum esset, **1248** quam ut talem se, qualem antea probaverat, ac tunc etiam Leo probabat, pro universalis Ecclesiæ defensione servaret. *Benedictus*, inquit (*Ep.* 93, *nunc* 120, *cap.* 5), *Deus noster, cujus invincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te, secundum apostolicæ sedis judicium, demonstravit : cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probavimus et probamus, pro universalis Ecclesiæ defensione servaveris*.

VIII. Hæc dum relego, mirari satis non possum inventos nuper esse qui scriberent, causam Theodoriti in Chalcedonensi synodo discussi, purgati, restituti, a sancto Leone non esse confirmatam, sicut nec alia ejusdem de privatis episcoporum causis judicia. De aliis inquirere non est hujus loci. De Theodorito, etsi abunde verba mox recitata demonstrant confirmatum esse a Leone synodale judicium, quo ille fuerat absolutus, operæ tamen pretium est etiam his alia subjungere, quæ in eadem epistola sequuntur, manifestumque reddunt non ejus tantum personam ab impiorum insidiis, sed ejus etiam fidem ab adversariorum calumniis in synodo esse vindicatam. *Nam quod Deus*, inquit (*Epist.* 93, *nunc* 120, *cap.* 5), *omnium calumniosorum fallacias solvit, maximam beatissimi Petri curam pro cunctis nobis agnoscimus : qui postquam sedis suæ judicium in fidei definitione firmavit*, NEC CIRCA CUJUSQUAM VESTRUM, *qui nobiscum pro catholica fide laboratis*, PERSONAM, QUIDQUAM REPROBUM VIDERI PERMISIT : *quia nec poterat Spiritu sancto judicante quisquam ex eis non victor exire*, QUORUM JAM VICERAT FIDES. Ex quibus Leonis verbis manifestum est hanc illius esse mentem : sententiam, quæ Theodoritum absolvit in synodo, *Spiritu sancto* per episcopos congregatos *judicante* editam esse; accusationes quibus ipsius episcopi fides petita fuerat, nihil aliud esse quam *calumniosorum fallacias*; de his tandem victorem eumdem exiisse in octava synodi actione, quia ejus vicerat fides in quarta; circa ipsum

A nihil reprobum ultra visum fuisse; illud omne quod a synodo in Theodoriti negotio gestum est, ab apostolica sede approbatum esse et confirmatum; ac demum (quod ex præcedenti consequens est) præter fidei definitionem aliquid eorum quæ Chalcedone decreta sunt, a sancto Leone receptum esse ac vindicatum, quandoquidem maxima beatissimi Petri ea cura fuit pro episcopis a **1249** Dioscoro damnatis, ut *postquam sedis suæ judicium in fidei definitione firmavit, nihil circa cujusquam eorum personam reprobum videri permitteret*.

IX. Hæc adeo perspicua sunt, ut quidquid in contrarium opponatur, necesse sit infirmum esse ac nullius roboris. Adversus tamen ista Leonis verba ex aliis ejusdem verbis molem struunt adversarii. Sæpe sæpius, inquiunt, affirmat pontifex *sanctam synodum ad exstinguendam solam hæresim et ad confirmationem fidei catholicæ esse congregatam* (*Epist.* 80, *nunc* 106, *cap.* 2). In qua *non solum*, inquit, *per fratres, qui*
B *vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum unisse sententiam*, IN SOLA VIDELICET FIDEI CAUSA, *quod sæpe dicendum est, propter quam generale concilium placuit congregari* (*Epist.* 87, *nunc* 114, *cap.* 1). Ex quibus in hæc verba concludit : *Si quid sane ab his fratribus, quos ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad fidei causam pertinet, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis : quia ad hoc tantum a sede apostolica directi sunt, ut, excisis hæresibus, catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem* (*Epist.* 92, *nunc* 119, *c.* 5). Ex his similibusque Leonis verbis infert Pelagius papa II in epistola ad episcopos Istriæ, etc., quod *ipse Leo gesta multiplicia causarum specialium reprobando, auctoritatem synodi in sola fidei definitione constrinxit*. Et postea : *Quidquid ergo*, inquit, *præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat si ad ju-*
C *dicium revocetur. Quia*, ut rursus ait, *postquam beato Leone scribente jus retractandi et dijudicandi conceditur, etiamsi qua esse poterat, eorum qui interfuerant, in privatis negotiis auctoritas vacuatur... Denique privatas causas, quæ illic post definitionem fidei actæ sunt, non solum minime confirmavit, sed et retractari atque dijudicare permisit*. Definitionem porro fidei in actione sexta terminatam esse, finitamque fidei causam probare conatur idem pontifex, tum ex generali omnium episcoporum subscriptione, quæ huic actioni, non aliis subjicitur; tum ex fide antiquiorum codicum Græcorum, qui totam synodum sex tantum actionibus circumscribunt, subjunctis ad sextam canonibus, cæterisque omissis, quæ modo in Latinis habentur; tum hinc denique quod finita sexta actione, episcopi dimitti se supplices ab imperatore postularunt.

Hæc, meo judicio, facile dissolvi possunt, si modo præjudicia removeantur. Unum est, opinor, ad quod tota difficultas devolvitur : una vocula, ex cujus in-
D tellectu tota lis pendere mihi videtur, videlicet *causa fidei*, quam quia ad strictiorem quam par erat significatum coarctarunt alterius sententiæ patroni, a beati Leonis sensu longe abire coacti sunt; immo et Leonem Leoni collidere. Cum ergo quid per *causam fidei* intellexerit semel assecuti fuerimus, tum huic **1250** controversiæ lux affulgebit, Leo cum Leone redibit in gratiam, patensque erit concordiæ via, quæ præclusa multis hactenus visa est.

Causa igitur fidei, cujus unius ventilandæ gratia Chalcedonensem synodum congregatam esse scribit S. Leo, nec sola fidei definitione continetur, nec ista sola contineri dicitur a sancto Leone, sed etiam earum causarum et scandalorum discussione, quæ occasione fidei, errorisque Eutychiani fidem oppugnantis nata erant, eorumque omnium retractatione, quæ apud

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide observ. n. 9 et 10.

Ephesum per Dioscori artes furoremque fuerant perpetrata. Hæc est integra causa fidei, cui nimirum ita connexæ atque intertextæ erant personarum causæ, eorum, inquam, quorum fides vel suspecta, vel accusata, vel damnata, vel calumniose infamata erat, ut si Eutychis perfidiam ac rebellionem, si Dioscori improbas machinationes, et quæ consecuta est, exauctorationem; si Flaviani, Eusebii, Theodoriti, aliorumque orthodoxorum episcoporum damnationem ac restitutionem, a fidei causa recideris, jam eadem magna sui parte trunca erit ac mutila. Aliud ergo simplex fidei definitio, aliud causa fidei, hoc saltem in negotio. Illa solius catholicæ veritatis assertione continetur; hæc insuper et hæreticorum, qui fidem ejurarunt, damnationem, et catholicorum, qui ab hæreticis accusati, damnati depositique sunt, absolutionem ac redintegrationem, omnimodam utrorumque discussionem complectitur. Quemadmodum enim non ea plena est erroris abdicatio, quæ eum impiis dogmatibus, eorum pariter auctores manifestos, confessosque vel convictos non damnat; ita integra non est hæc fidei defensio, quæ omnes catholice sentientes non suscipit; non plena assertio, quæ episcopos catholicos in hæresis suspicionem per improborum calumnias vocatos non vindicat; non integra victoria, *si*, ut de Theodorito agens Leo noster scribit, *quisquam ex eis non victor exiret, quorum jam vicerat fides* (*Epist.* 93, *nunc* 120, *cap.* 5).

X. Hæc causa fidei expositio, etsi satis ex se perspicua est, genuina esse magisque comprobabitur ex ipsius Leonis epistolis, quas partim ante synodum scripsit, partim pro eadem recipienda ac confirmanda. Cum enim a Theodosio Augusto generalem synodum enixius postularet, quid ab ea præstandum speraret? Hoc in primis: *Ut omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum.* Ad hæc: *Ut episcopi, qui superati minis atque injuriis a veritatis tramite deviarant, salutaribus remediis in integrum revocentur.* Denique, *ut omnibus querelis et præjudiciis partis utriusque suspensis, diligentius universa quæ offensionem generaverant retractentur, et absque vulnere fidei, absque religionis injuria, in pacem Christi redeant, qui per impotentiam subscribere coacti sunt sacerdotes, et soli auferantur errores* (*Epist.* 40, *nunc* 44, *cap.* 3). Hæc omnia quis non videat magis attinere personas quam ipsam fidei definitionem? **1251** De qua tantum abest ut (quod adversarii contendunt) unice tractari in synodo voluerit, quin potius hoc ante omnia et enixis precibus obtinere ab imperatore sategit, ut de fide penitus sileretur, nec quasi dubia iterum ad examen vocaretur. *Unde*, inquit, *per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui regni vestri est auctor et rector, obtestor et obsecro clementiam vestram, ut in præsenti synodo fidem, quam Patres nostri ab apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari...* (*Epist.* 73, *nunc* 90, *cap.* 2.) *Rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat* (*Epist.* 72, *nunc* 93, *cap.* 2). Sed ex subjectis verbis adhuc clarius evadit, propter episcoporum causam, cui fides immixta erat, magis coactam esse synodum, quam propter ipsius fidei definitionem, *cujus integritati nihil evelli, nihil licebat apponi.* Sic igitur in epistola ad ipsam synodum Chalcedonensem scribit sanctus Leo: *Quia vero non ignoramus per pravas æmulationes multarum Ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimosque episcopos, qui hæresim non reciperent, sedibus suis pulsos et in exsilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos; his* PRIMITUS *vulneribus adhibeatur medicina justitiæ, nec quisquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis: cum si, ut cupimus, errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire suus honor debeat, sed illis qui pro fide laboraverunt, cum omni privilegio oporteat jus proprium reformari* (*Ibid.*, *c.* 3). Jam intelligis, lector erudite, causam fidei esse causam episcoporum *qui pro fide laboraverunt; qui hæresim non recipientes, sedibus suis pulsi, et in exsilia deportati sunt; quosque ad infringendam catholicam fidem et ad exsecrabilem hæresim roborandam privilegio honoris exuerant* (*Epist.* 73, *nunc* 95, *c.* 2). Horum unum esse Theodoritum nemo inficias ierit, qui meminerit ipsum a sancto Leone (*Epist.* 93, *nunc* 120) eodem hoc elogio decorari, interque illos recenseri qui pro fide catholica laboraverant, quique Spiritu sancto judicante victores exierant, quoniam ipsorum jam vicerat fides. Vides præterea ut, silentio de fide indicto, episcoporum, qui Dioscori artibus et malitia oppressi fuerant, primitus vulneribus medicinam justitiæ velit pontifex adhiberi a sacra synodo; ut curari a sanctis Patribus ante omnia cupiat, ne suum cuiquam honorem perire contingat; ut denique universa, quæ offensionem generaverant, irretractata fide, retractari exoptet. Tandem ut ad cumulum hoc addamus, cum œcumenicam synodum congregari supplex ab Augusto postularet sanctus Leo, illius necessitatem arcessivit maxime ex appellationis libello per Flavianum dato, quam vel in irritum mitti, vel aliter quam in synodo discuti, nefas esse probabat ex canonibus **1252** Sardicensibus sub Nicænorum nomine citatis. Quæ omnia hujusmodi episcoporum causas ostendunt saltem non minus ad illam synodum pertinuisse, quam fidei discussionem. Quis enim vero negaverit illas causas synodo proprias fuisse juxta pontificis mentem, propter quas maxime et PRIMITUS illam esse congregandam asseruit, ut factam esse ex superioribus perspicuum est? Quis eam provinciam a synodo alienam putet, qua remota omnino ab evocandis episcopis abstineretur; qua urgente, urget pariter cogendæ synodi necessitas? Hanc autem necessitatem ex Flaviani appellatione oriri ultro agnovit sanctus Leo his verbis: *Quam autem post appellationem interpositam hoc necessario postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ a totius mundi sunt sacerdotibus constituta* (*Epist.* 40, *nunc* 44, *cap.* 3). Ex appellatione autem aliorum, atque in primis Theodoriti, parem necessitatem exsurgere necesse fuit, cum et ipse accusatus, damnatus ac depositus esset, ipse (*a*) synodum appellasset, nec pro eo minus facerent laudati a Leone canones, quam pro Flaviano, cum quo et communem habebat fidei causam, communes labores, communemque depositionis sententiam; et cujus res, utpote superstitis, magis urgebat.

Non aliter S. Leonem intellexit Gelasius papa, quam se ipse Leo. Cum enim de his in Chalcedone definitis loquitur, quæ recipienda sunt, numquam ea quæ communionem catholicam spectant, a definitione fidei sejungit. Sic epistola 1 ad Euphemium: *Proinde*, inquit, *si ea quæ in synodo chalcedonensi pro fide et communione catholica lege apostolica definita sunt, vere certeque sectamini*, etc. Quod ne quis a Gelasio incaute ac sine consilio scriptum dicat, vetat frequens eorumdem verborum repetitio tum in eadem epistola, cum in aliis. In epist. 13, ad episcopos Dardaniæ: *Ipsum*, inquit, *beatum papam Leonem sedis apostolicæ præsulem, cujus synodus Chalcedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra quam ab eodem pro fide et communione catholica atque apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicænos canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse.* En solam Anatolii pro sede sua molitionem canone 28 firmatam, rejicit Leo, teste Gelasio ejus successore, qui eodem ætate vixit. Idem in tomo de Anathematis vinculo statim ab initio, ubi adversariorum concilii Chalcedonensis objectioni huic occurrit: *Quod si synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare de-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Confer not. 2 et 3 (Supra, col. 739, n. b, et col. 741, n. b).

beant : respondet, *indubitanter eam a tota Ecclesia admitti*, iis solum exceptis, *quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt vel potius ventilata : quæ sedes apostolica* **1253** *gerenda nullatenus delegavit, mox a vicariis sedis apostolicæ contradicta manifestum est; quæ sedes apostolica etiam petente Marciano principe, nullatenus approbavit; quæ præsu. Ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatolius nec se præsumpsisse professus est, et in apostolicæ sedis antistitis non negavit posita potestate : quæ ideo, sicut dictum est, sedes apostolica non recipit, quia quæ privilegiis universalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione sustinet.* Nihil est hic quod ad Anatolii cum Leone concertationem non pertineat, seu ad canonem 28 concilii Chalcedonensis, quem unum reprobat ex his omnibus quæ in ea synodo decreta erant. De episcoporum causis quæ sancita sunt, tantum abest ut rejiciat, ut potius ea approbet, velut quæ *pro fide et communione catholica lege apostolica definita sunt.*

XI. Ad hæc quæ diximus, velut ad trutinam pensanda sunt, quæ postmodum scripsit Leo noster, cum de synodi actis a se susceptis disserens, ait se *tam per fratres suos, qui vicem ejus exsecuti sunt, quam per approbationem gestorum synodalium, propriam cum Patribus Chalcedonensibus uniisse sententiam* IN SOLA FIDEI CAUSA, *propter quam generale concilium placuit congregari.* Si enim propter solam fidei causam coacta est synodus, eaque sola postmodum recepta sunt quæ in fidei causa sunt definita, certissimum hinc evadit ea omnia quæ de episcopis in synodo discutiendis superius diximus, Theodoritique præsertim negotium, intra fidei causam contineri : quandoquidem et ea PRIMITUS tractari a Patribus voluit, et ipsum in Theodoriti maxime causa propriam cum synodo constat uniisse sententiam, in qua *Dei invincibilis veritas Theodoritum ab omni hæreseos macula mundum, secundum sedis apostolicæ judicium, demonstravit* (*Epist.* 93, *nunc* 120, *c.* 5); et post apostolicæ sedis judicium in fidei definitione firmatum; nec quidquam circa ipsum, qui pro catholica fide laborabat, reprobum videri permissum est. Erat igitur inter speciales causas synodalis concilii Theodoriti aliorumque episcoporum causa, et eam ob rem ad illius examen rite delata totius synodi sententia, *Spiritu sancto judicante* (*Ibid.*, *c.* 5), finita est : ita *ut in victoria veritatis auctores tantum violatæ fidei perirent, et sua integritas Ecclesiæ redderetur.* **1254** *Ut, triumphante Christo, omnium quoque sacerdotum una esset victoria, et coruscante lumine veritatis, solæ erroris tenebræ cum suis assertoribus pellerentur* (*Ep.* 78, *nunc* 104, *c.* 1).

Si quid igitur eorum quæ synodus gessit ac definivit, a Leone rescissum est et reprobatum, non illud est procul dubio quod vel ad damnationem hæreticorum, vel ad restitutionem orthodoxorum episcoporum spectabat; hoc quippe fidei indivulse annexum erat; sed id solum quod contra Nicænos canones molitus esse dicebatur Anatolius ad Constantinopolitanæ sedis amplitudinem procurandam : istud, inquam, privilegium, cujus furtivæ definitioni Leonis legati contradixerant, quodque aliarum majorum sedium antiqua privilegia convellebat. Legantur quotquot epistolæ ea de re scriptæ sunt a Leone post finitam synodum : (*a*) nihil omnino aliud ab eo rejectum ac reprobatum deprehendetur, præter istum vigesimum octavum canonem, quo novitia regiæ civitatis privilegia constituebantur. Qui canon et a fidei causa omnino alienus erat, et furtive conditus, et apostolicæ sedis sententia, vel antequam conderetur, condemnatus. Cum enim legati ab illa ad synodum mitterentur, hoc expresse in mandatis habuerunt, ne hujusmodi quæstionem quoquomodo ventilari in concilio sinerent. *Si qui forte*, inquit pontifex, *civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis* (*Act.* 16 *conc. Chalc.*), quemadmodum ex charta legit Bonifacius presbyter e legatis unus actione 16 concilii. Inde contigit ut constantissime semper hujus canonis auctoribus et patronis restiterit sanctus Leo, nec umquam potuerit adduci precibus vel imperatoris, vel (*b*) suorum etiam legatorum, ut ea probaret quæ sic contra sanctorum Patrum constitutiones acta esse existimabat.

XII. Quod autem contendunt in sexta actione finitam esse synodum, idque ex fide Græcorum codicum esse manifestum : respondeo Græcam esse Græcorum illorum codicum fidem : (*c*) quotquot enim tam Græcæ quam Latinæ concilii istius editiones modo omnium manibus versantur, sive excusæ, sive manu exaratæ, totam integramque synodum sexdecim actionibus constantem repræsentant. Nec pauciores antiquitus actiones fuisse tempore Justiniani **1255** imperatoris et Vigilii pontificis Romani, persuasum habemus ex antiquis codicibus monasterii Acœmetarum, ad quos concilii acta accurate recognovit per illam ætatem Rusticus Ecclesiæ Romanæ diaconus, quem trium Capitulorum disceptatio notissimum fecit, quemque adversariorum plurimi ut impostorem arguere non omisissent, si res se aliter habuisset. Inter antiquos codices hujusmodi insignis est ille Joannis Bobierii Divionensis senatoris, quem Petrus Franciscus Chifletius ad calcem Vigilii Tapsensis laudavit, et cujus variantes lectiones in ultima Conciliorum editione exhibuerunt illius procuratores Philippus Labbeus et Gabriel Cossartius. Sed ex Romana etiam Ecclesia validum argumentum habemus, quo totidem actiones illi synodo asserantur. Dionysius enim Exiguus Codici canonum, quem suum fecit Ecclesia Romana, exeunte quinto sæculo, viginti septem Chalcedonensis concilii canones inseruit, quos tamen constat non esse nisi (*d*) in ultima omnium actione promulgatos; solumque omisit vigesimum octavum, quia solus conditus erat citra conscientiam consensumque apostolicæ sedis, reprobatusque fuerat a Leone tamquam Nicænæ synodi decretis, totius mundi reverentia consecratis, omnimode contrarius. Antiquior codex noster Dionysiano concinit.

Cætera quæ sententiæ nostræ opponi solent, non est cur nos diutius hic detineant, quippe quæ nullius fere sunt momenti vel roboris. Unum addam quod Theodoriti causæ suffragatur, scilicet cum de tribus Capitulis agitur, non eodem modo loquendum de Theodorito ac de cæteris : longe enim melior illius mihi videtur esse conditio quam istorum, qui nec ab œcumenica synodo, nec a Romano pontifice, nec ab Augusto eam laudem ac commendationem meruere,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Leo in epist. 119, ad Maximum, qui de subtractione trium Palæstinarum in suæ sedis præjudicium questus fuerat, scribens capite quinto : *Si quid sane ab his fratribus quos ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad fidei causam pertinet, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis :* hæc, inquam, scribens, rem aliquam se non approbare insinuat, quam legati contra Nicænos canones gessisse et approbasse perhibebantur, ut ex contextu dignoscitur. Porro canoni pro sede CP. edito legati palam contradixere. Solum compositioni inter Maximum et Juvenalem assensi sunt ; et hanc unam S. Leo uti Nicænis canonibus contrariam ibidem sugillare videtur. Plura de hac re in observ. n. 9. Non ergo *nihil omnino aliud* a Leone reprobatum præter canonem 28.

(*b*) Legati a Leone missi obstitere. Solum Julianus, qui legatis additus fuerat, pro Constantinopolitanæ sedis privilegio apud pontificem intercessit, qui idcirco reprehenditur epist. 107.

(*c*) Confer not. 18 (*col.* 257, *n.* b) in dissert. I Quesnelli ad an. 451.

(*d*) Id falsum ostendimus in memorata not. 18 (*col.* 257, *n.* b) ad dissert. I.

quam et promeruit et consecutus est Theodoritus. Hunc enim nominatim imperator et absolutum et laudatum a synodo œcumenica fuisse pronuntiavit in edicto quod in gratiam Flaviani post concilium emisit. Et ipse Leo eximiam ad eum **1256** dedit epistolam, cujus apex fere nullus est qui fidem ejus susceptosque pro fide et Ecclesia labores non commendet, atque eum ab invincibili veritate et a Spiritu sancto omnis circa fidem suspicionis immunem factum non asserat : quod de cæteris numquam ab alterutro scriptum est. Leonis epistola inter cæteras obvia est. Edictum vero Valentiniani imperatoris, quo infirmat et in irritum mittit constitutionem Theodosii, et approbat decretum synodi in gratiam Flaviani, Eusebii et Theodoriti episcoporum, ita se habet : *Aboleatur illa constitutio, quæ per obreptionem sceleratorum, post obitum sanctæ recordationis Flaviani adversus eum ipsum sancita cognoscitur; et in universum cessent quæ originem ex injuria traxerunt; nec iniqua sententia quidquam vel Eusebio, vel* THEODORITO *religiosissimis episcopis noceat, quos idem statutum continet : quia per constitutionem episcopi condemnari*

A *nequeunt, quos ob fidei custodiam synodale decretum ornavit.* Hanc constitutionem exscribere maluimus ex versione Joannis Leunclavii, quam interseruit suis Notis ad Novellas tum primum publicatas in calce libri ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ JURIS ROMANI Basileæ ed. A. D. 1575, quia Græcæ fidei magis respondet quam ea quæ inter acta Chalcedonensia, parte III legitur, ubi hæc verba ἐπὶ τῇ φυλακῇ τῇ τῆς πίστεως, *ob custodiam fidei*, non satis expresse reddita sunt, sive per scribarum oscitantiam, sive ex consilio, nescio : hoc scio, causam Theodoriti plurimum inde juvari, ut quæ causæ Flaviani Christi martyris et Eusebii, eorum qui Eutychianam hæresim expugnarunt antesignani, per imperatorem in fidei custodia indivulse conjungatur. Ex quo id etiam elicitur, Theodoritum non ob eam tantummodo rationem esse restitutum, quod a Dioscoro in pseudosynodo vi prædatoria exauctoratus fuerat; sed etiam quia ejus fides mire eluxerat, propter eam a synodo œcumenica laudibus
B ornari meruerat, et *in ejus custodia* immotus numquam non fuerat atque inconcussus. Hæc pro tanti præsulis defensione dicta sufficiant.

BALLERINIORUM OBSERVATIONES

In dissertationem decimam Quesnelli, de causa Theodoreti episcopi Cyri.

1257 1. Post principia in observationibus ad præcedentes dissertationes constituta facile erit expedire quæ ad Theodoreti causam et appellationem pertinent. Hunc in latrocinio Ephesino depositum ad Leonem pontificem appellasse negari non potest nisi ab eo qui appellationes ad Romanam sedem iniquo animo ferens, aperta de Theodoreti appellatione testimonia aliorsum distorquere nitatur. Manifesta sunt inter cætera hæc ipsius verba epist. 92, ad Leonem, cap. 5 : *Oro atque obtestor sanctitatem tuam, ut mihi rectum ac justum tribunal vestrum* ἐπικαλουμένῳ *appellanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhærentem ostendere.* Inique depositus in pseudosynodo Ephesina hæresis nomine, appellat ad Leonem, ejusque tribunali se sistere appetit, ut de sua doctrina judicium feratur.

2. Quesnellus, ut hanc appellationem extrudat, abutitur vulgata Latina versione, qua pro *appellanti* redditum fuit *invocanti;* hunc locum ita exponit ac si Theodoretus his verbis non veram appellationem apud Leonem interposuerit, sed merum ipsius judicium postularit, num appellationi sit locus. Sed Græcum verbum ἐπικαλέομαι pro appellare ad judicem superiorem frequenter acceptum aliis exemplis ostendimus not. 6 in eamdem epistolam col. 947 (*T. I, col.* 851, *n.* [a]). Exspectare quidem se affirmat Theodoretus Leonis sententiam, num appellationem susciperet. At ut suscipiat, orat et obtestatur, ac se paratum exhibet, si appellatio suscipiatur, ad judicium adeundum et probandam suam fidem. Opem ejus, quam implorat, in eo sita est ut suscepta appellatione jubeat Romam accedere, ubi judicium de sua doctrina instituat. Hoc sensu scripsit etiam ad Renatum Romanæ Ecclesiæ presbyterum epist. 116 : *Hac igitur de causa tuam oro sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo, ut apostolica utatur auctoritate, et præcipiat ad vestrum convolare concilium*, in quo de sua causa judicium feratur. Hoc loco concilium non totius Occidentis, sed Romanum intelligit, quod in ejusmodi gravioribus causis convocari solebat, ut in observationibus ad dissertationem 8, de Flaviani causa, animadvertimus num. 6 : ita tamen ut in iisdem synodis, et in his præsertim Orientalis episcopi appellationibus jus et potior auctoritas Romano episcopo primatus causa competeret, ut ibidem probavimus num. 7 et seqq. Id manifestum fit ex laudata ad Renatum epist. 116, ubi statim post illa, *ad vestrum convolare concilium*, hæc ratio additur, quæ solius Romanæ sedis propria, pontificium primatum ac primatus prærogativam indigitat. *Habet enim sanctissima illa sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, principatum multis nominibus: atque ante hæc omnia, quod ab hæretica labe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in ea sedit, apostolicam gratiam integram conservavit.* Dein Theodoretus subdit : *Quæ a vobis fuerint judicata, in iis, qualiacumque erunt, judicii vestri æquitati confidentes acquiescemus, et rogamus ut judicium ex scriptis constituatis.* Hæc verba a Quesnello prætermissa omnes ejus cavillationes retundunt. Hinc enim patet,
C non imploratum dumtaxat Leonis patrocinium, sed per appellationem quæsitum fuisse verum judicium. Cumque hujus judicii jus et ratio in principatum seu primatum pontificium referatur, ac in alias prærogativas Romanæ sedis atque ipsius pontificium referatur, ac in alias prærogativas Romanæ sedis atque ipsius pontificis peculiares, nec alii episcopo Romanæ synodi communes ; jam evidens fit hanc **1259** Theodoreti appellationem ad Romanum pontificem per sese fuisse directam, nec Romanum concilium fuisse nominatum nisi ea de causa quam in Flaviani negotio explicavimus.

3. Hinc porro nihil mirum, si idem Theodoretus ad episcopum Florentium, seu etiam ad alios Romanæ synodi antistites circularem epistolam dedit, ut P. Garnerius conjecit dissert. 2 in epist. 117. Nihil pariter movere debet, si epist. 119, ad Anatolium patricium Constantinopolim missa eum rogavit, apud imperatorem intercederet, ut sibi liceret *ad Occidentem accedere, et ab illis Deo dilectissimis*
D *et sanctissimis episcopis judicari.* Romanæ synodi episcopos intelligit. His autem jus nullum erat in causa appellationis Orientalis episcopi nisi cum Romano pontifice. Huic autem etiam sine aliis episcopis ob primatum jus ejusmodi negari non potest. Recole observ. in dissert. 5 part. I, c. 7, et observ. in dissert. 8, num. 10. Cum porro hoc jus pro eorum temporum consuetudine non soleret a pontificibus exerceri nisi in Romana synodo, in qua alii Occidentales urbicariæ diœcesis episcopi, et qui etiam aliunde Romæ invenirentur, conveniebant; hinc concilii et episcoporum ejusmodi apud Theodoretum occurrit mentio, et ad hos etiam litteræ; quæ tamen pontificium personale jus nec restringunt, nec excludunt. Ex his autem cum certa fiat Theodoreti ad Leonem appellatio, certum pariter fit pontificium appellationis jus hujus quoque Orientalis et doctissimi episcopi exemplo maxime comprobari.

4. Quid porro his Theodoreti litteris susceptis S. pontifex egeri t,nunc explicandum est. *Judicium apostolicæ sedis* Leo commemorat epist. 120, c. 5: *Benedictus Deus noster*, inquit, *cujus invincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te secundum apostolicæ sedis judicium demonstravit*. Hoc judicio eum suæ sedi restitutum tradiderunt judices in concilio Chalcedonensi act. 1 : *Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia et restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo*. Cumque de eodem actum fuisset act. 8, in qua nonnulli de fide ipsius dubitationem injecerant, postquam is fidem suam probaturus anathema dixisset Nestorio, judices rogarunt Patres sententiam pro Theodoreto, *ut Ecclesiam suam reciperet, sicut et sanctissimus Leo archiepiscopus judicavit*. Quibus illi concinentes dixere : *Theodoretus dignus est sede... Post Deum Leo judicavit*. De judicio itaque Leonis dubitari nequit; et hoc quidem judicium Leoni tributum a judicibus et Patribus in concilio Chalcedonensi, appellationem quoque ad eumdem directam confirmat.

5. Quesnellus hocce Leonis judicium, quod non merum ordinem, sed substantiam attingit, extenuaturus contendit num. 4, S. pontificem nullum habuisse examen, sententiam nullam de Theodoreti causa protulisse; sed cum irrita jam per sese essent pseudo-Ephesina gesta, quibus is depositus fuerat, eidem, uti Cyrensi actuali episcopo communione non interrupta fuisse conjunctum, *ejusque litteris rescripsisse, nec standum esse judicatis, nec exspectandum ei esse aliud judicium, ut Ecclesiam suam solito more gubernaret*. In his autem apostolicæ communionis litteris *apostolicæ sedis judicium* late dictum collocandum Quesnellus existimat.

6. Hanc tamen sententiam ipse Tillemontius Quesnelli cæteroquin æstimator et in plerisque etiam sectator refellendam putavit not. 12 in Theodoreti Vitam. Probabile quidem censet, S. Leonem acceptis Theodoreti litteris ejusque nuntiis (si modo Romam potuerunt accedere) alfove documento ejus subscriptione signato, quo anathema expresse dicebat Nestorio, ac dogmaticam ipsius pontificis ad Flavianum epistolam subscripserat, causam ejus satis claram deprehendisse, ut eum sine Romanæ synodi convocatione judicaret ac declararet innocentem. Unicum Leonis præjudicium contra latrocinii Ephesini gesta ad ea quæ hac de re tradita sunt, non videtur sufficere. *Judicii* enim vox, qua Leo et concilium Chalcedonense in recitatis verbis utuntur, et restitutio episcopatus Leonis auctoritati tributa, aliquid peculiare de Theodoreto significant. Præjudicium generale de irritis pseudo-Ephesinis gestis nihil præcipuum pro Theodoreto astruunt magis quam pro Sabiniano et Iba, qui iisdem gestis æque depositi fuerant. Nihilo tamen minus cum de his duobus episcopis restituendis in **1261** eodem Chalcedonensi actum fuit; nec judices, nec Patres, nec legati pontificis hos eo præjudicio a Leone restitutos, nec de iis Leonem judicasse dixerunt. Cum ergo id de solo Theodoreto pronuntiatum fuerit, ratio tantum habita non fuit ejus judicii Leonis, quo memorata gesta irrita declaravit; sed peculiare et expressum de Theodoreto judicium pontificis exstitisse dicendum est. Hactenus ex Tillemontio argumentati sumus.

7. Num S. pontifex hac de causa coegerit synodum, quæ saltem ex Romæ præsentibus episcopis facile congregari poterat, nec affirmari nec negari potest. Manifestæ quidem de ejus fide probationes multum examen non requirebant; nec ad verum et legitimum de appellatione ejus judicium, cujus vim ab apostolica auctoritate ac primatu pendere jam ostendimus, synodi convocatione opus erat. Cæterum appellationis hujus notitia cum idoneis de Theodoreti fide documentis Romam serius videtur pervenisse, nimirum postea quam Paschasinus et Bonifacius legati ad synodum jam indictam transmeaverant. Hinc post horum profectionem Leonis judicium de Theodoreto latum fuit, eumque idcirco in communionem sese recepisse S. pontifex ad eosdem legatos scripsit; quod non oportuisset per litteras eisdem significare, si ipsis nondum profectis, et Romæ præsentibus hoc judicium fecisset. Ita vero illi legati act. 8 : *Sanctissimum et venerabilem episcopum Theodoretum sanctissimus et beatissimus universæ Ecclesiæ episcopus urbis Romæ Leo dudum* (Græce πάλαι, quod vel de tempore etiam proximo dictum apparet ex epist. 22 S. Flaviani) *in communione suscepit ita, sicut litteræ ab eo ad nostram humilitatem directæ testantur*.

8. Quanta cum cautione S. pontifex eos in communionem reciperet, qui aliqua hæreseos suspicione laborabant, palam fit ex cautionibus quas exegit antequam Anatolio Constantinopolitano communionem concederet. Theodoretum Nestorio olim favisse, et S. Cyrilli anathematismos impugnasse notissimum erat. Hoc nomine in Ephesino concilio depositus fuit. Hinc ejus depositio non injusta videri poterat, quamdiu Theodoreti fides certis documentis et legitimo judicio explorata non fieret. S. Leo ne severior in eos qui in Eutychianæ hæresis suspicionem inciderant, mitior et facilior videretur erga illos qui Nestorianismi notabantur, non poterat Theodoreto communionem impertiri, nisi ejus fidem ac doctrinam ad examen revocans, eum non minus Nestorianæ quam Eutychianæ hæresi inimicum exploratis documentis agnosceret. Cum vero hæc documenta post legatorum profectionem Leoni tradita, rectam Theodoreti fidem satis per se manifestam facerent; synodi autem generalis jam indicti tempus urgeret, ad quem Theodoretus quoque ex imperiali sanctione debebat accedere; eum Romam evocandum, uti petierat, S. pontifex nequaquam credidit; sed ipsum innocentem et injuste depositum judicans, uti verum Cyrensem episcopum apostolica communione donavit, legatisque suis hac de re scribens, eumdem et ab ipsis et in concilio pariter suscipiendum edixit. Hinc statim prima actione susceptus est, quia *restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo*; quod ex laudatis litteris ad legatos, vel ex aliis ad ipsum Theodoretum privatim antea communicatis innotescere potuit.

9. Quod si nihilominus de ipso actum est *act. 8*, id duplici, ut videtur, de causa factum fuit. Primo quia satisfaciendum erat iis qui de ejus fide ambigebant, eidemque Nestorianismum impegerant. Nonne de ipsa dogmatica Leonis epistola 28 ad Flavianum in eadem synodo actum fuit act. 2 et 4, ut instruerentur et ad sanam doctrinam adducerentur ii qui dubitabant? Cui quidem bono si hoc examen sine ullo apostolicæ auctoritatis præjudicio licuit, ut Leo professus est in eadem epist. 120 ad Theodoretum cap. 1, in quam vide annot. 14 (*Tom. præced. col.* 1048, *n.* 1); nullo pariter apostolicæ auctoritatis præjudicio licere potuit examen de Theodoreti fide, quo id unum spectatum fuit, ut iis satisfieret qui de ea ambigentes aliquid forsitan Leoni subreptum putabant. Sicut autem quoad dogmaticam Leonis epistolam rectum ejus sensum edoctis qui ob Latinæ linguæ imperitiam eam minus recte intelligebant, *ad majorem Dei gloriam profecit finis examinis* (ut laudato loco S. pontifex tradit), *dum quæ fides prius docuerat per Leonem, hæc postea examinatio confirmavit*; ita novum examen de Theodoreto in melius cessit, quippe quem in synodo aperte anathematizantem **1263** Nestorium simul et Eutychen, *invincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum*, *secundum apostolicæ sedis judicium*, demonstravit; ac proinde ille suæ sedi restitutus fuit secundum Leonis judicium, cui nihil subreptum omnes noverunt. *Theodoretus dignus est sua sede.... Post Deum Leo judicavit*. Examen concilii, quod ad unanimitatem judicii Patrum cum pontificio tendit, ut capiti membra cohæreant, quis reprobet? quis capiti injuriosum, et non potius obsequentissimum existimet? Quis porro hinc cum Quesnello somnietur, *Chalcedonensem synodum Theodoreti negotium non aliter pertractasse*, *quam si*

ad aliud jam tribunal non esset delatum? Nonne ex A dictis potius sequitur tantam in eadem synodo pontificii judicii habitam fuisse rationem, ut Theodoretus initio statim ob Leonis judicium fuerit receptus, dein vero actione de eo ad revincendos tantum ejus adversarios inducta, idem judicium synodalis sententiæ ratio et regula exstiterit?

10. Secunda vero causa, quam nos allaturos recepimus, Quesnellianum commentum multo magis evertet. Hæc generalis synodus ab imperatore indicta fuerat eo præsertim consilio ut episcopi in latrocinio Ephesino depositi, ac in exsilium pulsi, *per approbationem synodi atque sententiam omnium episcoporum convenientium episcopatum et Ecclesias proprias reciperent;* quemadmodum ad ipsum Leonem scripsit Pulcheria Augusta epist. 77. S. pontifex benemerentissimorum Augustorum consilio annuens jam legatos ad synodum destinaverat, litterasque ad eamdem synodum dederat, in quibus eos episcopos restituendos præscripserat. Lege epist. 93, c. 3. Iis igitur in circumstantiis, acceptis Theodoreti documentis, etsi Leo de ipsius causa ad apostolicam sedem per appellationem delata judicium ferens, eumque in communionem recipiens, ipsum, ut vidimus, sedi suæ restituerit restitutione juris, actualis tamen restitutio perficienda restabat, quæ cum synodo jam commissa videri posset, ea secundum apostolicum judicium ab ipsis Leonis legatis atque a cuncto concilio decreta fuit. Vide actionem 8. Quare synodus Chalcedonensis in hac de Theodoreto actione Leonis judicium secuta, commissam sibi quodammodo actualem illius restitutionem decrevit. Quod si ex his Theodoreti negotium ab eadem synodo non aliter quam ex Leonis judicio definitum fuit, perperam igitur Quesnellus hujus judicii nullam rationem a concilio habitam præferre ausus est.

DISSERTATIO UNDECIMA,

De suppositione epistolæ ad Germaniarum et Galliarum episcopos, de privilegio chorepiscoporum, sive presbyterorum, Leonis papæ I nomine confictæ, quæ est in prioribus editionibus 88.

1265 I. Epistolæ 88 sancti Leonis, ut in omnibus B hactenus editionibus habetur, suppositionem demonstrare atque id operosius exsequi, erit qui credat otiosi hominis negotium esse, cum eruditorum maxima pars fetum hunc Leoni modo abjudicet. Partium nihilominus mearum esse existimavi rem denuo ad examen vocare atque discutere, tum ne cui temere videar epistolam illam ex genuinarum numero sustulisse; tum quia revera plures sunt, iique maximi nominis etiam hac ætate scriptores, quibus visum non est epistolam hanc inter adulterina numerari debere. Tales sunt Franciscus Hallerius et Ludovicus Cellotius in suo uterque opere de Ecclesiastica Hierarchia, Petrus Aurelius adversus Sirmondum scribens, Dionysius Petavius in notis ad S. Epiphanium, Petrus de Marca de Concordia sacerdotii et imperii lib. II, cap. 13, et alii nonnulli. Eam econtrario ut spuriam rejiciunt non modo ex heterodoxis David Blondellus in suo pseudo-Isidoro vapulante, sed et Joannes Morinus Oratorii presbyter, et Jacobus Sirmondus S. J., C uterque toti orbi eruditione sua conspicuus.

Primum suppositionis κριτήριον est quod hæc epistola in antiquissimis quibusque manuscriptis codicibus non comparet, sed tantum in recentioribus quibusdam post Isidorianæ collectionis tempora exaratis, quod argumento est ex hujus sinu assumptam esse; alioquin fieri vix ac ne vix quidem posset ut tam celebris epistola, tanti pontificis, **1266** in re tam gravis momenti, ad omnes Ecclesias Galliarum et Germaniarum scripta, tam consono codicum antiquorum silentio sepulta jacuisset, præsertim cum plura exemplaria ab utriusque regionis illius episcopis haud dubie descripta fuissent.

2. Nullus est scriptorum antiquorum qui vel hujus epistolæ apicem referat: quod etsi de familiaribus, ut vocant, epistolis mirum non esset, prorsus tamen insolens de his quas Decretales appellant, quibus multa disciplinæ ecclesiasticæ capita universum Ecclesiæ statum ac regimen attinentia continentur. Nullus etiam seu canonum seu pontificiorum decretorum collector suis eam collectionibus inseruit: eos dico qui ante Isidorum Mercatorem, seu ante nonum sæculum floruerunt (a). Hic enim inter Leonis epistolas eam de qua agimus edidit, vel fraudem ipse passus, vel aliis facturus. Apud eum tamen non talis reperitur qualis postmodum ab aliis edita est: quippe quam auctiorem exhibet (b) ingenti panno, qui in vulg. edit. insertus est 87 (*nunc* 12) Leonis epistolæ, quæ est ad Africanos Mauritaniæ Cæsariensis episcopos; ex quibus ita sibi assutis, ut humano capiti cervix equina, monstrum quoddam epistolæ informe ac ridiculum exsurgit.

3. Stylus a Leonino prorsus abhorret, nihilque habet quod nitori hujus vel minime affine sit. Ipsæ etiam epistolæ angustiæ infantiam scriptoris arguunt. In re enim tanti momenti prolixiora scripta suisque omnibus absoluta numeris misisset Leo noster, quem sua numquam facundia in hujusmodi negotiis deseruit.

4. Titulus ipse panni hujus suppositionem prodit. **1267** *Leo*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis episcopus, universis Germaniarum et Galliarum episcopis salutem.* At vero numquam se Leo, *Romanæ Ecclesiæ episcopum*, sed *Romæ*, vel *Romanæ urbis*, vel *catholicæ Ecclesiæ urbis Romæ;* etsi aliter interpolatæ editiones præ se ferant. Numquam item se *apostolicæ sedis episcopum* in ullis editionibus inscripsit. Numquam denique vel Germaniæ episcopis scripsit, vel eos cum Gallicanis conjunxit: qui nexus ætatem Caroli Magni sapit aut posteriorem. Utriusque enim nationis istius simul conjungendæ usus ante secundam regum nostrorum dynastiam numquam invaluit: cœpit autem tunc primum cum a Francorum regibus administratum est imperium.

5. Imperitiam impostoris et scripti novitatem arguunt prima ejus verba, quibus cum synodum Romæ habitam describit, *synodum* appellat *episcoporum, sive cæterorum consacerdotum, Christique fidelium coadunatum...* Primum enim quis laicam plebem tunc Romæ admissam credat in concilium de ecclesiasticis rebus ordinandis decernendisque congregatum? Deinde cum *cæterorum consacerdotum* nomine presbyteros procul dubio intelligat ab episcopis distinctos, latuit scriptorem sacerdotis nomen presbyteris tribui non solere nisi ab auctoribus Leone junioribus, D illudque per prima Ecclesiæ sæcula episcopis fuisse reservatum. Si quando autem concessum presbyteris, numquam tamen sine hujusmodi addimento, *secundi ordinis*, *secundi loci*, *secundi gradus*, etc. Denique fœdum hunc solœcismum *synodum adunatum* quis non videat numquam ab eo scriptore admissum,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) In puris Isidori codicibus, qualis est Vat. 630, hæc epistola non invenitur; ac propterea Isidoro tribui nequit. Solum præter collectiones Leoninas 11, 20, 21, 22, 23 et 24 invenitur in *Additamentis* collectionis Isidorianæ exhibitis in mss. collectionis 12, ad quam pertinet codex Vat. 1340. Hanc collectionem 12 Merlinus edidit; Quesnellus vero, qui Isidorianæ editionis nomine Merlinianam significat, hanc epistolam Isidoro ascribens, *Additamenta* ab Isidoro non distinxit.

(b) Hic pannus, qui complectitur extremam partem capitis noni et tria reliqua capitula genuinæ Leonis epistolæ 12, ad episcopos Mauros, subjectus est supposititiæ epistolæ de chorepiscopis in solis mss. collectionis 12 inter Additamenta Isidoriana, quæ Isidoro tribui non debent.

cui nativa fuerit Latina lingua? Illum enim in typographorum oscitantiam refundere non sinunt antiqua omnia exemplaria seu mss. seu edita Canisii, Merlini, Sicardi, Crabbi, Lovaniense ac etiam Romanum tom. I Epistolarum pontificiarum : eadem quippe lectio hæc illis omnibus communis est.

6. Numquam a Romanis pontificibus Leoni vel æqualibus vel anterioribus alios canones citatos legimus præter Nicænos vel Sardicenses pro Nicænis habitos. Innocentius I expressis verbis ait alios recipiendos non esse, ut alibi notavimus; nec particularium synodorum decreta, etsi aliquæ illarum synodorum (a) in codicem Romanum jam essent relatæ, ante Chalcedonensem synodum apud plerasque Occidentalium partium Ecclesias in auctoritatem recepta sunt. Quamobrem recentiorem Leone scriptorem ostendit Neocæsariensium canonum quasi tota jam Ecclesia receptorum auctoritas adducta; **1268** numquam enim S. Leoni alios canones a Nicænis laudare contigit.

7. Neocæsariensis canon 13 in hac epistola citatus, non ex antiqua versione, quæ Romæ tunc in usu erat, sumptus est, sed ex Dionysiana translatione, quam Leone longe posteriorem esse nemo nescit. Quod enim in ea legitur, *ad exemplum et formam septuaginta, chorepiscopos esse* institutos, verba sunt Dionysii, cujus versio ex aliis etiam locis deprehenditur.

8. Ex Rhabani Mauri libro, quem de chorepiscopis scripsit ad Drogonem Metensem episcopum, patet nondum ejus tempore innotuisse epistolam Leonis nomine scriptam adversus chorepiscopos. Numquam enim ille chorepiscoporum causam defendendam suscepisset, si eorum condemnationem legisset a sede apostolica profectam, tantique pontificis epistolam habuisset præ manibus : quæ certe virum tam eruditum atque in Germania, quo missa dicitur epistola, versantem non fugisset. Aut cum eam non posset dissimulare, saltem ad sensum commodum trahere et explicare conatus esset tanti momenti auctoritatem : sicut decretum Gelasii PP. I. necnon et conciliorum Ancyrani atque Antiocheni canones explicare curavit, ne causæ quam propugnabat obesse viderentur. Denique, si omnium manibus versata tunc esset epistola, qua fronte hæc verba scripsisset : *Unde miror*, inquit, *quomodo isti, qui hanc contentionem movent, ordinem chorepiscoporum tantum despiciant, ut pene eis nihil amplius dignitate presbyterorum tribuant; cum hoc nec novorum, nec antiquorum, nec etiam ipsis apostolorum dogmatibus consuetudinibusque conveniat; sed in sensu simul et dogmate dissentiat.* Quam facile erat Rhabanum falsi convincere ex S. Leonis epistola, si in rerum natura tunc exstitisset, atque ostendere, non modo a Leone antiquissimo Urbis præsule *pene nihil amplius dignitate presbyterorum chorepiscopis tribui;* sed nihil omnino amplius his quam illis dari; cum et eamdem utrosque formam gestare, eosdemque esse chorepiscopos ac presbyteros ex canonibus Neocæsariensibus aliorumque Patrum decretis asserat auctor epistolæ, Leonis nomine personatus.

9. Epistola illa nihil aliud est quam canon septimus concilii Hispalensis II, verbum e verbo translatus, uti jam monuerunt Blondellus et Morinus. Cui canoni, ut epistolæ imaginem indueret, præfixit impostor exordium insulsum prorsus et inconditum, non modo Leone, tam eloquente scilicet pontifice, sed et quovis cordato viro indignum. Et ne quidquam pigmentorum suorum **1269** fabulæ deesset, subjunxerat consarcinator ille ad calcem (b) pannum nescio quem, qui nunc etiamnum legitur huic fragmento annexus in Merliniana Isidori collectione : at pejori errore a recentiorum editionum Operum S. Leonis procuratoribus in epistolam ejusdem ad Africanos episcopos (olim octuagesimam septimam) rejectus est. Verum cum sibi plerumque vix sufficiat fraus una, nisi alterius consortio adjuvetur, (c) ex corruptela canonis quæsitus est imposturæ color in epistola confingenda; cum enim de solis presbyteris egerint Patres Hispalenses, additum est ter in canone : *Vel chorepiscopis*, quod et antiquis ac genuinis exemplaribus, ex quibus Garsias Loaysa Hispalense istud concilium edidit, et ipsi canonis sensui contrarium est. De chorepiscopis quippe ne cogitabant quidem synodi Patres; sed de presbyteris solis decernebant adversus Agapium Cordubensem quondam episcopum, qui ad synodum delatus est, eo quod frequenter presbyteros delegasset, qui munia episcopalia, ordinationes videlicet, confirmationem, consecrationemque basilicarum obirent; quæ omnia solos attinere episcopos manifestum erat. Harum querelarum occasione renovat synodus antiqua canonum statuta, quibus prohibentur presbyteri ne ulla episcopalis juris ministeria usurpare audeant; at de chorepiscopis quoniam lis mota non erat, de his ne apex quidem habetur. Denique alterum adhuc interpolationis caput continent hæc postrema canonis verba : *Quæ omnia eis a sede apostolica prohibita esse noscuntur;* quæ subdititia esse, Loaysana prodit editio. Adjecta porro sunt vel ex marginali studiosi alicujus annotatione commentitium epistolæ fragmentum cum canone conferentis, vel eo etiam consilio ut ex canonis interpolati auctoritate suffragium epistolæ conciliaretur. (*Et epistolam et canonem lectoris oculis subjicimus sub finem voluminis in appendice, ut alterum alteri ipse componens, alieno exutus præjudicio judicium ferat.*)

1272 Ovum ovo similius non est, quam epistola hæc canoni Hispalensi, si in Agapii locum Germaniarum et Galliarum episcopos substituas, ac exordium excipias, quod ex epistola 4 vel 9 seu vera seu fictitia Agapeti PP. II ad Germaniarum et Galliarum itidem episcopos decerptum, vel potius quod utriusque artifex partim ex epistola S. Leonis ad Africanos transcripsit, partim de suo adjecit.

10. Argumentum erit suppositionis, quod non solum in chorepiscopos detorquet synodi verba quæ solos presbyteros coercebat, sed et plurimis Germaniarum et Galliarum episcopis impingit, quod de uno Cordubensi Agapio scriptum erat a concilii Patribus : nimirum illos fuisse viros ecclesiasticæ disciplinæ ignaros, et a sæculari **1273** militia in sacerdotale ministerium statim translatos : quasi vero hoc facile fidem apud quemquam inveniat de tot episcopis, quod uni vel alteri forte contigit; nec hoc Gallicanarum Ecclesiarum statui repugnet, quæ Leonis tempore severiori etiam disciplina utebantur, quam Romana Ecclesia.

11. Si hæc epistola germanum est Leonis opus,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Codicem canonum intelligit, quem tomo III edemus, et Romanam collectionem non esse probabimus. Similiter num. 7 sequenti cum *antiquam versionem* canonis Neocæsariensis nominat, ejusdem codicis et collectionis versionem indicat, quam cum Romanam collectionem credat, *Romæ tunc in usu fuisse* pronuntiat.

(b) Confer not. 2 (*Supra, col.* 758, *n.* b).

(c) Hic canon synodi Hispalensis II duplici ratione vulgatus est, prius a Merlino ex manuscripto collectionis 12, quæ non paucas arbitrarias emendationes et additiones aliquot in documentis recepit; dein a Loaysa ex puris codicibus collectionis Hispanicæ, qui eas emendationes et additiones ignorant. Lectiones quas Quesnellus canonis margini affixit prioris editionis sunt, jureque additamentis vel emendationibus a sincero canone alienis tribuendæ. Ex hoc eodem canone Hispalensi aliquot sententiæ insertæ fuerunt etiam in pseudoepistola Damasi ad episcopos Numidiæ *de chorepiscopis*, quæ apud Isidorum legitur, et a Quesnello in margine ipsis canonis citatur.

qui factum ut in plurimis synodis, quæ ab episcopis Galliarum et Germaniarum adversus chorepiscopos celebratæ sunt, tanti pontificis auctoritas in medium non sit adducta? Cur de eadem silent pontifices in suis decretis, et imperatores in suis capitularibus, in quibus frequenter chorepiscoporum mentio occurrit: ut in Parisiensi VI et Meldensi synodis, in Capitularibus Caroli Magni et Ludovici Pii impp., et in epistola Nicolai PP. I ad Rodulphum Bituricensem archiepiscopum. Adulterinam profecto epistolam clamat tam consonum horum omnium silentium: quos nec latuisse illa potuit, nec ignorasse quisquam crediderit quantum roboris definitionibus suis adjecturi essent ex tanti tamque antiqui pontificis auctoritate.

12. Sunt aliqua in ea epistola quæ cum Ecclesiæ Romanæ consuetudine conciliari non possunt. Cum enim decernit presbyteris non licere *episcopo coram posito populum docere, vel benedicere aut salutare, nec plebem utique exhortari*, supponit ea omnia, saltem absente episcopo, concessa fuisse presbyteris. At certum est decurrente quinto sæculo neminem in Ecclesia Romana præter episcopum Romanum doctoris ac concionatoris munus obiisse, atque in Occidentalibus partibus episcopali dignitati istud muneris esse reservatum, etiam in Galliis nostris, cum anno subsequentis sæculi vigesimo nono cœperit hoc presbyteris pro Ecclesiæ bono indulgeri auctoritate Vasensis concilii seu II seu III. Quid sit etiam illud *populum benedicere* hoc loco vix explicari possit.

Verum quid præ cæteris sibi volunt ista: *Sed neque coram episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere aut signare.*

Quod prima enim vero verba illa attinet, an non potius coram episcopo et cum episcopo jubebantur presbyteri in baptisterium introire, et ex officio baptizanti episcopo adesse, suspicantur quidem aliqui *coram* hoc loco poni pro *ante;* ita ut verba epistolæ reducenda sint ad sensum hujus canonis 53, apud Martinum Braccarensem: *Non liceat presbytero prius episcopo introire in baptisterium, sed cum episcopo: nisi forte aut absens fuerit aut ægrotus.* Bene id quidem, et recte canoni et consuetudini Hispanicæ Ecclesiæ ex alio ejusdem Ecclesiæ canone **1274** et ritu lux petitur. Sed nihil tale de Ecclesia Romana uspiam legitur. Et multo minus crediderim disertissimum pontificem Leonem, Romæ scribentem, Romanæque linguæ callentissimum, tam barbare esse abusum voce *coram*, ut eam traxerit ad sensum prorsus alienum, et a nullo umquam auctore usurpatum. Quod enim ea usi sint Hispani ex barbarorum societate et commercio multis tunc linguæ vitiis infecti circa annum 619, quo concilium II Hispalense celebratum creditur, nemini erit mirabile; de Romanis nemini credibile. Quamobrem qui Damaso papæ epistolam aliam supposuit de eadem chorepiscoporum materia, hanc canonis Hispalensis vocem *coram* mutavit in vocem *ante;* ne quid a Romano usu vel ritu alienum Romano pontifici affingere videretur.

Jam quod auctor epistolæ scribit: *Non licere presbyteris* (a) *præsente antistite infantem tingere aut signare*, quomodo intelligi possit, nescire me profiteor. Quod enim præsente episcopo fieri prohibetur, subintelligitur licitum esse, absente vel annuente episcopo. At abhorrebat hoc maxime ab usu Ecclesiæ Romanæ, ut presbyteris potestas fieret signandi baptizatos; quod vel ex uno Innocentii papæ loco perspicuum est. *Nam presbyteris*, inquit (*Epist.* 1, *ad Decent.*, *c.* 3), *seu extra episcopum, seu præsente episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum sanctum.* Immo hoc ipsum presbyteris superius prohibet epistola: *Nec eis licet... chrismate baptizatorum frontes signare.* Quoniam tamen eadem illa verba, quæ in epistola notamus, sunt concilii Hispalensis etiam in emendatioribus codicibus, explicanda sunt ut genuina. Quæ ut conciliari possint cum superioribus, videntur mihi intelligenda de publica et solemni collatione baptismatis et Spiritus sancti, quæ quotannis in festo Paschæ et Pentecostes celebrabatur, quamque vetat canon præsumi a presbyteris vel eis ab episcopo committi coram se præsente celebranda.

Opponit Petrus de Marca: *Ultima clausula canonis* EX AUCTORITATE APOSTOLICA SE ILLA DEFINIVISSE *testatur synodus, Leonis rescriptum significando.* Non ita legitur in canone; sed (quod etiam Marcæ magis favet) hoc modo: *Quæ omnia eis a sede apostolica prohibita esse noscuntur.* Utrovis porro modo legatur: primo de Leone magis non intelligitur quam de alio pontifice; deinde subdititia esse hæc verba superius jam ostendimus ex germana Garsiæ Loaysæ editione, canonique ipsi adjecta esse ut pseudoepistolæ auctoritas arcesseretur. Denique **1275** Leonis nomen procul dubio prætermissum non esset, siquidem res de qua mota controversia tam expresso ipse ac solemni decreto definiisset.

Major forsan difficultas oritur ex Leonis PP. III ac synodorum Gallicanarum, nec non et Capitulorum auctoritate, quæ Leonis epistolam vel citasse vel indicasse videntur, dum chorepiscoporum causam versarunt.

Leonis III ad Galliæ episcopos responsum habetur in Capitularibus Caroli Magni et Ludovici Pii lib. VII, cap. 187, ubi rescripsisse legitur pontifex, *sæpissime a prædecessoribus suis et a multis sanctis episcopis atque synodalibus sanctionibus chorepiscopos esse prohibitos atque damnatos; et ideo non esse necesse ventilare, sed definita tenere.* Eosdem reprimit capit. 328 et 329 ejusdem libri, et libri VI, cap. 119. Verum dum prædecessorum suorum Leonisque I decreta commemoravit Leo III, nequaquam epistolam quam excutimus præ oculis habuit: omnes enim ordinationes vel consecrationes a chorepiscopis tentatas eam ob causam in irritum mittit, asseritque nihil, *quod de episcopali ministerio præsumpsere, esse peractum; sed quidquid ex his ab eis illicite erat præsumptum, omnia a canonice ordinatis episcopis debere rite peragi, et in meliorem statum reformari... quoniam quod non habuit quis eorum dare non potuit. Nam episcopi non erant, quia nec ad quamdam civitatis episcopalem sedem titulati erant, nec canonice a tribus episcopis ordinati.* Geminam porro propositionem gemina Leonis nostri auctoritate confirmat ex ejus epistola ad Rusticum Narbonensem scripta, codicique Dionysiano inserta. Hanc quidem, chorepiscopos non esse episcopos, quia canonice non ordinati: ex his capitis 1 verbis: *Unde*, inquit, *cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum?* Alteram vero, quæ ex ista sequitur, omnia ab episcopis canonice ordinatis debere rite peragi, ex capite 15 (nobis 14) asserit, ubi hoc habetur: *Quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.* Hæc sunt quæ Leonis III oculis obversabantur.

Parisiense concilium VI, nec Meldense, nec Metense quidquam habent quod notitiam hujus epistolæ vel minimum indicet. Neminem citat e pontificibus Parisiense, quod in Capitul. lib. V, cap. 168, transcriptum est. Meldense citat Innocentium, tamquam asserentem solis episcopis inesse facultatem dandi Spiritum sanctum. Metense hæc habet cap. 5: *Et ut basilicæ a* **1276** *chorepiscopis consecratæ, ab episcopis consecrentur, roboratum est, quia juxta de-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Hac de re vide plura, si placet, apud P. Coustantium not. c in epist. 25 Innocentii I ad Decentium tom. I Epist. Rom. pontif. col. 808.

creta Damasi papæ, Innocentii et Leonis vacuum est atque inane quidquid in summi sacerdotii chorepiscopi egerunt ministerio. Et quod ipsi iidem sint qui et presbyteri, sufficienter invenitur. Ubi si attentius consideretur ad quid trium illorum pontificum decreta laudet, intelligetur hoc uno afferri animo, ut irritum censeatur si quid episcopalis muneris non ab episcopis canonice consecratis tentatum fuisset : quod confirmat auctoritate Leonis, non secus ac in Capitularium lib. VII, cap. 328, et Innocentii, qui nihil prorsus de chorepiscopis habet, et Damasi, cujus epistolam adulterinam censent eruditi.

Ex quibus manifestum est id omne quod citatis locis habetur de chorepiscopis, nihil ponderis addere epistolæ Leoni suppositæ. Verum etsi ab aliquot octavi vel noni sæculi synodis citata revera esset ut a Leone scripta, mirum non esset sanctissimos Patres instaurandæ disciplinæ, non discernendis suppositìtiis fetibus a genuinis, intentos, falso titulo in errorem esse inductos, quod et Aquisgranensi concilio et aliis nonnullis contigit, cum libros de Vita contemplativa Prospero adjudicarunt, quos Juliani Pomerii esse hodie constat. Immo et apocrypha scripta citata invenimus a sacris episcoporum synodis, quæ tamen inter sinceros fetus numerare religio esset.

Antequam ab ista disquisitione manum referam, monebo mediam quamdam posse iniri viam inter utramque hanc opinionem, si nimirum dicatur nec Leonis I epistolam esse, nec impostoris, (a) sed potius Leonis III. Hujus enim tempore gravissimæ adversus chorepiscopos querelæ motæ sunt in Gallia et Germania, deque potestatis illorum limitibus acriter disputatum est. Quamobrem nutantibus hinc inde sententiis, rem ad Leonem III tunc Romanum pontificem referri placuit episcopis. Ejus responsi summam superius ex Capitularibus retulimus, sed ipsæ ejus epistolæ de hoc negotio scriptæ ad nos usque non pervenerunt, quas tamen plurimas fuisse dubitandum non est : cum res et maximi esset momenti, et Ecclesias Galliæ Germaniæque inter se diu collisserit. Non absurde igitur quis possit existimare Leonis III esse hanc epistolam vel epistolæ fragmentum. Conjecturæ fidem astruere videntur Ecclesiarum Galliæ et Germaniæ arctus per illam tempestatem nexus, utriusque regionis legatio ad Leonem decreta, utriusque in synodum conventus Ratisbonæ aliisque in locis ea de re habiti, in quibus Leonis decretum promulgatum est, atque synodali **1277** sanctione roboratum; imperatorum denique de his cura ac sollicitudo, non semel, aut bis vel ter, sed sæpissime, ut ait Capit. lib. VII, cap. 187. Denique cum ante Leonis hujus III tempora ignota sit hæc epistola omnibus ecclesiasticis scriptoribus aut collectoribus Canonum ac Decretalium, argumento est vel hujus esse, vel huic potius esse affictam, quam Leoni I.

Leviculam difficultatem si quis moverit ex Gratiani Decreto, ubi Leonis I nomen præfixum legitur decerpto ex hac epistola decreto distinct. 68, c. *Quamvis chorepiscopis*, norunt omnes quam crassæ naris jure merito habeatur Gratianus in discernendis legitimis scriptis auctorum a spuriis. Attamen Gratiano imputanda non est Leonis primi inserta decretis mentio, sed novellis correctoribus, qui errorem hunc cum aliis innumeris ex epistolarum pontificiarum interpolatis editionibus hauserunt. Antiquiores enim Decreti editiones, Parisiensis an. 1531, Lugdunensis Hugonis a Porta an. 1548, et aliquot aliæ hæc tantummodo habent : *De his ita scribit Leo episcopus omnibus episcopis.*

Sed et clarissimus Baluzius in notis ad Gratianum observavit ad dist. 64, cap. 3, *De abjectione*, Leoni primo in antiquis editionibus Decreti non tribui epistolam istam. In Regio, inquit, Gratiani lib. titulus istius capitis hic est : *De his ita scribit Leo omnibus episcopis.* Sangermanensis addit, *et presbyteris.* Antiquior Victorinus : *De his* **1278** *autem scribit Leo episcopus omnibus episcopis.* Recentior : *De his ita scribit beatus Leo episcopus omnibus episcopis et presbyteris.* Antiqua editio Moguntina : *De his ita scribit Leo episcopus omnibus episcopis et presbyteris.* Hæc, *et presbyteris*, non exstant in veteri editione Veneta, neque in editionibus Democharis et Contii. Cætera similia sunt. Romana autem sic habet : *De his ita scribit Leo I ad episcopos Germaniæ et Galliæ epist.* 86, *alias* 88. Verba sunt correctorum, non Gratiani, licet in contextu posita sint. In vetustissimo codice ms. Bibliothecæ Regiæ, in quo collectio Dionysii Exigui continetur, posita est ante collectionem istam hæc epistola Leonis cum ista inscriptione : *Epistola Leonis papæ de privilegio chorepiscoporum sive presbyterorum ad universos Germaniæ et Europæ atque Galliæ Ecclesiarum episcopos.* Huc usque Steph. Baluzius. Addo ego eadem, quæ antiqua illa Moguntina editio, habere Parisiensem anni 1531, et Lugdunensem Hug. a Porta 1548.

Nihil igitur obstat quominus Leoni III *fetum hunc*, qualiscumque est, ascribamus. Quæ conjectura si minus arridet, propter nimiam similitudinem quam habet epistola cum canone Hispalensi, ex qua plagiarii magis opus videtur quam pontificis Romani, prioribus argumentis inhærentes, hoc unum, quod instituto consilio satis est, asserimus, epistolam nec Leonis nostri esse, nec et nisi putide admodum potuisse affingi.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Id nobis persuaderi nequit, cum a pontificum Romanorum more alienum sit ex aliis documentis verba serviliter exscribere, et epistolas ita consarcinare, ut idoneo fine careant. Num si Leo III voluisset decretum de chorepiscopis condere, canonis Hispalensis verbis ita indigebat, ut quæ ibidem de presbyteris decernuntur, chorepiscopis accommodaret solo brevi exordio præfixo, iisdemque sine ulla epistolæ clausula decretum ederet?

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SANCTI
LEONIS MAGNI
ROMANI PONTIFICIS
OPERA OMNIA,

POST PASCHASII QUESNELLI RECENSIONEM

AD COMPLURES ET PRÆSTANTISSIMOS MSS. CODICES AB ILLO NON CONSULTOS EXACTA,
EMENDATA, ET INEDITIS AUCTA :
PRÆFATIONIBUS, ADMONITIONIBUS ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA.

ACCEDUNT

QUÆCUMQUE IN QUESNELLIANA EDITIONE INVENIUNTUR EAQUE AD CRISIN REVOCANTUR:

CURANTIBUS

PETRO ET HIERONYMO FRATRIBUS BALLERINIIS,

PRESBYTERIS VERONENSIBUS;

MANUM AUTEM ULTIMAM ADHIBENTE

J.-P. MIGNE,

QUI SUPERADDIDIT

EXERCITATIONES IN UNIVERSA OPERA S. LEONIS MAGNI

AUCTORE PETRO THOMA CACCIARI.

TOMUS SECUNDUS.

PARS POSTERIOR,

PETRI THOMÆ CACCIARI EXERCITATIONES

CONTINENS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE

1846.

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HAC POSTERIORI PARTE TOMI SECUNDI S. LEONIS CONTINENTUR

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV,

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,

FRATER PETRUS THOMAS CACCIARI CARMELITA FELICITATEM.

Etsi ea quæ summis principibus officii et obsequii nomine offeruntur, tam illis debita et convenientia peculiari titulo censenda sunt, ut rationes et causæ minime quærendæ sint cur ea munera iis potissimum tribuantur; attamen tam præcipuæ, tam veræ, tam justæ causæ sunt, beatissime pater, ut hoc Exercitationum mearum in Opera S. Leonis Magni volumen inclyto nomini tuo inscribere ac nuncupare debeam, ut me facere aliter sine gravi nota nequaquam posse existimarem. Præterquam quod enim opus hoc, quia magnas et graves ecclesiasticas res, et sancti prædecessoris tui gesta complectitur, ad te, utpote potestatis illius hæredem, et in apostolico regimine successorem pertinere debet; tum eo etiam titulo tibi maxime proprium et conveniens est, quod in pari dignitatis gradu, in quo divinitus collocatus es, eam agendi teneas rationem et normam, ut sancti hujus pontificis vestigiis potissimum insistere, studia illius maxime æmulari, et ad apostolicum ejusdem zelum et vigilantiam quam proxime videaris accedere. Sane quidem, cum sanctus Leo perlongo totius sui pontificatus cursu nihil magis impense egerit, studuerit, elaboraverit, quam ut tunc exsurgentes ut cum maxime Ecclesiæ et catholicæ fidei hostes, laboribus, scriptis, et indefessis curis suis refelleret et confutaret; eas saluberrimas leges et sancta instituta condidit, quæ cæteris Romanis pontificibus ad catholicam religionem asserendam, et sedis apostolicæ jura vindicanda magnum exemplar præbuerunt. Hæc autem exempla, pater beatissime, permiro modo in te expressa esse nemo est qui non agnoscat: sive enim splendidum præteritæ vitæ tuæ cursum reputemus, nihil te magis elaborasse, nihil impensius studuisse omnibus constat, quam ut sacris potissimum et ecclesiasticis studiis excolendis Ecclesiæ leges et instituta penitus pernosceres, quibus in tot gravissimis muneribus, quæ tanta cum laude a te administrata fuerunt, ad religionis decus et Romanæ sedis dignitatem et legum integritatem tuendam,utereris: sive autem modo in supremo Ecclesiæ pontificatu constitutum contemplemur; quid non veterem illam divi Petri successorum primorum sæculorum imaginem refert? Cum tu inter gravissimas etiam principatus curas, pastorali officio (quæ supremæ dignitatis tuæ potissima pars est) adeo sedulo incumbis, adeo orbis tibi commissi saluti, fidei, morumque integritati, et ecclesiasticæ disciplinæ vigori invigilas; ut nulla pars quæ ad hanc materiam spectet, cura tua non modo provisa, sed et regulis firmata, scriptis illustrata, ac decretis saluberrimis sancita et roborata sit. In qua quidem re quo magis ad veterum sanctorum prædecessorum tuorum normam conformeris, in supremo licet dignitatum gradu positus, eamdem laboriosam servas agendi rationem, perinde ac si in privato atque humili statu esses, et curas assiduas atque indefessas sustines, ut aliis sine labore quod suum ad officium pertinet, innotescat. Hinc igitur, beatissime pater, certa mihi fiducia exstitit, fore ut libenti animo accipias, et cum voluptate percurras ea quæ in hoc volumine circa antiquas hæreses Manichæorum, Priscillianistarum, Pelagianorum et Eutychianorum, quæ sancti pontificis Leonis tempore adversus Ecclesiam tantopere debacchatæ fuerunt, relata et exposita sunt; in quibus cum ejusdem animi fortitudinem, zelum et apostolicam auctoritatem, variasque attentissimas curas deprehendes, quæ tum in reis redarguendis et convincendis, tum in pœnitentibus recipiendis, monendis, instruendis, atque lapsis a pœnarum vinculis relaxandis susceptæ fuerunt; sicut præcipuam in hujusmodi rebus Ecclesiæ œconomiam, tum mirabilem D. O. M. in ejusdem regimine providentiam agnosces. Qua quidem providentia, quemadmodum factum est ut quo tempore Ecclesia firmioribus præsidiis indiguit, eo potissimum tempore strenuos Deus summos pastores excitaverit; iisque non modo necessariam vim et robur addiderit ad catholicam fidem asserendam, et ad ea suprema judicia ferenda quæ ex divinis et apostolicis institutis hausta sunt; sed et diuturnam vitam concesserit ad cuncta feliciter explenda: sic tu

cum divinitus datus sis, ut monitis, salutaribus documentis, præceptis et constitutionibus tuis ad episcoporum omniumque ecclesiasticorum instructionem per totum catholicum orbem diffusis eos tolleres abusus, qui sive sacrorum rituum decori, sive ecclesiasticis legibus, sive Christianis moribus adversantur, fidenter sperare est, Deum O. M. diu te (quod Christi fidelibus omnibus in votis esse debet) Ecclesiæ suæ sospitem conservaturum, ut felicem operum tuorum seriem ad exitum perducas. Inter quæ illustria et gloriosa opera tua, pater beatissime, cum ea tum ad Christianæ, tum ad litterariæ reipublicæ utilitatem non minima habenda sit, quod studia favore, incitamento, exemplo tuo promoveas; hinc, sicut ea aliis magnum stimulum et alacritatem addunt ad libros suos pontificio nomini tuo devovendos, et certum inde patrocinium exspectandum; sic mihi multo maximum addiderunt, ut Leonina hæc monumenta sanctitati tuæ offerrem et consecrarem; idque multis ac præcipuis de causis: ac primum quidem, quod pontificiam clementiam et humanitatem in excipiendis meæ tenuitatis scriptis cum non semel, tum præsertim expertus sum, cum annos abhinc undecim Eusebii libros Ecclesiasticæ Historiæ nomini tuo inscriptos in lucem dedi. Qua benignitate alacrior factus, quod mihi tunc proposueram, perficere enisus sum, ut altera hæc adornarem; deinde autem quod, cum in hisce ipsis prosequendis, et in subsidiis eruendis, quibus sancti pontificis Leonis doctrinam et gesta illustrarem, Vaticanæ præsertim bibliothecæ, aliisque monumentis usus sim, quæ apostolicæ sedis beneficentia mihi patuerunt; vel ob id ipsum eadem hæc a te benigniori animo suscipienda iri mihi persuasi, quod fructus eorum munerum sint quæ mihi hactenus impertita fuerunt. Interim autem dum pontificiam clementiam tuam mihi et meis hisce laboribus magis semper propitiam exopto, illud mihi tantummodo polliceor et deprecor, ut per eamdem liceat pacato animo in religiosis studiis meis conquiescere, quo omnes meas curas et cogitationes in apostolicæ sedis obsequium et reverentiam et sanctitatis tuæ officium in posterum etiam conferre valeam.

PRÆFATIO.

Vix dum ad exitum perduxeram laborem editionis Eusebianæ Historiæ, per Rufinum Aquileiensis Ecclesiæ presbyterum interpretatæ, librorumque ab ipso vel ex antiquorum monumentis, vel ex rebus quæ memoria sua contigerunt elucubratorum, cum jam majus quidpiam conaturus, ad intermissum studium castigandorum Operum Magni Leonis, totius catholicæ Ecclesiæ summi pontificis, gradum facere decrevi. Etenim, cum ante plures annos in id consilium incidissem, ut significatione quapiam meum erga apostolicam sedem obsequium publice testarer, nulla profecto re hoc me luculentius præstiturum putavi, quam si tanti viri scriptis nova diligentia et cura expoliendis atque ornandis animum adjicerem. Nam ut missam interim faciam et ejus eloquentiam, styli dignitatem et majestatem; ut prætermittam etiam prodentem se ubique vim apostolici spiritus, nemo plane priscis ex doctoribus supremæ sedis jura vel apertius asseruit, vel uberius vindicavit, vel eorum obtrectatoribus gravius negotium fecit.

Nec vero me latebat, ab anno 1485, ad hæc usque tempora, Leonis scripta sæpius per claros viros lucem aspexisse; et præsertim cum Parisiis, tum Lugduni, labore et studio Paschasii Quesnelli, et Venetiis tandem, cum jam nos novam hanc editionem excudere curabamus. Sed hæ postremæ editiones, quæ alium forte a consilio revocassent, mihi stimulos acriores ad suscepti operis confectionem addiderunt. Scilicet, cum eas accuratius evolvissem, plura offendi, apud Quesnellum præsertim, a genuino textu abhorrentia, multa quoque ecclesiastico agendi ordini ac rationi minus consona, nec pauca (id quod gravius est) a catholica regula plane aliena; ut tandem illum Leonis editorem, non tam medelam pontificiis scriptis adhibuisse, sed ea gravius vulnerasse appareat. Præterea, non solum omnia monumenta non collegit, sed alia de industria prætermisit, alia vero utpote adversa scopo quem forte sibi proposuerat, tamquam omnino supposititia, vel certe ut suppositionibus referta, rejecit vel mutilavit. Itaque cum fidem vix servasse, aut ne servasse quidem mihi videretur, nihil plane conformius publico Ecclesiæ bono, nihil Romanæ Ecclesiæ dignitati, nihil denique Christianæ charitati conformius esse existimavi, quam ut, sepositis contumeliis, nulloque verborum strepitu adhibito, ad incorruptos veritatis fontes Leonem revocarem, quo tandem, ex inimicorum manibus ereptis armis, fides, quæ unice prosequenda est, magis atque magis elucesceret. Ex qua quidem agendi ratione, ipsi Ecclesiæ hostes inermes tandem facti atque gravi metu perterriti, jamjam animi dolorem sentientes, ad bonam mentem redire minime detractarent.

Atque hæc quidem cum animo tacito agitarem, primum Leonis scripta ex ipso Quesnellio aliisque editionibus percurrere cœpi: tum deinde quæ typis evulgata sunt, ad manuscriptos archetypos exigere. Sed

cum tantam exemplarium copiam in sola Vaticana bibliotheca offendissem, statim imminentis laboris magnitudinem quasi præsentiens, meis sane viribus diffidebam excogitatum consilium ad felicem exitum posse perducere. Rei præterea gravitatem augebant theologiæ polemicæ exercitationes, quibus pro munere operam dare consuevi. Illæ videlicet, quæ omnium hæreseon et schismatum monstra cavere et refellere docent, quæ potiora æque ac solidiora catholicæ fidei fundamenta demonstrant, quæ tandem veteres novasque Christianæ disciplinæ regulas aperiunt, in quibus etiam vetustissima ecclesiasticæ rei monumenta, et recensentur, et conciliantur. Huic igitur oneri, pro eximia apostolicæ sedis largitate, mihi demandato, alios omnes labores merito posthabendos esse suadebant, tum temporis inopia, tum ipsa, mihi probe cognita, ingenii mei imbecillitas, quo si plura simul conarer complecti, jure mihi verendum erat ne imparatior efficerer singula ad optatos exitus perducere.

Hæc, inquam, animo pervolvens, vix in proposito hujus novæ editionis steteissem, mecum recogitando improbum in præsens esse subeundum laborem ab iis qui post Paschasium Quesnellum novis typis, cum nova etiam monumentorum accessione sancti pontificis scripta velint adornare. Non enim ipse veterum recentiorumque scriptorum quibus omni tempore Galliarum regnum abundavit, et modo abundat, exempla et methodum secutus est, quod maxime dolemus; sed in sua elaboranda editione novitatibus et propriis studiis semper indulsit, in contentionibus magis quam in veritatis inquisitione se exercendo. Quis enim ignorare potest eum necessariis non tantum, sed optimis etiam subsidiis instructum fuisse? Cum præter ea quæ poterat mutuari ex clarissimorum virorum exemplis qui illo ævo in Galliis, ut diximus, florebant, qui plurimorum sanctorum PP. editionibus operam dederant; adhuc ex florentissimis illius Regni bibliothecis multos et optimæ notæ mss. codd. sibi nactus est. Viginti enim et octo epistolas, quæ nondum lucem aspexerant, ex celebri Grimaneo codice accepit, alias ex collectione Romana Lucæ Holstenii, alias denique ex Jacobi Sirmondi operibus eductas, in suam transtulit editionem, quæ cæteris locupletiorem reddiderunt. Utinam autem omnibus aliis castigatior prodiisset! At vir acerrimo pollens ingenio, valde facilis ad contentiones et jurgia excitanda; omnino promptus ad æquivocationes et fallacias construendas, alium sibi scopum proposuit, præter illum quem catholici cuncti, et præcipue suæ gentis homines habuerant in adornandis castigandisve veterum PP. voluminibus. Ipse namque quandoque clariora sancti pontificis loca obscuris, æquivocis falsisque annotationibus fœdavit, alia ad prorsus violentas interpretationes detorsit; veritatem fallaciis occuluit, oppressit, atque perpetuo prætextu antiquitatis inquirendæ et illustrandæ, ea systemata sensim et ubique stabilire sategit quæ hæreticorum partibus favent, et sacræ ecclesiasticæ hierarchiæ regimen dejiciunt, pene quandoque etiam abolita, aut saltem imminuta, Romanorum pontificum vera et legitima jurisdictione supra omnes alias Ecclesias etiam Orientis. Alium interim tamen se esse simulavit. Quandoquidem in suis scribendis Operibus, et in Leoninis adornandis scriptis, multo artificioso conatu usus est, reverentiam, pietatem, cultumque erga Romanos pontifices et apostolicam sedem affectando, ut incautos deciperet, et occulti hostis quam sæpissime partes agendo, post splendidum verborum apparatum, illas veneno aspersas propositiones eructat, quæ erronea et in omnibus commentitia ejus systemata falso aliquo veritatis colore induere posse arbitratur.

Ex his ergo patet, tanto graviorem modo a quocumque Leoninorum Operum editore subeundum esse laborem, quanto majus fuit Quesnelii studium in pervertendis S. pontificis nostri testimoniis et illius sensibus aliter interpretandis. Nec enim laborem dumtaxat modo in eo versari oportet, ut primigenio nitori et integritati, quantum fieri potest, Leoninus textus restituatur. Quod opus etsi grave sit, ob falsas et corruptas lectiones quibus edita exemplaria scatent, et ob antiquas synopses cum sermonum tum epistolarum ab eodem quandoque studiose subductas, ut novas et stylo elegantiores sine mss. codd. auctoritate intruderet et inferret, et eas præsertim quæ suis partibus favere credidit; tamen archetyporum exemplarium ope, quibus Vaticana bibliotheca potissimum abundat, cum id jam pridem a multis annis assecuti essemus, novis typis, cum aliquorum monumentorum accessione, quæ nondum lucem aspexerunt, sancti pontificis Opera potuissemus evulgare. Verumtamen labor ulterius progredi debuit, nec in solis genuinis sancti pontificis scriptis versari: sed etiam opus fuit ad examen revocare qua ratione alia monumenta quæ nostri majores, mss. codd. auctoritatem secuti, aliis SS. PP. adjudicarunt; quales sunt vel libri de Vocatione omnium gentium, vel opusculum quod inscribitur: *Auctoritates sedis apostolicæ de gratia et libero voluntatis arbitrio*, vel denique epistola, seu libellus ad Demetriadem virginem; quæ opuscula aliis asserta offendimus, et quæ sine temeritatis nota Leoni adjudicari haud posse Quesnellus ipse fassus est, *Ne uno quidem* (ait ipse) *clamante codice, vel excuso vel mss., immo reclamante ab octingentis et amplius annis conciliorum scriptorumque plurium testimonio*; nihilominus hujusmodi opera nostro Leoni asserere voluit. Neque sane hanc temeritatis notam præcavere potuit ipsemet Quesnellus ea supplicatione quam subjecit, scribendo: *Hoc unum in præsenti postulo, ut paulisper ab omni præjudicio sustineant, qui ita sentiunt, usque dum dissertationes 2, 3 et 4, quibus consilii nostri rationes continentur, perlegerint. Interim temeritatis notam abs me deprecor, doctissimorum virorum exemplo, qui scriptoribus celeberrimis nonnulla opuscula ex unius styli suffragio vindicare, ac sub eorum nomine publicare non dubitarunt.*

Præfatas tres dissertationes viri docti non dissimularunt. Quos inter fuit Joseph Antelmius, qui cum nulla

ratione adduci potuisset ut Quesnellianæ subscriberet opinioni, sedulo lustratis rationibus in iisdem contentis, tantopere a Quesnelli consilio recedendum esse censuit, ut calamum continere non valens opus celebre conscripserit, quo singillatim omnia argumenta viriliter rejecit, ut alios esse horum opusculorum auctores, præter nostrum S. Leonem, evidentissime ac cumulatissime probaverit. Nimis profecto fallaces esse illas conjecturas quæ ex quarumdam phrasium similitudine, styli consonantia, et sermonis modulatione colliguntur, doctis ubique viris, satis superque perspectum est, ut in præsens necessum non sit explicare quemadmodum incassum laboraverit Quesnellus in adjudicandis tribus illis opusculis nostro Magno Leoni. Nam præter ea quæ scripsit Joseph Antelmius, dissert. in Opera S. Leonis, adest etiam testimonium cl. Joannis Salinas canonici regularis Lateranensis, Stephani Baluzii, aliorumque. Joannes Salinas, inquam, post Antelmium S. Prosperi Aquitani opuscula notis et observationibus illustrare cupiens, Vaticanos codd. evolvens, quinque saltem diversa optimæ notæ exemplaria offendit, nullum tamen quod Leonis nomen præferret invenit. Quare tandem nec inter Leonis Opera referenda esse judicat, cum fieri perfacile potuerit ut multi tunc temporis, Romæ et aliis in locis, fuerint, quorum scribendi ratio Leonis stylum referret ac redoleret. Præter, inquam, laudata testimonia, alia plurima mutuata ex Lovaniensibus, Baronio, Norisio, Labbeo, Sirmondo, Stephano Baluzio, aliisque bene multis referre possemus, qui tria illa opuscula modo uni, modo alteri in mss. archetypis tribui conspexerunt, quin quisquam umquam suspicatus fuerit, vel in phrasibus atque sententiis, vel in tractandarum rerum methodo et ratione, aliquod argumentum apparere, quod auctorem S. Leonem esse proderet. Non inficiabor quidem S. pontificem in aliis atque aliis orationibus *ad populum* habitis, et in quibusdam epistolis etiam, Pelagianos, Semipelagianosque insectatum fuisse, pestiferas eas soboles exagitando, et magnifice de Divinæ gratiæ donis, juxta apostolicæ sedis statuta, disserendo. Quid tamen ex hoc, cum tales ubique sententias sacrarumque Scripturarum interpretationes adhibeat quæ in aliorum libris minime legendæ occurrant; quemadmodum sexcentis exemplis probare possemus, si quam ob rem Leoni adjudicari non debeant, præsentis nostri instituti ratio longam contexere dissertationem nobis permitteret?

Qualem autem scopum sibi constituisset Quesnellus in adjudicandis S. Leoni opusculis iis quæ, mss. auctoritate et eruditorum suffragio, vel Ambrosio, vel Hilario et Cœlestino asserebantur, neminem arbitror latere. Amplissimum enim campum sibi aperire statuit, in quo cum suo de divina gratia systemate spatiari posset, hinc et illinc, multarum annotationum ope et subsidio, disseminando tot tantasque propositiones, vel iisdem præludendo quæ postmodum apostolicæ sedis anathematĕ fuerunt proscriptæ. Inter cæteros autem qui hanc pravam et subdolam Quesnelli agendi rationem notarunt, unus fuit laudatus P. Joannes Salinas in Vita S. Prosperi Aquitani, Romæ edita; qui offendens quædam brevia commentaria ad secundam dissertationem, sub num. 28 et 29 apposita, tamquam inconcinnas et erroneas illas taxat propositiones quibus suum de divina gratia systema annotator stabilire et propugnare intendit. Quod jam pridem a multis *clarissimis* doctissimisque viris factum fuisse, nemo est qui ignoret. Non itaque Quesnellus, undequaque suis *conjecturis* subsidia quærens, quemquam invenit qui ei voluerit suffragari. Nisi forte arbitrari velimus Augustinum Savioli, Venetum typographum, aliter judicasse, cum, expunctis pravis violentisque commentariolis quibus Quesnellus tria illa opuscula fœdaverat atque corruperat, eadem Leoni asserere maluit quam Ambrosio, Prospero Aquitano et Cœlestino pontifici adjudicare. Idem enim in suam pariter Venetam editionem transtulit tres illas recensitas Quesnelli dissertationes, nulla tamen facta auctoris mentione. Ad cujus agendi rationem cum ego attendissem, maxime hominis ingenium sum admiratus, quo pacto scilicet is quæstionem tamdiu sub judice manentem, quam minime definire ausi sunt qui pro utraque parte Antelmii, Quesnelli aliorumque clarissimorum virorum rationes ad trutinam adduxerunt, tam facile expedire potuerit, nullis indicatis momentis quæ ipsum ad talem firmum interponendum judicium induxissent. Ego tamen malui adhuc suspensus hærere, iisque fidem adhibere qui jam pridem scripserunt nullam conjecturam afferri posse ut tria illa opuscula Leoni adjudicentur.

Multo minus tamen Quesnello, aut quibusvis aliis, si qui sunt, assentiri potui ut Romanæ Ecclesiæ censuerim asserendum illum canonum codicem a quo ipse Parisinus scriptor secundum Leoninorum Operum tomum orsus est. Cui sexdecim subjecit dissertationes studiose admodum elaboratas, prætextu expiscandi atque illustrandi antiquam Ecclesiarum doctrinam, et hujus agendi rationem, tum in hæresibus evertendis, et catholicis dogmatibus definiendis; tum in synodis cogendis, appellationibus episcoporum vel aliorum excipiendis; et quod spectat in ordine ad illud sacrum ecclesiasticum regimen a Christo Domino in terris stabilitum, ad nos usque per apostolos horumque successores derivatum. Et in primis quod attinet ad laudatum canonum codicem, mihi vix locum superesse arbitror ut de eo multa verba faciam, ne manum in aliorum messem mittere velle videar. Cum jam duobus abhinc annis mihi innotuerit duos clarissimos viros in optimum consilium incidisse codicem hunc novis curis adornare, ut non tantum in cognitionem venire possint auctoris qui eos canones et monumenta collegit, sed etiam investigare vel definire pro quarum Ecclesiarum usu inservirent: quod ut facilius atque felicius assequi possent, horum alter Romam veniens, insigniores hujus urbis bibliothecas frequentavit, et lustratis antiquis mss. exemplaribus hunc codicem continentibus, quidquid in ejus studii scopum conferre posset excepit; cum itaque a pluribus fide dignis id

audierim, prorsus necessarium duxi me ab hoc labore in præsens abstinere; et modo silentio præterire gravissimas eas rationes quæ hactenus me moverunt ut Quesnellianæ opinioni prorsus repugnarem. Quarum nonnullæ, etsi in hujus operis decursu leviter dumtaxat a me indicatæ fuerint, alias tamen graviores et urgentiores reticui, ne extra propositos mihi limites vagari viderer; satis interim habens, sapiens aliorum judicium præstolari.

Gradum ergo faciamus ad illas dissertationes fucato colore ecclesiasticæ traditionis et Leoninæ doctrinæ illustrandæ a Paschasio Quesnello conscriptas, quas inter principem locum habet illa: *De vita et rebus gestis sancti Leonis Magni PP.* Multis fraudibus enim, nugis atque commentis totam hanc dissertationem et cæteras subsequentes esse refertas, vix intelligere potuissem, si in illis percurrendis semper ad ipsum Leoninum textum non provocassem, ut rerum veritatem inspicerem. At cum tanto artificio ipse uti soleat, ut sensim lectores etiam probos et optimos in pravas suas opiniones pertrahere possit, hosque multis præjudiciis imbuere, plurimum mihi laborandum fuisse præsens hoc opus indicabit. Vix enim enarrare possum studium adhibitum in exaggeranda sua erga S. Leonem et apostolicam sedem devotione, animique pietate, quam testari se simulat ornata quadam oratione, vel in hujus laudes excurrendo, vel Leonina gesta atque statuta cum aliorum episcoporum doctrina, pietate, religione clarissimorum operibus simul comparando; vel in medium interim adducendo quorumdam particularium synodorum regulas quæ ante Leonis ævum alicubi obtinuerunt, quibus subesse et insistere S. P. debuisse asseverat. Quid enim? Aliquando talem tantumque eruditionis apparatum ad suos lectores delectandos construxit, sensim, susquedeque antiquas Ecclesiæ res vertit, perturbavit, miscuit, ut ne vix quidem appareant illicia quibus usus est ad prava sua systemata insinuanda atque firmanda; sibi forte blandiendo, in sacris et ecclesiasticis rebus pertractandis, hominum ingenia, et dicendi arte, et philosophicis conjecturis potius quam rerum veritate et rationum pondere persuaderi posse. Qualis autem quantaque diligentia et animi attentio ne deciperer adhibenda mihi fuerit in percurrenda hac aliisque Quesnelli dissertationibus, nemo facile poterit intelligere, nisi ii forte qui in conscribendis eruditissimis commentariis ad ecclesiasticas res pertinentibus, me præcesserunt. Quemadmodum novissime factum fuisse a cl. Viro Joanne Antonio Bianchi ii norunt qui ejusdem sex volumina de Ecclesiæ potestate æstimarunt. Is enim in familiaribus colloquiis inter nos habitis non semel testatus est alium numquam scriptorem legisse qui tot simulationibus et artificiis uteretur præter Quesnellum. Quippe qui cum aliquando se facile perstringi et jugulari posse persensit, statim quasi anguis elabitur; et, ex una ad aliam vel plures quæstiones progrediens, vera incertis et æquivocis admiscuit; et rursus falsa et erronea dubiis et probabilibus interserit et implicat, ut ad sibi præfixum scopum perveniat. Non igitur ad eliminanda e Leonis Operibus tot commenta, fallacias, atque nugas, et ad asserenda sedi apostolicæ sua legitima jura sufficere poterat illorum textum nudum et sincerum undequaque ab omnibus mendis, æquivocis et falsis interpretationibus expurgatum exhibere, verum etiam opus erat ordinata methodo quasdam exercitationes conscribere, quibus haud exiguum lumen Leoninis gestis, apostolicæ sedis juribus, et ecclesiastici regiminis formæ et ordini afferre possemus. Nobis placuit in hac parte imitari cl. virum marchionem Joannem Poleni, Matheseos et naturalis philosophiæ in celeberrima Patavina Academia professorem. Qui postquam Vitruvianos libros illustrandos assumpsit, cui nos quoque ea subsidia attulimus, quorum sua benignitate facit mentionem, ad sibi præfixum scopum pervenire non posse arbitratus est, nisi omnibus industriæ nervis contenderet, et operam constitueret in quibusdam Vitruvianis exercitationibus contexendis. Gravissimis autem de causis ad id consilii adductum fuisse, in suis præfationibus testatur. Sed et a similibus nos motos esse ii judicabunt, qui nostræ mediocritati veniam dare volentes, bonum nostrum consilium magis quam insumptos labores probare aut non improbare saltem dignabuntur.

In his ergo exercitationibus conscribendis occasionem maxime nacti sumus a quatuor præcipuis hæresibus quæ a tempore quo S. Leo ad summum pontificatum fuit assumptus, ad vitæ ipsius exitum usque, catholicæ religioni vim intulerunt, et Occidentem atque Orientem infestarunt. Propterea ut suorum munerum partes impleret, et Christianam fidem custodiret, omne studium et laborem eum impendere oportuit ad sedandas sævissimas tempestates quæ diabolico furore bacchante fidei exitium promovebant, Christi imperium et Romanam Ecclesiam vexabant, de quibus omnibus eas victorias ipse summus pontifex reportavit quas divo Petro hujusque successoribus Christus Dominus in Scripturis promiserat. Harum hæresum prima fuit Manichæorum, cæteris quidem antiquior, et forte pertinacior facta, quæ quamvis in Africa multas clades sustinuisset, vehementior in Italia, et in ipsa Urbe potissimum grassabatur. Quamdam peculiarem judicii formam nostrum pontificem adhibuisse in Manichæorum nequitiis, sub catholicorum nomine delitescentium, detegendis, produnt hujus orationes ad populum, et epistolæ ad episcopos Italiæ conscriptæ. Cum ergo de hac hæresi verba fecit, clare indicavit ejus originem, tempus, auctores, discipulos, dogmata, nefanda mysteria, et multa alia ad ejus incrementum et propagationem pertinentia; simulque ipse S. pontifex multa sanctissima decreta edidit ad horum hominum nequitiam deprehendendam, ritus abolendos, latebras sub quibus delitescere conabantur inquirendas et retegendas; idcirco in his similibusque aliis posse et debere priores meas exercitationes versari, non incongruum existimavi; cum multa ex eodem S. Leone dicenda occurrant, quæ illorum temporum ecclesiasticam disciplinam et Romanorum pontificum agendi rationem

patefaciunt. Verumtamen cum priores has in Leonina Opera exercitationes pene ad finem perduxissem, et de his cum cl. viro Thoma Mamachio, in collegio urbano Propagandæ Fidei tum professore, nunc vero Casanatensi theologo, verba facerem, is mihi pro sua erga me amicitia indicavit, Isaacum Beausobre, acatholicum virum, Manetis et Manichæorum historiam Amstelodamii Gallico idiomate in duo volumina distinctam conscripsisse et typis commisisse. Meum itaque animum optimus amicus impulit ad eam lustrandam, antequam meas exercitationes in lucem emitterem. Hujus consiliis ergo cum statim adhæsissem, prorsus necessarium duxi aliam omnino methodum in hoc opere conscribendo esse servandam, et ad trutinam non solum revocare, sed etiam argumenta refellere quæ acatholicus scriptor contra nostræ catholicæ fidei dogmata, sacrorum rituum dignitatem atque præstantiam confinxit, et maxima cum veritatis injuria in suo opere evulgavit. In quo passim et Scripturarum sacrarum textus in pravas et malignas interpretationes detorquet, apostolicam traditionem evertit, contra RR. PP. ecclesiasticam administrationem debacchatur, conciliorum decreta pro nihilo ducit, antiquos Ecclesiæ PP. exagitat, vel tamquam mendaciorum, superstitionum et imposturarum reos in scenam traducit; et omnia tandem Christianæ philosophiæ ac theologiæ solidissima principia evertere nisus est, calumniis et maledictis eos antiquos scriptores impetendo, quorum doctrinam pravis interpretationibus corrumpere aut labefactare non potuit. Hujus porro nuperi scriptoris licentiam dissimulare cum minime possem, duos de Manichæorum historia libros conscribere constitui, eo ductus consilio nimirum, ut multa quæ de hac hæresi hinc et illinc in aliorum veterum scriptis legenda occurrunt in unum veluti corpus adornata contraherem, atque detegerem qualem quantamque perniciem catholicorum pietas subeat fidem adhibendo iis commentariis quæ de Manete et Manichæorum institutis Beausobre conscripsit. Duos hos priores libros alter excipit de historia hæreseos Priscillianistarum, quæ nefanda secta S. Leonis ævo multas Occidentis partes corruperat, summo cum dedecore ecclesiastici cœtus. Quamplurimi enim sacri præsules, et clericali militiæ ascripti, in Hispania, Gallæcia et Lusitania hac pestifera labe inquinabantur, et tam vehementer Priscilliani institutis adhærebant, ut post cruentam illam cædem quam Priscilliano et sociis Maximus tyrannus intulerat, tamquam sanctum et martyrem colere non reformidaverint. Horum scripta et apocryphas scripturas, non tantum in privatis domibus retinebant, sed etiam publice in ecclesiis inter sacra mysteria, quibusdam in locis legebant, iniquissima hujus sectæ dogmata, maxima cum catholici nominis et animarum pernicie palam profitebantur. Quid fecerit, quid apostolicæ sedis auctoritate faciendum præscripserit S. pontifex Leo in hujus hæreseos exitium, et illius reliquias penitus abolendas, ex certissimis monumentis in tertio eo libro explicamus; et occurrimus omnibus iis quæstionibus quæ jam pridem a nonnullis scriptoribus excitatæ fuerunt, vel circa synodos de S. Leonis mandato variis in locis coactas, vel regulas servandas in iisdem pœnitentiam agentibus recipiendis; vel tandem circa eorum scripturas, quas sub anathematis pœna, aut legere, aut domi retinere, idem S. pontifex districte omnibus quibuscumque gradus et conditionis hominibus prohibuit. Hæc, inquam, et id genus alia, servata quantum potuimus temporum ratione, tertio hoc libro aut delibavimus, aut fusiori stylo descripsimus, quotiescumque contraria aliorum argumenta et conjecturas eripere aut refellere nobis opus fuit.

Hanc tamen agendi rationem in tribus libris describendis adhibitam minime servare potuimus in quarto sequenti nostro libro, qui est de Pelagianis S. Leonis ætate gliscentibus. Ob multas causas de hac hæresi verba facturi calamum continere debuimus, nec ullum verbum facere de ejus origine, et auctoribus, pravis dogmatibus, et incremento, vel de Africanorum et Orientalium synodis quæ ad eam prorsus exstinguendam aliis et aliis temporibus congregatæ fuerunt. Historiam enim hanc, summa eruditione qua pollebat, eruditissimis commentariis adornavit eminentissimus cardinalis Norisius, ut nostrum non reputem ea modo retractare quæ ab eo cum magna totius ecclesiasticæ et litterariæ rei utilitate jam pridem scripta fuere. Non me tamen latet virum hunc, etsi doctissimum, aliorum in multis subire censuram. Quid inde tamen? Res enim minime dubiæ, quandoque in medium prolatæ, aliorum argumentis contentiosis dubias fieri posse Cicero affirmavit, potissimum si disputationes ab iis instituantur qui aut rerum cortice dumtaxat delectantur, aut, nimis præjudicatis opinionibus adhærere volentes, a veræ sapientiæ regulis abhorreant. Itaque in quarto hoc libro ea dumtaxat mihi expedienda assumpsi quæ ad Pelagianam historiam S. Leonis tempore gliscentem pertineat. Cum videlicet tum Juliani Eclanensis episcopi præsidio et institutionibus latius per Campaniam aliasque Italiæ regiones cœperat grassari. Quis enim ignorat S. Leonem adhuc Romanæ Ecclesiæ diaconum multos conatus adhibuisse ut pestifera illa soboles divinorum donorum inimica exstingueretur? In quo proposito sibi scopo cum perstitisset, in dies magis illius studium ad illam abolendam augebatur; et tum maxime, cum ad universalem Ecclesiam regendam assumptus, verbo, scriptis, gestis, miris et variis modis gravius eos insectari cœpit, donec alii tamquam pœnitentes ad Ecclesiæ pacem et reconciliationem venirent; alii vero, obstinatiores, ecclesiasticis censuris obstringerentur, clericalibus ministeriis privarentur, vel exsilii pœnam subirent. Victoria hæc de divinæ gratiæ hostibus parta tanto magis Leoni gloriosa fuit, quanto diuturnior, cum in reliquis duodecim sui pontificatus annis palam saltem, Pelagianum dogma intra nostræ Italiæ limites, amplius sectatores vel propugnatores non habuerit.

Illi tamen durior pugna et melior victoria præludebatur, ob novam hæresim Eutychianam, anno 448

Constantinopoli ortam, cujus originem, progressiones, facinora, Ecclesiarum subversiones, scandala, fautores principes, propugnatores, et vindices, et cætera mala, quæ in Christi religionis odium atque contemptum contigerunt, in duobus postremis harum nostrarum Exercitationum libris, pro nostri ingenii tenuitate, ex Leoninis scriptis expressimus. In his porro libris conscribendis potissimum nobis agendum fuit de forma et ordine judiciorum canonicorum Ecclesiæ, quæ hæretici et novitatum amatores omnibus conatibus evertere nisi sunt, ut universalem potissimum apostolicæ sedis auctoritatem et majestatem, aut prorsus dejicerent, aut saltem elevarent. Quoniam vero istorum hominum agendi ratio ea fuit semper, in suis congressionibus omnia susquedeque vertere, ad fallacias et æquivocationes provocare, et ea quæ sunt juris et facti simul confundere, ut novam formam et ordinem ecclesiastici regiminis constituant, præter eam quam Christus Dominus in terris firmavit, quamque apostoli et horum successores servaverunt; idcirco ad nova et peregrina aliorum systemata refellenda et evertenda nihil efficacius haberi existimavi, quam pedetentim et diligentius Orientalium episcoporum et divi Leonis gesta prosequi, ad tutius et uberius rerum veritates eruendas.

Ex scopo igitur quem in hisce duobus libris conscribendis mihi proposui, jam puto neminem mihi succensere posse, si ad trutinam revocavi quamplurimas ex iis quæstionibus quas jam pridem alii scriptores instituerunt, quæque quibusdam nostri ævi sciolis vix earum argumentorum summas legentibus ideo omnino ingratæ sunt, vel quia nostrorum adversariorum præjudicatis et falsis opinionibus jam tenacius adhæserunt, vel quia arma sibi præripi cognoscunt ad novas res contra sedem apostolicam, et istius judiciorum genera moliendas. Nec enim hujusmodi quæstiones præterire poteram, et in iis pertractandis eas congressiones præcavere, vel ab iis saltem resilire, quæ ex Leonino textu et gestis violenter et falso a quibusdam interpretatis oriebantur. Cujusmodi sunt illæ quæ de provincialium vel generalium, synodorum auctoritate instituuntur, quæ appellationes ad apostolicam sedem factas perspicue patefaciunt, quæ de sacrorum canonum confirmatione, conservatione et dispensationibus pertractantur, quæ de canonicis pœnis et harum relaxationibus vel reservationibus recensentur, quæ tandem suprema apostolicæ sedis divina et ecclesiastica jura, tantopere in generalibus synodis venerata, et summa sanctorum Patrum consensione prædicata, ita produnt et explicant, ut in dubium a sanæ mentis hominibus revocari non possint. Certe Leonis gesta ex Orientalium Ecclesiarum causis Eutychianæ hæreseos occasione derivatis, tanto cæteris præstare arbitror, quanto in ecclesiasticis rebus administrandis ipsius successores tamquam antesignanum illum semper habuerunt et imitari studuerunt; ab ipso videlicet desumentes ea fortitudinis, sapientiæ et prudentiæ exempla, quibus et hæreticorum frangerent pertinaciam, sæculi potestates in Ecclesiæ præsidium quærerent et vocarent, ut amotis omnibus periculis et adversitatibus, expeditius de fidei et Ecclesiarum negotiis judicarent. Hæc ergo sunt de quibus in horum sex librorum vestibulo me præfari oportuit ad nostrum lectorem admonendum. Sed interim tandem ad ea recogitans quæ in hisce sex libris congessi, mihi persuadeo minime defuturos aliquos qui, nimis frequentem hujus nostri temporis critices artem sequentes, et eos potissimum qui rerum speciebus dumtaxat adhærent, male de hoc nostro qualicumque labore judicabunt. Quia non omnia S. pontificis gesta in hoc volumine explicata sunt, cum multa adhuc desiderentur quæ ad Ecclesiarum Mauritaniæ, Galliarum, Narbonensis videlicet, et Arelatensis, vel Siciliæ, et Italiæ res pertinent, quarum disciplinam collapsam ipse suis decretis reparare atque firmare nisus est; eas pravas consuetudines proscribendo quæ canonicis regulis repugnabant, et in dedecus Christiani nominis, sacrorum rituum contemptum, et clericalis militiæ, et ordinis contumeliam prorsus redundabant. At culpam procul a me esse hac sola de causa, tum voluminis titulus sufficienter ostendit, tum clarissimorum virorum exempla patefaciunt. Hæc enim ad aliud otium reservanda esse credidi, ne extra propositos quatuor illarum hæresum limites vagarer. Quorum pariter censuram minime forte potero effugere, si quasdam phrases et loquendi modos offendant, quas ipsi, tamquam delicatioribus auribus instructi, minus aptas in hisce meis legendis Exercitationibus taxabunt, vel si mihi adjudicaverint quædam typographicæ artis errata, quæ quandoque in eas irrepserunt. Hos autem scire volumus, nos non rhetorum methodum et artem esse secutos, sed illud scribendi genus quod in familiaribus disputationibus habendis usum obtinuit; atque a præterito hieme ad hoc tempus usque quadam oculorum lippitudine laborasse, qua adducti fuimus aliorum opera et industria uti cum in exscribendis quæ in hoc volumine congesta sunt, tum in horum typis recognoscendis et castigandis. Verumtamen in iis omnibus quibus lectorum animum explere hactenus haud potui, veniam mihi dari oro, et obtestor, sperans opportuniori otio manum statim post hæc admovere ad excudenda omnia S. pontificis scripta, et reliqua monumenta ad ipsum pertinentia, quæ jam pridem collegi, et ad varia mss. et edita exemplaria diligentissime exegi. Quænam tandem et cujus generis sint nova illa monumenta quæ publici juris facere polliceor, vel ex quibus fontibus illa hausta fuerint, rationabili œconomia in præsens reticebo, de iisdem, Deo opitulante, in alterius tomi præfatione verba facturus. Spondeo hoc unum dumtaxat, omni opera curaturum ut tempore et labore quæ Græce et Latine typis mihi committenda supersunt, absque ullo vitio lucem aspiciant. Qua diligentia saltem spero fore ut diluam censoriam notam quam forte ob hasce Exercitationes inclementer apud aliquos subiturus sim.

DE MANICHÆORUM HÆRESI ET HISTORIA
LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

PROLOQUIUM.

1 Absoluto præteritorum annorum labore, cum dignius aliquid aggredi nostra voluntas ferret, multaque in rerum sacrarum memoria illustria occurrerent, in quibus opera præclare collocari posset, ut ad Manichæorum potissimum historiam animum appelleremus, ipsa nos amicorum consilia et cohortationes impulerunt. Cum enim ad ecclesiasticæ et Christianæ reipublicæ utilitatem plures clarissimi et eruditione præstantissimi viri, modo unam, modo alteram hæreticorum conscripserint historiam, ex quibus luce clarius emicant sacrorum pastorum auctoritas, animi robur, munerisque præstantia in iis exagitandis et refellendis, eam in opinionem ducebar, me lectoribus et optimæ critices studiosis rem gratam facturum, si ad hanc subeundam provinciam consilium et laborem converterem. Nec vero me latebat multa de hac hæresi hinc illincque in aliorum scriptis sparsa legenda occurrere. Quæ si quandoque ad veritatis apices librata redigerentur, et in unum veluti B corpus adornata contraherentur, facile lectorum animus a tot tantisque molestiis liber evaderet, quas modo subire cogitur, cum in multorum scriptorum voluminibus evolvendis, tum ob varias res indigestas, multisque difficultatibus implexas, quæ in hoc disserendi scribendique genere offendi solent; quæque potissimum ingenia torquent, et in errores quam facillime trahere consueverunt. Non ignorabam pariter catholicum virum J. Beausobre, Gallico idiomate Manichæorum historiam, suis partibus potius quam veritati consonam, conscripsisse, quam deinde anno 1734 typis Friderici Bernard Amstelodamii pluribus notis ornatam publicavit. Sed quæ et quanta in catholicæ fidei odium atque perniciem is auctor ausus sit comminisci, vix et ne vix quidem a quopiam explicabitur, cum censorium stylum unice in vetustos sanctos Patres, in Romanæ sedis pontifices et in sacras synodos hujus hæreseos occasione coactas strinxerit; ut nimirum horum scribendi dicendive rationem, et C agendi œconomiam, falsis annotationibus carperet, penitusque dejiceret, aut in pravam saltem significationem detorqueret. Quare etiam in hujus operis vestibulo me oportuit animadvertere, molestis satis operosisque concertationibus animum esse implicaturum, si hos Beausobrianos libros, quos nonnisi sero, et postquam decem et septem hujus historiæ capita scripseram, inter manus habere potui, rejicere, horumque errores diluere statuerem. Verum cum in percurrendis acatholici viri libris innumera offendissem quæ et veritati et meis animadversionibus repugnabant, idcirco quæ jampridem conscripseram ad aliam methodum disserendive rationem redigere nisus sum, ne de Manichaicis rebus quasi jejune et exiliter **2** disputasse viderer. Igitur ubi tempus ex quotidianis studiorum exercitationibus, aliisque muneribus quibus, vel in claustris, vel extra claustra, operam dare debeo, mihi superesse potuit, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere; sed mecum ea reputabam quæ in commune et D litterariæ rei bonum, et ecclesiasticæ historiæ conscribendæ conferri possent. Igitur de tota Manichæorum historia quam verissime disserere statui. In quibus A quidem libellis componendis, nullis partium studiis a quibus animus scriptoris prorsus alienus esse debet, me adhæsurum profiteor, cum solam veritatem mihi in his aliisque subsequentibus concertationibus pro viribus sequendam et propugnandam proposuerim.

CAPUT PRIMUM.

De præcipuis Manichæorum sectæ auctoribus.

Manichæorum hæresis, ab uno potissimum hujus nominis homine sic nuncupata, tres præcipuos habuit auctores. Sed qui omnium primus illius nefariæ sectæ fundamenta jecit, atque palmares errores confirmavit, fuit quidam Saracenus, Scythianus appellatus, ex Arabum gente in Palæstinæ confiniis educatus, qui Græcorum litteris cum operam dedisset, easdem optime quidem fuit assecutus.

1. Is ergo primo mercaturam exercens, ad Indos profectus est, et brevi tantam divitiarum copiam sibi B comparavit, ut deinde Alexandriam adveniens, se totum philosophiæ studio et Ægyptiorum disciplinis tradiderit, atque mercatura relicta, Aristotelicam vitam imitari voluerit. Abundans itaque otio atque divitiis, acri simul pollens ingenio, nova, sed paradoxa dogmata in orbem inducere secum reputavit. Cujus quippe desiderii causa, Empedoclis, aiunt, sententiam secutus, duo rerum principia coæterna commentus est: unum bonum, malum alterum; illud Deum ac lucem, hoc materiam et tenebras appellavit; qui error fuit unum ex palmaribus dogmatibus Valentinianorum et Marcionitarum, secundo Ecclesiæ sæculo catholicam Christi religionem vexantium. Alia quoque figmenta ex Pythagoræ principiis *derivata*, non solum animo revolvebat, et in *vulgus spargebat*; sed et scripto consignavit. Cum videlicet quatuor conscriptis voluminibus, meris fabulis mendaciisque refertis, ea nequitiæ et impietatis ova edidit, ex quibus, Manete postmodum cubante, tot tantaque diabolica germina prodierunt. Singulis autem conscri- C ptis voluminibus nomen imposuit, atque primum vocavit *Evangelium*, alterum *Capita*, tertium *Mysteria*, quartum *Thesauros*.

His ergo præsidiis adjutus Judæam proficiscitur, cum legis Mosaicæ senioribus disputaturus. Sed cum ab iisdem, divinarum Scripturarum subsidio, fuisset superatus, verecundiæ et turpitudinis notam magicis incantationibus delere studuit, et Hierosolymitanis Judæis præstigiis illudere conatus est. Magicis itaque artibus usus quas olim in Ægypto et India didicerat, cujusdam domus tectum conscendit, ex quo vel a Deo percussus, vel mente alienatus, ut S. Cyrillus Hierosolymitanus scribit, se præcipitem dedit, suasque facultates et laudatos libros Terebintho servo suo, quem hæredem constituerat, reliquit. Hæc de Scythiani patria, moribus, vita, institutis et libris, cum veteres, tum recentiores scriptores tradiderunt. Horum nullus tamen illud tempus quo vixit exacte definivit. Et quamvis Epiphanius (*Hær.* 66) indicare D videatur eum circa apostolorum tempora Hierosolymam profectum, tamen in laxiori significatione ejus verba accipienda esse Guillelmus Caveus contendit (a), affirmando nimirum ea esse explicanda: **3** *De sæculo ævum apostolicum proxime secuto, adeo ut vergente ad*

(a) Guillelmus Caveus, sæculo Novatiano, pag. 90.

exitum sæculo secundo Scythianum diem fatalem obiisse censeri possit.

Epiphanio tamen et Caveo Beausobre refragatus est. Qui de Scythiani et Manichaici dogmatis origine verba faciens, nobiscum quidem ex Arabum, non Scytharum gente, Scythianum natum esse affirmat: sed variis incertisque conjecturis insistens, ad tertium usque sæculum hujus natalis diem protrahit, eumque Maneti fuisse coævum confingit; eo dumtaxat admisso discrimine, quod ille provectiorem ætatem, is vero juniorem ageret; eosque inter epistolarum etiam consuetudinem intercessisse. An vero hic ratiocinandi modus tempus quo hujus hæreseos princeps floruit certo definiat, an vera vel supposititia sit illa epistolarum consuetudo, lector ipse judicabit. Nos interim laudatas Beausobre conjecturas prorsus labare contendimus, hoc unum animadvertentes, veteres videlicet scriptores in designandis iis Christianis viris qui secundo labente Ecclesiæ sæculo floruerunt, non absimiles loquendi formulas adhibuisse; et idcirco Epiphanium in crimen vocari haud posse quod affirmaverit Scythianum circa apostolorum tempora Hierosolymam fuisse profectum. Eo enim sæculo labente, multi apud Hierosolymam apostolorum auditores adhuc erant superstites, quos inter unus fuit celebris Hegesippus; in Asia vero Quadratus et Polycarpus, quos vel apostolos appellatos novimus, vel apostolicos viros, quia ab apostolorum institutis nec leviter resilire audebant. (*a*) Id pene innumeris locis affirmavit Eusebius, qui etiam de sancto Irenæo verba faciens, eum *apostolici cujusdam viri* sermones memoriter didicisse commemorat. Non ergo mirum quod Epiphanius Scythianum Hierosolymam circa apostolorum tempora profectum arbitratus sit, cum divina dispositione factum inveniamus quosdam apostolicos viros, Christi apostolorum auditores, usque ad tertii sæculi initium in vivis exstitisse. Photius sane (*b*) vir naris emunctioris, quem ipse Beausobre sæpissime laudat, quique Epiphanii scripta non semel lustravit, in hunc invehi veritus est. Immo contra Manichæos scribens, cum ad Cyrilli Hierosolymitani, tum ad Epiphanii libros contra hanc hæresim scriptos, absque ulla falsitatis levi suspicione provocat, et ipsum Epiphanium *miraculis magnum* appellat.

Explicato itaque Epiphanii loquendi modo, adhuc aliud Beausobre commentum eripiendum est (*Lib.* I, c. 11). Scythianum videlicet Maneti coævum fuisse. Ut vero sensim id lectoribus persuadere posset, præjudicatam primo Græcorum et Latinorum opinionem refert, qua Arabum mores, cultum et philosophiam damnare solent, quique cum deserta loca inhabitent, vulgo barbarorum nomine vocati sunt. At Arabes scientiarum et bonarum artium studio atque cultui deditos fuisse, reginæ Sabæ Jerusalem ad Salomonem proficiscentis exemplo probare contendit: tum Pythagoræ studendi ratione, qui post notitiam scientiarum in Ægypto acquisitam ad Arabum populos quoque se transtulit, ut plenius deinde ab horum rege instituerelur. Quid plura? Beausobre (*Ibid.*, *p.* 20) quædam varia elogia de Arabiæ gente in Mahometis Vita descripta in suam transtulit historiam, ut exinde colligat vernaculam horum linguam omnibus numeris esse mollem, atque suavem, magna eloquentia et poetica arte ornatam; homines vero cæteris aliis præstare ingenio, et facilitate cogitandi, quorum vitæ institutionem multa simplicitate a patribus familiarum ad pueros filios derivatam, pollere, compertum esse affirmat. Neque hisce rebus parum, nihilumve ad rem nostram spectantibus, dumtaxat Manichaicæ historiæ scriptor insistit: sed de Arabum religione verba faciens, arbitratus est diutius apud eos puriorem quam apud Judæos floruisse; præsertim cum Israelitæ, ob varias Ægyptiorum & superstitiones, quam sæpissime a vero Dei cultu recedere ausi fuerint, Mosaicam legem falsis ritibus labefactando. Sed ulterius progrediens, præmittit primum quamdam comparationem Scythianum inter et Mahometem, ambos hæreseon et pravorum dogmatum architectos, ex Arabia pariter profectos. Et ne lectores sibi suadeant malos dæmones et mendaciorum spiritus illius terræ incolis dominari, illis objicit Moysen, ad summi Dei ministeria assumptum, cum in Arabiæ Madianitarum solitudinem se receperat, eo tempore videlicet quo in Ægyptum fuerat missus ut divina legatione fungeretur ad idololatriæ exitium.

His itaque aliisque similibus a Beausobre præmissis ad nugas potius quam veram eruditionem ostendendam, statim ad geographorum provocat tabulas, et Arabiam in suas partes dividit, subjungens se facile arbitrari potuisse Scythianum ex Arabia montosa ortum habuisse. Cui quidem opinioni Archelai et Epiphanii testimonia suffragari videntur. Qui obscure saltem indicant Scythianum Ægyptiacam habuisse uxorem, hancque originem habuisse in ea Arabiæ parte quam Desertam appellant. His conjecturis ductus, credidit Beausobre Manichæum presbyteratu fuisse insignitum, eoque munere functum in provincia d'Ahuaz, in qua huc illucque etiam prava sua dogmata spargendo docebat. Ex tali porro (*c*) tantarumque rerum copia ipse Beausobre, aliorum testimoniis rejectis, colligere se posse arbitratur Scythianum inter et Manichæum aliquod epistolarum commercium intercessisse, quod argumento esse potest Scythianum serius floruisse, atque Maneti coævum. Duo pro hac conjectura epistolarum fragmenta laudat: alterum illius epistolæ quam Scythianus Saraceno Condato dederat, alterum cujusdam epistolæ quam Manes Scythiano inscripsit, quæ Photius nobis asservavit, ut videre est apud Fabricii Græcam Bibliothecam lib. V, pag. 284.

Hæc itaque sunt gravissima illa momenta quæ Beausobre animum movere potuerunt ut, rejectis Cyrilli, Hierosolymitani episcopi (*d*), Epiphanii, Titi Bostrenorum episcopi, Heracliani aliorumque testimoniis, comminisceretur ejusmodi epistolarum commercium. At quis umquam affirmavit Scythianum illum ad quem Manes epistolam dedit (si tamen genuina sit), eum hominem Saracenum fuisse de quo in præsens agitur? Id sane Photius reticuit, qui præcedentium Patrum historias secutus, has falsitatem subolere haud indicavit. Indicasset tamen, si aliquid a veritate alienum in iis offendisset. Et quidem alterum hominem exstitisse, qui vulgo Scythianus appellabatur, et ad quem Manes laudatam epistolam scripsit, auctor est Tillemontius (*e*), qui quidem minime sibi potuit persuadere Manichaicæ sectæ primum parentem Scythianum adhuc tertio currente Ecclesiæ sæculo in vivis exstare potuisse, cui Manes ejusmodi epistolam daret; præsertim cum is de quo agimus, antequam mala morte periret, jam ab Arabiæ confiniis recesserat, seque in Judæam receperat, varias cum Mosaicæ legis senioribus habuit concertationes, ubi magicis incantationibus et præstigiis Hierosolymitanis Judæis illudere conabatur.

Quare laudatus Tillemontius merito duos ejusdem nominis viros distinguere debuit, ne in malam fidem

(*a*) Consule Eusebium, lib. IV Hist. Ecclesiast., cap. 15 et 22; lib. V, cap. 8.

(*b*) Photius lib. I Hist. Manichæorum, cap. 11: *Si qui autem a principio velint eorum impietatem* (Manichæorum videlicet) *et unde prima semina jacta fuerint conspicere, Cyrillus, cui sacræ Urbis gubernacula fuere, ipsis in historiam dux erit; nec non miraculis magnus Epiphanus.*

(*c*) De Manetis sacerdotali munere verba faciemus cap. 4 hujus operis.

(*d*) Cyrillus, catechesi 6; Epiphan., hæresi 66; Titus, lib. I; Heraclianus, apud Photium, in Bibliotheca, cod. 85.

(*e*) Tillemont., etiam a Beausobre laudatus.

SS. PP. qui Scythiani gesta scripsere adduceret. Unde Beausobre, distinctionis hujus causa, perperam Tillemontium de invidia reprehendit (*Lib.* I, *p.* 26). Joannes Christophorus (*a*) Wolfius sane **5** non tantum ad duo illa epistolarum fragmenta animadvertit, sed de Scythiani ætate verba faciens, nec Archelaum, nec S. Epiphanium de errore arguit, et expresse in dubium revocat an ille Scythianus a Manete epistolas accipere potuerit, cum inter eos Terebinthum statuere oporteat. Merito itaque suspicatur Manetis epistolam ad alium Scythianum datam fuisse; quinimmo, et Manetem ipsum quandoque Scythianum appellatum asseverat; quemadmodum et Beausobre fatetur, ut cap. 4 hujus operis ipsi dicturi sumus. Non itaque Wolfius, qui duos Manichaicæ historiæ libros a Photio conscriptos eruditis notis adornavit, et in lucem edidit, Scythianum, de quo agimus, cum altero (forte recentiori) confundere ausus est, cum id ex Photio non colligat, et Photius ipse Epiphanio suffragatur : sed hærens suspensus, ne Patres in invidiam adduceret, neve ipse in errorem raperetur, saltem rem nullis rationibus circumscriptam reliquit; aut animo nostræ potius opinioni suffragari debere censuit.

2. Jam vero ad Terebinthum, Scythiani successorem, gradum faciamus, multa contra Beausobre dicturi hujus operis cap. 3. Scythiano igitur vita functo, ejus hæresis minime interiit. Sed acrior quasi evasit, ministerio Terebinthi, quem alii discipulum, alii vero illius servum appellarunt. Hunc quippe Scythiani assiduum comitem, omniumque arcanorum participem fuisse, communi veterum PP. consensione probatum est. Qui post præceptoris interitum, cum aliquamdiu in Palæstina hæsisset, secum asportatis opibus et scriptis quæ testamento sibi Scythianus reliquerat, in Persidem aufugit, apud viduam quamdam hospitio acceptus, et se Buddam appellavit, ut tutius lateret. Disputationes primum habuit cum Mithræ sacerdotibus. Sed cum ab iisdem turpissime convictus et superatus fuisset, animum deinde ad præstigias et magicas artes, præceptoris sui exemplo, convertit; iis efficere studens, ne quis deinceps sibi contradicere auderet. Quare superiorem domus partem conscendens, a dæmone percussus, et in sublime jactatus, miserrime interiit, vidua apud quam diverterat librorum et divitiarum hærede facta. Quod vero ad librorum spectat hæreditatem, hos a Terebintho in Perside conscriptos Socrates asseverat, quem deinde Tollius secutus est. Sed cum veteres illos libros Scythiano ascribant, in hac parvi momenti quæstione nunc non immorabor.

3. Hos libros ergo, sicut accepimus, vidua Terebinthi, seu Buddei hæres, usque ad obitum apud se servavit. Quæ, cum aliquot annis antequam decederet se sine liberis esse videret, Cubricum quemdam genere Persam, septenuem sibi in mancipium emit. Hunc cum postea libertate donasset, Persarum disciplinis primum erudiendum curavit. Deinde non multo post e vita decedens, cunctas facultates cum libris a Terebintho apud se depositis, Cubrico ex testamento reliquit. In tanto ergo, tamque sublimi prosperæ fortunæ statu constitutus, præcedentem suæ servitutis conditionem exhorruit, ac subinde veritus ne sibi cederet in opprobrium, rejecto Cubrici nomine, illud aliud Manetis sibi assumpsit. Quid vero istud vocabulum apud Græcos potissimum significet, paucis descripsit Eusebius Cæsariensis dicens (*Lib.* VII *Hist. Eccl.*, *c.* 27) : *Quo tempore Manes quidam, secundum nomen insaniens, et instinctu dæmonis agitatus, invisam, et exsecrabilem omnibus hæresim docet.* Pro *insania* itaque Græci, ut ex eo Manetis nomine irridendi occasionem arriperent, illud interpretati sunt, ut post Eusebium Cyrillus Hierosolymitanus etiam testatus est (*Catech.* 6), quibus deinde S. Augustinus suffragatur. Quam quidem infamiæ notam vitare volentes Manetis discipuli, producto vocabulo Manichæum appellarunt, littera N. geminata. *Manichæum* (ait Augustinus (*Lib. de Hæresibus, cap.* 46) *discipuli ejus appellare maluerunt, devitantes nomen insaniæ. Unde quidam* **6** *eorum quasi doctiores, et eo ipso mendaciores, geminata littera N. Manichæum vocant, quasi mannam fundentem.* Sed apud Persas, Chaldæos, et Syros quidpiam honoris, non contumeliæ, illud vocabulum indicasse Caveus, ex eodem Cyrillo et Epiphanio ostendit. Nam Persæ pro sermone illud sumebant, cum impostor ille insignem præ se ferret dialecticam, et Chaldæi et Syri illud *vas* interpretati sunt; quasi scilicet, ad instar sancti Pauli *se vas* a Deo electum esse, sacrilegus et amens homo significare voluerit. Ab his ergo tribus sacrilegis impostoribus, Scythiano videlicet, Terebintho, et *Manete*, diabolicam hanc sectam originem duxisse sufficienter arbitror explicatum. Quæ vero de hisce variis Manetis nominibus, horumque etymologiis; quæ de hujus patria, institutis, atque muneribus copiose Beausobre scripsit, capite 3 et 4 hujus operis ad examen revocare nobis opus erit; ut nimirum quamplurima hujus scriptoris nugatoria argumenta et conjecturas eripiamus; et pro viribus veterum PP. Latinorum et Græcorum traditionem, antiquam Ecclesiæ disciplinam, et catholicorum scriptorum persuasionem tueamur. Tunc vero quantum suis studiis, et acatholicæ religionis partibus, Beausobre indulserit, luculentius patefaciemus.

CAPUT II.

Quo tempore potissimum Manes sua dogmata in orbem spargere cœperit. S. Leonis Magni (b) testimonium illustratur, et de nimia oscitantia Paschasius Quesnellus convincitur.

1. Ex homine vita moribusque barbaro, cui acre erat ingenium, summaque cum dæmonibus familiaritas, quique etiam, ob dialecticæ abusum, sermonibus suos decipiebat auditores, nonnisi mala nequitiæ germina oriri poterant; quæ in Christianum orbem eruperunt, quando jam S. Felix Romanæ sedis clavum tenebat. Id inter cæteros scripsit Eusebius loco superius laudato (*Hist. Eccles. lib.* VII, *cap.* 27). Qua in re, non satis accuratam esse arbitramur Guillelmi Cavei Chronologiam, qui hujus hæreseos initia ab anno 277 repetenda esse asseverat. Felix quippe renuntiatus fuit pontifex anno 270, annis quinque dumtaxat regnavit, et obiit Aureliano imperante, ut ex Romanorum pontificum tabulis atque catalogis, cum Dionysius Petavius, (*c*) tum clarissimus vir Franciscus Blanchinus, exacte probarunt. Sed eam hæresim multo post erupisse, minime indicare potest celebre quoddam sancti Leonis Magni testimonium, quo inter concionandum affirmavit : Manetem eo tempore damnandum innotuisse, *quo post Resurrectionem Domini ducentesimus et sexagesimus annus impletus est, Probo imperatore Paulinoque consulibus, cum octava jam in Christianos persecutio desæviret.* Ad quod quippe testimonium Paschasius Quesnellus animadvertens (*Tom.* I, *in notis ad serm.* 2 *de Pentecoste, not.* 1, 2, 3), plurimum negotii ut faceret, tria potissimum annotavit. Primum videlicet mendum ibi subesse suspicari a Dionysio Petavio, in an-

(*a*) Wolfius, in notis ad cap. 12 lib. I contra Manichæos a Photio scripti, habet : Scythianum hunc ad apostolorum tempora ab Archelao, lib. I, referri merito mireris, cum ipsius narratio inferat inter Scythianum et Manetem unum tantum Terebinthum primum illius discipulum intercessisse, si forte ætate provectior fuerit, videre potuerit, id quod persuadere nobis poterat fragmentum epistolæ ad Scythianum, modo idem is cum nostro sit, a Manete scriptæ, quod habes apud cl. Fabricium in Bibliotheca Græca lib. X, pag. 284.

(*b*) S. Leo Magnus, serm. de Pentecoste 2, c. 4.

(*c*) Petavius, Rationario temporum tom. II.

notationibus ad Epiphanium, pag. 227, et pro numero CCLX, translato numero uno, legendum CCXL. A Ratio est quod Probi et Paulini consulatus incidit in annum fere Christi 277 in sera Dionysiana, quo ex numero 31, inquit, annis deductis, 246 anni reliqui sunt ab *Ascensione Domini*. Ita ex Petavio ratiocinatur Quesnellus cod. Oxoniensis auctoritate insistens, sequentem Rom. num. CCL exhibentis. Cujus erroris causam in typographos, aut in amanuenses esse rejiciendam, jam pleraque Vat. mss. exemplaria, quæ ad marginem ipsi annotabimus perspicue patefaciunt. Codices 7 namque quibus ad S. Leonis Opera castiganda usi sumus laudatam annorum summam litterarum elementis minime describunt, sed notis numericis, quas Romani semper in eorum calculis et supputationibus adhibuere, designant. Profecto si ille annorum numerus, ut in vulgatis S. Leonis sermonibus exprimitur, subsisteret, jam plane tota Christianæ et civilis rei chronologia pessum iret. Nam Manes damnandus non innotuisset nisi tertio B Ecclesiæ sæculo exeunte, anno videlicet a Christo nato ducentesimo nonagesimo primo; quando jam non Probus et Paulinus, sed C. Junius Tiberianus et Cassius Dio consulatum agebant. Sed tum Manetem regis Persarum decreto jam fuisse interfectum quis poterit ignorare?

2. Alterum quod annotavit Quesnellus, lippis tonsoribusque perspectum est. Nec enim inter eruditos est qui ignoret Probum et Paulinum nisi post Aureliani imperatoris necem consulatus honorem et munus fuisse assecutos; istudque esse rejiciendum in Christi annum 277, ut Petavii tabulæ declarant, et Beausobre etiam fatetur in sua priori parte de Manichæorum historia, ut in quarto sequenti cap., congressionem cum eo habituri, videbimus. Nescio tamen quo fundamento Quesnellus subjecerit corrigendos esse Fastos Consulares Cassiodori, aut Ecclesiasticos Annales, qui ad Christi annum 277 Probi consulatum cum septimo imperatoris Aureliani anno componunt. Aurelianus enim, ut sacra et profana C produnt monumenta, quinque dumtaxat in imperio annis consumptis, Christi anno 275 interfectus est; fraude scilicet Mnesthei, secretariorum notarii ad Cœnophrurium, inter Byzantium et Heracleam. Aureliano deinde sublato, post interregnum mensium circiter septem, Tacitus Cæsar a senatu renuntiatur, qui ducentesimum post diem, apud Tarsum febri diem clausit. Cui Florianus frater cum subrogatus esset, a majori exercitus parte Probus imperator constitutus est. Quam rem nimis indigne ferens Florianus, desperatione actus, incisis sponte venis, post 60 dierum spatium, Christi anno 276, moritur. Non igitur Ecclesiastici Annales Probi consulatum cum septimo Aureliani imperatoris anno componere potuere, cum is nonnisi per quinquennium Romanum administraverit imperium. Eam autem erroris causam fuisse arbitror : Probum, videlicet, Aurelium quoque nominari. Cum igitur in Romanorum consulum tabulis, anno 277, ista nomina legenda occurrant : Aurelius Probus; idcirco aliqui forte suspicati D sunt Aureliani imperium biennio esse producendum, ut isto adhuc superstite, Probus consulatum obtinere potuerit. Verum ex his nemo sibi blandiatur Cavei sententiam de Manichæorum exordiis firmiorem evadere posse. Nam S. Leo Magnus, laudato testimonio, haud quaquam de hujus sectæ exordiis disseruit, sed de eo tempore *quo damnanda innotuerat*. Quasi ibi innuere voluerit Manichæorum errores jam pridem prodiisse in orbem, hucque atque illuc per diversas Orientis partes, Manetis discipulorum ministerio potissimum et prædicatione fuisse disseminatos, ita ut ejusmodi diaboli falsitates, et superstitiones obscenæ, jam multis in locis evulgatæ, ipsis Ecclesiarum episcopis innotescerent. Hæc sane in instanti fieri potuisse quis arbitrabitur? Potissimum cum Persidem inter et Romam tanta locorum distantia intercedat, ut ea hæresi vix exorta Romanæ sedi statim prodita esse haud potuerit. Illud denique accedit, jam anno 277, quo Aurelius Probus et Paulinus consulatum agebant, Archelaum Caschara in Mesopotamia episcopum, sanctitate et eruditione florentem, Manetis se furori strenue ac constanter objecisse, ut tradunt Epiphanius, hæresi 66, et Cyrillus Hierosolymitanus, cath. 6.

3. Tertium denique, quod Quesnellus in medium adducit, ad illa Leonis verba : *Cum octava in Christianos persecutio desæviret*, referendum est. Annotator ergo animadvertit : Si de Aureliani persecutione ibi Leo loquitur, ut videtur omnino, hæc non *octava* fuit, sed *nona*, quemadmodum numerat Augustinus, de Civitate Dei lib. XVIII, cap. 61. Sed Leonem in 8 enumerandis Ecclesiæ tyrannis et persecutionibus Augustinum fuisse secutum, undenam Quesnellus comminiscitur? An sibi suadet veteres recentioresque scriptores in Ecclesiæ persecutionibus enumerandis omnino convenire, et Aurelianum necessario inter Christianorum tyrannos esse recensendum? Falsa consecutio. Aliam quippe et aliam scribendi rationem, alium et alium sibi PP. scopum præfixerunt in iisdem persecutionibus describendis. Eusebius enim, de Aureliano disserens, affirmat hunc primis sui imperii annis numquam Christianis infensum fuisse. Immo cum Pauli Samosateni causa tunc ageretur, ita se ecclesiasticorum jurium vindicem Aurelianum exhibuisse docet, ut ipse manu publica de Ecclesia Paulum expelli mandaverit. Quod si deinde, temporis decursu, mite sui animi propositum malis aliorum consiliis depravaverit, ut etiam *persecutionem erga* (*a*) *Dei Ecclesias meditari voluerit, eo usque ut dicatur quod, dictatis jam litteris et scriptis, cum superesset sola subscriptio*, hæc tamen prava voluntas nullum prorsus effectum sortita est. Deus quippe *subscriptionem nefandæ* Aureliani dexteræ deturbavit. *Morte enim subita condemnatur, qui de piorum morte censebat*. Difficulter igitur dabo Aurelianum Eusebio auctore, inter Ecclesiæ tyrannos ibi enumeratum, cum ille decesserit non subscriptis adhuc impiis edictis. Eusebio quoque consonat Lactantius (*Lib. de Mortibus persecutorum*) scribens : *Aureliano non licuisse quæ cogitaverat perficere, sed protinus inter sui furoris initia fuisse exstinctum*. Hanc vero eamdem scribendi rationem, S. pontificem fuisse prosecutum, quis inficiabitur? Is enim in recensendis tyrannorum persecutionibus, eas dumtaxat enumerare in mente habuit, in quibus innumera martyrum millia ipsis suis victoriis Spiritum sanctum sibi datum fuisse probavere. At sub Aureliano ubi martyres? A quibus scriptoribus recensentur? Quot millia enumerantur? Proferant in medium adversarii acta consularia in quibus, et pœnarum, seu mortis genera et martyrum confessiones describebantur. Indicet ipse Quesnellus consulum et præfectorum nomina, qui imperialibus Aureliani decretis obtemperantes, Christianos quærebant, ut in eos morte animadverterent. Horum generum profecto monumenta, nec Eusebius, nec Lactantius, nec alius quisquam in medium adduxit, ut revera affirmare possimus *innumera martyrum millia ipsis suis victoriis probavisse impletum esse quod Dominus promiserat dicens : Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*b*).

4. Ut vero S. pontificis loquendi scopus, quem Quesnellus minime assecutus est, perspicue constet, quid hocce argumenti genere probare, quidve inter concionandum populo suadere voluerit, sedulo expendamus. Præcipuum itaque Manetis dogma S. Leo Magnus ibi prosternere sibi proponit, quo nimirum blasphemus ac sacrilegus ille falsitatum architectus

(*a*) Euseb. Cæs. lib. VII Hist. Eccl., cap. 22.

(*b*) Matthæi X, 19, 20

se promissum a Domino Paracletum esse profitebatur, A *quem non prius venisse, quam ille infelicium deceptor oriretur. In quo ita Spiritus sanctus manserit, ut non aliud fuerit Manes ipse quam divinus Spiritus.* (a) Ad tantæ itaque impietatis commentum, supra quod totius Manichææ sectæ artificium construebatur, subvertendum, primo ad ea novi Testamenti provocat testimonia, quibus jam apostolis adhuc in carne existentibus, cæterisque discipulis et fidelibus, Spiritum sanctum promissum et datum fuisse ostendi solet. Cujus quippe missionis et adventus causas admirabilisque virtutis effectus aliquos enumerans, doctrinæ primo novitatem, profanarumque rerum prædicationem, ab eo sancto Spiritu prorsus alienas esse asseverat. **9** *Quia nec alia insinuanda erat veritas, nec alia prædicanda doctrina, præter eam quam Christi Dei Filius docuerat. Sed oportebat* (ait) *capacitatem eorum qui docebantur augeri et multiplicari constantiam illius charitatis quæ omnem formidinem foras mitteret, et furorem persequentium* B *non timeret.* Mirabiles autem hos sancti Spiritus effectus, tyrannos, mundum et dæmones ipsos jam in apostolis Christique discipulis semper conspexisse, *quando isti ad tolerantiam passionum, sub nulla jam tempestate trepidantes, fluctus sæculi, elevationes mundi, fide supergrediente, calcarunt, et morte contempta, omnibus gentibus Evangelium veritatis intulerunt*, ex Ecclesiæ memoriis probare S. Leo assumit. Quod ut felicius præstaret, ad eas provocat tyrannorum persecutiones, quæ tamquam ignes, aut lapides lydii, et martyrum constantiam, et evangelicæ prædicationis veritatem probarunt. Propterea in iis persecutionibus recensendis, eas dumtaxat enumerare oportebat quæ a Christi Resurrectione usque ad Probi et Paulini consulatum contigerant; eas videlicet, in quibus *innumera millia martyrum ipsis suis coronis Christi vaticinia*, apud Matthæum x, 19, impleta esse demonstrabant. Cum itaque sola meditata persecutio quam Aurelianus secum reputaverat, minime exsecutioni C demandata, hujus generis non esset, haud quaquam ad eam provocandum erat. Perperam igitur omnino comminiscitur Quesnellus scribendo S. pontificem de Aureliani persecutione fuisse locutum. De hac quippe haud loqui poterat, cum ex Aureliani decreto nullus Christianus martyrium passus sit. Unde merito scripsit : *Cum octava jam in Christianos persecutio desæviret*, nulla postmodum habita ratione ad Aureliani litteras et decreta de perquirendis ad necem Christianis, cum pravam hanc voluntatem divina in imperatores ultio irritam reddidisset. Quare ego in præsens mirari cogor, quod unus Quesnellus, qui nisi oscitanter Leonis scripta lustravit, hunc S. pontificem in ignaviæ suspicionem adducere voluerit; nimia profecto annotatoris animi inverecundia, erroris notam ei ascribere cujus virtus maximaque sapientia universo orbi satis semper fuit spectata, quemque suæ Ecclesiæ res latere non potuerunt. Quod si deinde Augustino aliisque scriptoribus in Ecclesiæ persecutionibus enumerandis apprime suf- D fragatus non est, id non vitio, sed sapientiæ dari debet; alias si ad nonam persecutionem, quam Aureliani appellant, provocasset, propositum sibi contra Manichæum scopum non attigisset, nec ejus argumenta plenum robur obtinuissent. Interim autem nemo mihi succenseat, quasi quod ab Augustini et aliorum sententia recedere voluerim. Non enim hos, vel in invidiam adducere, aut iisdem erroris notam ascribere intendo; sed dumtaxat vera et genuina Leonis sensa patefacere. Cæterum Aurelianum inter Ecclesiæ persecutores, tum Augustinus, tum alii merito recensuerunt. Ob dirum videlicet et immanem in Christianos animum, quos sane omni pœnarum genere exagitasset, quemadmodum decreverat, nisi, omnipotentis Dei vindicta disponente, *inter furoris initia* fuisset interemptus. An vero ea quæ hactenus scripsimus Quesnelli oscitantiam apprime demonstrent, lector ipse judicabit. Nos hoc illud unum tantummodo in votis habuimus : S. Leonis videlicet testimonium ab omni erroris nota vindicare, atque simul ostendere firmum remanere quod, *Probo et Paulino consulibus*, Manetis errores damnandi innotuerint, *cum octava in Christianos persecutio desæviret*.

5. At quid demum, si mihi objiceretur jam ante *Probi et Paulini consulatum* a multis annis octavam persecutionem, quæ Valeriano ascribitur, *sævire* desiisse ?, Quid, si isthæc persecutio ultra debitos fines produceretur, nulla prorsus habita ratione ad Gallienum Valeriani filium, in imperio superstitem; vel ad Claudium, qui Areolum tyrannum sustulit; ad Quintilium, ad Aurelianum, ad Tacitum, qui, Valeriano vita functo, Romani imperii habenas tenuere? An illa Leonis verba, *Cum octava jam in Christianos* **10** *persecutio desæviret*, referri potuerunt ad Valeriani tempora, qui anno 259 ex hac luce migravit? Ab ejus quippe obitu usque ad laudatum Probi et Paulini consulatum decem et octo anni interfluxerunt. Cum hæc itaque mecum reputarem, et, veritatis studio adductus, quod in omni scribendi genere semper prosecutus sum, difficilem hunc nodum solvendum mihi ipsi proponerem, quid voce illa *desæviret*, quove sensu eam S. Leo usurpaverit, diligentius inquirere opus fuit. Qua in re cum veteres Latini scriptores non conveniunt, et verbum illud (b) *desævio* in varia significatione usurpaverint, illam quæ Leonino contextui conformior esset seligere atque hic subjicere statui. Non enim vocabulum *desævio* (c) veteres semper usurparunt ad significandum crudelitatis fervorem quem quis in alios adhibere solet; immo potius et majori cum proprietate illud transtulerunt ad eum indicandum qui paulatim *a crudelitate* desistens, omni amota ira, pacem cum inimicis componit. Sed revera in postrema hac acceptione Leonem locutum fuisse, Ecclesiæ monumenta patefaciunt. Nam Gallienus, qui cum Valeriano patre imperii habuit habenas, quamvis ambobus simul imperantibus octava illa in Christianos persecutio eorum decretis excitata fuisset; tamen, vita functo Valeriano, ipse Gallienus in imperio superstes, pietate erga Christianos actus, omnes *crudelitatis* motus compescuit, et, prioribus decretis retractatis, *lenius ac moderatius erga nostros agere instituit*. Si res ita se habuere, quemadmodum narrat Eusebius (*Histor. Ecclesiast. lib.* VII, *cap.* 16), *de pace sub Gallieno Ecclesiis reddita* disserens, quis non videt jam difficilem illum nodum prorsus esse solutum, totumque illud temporis intervallum quod objiciebatur pene e medio esse sublatum? Gallieni imperium porro usque ad annum 269 esse producendum, cum Ecclesiæ, tum Rom. imperatorum tabulæ manifestant. Igitur si Gallieno solo imperante *lenius et moderatius* cum Christianis per totum Rom. orbem actum est; si præterea Aureliani decreta de inquirendis ad necem Christianis exsecutioni demandata non fuerunt; si denique sub Aureliano ipso nulli martyres exstitere; quis umquam suspicari poterit, aut Leonem minus apte ibi esse locutum, aut iis verbis, *cum octava jam persecutio in Christianos desæviret*, mendum aliquod contineri? Sed jam tempus est ut,

(a) Perperam ab hac blasphemia Manetem purgare Beausobre nititur. Consule cap. 4 hujus operis. S. Leo, serm. superius laudato.

(b) Livius illud verbum *desævio* usurpavit ad indicandum eum qui exspectat ut ira desæviat. Luc. At apud Ciceronem vix hoc verbum compositum offendes.

(c) Cave ne Quesnellianæ S. Leonis editioni fidem adhibeas, a qua contra aliorum editorum lectionem, mss. codd. tum Oxoniensium, tum Vat. exemplarium auctoritatem, voce *desæviret* subducta, illa alia *ebulliret*, minus apta et Leonis sensis prorsus repugnans exhibetur.

Quesnellianas cavillationes prætermittentes, ad ea gradum faciamus quæ Beausobrianas nugas et argumenta, præcedentibus capitibus opposita, patefaciunt (*a*).

CAPUT III.

Isaici Beausobre falsa argumenta, præcedentibus duobus capitibus repugnantia, refelluntur. Catholicæ Ecclesiæ ritus et dogmata ab ejusdem criticis notis vindicantur.

Nihilum prorsus, aut parum saltem, in describendis principum Manichaicæ sectæ auctorum rebus; aut in designando ex sancti Leonis Magni scriptis genuino tempore quo ejusmodi hæresis damnanda orbi innotuit, hactenus me præstitisse iis videor qui aut Beausobrianam **11** de Manichæis historiam, vel suis lustrarunt oculis, vel de ea a viris fide dignis disserere audierunt. In quo opere cum auctor, ut jam diximus, veterum Ecclesiæ PP. traditionem non tantum conatur evertere, sed etiam sanctissimos viros, aut de errore aut de inscitia insimulans, quasi rabido dente proscindit, quando in percurrendis horum scriptis aliquod offendit quod suis partibus et acatholicæ suæ religioni repugnare videtur. Cujus quidem generis ea sunt quæ cap. quarto, quinto et sexto prioris partis suæ Historiæ legenda occurrunt; vel ea quæ in altera parte scribenda assumpsit, cum divi M. Leonis in Manichæos agendi rationem ad examen reducens, sanctissimum nostrum pontificem carpit, mordet et exagitat, ac invido quasi cæcoque livore in eum excandescit.

1. Agit itaque in laudatis primæ partis capitibus de præcipuis illis tribus Manichaicæ sectæ auctoribus, et testimoniis Græcorum et Latinorum PP. insistere sibi proponens, sanctum Epiphanium secutus, nobiscum imprimis affirmat Scythianum ex Saracenorum gente duxisse originem. Qui postmodum Græcorum instituta et scientias sibi comparare exoptans, Palæstinæ confinia inhabitare voluit. Sed tandem in Orientalium Indiam se transferens, navium subsidio, mercaturis operam dedit; quo in exercitio prospera semper usus fortuna, maximas brevi sibi nactus est divitias, marium commoditate, locorum ubertate, ingeniique præstantia semper et ubique illi arridentibus. Duo hæc, divitiarum copia videlicet acerrimumque ingenium (ait Beausobre), una cum perfecta atque multiplici scientiarum cognitione, medicinæ nimirum, philosophiæ, matheseos et astronomiæ, raro in uno solo homine reperiuntur. Quem quidem, ob adinventas seu excitatas hæreses, æternum suum nomen fecisse asseverat. At quid (subjicit auctor) si Scythianus in hæresim dumtaxat fuisset lapsus? Non enim eum odio habere nobis opus esset, sed prorsus ei misereri oporteret, cum hæresis animi infirmitati, involuntariis omnino distortisque cogitationibus tribuenda sit, quibus hominis ingenium a veritatis fonte abscedens, deceptum, se in errorem trahere sinit. Quare mitius semper cum Scythiano Beausobre agere volens, in dubium revocat alterum Epiphanii testimonium a nobis superius laudatum, quo vidimus hunc hominem præstigiis et magicis dæmonum incantationibus, quibus Ægyptii vacare solebant, animum applicuisse. Huic opinioni fidem adhibuit solus Epiphanius (ait ille) scriptor valde credulus, nimisque in suis assertionibus violentus; cum ex altera parte, nec Archelaus Cascharæ episcopus, nec Cyrillus Hierosolymitanus de hac magica Scythiani arte et præstigiis ullam fecerint mentionem.

Quot autem qualiave commenta hic Beausobrianus disserendi modus præ se ferat, neminem prorsus catholicorum latere arbitror. Nam si hæresis imprimis pravis et omnino involuntariis animi motibus tribuenda est, et in iis dumtaxat sistit, cur in crimen vertitur? Cur communi consensione firmatum est *voluntatis pertinaciam hæreseos errorem involvere* sine qua nemo hæreticus appellari potest? Profecto, si animus involuntarie erroribus fidei dogmatibus repugnantibus hæreret, vix in crimen laberetur, cum nullus prorsus actus gravioris flagitii rationem habeat si voluntarie haud efficiatur. Præterea quorsum spectare ea possunt quæ de Scythiani magicis artibus contendit? An Epiphanii testimonium infirmari posse arbitratur duorum illorum PP. silentio? Nugatur quidem. Nam Archelaus imprimis, ad quem veluti Epiphanio antiquiorem provocat, quasi totus est in enarrandis Manetis rebus, iisdemque exsecrandis, ut vix de Scythiani vita et gestis mentionem prolixius facere illi vacaverit. Cyrilli pariter Hierosolymitani disserendi scopus ea in catechesi non fuit trium illorum Manichaicæ sectæ auctorum omnia facinora describere, sed obiter considerare dumtaxat quemadmodum tres nequissimi homines omnia pessima congesserint *unam hæresim blasphemiis et sceleribus refertam conflando*. **12** Idcirco de Scythiano quasi properanter verba faciens, originem, patriam, Aristotelicam vitam, quam imitatus est, quatuor libros compositos, ejus in Judæam interitum summatim commemorat, et statim ad Terebinthum auri, librorum et hæreseos hæredem gradum facit, istius crimina descripturus. At ultro dato quod ejusmodi argumentum ex Archelai et Cyrilli silentio desumptum aliquid concluderet, an non statim labaret et pessum abiret præcedens Beausobriana disserendi ratio? Ubinam scriptores Epiphanio antiquiores, Archelaus videlicet et Cyrillus, mentionem faciunt de Scythiani mercatura, de ejus philosophia, matheseos, medicinæ et astronomiæ studio? Altum revera de his omnibus servarunt silentium; et propterea liceret inferre hæc omnia sibi confinxisse Beausobre, et nimia æque ac violenta exaggeratione usum fuisse in historiis conscribendis, numquam præ oculis habita veritate, quam unice sibi proposuisse innumeris locis asseverat. Quid vero tandem, si istud tam altum silentium de magica Scythiani arte nequaquam Cyrillus in universum servasset? Hanc enim, tamquam ex Scythiani libris haustam, Terebintho illius successori, et hæredi tribuit, scribens: *Cum ad extremum is esset comprehendendus, profugit ad quamdam viduam. Deinde domum ascendens, et advocans aereos dæmones, quos Manichæi in abominandis sacris ad hunc usque diem invocare solent, divinitus percussus et de domo prostratus exstinctus est* (*b*).

Duo itaque ibi Cyrillus asseverat: alterum, Terebinthum, magicæ artis et dæmonum subsidio, præstigiis vacasse, quibus, auctore Beausobre, Ægyptii et Indiarum populi operam dare consueverant; alterum vero, Manichæos in abominandis sacris dæmones invocare solere. Is ergo dicat, amabo, ex quibus fontibus hanc artem hosque ritus hauserint, si ex Scythiani libris non didicerunt? An hujus sectæ homines in Indorum Orientis plagam se receperunt ut nefariis hisce studiis vacarent? Terebinthum quippe Indos salutasse nullibi legimus. Nisi conjicere liceat Scythiano comitatum præstitisse, cum illuc se transvehi curavit. Et propterea iisdem disciplinis utrosque imbutos fuisse probabilius esse affirmemus; vel Terebinthum cæterosque Manichæos, jam (ex Cyrillo) magicarum artium cultores, ejusmodi disciplinam sibi nactos esse lectione librorum quos Scythianus conscripserat. Quare si sine ullo scrupulo ita licet ratiocinari, firmius stabit Epiphanii testimonium, quo affirmavit Scythianum præstigiis et dæmonum incantationibus operam applicuisse.

2. Age vero isthæc missa faciamus, aliud commentum indicaturi, quod laudato Epiphanio, Beausobre affingere conatur, occasione maritalis conjugii,

(*a*) Videsis Rat. Temp. tom. III, pag. 184 Venetæ editionis.

(*b*) Cyrillo suffragatur Photius lib. I Hist. contra Manichæos, cap. 12. Videsis Christophorum Wolfium in notis ad cap. 12 Photianæ Historiæ.

a Scythiano cum femina superioris Thebaidis initi. Hanc enim captivam fuisse narrat (*a*) Archelaus, cui Socrates suffragatus est. Orientales autem non abhorrere a captivis uxoribus etiam ipse Beausobre, aliquorum testimonio suffultus, asseverat. Sed occasionem inde arripit ut stylum contra Epiphanium vertat, quod pulchram et juvenem captivam in perditam infamemque meretricem convertere voluerit; quasi Scythianum, hominem moribus et religione perditum, prostibulam ducere pudere oportuerit. Ex quo autem fonte ejusmodi *anecdotum* valde Scythiani famæ ignominiosum haurire possit, cum Epiphanius illud silentio prætermittat; Beausobre cum ignorasset, in Epiphanium excandescens, hunc maledicum appellare non veretur. Arbitratur propterea nonnisi a vehementi studio et animi violentia raptum hæreticorum res gestas et mores descripsisse (*b*).

13 Hanc tamen similemque cogitandi atque scribendi rationem, quæ Pyrrhoninorum commenta redolet, facile quidem eripiemus, depravatos Manichæorum mores nobiscum recogitantes. Nulla enim, etiam Ethnicorum, secta sceleratior in impudicitiis, nulla umquam alia hominum schola depravatior in incestuosis effrænatæ libidinis actibus, Manichaica inveniri potuit. Nam abjecto quocumque naturæ humanæ pudore et verecundia, carnales concupiscentiarum motus cohibere nefas reputabant, et a nuptiis abhorrebant, ut filiorum procreationem præcaverent: sed mutuis nefandisque commixtionibus perpetuo utebantur. Quæ ergo verecundia, quinam publicæ et privatæ honestatis pudor dari potuere in homine qui suos asseclas docuit nuptias exsecrandas esse, iisque licere omnibus incestuosæ et turpissimæ libidinis actibus inquinari? De hisce autem flagitiis non tantum fuisse Manichæos postulatos, sed publicis et authenticis monumentis et testimoniis jam pluries fuisse convictos, perspicue produnt Acta Romanæ inquisitionis scripto sub Leone Magno (*c*) consignata; vel illa quæ in Africæ Ecclesiis habita sunt, de quibus ipsi opportunius suo loco, temporum ratione servata, verba faciemus. Sed ad Beausobre redeamus. Is ergo concedit Scythiani uxorem fuisse captivam. Sed ex quo fonte colligit, ut, quemadmodum captivam ducere non erubuerit, huic fuerit religio eam ex meretricio quæstu in uxorem non assumere? Pulchram quidem et juvenem sine auctore Beausobre affirmat; idque evinci posse arbitratur, quod hanc plus cæteris Scythianus adamaverit. Igitur hujus tanti amoris causa eam connubii participem habere potuit, tametsi jam pridem apud Thebaidem omnibus vulgatam se exhibuisset. Nec juvat ab Epiphanio eos fontes seu vetustiores scriptores silentio prætermitti ex quibus hocce factum hauriebatur, cum nemo ex antiquis illud in dubium revocaverit, aut contrarium tradiderit; cum forte omnes qui Epiphanii scripta lustrarunt, ea ducerentur persuasione, sanctum episcopum res per Scythianum gestas hujusque mores scripto consignasse, majorum traditionibus insistendo. Cujus quidem dictis, aut suppares, aut saltem sequentium sæculorum homines, Manichaica labe polluti obstitissent, mendaciique notam ei inussissent, ut principem auctorem suum ab hac infamia vindicarent, si rem aliter se habere cognovissent. Istorum ergo silentium, firmis Epiphanii assertionibus conjunctum, quanti Beausobrianam male digestam criticen facere oporteat, plenius patefacit; potissimum cum absque novorum monumentorum subsidio, post

A tot sæcula, unus solus Beausobre, a Scythiani et Epiphanii ævis longissime distans (quippe currente hoc sæculo, anno videlicet millesimo septingentesimo trigesimo nono præsentis lucis usuram absolvit), antiquorum Ecclesiæ PP. traditionem, solis commentitiis fabulis evertere et abolere nisus fuerit.

3. Mitius tamen cum sancto Cyrillo Hierosolymorum episcopo noster criticus agere visus est, quem non in errorem lapsum, nimia tamen exaggeratione uti voluisse asseverat. Propterea in describendis Scythiani gestis, personam concionatorum gessisse, qui proposita sibi argumenta declamationibus et superlationibus magnificare potius student quam eorum veritatem patefacere. Et quidem Cyrillus de Scythiani religione verba facturus, dixit hunc nihil commune habuisse *nec cum Judaismo, nec cum Christianismo*. Ita legisse in Græco Cyrilli textu (*d*) contendit, quamvis antiqua Coloniensis versio priora illa verba, *cum Judaismo*, expungat. Sed ultro dato quod

B Græci codd. utramque habeant lectionem quemadmodum legimus **14** apud Photium (*e*), quid umquam habet Cyrillus, quod veritati repugnet; quodque, et si non apertum errorem, nimiam saltem exaggerationem superlationemque præ se ferat? Christophorus Wolfius (*f*) quidem, in Photianis libris adornandis, quos Amburgi novis typis committi curavit, de Scythiano scripsit: *Hic primus inter Christianos stultæ de duobus principibus opinionis auctor exstitit.* At opinionem hanc stultam, unam esse inter tot tantasque blasphemias quas vel de Christi carnis nativitate, morte et resurrectione Manichæi excogitarunt, quæque principaliora et solidiora Christianæ fidei principia penitus evertit, jam satis omnibus exploratum est, et ipsi in inferioribus explicabimus. *Quid igitur* cum Christianorum fide illa religio commune habere potuit, quæ fundamentalia mysteria oppugnat et abolet? Certe si Beausobrianæ starent conjecturæ, etiam paganus Dei unius existentiam triumque personarum distinctionem negans, qui creatis sensibilibusque

C rebus, *soli*, videlicet, *luci*, *sideribus*, divinos honores exhibeat, quique Deiparam et divinum Patris Verbum hominem esse factum blasphemet, et innumeros id genus alios errores profiteatur, aliquid nobiscum commune habere posset, ea sola ratione quod Christi nomen perperam sibi vindicare auderet. Sed cum veritate quis id umquam affirmabit? Nam paganus de quo agimus, præter Christianum nomen, quod sacrilege sibi usurparet, nihil prorsus haberet de Christianorum fide, moribus, ritibus et institutis. Quin immo hæc omnia, aut saltem corrumpere, aut abolere niteretur. Ita quidem secum reputasse Cyrillum arbitror, cum scripsit Scythianum nihil prorsus *commune cum Christianismo* habuisse. Quod si deinde Beausobre confingat se refragari Cyrillo, Archelai testimonio adductus, qui Scythianum *hæreticum* et *apostatam* appellavit, qui actus vehementi ambitu episcopatus obtinendi defecit, quemadmodum de aliis hæreseon auctoribus exploratum est, nostra haud

D quaquam explicatio nutaret. Nam quid prohibet quin isthæc de homine pagano, Christianam fidem simulanti, vera esse possint? Præsertim cum etiam, Beausobre auctore, Scythianus numquam alicubi stabile habere voluerit domicilium, sed, huc illucque decurrendo, Saracenorum modo regiones, modo Palæstinæ, Thebaidis, Judææ, Ægyptiorum, Indorumque plagas inhabitaverit? Fieri ergo potuit ut quandoque inter Christianos commoratus, maxima simulatione

(*a*) Archelaus in disputatione habita cum Manete.

(*b*) Beausobre taxat et carpit Dionysium Petavium quod Epiphanii textum verterit: *Quam e meretricio quæstu ac servitute;* contendens disjunctivam, non conjunctivam, particulam fuisse adhibendam.

(*c*) Videsis lib. II hujus operis, in quo Romanam sub Leone Magno in Manichæos sacram inquisitionem describimus, et ad examen revocamus.

(*d*) Coloniensis versio apud Maternum Cholinum 1564 habet: *Scythianus quidam erat in Ægypto genere Saracenus nihil cum Christianismo habens commune.*

(*e*) Photius, lib. I contra Manichæos, cap. 12: *Scythianus . . . neque cum Christianis versans, neque Judæorum doctrinam amplexus.*

(*f*) Wolfius, in notis ad lib. I Photii contra Manichæos, pag. 38.

usus, Christianam religionem extrinsecus etiam affectaverit, ejusmodi fallacia populos decepturus; ut nimirum speraret episcopatus honorem et dignitatem sibi posse deferri : quibus haud dubie prava dogmata quæ imbiberat animoque agitabat facilius aliis credenda profitendaque proposuisset. Tandem, cum in lustrandis Manichæorum rebus et dogmatibus hactenus nec unum ex fidei Christianæ articulis, quos fundamentales appellant, invenissem quem integre et in sua puritate servarent, vix persuaderi possum eorum principem auctorem in suis institutionibus aliquid commune cum Christianismo habere potuisse. Propterea, ad alia gradum facturus, præsentem claudo congressionem, ita ratiocinando. Quod quemadmodum nequissimi hujus hominis malitia nulla lege cohiberi potuit, quia omnia Christianæ fidei dogmata labefactare aut evertere conaretur; ita quoque vehementi studio sibi blandiebatur malis artibus episcopatus honorem se fore adepturum ; quæ duo ostendunt Cyrilli et Archelai dicta sine violenta interpretatione posse conciliari.

4. Jam vero, si Beausobrianam scribendi rationem, quemadmodum statuimus, pedetentim modo prosequeremur, de quatuor Scythiani libris disserere opus esset. Verum cum de hisce scriptis alias, in hujus historiæ parte, verba facturi simus, hanc congressionem habere in præsens prætermittimus, **15** potius ad Epiphanium, nostro sermone iterum regressuri. Hunc ergo iterum maledictis et contumeliis proscissum in scenam Beausobre produxit, occasione malæ mortis quam subiit Scythianus. Epiphanii itaque testimonium de Scythiani nece, cum aliis veterum scriptorum dictis comparat; atque intelligens non iisdem omnino verbis sibi respondere, in eam abiit persuasionem, hæreticum hominem de quo agimus naturali morbo præventum diem clausisse. Archelaus (ait ipse) nihil de Scythiani interitu scripsit ex quo argumentari liceat eum præter naturæ ordinem obiisse. Cyrillus (a) Hierosolymorum (subdit), qui ante Epiphanium floruit, in rebus quæ jam pridem in ea urbe contigerunt apprime versatus, valde stricta oratione hæretici in Judæam adventum, *ut pestilenti contagione illam regionem afficeret*, describit; et statim, nulla voce interposita qua cum Mosaicæ legis doctoribus disputationes indicarentur, subjicit : *Morbo exstincto illo, Dominus sedavit pestilentiam*. Photius (b) tandem, breviori usus sermone, scripsit *acerba morte Scythianum* periisse. Ex hac porro scriptorum dicendi varietate sibi gratulatur Beausobre, et quasi in scirpo nodum quærens, Gallice Græcum Epiphanii (c) textum, multis notis et animadversionibus interpolatum reddidit, contendens hujus narrationem prorsus cadere, nemine alio ipsi suffragante; immo ipsi aperte refragantibus Judæorum historiis, quæ, cum Judaici populi excidium, tum Hierosolymitani templi eversionem, Titi et Vespasiani armis et militibus factam patefaciunt, ob quæ impossibile penitus Scythiano fuisset cum sacerdotibus Judaicis disputationibus congredi, et deinde præstigiis et magicis incantationibus illius urbis templum conscendere. Itaque jam depopulata urbe, temploque ad solum redacto, Scythianus illa omnia facinora quæ narrat Epiphanius præstare non potuisset, præsertim cum apostolorum ævo illic non venerit, ut ipsi jam primo hujus operis capite contra Epiphanii fidem ultro dedimus, illius verba in laxiori significatione esse sumenda explicantes (d).

A Veritatis speciem hæc omnia præ se ferre quis existimabit qui Judaici populi historias post Titi imperium non lustravit? Secus tamen judicabunt Judaicarum rerum periti, qui norunt Hierosolymam, a Tito et Vespasiano nondum plene deletam, variis ædificiis et turribus superstitibus, iterum ab Adriano, hujus nominis imperatore, fuisse ædificatam, et ab alienigenis non solum, sed a multis Judæorum millibus fuisse inhabitatam. Tum, videlicet, cum vetusto mutato in Æliæ nomine, Rufus, Judææ præses, armata manu sibi ab imperatore Adriano decreta, eos tumultuantes, duce Barcocheba, strenuo ac crudeli viro, qui ad seditionem excitaverat, compressit, multa virorum millia, feminarum puerorumque conficiendo. Hocce alterum sub Romanis imperatoribus Judaicæ gentis excidium (e) nos ipsi annotavimus ad Hist. Ecclesiasticam Eusebii Cæsar. Quare perperam omnino pro firmandis suis conjecturis eum laudavit Beausobre. Quam urbem deinde si peregrinis gentibus

B ex variis terrarum plagis venientibus incolere datum fuit, quia in Romanorum jus conversa, ritum mutavit et nomen; non tamen Judæi in illa urbe superstites suas legales cæremonias mutarunt, sed sacerdotum et levitarum aliorumque ministrorum successione servata, quemadmodum in Assyriorum Babyloniorumque captivitatibus, Mosaicam legem in synagogis, proseuchis et **16** cæteris conventibus, rigidius observandam inculcabant, Pharisæis, legum doctoribus et tribuum principibus omnem conatum adhibentibus ne turbæ, aut Christo nomen darent, aut Romanorum exemplo idolis servirent (f). Qui ergo fieri non potuit ut, secundo labente sæculo, Scythianus Hierosolymam seu Æliam adventans, Judaici populi sacerdotes fuerit aggressus, suis disputationibus probaturus, vetus Testamentum et Mosaicam legem a malo auctore deo duxisse originem; sed cum ab adversariis fuisset superatus, ad turpitudinis notam delendam, et ipse præstigiatorum artibus usus, alicujus domus tectum, juxta templi ruinas ædificatæ,

C aut aliquam ex antiquis turribus quæ Titi et Vespasiani excidio superfuerant, dæmonum subsidio, conscendere non tentaverit? Hæc autem inter se pugnare haud intelligo. Maxime cum omnes noverint tertium illum librum quem Scythianus conscripserat, quemque de mysteriis appellavit, legis et prophetarum refutationes continere, eumque calumniis contra sacros veteris Testamenti scriptores abundare. Ut igitur ejusmodi commenta et refutationes in vulgus spargeret, easque populo suaderet confingendo Mosaicam legem a malo spiritu fuisse traditam, illi opus fuit ad Judæam primum proficisci, *ut pestilenti contagione illam regionem afficeret* (g). Nec enim suum nequitiæ virus effundere potuisset, nisi conventus, conciones disputationesque coram Judæis ipsis habuisset. Sed hunc tantarum blasphemiarum et sacrilegiorum virum fuisse a Deo percussum, et repentino interitu e vivis sublatum, Cyrilli loquendi modus, non tantum hisce verbis prodit : *morbo exstincto illo, Dominus sedavit pestilentiam*,

D sed aliis subsequentibus, quibus narrat Terebinthum Scythianæ *improbitatis discipulum auri et sui magistri hæreseon hæredem factum, quippe qui in Judæa et Palæstina notus ab horum finibus fuit exclusus, coactus propterea in Persidem transire*. Tantum odium igitur et populi horrorem discipulus ob magistri necem atque facinora in se concitaverat, ut amplius illic commorari haud permitteretur. Et quidem *acerbam* fuisse Scythiani necem, etiam Photius (h) affirmat. Non

(a) Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 6, § 13.

(b) Photius, in libris contra Manichæos a Christophoro Wolfio typis mandatis, c. 12, p. 37.

(c) Epiphanius, hæresi 66.

(d) Vide quæ cap. 1 præcedenti diximus, pro explicando Epiphanii testimonio.

(e) Eusebius Cæsar., Hist. Ecclesiastica, lib. IV, cap. 6. Vide nostram Rufinianam editionem, nota e.

(f) Romanorum sanctionibus dumtaxat cautum erat ne Judæi libere religiosum Mosaicæ legis cultum exercerent. Sed in privatis domibus, circumcisioni, aliisque ritibus operam dabant, legalibus dumtaxat sacrificiis exceptis. Consule nostram Eusebii editionem tom. I, pag. 179 et seqq.

(g) Cyrillus, catech. 6.

(h) Photius : *Ac cum acerba morte magister in Judæa, quo commigraverat, periisset*. Lib. I contra Manichæos, p. 40, apud Cristophorum Wolfium.

enim acerba ea mors dici solet quæ a naturali ægritudine corporis causatur, quæque propter membrorum dissolutionem animum a corruptibili carne dividit. Sed talem vocare solemus, quam criminum rei Deo vindice violenter subeunt; vel quam judices et carnifices malefactoribus, pœnarum gravitate exhaustis, inferunt, aut inferri jubent. Deum autem Scythianæ necis auctorem fuisse, Cyrilli loquendi modus innuit: *crudelem* deinde atque violentam iis vocibus, *acerba morte*, significatam esse a Photio, verisimile est. Judæorum tandem in Terebinthum odium ut exsulem a Palæstinæ et Judææ finibus abire populorum tumultus et iracundia cogerent, ex illius in Persidem fuga plane innotescit. Idcirco credendum est discipulum studuisse saltem ignominiæ et turpitudinis notam occulere atque delere, et fugam arripiendo et servi conditionem, atque antiquum suum nomen abjiciendo.

5. Nulla vero ratione adduci potest Beausobre ut postremum hoc assertum concedat. Nimirum Terebinthum ad delendam turpitudinis notam, antiquum mutasse nomen, altero Buddæ assumpto. Ut autem facilius lectores in suam trahat opinionem, divitem studiosæ eruditionis supellectilem, magnificumque verborum construxit apparatum, ut sensim veteres **17** Ecclesiæ PP. in malam fidem adducat, quosque suum opus Gallice scriptum percurrere haud pudet, a veritatis tramite recedere faceret. Capite igitur quinto laudati libri prolatis primo in medium variis Terebinthi nominis etymologiis et explicationibus, eam sibi ex lectionibus arridere posse censuit, quæ versuti hominis fraudes et dolos aut prorsus dilueret, aut saltem magna ex parte minueret. Acta deinde Archelai episcopi Cascharæ laudat; ex quibus contendit Buddas nomen haud quaquam a Terebintho assumptùm fuisse ad populorum odium vindictamque declinandam; sed ex Chaldæorum idiomate illud derivari, idemque apud Persas significare quod apud Græcos Terebinthi vocabulum. Addit duo illa nomina apprime sibi invicem respondere, quemadmodum hæc alia in sacris litteris reperta: Christus, videlicet, et Messias; Petrus et Cephas, Dorcas et Tabitha. Hocce tamquam mysterium a se explicatum lectoribus suis vendidisset Beausobre. Sed cum Fabricii opus percurreret, in tam profundæ arcanæ rei intelligentia se novit jam pridem præventum. Quare hisce animadversionibus cum diutius institisset, Terebinthum et Buddam eamdem prorsus significationem præ se ferre absque animi hæsitatione affirmavit. Cujus tandem rei, tamquam locupletissimos testes appellat, et clarissimum virum Simonium Assemanum Orientalium linguarum peritissimum et Vaticanæ bibliothecæ præfectum, Bochart Sacræ Geographiæ studiosum scriptorem, Syriacas has voces explicantes, *Bethma*, scilicet, *Boutema* et *Butema*; quæ elementorum aliquam diversitatem quamvis habeant, tamen pro uno eodemque Terebintho, seu Budda, a veteribus fuisse usurpatas crediderunt. Verane an potius fabulosa hæc sint, quæ Beausobre laudato cap. exaggeravit, Orientalium linguarum et vocabulorum studiosi judicabunt. Nos tamen hisce omnibus plenam adhibere fidem interim non audemus: sed noster animus, ne de incognitis rebus judicium ferat, suspensus hærens perpendit præcedentem Beausobrianam rerum congeriem repugnantia non carere. Nam vel huic Scythiani servo, seu discipulo, altero Manichaicæ scholæ magistro, credimus Terebinthi fuisse natale nomen, et istud apud quascumque nationes, et Chaldæos etiam, retinere debuisset; quamvis ab hujus gentis populis, ob idiomatum diversitatem, et elementorum usum, alio sono et vocis flexibilitate enuntiaretur. Vel dicendum est gravi adductum causa Terebinthum illud mutare oportuisse. Si primum dabit Beausobre, quemadmodum dare deberet, cur, non servata Chaldæorum vocis desinentia, in *a* videlicet, aut *m*, illud Terebinthi rejecerunt, ut usurparent Butam, aut (*a*) Budam? Has enim nullam habere affinitatem cum hujus hæretici nativitatis nomine, radicalia deinde litterarum elementa non servare, quis non videt? Propterea non facile moveor assentiri Beausobrianis dictis, quibus persuadere nititur Assyrios, etiam hominum propria nativitatis nomina mutare potuisse, et consuevisse. Ratio quidem ex Bochart ab eo adducta, prorsus cadit, cum auctor in sua Sacra Geographia non affirmet duo illa vocabula *Terebinthus* et *Butam*, seu *Budam*, apud Assyrios et Græcos in significatione sibi cohærere; sed denotare, et respondere vocabulo Persarum *Buddas*, et usurpari pro Terebintho, impio Manetis præceptore.

6. Quamvis tamen Bochart Beausobrianis suffragaretur conjecturis, minime nobis negotium facesseret, ut vetustiorum PP. sententias in angulum veluti falsas rejiceremus. Cum enim Cyrillus aperte scripsit: *Ne ex proprio nomine in Perside cognosceretur, Buddam seipsum vocavit*, dolosum fraudulentumque Terebinthi studium enuntiavit, quo sua et magistri **18** facinora tegere quæsivit. Hoc ipsum cum ex Cyrilli (*b*), tum Epiphanii dictis Photius (*c*) confirmavit, dicendo Terebinthum in Persidem profectum, assumpto Buddæ nomine. *Jam enim ejus fama pervagata, odium impio viro conciliaverat antequam in cujusquam consortium veniret.* Quid plura? Petrus Siculus, qui Manichæorum res gestas diligenter, cum ex aliorum scriptis, tum constanti aliorum fama et traditione edoctus, hactenus dictis suffragatus est. Mirum tamen nobis videtur quod Beausobre in evolvendis antiquorum scriptis nec unum saltem invenerit qui affirmaverit *Terebinthi* vocem a Græcis assumptam ad arborem significandam, ab Assyriis deinde pro *Budda*, seu *Butha* interpretari. Quæ causa esset, ut ipse ait, quare hoc postremum nomen Persæ Terebintho imponerent; quasi studiosi hunc hominem vernaculo potius idiomate quam Græco vocitare. Mirum, inquam, quod nec unus id testatus fuerit. Quapropter ad præsentem quæstionem haud quaquam faciunt tria illa exempla audacter ex sacris litteris desumpta, in quibus ad unam eamdemque personam designandam, voces duæ illæ (spectata idiomatum diversitate) geminari necesse fuit. Ipsi namque sacri scriptores geminationis causam indicarunt, ad quamcumque æquivocationem præcavendam. Et ne quis ab adductis exemplis nos velle abscedere in præsens existimet, ad eas Scripturas novi Testamenti provocamus, in quibus mentio facta est de Christo et Messia, de Petro, et Cephas, de Tabitha et Dorcas. In omnibus enim iis sacri scriptores, et horum interpretes, æconomiæ formulis usi sunt, ad idiomatum et interpretationum diversitatem indicandam; ne quis in errorem ductus, geminari etiam personas arbitraretur. De Christo quidem et Messia locutus est Joannes scribens (*d*): *Scio quia venit Messias, qui dicitur Christus;* et clarius in alio textu, idem Joannes, referens verba Andreæ, fratris Simonis Petri, scribit: *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.* Rursus idem Joannes verba facturus de Petro, et Cephas, habet: *Tu es Simon Bar-Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Atque

(*a*) Nos non irrideat lector, cum in percurrendis his nostris Exercitationibus *Buddæ* vocabulum descriptum offendat, geminata littera *d*; Cyrillum enim Hierosolymitanum, aliosque antiquos scriptores, sumus secuti. Quamvis Beausobre et alii recentiores *Buda* pro *Budda* retinuerint.

(*b*) Cyrillus, catechesi 6, ubi supra.

(*c*) Photius, cap. 12, apud Wolfium, pag. 41, narrat, Scythiano mala morte functo, Terebinthum in omnium opprobrium venisse. *Cum in Palæstina et Judæa degens, ac piorum omnium judicio damnatus opprobrium non ferens, Persidem proficiscitur, assumpto Buddæ nomine.*

(*d*) Joannis IV, 25. Joannis I, 41, 42.

tandem sanctus Lucas, in apostolorum Actis (*a*), ad tollendam quamcumque sermonis ambiguitatem, de Tabitha disserens, hæc habet : *In Joppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas*. Innumera quidem alia id genus exempla in Scripturis et apud SS. PP. offendimus, quibus in præsens insistere supervacaneum ducimus, ne in rejiciendis iis quæ ad fucum faciendum Beausobre adducere solet prolixius procedamus. Igitur huic argumento finem daturi, sic claudimus sermonem. Cum igitur inter tot et tam varios antiquos scriptores, nec unus dixerit *Terebinthum*, Græcam vocem, Syriace *Buddas* interpretari, plane ignoramus qua licentia Beausobre ad præcedentia exempla ex Scripturis mutuata provocare voluerit, ut vetustos sanctos PP. et scriptores qui de Manichaicis rebus disserunt in malam fidem adduceret, eosque tamquam imposturarum et mendaciorum reos morderet; at tolerabilia tamen judicari possent quæ in hoc capite hactenus de Terebintho scripsit Beausobre (*b*), si postmodum latiorem adhuc viam non sibi aperuisset ad evertenda alia majoris momenti quæ de Manichæis antiquiores scriptores tradidere ; vel si omni animi sui studio non conaretur ea religionis Christianæ dogmata abolere, quorum sacris in litteris aperta mentio facta est.

19 7. Prioris generis ea sunt quæ ibidem scripsit de *Buddæ*, seu *Terebinthi*, disputationibus apud Babyloniam cum Solis sacerdotibus institutis, quarum Cyrillus, Epiphanius, Photius, cæterique mentionem fecerunt. Quando videlicet scelestissimus homo famam et honorem simul sibi nancisci cupiens, se ex muliere virgine natum impudentissime gloriabatur, ut ex Archelai Actis etiam colligitur. Alterius vero generis sunt ea quæ scribit agens de præstigiis et dæmoniaca Terebinthi arte, in qua hunc sacrilegum apprime fuisse edoctum jam ipsi ex veterum testimoniis intelleximus. Contendit quippe Beausobre nulla ratione adduci posse ut credat malos angelos, sive dæmones, in elementa, homines cæterasque creatas res vim aliquam et potestatem exercere posse: atque ita suis partibus insistens, tamquam ridiculum damnat illum Romanæ Ecclesiæ ritum, quo divina ope implorata, super animatorum corpora, elementa, aliasque res sensu carentes, exorcismos et exsufflationes adhibet et pronuntiat ad dæmones expellendos.

Quod itaque ad prioris generis res spectat, mordicus laudatus criticus negat Terebinthum, seu Buddam Manichæum, se ex virginis utero, vel latere genitum et natum confingere et prædicare potuisse. Unum enim, ait ipse, ex præcipuis Manichæorum dogmatibus istud erat, Incarnationis divini Verbi mysterium, duarumque naturarum in una persona unionem inficiari, ex ea videlicet ducti ratione, mulierem virginem numquam sine carnali concubitu et viri semine posse filium hominem concipere, et in lucem edere. Ejusmodi commentum (subjicit) altero hujus nominis viro, qui fuit auctor sectæ Gymnosophistarum esse tribuendum, veteres scriptores affirmarunt. Quorum nonnulli etiam illud Simoni Mago ascripserunt. S. Hieronymus tandem, libro contra Jovinianum, expresse hujus imposturæ auctorem facit Buddam Indum, ita scribens : *Apud Gymnosophistas Indiæ, quasi per manus hujus opinionis auctoritas traditur, quod Buddam principem eorum e latere suo virgo generavit* (*c*). Fateor quidem hæc de Budda Manichæo a Cyrillo, Epiphanio, Photio aliisque qui Manichæorum gesta scripto consignarunt, non affirmari ; eam tamen fabulosam ex utero virginali generationem in Archelai Actis recenseri. Sed quid inde? An ejusmodi narratio continebatur in autographis actis et in vetustioribus exemplaribus illius habitæ

A disputationis? An quisquam usquam gentium id affirmavit? Acta enim illa, etiam suffragantibus doctissimis viris, modo interpretum studio, modo amanuensium oscitantia et ignavia, pluries gravius interpolata et vulnerata fuere ; ut vix in præsens, et ne vix quidem, de eorum integritate judicare possimus. Quare mihi facile persuadeo quod si præter Buddam Manichæum alium Indum nos admittere oporteat, Gymnosophistarum sectæ auctorem, imperiti quandoque amanuenses, ex nominis similitudine decepti, fabulosam illam generationem, veluti a Budda Manichæo prædicatam, Archelai Actis inseruerint. Nostræ quidem conjecturæ favet aliorum scriptorum silentium, et ipsius Beausobre testimonium. Is enim pene innumeris locis contendit Cyrillum, Epiphanium, Photium, Petrum Siculum, cæterosque scriptores, in Manichaicis rebus narrandis, Archelai Actis (quæ apocrypha appellat) institisse, atque singula in istis contenta, aut summatim, aut prolixius in sua scripta traduxisse. Cum igitur, eodem Beausobre auctore,
B nullus alius scriptor Archelao posterior, de fabulosa hac generatione, tamquam a Budda Manichæo prædicata, ullum prorsus verbum fecerit, necessum erit judicare, neque in autographis Archelai scriptis, nec in vetustioribus horum exemplaribus, tum contineri ; vel si continebatur, eam tamquam spurium additamentum rejecisse.

Quamquam tamen Buddas ille de quo agimus forte fabulam illam **20** de sui generatione non confinxerit et in vulgus sparserit, nihilominus sine audaciæ nota inficiari haud possumus hunc Manichæorum alterum principem cum Solis sacerdotibus et Persarum eruditis viris disputationes habere voluisse. Cyrillus namque, postquam hujus e Palæstinæ finibus fugam nominis mutationem, atque in Persidem transitum descripsit, statim subdidit (*d*) : *Verum illic habuit adversarios sacerdotes Solis, et, multis sermonibus concertationibusque commotis, redarguebatur. Demum cum esset comprehendendus, profugit ad quamdam viduam.*
C Photius quoque cum dixisset hunc versipellem nullum fructum ex mutato nomine percepisse, et *cum ex operibus et ex doctrina iis qui ipsum prius ignorabant notus evasisset, a viris apud Persas eruditis qui non pie quidem sentiebant, sed meliorem tamen eo circa omnia sententiam tuebantur, confutatus et expulsus est.*

8. De quibus autem rebus Buddas cum Persarum sacerdotibus, quæstiones disputationesque habuerit, non mihi judicandum sentio, ne temeritatis nota inurar. Rem tamen diligentius Beausobre perquirere nisus est, et aliquod discrimen offendens inter Archelai scribendi modum et Epiphanii dicendi rationem, horum testimonia cum facile sine ulla repugnantiæ nota conciliare potuisset, neglexit ; et præcedentem suæ critices methodum secutus, Zoroastris et Persarum de duobus principiis, vel uno tantum, animarumque ex corporibus in corpora transmigratione systemata laudatos PP. minime intellexisse contendit, ut ipse probaturus, in altera Historiæ
D parte sibi reservasse affirmat. Concludit denique, ex Archelai testimonio, hunc non dixisse disputationem Buddam inter et Persarum sacerdotes, sive sapientes, ad duorum principiorum existentiam pertinuisse, sed potius respexisse ad bellum ab adversariis potestatibus contra Deum factum. Nos vero si sedulo hæc perpendamus, an non affirmare cogemur Beausobre nugis dumtaxat delectari? Si enim habita disputatio, auctore Archelao, fuit circa bellum quod adversi principes, vel potestates, ante externam rerum emolitionem Deo fecerunt, jamjam Buddas duo æterna principia inter se repugnantia audacius propugnabat, ut affirmavit Epiphanius (*e*). Propterea, quale discrimen inesse in utriusque auctoris loquendi modo

(*a*) Actorum IX, 36, 40.
(*b*) Beausobre, cap. 5, lib. 1 Hist. Manichæorum, pag. 62.
(*c*) S. Hieronymus, lib. I contra Jovinianum pag. 345.
(*d*) Cyrillus Hierosolymitanus, ubi supra. Photius, in superioribus laudatus.
(*e*) Epiphanius, hæresi 66.

dicemus, cum utraque oratio eumdem prorsus scopum A attingat, ea dumtaxat verborum diversitate admissa, ut Archelaus (a) prolixius, pressius autem seu strictius, Epiphanius disputationem descripserit? Photius tandem asseverat (b) dumtaxat Buddam et Solis sacerdotes disputasse, hosque rectius quam ille Manichæus sentiret disseruisse. Et quidem suis disputationibus nullum prorsus discipulum sibi acquisivisse, si viduam illam amicam excipiamus, dolis malisque artibus deceptam, apud quam hospitio excipiebatur, jam ex Archelai narratione innotescit. Qui deinde addidit: *Mane primo ascendit solarium quoddam excelsum, ubi nomina quædam cœpit invocare, quæ nobis Turbo dixit solos septem electos didicisse.* Quid vero Buddam post suum in solarium ascensum fecerit, quidve, Deo vindictam agente, eidem contigerit, statim subdidit Archelaus. *Cum ergo* (ait) *ascendisset, ritus nescio cujus vel artificii gratia, solus autem ascendit, ne inde ab aliquo convinci posset.... Hæc eo cogitante, justissimus Deus sub terras eum detrudi per spiritum jussit.*

Narrationem ejusmodi multis de causis labare affirmat Beausobre. Nam ubi Archelaus dixit Buddam quædam invocasse nomina, Cyrillus ab ipso recedens, *dæmones aereos* substituit, et eos quos Manichæi in suis sacrificiis seu conventibus, ut interpretatur (c) Christophorus Wolfius, invocare consuescunt. Post hæc animadvertit Beausobre neque convenire
21 Græcos scriptores in recensendis ritibus a Budda adhibitis, cum Archelaus dixerit dumtaxat *solarium ascendisse, ad quædam nomina invocanda*; et Epiphanius contendat eos ritus magicos fuisse ut præternaturale aliquod signum patraret, ad suorum adversariorum ora occludenda. Archelaus concludit denique *spiritum* a Deo jussum fuisse ut Buddam e solario in terram detruderet, quem spiritum Epiphanius angelum appellavit; et Cedrenus, quasi huic tragicæ scenæ præfuisset, angelum describit aggredientem nefarium Terebinthum, ut repente præcipitem dejiceret. Labare ergo hæc omnia certo sibi Beausobre C persuadet, cum nemini innotescere potuerint absque revelatione. Ad tollendas porro has antiquas contra hæreticos præjudicatas opiniones, studium suum convertit Beausobre, et sibi quasi sublanditur posse sapientioribus animadversionibus uti, pro rerum veritate cognoscenda, insistendo dumtaxat Archelai narrationi, quam *simplicem, naturalem*, atque *innocentem* appellat. Cujus generis prior animadversio ea est: Buddam, videlicet, primo mane solarium domus ascendisse, ut Deum oraret, et solus quidem ascendit (ait) ut divinis mandatis obtemperaret, quibus dictum est, ut orantes ab oculis et hominum frequentia fugiamus. Altera animadversio spectat ad Manichaicum orandi ritum, a Zoroastris institutionibus derivatum, quo sectatores jubentur vultibus ad Orientem conversis orare, sibi confingentes ignem illum in sole conspectum, cum thronum, tum divinam præsentiam significare (d). Tertio animadvertit Orientis populos orationum causa domorum tecta consuevisse ascendere, ut colligitur de Petro in Joppen D orante (e), et de Esther domus superiora ascendente, cum secreto aliquid facere recogitaret. Lepide quidem Beausobre! Sed haud intelligo qua ratione sive licentia tria illa prædicare nitatur, tamquam Scripturarum dictis conformia, et iis ritibus consona quos antiqui catholici, et sacri viri in eorum precibus adhibebant. In abscondito quidem orare oportet, ad vanam nimirum gloriam præcavendam, eamque sibi animi attentionem conciliandam quæ maxime necessaria est ut cordis motus cogitationesque cohibeantur ne extra Deum vagentur. At orationis scopum sibi tum proposuisse Buddam quis arbitrabitur? Aut saltem eo in proposito divinis mandatis obsequi voluisse, quis umquam confinget? Jam aderant sacerdotes Solis, quos tamquam sibi adversarios (utpote ab eorum disputationibus superatus) in concionem vocaverat, ut præstigiarum suarum testes adessent. Accedit deinde Manichæorum palmare dogma fuisse, lucem, et solem ipsum, non tamquam Dei summi sedem et thronum intueri, sed eum veluti verum Deum adorare, ut inter cæteros SS. PP. summus pontifex Leo primus variis in locis testatus est, expresse de Manichæis Romæ deprehensis orientem solem adorantibus disserens *qui se reflectebant, et curvatis cervicibus, in honorem se splendidi orbis inclinabant.* Istud autem *fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu*, S. P. dolens arbitratus est, subjiciens: *Quia etsi quidam forte Creatorem potius pulchri luminis quam ipsum lumen, quod est creatura,* B venerari intenderent, tamen ejusmodi officiorum ritum nihil differre a gentilium superstitioso cultu paucis demonstrat, subdens: *Abjiciatur ergo a consuetudine fidelium damnanda perversitas, nec honor uni Deo debitus eorum ritibus qui creaturis deserviunt misceatur.* Hæc autem dixisse et scripsisse Leonem, ut quosdam Romanæ Ecclesiæ Christianos a pravis Manichæorum institutis deceptos ab ejusmodi orandi ritu amoveret, jam totus illius sermonis textus patefacit. Sed Manichæos soli atque sideribus, quemadmodum pagani, quamvis alio principio ductos, 22
cultum adhibuisse, innumeris argumentis constabit. Legimus deinde S. Petrum in Joppen circa *horam sextam*, non *ad solis ortum*, ascendisse in *superiora*. At nullibi constat domus tectum conscendisse. Et Scriptura de oratione reginæ Esther verba faciens, dumtaxat testatur *eam in cinere et stercore stetisse*, corpus suum *jejuniis* humiliasse, *omnia loca* in quibus antea lætabatur *crinium laceratione implevisse*, et semper ad Dominum conversa dixisse: *Adjuva me solitariam, et cujus præter te nullus est auxiliator alius* (f). Ubinam ergo invenit Priceus, a Beausobre laudatus, reginam Esther in sui palatii planitiem se recipere consuevisse, ad secretiora forte Judaicæ religionis exercitia agenda? Id quidem ex Danielis historia quasi obscure colligimus; quod forte dissimulavit Beausobre, ne suo se jugulo premeret. De propheta autem Domini sacer textus narrat quemadmodum, tribus dierum horis statutis, *ingressus domum suam, et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem flectebat genua sua, et adorabat* (g). Qui sane agendi modus ad templum potius Hierosolymis constructum, quam ad Orientem Danielem orantem respicere voluisse significat. Beausobre ergo nulla ratione prohibere poterit quin arbitremur S. Petrum in Joppen, apud Simonem diversantem, sexta diei hora domus superiora ascendisse, ut vultu ad Hierosolymitanum templum converso Deum oraret.

9. Isthæc tamen prætereamus. Quæ quamvis quoddam virus præ se ferant, quo sensim hæretici catholicorum pietatem corrumpere student, nobisque negotium facessant in iis quæ ad sanctissimos Christi ritus et cæremonias pertinent; quas vel subvertere ipsi heterodoxi nituntur, aut saltem eas non ab apostolorum institutionibus et divinis quandoque mandatis derivari, sed ab hominum voluntate, et arbitrio, et a diversarum regionum usu populorumque consuetudine potius pendere confingunt; tanti tamen momenti haud sunt, ut veræ religionis dogmata aut

(a) Archelaus, in Actis disputationis, pag. 97.
(b) Photius, ubi supra, apud Christophorum Wolfium, p. 42 et seqq.
(c) Christophorus Wolfius, in notis ad lib. I Photii contra Manichæos.
(d) S. Leo Magnus, serm. 7 de Nativitate, cap. 4: *De talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut sol inchoatione diurnæ lucis exsurgens a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur.* Consule etiam epist. 15, ad Turribium Asturic., cap. 11.
(e) Act. Apost. x, 32.
(f) Lib. Esther xiv, 1 et seqq.
(g) Dan. vi, 10.

dejiciant, aut in apertum contemptum adducant, potissimum si sacrorum pastorum auctoritatem in ecclesiasticis ritibus ut cæremoniis præscribendis non offendant (*a*). Nobis itaque gravius dolendum fuit quod Beausobrianum ingenium multiplex et tortuosum in iis etiam moveatur quæ expresse in sacris litteris tradita sunt, et apertam suam infidelitatem multis calumniis circumseptam in aliorum animum quærat insinuare, præmisso consueto vanæ et fallacis eruditionis apparatu; ut improvidum quandoque lectorem, qui novitatibus potius quam pietate delectatur, demulceat, illiciis et laqueis perstrictum devinciat. Cujus generis quidem censeri debent cætera omnia quæ in fine illius capitis subdit, Terebinthi, seu Buddæ Manichæi historiam ex Græcis (*b*) Latinisque PP. ad exitum perducturus. Hujus itaque hæretici res gestas subtilius inquirens, tamquam probabile autumat, et vendit magorum superstitionibus ea de causa imbutum fuisse, quia e Babyloniorum gente derivatum, cujus philosophi angelos non tamquam deos, sed tamquam Divinitatis ministros, venerari consueverant; ea nimirum ducti persuasione, quod inter ipsos quodam servato ordine anni diebus mensibusque præessent, quemadmodum et elementis et rebus omnibus quæ in hac vita hominibus contingere solent. Et quasi quod catholica Ecclesia ab hac Babyloniensium et Persarum superstitione sacrum cum festorum dierum, tum divinorum officiorum ritum atque ordinem haurire **23** potuerit, audacius affirmat eas gentes suos angelos tamquam sequestres mediatoresque interpellare consuevisse, quemadmodum recentiores catholici, singulis anni diebus, de aliquo sancto in quotidianis officiis et liturgiis faciunt mentionem. Preces autem ejusmodi veneficia et magicos cantus a Mahometanis appellari asseverat. Post tantam tamen nugarum et falsitatum suppellectilem, idem Beausobre se hærere suspensum ait ut angelorum nomina, seu cœlorum intelligentias, ob quamdam *disciplinam arcani*, non nisi Manichæorum electis, qui longe septenarium numerum excedebant, fuisse revelata, ut Turbo coram Archelao Caschara episcopo, se sistens confessus est. Etenim Augustinus, qui hujus sectæ quondam dumtaxat fuit auditor, cujusdam *amatorii cantici* meminit, in quo *æonæ* inveniuntur conscriptæ. Quare mihi videtur non sibi constare Beausobre, qui nunc contemnens vel haud animadvertens ea quæ de Terebinthi, Buddæ, id est Babyloniorum et Persarum superstitiosis institutis, mox scripserat, contendit Manichæos non invocasse angelos, quamvis istis honorem et laudes adhibuissent; et Cyrillum taxat quod *angelos* cum *dæmonibus* confuderit; postulando Manichæos, quod aereos dæmones terram inter et lunæ spatium interclusos invocaverint. Hos autem non invocari, sed prorsus abominari affirmat, Turbonis confessione adductus (*c*), qui dixit Manetem præcepisse suis sectatoribus ut sumpto cibo capita *oleo exorcizato* inungerent, invocatis, seu prolatis, quibusdam nominibus, mysteria falsæ illius religionis significantibus; quorum nominum cognitio, solis *septem*, id est septuaginta, electis reservaverat. Oleum deinde hocce *exorcizatum* juxta Græcam et Latinam versionem *fascinatum* Tillemontius appellatum voluit. Quare Beausobre hisce duabus vocibus insistens subdit: Si *exorcizatum* pro *fascinato* sumi debet, quid dicendum erit

A de tot tantisque Romanæ Ecclesiæ ritibus et cæremoniis? Itaque concludit: Si ergo Manichæi exorcismos supra oleum proferebant, antequam eo uterentur, jam innotescit Manichæos ab ea ridicula opinione fuisse præventos, dæmones elementa et corpora vexare posse, quæ opinio cum admodum in Ecclesia prævaluerit, supplicationibus et exorcismis utitur ad eos expellendos.

10. Hisce tandem omnibus nos insistere sedulo oportet, ad eripiendas fallacias, falsas criminationes, irrisionesque, quibus et catholicam Ecclesiam sycophanta Beausobre insectari ausus est. Is ergo imprimis hæreticorum *æona* cum angelis atque dæmonibus confundit; quorum *æonum* architecti fuerunt Simon Magus, hæreticorum princeps, Montanus, Menandriani, Saturniliani, Cerinthiani, Carpocratiani, Valentiniani, aliique, ex Marco Ægyptio derivati; qui veterum poetarum et ethnicorum ludo instructi, fabulose *æonum* existentiam et exercitum commenti B sunt, quos pro arbitratu variis nominibus deinde donarunt, ob diversa munera quibus fungi confingebant somniantes. Sed longe alia fuit veterum ethnicorum doctrina. Nam quamvis fidei illustratione carerent, tamen Hesiodus (*d*) omnium primus, Deum inter, supremum locum habentem, et homines in infimo positos, quosdam interjectos spiritus immortales, ratione et intelligentia quadam præditos, exstare cognovit, quos *dæmones*, sive *genios*, **24** appellavit; hosque angelos nos nominamus. Luculentissime præterea de dæmonibus Plato fecit mentionem, et potissimum in Timæo, quos orbibus illigatos, immo orbes ipsos ac stellas quasi deos inferiores arbitratur: secundum quos *dæmones*, alios generatione propagatos infimosque describit. Qui cum natura sua dissolubiles sint et mortales, suprema tamen voluntate Dei, quæ natura fortior est, immortales erunt et æterni. Ab his autem animalia esse procreata; immo et corpora ipsa, in quæ humanas ipse animas infudit, asseverat. Platoni suffragatur ejus interpres Alcinous, Hostanes C magus, Orphæus, Thaletes, Pythagoras aliique, qui revera dæmones, seu angelos, sine ulla prorsus dubitatione exstare affirmarunt; quamvis de eorum natura et proprietatibus aliter ac aliter fuerint ratiocinati. Ad alterum systema de *æonum* existentia hactenus omnibus scriptoribus tamquam fabulosum commentum inextricabile apparuit. Hosque etiam apud eorumdem architectos aliquid commune habere cum iis substantiis quas angelos, seu dæmones, appellamus, nulla certa ratione adhuc exploratum est. Non ergo Augustinus de *amatorio* illo Manichæorum *cantico* faciens mentionem, in quo *æones* descripti inveniebantur, angelos, seu dæmones, indicari credidit: sed optime horum hæreticorum fraudes novit, falsas illas intelligentias in sideribus et orbibus affixas confingentium. Qui cum superstitiosa persuasione ducerentur, totam hominis vitam ex siderum, elementorum, seu *æonum*, pendere affectionibus, horum influxus sibi propitiari posse, mentiebantur, D aut saltem mutari quandoque, si iisdem supplicaretur; quando, videlicet, ex erratico eorum motu, vel stabili permanentia, malignis quibusdam aspectibus nocerent. Noster Leo Magnus variis in locis, cum Manichæos, tum Priscillianistas, horum mendaciorum propugnatores, exagitat, ita eos perstringens: *Quid autem est sol, vel quid est luna, nisi visibiles creaturæ,*

(*a*) Rituum diversitas quæ ab apostolorum institutis derivata non sit Rom. PP. et conciliorum auctoritate fuit proscripta. Novissime id innotescit, cum ex Constitutionibus Benedicti XIV summi pontificis, tum ex ejus Operibus typis mandatis. Porro de hac rituum diversitate verba facit in tribus libris de Missæ Sacrificio, et in aliis de Synodis, quos lector magnæ eruditionis cupidus lustrare poterit.

(*b*) Beausobre, lib. I Historiæ Manichæorum, cap. 5.

(*c*) *Præcepit electis suis, cum desinerent manducantes orarent, et mitterent oleum super caput exorcizatum, invocatis nominibus plurimis ad confirmationem fidei hujus. Nomina autem mihi non manifestavit; soli enim illi septem utuntur his nominibus.* Acta disp. Archelai, edita Romæ a clariss. viro Zaccagnio.

(*d*) Hesiodus, I Oper.

Ii quidem dæmones facti sunt Jovis magni consilio,
Boni, terrestres, custodes mortalium hominum.
Qui observant justa et prava opera.
Aerem induti, passim euntes per terram,
Opum largitores, atque hoc præmium regale sortiti sunt

et corporeæ lucis elementa? Quorum unum majoris claritatis, et aliud minoris est luminis (*a*). Deinde diurna tempora a nocturnis distinguens, diversas qualitates, non vitæ gradus iis inesse suadet, cum priusquam luminaria et sidera fierent, tres dies sine solis cursu, et noctes sine lunæ siderumque *ministerio* præcessissent. Quare ergo quarta die omnium Creator ea condiderit, hisce subsequentibus verbis indicat. Ut nimirum essent ad hominum utilitatem : *Ut rationale animal, nec in distinctione mensium, nec in recursu annorum, nec in dinumeratione temporum falleretur; cum per inæqualium horarum impares moras, et dissimilium ortuum signa manifesta, et annos sol concluderet, et luna menses renovaret.*

11. At si mihi nunc liceret diutius in expendendis antiquorum Babylonensium et Persarum philosophorum superstitionibus immorari, qui singulis horis, diebus et annorum mensibus, varias æonum conjunctiones affixas esse contendebant, a quibus hominum fata pendere mentiebantur, quos deinde sibi opitulari et propitiari deprecabantur; jam facilius demonstrare possem, nullam prorsus cum nostris ritibus habere similitudinem et affinitatem. Quis enim sibi persuadet *Belial* cum *Deo* convenire, et *idolum* (*b*) habere aliquam cum veritate affinitatem et similitudinem? Idolum quippe purum putumque figmentum est, a mendacio quidem adinventum ad rationales substantias decipiendas. Idcirco si, auctore Leone, divinarum Scripturarum interprete sapientissimo, divina omnipotentia factum est ut ad nostram utilitatem sidera cæteraque cœlestis militiæ signa, sensu et vita carentia, servato dierum, mensium et annorum ordine, quem sacræ etiam litteræ veteris Testamenti potissimum expresserunt, temporum successiones distinguerent; jam solam divinam virtutem et providentiam laudare oportet, quæ talia signa ad nostram scientiam, institutionem **25** et beneficium condere voluerit. Cæterum cum cœlorum aspirationes, acris immutationes, siderum, vel æonum, ascensiones, descensiones, cursus, gradus, retrogradationes, ortus et interitus, necessario omnino efficiantur, et a mortua natura deriventur; quæ laus, qui honor, vel cultus rationabiliter iis adhiberi poterit? Nihil ergo superstitiosius, nihil magis veritati contrarium, quam vana et fallax cum ethnicorum, tum veterum hæreticorum philosophia, qua, cum mirabilia in orbe contingentia intuerentur, æonum affectibus deputabant. Et propterea variis nominibus excogitatis ad eos invocandos, etiam in sacris mysteriis sibi propitiari posse stulte arbitrabantur. Quemadmodum de Montano et Cataphrygis, hæresum auctoribus, inter cæteros scripsit Augustinus (*c*); qui, loco sacræ baptismatis expiationis et regenerationis, immundo lavacro suos asseclas abluebant, tot *æonum* nominibus recitatis, quot in integro anni circulo contineri somniabant. Hunc autem, Montanum videlicet, octingentos septuaginta æones, quos singulos proprio nomine vocitabat, excogitasse, ex libello synodico intelligimus. Catholicorum autem rituum et festorum institutio, quam affinitatem et similitudinem cum hisce fabulosis figmentis habere potest? An non catholica Ecclesia in festorum ordine distribuendo, in officiis et liturgiis recitandis, spectata temporum diversitate et mysteriorum dignitate, quæ solemni cultu ob divinam institutionem celebrari debent, Deo optimo maximo laudes persolvit? Soli Deo quidem in offi-

A ciis, liturgiis cæterisque, cum publicis, tum privatis, supplicationibus, servitutis cultum impendunt catholici, et ad eum preces, voces et corda dirigunt. Unde ergo colligit Beausobre quod quotidiani catholicorum religionis ritus cum Babylonensium, Persarum et magorum superstitiosis cæremoniis in quibusdam comparari possint? At similitudinem forte, vel affinitatem, in eo consistere arbitrabitur, quod Romana Ecclesia, quosdam anniversarios festos quibusdam temporum diebus consecraverit, quos deinde sanctioribus ritibus et cæremoniis agendos esse præcepit? Vel quia singulis anni diebus, recurrente natali alicujus viri, sanctitate, doctrina, martyrio, virginitate celeberrimi, horum insigniora et probata virtutum facinora, in fidelium mentes revocare consuevit, tum ad divinam laudem persolvendam, tum ad imitationis studium in iis excitandum? in his ergo nihil prorsus inveniri posse quod Persarum, Babylonensium et magorum superstitiosis solemnitatibus et fabulosis ritibus in æonum et siderum cultu adhibitis respon-

B deat, certissimum est. Quare si cum alio homine præter Beausobre in præsens mihi esset agendum, professione videlicet gentili, atheo, vel *epicureo*, qui nec Scripturis sacris, nec divinis *mandatis insisteret*, utique ad solas rationes ex *lumine naturali* mutuatas provocarem, ut Romanæ Ecclesiæ rituum sanctitatem, dignitatem et præstantiam, explicarem. Sed cum istud negotium ad Christianum, sed acatholicum, virum pertineat, qui præter Scripturarum veteris Testamenti auctoritatem, in quibus de aliis atque aliis statutis anni solemnitatibus et institutionibus perspicua mentio facta est, etiam evangelica novi Testamenti mandata admittere debet; simulque ea omnia mysteria profiteri quæ ad Jesu Christi conceptionem, nativitatem, circumcisionem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, et id genus alia referuntur: idcirco stultissimam personam Beausobre in iis recensendis agere voluisse intelligo, qui lautissime in Persarum et Babylonensium fabulis lu-

C dens, imperitis nimiumque credulis lectioribus, de Romana Ecclesia haud pie et sapienter sentientibus, toto sui studii conatu illudere et fucum facere contenderit.

12. Atque (ut ad cætera redeam) idem Beausobre non meminit dæmones sacris etiam evangelicis dictis, angelos appellari? Spiritus quidem illos qui, cum diabolo per superbiam e divina gratia excidentes, ad **26** æternos ignis cruciatus fuerunt damnati, Christus apud Matthæum angelos appellat; et Scripturæ ipsæ, aliis in locis, angelos malos, dæmonum *nomine* indicant. Non mirum igitur si Cyrillus affirmet Terebinthum, seu Buddam, in sui præsidium *aereos dæmones* advocasse. Cujus tamen testimonium etiam Turbonis confessioni cohæret, qui exsecraturus Manichæorum ritus dixit hos post acceptum cibum et potum *oleo exorcizato* capita inungere consuevisse. *Exorcizati* enim nomine oleum magice effascinatum intelligere oportet; quo videlicet necromantici uti solent, in advocandis sibi in præsidium malis spiriti-

D bus, a quibus opem assequuntur, cum per præstigias aliquod contra naturæ ordinem facere pertentant (*d*). Non ergo Tillemontio, docto viro, in crimen verti poterat quod pro *exorcizato fascinatum* interpretari voluerit. Novit quippe Ecclesiasticæ Historiæ scriptor antiquos (*e*) magos caecos, lucernas, aquam, oleum, aliasque res *fascinatas* adhibere consuevisse, non ad

(*a*) S. Leo Magnus, serm. 26, qui est 7 de Nativitate. Item serm. 82, de oct. Apost. et epist. 15, c. 12-14.

(*b*) S. Hieronymus, tom. IV edit. Rom. factæ a cl. Pamelio, ad cap. 42 lib. XII Commentariorum in Isaiam.

(*c*) Augustinus, libro de Hæresibus, et tom. VI, lib. contra epistolam fundamenti cap. 3. Libellus synodicus apud Concil. collectores, tom. I pag. 615.

(*d*) Consule concil. Illiberitanum cum notis Ferdinandi Mendocæ, tom. I Concil. pag. m. 1237, ad can. 34.

(*e*) De his magorum artibus videsis Tertullianum, lib. de Anim. c. 57; Lactan., lib. II Divin. Instit. cap. 1; Plin., lib. XXX cap. 2; Ciceronem, orat. in Vatinium; Horatium, lib. I, satira 8, de Canidiæ et Saganæ veneficiis; Philostratum in Vita Apollonii; Divum Aug., in Respon. ad 3 quæst. Simpliciani, lib. II.

expellendos, sed evocandos spiritus, ut ab his præsidia et opem obtinerent, et ad futurorum scientiam comparandam. De simili magorum arte, Plinio auctore, verba fecit Osthanes, qui hujus varias species describens, dixit quod ex aqua, ex sphæris, ex aere, ex stellis, lucernis, ac pelvibus, securibusque, et multis aliis modis, divina promittebant. Quare satis probabile est Manichæos, in hac arte peritissimos, oleo incantationibus profanato uti voluisse, ad malignos spiritus evocandos. Denique Tillemontii interpretationi minime repugnare arbitramur vocem illam quam in Turbonis confessione offendimus, *exorcizatum* nimirum. Turbonem enim uti oportuit loquendi formula quam Manes, cujus gesta recenset, adhibebat, qui sacras et naturales res nefariis ritibus profanatas exorcismos forte appellabat, ut magis perspicue suo loco videbimus. In his tandem sic patefactis atque explicatis longius laborare quisque supervacaneum arbitrabitur, cum majoris ponderis illa supersint eripienda, quibus vel affirmat *exorcismos* dignos esse ut irrisionibus (a) ludantur, nec sibi umquam persuaderi posse malignos spiritus, seu dæmones, vim habere elementa et corpora vexandi. Quid ita? Ut Beausobre professione Christianus, licet acatholicus, in evangelicis Scripturis versatus, de rebus a Christo Domino gestis, et ab apostolis descriptis optime instructus, audeat negare cum exorcismorum virtutem et efficaciam in dæmonibus expellendis, tum ipsorum dæmonum vim et furorem in animantia et sensu carentia exercenda? Quid est aliud, nisi credere, Matthæum, Marcum, atque Lucam fabulatos esse, vel cum dixere Jesum e corporibus *dæmonia* verbo ejecisse, vel cum duos homines Gerasenos Christo occurrentes descripserunt, qui de monumentis exeuntes dæmonia habebant, quique tam *sævi erant, ut nemo posset transire per viam illam* (b). Vexari deinde ab immundis spiritibus homines haud possunt, si Evangelistæ absque ulla verborum ambiguitate narrant oblatum fuisse Christo hominem cæcum et mutum: *Et ejecto dæmone locutus est mutus?* Si vero tandem his aliisque similibus Christi gestis in Beausobriana mente revocatis adhuc ipse suspensus hæreret, nec fidem adhiberet, in medium illud afferrem quod S. Lucas recensuit de illo patrefamilias qui ad Christum attulit filium suum *habentem spiritum* **27** *mutum*, qui, ubicumque eum apprehendebat, allidebat illum, et spumabat, et stridebat dentibus, et arescebat. An non ad Christi Domini præsentiam et imperium malignus ille spiritus *elisus in terram volutabatur spumans?* Quibus diris violentisque motibus, cum filius usque a primis infantiæ diebus agitaretur, frequenter vexatum *in ignem et in aquas misit, ut eum perderet?* Si ergo hisce aliisque certis argumentis quæ Beausobre objicere possumus non acquiescat, nec sibi persuadere velit Terebinthum, seu Buddam, a dæmone in terram projectum et agitatum interiisse, quid nobis negotii cum homine furente, rationis experte, qui dumtaxat pro animi impetu de religionis rebus ratiocinatur? Quod si tandem hos similesque effectus, quos nunc aliquando etiam conspicimus, a furoris vel maniæ morbis causari arbitrabitur, quid ineptius? Nugatorius prorsus esset evangelistarum sermo, quo Christus suæ vocis imperio dixit: *Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius non intres in eum.* Non absimilis esset illa alia immundorum spirituum Synagogæ viros torquentium exclamatio: *Quid nobis et tibi, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.* Vel hæc alia eorumdem spirituum Christo facta supplicatio: *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Qui tandem, audita statim ea Domini voce: *Ite, exeuntes*
A *abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, et mortui sunt in aquis.* Ejusmodi sane loquendi formulas nullum prorsus habere posse respectum ad furoris, maniæ, vel alios quoscumque morbos, nos experientia docet. Nam morbi sanantur, nec ita ejiciuntur, ut de uno in aliud corpus vitali progressione migrare possint. Ipsos numquam audivimus exclamantes, voces emittentes, vel rogantes; sed ipsi infirmi dumtaxat, qui a morbis corripiuntur, ægritudinum vim et dolores sentientes, in mœstitiæ voces et ululatus erumpunt, exposcentes ut medelam et levamen ipsis adhibeamus.

Hanc quidem Christi Domini in malis spiritibus ex hominum corporibus expellendis virtutem et potestatem Judaicus populus admirabatur. Quamquam revera non defuissent nequissimi calumniatores qui contenderent eum veneficiis et præstigiis uti in dæmonibus expellendis; tamen inficiari haud potuere, elementa et corpora a malis spiritibus quandoque vexari. Eam tamen calumniam: *In Belzebub principe*
B *dæmoniorum ejicit dæmonia* (c), una cum calumniatoribus coercuit subjiciens: *Si ego autem in Belzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? ideo ipsi judices vestri.* Quo loquendi modo indicatum est potestatem energumenos exorcizandi factam fuisse nonnullis aliis synagogæ filiis, qui palam testari poterant, non præstigiis, sed Christi nomine et omnipotentis Dei virtute et digito dæmonia ejecisse. Et quidem ad rem nostram mirifice facere videntur ea quæ de Joanne Christum alloquente Marcus narravit: *Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum.* Verum ne Joannes et cæteri apostoli et discipuli sibi persuaderent exorcizandi potestatem et exorcismorum vim ab humana pendere virtute, statim præcepit ne illum prohiberent, et subdidit: *Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me.* Veniat nunc igitur irrisor Beausobre, et secum agitet unde exorcismorum
C virtus derivetur, quidve in se contineant exorcismi, quibus tandem data fuerit exorcizandi potestas, et deinde eludat si potest sacrum illum ritum quem semper, tamquam a Filio Dei acceptum, catholica Romana Ecclesia retinuit. Et quidem exorcismorum vis et efficacia a Jesu nomine derivari, satis superque ex Scripturis sacris exploratum est. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum, in quo nos salvos fieri oporteat, quam illud. Potissimum cum illius invocatione omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Non ergo mirum si eo nomine in exorcismis invocato, tale præsidium auctoritatemque sacri Ecclesiæ ministri **28** assequantur, ut, procul amandatis ab energumenorum corporibus, malignis dæmonum spiritibus, homines qui dire prius vexabantur in posterum quemadmodum Magdalena, a qua Jesus *septem dæmonia* (d) ejecerat, nulla prorsus molestia aut diabolico furore torqueantur. Cum deinde vero ad exorcismorum naturam sive rationem animum convertimus, quid isti sint, quidve in se
D contineant illico intelligimus. Nec enim ejus generis esse possunt, ut cum veneficis incantationibus aliquid commune habere videantur. Cum potius ad effascinationes evertendas ab ipso Deo fuerint instituti. Quare nimis subdole et maligne Beausobre ratiocinatur, sacros hos divinosque ritus superstitiosis incantationibus æquiparando. Quod vero oratio jejuniis conjuncta spiritus etiam cæteris nequiores ejicere valeat, Christus ipse fassus est; quando videlicet a quibusdam rogatus cur oblatum dæmoniacum ejus discipuli non liberaverint, ipsis respondit: *Genus hoc dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione et jejunio.* Videat ergo Beausobre, atque tandem intelligat, quid

(a) Beausobre, Hist. Manichæorum tom. I, lib. I, cap. 5, pag. 62 et seqq.

(b) Passim evangelistæ testantur homines ab immundis spiritibus vexari, ut constat ex Matth. VIII, 16, 31; Marc. I, 24 et seqq; Lucæ VIII, 28 et seqq.

(c) Matth. VIII, 32; Lucæ IX, 19 et seqq., et XI, 15 et seqq.; Marci IX, 16.

(d) Marci IX, 37; Lucæ IX, 49; Lucæ VIII, 2.

de hac potestate Ecclesiæ ministris facta dicere oporteat? Jesu Christi quidem sacerdotes, et evangelistæ, legis sacros ministros supra dæmonia auctoritatem et virtutem consecutos esse, Lucas, Matthæus et Marcus evangelistæ luculentissime testati sunt. Dixerunt imprimis quod Christus missurus apostolos ad prædicandum Evangelium, dedit ipsis *virtutem et potestatem super omnia dæmonia* (*a*). Rursus de aliis septuaginta duobus discipulis, *quos binos miserat ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo ipse erat venturus*, legitur quod ab eorum ministerio reversi, sine ulla animi simulatione et verborum ambage dixerunt : *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Quod si Beausobre sola rixandi maledicendique libidine ductus, Ecclesiastica divinaque jura pervertens, contenderet forte virtutem et potestatem de qua agimus, apostolos dumtaxat et Christi discipulos comitatam esse ad ethnicorum religionis exitium, et Judæorum perfidiam incredulitatemque vincendam, minime ejus dictis acquiescere possemus. Etenim latius exploratum est hanc potestatem in dæmones fugandos perpetuo in Ecclesia fore duraturam, eamque a bonis et malis ministris æque posse exerceri. Hujus rei præclarum exstat testimonium apud Lucam; cum Christus, videlicet, malos Ecclesiæ ministros judicaturus, istis haudquaquam meritum et gloriæ coronam rependet, quamvis dicturi sint : *Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quia de Jesu hominum Salvatore optime mereri non possunt, qui virtute et ministerii potestate utentes, bonis moribus Christo Jesu se conformare non quærunt. At de exorcismorum virtute in dæmonibus expellendis cum satis dictum esse quisquis intelligat, haud difficile prorsus erit benevolo catholico lectori persuadere Buddam, seu Terebinthum, nequissimum præstigiatorem, a dæmonibus agitatum atque percussum, crudelem subiisse mortem, et repente ex præsentis lucis usura fuisse sublatum.

Ejusmodi denique malam mortem Beausobre palam inficiatur (*b*), et circulatoris verba adhibens, hunc Buddam cum alio quodam hujus nominis viro, Manetis pseudoapostolo et discipulo, toto sui animi conatu confundere ausus est. Propterea liberalior factus cum eo, diuturniorem vitam ei elargitur, ejus dies ad illud tempus usque perducens, quo Manes in impietatibus celebrior huc illucque duodecim falsorum suorum dogmatum annuntiatores discurrentes miserat, ad evangelicam Christi Domini doctrinam evertendam. Quod sane studiosum commentum si veritatis speciem dumtaxat habere censeremus, jamjam præsens hujus nostri laboris opus 29 foret inutile; nec labaret solum, sed prorsus concideret; et Beausobriani assentatores, qui hactenus Manichaicæ historiæ ab acatholico viro conscriptæ plauserunt, sibi nunc quod riderent magis esset, quam ut lamentarentur, cum incassum tot tantasque hæreticas et nugatorias fabulas, quibus laudata historia referta est, evertere et eripere voluissemus. Interim vero nemo mihi irascatur, si ad eripiendas præcedentes Beausobrianas ineptias veterum SS. PP. testimonia non adhibuerim, ut inde lectoribus magis innotesceret sacrarum Scripturarum textus non aliam subire interpretationem, nec violenter distorqueri posse, ad significanda quædam morborum genera, in humorum, spirituum nervorumque pugna atque conflictu consistentium, quos morbo nonnisi per similitudinem veteres medicinæ periti dæmoniacos appellarunt. Si istud enim argumenti genus adhuc in præsens expendere vellemus, multum operis nos impendere oporteret, et quasi extra nostrum concertandi ordinem vagari videremur. Non enim pro suis studiis et partibus unum solum vetustum catholicæ Ecclesiæ scriptorem Beausobre nobis objecit, aut objicere potuit. Optime intelligens Græcos Latinosque Ecclesiæ PP. simul consensisse in mox laudatis Scripturarum textibus explicandis, qui pariter ordinis exorcistarum vim potestatemque in dæmones expellendos, et asseruerunt, et summis laudibus ornarunt. Igitur non erat opus ad traditionem, sacrarum Scripturarum interpretem, provocare. Sed ne SS. PP. auctoritatem negligere videamur, in præsens sancti Leonis Magni unum alterumque testimonium subjicere non pigebit, potissimum cum ad hujus S. pontificis catholicæ et apostolicæ sedis doctoris scripta illustranda nostrum studium dirigere intendamus. Is itaque præcedentia SS. Matthæi, Lucæ et Marci verba explicaturus, ea de dæmoniorum spiritibus sine ulla prorsus sermonis ambiguitate verborumque involucro interpretatur, sævitiem illam expendens qua obsessorum corpora torqueri solent simulque illud imperium significans quo fugari solent, potissimum cum exorcistarum orationes (*c*) jejunio conjunguntur. Quare septimi mensis indicens jejunium, ut studiosius a fidelibus celebretur suadet. *Nam* (ait) *in omni agone certaminis Christiani militas continentiæ plurimum valet; ita ut quidam sævissimorum spiritus dæmonum qui ab obsessis corporibus nullis exorcisantium fugantur imperiis, sola jejuniorum et orationum virtute pellantur, dicente Domino : Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in jejunio et oratione. Grata est Deo et terribilis diabolo jejunantis oratio* (*d*). Sed præter hanc potestatem Ecclesiæ ministris factam pro ejiciendis ex obsessorum corporibus dæmonum spiritibus, alterius quoque exorcismorum generis meminit, quos sacerdotes aliique sacri ministri adhibere solent ad catechumenorum sanctificationem, antequam baptismatis expiatione mundentur; ut nimirum horum animæ a diabolica potestate eripiantur. Epistola ergo ad episcopos Siciliæ sic scribit : *His itaque, fratres charissimi, tot ac tantis existentibus documentis, quibus, omni ambiguitate submota, evidenter agnoscitis in baptizandis electis, qui, secundum apostolicam regulam, et exorcismis scrutandi, et jejuniis sanctificandi, et frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, Paschæ et Pentecosten esse servanda.* Animadvertat, quæso, Beausobre exorcismorum ritum non ab alio fonte quam a Scripturis et apostolorum regula derivari, ut hic innuere voluit noster sanctissimus pontifex, et ante eum affirmavit S. Siricius papa, in epistola ad Himerium Tarraconensem, et deinde carpat et mordeat, si potest, Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, et sacrorum ministrorum auctoritatem in exorcismis proferendis, hominumque corporibus et animabus e dæmoniaca potestate liberandis. At novam 30 congressionem cum Beausobre sequenti capite jam instituamus (*e*). Relictis interim quamplurimis aliis nugis, vel futilibus ejusdem conjecturis, quæ ad ecclesiasticam quam conscribere historiam intendimus nulla ratione possunt pertinere.

CAPUT IV.

De Manete et præcipuis ejus dogmatibus. Nova adhuc Beausobriana commenta deteguntur et evertuntur.

Quemadmodum Beausobre in describendis Scythiani et Terebinthi rebus et meritis nugari voluerit, et in utriusque Ecclesiæ Græcæ et Latinæ PP. audacius stylum strinxerit, sacras etiam Scripturas ad pravam aut violentam interpretationem distor-

(*a*) Matthæi x, 1; Marci iii, 16; Lucæ vi, 13, et ix, 1; Lucæ vii, 22.

(*b*) Beausobre, tom. I, p. 1; cap. 5, pag. 63.

(*c*) Matthæi xvii, 20; Marci ix, 28.

(*d*) S. Leo Magnus, epist. ad episcopos per Siciliam constitutos, capite 6, et serm. 81.

(*e*) Videsis August., lib. ii de Nup. et Concupiscentia cap. 20, et cap. *Sedis apostolicæ*, Cœlestino attributa, cap. 9.

quendo, satis explicatum arbitror superiori capite. In quo etiam ea referre consilium habueram quæ ad Manetis personam, patriam, parentes, doctrinam et errores pertinere videntur. At cum cognovissem illius capitis summam, ob varia Beausobriana argumenta, quorum plurima vix, ac ne vix quidem, ad auctoris institutum scribendæque historiæ scopum spectabant, nimium excrevisse, quæque quandoque nostris lectoribus in hisce lustrandis negotium facescere potuissent; idcirco ne præsens hæc nostra concertandi methodus confusionem pareret, separatim hoc loco de Manete solo verba facere æquius et prudentius existimavimus. In quod sane consilium confirmati fuimus, cum in percurrendis duobus Beausobrianis capitibus, sexto, videlicet, et septimo, talia tamque multa offendimus, quibus si singillatim occurrere vellemus, nostram hanc scribendi, disputandique rationem pene in immensum protraheremus. Quapropter nostri instituti rationem sequentes, ea dumtaxat discutienda et refellenda nobis proposuimus, quæ aut SS. PP. traditionem dejiciunt, aut sacros catholicæ Ecclesiæ ritus et dogmata, magna cum animarum pernicie, lædunt et evertunt. Nunc itaque sermonem primo auspicaturi a sexto (*a*) illo capite, cui sequentem titulum apponit Beausobre: ***Examen historiæ Manetis ante suam hæresim***, in quo Græcorum pariter et Latinorum testimonia proposuit, non ut iisdem insistat, sed, quemadmodum de Scythiano et Terebintho præcedentibus capitibus jam fecerat, auctores mordeat et exagitat, horumque testimonia suis ineptis commentariis refellenda esse contendat.

1. De Manetis Persæ hæretici itaque natali anno hujusque genuino nomine nunc agere incipiens, doctissimo viro amico nostro Simonio Assemano (*Tom. I, pag.* 393) subscribit, qui Edessenorum Chronicum secutus, in sua Orientali Bibliotheca hæc habet: ***Anno quingentesimo quinquagesimo primo natus est Manes;*** qui annus, juxta Græcorum æram, Christi anno bis centesimo quadragesimo respondet. Cujus quidem Edesseni Chronici testimonium, Beausobre alio Eutychii dicto confirmari posse jam pridem arbitrabatur, in quo legitur: Manetem sub Gordiani imperio apparuisse in orbem. Gordianus porro (ait) anno Christi 238 imperator renuntiatus est, et in eo usque permansit ad annum 244. At diligentem scriptorem, qualem se esse jactat Beausobre, Gordianos inter distinguere oportebat. Seniores enim imperium sibi in Africa usurparunt, dum Maximinus cum Germanis bellum gerebat. Qui deinde non multo post perempti, Balbinus et Pupienus cum Gordiano Juniore anno uno ambo imperium tenuere. Illi a militibus trucidati sunt anno 238. Hoc anno autem, Gordianus filius vel nepos illius **31** Gordiani in Africa occisi, habenas imperii obtinuit, et reportatis pluribus victoriis contra Persas, jussu Philippi, sexto elapso anno oppressus est. (*b*) Eutychii Alexandrini ergo historiam diligentiori examine subjiciens Beausobre, haud de Manetis natali anno ibi verba fieri deprehendit, sed de hujus jam evulgata hæresi, ob quam supplicio fuerat affectus. Hujus examinis occasione animadvertendum censuit Eutychium in turpe anacronismum fuisse lapsum, quod Varanis I Persarum Regis et Hormisdæ filii, regnum anno tertio Gordiani imperii statuere voluerit, quæ narratio evidentem falsitatem præsefert. (*c*) Abulpharagius enim Syrorum scriptor (ait) Varanem I regnare cœpisse quando Probus imperator renuntiatus, anno videlicet 276. At Abulpharagium hallucinari Beausobre animadvertere oportebat, cum ex chronicorum accuratissimis tabulis, (*d*) a cl. Dionysio Petavio editis, Varanes I regnum obtinuerit post Hormisdæ interitum, anno videlicet 273, et ille qui Persis dominari cœpit quando Probus imperator renuntiatus fuit, Varanes II appellabatur, regnumque illud ab anno 273 ad annum 293 occupavit. Levissima tamen cum sint hæc, iis insistere supervacaneum ducimus. Notare tamen juvat Syrorum scriptoribus ad quos Beausobre semper provocare intendit indubitatam fidem non esse adhibendam.

2. Origine autem Persam Manetem fuisse, omnes veteres scriptores, auctore Assemano, dixerunt. Num vero in Babyloniorum vel Chaldæorum provincia natalem obtinuerit, æque certum non apparet. Babylonium hunc fecit S. Ephræm; et Archelaus, in Mesopotamia episcopus, in habita cum eo disputatione, genere fuisse Chaldæum non obscure significavit. Sed hisce scriptoribus Suidam atque Cedrenum refragatos esse Beausobre annotavit. Qui communi persuasioni non insistentes, aliam originem, Brachmanorum videlicet, ei tribuere voluerunt; quod nomen a rege quodam ita appellato regio illa, quæ Oceanum versus se extendit, assecuta est; quamque homines plurimum religionis et philosophiæ studiis addicti inhabitarunt, ut Cellarius in Commentariis ad Ptolomæum fecit mentionem, Brachmanos denique ab Abrahamo derivari, recentiores quidam, novitatum cultores, et ratiocinandi libidine ducti, fabulosis commentis suadere conati sunt. Qui præterea illius nominis etymologiam explicantes *Brachma* vocabulum, pro homine in omnium rerum notitia apprime versato interpretari voluerunt. Nugatoria ergo esse isthæc argumentationis genera, jam plene norunt qui nonnisi solidioribus rationibus innixi, de rerum veritate disputare sunt assueti. Sed homini ingenium habenti ad fingendum semper paratum haud convenire quis arbitrabitur? Potissimum cum in eo studio et industria ipse Beausobre versetur, ut ad auctores inter se semper repugnantes provocet, ut sensim ad scopum sibi præfixum perveniat; quo, videlicet, omni studio suadere conatur historicis rebus a veteribus traditis atque conscriptis nullam fidem prorsus adhibendam esse. Sed hæc cum omnibus nota esse possint, ad institutum pergamus. Ad ea videlicet quæ fabulosa videtur, cum de patrio et natali hæretici nomine Beausobre disserere sibi proponit. Corbicium (ait) Latini scriptores eum appellarunt, Græci Cubricum, sed ab utrisque Augustinus, libro de Hæresibus, vel sui amanuensis oscitantia abscedens, Urbicum nominavit. At tria isthæc nomina, veluti corrupta a vocabulo *Carcubio*, forte Manetis patria, in Babyloniorum aut Chaldæorum regione posita, derivari, sine auctore ratiocinatur Beausobre. Qui potissimum id suaderi posse contendit, quod priores illæ voces, *Corbicus* et *Cubricus*, Orientalium vocabulorum desinentiam aut sonum minime habere intelligamus. Varias pro hac opinione subjicit conjecturas. Quarum altera sibi suppeditari arbitratur ex urbe **32** *Carcoub*, sive *Carcub*, cujus meminit Assemanus de Orientalium rebus scribens (*e*) ex quo patrio loco, illa vocabula *Corbicius* et *Cubricus* originem duxisse sibi suadet, cum omnia radicalia elementa in iis asserventur. Alteram conjecturam petit ex fabuloso presbyterii gradu, quo Manetem apud Christianos insignitum fuisse credit. Quo officio cum is fungeretur (ait) in Ahvaz, seu Ehvaz, principem locum cujusdam parvæ provinciæ, cui Chaldæi antiquitus dominabantur, et tum presbyteri, et episcopi non assumebantur nisi ex civitatibus aut territoriis saltem in quibus sacra ministeria obire debebant, ut nimirum et familiæ ex qua originem habebant instituta et mores iis quibus præesse debebant innotescerent, idcirco Manetem in laudata provincia natalem habuisse concludit. Ex qua conjectura sequentem infert consecutionem. Cum

(*a*) Beausobre, loco superius laudato, pag. 65 et seqq.

(*b*) Eutychius Alexandrinus, in Chronico.

(*c*) Abulpharagius, Dynas. pag. 83.

(*d*) Pet. Rationar. temporum tom. III pag. 146 Venet. editionis.

(*e*) Asseman. Biblioth. Orient. tom. III p. II pag. 744.

igitur illa provincia Ahvaz, in suo districtu sitam seu A constructam habeat urbem quamdam Carcoub, sive Carcub appellatam, inde concludi potest hæreticum ex patrio nomine Carcubium appellatum.

3. Hæc quæ ad evertendam veterem traditionem et, ad novam quamdam ecclesiasticæ disciplinæ formam inducendam pertinent, ac Beausobre confinxit, non tantum labant, sed prorsus corruunt, si ad ejus dis serendi rationem attendamus. Imprimis ergo *Carcubii* nomen, quod antiquis fuit incognitum, cum derivetur a loco vel urbe in qua Manes diem natalem habuit, jam commune esse potest omnibus illius loci et urbis habitatoribus. Cur itaque Maneti proprium esse potuit? cur veteres eo uti potuere ad singularem hunc hæreticum hominem designandum? Id forte contingere potuit quia Manetis avi aut atavi eam urbem Carcubium construxere; vel talem tantamque famam in patriæ honorem ob insigniora facinora assecuti fuere, ut a patrio solo agnomen obtinerent; quemadmodum de Antenore, de Romulo, de Constantino, de Adriano Ælio, de Antinoo, aliisque viris factum esse intelligimus? Sed ita ratiocinari, illud studium vetat ab hæretico adhibitum, quo videlicet defuncta vidua, quæ eum in filium et hæredem adoptaverat, natale nomen rejicere curavit, alio honorificentiore sibi assumpto. Et quidem *Cubrici* nomen probrosum aliquid significare, vel servilem conditionem importasse, conveniunt omnes scriptores, quibus suffragatur Christophorus Wolfius, Gatakerus, Menagius, et cæteri ex recentioribus. Qui aiunt *Domesticæ fortunæ ne sibi vituperii notam inureret, in Manem mutavit*. Si patriæ igitur *Cubrici* nomen, non servitutis fuisset, numquam illud mutasset, ut Wolfius ratiocinari videtur in notis ad Photii Historiam contra Manichæos conscriptam. Taceo (inquit) nomen servile homini libero dedecus quidem, non autem servitutem conciliare posse. Interim mireris (subjicit) hominem servile nomen cum altero non minus tali permutasse. *Manes* enim apud Græcos saltem, *servitutis* erat *nomen*, id quod Gatakerus, l. 1, et Menagius, ad Diogenem Laertium, p. 215, de veterum locis tam manifestum fecerunt, ut dubitare nefas sit. Græcis itaque *Manetis* nomen, æque probrum et servitutem innuebat ac illud *Cubrici*. Quamvis Manes, Persica lingua, hominem disertum et in disputando strenuum significaverit, ut veteres scriptores tradidere. Contra vero Græci, illud nomen ad innuendum hominem furiosum dumtaxat assumebant, ut docent Cyrillus (*a*) Hierosolymitanus, Epiphanius, Titus Bostrensis, et alii, qui de eo nomine disseruerunt. Verum hos carpit et mordet Beausobre, tamquam de ineptiis et nugatoriis animadversionibus auctores; et deinde in Epiphanium potissimum invehitur, quod scripserit divina Providentia fuisse dispositum quod hæreticus sibi furoris nomen assumeret, ut Græci nimirum, qui ab eo nomine abhorrebant, ab iis erroribus se præservarent immunes quos Manes docuerat. At male de Providentiæ dispositionibus 33 (subjicit) Epiphanium cogitare aut ratiocinatum fuisse Manichæus reponere posset. Cum jam illud consilium et dispositiones quæ ipse Epiphanius jactat irrita fecerit Græcorum illa multitudo quæ ab hujus hæreseos illiciis detenta fuit. Quis vero sine gravi sui animi commotione, ad hanc pravam et impiam Beausobrianam censuram animadvertere poterit? An divinæ Providentiæ consilium et dispositiones humanis mentibus necessitatem imponunt, ut horum malitia non conetur se ab iis subtrahere, et quam sæpissime eas valeat frustrari? Primis enim parentibus lignum vetitum in originalis innocentiæ munimen et mortis præservativum datum fuit, mortem quidem, tamquam omnium terribilium, exhorrescere debuissent ipsi parentes. Quid vero? Gulæ illecebris et serpentis suggestionibus decepti, mortis horrore excusso, vetitum fructum temerario ausu arripuerunt, indeque comederunt. Præterea, ut et alia exempla ex divinis litteris desumpta missa faciamus, nonne divina Providentia dispositum est ut carceres, vincula, cruces, tortores, nomina et proprietates horroris plenas obtinerent, ad justitiæ jura servanda, et reipublicæ munimen, et tranquillitatem habendam? Ut nimirum pœnarum timore correpti homines, facinora præcaverent, ne ad illa mala subeunda cogerentur? Si nemo ergo (nisi sacrilegus) respondere posset Deum minus sapienti sua providentia disposuisse ut primis parentibus mors, quam horum natura maxime perhorrescebat, comminaretur, ut eos videlicet a vetiti cibi esu et cupiditate etiam averteret; si insipientes dumtaxat affirmarent tot tantaque pœnarum genera male ad criminosorum vindictam fuisse adinventa, et sanctissimis legibus stabilita, jam non video qua B fronte Beausobre Epiphanium taxare et irridere potuerit, quia scripsit divina Providentia fuisse dispositum ut Manes nomen horroris plenum sibi assumeret, ut a Græcis videlicet ejus hæresis abominaretur. Potuit quidem nomen illud horrorem quemdam excitare in Græcorum animis, quemadmodum mors, carceres, vincula, flagella, cruces, cædes, atque tortores. Sed Græci ipsi, qui aliunde pravis Manichaicæ philosophiæ principiis erant imbuti, et sensualibus illecebris et impudicitiis maxime delectabantur, facile excusso omni horrore, qui ab ejusmodi inquinamentis præservare eos potuisset, nefandæ illius sectæ instituta profiteri voluerunt. Cæteras hujus nominis etymologias a Beausobre ibi descriptas referre interim supervacaneum ducimus (*b*); consulat tamen lector § 5 hujus capitis.

4. Ad Manetis autem sacerdotium quod attinet, inficias haud imus id a Gregorio Abulpharagio, sine ullo auctore affirmari. At non video quantam fidem ei adhibere possimus potissimum cum Manetem, quasi C tamquam unum ex catholicæ Ecclesiæ Doctoribus primum ibi describat, qui et sacros scripturarum libros docuit, et interpretatus est; quique cum Judæis, magis ethnicisque disputare assuetus, a fide tandem *desciscens, seipsum Messiam nominavit*. Porro si ad hocce Abulpharagii (*c*) testimonium animadvertamus, illud ad veræ criticen regulas reducendo, varia occurrunt quæ falsitatis indicia præseferre videntur. Mitto imprimis quod nullus ex tertii et quarti sæculi Patribus atque scriptoribus de ejusmodi Manichaicis gestis illiusque sacerdotio verba fecerit, ne in crimen vertatur quod negativa argumenta adhibuerim, ad infirmandam positivam Syri scriptoris assertionem; quamvis Beausobre similibus indiciis ratiocinando fere semper utatur. At silentio occulere haud possum Cyrilli Hierosolymitani potissimum agendi rationem; qui sua in catechesi, graviora describens Manetis facinora, hocce nec leviter indicavit; quod facere haud prætermisisset, si hæreticus militiæ clericali et sacerdotio primum ascriptus in hor- D rendum illud et immane 34 sacrilegium lapsus fuisset. Istud quippe illuminandis hominibus, tamquam summe exsecrandum objecisset. Nisi suspicari vellemus hominis sacerdotium Cyrillum latuisse, aut saltem illud dissimulare voluisse, ne cæteros sacros presbyteros horumque ordinem in invidiam et contemptum apud quosdam gentiles et Judæos Hierosolymis tum commorantes adduceret. At confingamus Cyrillum hac uti voluisse œconomia, ut sacerdotali honori consuleret. An ergo idem de cæteris scriptoribus erit affirmandum qui Manichaicas res descripsere? Commentum apage. Etenim illi omnes, qui de Xenaia (*d*), Severo Sozopolitano, Petro Apamiensi,

(*a*) Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 6; Epiphanius, hæresi 66; Titus Bostrensis, in libris contra Manichæos conscriptis.

(*b*) De aliis atque hujus nominis etymologiis agit Beausobre 1 parte, cap. 6, pag. 70 et seqq.

(*c*) Abulpharagius Dynas.

(*d*) Vide Acta Constant. concilii sub Agapeto R. P. et Menna patriarcha, tom. V, Concil. Generalium.

Zoara et Isaacio Persa verba fecerunt, minime horum sacerdotium et clericalem ordinem reticuerunt, arbitrati nullum inde detrimentum, aut infamiæ dedecus Sacerdotio Christi posse obvenire, si summo odio habendos affirmabant qui, gravioribus criminibus et hæreseos labe polluti, cum a sacerdotii sanctitate, tum a sacrorum ministeriorum institutis turpissime recedentes, seque et divina mysteria nefariis criminibus labefactarunt. Quis porro ignorat Manichæorum sectam, sub Acephalorum nomine sexto Ecclesiæ sæculo delitescentem, Cæsarum et imperatorum Orientis præsidia sibi comparare nisam fuisse, ut facilius nimirum et sensim ecclesiastici viri a nuptiis et matrimonio mulieres averterent, easque nefandis sacrilegisque impudicitiis corrumperent atque labefactarent? Acta porro Constantinopolitanæ synodi sub Agapeto Rom. pontifice et Menna patriarcha Constantinopolitano, Hormisdæ papæ epistolæ, et alia quamplurima monumenta, quæ ibi legenda occurrunt, perspicue produnt sub Acephalorum nomine, sexto currente Ecclesiæ sæculo, Manichæos primas Orientis sedes obtinuisse, huc illucque prava hujus sectæ dogmata et instituta propagasse, ut ipsi opportunius, temporum ratione servata, demonstrabimus.

Si itaque concilii PP. atque antiqui scriptores, nec occulere nisi sunt, neque dissimularunt sacerdotium, vel alios clericales ordines, quibus aliqui ex Manichæorum secta fuerunt insigniti; si deinde etiam qui ad concilium (*a*) Gangrense convenere, minime silentio prætermiserunt sacerdotalem ordinem et monachalem professionem Eustathii Sebasteni in Armenia episcopi, qui quarto Ecclesiæ sæculo, paulo antequam Nicænum cogeretur concilium, omne studium adhibuit ad Manichaicam sectam et hujus instituta propaganda; plane haud video cur tot inter tantosque scriptores, qui de Manete disseruerunt, solus Gregorius Abulpharagius sacerdotio eum initiatum fuisse asseveret. Igitur potius probabile arbitramur Manetem se esse presbyterum simulasse, nec veritum fuisse sacrilego et temerario ausu mimice presbyterorum munia exercere. Ita ratiocinari fas esse arbitramur, ea ducti conjectura, quod is sine necessaria Spiritus Domini missione, se Jesu Christi apostolum atque Paracletum confingere non reformidavit. Ut nimirum falsis iis nominibus atque muneribus apud simpliciores viros atque mulieres auctoritatem sibi nancisceretur, qua facilius decepti, ei fidem omnem atque obedientiam præstarent. Hanc porro ei minime adhibuissent, si religionis munera et ministeria eum obire non cognovissent.

Quantum denique infirma atque falsa sit conjectura illa, cui Beausobre insistit, ut patriam et Manetis presbyteratum suadeat, nemo non videt. Quinimmo eum verba atque figmenta vendere iis certo persuasum erit, qui in sacræ ecclesiasticæ historiæ lectione versati, apprime noverunt primis Ecclesiæ sæculis, quibus catholicam religionem propagare oportebat, presbyteros atque episcopos vix assumptos fuisse ex iis locis vel regionibus, in quibus diem natalem habuerunt; sed ab apostolis eorumque **35** successoribus eos sacris ordinibus fuisse insignitos, atque ad exteras nationes eos missos fuisse, quorum mores et probatæ disciplinæ instituta satis superque innotuerunt, ut nos ipsi cum Eusebio Cæsariensi in alio adornato opere locis pene innumeris abunde demonstravimus.

5. Atque ut ad cæteras significationes accedamus quas Manetis nomini, spectato Persarum et Syrorum idiomate, et diverso PP. loquendi modo, convenire Beausobre contendit, quidquid ex aliorum opinionibus retulit, paucis expedire conabimur. Illud enim *vas*, *instrumentum et habitum* significare ex Epiphanio, Archelao et Euphræmio Syro asseverat. At quis non intelligit laudatos PP. potius ad Manichaicorum morum proprietates quam ad genuinam illius vocis significationem alludere voluisse? Rationabilius quidem *vas nequitiæ, et Antichristi instrumentum*, Archelaus eum appellat, Scripturarum phrases et S. Pauli potissimum loquendi modum secutus, qui Evangelii et catholicæ legis subversores cum *vasa et nequitiæ instrumenta*, tum *Antichristos* declarat, quæ nomina ipsis dumtaxat convenire, morum proprietate spectata, perspicuum est. Pari ratione diaboli forma et veste indutum fuisse Manetem, idem S. Ephræm, ab Assemano laudatus, explicat, scribens: *Manetem diabolus tamquam propria induit veste, ut eo velut instrumento suo abuteretur, suaque per ipsum promeret oracula* (*b*). Cum itaque ejusmodi proprietates omnibus hæreticis Christi Evangelium subvertentibus conveniant, nescio plane cur eas ex solo Manetis nomine derivari contendant; alias cujusque falsæ sectæ auctores Manetes appellare oporteret, et quia diaboli *vasa et instrumenta* sunt, eosdemque diabolus propria induit veste, ut per eos sua promat oracula. Carpit post hæc Cyrillum Hierosolymitanum, qui eam *Manetis* vocem ad *sermonem* significandum a Persis adhiberi censuit; cujus quidem sermonis eloquentiam haud sibi convenire idem Manes in epistola ad Marcellum affirmat. Tamquam ineptam deinde et jocularem Pearsonis animadversionem rejicit, qui, rabbinorum interpretationem secutus, *Manem* a *min* derivari opinatur, quod *hæreticum* hominem indicare habet. Sed nomen cui infamiæ et dedecoris nota erat annexa, quodque falsarum sectarum omnibus auctoribus erat commune, quis confingere potest, potissimum cum illud nomen non ab alio quam a se ipso sibi impositum fuisse inveniamus? Non est igitur verisimile quod *Curbicii* vocabulum, servitutem significans, studiose reliquerit, ut aliud quod, si non majorem, æqualem saltem turpitudinem et infamiam præseferebat adoptaret, quale ex Pearsonis opinione istud *Manetis* foret; quamvis contendat *To Manes* primitus titulum potius quam nomen *aliquod fuisse ab Hebræo min, quod significat hæreticum* (*c*).

Sed illud nomen *mani* aliter a Persis interpretari, auctor est Thomas Hyde, probans eo *pictorem* denotari (*d*). Eamdem opinionem, ait Beausobre, secutus est Wolfius, scribens *Thomæ Hyde etymologia, quam c.* 21, *pag.* 280, *de religione veterum Persarum, affert, ex linguæ Persicæ fundo. Is enim rejecta Epiphanii etymologia, Manetem* MANI *proprie dictum esse testatur, quod apud Persas pictoris habeat rationem.*

6. Quæ tamen hactenus de illius nominis etymologiis et significationibus properanter annotavimus, quasi dedecus et ignominiam huic homini afferre quis arbitrabitur, si cum cæteris quæ de hocce *Manes* vocabulo subjicit statim non conferamus. Usserii itaque Armacani opinionem in medium **36** profert, qui, quodam Severi Sulpicii (*e*) testimonio insistens, quemdam Israelitarum regem Manem fuisse appellatum affirmat, qui tamen II Regum libro Manahem et a LXX interpretibus Manaem dictus legitur, quas voces, duabus illis aliis *Paracleti et consolatoris* respondere sibi suadet. Simplicem et naturalem hanc esse illius vocis *Manes* originem, Beausobre asseve-

(*a*) Vide tom. II Conciliorum pag. 423.

(*b*) Metaphoricis insistit PP. loquendi formulis, in quibus de Manete sermo est, ut inde colligat genuinam istius nominis significationem. Sed Beausobre ita disserendo nugari voluisse, mea sententia est. Cum PP. iis vocabulis. mores, falsa dogmata, pravas agendi rationes ab hæretico adhibitas, potius indicare voluerint.

(*c*) Alb. Fab. Bibliotheca Græca tom. V, pag. 281.

(*d*) Hyd.: *Manes Persa in eorum libris dictus Manis, pictor*, nam talis fuit professione sua.

(*e*) Severus Sulpicius, Hist. Sac. lib. 1, 49. Usser. Annal. tom. I, anno 3035, pag. 82. II Regum XV, 14, 16.

rat; et cum eam cæteris bonorabiliorem crediderit, non tantum omnibus aliis præferri oportere arbitratus est; sed præterea omnes nodos et difficultates quas in ea offendit se solvere paratum exhibet, ut sensim quoque suis lectoribus eam suadeat. Laudatos igitur nodos et difficultates solvere et eripere aggrediens, primo verisimilius putat, ex *Manaem*, *Manem* posse efformari, spectato potissimum Orientalium loquendi modo et usu. Quarum quidem vocum litteram postremam *m* a Græcis prætermitti cum consuetum sit, idcirco eas in *Manes* verterunt, quemadmodum *Buddam* in *Buddas* eos fecisse exploratum est. Priori huic conjecturæ Augustinum suffragari confingit, cum in libro de Hæresibus hæreticum de quo agimus *Manin*, non *Manem*, appellat, Latinorum usum secutus, qui Græcorum *e* in *i* commutatum volunt. Augustinum (*a*) quoque hanc regulam servare fuisse assuetum, exemplo Adimanti probat. Non enim *Adamantum*, sed Latine *Adimantum* scribendum censuit. Quemadmodum Theodoretus *Manens*, et non *Manes*, scribere voluit. Cui Suidas quidem suffragari visus est dicens, in genitivo casu, *Manentis*. Quod argumento esse debet in nominativo *Manens* esse legendum. Jam vero Beausobre (*b*) sibi blandiri et assentari videtur, quod illius vocis *Manes* genuinam invenerit originem, hancque explicaverit. Idcirco gradum facere festinat ad illam aliam vocem *Manichæus*, qua non solum hujus discipuli suum hæreseos parentem vocitare consueverunt, sed innumerabilis fere scriptorum copia illud idem vocabulum usurpavit. Postremæ quoque huic voci eamdem originis derivationem esse assignandam, ex Chaldaico vocabulo *Manahem* affirmat. Neque inter utrumque nomen aliud discrimen admittendum esse statuit, nisi illud quod ex diversis pronuntiandi modis et humanæ linguæ flexibilitatibus et motibus oriri solet, ut ex Pagnino, Junio, Tremelio probari posse contendit. Hi namque diversis litterarum elementis usi, *Menaehem* et *Manachem* aliter et aliter scribunt atque pronuntiant, cum Græci ipsi, laudatis vocibus novas litteras addere volentes, *Manichæum* efformarunt

7. Bene vero an male ista conjecta sint, Græcæ et Orientalium linguarum periti diligentius poterunt judicare. Nos interim Beausobrianæ fabulandi rationi nequaquam subscribere possumus. Nam cum nomina sint quædam omnium rerum notæ, horum originem et proprietates exprimentes, jamjam istæ prorsus delentur, aut saltem mutantur ex litterarum additione, harumque pro singulorum hominum arbitratu subductione. Quare mihi videtur Ciceronem ejusmodi abutum a nimia et vehementi hominum philosophandi libidine ortum eripere aut saltem carpere voluisse, cum scripsit: *Quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nullum erit nomen quod non possis, una littera mutata, explicare unde dictum sit* (*c*). Quid ergo in præsens nobis judicandum erit de tot tantisque litterarum mutationibus additionibusque quas in iis nominibus deprehendimus, quæ Beausobre congessit, ut vocis *Manes* originem et proprietates designaret? Sed ultro dato quod ejus disserendi modus nec nugatorius, nec fabulosus dici debeat, quid inde? Jam *Manes* erit honoris nomen, quod in Scripturis 37 veteris Testamenti eo vocabulo Israelitarum quidam rex fuerit appellatus? An non in eodem Testamento honorificum et maxime laudandum fuit Judæ nomen? Tamen si novum Testamentum consulamus, nefarium, proditorem, sacrilegum et multorum malorum fontem fuisse unum hominem reperiemus, qui Christi A fuerat discipulus, et Judas appellabatur? An igitur et iste regalem obtinuit originem, ipsique debebatur Israelitarum sceptrum. Figmentum apage. Verum cum in his diutius immorari vitio dari possit innumera pene exempla missa facimus, quæ fortius Beausobre perstringerent, ejusque ineptas conjecturas everterent. Quid vero de *Paracleti* nomine, quod temere sibi Manes assumpserat dicendum sit, jamjam ex Leone M. aliisque explicabimus, ut cæteras falsas Beausobre conjecturas abundantius refellamus.

8. De Manetis dogmatibus in præsens agere incipientes, illud potissimum nos referre oportet quod cæteris aliis fundamenta suppeditat, supra quod tota illa sacrilegiorum et fabularum machina ab impiissimo illo architecto fuerat constructa. Atque imprimis illud blasphemiæ portentum nobis objicitur, in quod Manes erupit, statim ac nefariam suam hæresim in vulgus spargere cœpit. Sacrilega jactantia ergo de divina sibi data virtute gloriabatur; atque ad superni B Numinis potentiam ostentandam et auctoritatem, et ad populorum fidem venerationemque sibi conciliandam. *Christi se nunc gerere formam ostendere conabatur; nunc ipsum Paracletum se esse prædicabat.* Hocce postremum in dubium Beausobre revocat; et, aliorum testimonio convictus, quamquam non audeat inficiari Manetem (*d*) *Paracletum* et consolatorem fuisse dictum, eam tamen denominationem potius obtinuisse contendit a vidua illa quæ in filium et hæredem Manem adoptaverat, quæque, data primum eidem libertate, tamquam suæ viduitatis et senectutis *consolatorem* voluit eumdem habere. Nec enim se arbitrari posse affirmat, mundum hominesque tam stolidos fuisse, ut huic crasso artificio fidem adhiberent, eoque decipi voluisse. Igitur magis rationi consentaneum videtur quod, servi conditione per suam benefactricem mutata, ejus nomini syllabam aliquam addere voluisset, ut novus quasi homo factus, propter libertatem, Manahem deinceps eum appellaverit. Quod nomen valde honorabile fuisse, testimonio D. C Assemani (*e*) probare contendit, qui *Maanus nomen* tum Syris, tum Arabibus regibus familiare fuisse scribit. At fabulosis hisce conjecturis Eusebium Cæsariensem adversari, Beausobre (*tom.* I *lib.* I, *c.* 6) aut prorsus dissimulavit, aut animadvertere noluit. Is namque, qui res a Manete gestas non ex Cyrillo Hierosolymitano, non ex Epiphanio mutuare potuit, utpote istis scriptoribus antiquior, sed ex vetustioribus monumentis in Ecclesiarum scriniis asservatis, ut in sua præfatione testatur, rerum Ecclesiasticarum historiam describens, ait Felicis papæ tempore: *Manes quidam, secundum nomen suum insaniens, et instinctu dæmonis agitatus, invisam et exsecrabilem omnibus hæresim docet* (*f*). En ergo quod Eusebius genuinum hæretici nomen profert, illius etymologiam et significationem explicat; atque simul ea subsidia dæmoniaca indicat quibus usus est ad suos errores huc illucque disseminandos. Hanc insaniam, sive furorem, dæmoniaca arte Manetem obtinuisse, iterum D ibi commemorat, et ad rerum ab eo gestarum exitum provocat, ut lectoribus id suadeat. Unde post hæc, quod dixerat probaturus, immediate subjicit illud quod paulo ante adduximus, videlicet (*g*): *Christi se nunc gerere formam conabatur; nunc ipsum Paracletum* 38 *se esse prædicabat.* Eusebius itaque tria suadere voluit: alterum hæreticum *Manen*, non *Manahem*, a Persis fuisse appellatum; alterum, *furorem, audaciam et insaniam* dæmonis virtute fuisse in eo adimpletam; tertium, Christi Domini formam similitudi-

(*a*) August. lib. de Hæresibus cap. 46.

(*b*) Beausobre, ubi supra, pag. 72. Qui etiam in sequentibus contendit *Manetis* nomen esse honorabile atque pluribus Orientis regibus commune. Laudat idcirco cl. Assemanum Bibl. Orient. tom. I, pag. 418 et 419.

(*c*) Cicero de natura Deorum 72.

(*d*) Negat id primum Beausobre in præfatione generali tom. I, pag. 11, et rursus lib. I cap. 6.

(*e*) Asseman. tom. I Biblioth. Orientalis pag. 204, tom. II pag. 388.

(*f*) Eusebius Cæsariensis, lib. VII Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26. Huic concinit S. Augustinus, lib. II contra adversarium Legis et Prophetarum.

(*g*) Videsis quæ cap. II hujus libri scripsimus.

nem mentiendo imitari confinxisse, et Paracletum A ad orbis et Ecclesiæ solamen institutionemque missum seipsum prædicasse. Tria hæc plane Beausobrianarum fabularum conjecturas evertere quis non intelligit, si jam omnia sacrilega sua commenta discipulis persuasurus, illud primum excogitaverit, ut se a Christo tamquam apostolum et hominum consolatorem simulaverit, atque missum confinxerit? Et ne videar injuria Beausobre tamquam fabulatorem carpere et reprehendere, ad Leonem Magnum Rom. Ecclesiæ pontificem mihi liceat provocare, qui in generali contra Manichæos, Romæ latentes, habita inquisitione, sollicite rimari voluit quid crederent quidque Manetis discipuli docere auderent. Et quidem hanc blasphemiam credidisse aut saltem prædicasse Manichaicos discipulos, non obscure sequentibus verbis explicavit: *Cujus discipuli, ut magnum quemdam atque sublimem viderentur sequi auctorem, in magistro suo Mane apparuisse Spiritum sanctum crediderunt, promissumque a Domino Paracletum, non prius venisse, quam hic infelicium deceptor oriretur, in quo ita Spiritus Dei manserit, ut non alius fuerit Manes ipse quam Spiritus, qui per ministerium corporeæ vocis et linguæ discipulos suos in omnem induceret veritatem* (a)? Factorum itaque veritas vincere debet atque eripere omnem contrariam Beausobrianam conjecturam. Immo sine ulla animi hæsitatione nobis persuadere, palmari illi potissimum blasphemoque mendacio, Manetem sibi viam aperuisse ad tot tantaque sacrilega dogmata, quæ sacratiora fidei catholicæ mysteria, aut corrumpunt, aut prorsus evertunt. Sed ad historiæ ordinem redeamus.

9. Hac de causa igitur hæreticus pecuniis sacræ Scripturæ libros sibi comparare nisus est, et ut Christianos viros illiciis ad se traheret, aliquas veritates mendaciis et fabulis admiscebat. Qua videlicet arte cum probabiliorem ejus sectam reddere niteretur, sensim suos errores in aliorum animis instillabat. Magicis præterea artibus atque præstigiis hæc omnia corroborabat, quibus certe ad fallendos homines ute- C batur; dum ardua nonnumquam humanis diabolicisque viribus prorsus impossibilia tentare non reformidaret. Quemadmodum cum regis Persarum filium, medicorum subsidio destitutum, gravique laborantem morbo, curaturum irrito conatu tentavit (b).

Hisce ergo sacrilegis atque superstitiosis jactis fundamentis, alia *dogmata* (ait Eusebius) *stulta et impia a diversis hæreticis*, qui jam prius exstincti fuerant mutuata disseminans, catholicam religionem persicis venenis labefactavit, et prorsus corrupit. Inter cætera autem figmenta, ex Marcione, Valentino, Capocrate, aliisque Gnosticæ sectæ auctoribus, mutuata, sequentia numerari solent: duo videlicet rerum omnium esse principia, Deum nempe et diabolum; ab illo bona omnia, ab hoc mala omnia produci docuit; illum totius virtutis ac perfectionis fontem, ex quo Novum Testamentum derivavit, istum vero peccati et veteris Testamenti esse auctorem; hominum substantiam ab utroque Deo fuisse productam, ea tamen D ratione ut bonus ille Deus solas animas creaverit, sed materialia corpora, **39** utpote imperfecta, corruptionibus vicissitudinibusque semper obnoxia, nonnisi ab alio malo Deo originem duxisse. Liberum arbitrium hominibus prorsus ademit, nostris humanis rebus fatum necessitatemque inducens. Christi præterea veram incarnationem negavit, et phantasticum (c) corpus assumpsisse dumtaxat contendebat: et id genus alia populos edocebat quæ, ut diximus, partim ex fæculentissimis veterum hæresiarcharum lacunis, partim ex absurdis gentilium philosophorum placitis, partim prave explicatis ipsius Christianæ religionis institutis desumpta erant, quæ omnes insulsæ fabulæ et ficta somnia luculentius a S. Epiphanio fuere descripta. Hisce ergo aliisque sacrilegis dogmatibus, præ cæteris hæreseon auctoribus, maximum et clarum Manes se facere nisus est. Interim vero vaferrimus ille impostor, magnam in homines auctoritatem ostentaturus, ut vulgares potissimum, qui non nisi rerum cortices intuentur, in suas deduceret sententias, Christum Dominum humani generis Salvatorem, tum in iis quæ ad discipulorum delectum, tum in aliis B quæ ad apostolicam pertinent missionem, imitari confixit. Quod latius sequenti capite patebit, cum de horum discipulorum numero agere instituamus.

CAPUT V.

Manetis pseudoapostolorum numerus ex SS. Patribus definitur. Patris Natalis Alexandri opinio refertur atque rejicitur.

Manetis agendi rationem, in suæ hæreseos errores evulgandos, paucis primo Eusebius Cæsariensis descripsit dicens (*lib.* VII *Hist. Ecclesiast.* c. 27): *Elatus in insania* (ait) *ad similitudinem Christi duodecim discipulos eligens ad prædicandum mittebat.* Eusebio concinunt omnes veteres scriptores, si unum excipiamus. Eidem quoque suffragantur recentiores, quos inter Beausobre, ut suo loco observabimus. Quare minime audiendum arbitror Patrem Natalem Alexandrum, virum alioquin doctissimum, qui de numero discipulorum Manetis disserens, nescio qua ductus allucinatione, ex Augustini sententia eum numerum ad C duos supra viginti producit. *Interim* (scribit ille (*Hist. Ecclesiast. sæc.* 3, *art.* 9) *multos discipulos in suum pertrahens errorem*, VIGINTI DUOS *selegit nefariorum suorum dogmatum impiarumque fabularum prædicatores, in quibus tres præ cæteris insignes esse voluit*, THOMAM, HERMAM, *et* ADDAM. (d) Hunc, inquam, minime audiendum arbitror. Nam qua ratione Manes in suis instituendis discipulis Christum Dominum imitari studuisset, si alios præter duodecim pseudoapostolos elegisset? Falsum præterea est, P. Natalis opinionem Augustinum suffragatorem habere. Augustinus quippe, mire Eusebio concinens, duodenarium dumtaxat Manetis discipulorum numerum definivit. Immo et hanc opinionem cæteri antiqui scriptores prosecuti sunt, si unum tantummodo Epiphanium excipiamus.

40 Et quidem ad rem nostram clarius et expressius loqui non poterat Augustinus, ita scribens (*lib. de Hæresibus cap.* 46): *Unde se in suis litteris, Jesu Christi apostolum dicit, eo quod Jesus Christus se missurum esse promiserat, atque in illo miserit Spiritum* D *sanctum. Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim discipulos habuit, ad instar apostolici muneris, quem Christum per naturalia pudenda mulieris descendisse confitear.* Deinde in medium adductis quatuor evangelistarum textibus, quos violenter interpretabatur, subjiciebat: *Sunt et alia innumera testimonia hujusmodi, quæ indicant eum venisse, et non natum esse.* Consule Collect. Monumentorum Veterum Ecclesiæ Græcæ et Latinæ Laurentii Zacagni pag. 85.

(a) Sermonem hunc de Pentecoste apud præcedentes edit. variis in locis mutilum atque turbatum, suæ integritati vet. codd. subsidio restituimus. In aliquorum editis deinde priores duæ illæ voces, *cujus discipuli*, desiderantur. De hac porro Manetis sacrilega blasphemia plura poterit lector observare pag. 49, 94, 99, disputationis habitæ cum Archelao, quam eruditis notis ornatam typo commisit cl. Laurentius Alexander Zacagnius, Vat. bibliothecæ præfectus.

(b) Consule quæ sequenti sexto cap. contra Beausobre dicturi sumus.

(c) Hunc errorem Manes propugnare intendebat in disputatione quam habuit cum Archelao Cascaræ episcopo, atque dicebat: *Absit ut Dominum Jesum*

(d) Perperam hunc Addam cum Terebintho, seu Budda, Beausobre confundere nisus est, ut quæ de istius interitu SS. PP. scripserunt falsa esse contenderet. Propterea Buddam Manetis discipulum, non antesignanum, fuisse confingit. Vide quæ ex Christophoro Wolfio scripsimus in præterita dissertat. pag. 20.

numerum Manichæi hodieque custodiunt. Non aliis A quoque phrasibus usus est Theodoretus, de hæreticorum disserens fabulis, cum paucis hisce verbis a Manete discipulorum factam electionem et illius pseudochristi imitationem descripsit (*Lib.* I *Hæret. Fab.*, *cap.* 16) : *Hic, duodecim discipulis ad Domini exemplum designatis, in Mesopotamiam profectus est.* Quid plura? Constans sequentium sex sæculorum traditio veritatem de qua agimus probavit. Nam Photius discipulorum Manetis numerum horumque missionem pauca designavit dicens : *Exinde vero discipulos congregavit duodecim, quos etiam erroris præcones emisit* (*a*). Petrus Siculus quoque, qui paulo post floruit, de Manichaicis rebus et institutis optime instructus, vir doctrina et nobilitate præclarus, variis pro Basilio imperatore legationibus, et ad Armenos potissimum, functus, *historiam de ortu*, *progressu et occasu Manichæorum*, scripto consignavit; in qua singula duodenariorum illorum discipulorum nomina, non tantum recensuit; sed horum gesta, munera, B legationes, scripta, interpretationes, et commentaria brevi suo Græco-Latino opusculo ad Bulgariæ archiepiscopum expressit. Is scriptor igitur de Manetis discipulis hæc habet. Porro, *Discipuli Maneti Antichristo duodeni fuere.* Tum eos enumerans, primo loco eum subjicit, qui Maneti, regis Persarum jussu mactato, successit, dicens ; *Siginus qui Maneti successit.* Hunc vero alius excipit, cui Thomæ nomen erat, quique Manichæorum conscripsit Evangelium, de quo disserens (*b*) S. Cyrillus Hierosolymitanus, catholicos monuit ne legerent, scribens : *Nemo legat secundum Thomam Evangelium. Non enim est unus ex duodecim apostolis*, *sed unus ex tribus Manetis discipulis.* Quod sane adulterinum opus, apostolicæ sedis sanctionibus, sub anathematis pœna legere, aut apud se retinere, omnibus catholicis vetitum fuit, ut suo loco videbimus. Duobus hisce et Buddam et Hermam, Adantum et Adamantum adjecit, quorum postremum, veluti aliis cæteris iniquiorem audacioremque, in diversas orbis partes præconem suum Manes miserat, et tam- C quam fidelem præcursorem ablegaverat. Tres alios deinde, Hieracem, videlicet, Heraclidem atque Aphthonium suæ doctrinæ et prædicationis interpretes et explanatores constituerat. Quibus tandem et ternos adjunxit, Agapinum, qui Eptalogum commentus est, Zarvam, et Gabriarium. Hæc ergo de nefaria æque ac superstitiosa prima Manichæorum Hierarchia Petrus Siculus recensuit (*c*). Qui quamvis longe post Manetis tempora floruerit, illud opus tamen, cum ex vetusta et constanti Græcorum Armeniorumque traditione, tum ex certissimis monumentis elucubravit, ut suo loco videbimus. Cum itaque ejusmodi res tot tantisque testimoniis roboretur, non arbitror tam graviter allucinatum esse Epiphanium, cum nesciam quo fundamento aut testimonio innixus expresse de Manichæo affirmaverit (*Hæres.* 66, *n.* 3) : *Jam enim suam*, *ut ita dicam*, *manum circulator collegerat*, *quos discipulos nominabat duos et viginti.* Sed existimo mendum potius in amanuenses, aut in interpretes, quam in ipsum Epiphanium esse rejiciendum. D Vel eumdem, non ad primam Manichaicæ sectæ hierarchiam, hujusque formam et numerum, sed ad posteriorem, quæ auctior exstitit, et de qua alibi Augustinus l cutus est, alludere voluisse.

Sed P. Natalis Alexandri turpior allucinatio censenda est; qui agens de Manichæorum erroribus, cum Augustini Opera lustrasset, haudquaquam 41 animadvertit opinionem illam de duobus supra viginti Manetis discipulis, valde nutare, et prorsus periclitari, vel saltem, ut sese ab hac nota purgaret, utriusque sententiæ momenta in medium adducere illi opus erat, ut inde lector firmiorem verisimilioremque seligeret. Sed forte vir doctus rerum et quæstionum copia distentus, illi se opinioni devovit, quæ primo ei occurrerat, ea persuasione, quod Epiphanius, Manichææ sectæ locupletissimus scriptor, nullo duceretur errore. Hæc nos annotare oportuit, ut socordiæ notam præcaveremus.

Interim maxime mirari juvat quod Beausobre, nodum in scirpo semper quærere assuetus, et studiose antiquorum PP. dejiciat traditionem, horum semper apparentes contradictiones notando, atque ampliores faciendo, minime animadverterit aut Epiphanium a cæteris scriptoribus in tanti momenti re dissidere, aut P. Natalem Alexandrum, in assignandis duodeviginti Manetis discipulis, perperam ad Augustini testimonium provocasse. Is ergo communiori subscribens persuasioni, duodenos fuisse hujus hæretici discipulos supponit et affirmat. Quos inter, tres tamquam celebriores præcones, qui Manichaica legatione primitus functi sunt, ac aliis cæteris nequiores, cap. 7 prioris libri, non obscure narravit. Ibi enim Manichæi res, quæ ipsi post viduæ mortem contigerunt, cujusque hæreditatem assecutus fuerat describere aggrediens, urbem Seleuciam seu Ctesiphontem quam Arabes Modain, sive, ut auctor est Assemanus (*d*), urbem Citez appellant, in qua primo nutritus, et in variarum scientiarum studiis fuerat institutus, deseruisse arbitratur; atque demum se recepisse in Huzitide, quæ una est ex provinciis Irak Babyloniorum. Hanc probat conjecturam, *Archelai* Actis insistens, in quibus hæreticum in *regali urbe* Persarum educatum fuisse ait, in qua scientiarum et magiæ schola maxime florescebat (*e*). Græci (subjicit) nullum pene verbum de Manetis vita fecerunt ab anno ætatis suæ duodecimo, ad sexagesimum usque. Immo observat postremam hanc notam aliter et aliter referri in exemplaribus illius disputationis habitæ cum Archelao, de qua re sermonem instituere sibi reservat, verba facturus de tempore quo apud Cascharam S. episcopus habuit congressionem. Igitur ne nos extra propositi instituti fines vagari videamur, ex duodenario illo discipulorum numero, ut dicebamus, trium cæteris præstantiorum meminit : Thomæ videlicet, Addæ, et Hermæ, et animadvertit Cyrillum Hierosolymorum, Addæ loco, Buddam posuisse, ut videre etiam est apud eos auctores qui nomina singulorum duodecim illius discipulorum descripserunt, qui secundo loco, non Addam, sed Buddam posuerunt. (*f*) Diutius tamen his non immorabor, ne vitio detur. Et quamvis acatholicus scriptor alia et alia subjiciat, quæ ad trium horum discipulorum missionem pertinent, tamen, ne propositas nobis leges præterire videamur, de horum missionibus atque muneribus alibi sermonem aggrediemur, interim de nece filii regis Persarum a Manete patrata locuturi.

42 CAPUT VI.

De nece filii regis Persarum per Manetem patrata. Beausobriana commenta et conjecturæ prorsus rejiciuntur. In carcerem trusus Manes, pecuniis corruptis custodibus, et fuga arrepta, ad Persidis et Mesopotamiæ confinia proficiscitur.

Post duodecim discipulorum delectum, horumque in diversas Orientis provincias missionem, ad stultam

(*a*) Photius, ubi in superioribus, cum Wolfii annotationibus.

(*b*) Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 6.

(*c*) Petri Siculi historia de Manichæis typis commissa est a collectoribus Biblioth. PP., tom. XVI.

(*d*) Assemanus, tom. II, p. II, pag. 623.

(*e*) Beausobre, lib. I, c. 7, pag. 75, § 1.

(*f*) Vide quæ in præcedentibus annotavimus contra Beausobre præsertim, qui, cap. 5 pag., 62, negat Buddæ divinitus illatam mortem, tamquam puerilem fabulam a Cyrillo, Epiphanio aliisque PP. narratam. Sibi enim persuaderi posse inficiatur eum e domus altitudine ab angelo fuisse præcipitatum, sed adhuc in vivis exstitisse, cum Manes suam hæresim publicavit, et supplicii pœnas dare coactus fuit.

sacrilegamque hanc sectam propagandam, Manes ipse, majoris sibi comparandæ famæ cupidus, atque ad singularem quamdam divinamque potentiam supra cæteros homines ostentandam, præter naturam aliquod efficere animo revolvebat. Rem autem prospere et fauste sibi eventuram arbitrabatur, cum ex sparso rumore Persarum regis filium gravi ægritudine correptum audivit, eumque in regia urbe (a qua Manes tum aberat) decumbere. Persarum porro reges, aut Seleuciam, aut Ctesiphontem inhabitare consuevisse, præcedenti cap. jam vidimus; ambasque urbes prope fluvium Tigrim positas esse, notat Tillemontius (*Tom. IV de Manichæorum hæresi, art.* 7). Manes ergo, auctore Epiphanio, quamvis a regia aula dissitus, ad eam convolare non distulit, et librorum præsidio confisus quos Terebinthus a Scythiano, et ipse a vidua Terebinthi, seu Budde, hærede acceperat, remedium aliquod nancisci posse confidit, quo statim regii pueri ægritudini, cum totius Persarum regni admiratione et plausu occurreret. *At quorsum ibi pervenit* (ait Epiphanius) *suam aperiens voluntatem, certam filio regis opem promittit. Sed spes in posterum fefellit. Nam cum ægro medicamenta quædam adhibuisset, ita exspectatione sua frustratus est, adeo ut inter illius manus adolescens postremo sit mortuus, quo vana ipsius et mendacia promissa convincerentur.* Hactenus Epiphanius (*a*).

1. Hanc rem paulo aliter Socrates descripsit (*Hist. lib.* I, *cap.* 22), narrans, non sponte et audacter Manichæum ad aulam convolasse, ut ægroto mederetur, sed ipsum Persarum regem, qui pro salute filii omnem lapidem movebat, Manichæi fama motus, *atque ratus vera esse hominis prodigia, eum tamquam apostolum accersit, sperans scilicet fore ut filius ejus opera sanaretur.* An igitur ante tale periculum Manes aliquid humanas excedens vires præstigiarum subsidio moliri tentaverit, ut ejus virtutis fama ad ipsum regem pervenerit, plane ignoramus. Incertum itidem est an pessimus præstigiator ægro tum puero medicamentum vere aliquod adhibuerit vel adhibere simulaverit; an potius solius magicæ artis subsidio fuerit usus. Hocce postremum verisimilius arbitramur S. Cyrilli Hierosolymitani testimonio innixi, qui scripsit (*Catech.* 6): *Manes ad jactandam suæ probitatis et virtutis potentiam promittebat per orationem, tamquam pius, sese illum curaturum.*

Nec Photius rem hanc aliter narravit. Immo antiquorum scripta secutus, quæ ipse collegerat, suisque lustraverat oculis, non tantum Epiphanio, Socrati et Cyrillo Hierosolymorum suffragatur; sed paucis explicata missione duodecim illorum discipulorum, quos impiæ doctrinæ præcones et omnium facinorum socios sibi assumpserat, subjicit statim (*b*): *Sed furiosus ille Manes, cum scelere celebris evasisset, nuntia fama ad aures usque Persarum regis pervenit. Ille cum filium morbo laborantem haberet, audiretque Manem pollicitum esse se filium ejus ex morbo precibus ereptu-rum esse,* **43** *arrogantem hominem ad filii curationem adhibet, ac medicos tum præsentes tametsi ægritudinis curationem facilem fore promittebant, ejecit. Ille vix dum orationem compleverat, et vitam eripuit ei, qui id forte passus non esset, nisi incolumitatem promisisset.* Beausobre (*c*) igitur solus, insulsas et commentitias quasdam suæ critices regulas secutus, Archelaum, Cyrillum Epiphaniumque exagitat, cum quia falsa narrare haud veriti sint, tum quia ipse Cyrillus in suis Commentariis sycophantæ aut furoris speciem huic hæretico tribuere velit; tum quia Photius absurde ejusmodi factum nimia ornatum exaggeratione descripserit. De isto potissimum conqueritur, quod dixerit: *Sed furiosus ille Manes cum scelere celebris evasisset;* quibus reliquisque verbis cum se perstringi

A intelligeret, in hæc verba erupit. Quandonam principes sibi blandiuntur (ait) sanitatum miracula scelestorum opitulatione se fore consecuturos? Recentiores tandem (subjicit, et P. Natalem (*d*) Alexandrum potissimum suggillare intendit) perperam supponunt magicis artibus et præstigiis hæreticum confisum fuisse, et idcirco regis filium curandum suscepisse. At hos in turpem lapsos esse contradictionem, ea ductus persuasione confingit, quod cum Archelai Actis insistant, qui, probaturus hæreticum de quo agimus nequaquam fuisse Paracletum in Scripturis promissum, dixit: *Iste nec signum quidem aliquod, aut prodigium ostendens.* Quare S. episcopus Manetem maxime super hunc articulum exagitans, ita ratiocinatur: *Paracletus a Christo* Jesu promissus, infinita miraculorum multitudine Dominum debuit glorificare, et Manichæus toto suæ vitæ et apparitionis curriculo, nec ullum minimum edidit portentum. Sed Beausobre quasi in scenam ludere voluisse, B et pro historia critica fabulam potius contexere, quis non videt? De qua re, cum in præsens longam disputationem me non oporteat habere, has commentitias fallacias eriperem maximo illo assignato discrimine, quod inter præstigias atque miracula intercedere summi viri docuerunt, et naturalis ratio ipsa suadere debet. Negat quidem, et merito, Archelaus Manetem aliquod ex iis signis quæ a sola divina virtute et potentia derivant fecisse. At non negat hominem maleficiis atque præstigiis, in quibus magorum artes versantur, operam dare fuisse assuetum. Maxime cum, auctore eodem Beausobre, in magiæ institutis, apud Seleuciam aut Ctesiphontem, fuerit primo educatus. Igitur negavit Archelaus potuisse Manetem vera miracula patrare, quia *Deus non erat cum eo.* Ea miracula videlicet quæ *Paracleti* seu *Spiritus sancti* propria sunt, a quo longissime distare intelligimus quotquot veneficiorum præstigias exercere consuescunt. Unde ergo inferre potuit Beausobre (*e*), Natalem, Tillemontium, recentiores scriptores, re- C cessisse ab Archelai testimonio, cui fidem præstare debuissent? Debuisset potius inferre se dialecticæ regulas aut prorsus ignorare, aut iisdem abuti voluisse, ad decipiendos incautos lectores, qui in lustrandis ejus nugatoriis argumentis secum non recogitantes rerum suppositiones variari, vera divinæ omnipotentiæ miracula cum dæmoniacis incantationibus magorumque præstigiis confundere non perhorrescerent. Ex quo habet noster lector catholicos recentiores scriptores haudquaquam antiquorum dictis refragatos esse, sed solidius iisdem adhærere voluisse. Etenim Manes revera nullum miraculum patrare potuit; etsi nisus fuerit fallaciis, aliorum animis, oculis atque opinionibus illudere, in quibus jam celebris evaserat. Quo sensu, nisi animo desipiat, eum intelligere oportebat, Photii testimonium, quo affirmavit: *Manes cum scelere celebris evasisset,* etc. Celebris quidem in scelere et in improbitate is dici debet, qui, ad veritatem catholicæ religionis evertendam, D apostolatum a Jesu Christo sibi datum esse confingit; qui *Paracletum* **44** se nominat; qui pseudopræcones ad falsam religionem huc illucque disseminandam in varias orbis partes jam miserat; cujus fama satis superque non tantum apud rudes et plebeios homines, sed etiam apud magistratus, proceres atque principes debuit evulgari. Quis ergo sibi suadere poterit ejus nomen, ejusque facinora et auctoritatem, potestatemque, quam falso sibi vindicaverat, Persarum regem latuisse? Qui deinde speciosis hisce muneribus allectus et ratus, spe sanitatis filio restituendæ, aut Manem hac de causa in aulam regiam accire voluit; aut Manes ipse illuc se transferre statuit, sperans ope et dæmonis præsidio regio puero in lectulo ægro-

(*a*) Epiphanius, hæresi 66; Beausobre lib. I cap. 7, § 11, pag. 76.

(*b*) Photiu, lib. I contra Manichæos, cap. 12, apud Joannem Christophorum Wolfium, pag. 47.

(*c*) Beausobre, lib. I, cap. 7, pag. 79.

(*d*) Natal. Alexand., sæc. III; Acta disput. cum Archelao.

(*e*) Beausobre, loco superius laudato.

tanti medelam adhibere. Quare minime attendenda est illa Beausobriana exclamatio, videlicet, Quandonam principes sceleratos sibi posse opitulari sperarunt? Etenim, quamvis id verum sit, quando scelestissimi homines, nullum pietatis et religionis tegumentum adhibentes, improbam eorum vitam omnibus patefaciunt, vel quando hæc ex certissimis signis innotescunt; tamen si pravi eorum mores adhuc latent, et studiose sub falsa religionis et pietatis clamide abscondantur, facile ipsi quoque decipi possunt, et quam sæpissime decipiuntur. Quare verba illa Photii non ita violenter detorquenda sunt, ut arbitremur Manem celebrem fuisse in scelere apud regem ejusque aulam: sed apud Deum et Ecclesiam, quæ illius hæreseon blasphemiis et erroribus evertebatur, cum potissimum prava dogmata in vulgus jam sparsisset, et in dies magis magisque spargere curasset, ad sibi auditorum electorumque numerum amplificandum.

2. Exagitatis sic igitur primo Græcæ et Latinæ Ecclesiæ vetustissimis PP. recentioribusque scriptoribus, se tædere ait Beausobre, Gregorium Abulpharagium, Assyriorum patriarcham Orientaliumque scriptorem, in præcedentium opinionem propensum invenisse, quam veluti ex aliorum sententia et rumore mutuatam retulit; cum videlicet, quadam œconomiæ scribendi formula adhibita dixit: *Fertur Saporem Persarum regem, Manetis interfecti pellem detractam stramine suffercisse, illumque super mœnia urbis patibulo affixisse, quod cum magna de se prædicaret, filium ejus a morbo quod ipsi contigit sanare non poterit.* (*a*) Gregorium igitur hunc quasi suspensum hæsisse in adhibenda fide præcedenti narrationi, contendit Beausobre; idque indicari per verbum illud *fertur*, quod in illa pericope primo legendum occurrit. Præterea se stupore percelli ait ejusmodi periculi causam ita publicam et memorabilem, quasi minus consulte ab uno dumtaxat ex Orientalibus recensitam fuisse, cum solus Bar-Hebræus, Abulpharagius, videlicet, illius meminerit, qui tamen cum de ea tamquam de incerta re verba fecisset, eam forte prorsus ignorasset, si ex Græcis scriptoribus eam non didicisset. At se ultro hujusce facti veritatem dare velle affirmat. In ejus tamen suppositione adhibitis omnibus sui studii nervis, rem aliter et aliter exponendam esse observat. Manem videlicet illius principis sanitati non alia de causa prospicere decrevisse, nisi regiis supplicationibus devictum, apud quem hujus hominis fama, cum ob scientiarum doctrinam, tum ob virtutis præstantiam, plurimum prævalebat. Ejusmodi expositionem se ex Socratis testimonio (*b*), quod ipsi in superioribus annotavimus, desumere ait. Addens præterea omnium Orientalium suffragium, qui asseverarunt Manem quasi repente sibi nactum esse Saporis fiduciam, qua sibi filioque ægrotanti profuturam arbitrabatur, ob illius doctrinam. Et quidem hæreticum hominem in se cuncta habuisse quibus sibi regiam existimationem non nancisceretur, ex multis conjecturis demonstrare aggreditur. Primo quidem quia communior hominum opinio Manem eximia magnaque sanctitate donatum ferebat. Continentia quippe, abstinentia, atque jejunia, exterior corporis devotio, **45** vel pietas, quæ hominis summe spiritualis speciem præseferunt, quibus hypocritæ populorum venerationem sibi vindicare consueverunt, in eo potissimum intuebantur; ne quidquam postea recenseamus de austeritate, tristitia, pallore, quibus diabolus, auctore Ephræmio, Manetem tinxerat, ut incautos falleret. Et quidem si ad illius paupertatem animadvertamus, eam Manichæum prosecutum fuisse satis, exploratum est, cum suos electos illi legi subjectos voluerit, ut A nihil penitus possiderent. Quare experientia edocemur nihil magis valere ad sibi conciliandam hominum benevolentiam et existimationem, quam rerum ipsarum temporalium contemptus et abrenuntiatio, quæ quidem apud Orientales potissimum suam adhuc vim conservant. Nam ex Gazophilacio Persarum Linguæ novimus Indorum gentiles de apparenti sanctitate maxime gloriari, si voluntariam paupertatem consociatam habere studeant. Alteram conjecturam ex eo desumit, quod Manes, auctore Archelao, omnium sapientum sua ætate princeps appellari poterat, in iis potissimum quæ ad Persarum pertinent scientias, quas inter maxime medicina in pretio habita fuit, cum nihil magis ad vitæ necessitatem spectare arbitrentur, ut Xenophontes annotavit. Quare alteram magorum philosophiæ partem medicinam fuisse hæc duo indicant carmina:

> Ille penes Persas magus est, qui sidera novit,
> Qui sciat herbarum vires cultumque deorum.

B Ita suis studiis et partibus indulgens ratiocinatur Beausobre, qui et multa alia fidentius congessit, PP. traditioni plene repugnantia, ut incertum *Gregorii* Albupharagii, Monophysitarum metropolitæ testimonium ad certum fabulosum systema reduceret, quod veritatem hujus historiæ penitus aboleret.

3. Quæ itaque ibi subjecit ad eum scopum ordinantur ut lectori persuadeat Manem in medicinæ disciplinis apprime fuisse versatum, atque iis potissimum ducitur exemplis, quæ desumi possunt vel ex Zoroastro Persarum propheta, qui in urbe Divavar cuidam infirmo mederi jussit subsidio humoris ex quadam planta expressi, (*c*) vel ex Alexandro Lycopolitano, qui Saporem ipsum Persam, bella agentem, in castris comitatus est. Ex quo conjicit hunc tamquam medicum huic regi adfuisse (*d*). Hinc in maximo apud Persas honore medicos haberi, ex S. Ephræm confirmari asseverat, qui antequam ex præsentis lucis usura migraret, cuidam Simeoni benedictionem C dare cupiens, ita effatus est: *Tamquam medicus in castris, ita nomen tuum pervadat orbem terrarum.* Qui dicendi modus, apud Orientales in proverbium, seu commune venisse adagium Beausobre sibi blanditur, cum medicinæ facultas, auctore Strabone, ad hominis conservationem ordinata sit. His omnibus se adjicere posse affirmat Scythianum, quem fama Manetis magistrum fuisse tradit, medicinæ institutionibus vacasse, et Hieracem, unum ex duodenis Manichaicis discipulis, huic disciplinæ studium applicuisse. Et denique quasi præcedentem narrationem claudere volens, subjicit multos viros ex monachorum cœtibus, alios ex solitariorum professione, alios tandem ex episcopali ordine, ita ab Orientalibus studiose fuisse prosecutos, ut facile in Persarum regum clientelam et consuetudinem venisse intelligamus, quemadmodum Hist. Miscell. lib. XV refert de quodam Boazane, quem tamquam *medicum optimum*, Cavardes, Persarum rex, plurimum adamavit. Cujus rei D varia nobis suppeditat exempla doctissimus Assemanus in sua Orientalium Bibliotheca. His itaque aliisque similibus jactis fundamentis, hanc Beausobre infert consecutionem, quæ alio cuicumque homini Persæ, vel apud Persarum regum aulam commoranti convenire posset: nimirum Manem a Sapore in aulam accitum tamquam medicum **46** optimum et nobilissimum, quasi quod apud hominum opinionem ejus maxima in languoribus sanandis experientia constitisset. At ubi legimus, vel quis scriptor asseveravit umquam, hanc existimationem sibi vindicasse Manem? Hocce dumtaxat de eo infaustum in puerum regium experimentum, Abulpharagio etiam auctore,

(*a*) Gregorius Abulpharagius, in Historia Dynastiarum, Oxoniæ edita 1663, pag. 80, 82.

(*b*) Socrates, lib. I Hist. Eccles. cap. 22; Ephræm, in Poemat. contra hæreticos, apud Assem., tom. I pag. 119.

(*c*) Apud Hydam, pag. 300. Alexand. Lycopol. ap. Combefis. Auctuar. novissimo part. II, pag. 4.

(*d*) Apud Asseman, tom. I, pag. 143. Strab. lib. XV pag. 677.

cui Beausobre insistit, habemus; et propterea nulla jam pridem causa esse potuit, ut veluti sapientissimus medicus prædicaretur. Quid ergo ex illa consecutione, nisi hoc alterum, Persarum regum aulam ita medicorum cohorte fuisse communitam, quemadmodum militum copiæ et classes castra communire solent? Sed quid inverisimilius? Saporem quidem inter domesticos et familiares aliquot viros in medicorum arte peritos habuisse, ratio ipsa suadet, quos, ut vidimus, e regio palatio exsulatos abire fecit, cum renuntiatum illi fuit sycophantam Manem divina quasi virtute pollere in morbis medendis: non quia tali scientia esset præditus, et in medicorum arte versatus; sed quia filio ægrotanti opitulari sperabat, ob insignem illam vitæ sanctimoniam quam simulare studebat, tum causa apostolatus Jesu Christi, quem sibi datum confingebat, tum ob cætera summæ pietatis et religionis signa, quæ omni diligentia affectabat. Hocce postremum affirmare rationabilius est, suffragantibus præsertim omnibus Græcis Latinisque scriptoribus, qui etsi aliquatenus in verbis differant, in rei narratione tamen sibi invicem omnino respondent. Summæ et extremæ paupertatis præterea cultorem, qua eximiæ sanctitatis opinionem sibi vindicavit, Manem fuisse, Beausobre asseveravit. At quodnam hujus paupertatis argumentum proferre potuit? Nullum profecto suppetit. Quinimmo prorsus latere arbitramur quemadmodum is tantæ virtutis cultor dici potuerit, quem ignoramus assecutas propter viduæ hæreditatem divitias dispersisse. Propterea subjicere debuisset quomodo, quando, vel in quos usus, hæreditarias divitias insumpserit: an in pauperibus et infirmis alendis, an in amicis et consanguineis ditandis, an denique aliquod insigne pietatis opus confecerit, ut sese ad extremam redigeret paupertatem? Ingentes divitias, Scythiani, et viduæ cujus fuerat mancipium, Manem assecutum fuisse, non negavit Beausobre præcedentibus capitibus. Igitur accuratiori ac diligentiori scriptori, qualem se esse jactat, maxime decebat duo hæc inter se repugnantia juxta optimas criticen regulas conciliare, ne insulsas narrationes in nova Manichæorum historia induceret. Quod cum facere prætermisisset, aut nullam, aut solam saltem paupertatis speciem exterius affectasse Manem arbitrabimur.

4. His itaque omnibus sic breviter annotatis, ad historiæ ordinem revertamur. Sapor ergo Persarum rex ex animo regii filii interitum dolens, in patrati facinoris auctorem ita sævire erat paratus, ut is et homicidæ, et audacissimi, scelestissimique impostoris pœnas lueret. Comprehenditur ergo Manes, et in arctum trusus carcerem detinetur, sed eum *discipuli ejus, quos secum duxerat*, invisebant. Quorum alios, cum jam pridem ad comparanda novi veterisque Testamenti volumina Hierosolymam forte, vel in alias Christianorum regiones misisset, hisce libris abuti statuerat, ad facilius Christiani nominis cultores illudendos decipiendosque. Profecti (ait Epiphanius (*Ibid.*, num. 5) *discipuli, libros illos nulla interposita mora coemunt. Deinde ad magistrum reversi jam libertate privatum, carcerem ingressi libros afferunt.* Inter illa ergo carceris otia, Manes sedulo acceptos divinarum Scripturarum libros evolvere cœpit. Et quamvis novum Testamentum adoptare et suscipere confingeret, illud tamen temerariis ausibus, innumeris pene locis, corrupit et depravavit, modo ea subducendo quæ ejus mendacem improbamque vitam arguebant, modo alia atque alia supponendo additamenta quæ impiæ sectæ erroribus, fabulis et deliramentis robur adjicerent (a).

47 Plurima hujus impostoris facinora, blasphemias, turpitudines, falsas mendacesque promissiones, et ignominias, catechumenos alloquens, enumerat et exaggerat Cyrillus Hierosolymitanus. Nullibi tamen de corruptis ab eo Scripturarum voluminibus, dum carceri detinebatur, facit mentionem. Eum vero maxime ludibrio habet, quod ex carcere diffugerit. Propterea subjicit: *Qui enim dicebat se esse Paracletum et veritatis propugnatorem, fugit; non successor vel imitator Christi, qui alacriter veniebat in crucem; sed fugiendo contrarius illi fuerat* (b).

5. Sed ejusmodi ex carceribus fuga, seu dilapsus, Manichæo impossibilis prorsus fuisset, nisi custodes, avaritia atque socordia vincti, ejus votis obtemperassent. Noverat profecto vaferrimus iste homo, publicæ custodiæ præfectum, duobus hisce modis, precibus nimirum atque pecuniis, vinci posse et corrumpi. Et propterea utroque sine mora adhibito subsidio, vincula facile disrupit. Rem hisce fere terminis narrat Epiphanius (*Ibid.*, *num.* 5): *Interim ingenti pecuniarum vi assiduisque precibus exorato Commentariensi, fugam arripuit, et relicta Perside, Romanorum fines ingreditur.* Persarum regis iram, quam tunc Manes evasit, carceris custodes (ait laudatus Cyrillus) immaniter experti sunt. Nam horum infidelitate, vel etiam avaritia, a rege comperta, mortis pœnam, qua in Manichæum animadvertere decreverat, eis intulit; ut ille idem *qui causa mortis regii pueri per superbiam fuerat, causa quoque mortis custodum per fugam efficeretur*. Inter tot ergo tantaque vitæ discrimina, sibi ex sua improbitate et potentissimi regis indignatione comparata, Manetem quidem in posterum prudentiorem fieri oportebat; ut nimirum sibi præcaveret, ne temere quidquam aut scelestum amplius aggrederetur. At contrarium evenisse, cum gravissimi auctores, tum indubitatæ fidei monumenta, quæ supersunt, testantur. Nam pristinam ille libertatem fraudulenter assecutus, et in Romanorum ditionem, positam in confiniis Persarum et Mesopotamiæ, se recipiens, quamvis aliquando solitudini vacare videretur, tamen in illo secessu, non paci et tranquillitati indulgebat; sed nova moliri facinora meditabatur, ut superbiæ et elationis spiritui, quo ducebatur, perpetuo serviret.

Hunc autem e carceribus Manetis dilapsum paulo aliter descripsit Photius, nulla expressa facta mentione quibus mediis artibusque custodes illos vicerit atque deceperit. Ait dumtaxat: *Sed cum servus esset, ac servilis artificii peritus, sciretque se non diu postea patratæ cædis pœnas daturum, utpote qui filium regis impietate sua occidisset, e domo aufugit, et custodibus carceris necis causa fuit; nam quia scelestum illum non accurate custodierant, capite omnes plexi sunt* (c). Quænam servilis conditionis artificia quibus Manes in vinculis detentus uti potuerit, ut e carceribus dilapsus, capitis pœnam præcaveret, hic Photius expresse non indicavit. Sed probabile valde est quod ex Epiphanio superius retulimus. Nimirum carceris præfectum atque custodes ingenti pecuniarum vi assiduisque precibus vicisse; potissimum, cum innotescat vilium servorum conditionem aurum atque divitias repudiare numquam consuevisse, servosque facile ad sua vendenda opera induci posse. An ergo id argumento esse possit maximæ illius paupertatis ad quam Manem deventum fuisse Beausobre (d) describit, etiam antequam Sapores eum in aulam acciperet, remediis et orationibus ægrotanti puero opitulaturum lector ipse judicabit; cum aliud interim, antequam de præsenti tabula manum removeamus, nos eripere oporteat, quod nonnulla alia superius ex veteribus stabilita prorsus everteret, si Beausobrianas conjecturas robur et veritatem habere arbitraremur.

(a) Epiphanius, hæresi 66; August., lib. de Hæresibus 46; et S. Leo M., innumeris locis, de quibus infra verba faciemus.

(b) S. Cyrillus, catechesi 6.

(c) Photius, lib. I contra Manichæos, cod. 12

(d) Beausobre, cap. 7 prioris lib. pag. 85, 86. Idem Beausobre, in annotat., num. 10, subdens ad hæc verba, *fictos, simulatosque errores*, hæc alia esse addenda: *Christi nomine adjecto.*

7. Ex Orientalium ergo scriptis innotescere sibi persuadet Beausobre, **48** Persarum regis odium in Manichæum haudquaquam ex regii pueri nece, sed ex Christiana religione, quam Manes profitebatur duxisse originem. Noverat quidem rex ille, idolorum et superstitiosæ magiæ cultor, Manem misisse Thomam, Addam, Hermam, aliosque pseudoapostolos in diversas orbis oras, qui huc illucque discurrentes, Christi nomen annuntiarent, cujus verum apostolum Manes prædicando se esse confingebat. Idcirco certa persuasione ductus, novæ hujus sectæ propagationem, prolationem atque incrementum, sensim idololatriam et magorum superstitiosa figmenta ad exitium posse redigere, statuit Manem comprehendere, in carcerem compingere, ut tanti flagitii pœnas capitali supplicio lueret. Hujus porro regii decreti causam perspicue in Archelai Actis referri, asseverat, cum legitur : *Mittit discipulos suos prædicaturos intrepide fictos simulatosque errores*, etc. *Quod cum rex Persarum cognovisset, dignis eum suppliciis subdere parat.* Censorem Beausobre hic rogare juvat, ad quam missionem laudata Actorum Archelai verba referre oporteat? An ad priorem pseudoapostolorum Manetis missionem, qua functi sunt antequam ipsorum magister a Sapore esset accitus et carceribus detentus; vel ad subsequentem, quam aggredi non reformidarunt, postquam etiam magistrum, capitalem regio decreto subiturum esse mortem cognoverunt? Non ad primam quidem ea verba referri posse atque debere, Beausobre fateatur necesse est. Nam ex ea regressi Thomas, Addas, et Hermas, redituri de præterita eorum prædicatione rationem, Manem carceribus detentum reperiunt, quem adeuntes, non tantum res a se gestas narrant, sed aliquos Scripturarum novi Testamenti codices depravandos deferunt. Nec falsitatem aut fabulam olere præcedentem hanc Archelai narrationem, merito Beausobre confingit, S. Epiphanii testimonio ductus, affirmantis Manem Christianorum libros jampridem habuisse, antequam Persarum rex in carcerem compingeret. Siquidem aliquot male partos novi Testamenti libros, et eos forte, quos Valentiniani aliique hæreticorum corruperant habere potuit, cum jam eruditis notum sit Christianos catholicos ad integre servandos canonis libros multum operis adhibuisse; ne videlicet ethnici illos igni traderent, ut narrat Eusebius; et ne hæreticorum principes eos corrumperent et depravarent; quemadmodum ex libro Constitutionum quæ apostolis tribuuntur jam factum fuisse colligimus, de quibus ipsi opportunius sermonem habebimus. Qui ergo fieri non potuit ut Manes secum in carceres aliquos novi Testamenti libros detulerit, vel integros et genuinos, quos pro libidine depravavit, aut jam depravatos et corruptos, juxta Valentini Carpocratis Marcionisque interpretationes, et ad alios quoque conquirendos suos discipulos in Orientis et Asiæ partibus transmiserit? An forte tum nondum prodierant sub novi Testamenti nomine fabulosi illi libri qui Petri, Thomæ et Matthiæ Evangelia inscribebantur? An non circumferebatur Evangelium Philippi, excogitatum a Gnosticis? aut aliud denique quod Gaiani sub nomine Judæ proditoris evulgarunt? Ex his aliisque similibus venenatis fontibus, de quibus Eusebius (*a*) et PP. sermonem habuerunt, suam hæresim hausisse Scythianum et Manem certissimum est. Duo illa igitur, sine ullo prorsus repugnantiæ vestigio, inter se bene cohærere possunt : Manem, videlicet, in carcerem constrictum aliquos habuisse novi Testamenti libros, quos fabulosis commentis, ad suæ sectæ patrocinium, magis atque magis corrupit et depravavit; alios denique accepisse ex Thoma, Adda et Herma, ex priori missione regredientibus, quos nebulones

A isti, pecuniarum subsidio, apud Orientales mercati fuerant.

8. Beausobriano systemati hanc præcedentem explicationem haud **49** repugnare, sed illi potius cohærere, quis non videt? Ipse enim dicto cap. obiter de Manetis religione agere instituens, hunc ab adolescentia Christianam multis erroribus depravatam imbibisse supponit, ex Scythiani potissimum commentariis, quam postmodum ipse forte magis corrupit et depravavit, ut suæ et magorum philosophiæ faceret concordem. Restat nunc ergo ut videamus an Sapores in Manem dire excanduerit propter illam pseudoapostolorum missionem, quam unicam tanti odii causam fuisse ipse Beausobre, Archelai testimonio ductus (ut vidimus), asseverat (*b*). Atque, ut præteritarum rerum ordinem servemus, duas a Manete factas fuisse horum discipulorum missiones colligi potest : alteram priusquam Manes regio puero mederi tentasset, ex qua missi cum regrederentur,
B aliquot novi Testamenti codices magistro in vinculis retento reddiderunt. Hanc autem alteram excepisse probabilius arbitramur. Etenim si testimoniis Actorum Archelai insistere, ut jam fecimus, volumus, cum Manes ab iisdem discipulis in carcerem detentus visitatus fuisset, illis suasit nihil vereri, et ad orationem consurrexit. Quæ agendi ratio, auctore ipso Beausobre, argumento esse poterat, cum sanctitatis eximiæ, tum magnitudinis animi, quam fidelem Christi Domini discipulum habere oportebat. Quare concludit haud facile sectæ hujus principem se constituere potuisset, nisi magnas qualitates seu animi prærogativas habuisset. Ad hanc itaque animi confidentiam magis atque magis ostentandam, se nihil prorsus vereri intentatas pœnas et mortem ipsam Manes primo simulabat; et propterea ad auctoritatem sibi conciliandam suamque doctrinam extollendam, *iterum mittit discipulos suos prædicaturos intrepide fictos simulatosque errores*. Postrema hæc verba præcedentibus respondere nemini dubium
C erit. Propterea, tantæ audaciæ Sapores conscius factus, regii filii necem serio recogitans, homicidam diutius in carcerem vivum detineri haud permittens, dilatam hactenus mortem eum subire mandat, *cum dignis suppliciis eum subdere parat*. Verum antequam instruerentur quæ ad hujus impiissimi hominis exemplarem necem Sapores præceperat, corrupto carcerum custode, cæterisque militibus, fugam arripuit, quemadmodum in superioribus jam vidimus. Hæc ad refellenda Beausobriana argumenta nos scribere et animadvertere oportuit, idque potissimum ad antiquorum scriptorum testimonia conciliandа, quæ ipse Beausobre, parum sibi constans, susque deque omnia vertens et detorquens, tamquam parvi pendenda et nullius fidei digna esse contendit. Jam vero ad historiæ ordinem revertamur.

CAPUT VII.

Quemadmodum quibusve artibus catholicam religionem
D *in Mesopotamia Manes subvertere nisus est. S. Archelai Cascharæ episcopi studium ad hosce conatus eludendos. Beausobrianæ de hocce argumento conjecturæ annotantur.*

1. De postremis Manetis conatibus ad catholicam fidem evertendam in præsens verba facturi, illuc revertatur nostra oratio necesse est, unde præcedens caput ad exitum fuit perductum. Ea itaque in solitudine degenti, ubi post e carcere dilapsum se receperat, Maneti nuntiatum fuit præstantissimum quemdam esse virum, atque excellenti pietate præditum, Marcellum, seu Marcellinum nomine, qui Cascharæ (quod **50** Mesopotamiæ oppidum est) habitaret, illum-

(*a*) Eusebius Cæsariensis, Hist. Eccles. lib. VIII, cap. 1, et in Rufiniana nostra edit. tom. I pag. 464. Lib. VI Constitutionum cap. 16, de libris falso inscriptis.

(*b*) Acta disput. pag. 99, et Beausobre pag. 82, cap. in superioribus laudato.

que fuisse virum undequaque Christianum, atque in omnibus *justitiæ officiis plane mirabilem*. Hunc ergo suæ nequitiæ socium, criminum vindicem, et nefariæ sectæ propugnatorem aliquando futurum sperabat, si eum diabolicæ suæ doctrinæ laqueis irretire posset. Præsumebat enim universam se posse occupare provinciam, si prius talem virum sibimet subdidisset. Quare variis excogitatis rationibus, alterutram tantum ex duabus, quæ anxius animo retinebat, adhibendam necessarium duxit. Aut videlicet ad eum proficisci, et pietatis studio, vel hujus æternæ salutis colore procurandæ, inter colloquendum paulatim noxia dogmata ei suggerere, quibus ab eo imbibitis, catholicæ fidei puritas, quam ipse Marcellus, seu Marcellinus profitebatur, quasi sensim corrumperetur. Sed minus tutam hanc agendi rationem sibi futuram verebatur. Quia videlicet ab improviso forte ac subito ingressu, ad religionis catholicæ fundamenta evertenda, grave aliquod malum in sui perniciem et exitium sibi obvenire poterat. Alterum ergo, quod animo pervolvebat, sibi magis profuturum arbitratus est. Id est Marcellum primo epistolis compellare, quibus si benignum præbuisset auditum, aut saltem si audenter non se opponeret, tum majus studium adhibendum, ut et timore actus, vel curiositate ductus, omnia Manicheæ sectæ dogmata, et ejus vana figmenta, sibi Marcellus ipse aperienda flagitaret. Postremo autem hocce uti subsidio tutius et expeditius Manes judicavit. Propterea, accito Turbone, uno ex discipulis, quos Addas iis nefariis institutionibus depravaverat, ei epistolam Marcello reddendam tradidit, præcipiens ut, statim arrepto itinere, Cascharam festinanter proficisceretur.

2. Non est moratus imperium Turbo; qui cum plurimum laboris ac molestiæ in veloci cursu perpessus fuisset, quinque itineris diebus elapsis, ad Marcelli hospitalem domum, tamquam peregrinus advenit; sed ab eo ad quem missus fuerat non statim receptus. Homines enim qui Marcelli peregrinorum hospitio præerant, ex Turbone sciscitati sunt quis esset, unde adveniret, a quo et qua de causa mitteretur. Qui fatebatur se ex Mesopotamia ducere originem, de Perside illuc advenire, atque pro Manichæo Christianorum magistro, apud Castellum Arabionem commorante, legatione fungi. Illi autem mittentis nomen ignorantes, prorsus Turbonem recipere detrectarunt : sed eum hospitio detrudunt, ne aquæ quidem ipsi adhibendæ facultate concessa. Rem hisce fere verbis Archelaus, Cascharæ episcopus describit, subdens : *Hæc et alia nequiora cum Turbo variis diebus pertulisset, laboribus, inedia et angustiis confectus, mortem haud quaquam evasisset, nisi tandem hospitii custodibus indicasset, secum litteras Marcello* (seu Marcellino) *reddendas detulisse* (*a*).

3. Litteras ergo Marcello legendas tandem tradidit, in cujus domo tum aderat Archelaus Cascharæ episcopus. Qui cum audisset blasphemias, quibus litteræ illæ refertæ erant, in earum auctorem quasi religionis studio furere cœpit, et veluti leo conclusus dentibus infringebat, Manetem sibi dari desiderans. Pacatior tamen fuit Marcelli animus. Qui suo episcopo spopondit se litteris curaturum, ut Manes tamen Cascharam veniret, quemadmodum is pollicebatur, si idem Marcellus id flagitaret. Quot vero, aut quales in Deum, Deiparam et sanctos blasphemias Manetis litteræ continerent, facile ex earum exemplaribus, tum ab Epiphanio, tum ab Archelao descriptis, quisque noscere poterit (*b*). Eas autem in præsens haud exscribere necessarium ducimus. Nihilominus tamen, ut nostris lectoribus onus eas percurrendi apud laudatos scriptores allevemus, paucis earumdem summam, seu compendium hic indicabimus.

Et primo quidem harum litterarum exemplum ejusmodi titulum, seu **51** inscriptionem, cum præseferret procul dubio cujuscumque pii ac religiosi hominis animum, in maximam indignationem traheret necessum erat. Aut si titulus, seu illa inscriptio, alicui in fidei rebus minus instructo, aut in catholica philosophia parum versato, legendus occurrisset, hunc sane cum in animi stuporem, tum in anxietatem deducere potuisset. Inscriptio autem illa ejusmodi est : *Manichæus, apostolus Jesu Christi, et qui mecum sunt omnes sancti, et virgines, Marcello filio charissimo gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et Domino Jesu Christo, et dextera lucis conservet te de præsenti sæculo malo, et a ruinis ejus, et de laqueis maligni, amen.* Sed quid audacius quidve scelestius, quid denique in Deum et sanctos injuriosius, a barbaro illo Persa poterat excogitari? An apostoli Jesu Christi nomen, et munera de quibus sanctissimus Paulus potissimum gloriabatur, sua, aut aliorum hominum electione, vocatione, atque missione sibi convenire posse arbitrabatur? Impia hæc prima in religionem exsecratus, alia nimis adhuc nequiora in epistolæ textu expressit. Cum videlicet ad captandam sibi Marcelli benevolentiam, paucis istius pietate laudata, molestiam perferre fatetur, quod non juxta rectam rationem ipse crederet. Valde arroganter præterea subjicit se ad humani generis *emendationem missum, iis opitulaturum qui se seductionibus* atque erroribus tradiderunt. Cujus causa hæc scripta necessarium duxerat mittere, *primo quidem* (ait) *ad salutem animæ tuæ, deinde et eorum qui tecum sunt.* Quænam autem salutis dogmata ei suggesserit, non erit difficile præsentire, cum de iis potissimum cap. 3 et 4 verba jam habuerimus. Duos videlicet Deos necessario admittendos esse affirmabat; quorum quilibet earum rerum effector fuit, quæ ejus naturæ respondent, ita ut bona et lucem non nisi a deo bono, mala vero et tenebras a deo malo condita fuisse contenderet. Quæ sane bona et mala ad invicem confundere et permiscere sine divinæ bonitatis contumelia nemo posset, et quin extremam omnipotentis Dei maledictionem incurreret. Cujus quidem nefarii dogmatis occasione, audacius evangelicis Salvatoris verbis abutebatur : *Quia non potest arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona malos fructus facere* (*c*). Quod nimirum testimonium cum in suum sensum sequenti commento trahere conaretur, subjiciebat : *Quomodo Dominum Satanæ et malorum ejus actuum factorem dicere audeant et conditorem plurimum miror.* Fabulosas has de duabus rerum causis sententias, juxta Manetis pravam opinionem, non copiosius tantum Bailius in Historico suo Dictionario explicavit (*d*); sed etiam, peculiari abreptus spiritu, ex Ovidii, Zoroastris aliorumque ethnicorum philosophorum et poetarum testimoniis, nimis operose produxit. Id vero fecerit ad eruditionis suæ copiam jactandam, an vero ut pravæ Manetis opinioni pondus adjiceretur judicare non ausim. Certum tamen est prorsus infirma atque futilia apparere ea momenta, ex solis naturæ rationibus mutuata, quibus, divina revelatione subducta, insistere contendit. An non antiquiores PP. atque theologi, naturalibus dumtaxat innixi rationibus contra Marcionitas, Manichæos aliosque hujus doctrinæ hæreticos, omni ætate probavere unam tantum rerum omnium causam perpetuo fuisse? Id nos ipsi paulo post explicabimus, eorum scripta recensentes, qui Manichæis obstiterunt. Sed jam relicto Bailio, suimet scribendi scopi interprete, alios Manetis errores in epistola ad Mar-

(*a*) Archelaus episcopus, in disputat. adversus Manichæum.

(*b*) Epiphan., hæresi 66, num. 6.

(*c*) Matth. VII, 18.

(*d*) Bailius Dict. Hist. tom. II, qui valde periculosam cauteque legendam, et SS. PP. injuriosam, de Manichæorum dogmatibus atque principiis composuit descriptionem.

cellum descriptos exquiramus. De hominis ergo emolitione secundo loco aggreditur philosophari; atque interiorem hominem ab exteriori distinguens, hos inter se pugnare contendit. Interioris deinde hominis deum bonum auctorem esse asseverat, sed corporeæ carneæque materiæ conditionem ex diabolo originem duxisse comminiscitur. Impetit post hæc catholicum de Christi Domini incarnatione mysterium. Et perinde quasi apostoli eorumque **52** successores in hocce maximo fidei nostræ articulo aberraverint, ita ratiocinatur : *Atque utinam eo usque eorum vanitas pervenisset, ut non Unigenitum, qui Patris finibus descendit, Christum, Mariæ cujusdam mulieris esse dicerent filium, ex sanguine, et carne, et reliquis mulierum spurcitiis generatum.* Non ergo credebat Manes unigenitum Dei Patris Filium vera et corporea carne indui potuisse, aut in mulieris utero gestatum, aut denique Mariam veram ipsius Dei Genitricem exstitisse. Quam vero hæc probis viris, Marcello et Archelao, sacris in litteris eruditis, summaque erga religionem pietate præclaris, odiosa fuerint, lector ipse perpendat. Nobis etenim non sine maximo nostri animi mœrore ad has similesque blasphemias animadvertere haud licuit.

4. Marcellus itaque ejusmodi epistola lecta, absque ulla mora ad Manetem rescribere statuit, suis hisce epistolis curaturus ut, eo impostore Cascharam accito, is eum Archelao episcopo concertationem iniret, ut catholicæ religionis veritates magis atque magis patescerent. Paucis autem Marcellus suam epistolam absolvit, et ut sermonis gravitatem undique servaret primo hocce majestatis titulo usus est, videlicet, *Marcellus vir notus, Manichæo qui sibi per epistolam indicatus est, salutem.* Deinde in epistolæ corpore, simulat sensum litterarum, quas per Turbonem acceperat, non intelligere, nisi forte (ait) *tu præsens exponas nobis, per verba, singula, sicut per epistolam promisisti.* Cum igitur isthæc epistola Marcelli, Turboni deferenda traderetur, nulla hic persuasione adduci potuit, ut ad Manetem remigraret, *Memor* (ait Archelaus) *itineris laborum, et rogabat alium pro se dirigi*, abnegans ultro se ad illum reversurum, aut communionem cum eo aliquam fore. Sed cum Turbo ad Manetem reverti obsisteret, nihilominus a sua sententia Marcellus non destitit. Nam accito uno ex pueris suis, Calisto nomine, præcepit proficisci. Qui, triduo elapso, ad Castellum Arabionis, ubi Manes se receperat, pervenit. Tum autem Manes hac accepta epistola, partim lætabatur, quod apud Marcellum sine ulla prolatione vocaretur; partim vero quid mali animus illi præsagiebat discipuli Turbonis remoratio. Interim tamen audacissimus homo iter aggredi minime distulit. Et, duodecim secum assumptis juvenibus, virginitatem colere affectantibus, qui officioso comitatu ei assisterent. Cascharam profectus, ad Marcelli ædes pervenit. Ubi cum de Turbone incassum postulasset (Is enim post ejuratam sui magistri superstitiosam sectam, et hujus arcanis fabulosisque erroribus sancto episcopo patefactis, multisque muneribus a Marcello donatus, in Archelai episcopi domum residere jussus fuerat), Manes, inquam, ad Marcellum salutandum ingressus est. Quem cum Marcellus intueretur, lepidum histrionem coram se sistere sibi visus est. Magis aptum propterea ad jocos peragendos quam ad religionis negotia et dogmata discutienda. An non hujus incessus, indumenta, et effigies, gestus, instrumenta, quæ deferebat et ornatus, gravem ac serium quemque hominem cachinnos

A ingeminare coegissent? Qualem se Marcelli oculis videndum exhibuisset, Archelaus hisce describit verbis : *Habebat enim calceamenti genus quadrisole, quod vulgo appellari solet; pallium vero varium, tamquam aerina specie. In manu vero validissimum baculum tenebat ex ligno ebilino. Babylonium vero librum portabat sub sinistra ala; crura autem etiam obtexerat colore diverso, quarum una rufa, alia veluti prasini coloris erat. Vultus vero ut senis Persæ artificis et bellorum ducis videbatur* (a).

53 5. Cum itaque primum in hunc hominem Marcellus oculos conjecit, statim omnes veri sycophantæ artes apprime perspexit, et propterea, eo quasi neglecto, omnique semoto colloquio, illico ad Archelaum mittit. Qui cum Manetem sibi adesse conspiceret, maximo religionis studio actus, invadere eum animo urgebatur, vix odium in impostorem præconceptum cohibere valens; ad quod vehementius incitabatur ex ipso habitu, ipsius figuræ specie, et po- B tissimum ex secreta Turbonis omnium impietatum confessione sibi facta; horumque exsecratione, quæ gravius sanctissimi illius Pastoris cor confixerant. At vero prudentissimus Marcellus, omni contentionum studio sublato, utrumque audiri decernens, viris primariis illius urbis in suam domum accitis; quos inter, quatuor etiam judices, religione gentiles elegit : Manippum videlicet, grammaticum et in rhetorum disciplinis peritissimum, Ægialeum archiatrem nobilissimum et litteris apprime eruditum, Claudium et Cleobulum fratres, in rhetorum artibus pariter exercitatos, frequentem habendum conventum decernit. An vero conventus nomine synodus quædam sit intelligenda, non facile definiri potest. Eo vel maxime, quia ejusmodi conventum, non in Ecclesia, sed in Marcelli domo congregatum fuisse Archelaus affirmat; tum quia *Judices religione gentiles* quatuor in Manetis causa electos fuisse disertis verbis describit. At duo hæc, affirmativam propugnantibus partem minime incommodant. Aliæ enim synodi, sive C concilia, in palatiis imperatorum et principum quandoque coacta fuere, ut de Trullano Constantinopoli coacto legimus. Aliis quoque conciliis etiam generalibus interesse posse ethnicorum philosophis fuit permissum, ut potissimum ex concilii Nicæni primi actis, seu historia, satis perspicue patefactum est. Affirmativæ pariter opinioni synodici libelli auctor suffragatus est. Ait quippe Manetis errores in synodo quadam Mesopotamiæ a magno illo Archelao Caschariorum episcopo fuisse damnatos (b). Qui dicendi modus argumento esse potest laudati libelli auctorem *conventus* vocem pro concilio interpretatum fuisse. Sed nemo veterum (subjicit P. Natalis Alexander) synodi hujusmodi meminit. Quod argumento est, confictam esse (c). Sed veterum scriptorum silentium, Cyrilli Hierosolymitani videlicet et Epiphanii, ad quod doctissimus P. Natalis provocat, quorsum confictionis argumento esse possunt? An ergo apud P. Natalem majus pondus duorum scriptorum silen- D tium obtinet quam unius Archelai testimonium, qui et disputationis et coacti conventus fuit auctor? Dabo quidem nullum alium episcopum præter Archelaum huic conventui interfuisse. Quid vero? numquid presbyteros, et reliquam illam cleri partem quæ saltem in Caschara urbe morabatur, ab eo cœtu abfuisse arbitrabimur? Id nequaquam dabo. Nam Archelaus ille episcopus de tali disserens cœtu, hunc magnificum appellat conventum, ita ut *domus Marcelli*, quæ erat immensa, repleretur ex his qui ad

(a) Archelaus. in disput. adversus Manichæos, apud Zacagnium, pag. 23, qui adnotavit baculum ex ebeno gestasse prophetas, hoc est sacrarum rerum interpretes, ut ex Callisthene probat Ducangius in Glossario.

(b) Photius, ad cujus verba animadvertens Christophorus Wolfius sic annotavit : *Ita a pluribus vocatur Archelaus* CARRHARUM, *quod genuinum urbis nomen est, episcopus.* Sed in aliis Codd., Holsteinianis nimirum, legi Cascharam. Consule cap. ultimum hujus nostri libri.

(c) P. Natalis Alexand. Historia Ecclesiastica sæculi III, cap. 3, § 2.

audiendum fuerant convocati. Sed, præter eos qui ad audiendum convocati fuerant, ibi electos judices in excelsiori loco considentes exstitisse, idem Archelaus testatus est.

6. At præcedentes conjecturas et synodici libelli testimonium, tamquam infirma prorsus labare videantur, si ad Photii (a) historiam oculos convertamus. Qui non tantum ejusmodi res ab Archelao, Gascharæ episcopo, contra Manetem gestas aliter describit; verum etiam iudicavit conventum illum, illamque hominum collectionem, synodi nomen haudquaquam posse obtinere. Narrat quippe quemadmodum Manes profugus, in Mesopotamiam adveniens, defectionis suæ zizania serere incœperit : *Sed* CASCHARÆ EPISCOPUS (ait) CUI NOMEN ARCHELAUS, *vir sacer, divinarum humanarumque rerum peritissimus, collecta Græcorum, seu gentilium auditorum, manu, ne Christianis judicantibus veritas per favorem triumphasse videretur,* 54 *instituta adversus Maniæ cognomen pia disputatione, impiissimum hominem ita pudefecit et confutavit, ut inde statim aufugeret* (b). Si ergo, auctore Photio, Græcis gentilibusque datum fuit disputationi interesse, *ne Christianis judicantibus veritas per favorem triumphasse videretur;* cur quove sensu illorum hominum Græcorum, sive gentilium, multitudo, atque collectio, synodus poterit appellari? Laicis enim viris, et maxime a Christi nomine alienis ne de fidei rebus atque dogmatibus judicarent semper et ubique cautum est. Quemadmodum catholici contra heterodoxos, ab Ecclesiæ incunabulis ad nostra tempora usque, omni conatu propugnarunt. Hæc, inquam, ego quoque animadvertens, plane didici Photii laudatam narrationem præcedentibus conjecturis potius robur adjicere, quam eas conjecturas et synodici libelli testimonium infirmare atque evertere. Gentiles enim illi tamquam auditores et testes conventui interesse debuerunt; ne suspicio quandoque gravis in populo et plebe oriretur *judicantibus Christianis;* hos favorem potius quam veritatem prosecutos fuisse, maxima cum justitiæ et æquitatis jactura. At id fieri quid prohibet? Nonne ad Hierosolymitana concilia universa credentium multitudo convenit? Tamen solos apostolos judicasse, contra Blondellum aliasque hæreticorum turbas, catholici certissimis argumentis demonstrant. Quam disputationem in præsens aggrediamur minime oportet, ne extra chorum canere videamur, atque huc illucque vagari, quemadmodum Beausobre facere consuevit.

Cum itaque hæc omnia mecum reputassem, minime adduci potui ut mihi persuaderem prorsus confictam esse illam diœcesanam synodum, in qua, absoluta Archelai disputatione, Manetis erroribus saltem anathema dictum fuisse probabilius existimamus. Quod forte evidentius ex illius disputationis Actis colligeretur, si temporum injuria atque interpretum ignavia, aut corrupta aut depravata non exstitissent. Singula autem hujus nebulonis prava dogmata ab Archelao disputante ex Scripturis potissimum improbata et condemnata fuisse, inter cæteros unus Cyrillus Hierosolymitanus asseverat, qui annotatis variis Scripturarum testimoniis, hæc subdit, scribens (c) : *His et aliis ejusmodi pluribus prosternabatur draco, talibusque concertationibus Archelaus superavit Manem, ita ut rursus inde fugeret perinde atque antea ex carceribus.* Superato itaque et convicto Manete fugam arripere, quemadmodum ex carceribus, statuit, ut videlicet non tantum pudorem et confusionem vitaret, verum etiam concitatum in se populi furorem, quo ad necem quærebatur, declinaret. Et mortem quidem minime evasisset, nisi Marcellus atque Archelaus, omnium suarum virium conatus adhibuissent ad vehementem horum rabiem cohibendam. Cum ergo in hac causa seu judicii genere, ea omnia concurrant quæ in conciliis contra Christianæ fidei reos haberi solent, nihil obstare poterit quin convenius omnino, concilium tum Gascharæ habitum fuisse intelligamus. Jam vero tandem Beausobrianas censuras attendamus.

7. Multum operis tamen Beausobre (d) impendit ut sensim hactenus dicta dejiciat atque evertat; et deinde Actorum fidem ita elevet, ut ea tamquam prorsus commentitia et fabulosa explodenda esse decernat. Sermonem suum potissimum ab eo narratione orditur, quam in Actis cum Tillemontio (e) astutam fuisse arbitramur, qua, videlicet, duodena Christianorum millia describuntur, hominum nimirum, mulierum, et infantium, qui e urbe digressi in quemdam campum, die ac nocte jejunantes et orantes se receperant, Deum solum invisibilem deprecaturi, ut opportunis temporibus super terram et semina pluvias mandare dignaretur. Hunc 55 ritum ibi antiquos Christianos quotannis servasse affirmatum est. Verum cum populus iste, hujusmodi pietatis et religionis exercitiis vacaret, Romanorum milites, non longe ab eo agro seu campo absentes, gravi ducebantur suspicione, turbam tamquam imperiali militiæ infensam illuc commorari statuisse ad vim sibi suisque armis inferendam, si temporis opportunitatem invenisset. Illico ergo Romani milites in Christianos dormientes irruere non reformidarunt, et nullo puerorum mulierumque servato delectu, alios in ore gladii perire cogunt; alios denique (septem millia scilicet et septingentos), post tres dies itineris, Gascharam captivos ducere, ut eos in servitutem accepta pecunia darent. Tanti ergo facinoris conscius factus Archelaus episcopus, incunctanter Marcellum, seu Marcellinum, adire festinat, qui, statim apertis omnibus suarum divitiarum thesauris, militibus ethnicis tantam auri partem obtulit, quanta sufficiens foret ut illa captivorum multitudo pristina libertate donaretur. Cujus sane animi magnitudinem et maximam charitatem cum non satis militiæ cohortes mirarentur, statim consilium mutarunt. Nam eorum alii, militari cingulo relicto, et idololatriæ cultu Christo nomen statim dederunt; alii tandem, accepta dumtaxat quarta pecuniæ parte ipsis necessaria pro viatico, ad pristinas stationes regressi sunt.

8. Primo itaque Beausobre arbitratus est narrationem hanc puram putamque fabulam redolere, et propterea, multis conjecturis innixus, singillatim omnia percurrens, censorium stringit stylum, ut, notatis variis improbabilitatis argumentis, lector inde judicet Acta quæ sub Archelai nomine cum tota illa disputatione circumferuntur, tamquam prorsus supposititia esse rejicienda.

Secundo sibi persuadet memoratum Tillemontium ejusmodi annotatis conjecturis saltem haud refragari, cum dixerit præcedentem historiam cujusdam narratiunculæ signa et characteres præseferre. Potissimum, cum admodum difficile reputari debeat duodecim millia Christianorum reperiri potuisse in una eademque civitate, adhuc idololatria regnante. Tillemontii quoque admirationem augere ait, quod tam longo tempore Christianorum populus in spatioso congregatus campo jejunans et orans perseverare potuerit, nisi forte tum Paschalia jejunia recurrerent. Sermonem tandem de Tillemontio claudit; cur cum multæ occurrerent difficultates, præsertim quod tanta populi multitudo, a somno correpta, inermis a militibus se præoccupare siverit, quin jamjam sole occidente ad urbem, ex qua disgressa fuerat, regredi deliberasset, ait, hunc inter tot tantosque nodos, inter hos gravissimos scopulos suspensum hæsisse

(a) Photius, lib. I contra Manichæos cap. 13, in exordio.

(b) Photius, lib. I Hist. contra Manichæos cap. 13, apud Wolfium, pag. 49.

(c) Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 6.

(d) Beausobre, lib. I Hist. de Manichéis, cap. 8.

(e) Tillemontius, not. 11 et seqq. in Manichæos.

ne Archelai Acta prorsus conficta affirmaret, judicare maluisse tandem historiam de qua agimus interpretis esse mantissam, quam veluti pannosum additamentum iis Archelai Actis assuere nisus est, sed iis fidem et auctoritatem derogare haud posse (a).

His omnibus non obstantibus, Beausobre, Tillemontii rejecta opinione, ita ratiocinari posse arbitratur, et lectoris animum sequentibus præcautionibus statuit præoccupare. Omnes fabulæ (ait) alicui fundamento, ex veris historiis desumpto, solent inniti. Quod in præsentiarum diligentius inspicere ipse volens, illud probabilius hauriri posse credidit ex quodam veterum testimonio, a domino Hyde descripto in opere de Religione vet. Persarum (b). Sed cum istud deinde consuluisset, suisque ipse oculis lustrasset, tamquam infirmum labare intellexit; illudque dumtaxat subjicere non detrectavit, ne in fraudis suspicionem apud lectores quandoque veniret. Sic itaque ratiocinatur. Credamus igitur laudatam fabulam alicui fundamento ex vera historia hausto esse innixam.

56 9. Propterea primo erit supponendum (ait) Marcellum illum, cujus in Actis mentio facta est, vere fuisse hominem clarum et illustrem, ex Romana gente progenitum, maximis ditatum opibus, qui magna auctoritate in Mesopotamia pollebat ob omnium rerum administrationem, qua imperiali nomine fungebatur. Secundo nos quoque supponere oportet populi turbam in campo orantem et jejunantem a militibus deprehensam, hujusmodi religionis exercitiis vacasse servato Persarum cultu et ritibus, minime vero habita ratione ad Christianam pietatem et evangelica instituta, juxta ecclesiasticam traditionem servanda, quibus vel quadragesimalia, vel Quatuor Temporum jejunia celebrari solent. Persas autem statutis anni diebus in campis convenire consuevisse, benedictionem ab invisibili Deo flagitantes pro terræ fructuumque ubertate, asseverat auctor de religione veterum Persarum verba faciens, ut paulo post ipsi observabimus.

Priori itaque suppositione spectata, Beausobre sequentem propositionem, tamquam omnino certam subjicit : Marcellum nimirum, ita amanuensium oscitantia appellatum, veram habuisse omnium Mesopotamiæ provinciæ rerum administrationem, iisque populis tamquam verum gubernatorem præfuisse, Aureliano imperante, circa Christi annum 273, quando videlicet devicta Zenobia, Palmyrenos Romano subegit imperio. Narrat enim Zosimus cuidam Marcellino illarum provinciarum administrationem datam fuisse (c). Quare facile potuit fieri quod nonnulli pro *Marcellino Marcellum* legerint. Sed in similes errores, veteres passim lapsos fuisse, jam omnibus exploratum est. Hunc ergo Marcellinum, Romanæ gentis ducem, summæ maximæque integritatis virum fuisse, jam plane innotuit ex iis experimentis atque periculis quibus multoties quorumdam hominum fides animique constantia tentata vix resistere potuit. Quinimmo plerique mortalium, gloriam et honorem sibi nancisci putarunt, quando spe majoris honoris, auctoritatis et imperii obtinendi allecti, suis commodis indulgentes, justitiæ et æquitatis jura despicere et infringere non erubescentes, rem alienam in suam vertere potuerunt. Palmyreni namque nimis ægre ferentes suarum urbium depopulationem, tum Zenobiæ reginæ dedecus et captivitatem, se ab Aureliani imperatoris tyrannide subducere tentabant; et propterea Marcellino oblatio facta ut ab imperatoris obedientia et fide descisceret, atque cum ipsis, societatis fœdere inito, universum tum Mesopotamiæ, tum Orientis regnum sibi vindicaret. Horum consiliis atque blanditiis Marcellini animus cum restitisset, supremum sibi illius gentis dominatum dari constantissime recusavit, diligentius potius inquirens, ut, semotis omnibus defectionis studiis, Romano imperio, a quo fuerant debellati, servirent. Rem tamen ad Aurelianum detulit, ne, in dies magis populari seditione crescente, servitutis jugum quo tenebantur infringerent. Esse igitur potuit (concludit Beausobre) ut Marcellinus in Christianos horumque religionem propenderet.

Ad alteram deinde suppositionem quam Beausobre præmiserat jamjam gradum facit, eamque nimis nutare asseverat. Nam quis sibi potuit confingere Romanos milites, sub disciplina eorum qui exercitibus solent præesse, ita fuisse immanes ut exitio dare voluerint inermem infantium et mulierum multitudinem, quæ reipublicæ obtemperabat? Æque probabilitate caret quod captivas duxerint personas liberas atque innocentes. Quæ si ex Persica gente fuissent, milites suspicari potuissent illic in campo, tamquam hostes, congregatas, ut terras jam sub Romano imperio existentes gladio invaderent. Quare cum illorum captivorum innocentia postmodum comprobata fuisset, illius provinciæ supremus administrator jubere debebat ut absque ulla pecuniarum solutione pristinæ libertati donarentur.

Ad tertiam quod attinet suppositionem, num videlicet de Persarum **57** supplicationibus superstitioso cultu celebratis ageretur, D. Hyde id voluisse indicare (d) primo Beausobre arbitratus est. Cum videlicet quasdam magorum cæremonias, similitudinem aliqualem habentes cum nostris, baptismi et Eucharistiæ ritibus descripserit, ductus testimonio quod perperam D. Chrysostomo tribuitur (e). Hocce testimonium in notis subjecit, nimirum : *In suis etiam sacris habebant Mithriaci lavacra, quasi regenerationis, in quibus tingit et ipse (scilicet sacerdos) quosdam utique credentes, et fideles suos, et expiatoria delictorum de lavacro repromittit, et sic adhuc initiat Mithræ. De hoc in Justino martyre et Chrysostomo legitur. Hi ergo per singulos annos, post messem trituratoriam ascendebant in montem aliquem, qui vocatur, lingua eorum, mons Victorialis, habens in se quamdam speluncculam in saxo, fontibus et electis arboribus amœnissimus; in quem ascendentes et lavantes, se offerebant, et orabant in silentio Deum tribus diebus.* Ædificium hocce haud male esse constructum idem Beausobre asseverat. Sed fundamentum, cui nititur, prorsus labare atque ruere contendit. Cum nec martyr Justinus nec Chrysostomus id affirmaverint. Quinimmo (ait) testimonium mox laudatum, ex auctore Operis *Imperfecti* in Matthæum desumptum est, quod opus non nisi fabulosis narratiunculis est refertum. In eo quippe de magorum supplicationibus minime sermo est, bene vero de quadam traditione a Christianis Orientalis communionis generatim approbata disseritur, de qua luculentius se verba facturum promittit, cum de Manichæorum apocryphis scripturis disputabit. Quare sensim stylum etiam in D. Hyde convertit, lectores admonens ne sine diligenti examine veterum testimoniis, etiam a viris doctis laudatis, se subscribant; qui, quamvis in eorum operibus nec mentiri nec verba vendere sibi proposuerint, tamen in similibus locis laudandis atque annotandis allucinatione laborarunt.

10. Paulo fusius autem hæc describere me oportuit, judicaturus deinde an nugari voluerit Beausobre, vel an, semoto omni partium studio, quemadmodum gloriatur, veritatem fuerit prosecutus. Et primo quidem, quod attinet ad Justinum, fateri cogor, vel Beausobre oscitanter hujus Opera percurrisse, vel saltem lippis ea lustrasse oculis. Sanctus enim martyr tribus in locis potissimum de Persarum ritibus,

(a) Beausobre, ibid., pag. 88, in fin.
(b) Thomas Hyde, de Religione vet. Persarum cap. 4.
(c) Zosimus, Historiæ lib. I, pag. 55 Græcæ editionis.
(d) D. Hyde de Religione vet. Persarum, cap. 4, pag. 113.
(e) Beausobre, ibid., pag. 90, 91.

mysteriis atque cæremoniis locutus est, atque ea recensuit quæ D. Hyde ex Chrysostomo de veteri horum religione annotavit. Primum ejus testimonium legitur in apologia pro Christianis, quam vulgo secundam appellant (*a*); in qua eucharistici sacramenti faciens mentionem, hujus veritatem evangelicis Christi verbis probat, subdens deinde: *Quod quidem etiam in mysteriis atque initiis Mithræ fieri docuerunt per imitationem pravi dæmones.* Persæ igitur, a dæmonibus edocti, in eorum supplicationibus et solemniis initiis sacram Christianorum mensam imitari satagebant. Eo tamen servato discrimine (ut subdit idem Justinus), *quod namque panis, et poculum aquæ in sacrificiis, sive re divina ejus qui initiatur, ponatur, verbis quibusdam additis, aut certe scitis, aut cognoscere potestis.* Id autem etiam Manichæos facere consuevisse, opportunius, suo loco, ex Leone Magno observabimus. Videlicet cap. 9 secundi libri hujus historiæ.

Rursus Persas in antris atque speluncis, supplicationes atque nefanda mysteria celebrasse, præsertim quando Mithræ initia, celebrabantur, idem Justinus in dialogo cum Tryphone hisce verbis explicavit: *Porro quando illi, qui Mithræ initia tradunt, e petra eum natum esse memorant, et spelæum, seu specum nominant eum locum, ubi initiari ei* **58** *credentes perhibent.* Denique loquens de Christi Domini nativitate in Bethleem, narrat quemadmodum Joseph non haberet quo diverteret, *in specum quemdam vico proximum concessit, atque cum ibi essent, enixa est Maria Christum, et in præsepio posuit, ubi eum ex Arabia venientes magi invenere.* Paucis deinde interjectis addidit: *Propterea verba ejuscemodi eos qui Mithræ mysteria instituerunt in loco qui apud illos spelæum sive specus vocatur, suos initiare, sua arcana peragere diaboli instinctu incitatos.* Hos ergo ritus et cæremonias in antris atque speluncis Persæ et magi exercebant; eo quasi ducti consilio, ut diabolo servirent, Scripturis novi et veteris Testamenti abutentes, quibus se divinis Christianorum institutis atque mysteriis conformari simulabant. Non itaque corruit fundamentum illud, ex quo præcedens narratio desumpta est. Sed firmius illud stare oportet, cum scriptores, qui post Justinum floruerunt, forte ex hujus dictis et auctoritate, Persarum ritus cæremonias et supplicationes fuerint mutuati. At Chrysostomum nullam prorsus de hisce Persarum ritibus mentionem fecisse, quis contendere posset? Quid enim? Forte Chrysostomi silentium testimoniis Justini martyris officere poterit? Is enim floruit cum jam Persarum et magorum religio Mesopotamiæ cæterisque illis provinciis maxime dominabatur, et Christi nomen nondum, aut vix, iis habitatoribus fuerat annuntiatum (*b*). Contra vero Chrysostomi ætate, quamvis Christiana religio huc illucque ibidem propagata fuisset, cum magiæ et idololatriæ exitio (*c*), hæc tamen ubique prorsus abolita non erat, ob illarum gentium feritatem, quæ majorum instituta sequentes, soli summos honores tribuere non reformidabant, ut testatur ipsemet Chrysostomus hom. 11 ad populum Antiochenum. Neque tandem Beausobre D. Hyde exagitare oportebat, quod Opus Imperfectum in Matthæum, veluti Chrysostomi fetum laudaverit. Illud enim plerique antiquorum Chrysostomo adjudicarunt; et in secundo tomo Operum illius veteres editores excudi curarunt, quod passim in cod. mss. hujusmodi homeliæ eidem ascribantur (*d*). Quare cum diligentiori studio deinde recentiores de harum homeliarum auctore inquirere volentes,

A atque in præfatis homeliis aliquos Ariani dogmatis nævos offendissent, variisque interpolationibus, et corruptionibus, atque mantissis fuisse luxatas conspexissent, meliori judicio arbitrari sunt a Latino scriptore fuisse compositas, et ab homine læsæ fidei, iisdem nævis atque additamentis refertas. Nemo horum tamen affirmare ausus est, puras putasque fabulas in iis contineri, quemadmodum Beausobre fassus est (*e*).

10. Jam vero Beausobre ad Manetis epistolam, quam Marcello per Turbonem mittere curavit, gradum facit, quam integre Gallice reddidit, ejusmodi opus laudare non erubescens, veluti apostolorum stylo conscriptum, et S. Pauli apostoli phrasibus loquendique formulis undequaque refertum. Quæ duo convenire haud possunt neophyto viro, a paucis mensibus in Scripturis sacris percurrendis versato; aut feroci, barbaro, atque impio, qualem veteres scriptores Manem fuisse affirmarunt. Sanctum Paulum
B deinde Manichæos venerari subjicit, sibi perperam persuadentes ex hujus sancti apostoli scriptis fundamenta haurire posse ad probandam tum duorum principiorum existentiam, tum naturalem hominis corruptionem, maxime cum Paulus inter cæteros apostolos suos coætaneos plus laboraverit, ut Christianorum Ecclesiam a jugo Mosaicæ legis solveret. Hæc ergo, et id genus multa alia congessit Beausobre in Manichaicæ epistolæ expositione et describenda hæretici hominis cum Archelao Caschararæ episcopo disputatione. Quarum aliqua cum nos referre pudeat, silentio prorsus occulere **59** duximus necessarium; cætera vero, cum potius ad Manichaicam philosophiam, mores, cultum et disciplinam pertineant, rerum ordinem nos servare statuentes, singula suis apte locis aut explicare aut rejicere conabimur.

CAPUT VIII.

Manes Caschara digressus, latebras quærens, in Diodoridem, ejusdem urbis vicum, seu parœciam, se
C *recepit. Cum Diodoro presbytero novas de fidei dogmatibus concertationes aggreditur. Admonitus Archelaus, primo Diodoro dedit epistolas, de quibus verba faciens Beausobre, nugis ecclesiasticam disciplinam evertere conatur. Adveniente deinde Archelao Manes incassum fugam tentare nisus est.*

1. Manes ubi Persarum odium declinasse, et Cascharæ judicium, quod paulo ante memoravimus superasse sibi videbatur, et in singulis multa fraude et dolis usus esset; tamen in suæ vitæ securitatem, atque præsidium latebras quærere coactus, in abditam partem, seu ignobilem vicum, diœceseos Cascharæ secessit; atque ibidem, omnibus testibus præcedentis suæ nequitiæ et flagitiorum procul amotis, cum quodam presbytero, illius parœciæ rectore, de religionis dogmatibus concertationem habere deliberavit. Solusne, an vero cum iis discipulis virginibus (videlicet continentiam extrinsecus affectanti-
D bus) quos secum ex Arabione Castello adveniens Cascharam duxerat, certo affirmare haud possumus. Illud nobis ex laudatis Actis innotescit, statim profectum esse ad quemdam Diodorum, ab Epiphanio Tryphonem appellatum, qui Christianorum parœciæ præerat, ut cum isto disputationes iniret. Cyrillus hujus parœciæ locum *vicum vilissimum* appellat (*f*). Cui suffragatur Photius scribens: *Hinc profugus, vicum quemdam ignobilem occupat, ibique rursum impietatem suam fovere et patefacere satagit* (*g*). Sed nullam facit prorsus mentionem de Diodoro, seu

(*a*) Justinus martyr, apologia 2 pro Christianis, et in dialogo 8 cum Tryphone, pag. mihi 296 et seqq. Consule Leonem Magnum, serm. 6 de Epiph. et aliis in locis.

(*b*) Justinus martyr floruit circa Christi annum 161, Chrysostomus vero quinto Ecclesiæ sæculo.

(*c*) Eusebius, Histor. Eccles. pag. m. 222.

(*d*) Consule Gulielmum Cave sæculo Arianorum pag. m. 215.

(*e*) Beausobre, ibid., pag. 93.

(*f*) Cyrillus Hierosolymit., catechesi 6.

(*g*) Photius, lib. I contra Manichæos, cap. 13, pag mihi 51.

Tryphone presbytero, quem Manes novis disputationibus aggredi et exagitare tentavit. Is ergo, quamvis pietate, pura religione, cæterisque virtutibus, præ aliis ibi existentibus emineret, parum tamen nihilumque cum in sacris litteris esset versatus, facile potuisset decipi a Manete, qui eum in suam sententiam perducturum sibi blandiebatur. Isthæc tamen opinio hæreseon auctorem fefellit. Nam presbyter vix auditis blasphemiis in quas novorum dogmatum architectus eruperat, Archelaum episcopum admonuit, instructionem, opitulationemque sibi dari expostulans. Archelaus statim prolixam ad suum presbyterum scripsit epistolam, quam Beausobre veluti suæ Historiæ minus dignam, aut suis studiis parum accommodatam, nec Gallice reddidit, nec in suum transtulit opus (*a*). Hujus tamen epistolæ inscriptioni, nodum in scirpo quærens, insistit; in qua cum duo offenderit sibi suspecta, nisi allucinatione (ait) laborem, perspicue patefaciunt, ipsam, Archelai ætate, conscriptam non fuisse. Horum alterum est, ibidem sine episcopo unam Ecclesiam fuisse fundatam, cui solus presbyter præerat. Quare minime mihi persuadere possum (subjicit), tertio currente Ecclesiæ sæculo, neque in urbibus, neque in suburbiis, seu vicis, **60** aliquas Ecclesias fuisse fundatas, quibus episcopi non adessent. Quando autem Ecclesia fidelium multitudine nondum satis increvit, episcopi nonnisi diaconos habebant, qui sibi ipsis subessent; sed nec episcopi erant, quamvis sic appellarentur et omnes sacras obirent functiones. Verum, nonnisi longo tempore post, ejusmodi episcopi rurales, seu chorepiscopi, omni superiori auctoritate denudati fuere; coacti proinde ad presbyterorum ordinem descendere. Diodorides ergo castellum erat, seu suburbium, quod tum episcopum habebat, prout innuere videtur D. Assemanus in Bibliotheca Orientali (*b*).

2. Priori hac difficultate præmissa, quam gravissimam esse Beausobre arbitratur, statim ad alteram descendit, quæ magis Archelai epistolam suspectam reddit. Supposito ergo (ait ipse) quod episcopi in villis atque oppidis non habuerint nisi simplices presbyteros, qui plebibus præessent, saltem extra omnem dubitationis aleam positum censeri debet, ab eorum episcopis *fratrum* nomine, minime *filiorum* appellari; maxime cum sua scripta ad eos dirigebant. *Filiorum* vocabulum diaconis dumtaxat convenire confingit, cum proprie episcoporum sint ministri in sacris obeundis. Quare sibi persuadet nullibi exemplum reperiri posse quod tribus prioribus sæculis episcopi, ad presbyteros epistolas dantes, *filiorum* vocabulum in inscriptione posuerint. Hactenus Beausobre.

Num igitur lectores fabulis credere vult cogere? Quæ, licet multo studioso artificio compositæ videantur, verbis atque sententiis adjuventur, fidem tamen nullam auctoritatemque sibi vindicare possunt, nisi apud stupidos bardosque homines, ecclesiasticæ hierarchiæ hujusque vetusti ordinis et œconomiæ prorsus ignaros. Neque eum juvat ad trium

A priorum sæculorum ecclesiasticam historiam sine ullo auctore provocare. Nam imprimis discrimen afferre oportebat, quod intercedit inter aliquem peculiarem fidelium cœtum, sub uno legitimo pastore congregatum, episcopo videlicet, et locum illum in quo fideles ipsi ad suos habendos conventus conveniebant. Quando nimirum Dominicis, id est solis diebus, divina mysteria sub uno præside celebrabant, et in iis de Christianæ religionis rebus agebatur. Utrique autem Ecclesiæ nomen fuisse accommodatum quis ignorat? Quando igitur de Ecclesia in priori sensu accepta affirmatur hanc sine episcopo esse non potuisse, et unamquamque suum et unicum habuisse episcopum præsidentem, quem veteres, ut Justinus et Tertullianus summum sacerdotem appellarunt (*c*), id jam intelligi oportere de episcopatu secundum veterem et novam Ecclesiæ hierarchiam, omnibus exploratum esse debet. Quia vero Ecclesiæ, sic priori modo spectatæ, ut plurimum, tunc potissimum non angustis contrahebantur terminis, sed in longinqua B spatia se extendebant, plures quandoque urbes, suburbia, pagos, castella, rura, idque genus alia comprehendendo, non unicus pro omnibus hujus Ecclesiæ fidelibus sufficere poterat mysteriorum agendorum locus, nec unus sacerdos; et idcirco intra eamdem diœcesim, quam Ecclesiam appellabant, plures debebant fieri sacri conventus, diebus Dominicis potissimum, quibus sacerdotes præesse debebant, tum docendo populum, tum sacram synaxim seu collectam peragendo.

3. Ne vero in his conscribendis læsæ fidei hominibus videar fabulari, ejusmodi fuisse ecclesiasticam disciplinam, secundo Ecclesiæ sæculo currente, jam ex Tertulliano et Justino martyre innotescit (*d*). Is enim in sua apologia edita pro Christianis, et Romano imperatori Antonino Pio oblata, sacrorum horum conventuum, etiam in oppidis et ruribus a Christiano populo inhabitatis, die Dominico celebratorum, apertam fecit mentionem; **61** singula pariter describens, vel quæ a præpositis peragebantur, vel quæ C populus fauste acclamabat, vel quæ denique ab ecclesiasticis lectoribus ex apostolorum et prophetarum commentariis recitabantur. Quæque omnia, post præsidentis orationem, qua populus instruebatur, et ad imitationem tam pulchrarum rerum hortabatur, totius conventus precationes excipiebant; et deinde consecratum panem et consecratum vinum aqua mixtum cuique *præsenti* distribuebant. Absentibus autem per diaconos mittere consueverunt. A qua quidem sacrorum munerum participatione minime privati erant qui, ægritudine, captivitate, vinculis, vel alia quacumque causa præpediti, Solis die cum frequenti populo sacro conventui interesse non poterant. Quemadmodum et peregre advenientes hospitio concludebantur. Etenim præpositorum eorumdem munus erat iisdem opitulari, quia præpositus omnium indigentium etiam curator erat. Itaque ex Justini verbis, quæ ad calcem subjicimus (*e*), ita contra Beausobrianas nænias ratiocinemur necesse est.

(*a*) Beausobre, lib. I, cap. 10, pag. 113.

(*b*) Assemanus, tom. II Bibliothecæ Orientalis, dissert. de Monophysitis.

(*c*) Tertullianus, libro de Baptismo.

(*d*) Justinus martyr, apologia secunda.

(*e*) *Atque in omnibus quas offerimus oblationibus benedicendo laudamus Factorem omnium per Filium ejus Jesum Christum, et Spiritum sanctum; et Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt in eumdem locum conventus fit: et commentaria apostolorum aut scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur*. Nota Scripturarum lectiones juxta temporum varietatem fuisse digestas, etiam secundo currente sæculo. De quo usu latius verba facimus in notis ad epistolam S. Leonis M. quæ est ad Turribium Asturicensem, occasione cujusdam fragmenti quod hactenus eruditi desiderarunt. *Deinde* (subjicit Justinus), D *lectore quiescente, præsidens orationem qua populum instruit, et ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes, et precationes fundimus, et, sicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur, vinum et aqua, et præpositus idem, quantum pro virili sua potest, preces et gratiarum actiones fundit ..... et distributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ sunt actæ cuique præsenti; absentibus autem per diaconos mittitur ..... et quod ita colligitur apud præpositum deponitur; atque ille inde opitulatur, pupillis et viduis, et his qui propter morbum aut aliquam aliam causam egent, quique in vinculis sunt, et peregre advenientibus hospitibus. ..... Solis autem die communiter omnes conventum agimus*. Justinus Apologia vulgo secunda dicta circa finem, pag. m. 98, 99.

Secundo jam currente Ecclesiæ sæculo, et adhuc sævientibus, cum Judæorum, tum ethnicorum persecutionibus, ita Christianorum populus increverat, ut non tantum in insignioribus urbibus, ut ait Eusebius, sed in oppidis et ruribus, Dominico die, omnes fideles communiter conventum agerent, in quo Ecclesiarum præpositi, seu præsidentes, rem divinam agebant. Quare si unicuique Ecclesiæ unicus tantum episcopus præerat (a), quemadmodum ex canonica Joannis Epistola comperitum habemus, et ex episcoporum successionibus, ab Egesippo, Tertulliano, descriptis, intelligimus impossibile prorsus illi fuisse, eadem die, e loco in locum excurrere, totam diœcesim lustrare, et exspectata populi frequentia et multitudine eos conventus facere et absolvere, de quibus in præsentiarum sermo est. Neq præterea arbitrari licebit uniuscujusque diœcesis Christianum populum, die Dominico recurrente, omnibus aliis sepositis curis, ex qualibet diœcesis parte, ad episcopales sedes confluere potuisse. Nam imprimis Justinus, in **62** *oppidis* B et *ruri* sacros conventus habitos fuisse asseverat. Tum deinde locorum distantia, longiora itinera mulieribus et pueris senibusque aggredi vetuisset; atque tandem facile ab imperialibus ministris comprehendi potuissent, si turmatim, statutis horis, in quemdam determinatum locum, coram proprio et unico episcopo se debuissent colligere. Episcopos enim ad necem tum semper ab imperatorum ministris perquisitos et comprehensos fuisse, cum ex Ignatii, Polycarpi, Petri et Dionysii martyrio, cum ex Romanorum episcoporum qui usque ad Justini tempora Petri thronum conscendere meruerunt gloriosa fine satis superque exploratum est.

4. Si itaque iis conventibus in oppidis et ruri Dominicis diebus celebratis aliquis præsidens et præfectus, qui rem sacram faceret, communiter præerat, jam cadit primum Beausobrianum commentum: videlicet, episcoporum et presbyterorum vocabula primis tribus prioribus sæculis usurpata fuisse ad eamdem personam, auctoritatem potestatemque significandam. C Hanc enim cantilenam post Aerium recantarunt Blondellus, Salmasius, cæterique puritanæ scholæ magistri. Qui ad pravum sensum Actorum (b) et Pauli verba detorquentes, unam atque eamdem fuisse, nedum apostolorum temporibus, sed subsequentibus sæculis, presbyterorum et episcoporum dignitatem et potestatem perperam contendere ausi sunt, quorum nænias refellere præsentis otii esse haud potest. Præsertim cum inter cæteros clarissimos viros qui de hocce discrimine disputarunt doctissimus Petavius abundantius (c) id præstiterit. Nos vero, ut ultro fortius perstringamus Beausobre, satius duximus ad illum Joannem presbyterum provocare, cujus meminit Irenæus apud Eusebium, (d) vel ad Irenæum ipsum qui solo presbyteri munere Lugdunensi episcopo Photino superstite fungebatur; vel ad A Achillam, presbyterum Alexandrinum, eo tempore quo Theonas et Petrus eam Ecclesiam regebant. Et Origenes qui presbyter a Palæstinæ episcopis præter Demetrii voluntatem apud Cæsaream fuit ordinatus. Nobis autem presbyteros, secundo labente et tertio ineunte Ecclesiæ sæculo, imparem habuisse in divinis rebus agendis cum suis episcopis auctoritatem et jurisdictionem, inter alios auctor est Tertullianus (e), qui horum ministeria episcoporum juribus opponens et comparans, ait: *Summus sacerdos, qui est episcopus, jus habet dandi baptisma; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est.* Tres ergo ecclesiasticos ordines Tertullianus distinxit, sua unicuique jura tribuendo. Non enim dixisset *presbyteros* et *diaconos* sine episcoporum auctoritate tingere non posse, si utrique, episcopo nimirum et presbytero fuisset communis honor atque potestas. Cui sane concinunt Carthaginenses et vetustissimæ catholicæ Ecclesiæ leges, in Constitutionibus quæ sub apostolorum nomine circumferuntur scripto consignatæ; (f) et illa potissimum, quæ cautum est ne *presbyteri* et *diaconi* sine *sententia episcopi aliquid perficere possent*, quemadmodum ne inscio proprio episcopo parochias sibi assignatas deserere auderent. Si igitur, veteri Ecclesiæ disciplina et ordine **63** spectatis, alia erant episcoporum suprema jura, alia vero presbyterorum simplicium, qui in suis obeundis muneribus ab episcopis omnino pendebant, minime intelligere possum quo animo, quove fundamento ductus Beausobre contendere potuerit Diodorum, seu Tryphonem, qui tertio vergente Ecclesiæ sæculo, ruralem seu suburbanam regebat parœciam, Archelao proprio episcopo præsente, ab ea congressione minime destitisse, aut desistere potuisse, ad quam Manes audacius eum provocaverat? An ei licuisset coram proprio episcopo, cujus legatione in rectoris aut præsidis munere fungebatur, cum hæretico et versuto homine disputare? Qui id facere sine injuria potuisset? Quandoquidem et episcopo præsente, nec *tingere*, id est *baptizare*, vel aliquod aliud sacrum munus obire debuisset; nam idem Tertullianus (g), mox laudatus, presbyteros, diaconos cæterosque ex clericali militia homines admonet, ne *sibi assumant dicatum episcopi officium episcopatus*, ad æmulationem maxime præcavendam, quæ *schismatum mater est.* Munus autem docendi, de fidei dogmatibus disputandi et definiendi, vel in conciliorum cœtibus, vel in aliis conventibus, ad episcopos vi ordinationis eorumdem pertinere, exploratissimum est. Quare cum quidam presbyteri rurales suburbani, quarto et quinto Ecclesiæ sæculo, suæ ordinationis jura prolatare conarentur, temerariis ausibus sibi episcopalia munera illicite usurpaverint, sacro ministerio, tam ab apostolica sede, quam a totius orbis episcopis, privati et prohibiti fuerunt, ut in sua epistola Damasus papa declaravit. (h) Qui præterea horum institu-

(a) Unicum fuisse in unaquaque Ecclesia episcopum, ex Joannis Apocalypsi colligitur, ubi facta mentione septem Ecclesiarum Asiæ, singulis singularem, sub angeli nomine, assignat episcopum. De Ecclesiarum seu episcoporum successionibus et ordine, locutus est Tertullianus, secundo labente sæculo, libro de præscriptionibus hæreticorum, cap. 32. Videsis Egesippum apud Eusebium lib. IV, cap. 22, et Irenæum, apud eumdem, lib. V, cap. 20. Paulus in Epist. ad Titum cap. I, 25, ait *hunc in Creta reliquisse, ut constituat per unamquamque civitatem presbyteros, quos deinceps episcopos appellat.* Idem habet in priori ad Timotheum.

(b) Actorum XX, Paulus Mileti cum esset, *presbyteros* convocasse ex Epheso dicitur. Quos deinde in unum coactos alloquens, *episcopos* nominat.

(c) Petavius, tom. IV Theolog. Dogmat., de Hierarchia ecclesiastica et potestate consecrandi.

(d) Eusebius lib. V Hist. Eccl., cap. 3; et lib. VII, cap. 29; lib. VI, cap. 18.

D (e) Tertullianus, lib. de Bapt., cap. 17, pag. mihi 456 Venetæ edit. Consule Cyprianum, qui sæculo tertio currente inter episcoporum et presbyterorum potestatem statuit discrimen, vindicato jure chrisma conferendi solis episcopis, epist. 73, ad Jubaianum.

(f) Canon apost. 38, 31, 14. Has leges descriptas quoque invenies in Nicæn. conc. can. 16, Antioch. cap. 5, lib. III de Vita Constant., cap. 61, et apud Athanasium epist. ad Orthodoxos, conc. Carthag. IV can. 56.

(g) Tertullianus, libro de Baptismo, cap. 17.

(h) Damasus papa, epistola 5, tom. II Concil. pag. 1025. Qui ad suorum prædecessorum apostolicæ sedis episcoporum statuta provocans, potissimum alludere voluisse arbitramur ad epistolas papæ Julii, aliasque temporum injuria deperditas. Quod vero ad canones a totius orbis episcopis editos attinet, quos ibi pontifex laudat, Nicænos dubio procul fuisse existimamus. Quorum Arabicam paraphrasim multa de chorepiscopis continere ex cap. 54, 55, 56 et seqq.

tionem nimis improbam et impiam fuisse affirmavit. Quoniam ipsi de summo sacerdotio in episcopalibus sedibus contendentes, cum omni auctoritate carerent, non nisi ad abolendos sacros canones, ad totius ecclesiasticæ hierarchiæ perturbationem, *superba* et *superflua* eorumdem *elatio* ordinabatur. Quam S. Leo Magnus (*a*), suorum prædecessorum et conciliorum regulis insistens, *vacuum*, *inane* esse definivit quidquid *in prædicto sacerdotii summi* (chorepiscopi) *egerunt ministerio*. Comminiscitur ergo ex sua sententia Beausobre, contendens, tribus prioribus sæculis, eamdem fuisse presbyteris atque episcopis auctoritatem potestatemque, hosque illis non præfuisse, et illos, in regendis parœciis sibi commissis aliisque circa fideles ministeriis exercendis, ab episcoporum nutibus et auctoritate pendere haudquaquam debuisse.

5. Cum hactenus dicta lector secum reputabit, minime vereor quin infirmiora judicare possit et velit quæ postremo loco Beausobre objecit, probaturus B suppositiliam fore Archelai ad Diodorum epistolam, de qua in præsens agitur. Quandoquidem si tribus prioribus sæculis non consueverunt episcopi suos compresbyteros, sive suburbanos, *filiorum* nomine appellare, sed, honorabilius cum illis agentes, potius in epistolis *fratres* vocabant, jamjam epistolarum Petri et Pauli divina auctoritas labaret excideretque, cum has notas et characteres in iis offendamus. Et sane Petrus apostolus (*b*) *Marcum* episcopum *filium* appellat, scribens in priori sua Epistola : *Salutat vos Ecclesia qui in Babylone collecta est, et Marcus filius meus*. Quam loquendi formulam passim S. Paulus pariter adhibuit, **64** vel cum in priori ad Timotheum scripsit (*c*) : *Timotheo dilecto filio in fide;* et rursus eumdem alloquens, subjecit : *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee*. Vel cum alteram epistolam ad eumdem hisce verbis orditur : *Paulus apostolus*, etc., *Timotheo charissimo filio;* vel denique, ut alia quamplurima id generis exempla prætermittam, cum Tito præcepit ut per *Cretæ civitates* constitueret presbyteros, sicut et ipse disposuerat. In hac quippe Epistola, Titum a Paulo filium esse appellatum, illa verba produnt (*d*) : *Tito dilecto filio secundum communem fidem*. Quid igitur ? Alterutrum ex commentitiia Beausobriana opinione sequeretur : aut videlicet laudatas apostolorum Petri et Pauli epistolas suppositionis notas et characteres præseferre, quod prorsus hactenus inauditum est; aut saltem divinos illos scriptores in suis familiaribus conscribendis Epistolis, aliqua usos fuisse licentia, admodum aliena ab iis urbanis officiis quæ rigidius coepiscopos inter et compresbyteros forent servanda. Hocce postremum affirmari sine maximæ audaciæ nota haud potest. Nam apostoli illi, divino dictante Spiritu scribentes, eas formulas adhibuerunt quæ magis congruebant personis et argumentis de quibus sibi sermocinari proposuerant. Et propterea factum est ut quos uno loco *filios* vocitarunt, alio loco *fratres* dixerunt, ut Paulus, captivitate detentus, ad Philemonem scribens, (*e*) Timotheum *fratrem* nominavit, quam appellationem passim omnibus baptismate in Christo regeneratis tribuere solet. Sed quando rationem habere voluit ad personarum institutionem quas ipsemet vel ad Christum et fidem prædicatione pepererat, vel ad ordinis sacramentum, quod ipsis contulerat, rationabiliter a seipso conversos, baptizatos et ordinibus

A initiatos *filios* appellavit, ut de Timotheo, Tito, Onesimo, atque aliis satis evidenter ex laudatis Epistolis innotescit. Cum itaque potius lepida et fabulosa sint illa Beausobriana momenta, non est cur Archelai ad suum presbyterum Diodorum seu Tryphonem epistolam, veluti commentitiam rejiciamus.

6. Age vero, relictis parumper Beausobrianis næniis, ad nostræ historiæ ordinem revertamur. Et, Epiphanii testimonio insistentes, arbitramur, immo tamquam certum habemus, Archelaum non statim ad Diodoridem suæ diœcesis vicum profectum fuisse, et de lupo e Caschara fugiente, sine ulla temporis prolatione, sollicite perquisivisse. Sed res luculentius, quam Cyrillus describens, ait : *ignorante primum Archelao Manetem apud eum vicum* se recepisse, semel atque iterum cum presbytero, qui parœciæ præerat, congressum, disputationem de religionis dogmatibus instituisse. Verum quamvis ille presbyter, quem Tryphon Epiphanius appellat, oratione dicendique facultate et copia esset destitutus, adhuc tamen Manem superavit. In eo quippe illa divina promissio apostolis facta adimpleta est : *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*f*). Quod quidem admodum ægre Manes ferens, quasi ad turpitudinis notam delendam, iterum Tryphonem, seu Diodorum, novis disputationibus aggredi voluit, contendendo videlicet duo sacrarum Scripturarum Testamenta inter se minime cohærere horumque maximam repugnantiam potissimum ex evangelicis testibus comprobare. Hocce vero versuti sacrilegique hominis purum putumque figmentum in illum potissimum scopum collimabat, ut, pessumdata veteris Testamenti auctoritate, conjiceret istud a malo quodam æternoque principio originem traxisse. Sed tanti nebulonis audaciam ipse presbyter Diodorus frangere cupiens, rem omnem per litteras, ut diximus, Archelao episcopo suo statuit significare. quid autem istæ litteræ **65** continerent, cum ex Epi- C phanio, tum ex Archelao edocemur. Epiphanius quippe (*g*) Diodorum hisce dumtaxat verbis, quæ exscribit, usum fuisse asseverat, videlicet : *Homo quidam huc accessit, qui infestissimi lupi more ovile perdere aggreditur. Verum obsecro te scribere ad me quemadmodum adversus illum me gerere oportet, ac quibus rationibus perniciosæ ejus doctrinæ resistere. Quod si venire ipse dignaveris, Christi ovile gregemque ab omni sollicitudine liberabis* (*h*). Sed Archelaus Diodori votis et litteris occurrens, non hæc generatim dumtaxat sibi a suo presbytero fuisse indicata responsiva sua epistola patefacit. Nam inter cætera eo maxime insistit, ut miram utriusque Testamenti harmoniam et consonantiam demonstret ; variis ea de causa similitudinibus adductis, quas ex naturalium rerum usu, conditione atque substantia studiose mutuatus est. Cujusmodi autem sunt exempla illa, vel ex una tantum desumpta veste, *quæ sub tegmine et stamine videtur esse contexta. Hoc solum* (subjicit), *quod velut purpuram videmus in veste, novum Testamentum, in texturam* D *veteris gloriam Jesu Domini*. Vel illud aliud quod ex speculo desumitur. Istud autem nequaquam abjicere consuevimus, cum nobis ipsa rerum vera imago demonstratur. Vel aliud affert ex pueris ad doctores per pædagogum ductis, qui cum ad maturiorem perducuntur ætatem, ipsum pædagogum dehonestare non debent, quamvis amplius ejus præsidio non in-

satis superque innotescit. Suffragatur pariter Neocæsariensis can. 14, in quo mentio expressa facta est de chorepiscoporum ministerio, quos ad instar septuaginta duorum discipulorum electos, ob ministerium quod habebant in pauperes, honorare oportebat.

(*a*) S. Leo Magnus, epistola olim 85. Nunc in Quesnelli edit. desideratur.

(*b*) Epistola I Petri apostoli, cap. v, 13.

(*c*) Paulus in priori ad Timotheum, cap. I, 2; et ibid., 18; rursus II Epist. cap. I, 2; et tandem cap. II, 1.

(*d*) Ejusdem ad Titum cap. I, 4.

(*e*) Epist. ad Philemonem, 1 : *Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater*.

(*f*) Matth. x, 19, 20.

(*g*) Epiphanius, lib. III contra hæreses

(*h*) Hæc est illa epistola quam suppositionis notas habere perperam fabulatur Beausobre, de cujus inscriptione jam mox actum est.

digeant. Atque tandem, utrumque Testamentum et retinendum et venerandum esse parvuli exemplo probat, qui jam lacte nutritus, et ad validiores cibos proficiens, non sine gravi injuria potest abjicere atque exhorrescere nutricis mamillas; quin potius veneratur et colit, et beneficii sui se debitorem esse fatetur.

7. Hæc ergo, et id genus alia, in sua valde prolixa epistola, quam Epiphanius librum appellat, Archelaus Diodoro suo presbytero suggessit, ad mirabilem semper, ut diximus, sinceramque utriusque testamenti harmoniam atque summam concordiam patefaciendam. Verum totum Archelai scopum in hac summa Testamentorum concordia asserenda situm esse, minime arbitramur, sed altius aliquod ex adductis rationibus S. episcopum ostendere voluisse : videlicet, hominis naturam, jam inter tot tantaque vitia periclitatam, et obscurioribus ignorantiæ tenebris circumvolutam, non illico ad claram veritatis cognitionem fuisse revocandam, et a mortis æternæ laqueis, quibus constringebatur, solvi debuisse. Sed opus erat ut ipsi homines, qui, ferarum more aberrantes, numquam de Divinis cogitabant rebus, diversis cœlestibus æternæque sapientiæ gradibus edocerentur. Primo videlicet per rerum naturalium figuras et umbras, quas lactis instar ex Mosaica lege exsugerent; gratia demum et perspicua rerum divinarum contemplatione, quam ad solidioris cibi formam, ipsum æterni Patris Filium, novo Testamento proponebat. His itaque gravissimis rationibus, si Diodorus Archelao suggerente uti voluisset, Manetem facile confundere et conterere potuisset; et ipsa catholicæ fidei dogmata, et divini veteris Testamenti auctoritas, quæ potissimum in discrimen adducebatur, dubio procul comprobarentur. Archelai itaque scriptis Diodorus presbyter insistens, etsi episcopi sui adventum præstolaretur, iterum disputationem inire Manetis audacia compellitur. Nam Manes in medium pagi summo diluculo prodiens, suam cum Diodoro iterum disputationem orsus est. Primus Diodoro Manes sua dogmata objiciebat. Sed is omnibus occurrebat quæstionibus, atque, pro ea quam a Deo acceperat sapientia, lenius suum exagitabat impostorem. At cum demum apud se non nihil inciperet hæsitare *repente Archelaus* (ait Epiphanius), *nec opinato, conspectus est, qui tamquam acerrimus* **66** *paterfamilias, suorumque studiosissimus, audacter in prædonem fremens incurrit*. Quid vero Manes tum? Tamquam callidus versipellis, simulata blanditia, se ad Archelaum convertit, hunc obsecraturus sibi dari ut cum presbytero dumtaxat disputaret, asseverans præterea maxime episcopum dedecere cum homine sibi inferiori de illis religionis rebus contendere. Populus autem, qui aderat, Manetis nequitia comperta, ita in eum invehitur, ut etiam lapidibus obruere quæsierit. Quod quidem periculum minime evasisset, nisi tertio jam fuga arrepta, iterum ad Arabionis Castellum, quo primum se receperat, convolasset.

8. Aliter tamen quam descripsimus hanc novam Archelai cum Manete disputationem in suam retulit Historiam Beausobre. Qui, ut jam sibi propositum finem attingeret, undequaque argumenta exquirit et colligit, non tantum ut illa Acta tamquam supposititia rejiciat, sed in ea etiam tamquam multarum hæreseon fontes declamat et debacchatur. Cujus schatolici hominis versutum atque malignum ingenium, cum in varias nimirum accusationes et simulationes, Archelao episcopo et universo catholicorum cœtui prorsus injuriosas, erumpere ausum fuisse deprehenderimus, ne falsæ critices assentatoribus alta sapere videatur, idcirco noster in veritatem amor ea silentio præterire haud patitur; igitur Archelai sententias et novæ illius disputationis argumenta in varias tricas a Beausobre injecta, ut ultro citroque contenderet, tertio jam currente sæculo, veram catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ circa præcipua nostræ fidei dogmata traditionem corruptam, labefactatam et pessumdatam fuisse, ab omni calumnia et dolosa accusatione vindicare nostrum erit institutum. Ut videlicet summæ andaciæ hominem perpetuo nugas et commenta agentem pro viribus corripiamus.

CAPUT IX.

Archelai apud Diodoridem cum Manete disputatio a notis criticis et Beausobrianis calumniis vindicatur. Mala acatholici scriptoris fides in recensendis Archelai testimoniis explicatur. Demum merito tamquam catholicum et sanctum Archelaum in Ecclesia haberi, cum ex scriptis quæ circumferuntur, tum ex ejus in veram Christi religionem studio demonstratur.

1. Sufficienter mei muneris partes obiisse arbitrabar, cum præcedenti capite summatim recensuerim quæ ad Manetis cum Archelao disputationes pertinere videbantur. Nec enim consilium erat apologeticas theologicas contexere dissertationes, sed Manichæorum historiam, quasi in breviarium ex certis authenticisque monumentis et auctoribus colligere; quemadmodum jam præstantissimi viri alias et alias historias Pelagianorum, Donatistarum, Arianorum, Eutychianorum, et aliorum hæreticorum, qui catholicam religionem corrumpere et evertere nisi sunt, conscripserunt. Sed quoniam cum in percurrendo Beausobriano opere (*a*) passim talia tantaque mendacia et calumnias offendissem, crassis circumfusas tenebris, næniis atque sophismatibus lucem aliquam afferre recogitavi, qua quasi sole ex Oriente diluerentur et fugarentur. Alioqui in hujus hæretici hominis mala fide dumtaxat indigitanda si perstitissem, facile præsentis temporis eruditi, qui non nisi in rerum cortices sese amant, **67** existimarent Beausobriana argumenta esse majora quam ut a nobis refelli possent, si breviter perstringeremus, aut ea prorsus dissimularemus. Cujus rei ut initium faciamus, licebit primo aliquas hujus Batavi scriptoris animadversiones silentio præterire (*b*); eas, videlicet, quibus pingere conatus est Archelaum episcopum, tamquam hominem superbe de antecedenti reportata victoria gloriantem, qui coram humiliato atque devicto inimico, iterum apud Diodoridem vicum se sistere voluit, Diodorum, seu Tryphonem, presbyterum obstringens incœptum abrumpere certamen; ut ipse cum Manete novam de fidei rebus concertationem iniret. Dumtaxat haud dissimulabo episcopi in Christianæ religionis res studium, superbiam, tumorem atque furorem appellasse, plurimumque ipsi Manetis agendi rationem et loquendi formulas displicuisse. Cum videlicet hæreticus Archelaum obtestatus est ut sibi daret incœptam cum presbytero disputationem ad exitum perducere, veritus propterea cum episcopo, auctoritate dignitateque sibi superiore de religionis dogmatibus contendere. Grave absurdum (ait) fuit isthæc verba in hæretici hominis ore confingere. Qui non tantum jam pridem publice super nova dogmata cum Archelao disseruit; sed etiam, nefarie tumidus, se vocitari audebat *Christi discipulum, apostolum Jesus, et Paracletum a Dei Filio promissum*. Quam gravissimam difficultatem, cum Gothofredus Arnoldi cognovisset (*c*), Archelai Acta authentica esse sibi persuadens, cogitavit officiosa illa verba subdole et ironice (ut aiunt) a Manete fuisse prolata, ut videlicet præcaveret illam confusionem quam primo apud Cascharam subire fuerat coactus, potissimum cum in spem adduceretur facilius presbyterum quam episcopum posse superare. Quale igitur absurdum ex tam natural explicatione sequatur, plane non video, cum hæreticorum hominum studium in eo potissimum versetur,

(*a*) Beausobre, lib. I Hist. Manich. cap. 10.
(*b*) Beausobre, lib. I, cap. 10, pag. 113 et seqq.
(*c*) Gothofredus Arnald., in Ecclesiæ et hæreticorum Historia, Gallice scripta, tom. I, lib. III, cap. 7, § 24 et seqq.

ut gratia, auctoritate et opinione apud indoctos et ignaram plebem valere possint. Quæ omnia se assecuturum Manes sperabat, si parœciæ presbyterum, disputationibus superare potuisset. An non in ea disputatione quam instituerat, si adversarium vicisset, quotquot fideles qui ibi ex Diodoride et vicinioribus locis advenerant in suam sententiam traxisset, nisi de repente divino suffulti præsidio et veritatis lumine illustrati fuissent? Non igitur absurdum Beausobre videatur, quod Manes ad novum pudoris et ignominiæ periculum præcavendum, quod certo sibi imminere præcedenti experimento apud Cascharam dato prænoverat, iterum cum Archelao de fidei dogmatibus contendere detrectasset. Ea enim esse solet contendentium prudens agendi ratio, ut qui semel ab adversariis fuerant superati, iterum cum iisdem jam viribus scientia atque fortuna validioribus certamini minime se committant, et ab iis se eripiant concertationibus quas sibi exitiosas futuras esse noverunt. Cum igitur Manes, apud Diodoridem vicum, meliora scientiæ subsidia sibi non adesse certo cognosceret, novum concertationis genus cum Archelao eum declinare oportebat, maxime cum hunc sacris in utriusque Testamenti litteris apprime versatum esse compertum habuisset. Absit ergo ut suspicemur supposititia esse illa Archelai Acta, ex eo quod Manes, in contentione publice superatus et devictus, aliud certamen deterrimum et periculosissimum renovare recusaverit.

2. Neque pariter dissimulare possum gravem censuram qua idem Beausobre cum in Archelaum, tum in Ecclesiæ traditionem antiquorumque PP. doctrinam invehitur, cum ad examen revocata postrema hac Manetis et Archelai disputatione, sancto et sapienti episcopo multarum hæreseum notas inurit, quas nimis studiose et ejus dictis atque sententiis expiscari et in medium adducere temerario et injusto ausu conatus est. **68** Quare ne incassum laborare videremur, consilium fuit pro viribus ejusmodi infamiæ notam delere, et ecclesiasticam traditionem vindicare, singula eripiendo quæ Beausobre perperam objecit. Is itaque tria potissimum Manichaicæ disputationis argumenta proponit, quibus totidem Archelai responsiones subjecit. Primum attinet ad incarnationis mysterium, quod Manes evertere volens, contendebat Christum Dei Filium, non verum fuisse hominem ex muliere natum; sed talem dumtaxat divina dispensatione apparuisse, quin realem et substantialem hominis naturam sibi conjunctam haberet. Abutebatur idcirco Pauli apostoli verbis ad Philippenses (*a*), quibus affirmatum est in similitudinem hominum factum fuisse Christum. Sed ut suo nefario dogmati robur adjiceret, adhuc ad Lucæ verba provocabat, quibus dicitur (*b*) Spiritum sanctum corporali specie sicut columba supra Christum in Jordane baptizatum descendisse. Quemadmodum igitur (sic Manes ex Beausobre ratiocinabatur) Spiritus sanctus haudquaquam veræ et corporeæ columbæ muniebatur, sed columbæ speciem dumtaxat gerebat, et apparentem similitudinem voluit habere; sic Dei Filius non nisi apparenter hominis figuram gestabat, quin veram realemque hominis naturam assumpsisset. Crassum hocce primum Manetis argumentum (ait Beausobre) solidissimis rationibus refutavit Archelaus episcopus, sed eodem tempore tales protulit propositiones quæ non mino-

A res hæresum notas præseferunt. De qua re lectores admonendos esse censuit, ut nimirum (ait) ex ejusmodi observationibus intelligant fidem haud esse regulandam juxta antiquitatem; neque auctoritati traditionis et Patrum trium priorum sæculorum aureæ ætatis subjiciendam esse, quam ad exitium perductam affirmant (acatholicos intellige) cum Magnus Constantinus imperii habenas teneret. Sed citius adhuc veram fidem desiisse affirmandum est, si episcoporum virtutes, characterem, illius ætatis privilegium esse arbitremur. Hactenus Beausobre. Sed hunc rogo cur, relictis consuetis et sibi familiaribus nugis atque fabulis, tantopere irascatur, ut impetu in antiquam Ecclesiam facto, sanctissimos ejus episcopos rabidorum canum more latrare et mordere voluerit? Traditionem haud esse admittendam, et antiquis Ecclesiæ Patribus fidem non esse adhibendam contendit. Sed ne extra scenam agere videamur, dicat, amabo, Beausobre catholicum dogma de incarnatione, in quo primum cum Manetis, tum Ar-
B chelai præsens disputatio versabatur, quo præsidio probatum fuerit, si Archelaus etiam privatum spiritum, non prædecessorum episcoporum auctoritatem secutus, Pauli, et Lucæ mox laudata testimonia, quæ ad pravas significationes Manes detorquebat, interpretari voluisset? Si Archelaus, relicta suorum prædecessorum doctrina et traditione, prælata objecta Scripturarum loca explicare voluisset; si præterea ad summam aliarum Ecclesiarum consensionem non attendisset, jam nefarias novitates novis commentis auxisset; et ambo de uno eodemque mysterio dissentes, de illo in alias et alias hæreses lapsi fuissent. Sed Archelaum de vera Christi carne, de ejus baptismate, morte, sepultura, resurrectione, recte, solide et sapienter disputasse atque sensisse idem Beausobre asseverat. Igitur novis peregrinis doctrinis non indulsit; sed eas prosecutus est quas sacri Ecclesiarum præsules sibi prædecessores docuerunt. Quid est ergo traditio? Quid illa divina Ecclesiæ re-
C gula, ex qua veræ fidei dogmata hauriuntur? Quid SS. Patrum consensus et doctrina? nisi id omne quod Beausobre in præsens vellicat damnat, et fabulosis commentis subvertere quærit ut magis suis studiis et partibus quam veritati indulgeat.

69 3. At Archelaum novitatibus adhæsisse, dum catholica illa dogmata de vera Christi carne, de vera passione et morte propugnabat, maligne contendere audet Beausobre. Nam episcopus (ait ipse) affirmavit Jesum vere crucis patibulo affixum fuisse, et postquam ipse ab inferis resurrexit, fuisse in eum locum sublatum, ubi regnat Christus Filius Dei. Archelaum itaque optime explicasse Domini ad inferos descensum asseverat, juxta quem loquendi modum, *inferni* locus idem est ac *sepulcrum*, ex quo Jesus redivivus cœlos ascendit. Rationabilem atque justam esse hujusmodi interpretationem subdit, sed eidem varias terribilesque hæreses comitari contendit. Neque alia de causa rationabilem et justam laudatam
D mox interpretationem appellat, quia Theodoro Bezæ, Calvino et sibi suffragari arbitratur, ad inferos Christi animam descendisse negantibus. De qua celebri atque trita quæstione passim locuti sunt utriusque Ecclesiæ Patres, eos castigantes qui Hebraicas lectiones secuti, *inferos* pro *sepulcro* strictius sumendos esse arbitrabantur (*c*). Quam disputationem

(*a*) Epistola ad Philippenses, cap. II, 7, 8 : *Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*

(*b*) Lucæ III, 22 : *Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.*

(*c*) Dogma catholicum de Christi animæ ad inferos descensu, in Scripturis veteris et novi Testamenti aperte est revelatum. Ps. XV, 8, legitur : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ad quod prophetæ Davidis vaticinium, eadem verba enarrans Petrus Act. II, 31, alludit : *Providens* (inquit) *locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem.* Quæ testimonia, cum duo distincta exprimant, quorum alterum erat illius animæ privilegium, quæ inferorum ergastulis haud potuit detineri; alterum, mortuæ ipsius Christi carnis dotem explicabat, quæ corruptioni obnoxia non fuit, idcirco fideles utrumque privatim quotidie, dum solemnem fidei tesseram profitentur, exprimunt, dicentes : *Crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mor-*

nugas protrahere in præsens consentaneum non ducimus. Cum jam eruditi, accuratique homines varias lucubrationes edidissent, quæ Theodori Bezæ, Calvini et Erasmi falsas opiniones rejecerunt, ut probarent verba illa, *descendit ad inferna*, minime in Symbolo fidei esse abradenda. Sed jam antequam docti isti homines id præstitissent, Leo Magnus (a) Manichæorum et Priscillianistarum errores damnans, veritatem de qua agimus ex multis Scripturarum locis propugnavit, et admiratione afficiebatur quod Turribius Asturicensis Ecclesiæ episcopus apostolicam sedem super hunc Christianæ religionis articulum consuluisset: *Miror cujusquam catholici intelligentiam laborare tamquam incertum sit an, descendente ad inferna Christo, caro ejus requieverit in sepulcro; quæ sicut vere et mortua est, et sepulta, ita vere die tertia suscitata.* Provocat post hæc ad Scripturarum 70
testimonia, quæ ipsi in notis subjecimus, et statim subdit: *Quibus utique verbis manifestum est quod caro Domini, et vere sepulta requievit, et corruptionem non subiit, quia celeriter vivificata reditu animæ resurrexit. Quod non credere satis impium est, et ad Manichæi Priscillianique doctrinam pertinere non dubium est. Qui sacrilego sensu ita se Christum simulant confiteri, ut et incarnationis, et mortis, et resurrectionis auferant veritatem.*

4. At Beausobre in hoc dogmate, de quo agimus, Manichæo et Priscilliano adhærens, quæ tandem contra Archelai episcopi fidem objecit necesse est eripiamus. Primo itaque hunc læsæ fidei suspectum facit, quod divinam Jesus naturam, Christi nomine appellet, quod vocabulum personam dumtaxat designare potest quæ per gratiam, dona, perfectiones et dignitatem assecuta est. Ejusmodi loquendi formula, subdit, hæreticis jam fuit familiaris. Quamvis P. Petavius contendat eam apud catholicos in usu fuisse, quos inter locum habeat Justinus martyr, Dionysius Alexandrinus, Novatianus, sive auctor libri de Trinitate, et Ambrosius, qui omnes, si Ambrosium excipiamus, magis atque magis tamquam suspecti de Ariano dogmate habentur (b).

Ob hanc loquendi formulam quasi censuit Archelao indulgendum. Sed quia ad Nestorianorum dogma tum præcedentes, tum subsequentes sui sermonis rationes pertrahit et dirigit, dicens quod Jesus post resurrectionem fuit in eum locum translatus, in quo Christus Dei Filius regnat, idcirco hunc inexcusatum habet. Nam laudata verba perspicue innuunt *Jesum et Dei Filium* duas esse separatas personas, quarum una ad alteram ascendit, ut magis clare etiam sequentia verba ostendunt. Est enim *qui de Maria natus est filius, qui totum hoc quo* (forte legendum *quod*) *voluit perferre certamen Jesus. Hic est Christus Dei, qui descendit super eum qui de Maria est.* Ut autem præcedentibus verbis vim inferat, suamque Beausobre malam fidem in scribendo augeat et corroboret, sic plane ratiocinatur. (c) Ille quidem qui in Jesum baptizatum descendit haud esse potuit ipsius Jesus persona. Et quia ille qui in Jesum descendit est Christus Filius Dei; igitur Jesus Filius Dei esse minime potuit, nisi postquam in eum descendit; hoc est, postquam Jesus baptismate fuit donatus. Has autem fuisse Cerinthii atque Carpocratis hæreses, qui ab exordiis Ecclesiam vexarunt, ex Dionysio Petavio, ad quem provocat, probatum esse contendit. Immo non absimilia de Jesu prædicasse Ebionitas, Elcesaitas, Orphitas, et Serpentinos, qui, Theodoreto auctore (d), alium fuisse Jesum, alium vero Christum, qui supra eum descendit, temere confingebant, asseverat. Et hocce primum, quod contra Archelai fidem objecit, nefariis contumeliis claudit. Nam quasi insano dirumpens furore, et sanctum episcopum, calumniis atque maledictis devovit, et illius sanctitatis fama abnegata, iisdem censuris et anathematibus proscissum atque confossum, extra catholicorum societatem amandatum credidit, quibus infelix illa hæreticorum turba, mox laudata, quæ quidem sanctiori quam Archelai Ecclesiæ judicio fuit proscripta.

5. Cum hæc et alia similia percurrebam, non excanduit meus animus in Beausobre. Hujus dumtaxat studium animadverti, quo præcedentia testimonia et sententias susquedeque vertere et corrumpere conatur, ut Actorum auctoritatem radicitus evertat, et sanctissimi illius episcopi pietatem funditus dejiciat. At Beausobre ex sua semper sententia fabulari, fucum facere et lectori nugas vendere quæsisse apprime intellexi, duos illos Spiritus sancti in Jesum descensus confundendo; quorum unus, ad illius ex Virgine Maria conceptionem et hypostaticam *Filii Dei* cum humana natura unionem, alius vero ad ejusdem Christi baptisma referri 71
oportere evidentissime sacræ Scripturæ testantur. Archelao igitur de incarnationis mysterio disputanti haud in mentem cadere poterat Jesum Christum Dei Filium factum tunc cum Spiritus sanctus post baptisma in eum descendit. Recessisset enim a proposita quæstione an Christus Dei Filius veram hominis naturam, quando ex utero virginali prodiit, copulatam habuerit, quod negabat Manes; phantasticam dumtaxat ei asserens humanitatem et ex adverso sapienter atque catholice Archelao contradicente. Cum igitur inquisitio in eo solum versaretur, an repugnaret et dedeceret Dei Filium vere ex muliere nasci, veramque sibi in utero associari humanam naturam, minime poterat Archelaus fateri (e) Jesum tamquam unam personam genitum, et ex utero virginali enixum, et in eum post baptisma descendente Spiritu sancto, altera venisset Christi et Dei Filii persona. Secus Manetis objecta stetissent; et impie Archelaus Judæis atque Photino præter quæstionem subscribere nisus esset. Quare merito fuisset a Manete correptus; quia videlicet, argumentorum vi et pondere perstrictus, ex Maria, non Deum, sed hominem esse genitum et natum profiteri cogeretur. In tam ergo horrendum facinus Archelaum lapsum fuisse, ex iis vocabulis adductis quæ Beausobre objecit, quis concludere poterit aut comminisci? *Jesus* quippe veri et singularis hominis nomen est, quod angelus, incarnationis mysterium annuntians, Patris mandato et auctoritate, Filio suo imponendum et inter homines promulgandum dixerat,

tuis. De hoc ad inferos descensu perspicue etiam locutus est S. Petrus apostolus in priori sua Epistola, cap. III, 19; et cap. IV, 6. Nec quidquam conficit, quod in plerisque veteribus Græcæ et Latinæ Ecclesiæ Symbolis ille *ad inferos descensus* prætermissus sit, ut in Nicæno, et Constantinopolitano, de quibus nulla controversia habebatur. Nam in aliis perantiquis positum fuisse intelligimus, ut in eo quo quarto sæculo Aquileiensis Ecclesia usa est, quodque refert noster Rufinus, qui tam dire a quibusdam etiam recentioribus scriptoribus maledicis verbis proscisus est, ut istius vindicatoribus negotium facesserent. Verumtamen, quamvis dogma istud in complurium Ecclesiarum Symbolis declaratum non fuerit, in illis tamen vulgo et communi fide recipiebatur, ut inter cæteros docent sanctus Justinus martyr in dialogo cum Tryphone, p. 232; Irenæus, lib. IV, cap. 39; Clemens Alexandrinus, in VI Stromatum; Origenes, lib. II contra Celsum, et hom. 15 in Genesim, et in Exodum; Eusebius, lib. IV de Demonstratione Evangelica; Tertullianus, lib. de Anima; Lactantius, lib. IV, cap. 9; Julius Firmicus, lib. de Errore profanarum religionum; Hilarius, lib. X de Trinitate; et alii omnes qui in Græca et Latina Ecclesia floruerunt, quorum catalogos descripsit doctissimus Dionysius Petavius, lib. XIII de Incarnatione, cap. 16 et seqq. His ergo omnibus suffragatus est Archelaus.

(a) S. Leo Magnus Epist. XV, cap. XVII.
(b) Archelaus, in Actis, pag. 93.
(c) Beausobre, lib. I, cap. 10, pag. 115.
(d) Theodoretus, de Hæretic. Fabul. lib. I, 14.
(e) Matthæi I, 21; Lucæ I, 31; Actorum IV, 12.

ut Evangelistæ testantur. *Christi* vero personæ nomen minime esse potest, sed nuncupatio est *potestatis* et *regni* : quæ duo nomina unico Dei Filio in carne ex Maria virgine nato sine ulla (*a*) personarum discretione et differentia strictissime convenire, Archelaus ex sacris litteris et communi suorum majorum consensione, tum ibi, tum in epistola quam ad presbyterum Diodorum dederat, probavit; illorum hæreticorum deliramenta refellendo, qui *Jesum* alium a *Christo* Filio Dei fuisse confingebant. Falso itaque ratiocinatur Beausobre, contendens *Jesu* nomen ex sese indigitare unam personam separatam a Christo Dei Filio (*b*). Nam etiam Lactantius, de his nominibus agens contra gentiles, sic scribit (*c*) : *Sed quamvis nomen ejus* (Filii Dei intellige) *quod ei a principio Pater summus imposuit, nullus alius præter ipsum sciat, habet tamen et inter angelos aliud vocabulum, et inter homines aliud. Jesus quippe inter homines nominatur. Nam Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis et regni.* Nimis igitur arroganter Beausobre illa Archelai verba calumniatur. Cum animadvertit S. episcopum scripsisse : *Est enim qui de Maria natus est Filius, qui totum hoc voluit perferre certamen Jesus* (*d*). Ad illud certamen alludit, quod in cruce Jesus, ut regnaret, subiit. Cum videlicet veram mortem et sepulturam sustinens, tertia die redivivus apparuit, ad Patrem, a quo descenderat reversurus. *Hic Jesus* (subjicit Archelaus) *est Christus Dei,* **72** *qui descendit super eum qui de Maria est.* Nemo ergo, nisi qui maligne et violenter dicta verba interpretari velit, affirmabit umquam, Archelaum ex illa nominum, munerum et naturarum diversitate, personarum quoque distinctionem indicare voluisse. Etenim sanctus episcopus totus versatur in ea quæstione, quod *Christus*, id est Filius *Dei*, veram hominis naturam ex Maria assumpserit, sic contra Manem ratiocinando. Si enim confessus fueris eum de Maria natum, et passio sequatur necesse est; et passionem resurrectio, et resurrectionem judicium; et salva erunt Scripturæ præcepta. Quare quasi volens fortius adversarium urgere, eumdem et unicum Dei Filium ex Maria in lucem secundum veram humanitatem editum fuisse sequentibus Scripturarum textibus probat. Videlicet : *Cum autem fuit Dei voluntas, misit Filium suum factum ex muliere.* Et iterum : *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Et quia *Deus et Dominum suscitavit, et nos cum illo suscitabit per virtutem suam* (*e*). Decebat ergo ut Beausobre objecta nobis verba conferret cum reliquo disputationis (*f*) contextu, et cum iis quæ ad Diodorum, seu Tryphonem presbyterum scripsit. Ibi enim, instituta comparatione vetus inter Testamentum et novum, utrumque a Deo esse ob summam prophetiarum consonantiam, multis exemplis in medium adductis, probat. Et loquens potissimum de Moyse, et Jesu, hunc expresse sine ullo verborum involucro verum Moysis *Domi-*

A *num* appellat; *sabbati auctorem, beatitudinisque largitorem* Jesum esse affirmat. *Qui virtute propria educens populum e peccatorum vinculis, et captivitate, hunc æternæ tradidit saluti.* Omnes quidem aliæque non absimiles loquendi formulæ, quemadmodum Jesum verum Dei Filium fuisse perspicue indicant, ita S. episcopi circa incarnationis mysterium sanam et catholicam fidem absque ulla hæreseos nota præseferunt et patefaciunt. Quæ omnia ne nostra commenta videantur, abunde sententiis in epistola ad Diodorum presbyterum scripta (*g*) (ut diximus) roborantur, quæ a studiosis facile cum lustrari possint, supervacaneum duximus eamdem in hoc opus exscribere atque conferre.

6. Quod vero de alio Spiritus sancti in Jesum baptizatum descensu Beausobre comminiscitur, nunc tempus est paucis expediamus. Ex præcedentibus ergo male digestis ratiociniis, quibus maxima cum veritatis jactura et sanctitatis dedecore Archelaum B nefariis hæreticis associandum esse confingit, affirmando quod episcopus nec sanctius nec sapientius Manichæo ipso de incarnationis mysterio disputaverit, ad aliud argumentum gradum facit, quod hisce terminis idem Beausobre orditur.

Manichæum adversarium rogat Archelaus, illumque respondere urget, negata reali ac vera Christi Domini ex Maria nativitate, ut idem Christus dumtaxat hominis speciem, non veritatem corporis atque animæ, habere videretur, supra quem Spiritus sanctus in columbæ specie descenderit? Eum pariter perstringit, ut dicat quisnam tum a Joanne fuerit baptizatus? Deinde subjicit : *Si perfectus erat, si Filius erat, non poterat Spiritus ingredi, sicut nec regnum potest ingredi intra regnum.* Ejusmodi jam testimonio descripto, Beausobre contendit Latinam hanc Græci et Arabici textus interpretationem redolere barbariem; et Græcum nomen Latine redditum *regnum*, potius significasse *thronum, dominationem, vim, principatum*, quæ voces frequentius in Scripturis ad cœ- C lestes intelligentias designandas usurpantur (*h*). Quare noster veterum theologorum magister in Archelaum hujusque verba animadvertit, sequentem falsam subjiciens censuram, quod *Christum* pro *Jesu* posuerit, illum ex Maria natum affirmaverit; quasi quod *Jesus* etiam *Christus* secundum carnem nequeat vocitari. **73** At istud crimen, quod objicit Beausobre, in evangelistas potius erat vertendum. Matthæus enim, de generatione Filii Dei in carne nati verba faciens, utrumque nomen adhibuit, scribens : *Liber generationis Jesu Christi filii David*, et rursus addit (*i*) : *Jesus qui dicitur Christus.* Cujus quippe generis testimonia, cum alia pene innumera in Scripturis frequentissime offendamus, quæ Filium Dei ex Maria natum binomine exprimunt, nullam prorsus personarum distinctionem *Jesum* inter et *Christum* indicantia, haud video cur, qua religione, et quo nisu censor luctantur explicavit.

(*a*) Ophitæ Christum *non in substantia carnis venisse affirmabant, ac Jesum alium a Christo esse* statuebant; et *Jesum* quidem ex Virgine natum esse, *Christum* vero in eum e cœlo descendisse. Tertullianus, de Præscriptionibus, cap. 47; Origenes, lib. VI contra Celsum : *Iidem serpentem, a quo decepta fuit Eva, venerabantur, et Christum indigitabant.*

(*b*) Beausobrianum sophisma quo Archelaum criminatur clare diluunt Tertulliani verba quibus Praxeam aggreditur : *Itaque*, ait, *sive Jesus tantummodo positum est, intelligitur et Christus; sive solummodo Christus, idem est ac Jesus, quia unctus est Jesus. Quorum nominum alterum est proprium, quod ab angelo impositum est, alterum accidens, quod ab unctione convenit.* Unde habet ergo Beausobre duo illa nomina duas significare separatas personas? Tertul., lib. laudato, cap. 28.

(*c*) Lactantius, lib. IV, cap. 7.

(*d*) Consule Ambrosium in psalmum XXXIX, qui rocce Christi certamen uberrime exemplo eorum qui

(*e*) Apost., ad Galat. IV, 4; I Cor. V, 7; ibidem, VI, 14.

(*f*) Archelai disput. cap. 49, apud Zacagnium 49.

D (*g*) Archelai epistola ad Diodorum presbyterum, ex Bobiensi codice typis commissa a doctissimo Valesio ad calcem Ecclesiasticæ Historiæ Socratis et Sozomeni, et apud Laurentium Zacagnium, pag. 71.

(*h*) Beausobre, loco superius laudato, pag. 116, in nota 2.

(*i*) Matthæi I, 1, 16. Frequentissimam autem esse in sacris litteris hanc binominis appellationem, innumera alia loca ostendunt. Joannis, videlicet, I, 17, legitur : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est;* et iterum cap. XVII, 3 : *Ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Similia offendes in Actis apostolorum, cap. I, II, III, XI, XV, XXIV, XXXI, et passim in omnibus Pauli apostoli Epistolis, quæ abundantius Beausobrianas nænias refellunt

noster existimare potuerit eam duabus illis vocibus A simul copulatis Archelaum astruere, aut saltem innuere voluisse. At detrahendi maledicendique studio id Beausobre confinxisse, altera calumnia quam statim subjicit evidentissime demonstrat. Nam animadvertens ad reliqua laudatæ sententiæ verba, illa violenter in contrarium sensum detorquet; et sibi confingens alloqui dumtaxat bardos et plumbeos homines, qui theologicas lucubrationes numquam attigerunt, nec sanctos Patres atque Scripturas lustrarunt, iterum in sanctum episcopum invehitur, illiusque hæreseos facit auctorem, qua impie affirmatum est Jesum Christum non nisi post susceptum a Joanne baptismum Dei Filium effectum fuisse. Alias dici oporteret divinam virtutem, aliam ingressam, unumque Spiritum, alium esse ingressum. Idcirco necessum fuisse Jesum Christum veram habere hominis naturam, ut Spiritus sanctus in eum descenderet. Quantum tamen alienus fuerit ab ejusmodi cogitandi ratione pius atque catholicus Archelai animus, jam dicta in præcedentibus perspicue patefaciunt. Semel enim quod Manes et Archelaus in eo convenirent, videlicet, in exordiis Jesu Christi apparitionis, verum fuisse Deum et Dei Filium, et dumtaxat de vera ex Maria nativitate, de vera hominis natura in utero Matris assumpta et Verbo divino sociata, controversia procederet, jam Archelao licere non poterat extra constitutos hos disputationis limites, nec vagatum abire, nec veram divinitatem Christo denegare; sed affirmare atque dumtaxat probare eum oportebat descensum illum Spiritus sancti in Jesum baptizatum in gratiam humanæ naturæ contigisse. Ut nimirum mundo, angelis atque hominibus, certo innotesceret, illum esse humani generis opitulatorem sequestrem, et verum propitiatorem ab æterno prædefinitum, et in tempore e sede Patris ad homines missum, ut prædicaret captivis remissionem, cæcis visum, dimitteret confractos in remissionem, et prædicaret annum Domini acceptum, et diem retributionis (*a*). Descensu itaque illo manifestata est illa gratiæ abundantia et plenitudo, quam nos omnes per mediatorem, summum pontificem, a Deo unctum accepimus. Hocce ergo ministerium, potestatem auctoritatemque deinde exercendam, ob quæ inunctus dicebatur, voluit Spiritus sanctus indicare; quemadmodum jam pridem Isaias fuerat vaticinatus (*b*). Quapropter etsi PP., in catholico sensu, aliter et aliter illum Spiritus sancti descensum in Jesum baptizatum explicaverint, omnes tamen in eo conveniunt, illum contigisse ut edoceremur *humanæ naturæ primitias* **74** *fuisse instauratas, cum apparere voluerit verus homo, sanctificationis capax*, ut dicit Cyrillus; simulque innotesceret eo tempore ejus unctionem fuisse expletam, quia omnia ministeria, functiones et exercitia ab ipso Isaia vaticinata, et ad sacerdotium pertinentia, suscepit.

7. Ex quibus omnibus illud consequitur, maxima injuria, in hæreseos suspicionem Archelaum fuisse adductum, quod utrumque nomen Jesus et Christi Mariæ unico filio tribuerit. Hanc enim loquendi œconomiam eum servare oportuit, *ut duarum naturarum conjunctionem indicaret*, ut notat Theodoretus. Immo, auctore Augustino, si quis *Jesum Christum plus quam hominem non novisset, Jesum Christum utique non novisset. Si enim tantummodo homo est, et nihil amplius, non est ipse Jesus Christus.* Sed ad quamcumque callidam atque fallacem Archelai verbis factam interpretationem penitus eripiendam, quid nobis opus esse potest aliorum catholicorum Patrum loquendi modo et sententiis? Plenius semetipsum Archelaum explicasse, evidentissime produnt tum præfatæ disputationis argumenta et verborum series et significatio, tum Manetis blasphemiæ et objecta quæ Scripturarum testimoniis rejicere et evertere S. episcopus conabatur. Hocce igitur argumento Manem Archelaus aggressus est. *Si enim, secundum tu dicis, non est natus, sine dubio nec passus est; pati enim qui natus non est, impossibile est. Quod si non est passus, crucis nomen aufertur.* Et quibusdam aliis hujus generis interjectis, eumdem Manem perstringendo subjicit : *Hæc autem omnia connectis, negans quod de Maria natus est; si enim confessus fueris eum de Maria natum, et passio subsequatur necesse est, et passionem resurrectio, et resurrectio judicium, et salva nobis erunt Scripturæ præcepta.* Et post pauca, eumdem ita compellat : *Ideo responde mihi ad singula quæ interrogabo : quomodo abjiciemus tantas et tales* B *Apostoli* (*c*) *voces, quæ dicunt : Cum autem fuit Dei voluntas in nobis, misit Filium suum, factum ex muliere. Et iterum : Pascha nostrum immolatus est Christus. Et quia Deus Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam.* His ergo et aliis testimoniis ex Apostolo depromptis Archelaus firmiter insistebat ut solam veram ex Maria virgine Jesu Christi nativitatem propugnaret. Post hæc autem gradum fecit Archelaus ad illum Spiritus sancti in Jesum baptizatum descensum, quem hæreseos notas olere Beausobre contendit; et iterum Manichæum hisce verbis aggreditur : *Dic mihi illud etiam, o Manichæe. Si ais Christum non esse ex Maria natum, sed apparuisse quidem ut hominem, cum homo non esset, præstante hoc et agente virtute quæ in ipso est : dic mihi super quem Spiritus sanctus sicut columba descendit? Quis est etiam qui baptizatur a Joanne? si perfectus erat, si virtus erat, non poterat Spiritus ingredi, sicut nec regnum potest ingredi intra regnum. Cujus autem ei cœlitus emissa vox testimonium detulit dicens : Hic est Filius meus* C *dilectus in quo bene complacui? Dic, age, nihil remoreris quis est ille, qui parat hæc omnia, qui agit universa* (*d*)?

8. Archelao ita interroganti, audacius Manes respondere ausus est *sibi pium videri dicere quod nihil eguerit Filius Dei, in eo quod adventus ejus procuratur ad terras : neque opus habuerit columba, neque baptismate, neque matre, neque fratribus, fortasse neque patre, qui ei secundum te* (Archelae videlicet) *fuit Joseph, sed totus iste descendens, semetipsum in quocumque voluit transformavit in hominem, eo pacto quo Paulus dicit quia habitu repertus est ut homo* (*e*). *Cujus igitur rei indiguerit is qui semetipsum in omnia transformarit, ostende?* Postea eludere quærens, quæ Archelaus catholice propugnaverat, hocce aliud argumentum subjicit, quo S. episcopum, quasi jugulum petere arbitratus, **75** dixit : *Si enim hominem eum tantummodo ex Maria esse dicis, et in baptismate Spiritum percepisse, ergo per profectum Filius videbitur, et non per naturam.* Tandem comparationem Spiri- D tum sanctum inter et ipsum Christum Dei Filium instituens, sic pergit ratiocinari : *Si tamen tibi concedam dicere secundum profectum esse Filium, quasi hominem factum, hominem vere esse opinaris, id est, qui caro et sanguis sit; necesse est ergo et Spiritum, qui sicut columba apparuit, non aliud esse quam naturalem columbam : SICUT HOMO enim dictum est, et SICUT COLUMBA; et quodcumque opinari potest de eo sermone quod dictum est, SICUT HOMO, hac opinione concipe etiam de eo quod dictum est, SICUT COLUMBA; necesse*

(*a*) Lucæ IV, 19 et seqq.

(*b*) Isaias, LXI : *Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.* Cyrillus Alexandrinus, lib. II contra Nestorium; Hieronym., Comm. in laudata Isaiæ verba. Consule Petavium, Theolog. Dog. tom. VI. de Incarnatione lib. XI, cap. 9, § 10, 11 et seqq.; Theodoretus, tom. IV, pag. 279, lib. V contra hæreses; Augustinus, serm. 32 de Verbis apost. cap. 2.

(*c*) Ad Galat. IV, 4, 5; ad Corinth. I, cap. V, 7; ibid., XV, 12.

(*d*) Matth. III, 16.

(*e*) Philip. II, 7.

est et hæc æqualiter recipere, ita enim in Scripturis quæ de eo scripta sunt inveniuntur (a).

9. Interim autem multa animo revolvebat Archelaus, tot tantasque ex Manetis ore prolatas blasphemias excipiens; sed potissimum verebatur ne, omnino circumspecte disserens, plus periculi ignaris et insipientibus qui aderant quam utilitatis isthæc disputatio afferret. Nam cum Scripturarum intelligentiam, non omnibus datam esse certo sciret, non poterat diligenter *aptatam quæstionem manifestare atque dissolvere, nisi propter hos qui assistunt et nos audiunt.* Verumtamen ex populi frequentia, quasi necessitate ductus, nonnullis prætermissis ex iis quæ Manes objecerat, ea solum quæ ab eo palmaribus crassisque erroribus involuta palam prædicaverat eripere atque subvertere sequenti ratione nisus est. Quare iterum suam congressionem prosecuturus, statim ita ad hominem, ut scholæ loquuntur, ratiocinatur : *Dic ergo mihi si Jesum hominem naturaliter factum intellexerimus ex Maria, habentem carnem et sanguinem intel-* B *lexerimus; necesse est etiam Spiritum sanctum veram esse columbam, et non Spiritum?* Ut hoc falsum consectarium refellat, protinus ostendit veram columbam verum hominem ingredi haud posse atque in eo permanere; sicut nec caro naturaliter carnem ingredi potest. Contra vero, Scripturarum loquendi modum atque rationem fideliter intelligimus, si Jesum Christum verum hominem cum vera carne et sanguine ex Maria natum profiteamur, et Spiritum sanctum columbæ figuram solum gestasse. *Nam Spiritus, secundum certam rationem, habitat in homine, descendit, et permanet, et competenter hoc, et factum est, et fit semper.* Veras ergo hominis proprietates de Christo Jesu naturaliter affirmari oportere, ibi probat Archelaus. Secus vero de Spiritu sancto veras columbæ proprietates affirmare nefas esse; idque prohiberi, ex sancti Spiritus operatione, perfectionibus, attributis et agendi ratione, evidentissimo probavit. Quam disparem rationem, cum in medium adduxisset, cui nec Manes, nec quisquam alius impietatum assertor C poterat refragari, ita adversarium compellat, simul perstringens, et jocosis verbis ei illudens. Si quidem cum Manes se Paracletum Dei profiteretur; *Spiritum enim venisse super se dixerat*, quem promiserat Jesus esse missurum, *et unde* (ait Archelaus), *nisi de cœlo descendat?* Cœlum ergo Spiritum sanctum inhabitare, et e cœlo in hominem descendere, in eoque permanere, laudatis verbis confirmat; ut inde colligat, non descendere posse nisi supra hominem dignum se, id est plenum gratia et virtute. Sed veras columbas super ipsum Manichæum, non supra Christum descendisse, potius esset sentiendum : *Ut te* (ait) *columbarum potius furem accipiamus, insidias eis ac laqueos molientem; dignus enim es qui verbis ridiculis illudaris.* Sed rediens statim ad disputationem a qua paululum fuerat digressus, ad eam videlicet transformationem, qua Deus se in *hominem*, vel in *solem*, transformasse Manes confingebat, ut ostenderet *Jesum nostrum, habitu solo et visu factum esse hominem*, a quo tamquam hæretice dicto quilibet fidelium abhorrere debebat, provocat ad promissiones omnes atque figuras in Scripturis de hujus nativitate 76 expressas; immo et ad ipsum *adventus* nomen, quæ deleri necesse esset, cum in cœlis positus facere poterat quæ voluerat, *si eum Spiritum solum et non hominem* fuisse affirmemus. At non ita esse, ex Apostoli verbis ad Philippenses probat (b). Nimirum : *Exinanivit seipsum formam servi accipiens.* Quare subjicit statim. *Dico autem de eo qui ex Maria factus est homo.* Qui loquendi modus, divini Verbi naturam atque personam ante nativitatem ex Virgine perspicue patefacit. Quemadmodum in mundo post baptismum Patris vox annuntiare voluit, disserens de eo qui de A Maria natus erat Filius : *Hic est Christus Dei qui descendit super eum qui de Maria est.*

10. Non me latet postremam hanc sermonis phrasim a Beausobre non satis probari : immo tamquam Nestorianæ hæreseos fontem esse insimulatam. Sed absit quod etiam in ipso disputationis æstu duas ibi Archelaus in Christo distinxerit personas hominis, nimirum, et Dei. Cum ipse, nonnisi de duabus naturis invicem copulatis disseruerit, quas unicus Dei Filius, vere ex Maria natus in se habuit conjunctas, ut tota disputatione catholice professus est. Et quidem non aliud sonare istas Archelai voces, quæ maligne interpretari Beausobre nisus est, clarissime illa verba patefaciunt : Hic est *Christus Dei*, id est Filius, *qui descendit super eum qui de Maria est.* Et paulo post, Filium hunc Dei a Maria genitum sine ambiguis vocibus asseverat. Nam verba faciens de Jesu baptizato, qui e Jordanis aquis jam ascenderat, ait : Statim enim in desertum a Spiritu ductus est Jesus, ut tentaretur a diabolo, quem cum diabolus ignoraret dicebat ei, *Si Filius es Dei.* Ignorabat autem propter quod genuisset Filium Dei, qui prædicabat regnum cœlorum. Filium ergo Dei, in vera humanitate a Maria genitum fuisse, Archelaus profitebatur. Qui præterea Spiritum sanctum in baptismate recepit, *per quem vox paterna testatur dicens : Hic est Filius meus dilectus, nullus alius portare prævaluit, nisi qui ex Maria natus est, super omnes sanctos Jesus* (c).

11. Quoniam vero varia Manes Archelao objecerat, quæ nondum erepta, atque eversa videbantur, ita sapienter adversarium fortius perstringere conatur, numquam a propositæ disputationis limitibus abscedens. Quare, neque habitu solo et apparenti specie Jesum Mariæ filium hominem fuisse probaturus, ita episcopus effatur : *Si habitu eum et specie dicis esse hominem, quomodo ab his qui ex viro et muliere nati sunt Pharisæis teneri potuit, et ad judicium pertrahi, cum spirituale corpus a crassioribus corporibus non valeat comprehendi?* Et corripiens, et exagitans eumdem Manem, qui dixerat pro libito Filium Dei in quamque formam et speciem se transformasse, quemadmodum et in *solem*, ita subjicit. *Perge, quæso, et pugillum plenum solis mihi affer, aut modium plenum! Ipse vero sol, pro eo quod subtilioris est corporis, cooperire te et circumdare potest, tu vero eum, etsi conculcaveris, nihil lædis. Contra autem*, concludit, *Dominus vero meus Jesus, si tentus est, ut homo ab hominibus tentus est. Si non est homo, nec tentus est. Si non est tentus, nec passus est, nec baptizatus est. Si ille non est baptizatus, neque quisquam nostrum baptizatus est. Baptisma autem si non est, nec erit remissio peccatorum, sed in suis peccatis unusquisque morietur.*

12. Ex quibus Archelai dictis maximum sibi incommodum Manes afferri præsentiens, totum hunc sermonem prætermittit, et dumtaxat postremis illis vocibus insistens, duo illa consectaria in medium adduxit. Primo reponens : Ergo baptisma datur propter remissionem peccatorum? Quodque cum D Archelaus dedisset, respondendo *amen*, statim istud aliud blasphemum subjecit : *Ergo peccavit Christus, quia baptizatus est?* Quod postremum perhorrescens, Archelaus, illico obstitit respondens, *Absit;* et 77 apostoli Pauli verba usurpans, sermonem hisce verbis clausit : *Quin potius pro nobis peccatum factus est, nostra peccata suscipiens. Propter quod ex muliere natus est, et propter quod ad Baptisma venit, ut hujus partis perciperet sanctificationem; ut Spiritum, qui descenderat in specie columbæ, corpus quod susceperat portare possit.* Recessisse Archelaum a catholicæ veritatis principiis, postrema hujus responsionis parte, Beausobre contendere non veretur (a). Nam quamvis Jesu Christi summam innocentiam internovisset et prædicasset, dicendo eum non recepisse

(a) Acta disputat., pag. 92, cap. 49, pag. 91, 92, apud Zacagnium.
(b) Epistol. Pauli ad Philippenses, cap. II, 7.

(c) Archelai acta, pag. 93.
(d) Beausobre, lib. I, cap. 10, pag. 117.

baptisma ut a suis peccatis mundaretur, quod tamen A impie affirmaretur; cum addidisset deinde Jesum fuisse baptizatum, ut secundum eam partem qua ex muliere natus erat sanctificationem perciperet, et idoneus efficeretur ad sustentandum Spiritum, qui in eum descenderat, idcirco infinite a catholicæ fidei principiis abscessit. At calumniam atque figmentum hæc continere, quis non videt? Christi animam perfecte per unionem hypostaticam divini Verbi plenissime fuisse sanctificatam, jam Archelaus tota illa disputatione, cum implicite, tum explicite fassus est: nec enim ullum aderat in ejus anima peccatum, quod baptismate deleri posset (*a*). Sed quoniam durum crucis et passionis mortisque certamen subire debebat, cujus causa visibili illa specie Spiritus sanctus in eum descenderat, idcirco infirmum et carneum *corpus*, quod ex Virgine assumpserat, exterius etiam roborari oportuit, ut omnia illa tam cruenti certaminis tormenta portare posset. Unde ergo colligit Beausobre Archelaum eo dicto a catholica abscessisse B fide? Corpus enim illud et anima, quæ in conceptionis suæ instanti Verbi personæ uniebatur et substantialiter sanctificabatur, nova per baptismum purificatione, ut Spiritus sancti habitaculum efficeretur, non indigebat. An non id confessus est Archelaus, cum negavit *Christum habuisse peccatum proprium*, quin potius pro nobis fuisse factum peccatum, nostra peccata suscipiens? Igitur dum nostra peccata expianda suscepit, visibilibus etiam signis exterius purificari oportuit, ut nostra peccata cruci affigere et delere sua morte atque passione posset. Tandem Archelaus innuere voluit eo sensu quadam exteriori indiguisse purificatione, qua peccator in mundum pro nobis apparuit, cum languores nostros vere ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. An non in horto antequam crucem ascenderet, animi perturbationes expertus, ab angelo fuit confortatus? (*b*) An non in cruce agens animam, et mortales expertus dolores, Patrem Deum orabat dicens: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?* Præsidio haudquaquam C indiguisse ob unionem hypostaticam divini Verbi, catholici unanimi consensione affirmant. Sed ad veram hominis naturam declarandam hæc necessaria fuisse, quis umquam nisi unus Beausobre inficiari potuit?

12. Beausobre tandem ut studiosius suæ acatholicæ sectæ partibus indulgeat, ad S. Methodium Archelai coævum provocat, quem tamquam Ariani et Nestoriani dogmatis patronum exagitat; ea ratione ductus, ut ostenderet catholicorum episcopos et martyres, qui jam tertio Ecclesiæ sæculo floruerunt, evangelicæ et catholicæ fidei non fuisse sinceros custodes, sed eam depravatis opinionibus labefactasse et corrupisse. Verum in his aliisque similibus retundendis longius immorari præsens nostri otii studium cum minime patiatur, idcirco alia quæ ad Manetis historiam, mortem videlicet, nostra oratio examini subjiciet; felicius veritatem illam assecuturi, quam ementitis solum verbis se dumtaxat in votis habuisse D Beausobre testatus est, idque ut magis atque magis suis asseclis fucum faceret, atque incautos sciolosque lectores deciperet.

78 CAPUT X.

Manes ex Diodoride aufugiens a Persicis ministris comprehenditur, et, pelle exutus, improbitatum pœnas luit. Perperam Beausobre hujus necis auctorem facit Archelaum, cujus argumenta rejiciuntur. Manichæi tandem solemni ac religioso ritu Manetis natalem agunt.

In evertendis Beausobrianis calumniis contra Archelai episcopi fidem et religionem, male et summa injuria congestis atque confictis, multum operis præcedentibus capitibus, insumpsimus, ea videlicet ducti ratione, ut ad examen sedulo revocaremus quæ ex una parte a Manichæo disputante nefarie contra catholicam veritatem propugnabantur, et ea deinde quæ ex adverso ipse Archelaus episcopus pronuntiavit ut hæretica dogmata sibi objecta retunderet et prorsus rejiceret. An ergo Archelaus in refellendo Manichæo et in catholicis veritatibus propugnandis felicior fuerit quam novitatum assertor Beausobre judicavit, laudatum sanctissimum episcopum, tamquam læsæ fidei hominem multarumque hæresum assertorem postulando, mox a nobis dicta declarare poterunt. Potissimum cum in præsens ad illorum lectorum judicium provocare intendamus, qui in percurrendis SS. PP. et antiquorum theologorum scriptis versari solent; quique perfectam et ordinatam Christianæ rei memoriam tenentes, animum novitatibus recreare minime solent, nec anxius variæ et peregrinæ eruditionis comparandæ studio adducuntur, ut avidius acatholicorum librorum lectioni vacent, quibus sensim et inconsulte animus falsis præjudicatisque opinionibus imbuitur, et Christiani nominis pietas labefactata corrumpitur. Si vero eorum judicium appellarem, qui, novitatum amore moti, dumtaxat merces ex hæreticorum libris mutuatas inter populorum frequentiam et in sciolorum conventibus verbis et fabulosis dictis vendendis exponere consueverunt, ut sibi doctorum opinionem vindicent, jam intelligerem meam et Archelai causam cadere posse, quamvis unice catholica veritate ex Scripturis et traditione desumpta innitatur.

1. A nostro itaque scribendi scopo minime recedentes, neve nostra disserendi ratio productior fiat, Manem valde turpiterque confusum clam a Diodoridis parœcia seu vico abire compulsum fuisse affirmamus. Is namque dubio procul, populi ira atque tumultu, violentam subiisset mortem, nisi Marcellinus, pro Romanorum imperio illius provinciæ civilium rerum prudens administrator, et ipse Archelaus, lenitate ducti, plebis furorem cohibuissent. Fugæ igitur præsidio suffultus, trans Strangam fluvium confugium quæsivit, iterumque in Arabionem castellum, ex quo jampridem discesserat, antequam Mesopotamiam proficisceretur, se recepit; sibi forte blanditus quod lata a Persarum rege in eum mortis decreta, aut prorsus abolita, aut mutata fuissent, ob civilium rerum mutationem, quæ forte eo temporis intervallo quo ex aula abscessit contigerat. Rem fere hisce verbis Archelaus in sua disputatione descripsit (*c*), addens: *Sed ille vias quibus venerat repetens, transito fluvio, ad Arabionis castellum rediit. Ubi postea comprehensus, oblatus est regi, quique plurima adversus eum indignatione commotus, duas mortes in eum vindicare cupiens, unam filii, alteram carcerarii, jussit eum ante portam civitatis excoriatum suspendi; et pellem ejus medicamentis infectam inflari, carnes vero volucribus dari jussit.* Neque aliter Manetis necem in catechumenorum 79 institutionibus Cyrillus Hierosolymorum episcopus descripsit (*d*). Qui tantummodo alias explicavit circumstantias, Manetem nimirum ad Persarum regem adductum, et coram eo se sistere coactum, multis exprobrationibus fuisse exagitatum, ob mendacia et fugam. Qui rex præterea ejus irrisit servitutem, accusavit filii cædem, et damnatos propter eum custodes ad necem. *Itaque* (concludit idem Cyrillus Archelai dictis suffragando) *excoriare Manem lege Persica mandavit, et corpus quidem reliquum bestiis devorandum tradidit. Cutem vero, qua tantu ejus improbitas continebatur, tamquam utrem ante portas suspendi curavit.* Non absimili modo So-

(*a*) Acta disputat. Archelai, pag. 94. Consule S. Leonis Magni catholicam ad Flavianum quæ in ordine 24 est.

(*b*) Beausobre, lib. I, cap. 10, pag. 118.

(*c*) Archelai disput., apud Zacagnium, cap. 55 pag. 100.

(*d*) Cyrillus Hierosolym., catechesi 6.

crates Manetis necem descripsit (a). Quippe ecclesiasticarum rerum memorias referre volens, Archelai cum Manete disputationem jam scripto consignatam manibus terens, et eadem suis oculis lustrata, quæ hactenus diximus, rerum ordine servato, fideli narratione explicavit. Ne vero ea quæ ibidem refert in falsitatis suspicionem quandoque adducerentur, ut lectorum animum a præjudiciis vacuum redderet, postquam scripserat. *At rex Persarum comperto quod Manichæus in illis partibus moraretur, inde abrepto, cutem detrahi jussit, eamque paleis oppletam ante portas civitatis appendit*; statim ad omnem fidem hisce dictis vindicandam, subjecit: *Atque hæc nos haudquaquam commenti sumus; sed ex disputatione quadam Archelai, Cascharorum urbis in Mesopotamia episcopi, a nobis lecta, excerpsimus.*

2. Scripto ergo consignata, et Græco sermone reddita, tum isthæc Archelai disputatio circumferebatur. Nec quisquam ab eo tempore ad annum millesimum septingentesimum quadragesimum usque eam tamquam falsam et supposititiam judicare ausus est. Nullus, inquam, eam commentum nugas atque fabellas continere affirmavit. Id ergo dumtaxat Beausobriano judicio, paucisque aliis, qui præfato Scriptori assentari conantur, reservatum fuisse arbitrabimur? Sed jam luculentius de hoc vindiciarum genere in sequentibus verba faciemus. Tandem vero de Manetis nece sermonem prosecuturi, præter Epiphanii auctoritatem, qui præcedentibus scriptoribus suffragatur, obvium est etiam testimonium Photii (b), qui quamvis ob schisma in Ecclesiam catholicam inductum læsæ fidei homo merito debeat appellari; tamen multam adhibuisse diligentiam in perscrutandis veterum scriptis, multaque eruditione fuisse præditum, adhuc quisquam non est ausus inficiari. Is itaque, quamvis in recensenda Manetis nece, et Archelai gestis, præcedentium scriptorum ordinariam methodum non sequatur, eum tamen vix ab eorum dictis recessisse exploratum est. Capite enim 13 narrat quemadmodum ad regis Persarum iram atque vindictam evadendam huc illucque Manes vagari cogeretur; describit satellites ubique eum perquirentes, ut ad regem adducerent, et adductum gravissimis tandem objurgationibus exagitatum fuisse, et horribilium impietatum non indignam mortem subiisse asseverat. Hinc ergo laudatum caput hisce verbis, quæ ex Socrate et Archelao mutuata esse arbitramur, claudit: *Cum enim infelix ille adhuc in vivis esset, corpus, detracta pelle, in utrem excoriantes, sic ex vita detrahunt, et quasi dissecant, reliquum vero corpus in prædam feris projiciunt, ipsamque pellem, utris instar, vento repletam, præ foribus suspenderunt. Talem apostata et scelestissimus homo vitæ terminum consecutus est.*

Rursus vero laudatus Photius, cap. 15, hujus acerbam mortem commemorat, præmissa tamen celebri ea disputatione quam contra eumdem habuit Archelaus. Hunc autem *divinum et sanctum virum* Cascharorum **80** in Mesopotamiam episcopum appellat (c). Subjicit deinde Manem *insperato* pudore in publica congressione suffectum profugum Diodoridem fugisse. Et denuo ab eodem Archelao iterum disputante ad fugam fuisse perpulsum, et apparuisse Manem nequissimum hominem, suis in dogmatibus omnibus deridendum, atque detestandum; tum tandem a regiis ministris eum perquirentibus atque scrutantibus captum fuisse, et *acerbas illas pœnas* subiisse.

3. Veritatem hanc tot tantisque firmatam momentis, etsi Beausobre inficiari ausus non fuerit, multo tamen studio adhibito, eam sensim infirmare conatur. Capite enim 11 prioris libri, Manetis necem descripturus, hujus auctorem et quasi ministrum Archelaum episcopum fuisse asseverat (d), propterea in medium Gallice prolatis illis verbis, in quæ episcopus post disputationem eruperat, videlicet: *Hæc ego cum cognovissem, necessarium me etiam vobis indicare, quia requiritur ipse a rege Persarum usque in hodiernum diem.* Laudata quidem verba ad Manetis perpetrata apud Persas facinora referri, neminem latere arbitror. Quæ Archelaus eructare quasi fuit coactus, quando videlicet absoluta cum Manichæo novissima congressione, admirantibus populis et turbis, quæ ex illius provinciæ locis illuc convenerant, ut duos illos viros de religione disputantes audirent, silentium indixit, totamque seriem gestorum atque perpetrata Manetis facinora patefecit (e).

Hanc itaque Archelai agendi rationem maligne in crimen vocare nisus est Beausobre, contendens non debuisse episcopum ea Manetis crimina nota facere populo, ob quæ a regiis Persarum ministris ad necem inquirebatur, videlicet quod regium filium occiderit. Dumtaxat tamquam bonus pastor eum oportebat de Manichaicis circa fidem erroribus verba facere, ut populus illos præcaveret. Quare sibi blanditur, S. episcopi animum, voluntatem agendique rationem facile assequi posse et interpretari; judicando, videlicet, voluisse Archelaum suis verbis populum excitare ad furorem, et seditionem, ut nimirum, comprehenso Manete, in Persarum manus traderetur. Persæ enim in confiniis Mesopotamiæ commorabantur, nec a Romanorum ditione et stationibus separabantur, nisi per fluvium Strangam. Pravam ergo et, ut vocant, *irregularem* fuisse hanc episcopi intentionem, Beausobre contendit. Quam cum populus deinde optime intellexisset; etiam antequam episcopus sermoni finem daret, in Manem insurgens, illum comprehendere nisus est, ut in vincula ad barbaros vicinos adduceretur, sed ille diligenter in Arabionis castellum profugit. Quid mirum vero? Malignæ huic interpretationi Epiphanium suffragari voluisse, pariter ex sua sententia Beausobre comminiscitur. (f) Contingit namque hunc sanctum episcopum intellexisse ejusmodi Archelai agendi studium episcopalem characterem plurimum dedecorare; idcirco, posthabita præcedenti narratione, aliam prorsus dissimilem suo proprio marte excogitavit, scribendo populum catholicæ religionis studio actum, Manem lapidibus opprimere quæsiisse, cujus conatus furorem compescuit et præpedivit, ut Manes aufugiens facile præsidium sibi nancisceretur. Tillemontius (subdit Beausobre) sibi persuasit brevem hanc narrationem ab Epiphanio fuisse suppositam, cum in Archelai Actis eam non offendamus. At ultro dato vera esse quæ Epiphanius sine auctore mox recensuit, adhuc staret Cascharæ episcopum, **81** Manetis exitium voluisse, quin de hujus nece posset objurgari. Si quidem quamvis criminosum hunc virum lapidare conantibus sese opposuisset, studium tamen adhibuit, ut, admonitis Persarum regiis ministris, publica auctoritate Manem multorum facinorum reum undequaque quærentibus, comprehensum cautius tenerent, ut coram rege adductus capitalem pœnam subiret. Hactenus aliis verbis Beausobre, ex æquo Archelaum et Epiphanium episcopos mordens et exagitans.

(a) Socrates, Hist. lib. I, cap. 22, in Valesiana edit., pag. 56.

(b) Photius, lib. I contra Manichæos, cap. 13 apud Christophorum Wolfium, pag. 52 et seqq.

(c) Photius, libro I contra Manichæos, cap. 15: *Et in Mesopotamiam profectus, a divino Archelao sancto viro, qui tum Cascharorum in ea regione præsul erat, multis magnisque argumentis contra impietatem suam exagitatus est. Atque inde profugus Diodoridem Cascharorum vicum subit.* Apud Christophorum Wolfium, pag. 50.

(d) Beausobre, lib. I Hist. Manichæorum cap. 11, pag. 124.

(e) Archelaus, in Actis, pag. 100, apud Zacagnium.

(f) Epiphan., hæresi 66.

Sed omnia quæ objecit, nec rerum veritatem comprimere valent, si diligentius ex Archelai Actis laudatæ narrationis scopum exquiramus, nec duos illos Patres sibi invicem in Manetis nece describenda repugnare sequentibus animadversionibus erit exploratum. Et primo quidem quod attinet ad Archelai agendi disserendive rationem, qua Diodoridis populo, non tantum Manichaicos circa fidem errores patefecit, sed etiam perpetrata ab iniquo eo homine graviora flagitia, ob quæ publica Persarum regis auctoritate ad necem inquirebatur, in ea nihil prorsus apparere opiner, quod episcopalem dedecoret characterem; nec eo studio Archelaum isthæc dixisse arbitrabimur (*a*), nisi gravissimo ductum motivo, quod facile Beausobre fuisset assecutus, si diligenter Archelai Acta lustrare voluisset. Nos itaque, qui sedulo in iisdem percurrendis Actis et disputatione diutius versari voluimus, apprime intelleximus, novissima hac congressione absoluta, maximum tumultum fuisse excitatum in populum qui illuc convenerat. Nam alii ex parte Archelao plaudentes, hujus *immensas laudes cum clamoribus* celebrare nitebantur; alii vero ex adversa parte ira et odio in Manetem æstuantes, probabilius furore movebantur ut eum occiderent. Tumultum autem in populum excitatum fuisse, perspicue laudatorum Actorum textus, quem ipsi subjicimus, manifestat. Quare maxime verisimile apparet ut quemadmodum inter turbarum clamores Archelai victoris laudes concinebantur, ita etiam maledictis atque improperiis, tum Manetis hæresis et infamia, tum hujus sacrilega doctrina abominaretur et proscinderetur. Quod si Beausobre adhuc mihi obsistere vellet, rogarem quid *tumultus* nomen habeat significare? Quod si ex Cicerone nihil aliud importat quam perturbationem tantam ut timor major ex eo oriatur (*b*), jamjam intelligimus quod periclitata fama et Manetis opinione ex habitis disputationibus, ut turbæ non sinerent Archelao ad propria remeare, valde probabile est etiam easdem turbas pari studio voluisse Manem detinere, vinculis constringere, aut lapidibus obruere, ne aufugiendo debitas pœnas evaderet. Turbarum ergo hunc tumultum verbis et precibus forte Archelaum comprimere oportuit, ne contra gentium et ecclesiastica jura ex tanta perturbatione oriretur sævitia. An non Marcellus Manem invitaverat, et epistola quidem, ut Cascharam veniret? Igitur gentium jura servari debebant, nec umquam sine datæ fidei jactura cuiquam permissum esse potuit ut hostilibus manibus læderetur; potissimum, quia non Romanorum imperio, sed Persarum erat subjectus. Itaque nec in Archelai mentem cadere potuit ut, præsente Marcello, populum ad seditionem excitaret, et hæretici necem exquireret. Quare idem S. episcopus, etiam ad servandam ecclesiasticam lenitatem, populo suasit ne e loco in quem convenerat discederet, paulo post nova verba facturum se illis promittens. Sed adhuc turbæ congregabantur, nec tumultum neque perturbationem compressam fuisse hæc verba patefaciunt. *Postea vero congregatis eis*, **82** *Archelaus acquiescere sibi atque audire verbum suadebat.* Si populus ergo in Manetem non tumultuabatur, si hunc ad necem non inquirebat, quare Archelaus novum studium et suasiones adhibuit ut illi qui convenerant acquiescerent? Igitur ut Epiphanius clarius gestorum seriem describeret, nihil suo marte confinxit, sed ea recensuit quæ forte olim habebantur etiam in iisdem Actis, et modo

A propter amanuensium imperitiam, vel interpretum malam fidem, prætermissa sunt. Et quidem lacunam in ea irrepsisse, denotant præcedentia verba, quæ ad calcem jam exscripsimus. Nam post has voces *ita ut* (turbæ nimirum) *omni studio conarentur*, hæc alia immediate subduntur, quæ nullum genuinum sensum reddunt: *ultra ei* (*c*) *non sinerent*, etc., ad quam mss. codd. lacunam Zacagnius animadvertens, censuit saltem particulam *et* esse apponendam, quam forte adhuc confusionem textusque perturbationem *causare* quisque facile poterit ex contextu judicare. Sed nihil ibidem desiderari, ultro dare non multum repugnabo. Quid tamen? Epiphanius ex sua sententia confinxit *populum quæsivisse Manem lapidibus obruere?* Commentum apage. Nam Actorum series narrat quemadmodum ad illam parœciam multitudo hominum ex universa illa provincia convenerat, atque alii ex vicinis locis homines aderant, et facto *silentio* hoc modo Archelaus de *Mane dicere* aggressus est. Deinde paucis prolatis verbis, hæc alia

B subjiciens, populum deprecatur, ut, abjecta omni perturbatione, omnique strepitu semoto, quæ de Manete didicerat, quæque indicare decreverat, audire non detrectaret: *sed nunc* (ait) *paucissima dicere volentem deprecor, ut cum silentio audiatis, ut agnoscatis qui sit, et unde, et qualis sit iste qui advenit*, etc. (*d*); semel ergo, iterum, et tertio tandem, ad turbarum perturbationem, atque tumultum comprimendum, silentium indicere debuit Archelaus. Nec alia de causa, nisi quia populus ille in Manem jam invehi nitebatur; verba enim hæc postrema, quæ exscripsimus, ejusdem populi animos in hæreticum fuisse commotos evidentissime patefaciunt. Cum igitur Archelaus, sano adhibito consilio, eidem populo verba facere promisit de hujus hæretici persona, conditione, patria, institutis atque flagitiis, censuit sua narratione posse sibi conciliare attentionem auditorum qui convenerant, et interim latam aperire viam Maneti aufugienti, ut sibi suæ vitæ et incolumitati

C præsidia pararet. Atque tandem ita factum est ut ille, *vias quibus venerat repetens, transito fluvio, ad Arabionis castellum pervenit.*

5. Sed confingamus adhuc Diodoridis populum iracundiæ et odii motibus in Manem non fuisse jam excitatum, quid inde? Jam Archelaus in manifestanda Manetis vita atque flagitiis voluit commovere populum, ut, hæretico comprehenso, is tamquam victima postmodum a Persis mactanda et sacrificio interficienda, caute duceretur? Quis enim sine temeritatis nota id poterit judicare? Cum potius arbitrari liceat Archelaum de genere, natali, conditione, mendaciis, flagitiis Manichaicis disserere voluisse, capitalem etiam in hunc nebulonem, a Persis, eum undequaque publica potestate perquirentibus, latam sententiam, ne simpliciores minusque de fidei rebus periti illius falsæ doctrinæ persuasione seducerentur. An non Ariani, Nestoriani, Eutychiani, et novissimis sæculis Calviniani, Lutherani Sociniani-

D que suarum hæreseon figmenta, prædicationibus et disputationibus propagarunt? Quod quidem felicius ipsis contingere potuit, quando freti armorum strepitu atque potentia, aut quando dignitatum auctoritate vel scientiarum doctrina celebriores facti, vel denique quando aliquo principum sæculi præsidio assecuto, omnique verecundiæ atque timoris **83** freno spreto, liberum eis esse potuit suarum opinionum pravitate, aliorum animos, mores et fidem corrumpere atque pervertere. Archelaum itaque plauden-

(*a*) Archelaus in sua disp., § 1, apud Zacagnium, pag. 94 ita scribit: *Hæc cum dixisset Archelaus, admiratæ sunt turbæ veritatem doctrinæ ejus, et laudes immensas cum clamoribus, ita ut omni studio conarentur, et ultra ei non sinerent ad propria remeare; et tunc quidem discesserunt.*

(*b*) Cicero: *Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur, unde etiam nomen dictum est tumultus.*

(*c*) Archelai disput. pag. 94, ut supra apud Laurentium Zacagni in sua Collectione veterum monumentorum Ecclesiæ Græcæ et Latinæ.

(*d*) Zacagnius in notis scribit, secundam particulam *et* deesse in codice Cassinensi, quam tamen orationis series evidenter exponit.

tibus sibi populis manifestare non tantum oportebat posse catholicæ legis adversarium nulla vera atque genuina sacrarum Scripturarum scientia et cognitione pollere, sed præcipua nostræ fidei mysteria evertere et suis fabulis abolere : tum etiam omnibus naturæ, tum fortunæ bonis atque adjumentis fuisse exspoliatum ; ita ut ejus nomen, mali mores atque facinora, pluribus nationibus jam tum explorata, prorsus ubique abominarentur. Quid ergo criminis in ejusmodi narratione et agendi ratione deprehendi posset, prorsus non video. Igitur ultro dato quod populus qui apud Diodoridem disputationem auditurus convenerat nihil prorsus in Manem fuisset commotus, an non S. episcopum decebat eum populum de iis omnibus admonere, quæ ex Turbonis et alterius discipuli ore perspicue cognoverat? An non episcopum decebat iis omnibus uti præcautionibus atque mediis quæ efficaciora validioraque arbitrabatur pro suæ diœceseos tranquillitate, suarum ovium salute, et Christianæ doctrinæ puritate servanda atque tuenda? Plane comminiscitur Beausobre, ejusmodi agendi rationem in crimen vertere conatus. Potissimum cum Archelaus Manem falso non incusaverit, nec irrationabili causa in eum excanduerit, falsa confingendo ; sed ea duntaxat narravit, quæ (ut diximus) ex duorum Manetis discipulorum ore didicerat.

6. Jam vero SS. PP. atque scriptores summa consensione Manetis necem descripsisse, præcedentia testimonia in hujus capitis exordio adducta plenissime patefacere possunt. Beausobre tamen, suis in Archelaum et Epiphanium episcopos invectivis absolutis, adhuc nodum in scirpo quærere studens, parum diversos laudatorum scriptorum loquendi modos et phrases animadvertens, molli brachio, censorio stylo eos vellicat, ut eos discordes esse ostendat, nec alia de causa, quia Actorum Archelai fidem elevare contendit (*a*). Primo ait Epiphanium in describenda Manetis nece, hanc novis circumstantiis adornasse, cum affirmavit Manem spinarum aculeo fuisse excoriatum, ejusque pellem paleis repletam, cui Albulpharagius Syrorum scriptor suffragari videtur. Sed hunc (ait ille) probabile satis est, ex Epiphanii lectione id didicisse et exscripsisse, cum in Græcorum lingua plurimum esset versatus. Addit Photium, qui Græcorum relationem ex Archelai Actis eductam lustravit, testimonium perhibuisse Manetis pellem aere aut vento fuisse repletam, quemadmodum follis. Postremum hoc probabilius judicat. Nam criminosorum et malefactorum pelles, qui a Persis excoriabantur, aere et non stramine replebantur, quas sic repletas conservare nitebantur, quemadmodum de Valeriano imperatore Saporis jussu post mortem excoriato legitur. Cujus conservatam pellem deinde Persæ imperatorum Romanorum oratoribus, tamquam gloriosæ victoriæ monumentum ostendere affectabant. Cæterum si Græcorum lectionibus atque narratiunculis credendum est, parem Maneti sortem subiisse S. Bartholomæum et monachum Studitam arbitrabimur. Perperam tandem Epiphanius (addit) Manichæos stratos dormire atque cubare consuevisse supra paleas, aut spinas ; memoriam sui patriarchæ agentes, qui excoriatus fuerat spinarum acumine, ejusque pellem stramine aut paleis repletam. Sed id confinxisse Epiphanium, idem Beausobre, Augustini testimonio ductus, affirmat. Qui narrat schisma Romæ Manichæos inter exortum, quando Constantius Rom. civis, congregatis simul pluribus hujus sectæ hominibus, ut Manichaica adamussim præcepta observarent, quam citissime cœtus et congregatio illa in duas factiones divisa est. Nam alii hanc vivendi rationem ob nimium rigorem deseruerunt, permanentibus aliis in laudatorum mandatorum rigore atque observantia. De hoc schismate hic a Beausobre descripto, opportunius **84** ipsi verba faciemus, potissimum cum ad varios Manichæorum gradus nostra scribendi ratio se convertet.

7. Interim autem vellem ut lector animadverteret hæc omnia quæ mox ex Beausobre descripsimus, de diversis nimirum præcedentium scriptorum et PP. loquendi modis et phrasibus, haudquaquam rerum veritatem et Manichaicæ necis historiam infirmare aut evertere. Nam laudatorum scriptorum scopus minime fuit minutas ac tenuissimas hujus necis circumstantias describere. Nam alii fusius, strictius alii, Manem a Persis pelle exutum fuisse asseverarunt ut is videlicet suarum improbitatum pœnas lueret. Etsi eorum aliquis quidpiam addere censuit, quod a præcedentibus scriptoribus fuerat prætermissum, id forte contingere potuit, vel ex vulgari et forte certa traditione a Persis accepta, vel quia eorum scripta Persarum usui ritibus et institutis magis atque magis accommodare nisi sunt. Cæterum illud unum ab omnibus summa consensione comprobatum et scripto traditum est, videlicet Manem regia sententia in eum lata fuisse pelle exutum. An vero pelle exutus adhuc in vivis existens, an ejusdem pellis detractio spinarum acuminibus aut ferreo stylo facta fuerit, ad historiæ veritatem non pertinet. Cum hujusmodi circumstantiæ parvi nulliusque momenti sint, nec adeo necessariæ, ut scriptores qui illas addiderunt aut prætermiserunt de mendacio aut fabulosis narrationibus arguamus. Idem prorsus nos affirmare oportet de ejus cadavere, haudquaquam sepulturæ tradito, quod potius eis vicissitudinibus et in bestiarum ac volucrum cibo ac nutrimento fuit relictum. Quam *agendi rationem* apud Persas aliasque nationes infamiam et opprobrium minime redolere, gravissimis ductus testimoniis asseverat Beausobre (*b*). Sed fundamentum ex quo hanc conjecturam se haurire ipse auctor contendit, non tantum tamquam infirmum nutat, sed prorsus cadit. Videlicet Persas exhorruisse terram fodere, foveasque in eam facere ad defunctorum cadavera sepelienda. Idque facere non consuevisse, maximam ob venerationem, quam elementis adhibebant. Sed Persas caveas, cryptas atque speluncas habuisse, quis ignorat? Si igitur ipsis religio erat foveas in terram non fodere, quia elementis cultum quemdam et venerationem adhibebant, haud video cur non potuerint mortuorum corpora in aliis condere locis, ubi terra suos naturales sinus, foveas caveasque conservat. Quare tamquam male apposita arbitramur ea monumenta omnia, quæ ex Porphyrio, Assemano, Hydæ collegit, et ad calcem apposuit, cum nihil prorsus ad nostrum conferant scopum, videlicet Manetis mortui carnes bestiis atque avibus devorandas traditas et relictas fuisse.

8. Me tamen non latet tam infamem et truculentam necem, quæ metu et terroribus hominum quorumcumque esse debebat, Manetis discipulorum animum nec leviter commovisse. Immo, tum facti audaciores, maximis cum lætitiæ signis et superstitiosæ religionis argumentis eam singulis annis venerari cœperunt, et ea de causa, solemni Domini nostri Jesu Christi Pascha abolito, aut saltem a *paucis tepidissima celebritate frequentato*, diem duntaxat quo Manichæus fuerat occisus magnis honoribus prosequebantur. Cujus quippe profani sacrilegique ritus causam olim Augustinus exaggerabat, et (*c*) quasi raptus in admirationem, quando videlicet Manichaicæ sectæ magistros audiebat, ab eis sciscitabatur *quæ causa esset quod Pascha Domini nullis vigiliis, nullo prolixiore jejunio indicto auditoribus, nullo denique festiviore apparatu colerent, cum eorum Bema, id est diem quo Manichæus occisus est, quinque gradibus instructo tribunali, et pretiosis linteis adornato, in promptu posito, et* **85** *objecto adorantibus, festinissima*

(*a*) Beausobre, cap. 11, pag. 126.

(*b*) Beausobre, ubi supra, pag. 126 et sequenti. Porphyrius, de Abstinentia lib. IV. Strab., lib. XV. Assem., tom. III, p. I, pag. 409.

(*c*) Augustinus, contra epistolam Manichæi, cap. 8. Exstat tom. VIII, pag. 113.

quadam solemnitate et maxima animi devotione honorabant. Hoc, inquam, cum quæreret Augustinus respondebatur ejus diem passionis celebrandum esse qui vere passus esset, Christum autem, qui natus non esset, neque veram, sed simulatam carnem humanis oculis ostendisset, non pertulisse, sed finxisse passionem. Ad hocce ergo falsitatis portentum S. Doctor post suam conversionem animadvertens, ingemuit, et contra ejusmodi homines exclamabat, qui cum se Christianos dici vellent, et Christum de femina natum, et humanum habuisse corpus negabant, *ne passio ejus quod totius jam orbis festivissimum tempus est, celebrant*, alia paschali die *Bematis* sacrilega solemnitate subrogata, quam veluti gratissimam, dulcissimam summoque dignam honore vehementius colere desiderabant. An vero recentiores Manichæi solemnes hos ritus adhuc servare consuescant, me omnino latet. Rogare dumtaxat possem Beausobre et Bailium qui omni nisu pro Manichaica religione decertarunt an adhuc quæ a nobis ex Augustino recensita sunt usum obtineant? Horum enim responsiones nostras præsentes has elucubrationes magis magisque possent adornare. Hæc tandem sunt quæ de Manetis vita, moribus, gestis atque interitu ex veterum scriptis dicenda occurrunt. Nunc vero ad pleniorem rerum notitiam ad Archelaum redeamus oportet, qui Marcelli persuasione Turbonis confessionem et habitas cum Manete disputationes scripto consignavit.

CAPUT XI.

Fabulosa Manichæorum philosophiæ ac theologiæ figmenta, a Turbone, Manetis discipulo ad catholicam fidem converso, exsecrata, quæ ab Archelao deinde, Cascharæ episcopo, Marcelli persuasione una cum Manetis disputationibus scripto consignata fuerunt.

Instituendi mihi publicam eam confessionem criminumque exsecrationem referre, et memoriæ mandare, quam Turbo Manetis discipulus coram Archelao et cæteris in Caschara Mesopotamiæ urbe fecit, protinus ad ejusdem Archelai scripta provocare, iisdemque potissimum insistere opus est. Nam cum is scripto commiserit, aut scripto committere jusserit tum ea quæ ex Turbonis ore pœnitentiam agentis audierat, tum ea quæ audacius Manichæus ipse in duabus disputationibus catholicis objiciebat, vix dubitandi locus supererit, nos ea lustrantes quæ in Archelai libris continentur, rerum omnium veritatem non esse assecuturos. Quidquid enim in contrarium etiam hac occasione Beausobre confinxit ad horum fidem evertendam, nihil penitus nobis et veritati obesse poterit, quemadmodum luculentius suo loco explicabimus. Et primo quidem prætermissis hujus sectæ præcipuis fundamentalibusque erroribus, quos in præcedentibus jam annotavimus, quosque omnium primos Turbo sua publica confessione exsecratus est, reliqua alia impia, futilia, sacrilega et fabulosa commenta describere aggredimur.

1. Has igitur inter fabulas illæ principalem habent locum, quas de prima hominum productione, horumque casu et reparatione Manichæi confingunt. Cum videlicet asseverant duos illos æternos, sibique coexistentes, et ad invicem repugnantes, lucis ac tenebrarum deos, maximum inter se bellum committentes, singulos humanas portiones condidisse. Qua in productione cum tenebrarum auctor suos fines ad lucem præstandam progrederetur, bonus lucis parens produxit ex virtute animam, quæ dicitur *mater vitæ*; qua primo ornato homine, et quatuor elementis 86 veluti induto, deorsum adversus tenebras pugnaret. Sed cum tenebrarum principes, quasi ad pugnam provocati, homini restitissent, maximam vim ei intulerunt, et de illius *comederunt armatura, quod est anima* (a). In tali ergo tantoque discrimine primo homine constituto, primam pariter ruinam lapsum atque exitium passum esse fabulantur. Cujus quippe primi hominis animi corporisque afflictiones, ægritudines, ærumnas, non ab inobedientiæ et gulæ criminibus esse exortas affirmabant, sed a tenebris ipsis, quibus vehementer afflictus opprimebatur. Hæc omnia autem, antequam cœlum, terra, luminaria, firmamentum, spheræ, conderentur, homini contigisse aiunt. Quare priusquam primus homo in orbem prodiret, tenebrarum chaos vivens jam inhabitabat, et luminum patrem exorans, tum benigne et clementer et exauditus est; cum videlicet immissa in eo altera virtute, quæ ex divina substantia processerat, quæ dicitur *spiritus vivens, et descendens*, dejecto afflictoque homini dexteram porrexit, ut eum e tenebris quibus periclitatus fuerat educeret. Quod impietatis mysterium needum animo retinebant, sed externis etiam ritibus et cæremoniis ipsi Manichæi palam profitebantur. Cum videlicet sibi invicem occurrentes, etiam dexteras sibi dabant, ut, nimirum, eo signo certissime indicarent se e tenebrarum sinu et ergastulis evasisse (b).

2. Sed non minus insana et inculsa erant quæ de ipsius mundi conditione philosophabantur. Nam viventem spiritum, mundi conditorem, tribus aliis virtutibus indutum, quas haud nominant, descendisse confingunt, ut *educeret principes Jesu in firmamentum exiens, quod est corpus ejus sphera*. Animatum itaque firmamentum esse censebant, sicuti et luminaria quæ firmamentum circuire conspicimus. Quorum vitalibus motibus, tantam vim inesse volebant, ut hominum voluntates, quæ iisdem subesse debent, cum liberi arbitrii læsione et exitio ad agendum compellerentur. Ridicula præterea ridiculis addebant. Cum de terræ creatione, statu et motu ratiocinabantur, iterum eam productam asseverantes, quam in orbis medio divina sustentari virtute minime credebant, sed *humeris* cujusdam simulati *omophori* portari, qui eam cum portans laboraverit intremiscit. Et hæc (aiunt) est causa terræmotus præter constitutum tempus. Omnino ludicra profecto atque blasphema ea sunt quæ de hisce terræ motibus comminiscebantur, quos causam fuisse affirmabant cur benedictus Pater de sinibus in cor terræ et interiores hujus partes Filium suum pareret. Tum materiam, seu tellurem ex sese plantas et germina produxisse aiebant. *Quæ cum furatæ essent a quibusdam principibus, tunc æternus Pater convocavit omnes principes primarios, et sumpsit iis singulas virtutes, et fecit hominem hunc, secundum speciem primi hominis illius, et vexit animam in eum.* Quid vero primariorum principum nominibus intellexerint Manichæi, minime ex ea Turbonis confessione indicatum est. Illud unum dumtaxat perspicue ex præcedentibus verbis conjicitur, duas humani generis soboles propugnasse, quarum prior eam Adamiticam præcesserit, viam forte illam ineptam et deterrimam iis aperuit qui novissimis temporibus perniciosam erroneamque Præadamitarum opinionem propugnarunt (c).

3. Sed et alteram causam cur benedictus Pater Filium miserit in mundum, ex novissima hujus hominis sobole repetere conantur. Non ea ratione quidem qua Incarnationis mysterium prædefinitum esse Scripturæ testantur. Sed aiebant ad eam dilecti Filii sui missionem Patrem adductum fuisse ab ærumnis et afflictionibus quas hujus hominis anima patiebatur in corpore. *Hac enim de causa*, et propter omophorum Patrem Filium suum 87 misisse, Manichæi docebant. Cujus quippe Filii in orbem adventum, non in vera et passibili assumpta carne, sed in simulata dumtaxat et apparenti hominis specie contigisse, fabulabantur. Ut videlicet aliorum oculis homo appa-

(a) Archelai Acta, apud Valesium et Zacagnium, pag. 100.

(b) Valesius et Zacagnius, in Archelai disput.

(c) Archelaus, in eadem disput. adversus Manichæum.

reret, qui re ipsa homo non erat; quamvis ex femina natus ab hominibus putaretur. (*a*) Si quis vero hujus missionis et adventus finem exquireret, minime hominis salutem spectasse inficiabantur, nec vero aliæ ruinæ aut lapsui hominem fuisse subjectum arbitrabantur quam illi qui ex carnis corporisque vinculis oriebatur. Ad quæ mala omnia evertenda propulsandaque, machinam quamdam conciunatam ad salutem animarum tunc confectam fuisse affirmabant, qua rota una efformata, duodecim habente urceos, quibus viventium animæ hauriebantur, ut in solis conspectu adductæ, hujus radiis purgarentur, et purgatæ luminari inferiori, lunæ videlicet, traderentur. Sed in duorum illorum luminarium cursu et motu describendis, quot qualiaque figmenta non excogitabant? Confingebant enim solem atque lunam *duas* esse *naves*, seu translatorias *cymbas* cœlorum orbem discurrentes, ea ratione servata, videlicet, ut luna primum hominum animabus onerata, eas ad subsolanam regionem transmitteret; ubi animæ sursum deorsumque per quosdam *urceos* adductæ atque reductæ, naves illæ onerarentur et exonerarentur, quoadusque ipsæ animæ a corporalibus afflictionibus quibus premuntur se subripere possent. (*b*) *De substantia boni Patris omnem animam, atque omne animal quod movetur partem trahere confirmabant, addentes quod luna, cum onus quod gerit animarum sæculis tradiderit Patris, permanent illa* (*animantia videlicet*) *in columna gloriæ, quod vocatur vir perfectus. Hic autem vir* (subdebant) *est columna lucis, quæ repleta est animarum mundarum, et hæc est causa salutis animarum.* Morti præterea obnoxias esse quorumdam animas, certo sibi persuadebant; sed de harum interitus causa quam inepte, quam stolide fabulabantur! Confingebant enim virginem quamdam decoram et exornatam, valdeque elegantem, quæ furto appetiit *principes qui sunt in firmamento a vivente spiritu educti et crucifixi.* Quo sane in delirio affirmando antiquorum Græcorum gentilium opinioni eos adhæsisse sequentia Turbonis verba perspicue patefaciunt. Cum eam anonymam virginem (*c*) (*Venerem* videlicet) masculis tamquam feminam decoram apparere; feminis vero veluti speciosum et concupiscibilem adolescentem se exhibere docebant. A cujus quippe speciei decore et ornatus elegantia firmamenti principes capti, ita libidinum amore in eam exarserunt, ut istis post eam currentibus, illico ex illorum oculis se subripuerit. Sed tunc *princeps* ille magnus producit nebulas ex semetipso ut obscuret in ira sua universum mundum. *Qui cum tribulatus fuerit plurimum, sicut homo sudat post laborem, ita et hic princeps sudat ei ex tribulatione sua.* Hæc autem ad Jovem omnium planetarum principem referre voluisse, ex ethnicorum scriptis licet conjectari. (*d*) Sed ad easdem malas vicissitudines subeundas, messium principem quandoque cogi asseverant. Qui tamen cum se ab illa deceptum virgine experitur, tanta incenditur ira et inflammatur, ut super terram famem effundat, hominesque ipsos morte afficiat. Hinc enim duos mundos, utrumque **88** ab hominibus inhabitatum exstare docebant. Inferiorem hunc visibilem et aspectabilem, ea ratione superiori subjectum, *ut omnes homines qui sunt deorsum* radices sursum habeant colligatas. Quare iterum de eadem virgine fabulabantur, ita disserentes. Cum ergo princeps messium a virgine fuerit deceptus, tunc incipiet excidere radices hominum; et cum excisæ fuerint radices eorum, efficitur pestilentia, et ita moriuntur. Quod si superiores partes radicis va- A lidius concusserit, fit terræmotus, et insequitur omofori concussio. Mortem similiter ab his malis derivari credebant; nullum prorsus corporum inter animorumque ærumnas et interitum discrimen admittentes.

3. Post hæc autem ipse Turbo, qui omnia Manichæorum fabulosa arcanæ philosophiæ principia pandere et exsecrare statuerat, eidem episcopo Archelao Marcello cæterisque, coram quibus se sistere jubebatur, quid de animarum transmigratione cum Epicureorum schola Manichæi docerent palam explicavit. Idcirco ista subjecit. *Dicam autem vobis quomodo et animæ in alia quoque corpora transferuntur. In præsenti autem corpore quod nunc spiritus primo inhabitat, parum aliquid ex anima purgatur. Transfunditur deinde in canem, aut in camelum, aut in alterius animalis corpus. Si vero anima, quæ præsentis corporis ergastulis clauditur homicidium admisit, jam in elephantorum corpora transfunditur,* (*e*) *si messem secuit,* B *in muros.* Quarum vicissitudinum, seu transmigrationum seriem latius explicabant, per omnia rerum genera discurrentes, ita ut, facto gradu a brutis ad plantas, ad olera, ad germina et ad res ipsas inanimes, humanum spiritum in quamlibet infundi et transmutari posse profitebantur. Quæ omnia cum nobiscum reputaremus, nostram admirationem ejusmodi Manichæorum tantopere inter se repugnantia principia excitarunt, ut ne vix quidem arbitrari possemus, cuicumque etiam ignaro, sed sanæ mentis homini falsitatem non suboluisse. Cujusmodi potissimum illa sunt quæ de animæ nominibus et proprietatibus affirmarunt. Cum videlicet sequentia ista *attributa et proprietates* animæ convenire docebant, *Mens, nimirum, sensus prudentia, intellectus* atque *cogitatio.* Quibus quidem omnibus, magis contrarias et alienas esse novimus, vel brutorum naturas, vel vegetabilium proprietates, vel insensibilium rerum substantias, quam lucem a tenebris, cœlum a terra, et astra ab elementis distare intelligamus. Cum igitur has inter C posterioris ordinis res nullam prorsus concordiam nullumve societatis vinculum haberi posse Manichæi ipsi contenderent; quid, quæso, tam inepte et tam stolide effutiendo ratiocinabantur, cogitantium substantias *transfundi in fenum*, aut in *phasellum*, aut in *hordeum*, aut in *spicas*, aut in *olera, ut et ipsi messores desecentur et demetantur?* Simili ratione quoque de comedentibus panem, aut de occidentibus pullum disserebant, dicentes: et qui manducat panem, necesse est et ipse veluti panis manducetur. Quod si occiderit pullum et ipse *pullus erit.* Sed et de animabus eorum qui hic in terris divitiis abundant, eam fuisse conditam legem confingebant, ut exeuntibus e præsenti corporali vita, illæ adhuc in pauperum corpora rejicerentur, coactæ primum ad omnes mendicitatis labores et angustias subeundas, post quas deinde æternis pœnis cruciandæ tradantur. Nec enim ejusmodi solis figmentis in quæstione de animarum transmigrationibus hærebant: sed cum ultro D darent corpus atque materiam omnium aspectabilium sensibiliumque rerum esse principium, idcirco veluti necessarium esse inferebant *ut qui plantaverit Perseam, necesse esse eum transire per multa tempora, usquequo Persea illa quam plantaverit concidat.* Atque similia de domorum ædificationibus, vel de iis qui se abluebant aquis effutiebant. *Qui ædificaverit sibi domum dispergitur per omnia corpora, si quis laverit se in aqua, animam suam vulnerat.* Quod quidem postremum delirium argumento **89** est Manichæos non tantum quascumque

(*a*) Consule quæ diximus cap. 9 præcedenti hujus operis, occasione vindiciarum, nimirum quas pro Archelao conscripsimus, ut Beausobrianas malignas interpretationes atque censuras everteremus.

(*b*) Valesius, tom. II Hist. Ecclesiast., post animadversiones et notas ad Socratis Historiam. Et Zacagnius, in collectanea monumentorum veterum Ecclesiæ Græcæ et Latinæ.

(*c*) Græcorum fabulæ de Ephrodito. Consule quæ in nostra dissertatione habita in pontificia conciliorum Academia conscripsimus, anno 1743, et in Quirinali palatio recitavimus pro canonibus Gangrensibus explicandis.

(*d*) Valesius et Zacagnius, ubi supra.

(*e*) Turbo, in Archelai disputatione, ubi supra.

civiles profanasque aquæ naturalis ablutiones exhorruisse, sed eam quoque quam ad hominum regenerationem Christus Dominus instituerat. Hæc itaque et non alia absimilia nobis patefaciunt Manichaicæ sectæ homines omnem in hac mortali vita ornatum cultumque despexisse atque damnasse. Nimisque propterea sollicitos fuisse et delectatos in paupertate et inopia, sordium squalore et immunditia, quæ omnia sub ficta pietatis et religionis larva extrinsecus sacrilege simulare nitebantur. Quid enim aliud indicat studium illud quo aliorum substantiis enutriri aliorumque sudoribus sustentari quærebant? Quid aliud produnt cupiditates quibus maxime æstuabant, ut qui in hac secta electi dicebantur optimis alerentur cibis, sibi ex aliorum largitate et oblationibus comparatis? Manichæi enim ad latiorem suo quæstui viam aperiendam, atque ut alios excitarent quo suis necessitatibus prospicerent et misericorditer indulgerent, frequentius gehennæ pœnas aliasque graves, (ut puto) arcanas ærumnas iisdem comminabantur, dicentes: *Et qui non præstiterit electis alimenta, pœnis subdit gehennæ, et transformatur in catechumenorum corpora usquequo faciat misericordias multas.* Quare auditores talibus deterriti comminationibus, *si quid optimum est in escis, illud offerebant illis electis.* Electi vero non prius aliorum cibis vescebantur quam superstitiosa isthac uterentur oratione, quam Archelaus episcopus ex Turbonis confessione hisce verbis descripsit: *Et cum voluerint manducare panem, orant primo ista dicentes ad panem : Neque ego te messui, neque mollivi, neque trituravi, nec in clibanum te misi. Alius te fecit et detulit te mihi. Ego innocenter te manduco.* Postquam secreto autem et intra semetipsum, nemine audiente, Manichæus hæc proferebat, ad eum conversus qui ciborum oblationes detulerat, cum isto sequenti responso grates ei rependere simulabat : *Oravi pro te.* Et cum opus facere illicitum prorsus arbitraretur, ille qui aliorum pane et cibis vescebatur, in superstitiosæ suæ sectæ testimonium addebat : *Si quis messuerit demetetur. Ita si quis frumentum in mola miserit, etiam ipse mittetur in mola. Si quis consperserit, conspergetur. Ita si quis panem coxerit, excoquetur.* Hæc ergo, atque ejusmodi alia mala iis imprecabantur, qui misericordiam cum eis agebant, et a quibus cibos seu alimenta accipiebant : quæ immanis agendi ratio et eorum animi improbitatem nimiamque naturæ sævitiem patefaciunt.

4. Jam vero omnia fabulosa figmenta de plurium mundorum essentia, quæ superius leviter attigimus, Turbo ipse coram Archelao luculentius ita explicare pergit. Et iterum dicunt esse alios præter hunc quem videmus mundum, quibus hujus luminaria cum hic occiderint oboriuntur. Et nova quasi deliria excogitantes, universi structuram, terræ aerisque proprietates noscere negligebant, quamvis plus æquo et matheseos et astrologiæ studiis operam dare ostentarent. Terram ab ambulantibus lædi volebant. Aerem similiter ab iis qui manus in altum levabant; quia aer est anima hominum, et animalium, et volatilium, et piscium, et reptantium paradisum esse (qui mundus appellatur) credebant. Cujus arbores sunt omnes concupiscentiæ et cæteræ seductiones corrumpentes cogitationes hominum. In quo dogmate propugnando, forte Joannis verbis ex priori Epistola depromptis abutebantur. Ea videlicet pravis ejusmodi allegoriis explicantes. Peculiarem deinde quamdam arborem in hoc paradiso consitam fuisse, ex qua bonum cognoscitur, jam et ipsi credebant; sed præcedentes secuti allegorias, ibi *Jesum*, et ejus scientiam, quæ est in mundo, designari aiebant, *quam qui acceperit, discernit bonum a malo.* Quare Turbo subjiciebat : Cum mundus Dei non sit, se ex Patre materiæ, eumque omnia in eo contenta exterminari oportet. Sed si anima e mundo exierit, nec verita-

A tem cognoverit, *Dæmonibus tradetur, ut eam doment in gehenna ignis. Et postquam correpta fuerit transfundetur in* **90** *alia corpora, ut dometur, et ita injicitur in illum magnum ignem, usque ad consummationem.*

5. Postquam autem hæc et similia alia ex sui præceptoris doctrina Turbo pari exsecratione narrasset, quale judicium aut opinionem de antiquis prophetis fecerint, vel Manichæi habuerint, explicare aggressus fuit. Nec enim vera umquam vaticinatos fuisse credebant, quos ab impietatis falsitatisque spiritu et a nequissimo tenebrarum principe institutos atque seductos arbitrabantur. Propterea, excæcata (aiebant) eorum mente a mendacii patre, falsa semper prænuntiarunt in exitium eorum qui istorum prophetiis fidem adhibuere. Hinc subdebat : *Et si quis sequitur verba eorum, morietur in sæcula, devinctus intra massam, quoniam non didicit scientiam Paracleti.* Hac de causa enim, ipse *Manes suis electis solis*, qui non sunt amplius quam septem numero, præcepit ut cum de- B sierint manducantes orarent, *et mitterent super caput oleum exorcizatum* (a), *invocatis nominibus plurimis in confirmationem fidei.* Quid autem esset istud exorcizatum oleum quo profano illo superstitiosoque ritu caput inungebant, quænam præterea nomina ab ipsis orantibus invocarentur, Turbo ipse prorsus reticuit, quia illa ignorabat. Nam Manes ipse et principes pseudoapostoli ejus, qui alta sapere se semper jactabant, arcanis quibusdam mysteriis suam impietatem involvere annitebantur, ne denudata tot sacrilegiorum nequissimorum ignominia, diabolicæ religionis turpitudo nosceretur. Ea exscribere tandem horret animus quæ de Moyse, prophetis et sacerdotibus antiquis affirmabant. Cum, videlicet, non alium quam tenebrarum principem hos prophetas fuisse allocutum contenderent; et idcirco nullum prorsus Judæos inter et Christianos atque gentiles discrimen dandum esse, cum unus et idem Deus passionibus concupiscentiisque obnoxius ab iis omnibus coleretur.

Hos ergo Deus ille in suis concupiscentiis seducit, C *quia non est Deus veritatis. Et propter hoc quicumque in illum Deum sperant... cum ipso habent vinculis tradi, quia non speraverunt in Deum veritatis. Ille enim secundum concupiscentias suas locutus est cum eis.* Hæc, inquam, in Deum optimum maximum maledicta referre et exscribere nos pudet, nostraque sancta horret religio. Præsertim cum ex eodem Turbone edoceamur magnum illum et honorabilem Dominum Sabaoth, cujus nomen cœlorum angeli adorant, orbis terrarum creaturæ cum timore venerantur, et inferorum gentes contremiscunt, cujus natura summa bonitas, et virtus omnipotentia est, impeterent ipsi tam audacter et contemnerent, dicentes *naturam habere hominis, et patrem esse concupiscentiæ. Et propterea simpliciores adorant concupiscentiam, deum eam putantes.* Hunc ergo Deum, quem malitiæ et peccati auctorem esse contendunt, cum Judæis, Christianis atque gentilibus eum adorantibus vinculis esse tradendum, ex Scythiano, hujus sectæ seniore D principe, asseverabant. Quæ quidem omnia non nisi a stolidis flagitiosisque hominibus poterant excogitari.

6. Sunt tamen duo adhuc præcipua Manichæorum figmenta, quæ in medium adducere oportet, antequam ad eorum describendam propagationem progrediamur. Alterum ad Adami atque Evæ emolitionem, alterum autem ad hujusce aspectabilis mundi exitium et finem referri debet. Ad primum ergo quod attinet, Manichæi iis Geneseos verbis abutebantur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (b), quibus et hæc alia addebant, *et secundum eam quam videmus formam.* Hic principem suos alloquentem collegas principes inducebant, quasi diceret : *Venite, date mihi de lumine quod accepimus, et faciamus secundum nostram, qua principes sumus,*

(a) Vide quæ scripsimus de hoc exorcizato oleo cap. tertio præcedenti, pag. 52.

(b) Genes. I, 26.

formam, et secundum eam quam videmus, quod est A *primus homo.* Quot ergo qualiave deliria istæc verba contineant, quis porro non intelligit; et illa quidem summo Deo injuriosa, nullum prorsus **91** collegam sibi æqualem admittenti, quique a nullo extra se alio, nec lumen, nec attributum, nec quidquam aliud accipere potest; qui nullam in se externam et visibilem *formam* habet, secundum quam creaturas condiderit; qui tandem Adamum ipsum, non secundum alterius primi hominis formam, sed ad solam sui imaginem et similitudinem ex nihilo creavit? Adhuc itaque naturæ lumine repugnante, plures deos æquales, visibilem corpoream que gestantes formam confingebant, *qui hominem creaverunt, qui Evam quoque similiter fecerunt, dantes ei de concupiscentia sua ad decipiendum Adam.* Nihil turpius profecto, aut hisce maledictis nihil scelestius, quibus primorum parentum conditorem audacius fingunt. An mali et concupiscentiæ auctor is esse poterat, quem cum mundo *nec habere partem*, nec super mala quæ in eo contingunt gaudere posse, ipsi Manichæi affirmabant? B An non deliramenta loquebantur?

Scythianus vero tandem, qui hujus sectæ princeps auctor fuit, suis in scriptis, de hujus aspectabilis mundi fine et exitio verba faciens, hæc habet: *Cum manifestam fecerit ejus imaginem, tunc ipse omophorus extra se terram derelinquit et ita dimittitur magnus ille ignis qui consummat universum* in quem omnes peccatorum animæ æterne cruciabuntur. *Tunc autem* (addebant) *hæc omnia evenient, apparente Jesu in modica navi, cum vitæ matre et duodecim gubernatoribus; secum etiam habentes lucis virginem, et tertium quemdam seniorem, cujus nomen Turbo ipse haudquaquam indicavit. Cum autem magnus ille spiritus vivens, in sua navi existens apparebit, fiet murus ignis illius magni, murus venti, et aeris, atque aquæ interioris. Omnia autem in luna habitabunt usquequo totum mundum ignis absumat. Et post hæc restitutio erit duorum luminarium, et principes habitabunt in inferioribus* (a). C Hisce ergo commentis ea omnia vaticinia quæ de Mundi exitio, de novissimo judicii die, de judicis majestate, sacræ litteræ docent et prædicant, scelestissime corrumpebant, ut, labefactata Christi religione, homines a veritate prorsus recederent, et ad fabulosa et insana addiscenda figmenta converterentur. Quare Turbo fidelem suam confessionem, hujusque doctrinæ diabolicæ exsecrationem, hisce verbis claudit: *Hæc est omnis doctrina, quam tradidit Manes tribus discipulis suis, et jussit eos in tres mundi plagas proficisci* (b).

7. Ut ergo Manichæorum principes auctores, suis in philosophiæ ac theologiæ studiis impie æque ac inepte deliraverint, jam ex Turbonis confessione, ab Archelao Cascharæ episcopo scriptis consignata, aut consignari imperante, sufficientissime arbitror patefactum (c). Sed in horum figmentis impietatibusque recensendis nos plurimum laboris subire oportuit. Cum ejusmodi Archelai disputatio, etiam prout Zacagnii studio typis commissa, multis verborum an- D fractibus, barbaris inusitatisque vocibus, ex Persica, Syriaca ac Mesopotamiæ lingua derivata, referta sit, et tot tamque gravibus mendis scateat, quæ vel a variorum interpretum oscitantia, vel amanuensium indiligentia in eam irrepserunt. Nihil tamen falsi in se continet illa Turbonis exsecratio; nihil habet quod dubiæ sit fidei, nisi quasdam duras et parum scholarum usui phrases accommodatas, Archelao tamen coævas; cum tunc nondum exortæ fuerint hæreses illæ quæ sequentibus sæculis Ecclesiæ in conciliis rejectæ, magis perfectam atque propriam loquendi methodum et ipsis PP. et theologis quoque religiose **92** sequendam præstiterunt. Suffragatur Augustinus, qui in suis Operibus hinc illincque ejusmodi nugas et Manichæorum fabulas refert, quas sanctus ille doctor non tantum ut præcavendas omnibus prodit, verum etiam ut nimium religionis veritati noxias impetit atque subvertit. Quare minime suspicari licet ejusmodi Archelai opus et cætera quæ ad Diodori seu Tryphonis pertinent disputationes haud esse genuina, ut veteres omnes testati sunt; et abundantius ipsi probare reservamus, catalogum eorum descripturi qui de Turbonis confessione sermonem habuerunt.

CAPUT XII.

De emortuali Manetis anno. Variæ de eo opiniones, pro quibus conciliandis nonnulla momenta afferuntur. Beausobrianus scopus in quæstione de qua agimus explicatur.

1. Emortualem Manetis annum vix definire possumus, nisi quibusdam certis conjecturis insistamus. Quarum aliæ ad illud tempus pertinent quo ipse hæreticus primo cum Archelao episcopo, deinde cum Diodoro presbytero, duas illas voluit habere congressiones, in quibus de falsæ suæ sectæ principiis atque dogmatibus disputavit; aliæ vero desumi debent ex iis quæ in secundo hujus operis capite descripsimus, in quo contra Paschasium Quesnellum quæstionem habuimus de tempore quo Manichaica hæresis mundo damnanda innotuit, quando videlicet scelestissimus homo prava sua dogmata in orbem spargere cœpit. Ibi namque magni pontificis Leonis testimonio potissimum insistentes, qui affirmavit Manetem damnandum innotuisse eo tempore quo Probus et Paulinus consulatum agebant, cum octava jam persecutio in Christianos desæviret (d), satis clare patefactum est. Hos autem consulatum gessisse C post Aureliani imperatoris necem, gravissimis adducti momentis ex antiquorum recentiorumque tabulis, chronicis atque catalogis, probavimus, illudque in Christi annum ducentesimum septuagesimum septimum rejiciendum esse determinavimus, iis videlicet scriptoribus suffragantibus, quos ad calcem annotavimus. An vero is annus fuerit emortualis Manetis, nullibi Archelai Acta innuunt. Quinimmo horum scriptor a Beausobre tamquam indiligens postulatur, quod sub uno eodemque Persarum rege totam Manichaicam tragœdiam contigisse affirmare videatur, cum id prorsus impossibile debeat arbitrari. Clarissimus tamen Alexander Zacagnius (e), qui nec cursim nec oscitanter hocce argumentum ad examen revocavit, aliter ratiocinatus est. Is ergo imprimis S. Leonis Magni testimonio superius laudato insistit, Manichaicam hæresim orbi damnandam innotuisse probans quando Probus atque Paulinus consulatum agebant. *Quare* (subjicit idem doctus scriptor Zaca- D gnius) *necessario dici debet Archelai cum Manete disputationem, per quam universo Manetis error innotuit, accidisse intra Julium atque Decembrem anni Christianæ æris* 277. Hinc censuit benigne esse interpretanda Archelai verba, quæ in capitulo 27 disputationis legenda occurrunt, cum videlicet coram judicibus, qui disputationi aderant, volens Manetem perstringere, eum urget non esse Paracletum a Christo promissum; alias diu contra suas divinas promissiones factas, testamento, passione et morte confirmatas, or-

(a) Ita legitur in Valesii edit., sed aliter hunc textum exhibuit Zacagnius p. 72.

(b) De tribus hisce Manetis discipulis, ad pravam hanc sectam propagandam huc atque illuc missis, videsis quæ in 3, 4 et 5 cap. in superioribus conscripsimus.

(c) Quidquid in contrarium profert Beausobre ad elevandam hujus confessionis fidem, in sequentibus eripiemus, cum de genuinis Archelai Actis et disputatione verba faciemus.

(d) Leo magnus, serm. 2 de Pentecost., cap. 5. Petavius, Rationario temporum, et in adnot. ad Epiphanium. Blanchinus, in catalogis ad Anastas. biblioth. Beausobre, lib. I, cap. 11, p. 128.

(e) Alex. Zacagn., in præfat. § 10 et seqq.

phanos sine rectore, duce et magistro, quos apostolos A **93** atque discipulos reliquisset, si Spiritus ille veritatis, qui omnia docere debebat, post trecentos fere *annos* venisset, et quasi Ecclesiæ hæredem se esse confirmasset. Archelaum igitur non ad exaggerandam Manetis stoliditatem (ut vult Zacagnius) in hæc verba erupisse credendum est, sed cum verborum proprietate locutum fuisse arbitramur. Nam quamvis rotundum numerum *trecentos annos* posuerit, tamen modificatione quadam usus est, adhibito et interposito adverbio *fere*, ad innuendum videlicet tertium Ecclesiæ sæculum tum ad exitum vergere et decurrere, cum laudata disputatio habebatur. Sed Archelaus ipse hac in re interprete aut excusatione haud indigebat. Nam in illius argumenti progressione, ut magis magisque Manetem urgeret, provocat ad ea signa quibus universo orbi Spiritus sancti adventum oportuit patefacere; et quamvis, aut amanuensis lapsu, aut interpretis oscitantia, de hoc annorum numero agens, quasi a priori supputandi ratione abscedat, B quando videlicet usurpans illam Christi Domini promissionem, qua testatum est non multo post se missurum esse Paraclitum, qui apostolorum et discipulorum luctum et lacrymas abstergeret, *quibus invenitur post trecentos et eo amplius annos misisse hunc qui ipse sibi testimonium perhibet*. At quis non videt aut errorem irrepsisse, aut Archelaum aliam supputandi rationem fuisse secutum? Non enim ibidem facit mentionem Christianæ æræ, sed annorum dumtaxat qui a Tiberii Cæsaris imperio ad Probum ipsum decurrerant, ea ductus persuasione, ut Manetem magis atque magis ex Christi Domini promissionibus urgeret atque perstringeret. A Tiberii quippe morte ad Probi imperium usque, nonnisi bis centum quadraginta uno minus anni fluxerunt, ut ex tabulis Petavianis (*a*) liquido innotescere potest. Quare minime mihi persuadere possum Archelaum æstu disputationis actum, tam graviter lapsum fuisse, potissimum cum eum Romani imperii res latere haud possent; quia tum jam Romani Orientis partibus et Mesopotamiæ dominabantur, ut omnibus exploratum est. Quod autem Archelaus ibidem, non de Christianæ æræ exordio a Salvatoris Nativitate desumendo, sed ab hujus morte, quæ contigit Tiberio Romanis atque Judæis imperante, disseruerit, illius agendi scopus apprime manifestat. Quid enim toto laudato illo capite probare nitebatur, quam Manetem falso sibi Spiritus sancti nomen assumpsisse, hujus virtutem, potestatem atque dona sacrilege sibi convenire confinxisse? Quare, ut felicius sua disputatione id præstaret, provocat primo ad eas certas Christi Domini promissiones, quibus apud Joannem dixerat se quantocitius ad Patrem regressurum, ut suis discipulis locum pararet, Patremque rogaturum ut daret alium Paracletum, qui in Ecclesia maneat in æternum. Quem Paraclitum deinde vocat *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis, quia apud vos manebit, et erit in vobis* (*b*). Tandem ad dictorum veritatem magis confirmandam, subjecit: *Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos*. Hanc ergo promissionem suis apostolis et discipulis, quos alloquebatur, Christum fecisse, vix in dubium revocari potest. Qui sane et illum Spiritum accepturi erant, non post multos dies, ut essent veri atque sinceri testes in omni terra prædicationis, passionis, mortis atque resurrectionis ejusdem. Sed ejusmodi promissiones Christum fecisse Tiberio imperante pridie quam pateretur, et Paschate cum suis discipulis celebrato, quando, jam peracto ultimo suæ voluntatis testamento, Judæi consilio decreverant horribilem cruentamque necem eidem inferre, quis ignorare potest?

2. Ut ergo implerentur, tantum temporis decurrere non potuit, quantum a Tiberii imperio ad Probum imperatorem decurrisse compertum est. **94** Annos enim bis centum et quadraginta inter utrumque imperium consumptos esse, ex Romanorum consulum et imperatorum tabulis sine ulla hæsitatione intelligimus. Ad quod quidem temporis intervallum, cum Archelaus animadvertisset Manichæum tamquam furem et latronem abjiciendum expellendumque esse demonstrat; cum is non deferret signa et divinarum promissionum exempla, quibus ostenderet se esse *Paraclitum, qui a Jesu præfiguratus est, in quo mendacem ignorans fortasse afferet Jesum, qui enim dixerat se non multo post missurum esse Paraclitum* (ait) *invenitur post trecentos et amplius annos misisse hunc, sicut ipse testimonium perhibet*. Tanta ergo temporis prolatio irritas prorsus divinas reddidisset pollicitationes, ut Archelaus asseverat. Et partes eorum assumens, quos in extremo judicii die Christus Dominus judicaturus veniet, quasi in scenam loquentes adducit, quotquot a Tiberii imperio ad Probum usque ex hac luce migrarunt, et ita Manetem compellans ratiocinatur.

Quid dicent Jesu in die judicii illi qui jam vita excesserunt ex illo tempore usque nunc? Nonne hæc allegabunt, Noli nos cruciare, si opera tua non fecimus; cur enim cum promiseris sub Tiberio Cæsare missurum te esse Paraclitum, qui argueret nos de peccato et justitia, sub Probo demum misisti; orphanos dereliquisti, cum ipse dixeris, non derelinquam vos orphanos, cum ipse dixeris te mox ire missurum Paraclitum (*c*). Disputationis ergo hujus tempus ab Archelao definitum fuisse, quis ibit inficias? Si enim tum Probum habenas imperii tenere asseverat, jam præsentem cum Manichæo congressionem ad Christi annum 277 rejiciendam esse evidentissime significavit, si Petavii supputationibus fidem adhibeamus; vel in annum 282, si clarissimi Pagii testimonio et rationibus insistamus.

C 3. Jam vero apprime intellige omnia quæ hactenus scripta sunt minime ab errore et oscitantia Archelaum purgare, quamvis perspicue indicaverit suas cum Manete disputationes contigisse quando jam Probus Romano imperio dominabatur. Porro annis sex Probus regnavit, cum sceptrum accepisset anno superius laudato 277, in eoque permansisset ad annum 282, et in hunc Pagius (*d*) laudatas disputationes et Manichaicam necem rejiciat, quam tamen Beausobre anteverit, arbitratus potius contigisse illius imperii anno primo. Quam controversiam nunc definire præsentis otii haud esse potest. Cæterum nobis persuasum est verba illa quæ in Archelai Actis offendimus, videlicet, *post trecentos et eo amplius annos misisse hunc*, errore interpretis, vel amanuensis supinitate in illam Archelai disputationem irrepsisse, cum potius legendum sit: *post ducentos et eo amplius annos*. Etenim Tiberius vita functus est, anno 37, atque ab hujus obitu ad Probi imperium, anni ducenti triginta novem intercesserunt. Verumtamen de hac re satis D disputasse arbitramur. Potissimum cum nostræ huic conjecturæ robur adjiciant illa alia præcedentia Archelai verba, quibus perspicue indicavit nondum trecentos integros annos decurrisse. Itaque vel dicendum foret Archelaum in eodem disputationis capite non satis sibi constitisse, quod probabilitate caret; vel anachronismi errorem in interpretem aut in amanuenses fore rejiciendum. Jam vero ad alia nos gradum facere oportet, ut cætera persequamur quæ ad Manetis internecionem pertinere judicamus.

4. Et primo quidem Persarum regum series atque catalogus consulenda sunt, ut videlicet intelligamus an ea omnia quæ de Manichaica tragœdia in superioribus scripsimus, sub uno eodemque rege contigerint; quemadmodum indicasse Archelaum, vel aucto-

(*a*) Archelai Acta, num. 23 pag. 46. Rationario temporum Dionysius Pet., tom. III, pag. 181 et 185.
(*b*) Joann. XVI.
(*c*) Act. I, 8.
(*d*) Pagius, sæcul. III, Critica Historico-Chronologia, pag. 300.

rem disputationis quæ sub Archelai nomine circumfertur, Beausobre affirmavit, eum veluti indiligentem censorio stylo condemnando. Quod igitur ad catalogos regum Persarum **95** mediæ ætatis spectat, certum est quod, Parthorum regum stirpe exstincta, eorumque imperio abolito, Christi anno 226, tum Persis dominari cœpisse Artaxarem, seu, ut notat Petavius, Artaxerum, (*a*) qui cum quindecim annis regni habenas tenuisset, eum excepit Sapores hujus nominis primus, qui diuturniori principatu fruens, *ingentibus jacturis etiam Romanos affecit*, ut Agathias affirmavit. Hisce dictis non refragatur Beausobre, qui, cl. Pagii criticen secutus, Saporis regnum protrahit ad annum 271 usque, vel ad initium subsequentis anni 272 (*b*). At Beausobre laudatus, novo de Manichaica historia systemate excogitato, non tantum Edessenorum Chronico adhærens, sibi persuadet ejus natalem diem in annum 240 contigisse; sed ex silentio Orientalium scriptorum, servili conditioni Manem alligatum fuisse negat, arbitratus originem duxisse ex magorum stirpe, patremque hominem magum habuisse, qui quondam episcopatum assecutus est, et Manes appellabatur. Brevi, tempora multa consummasse Manem filium comminiscitur scribendo; hunc in Græcorum lectione versatum, mathesi musicæque, astronomiæ, geographiæ, astrologiæ, medicinæ, picturæ, operam dedisse, et in pingendi arte maxime excelluisse, quemadmodum et in sacrarum Scripturarum intelligentia vel interpretatione. In hæresim deinde lapsum esse Manem asseverat. Qui propterea excommunicatione ab Ecclesia excisus, laudati Saporis Persarum regis favorem benevolentiamque assecutus est, et inter aulicos commoratus, jubetur regem comitari cum is adversus Romanos prælia instruebat; ea persuasione ratus, quod sibi et suis militibus mederi posset.

5. Quo autem anno ad medici præstantissimum munus exercendum a Sapore fuerit assumptus, non retulit. At conjici potest ex eo tempore quo Sapores, exercituum copias ducens, vim clademque Romanis inferebat. Id potissimum contigisse Valeriani imperatoris tempore, rerum Romanorum memoriæ produnt. Valerianus quippe, dolo Macriani ducis, innocentis Christianorum sanguinis effusi atroces pœnas Deo vindice persoluturus, a Persarum rege Sapore captus, et in Persidem adductus; longo tempore ludibrio habitus, tandem jussu regis excoriatus, scelerum suorum luit pœnas. (*c*) At cum ejusmodi prælia contigissent post annum 254, et Valerianus pœnis exhaustus hominem exuerit septimo imperii ipsius anno, haud video qua ratione, qua scientiarum cognitione, qua denique medicæ artis peritia, Manes potuerit tum esse instructus; ut propter omnium ferme scientiarum cultum Saporis cordi gratus valde fuerit, ut etiam tamquam medicus optimus et nobilissimus adhiberetur. Id autem fieri potuisse nemo, nisi bardus et plumbeus, sibi poterit persuadere. Nam, Beausobre auctore, natalis Manetis in annum 241 rejiciendus est. (*d*) Sapores vero clades in Romanos inferre cœpit anno 245, juxta Baronium; Valeriani servitus et proditio contigit circa annum 256; hujus interitus in annum 260. Cum igitur Valerianus improbitatum solvit pœnas, Manes vix decimum nonum ætatis suæ annum attingebat, et quando Sapores contra Romanos copias suas et exercitum ducebat, adhuc infans et tenellus esse poterat; cum prædicta Valeriani proditio et servitus ad decimum quintum aut sextum decimum ejus ætatis annum referenda sit; quæ supputandi ratio apprime probat non potuisse

A tum Manem optimi et nobilissimi medici artem apud Saporem exercere. Non minus fabulosa videntur quæ narrat idem Beausobre **96** de Manetis ordine vel sacerdotio, de omnium sacrarum Scripturarum intelligentia et interpretatione, ob quas in hæresim lapsus, et catholica communione privatus, se in Saporis aulam recipere potuerit, ea benevolentiæ præsidia sibi comparando quæ idem auctor in superioribus recensuit. Æque fabulosa censeri debent quæ de hujus ministeriis et parochiali munere, quæque de habitis contra Judæos et magos atque gentiles pro catholica religione disputationibus, antequam ab Ecclesia excideret, quæ noster criticus ibidem sine auctore fide digno comminiscitur (*e*). Quid enim? Cum Sapores hujus nominis primus Persarum rex diem clausit, Manes vix decimum nonum aut vigesimum suæ ætatis annum attingebat, ut jam vidimus. Igitur quomodo jam contra SS. canonum regulas hunc sacerdotio initiatum fuisse arbitrabimur, deinde ob hæresim communione privatus, et ab Ecclesia expulsus B fuerit, antequam Sapores obiret; scilicet quando rex iste, fortuna duce, et copiarum multitudine, exercitus ducebat, ut clades Romanis inferret? Nemo sanæ mentis, qui somniis fidem non adhibeat, id sibi poterit persuadere. Immo aliquot annos percurrisse inter lapsum Manetis in hæresim et Saporis mortem idem Beausobre supponit. Idcirco adhuc etiam præproperam illius ordinationem fuisse eum affirmare oportebat. At diligens artis critices scriptor, qualem se esse Beausobre jactat, ad hanc rerum repugnantiam minime animadvertit, eo dumtaxat studio ratus, ut veterum Græcorum Latinorumque PP. testimonia infirmet et dejiciat. Propterea novitatibus *potius indulgens*, multa paradoxa et fabulas *in suum transtulit* opus, Persarum Assyriorumque scriptorum testimonia laudando, qui longe a Manetis ævo floruerunt.

6. Regum Persarum deinde characteres animique dotes, studium, et agendi rationem, ad quamdam eruditionis copiam ostendendam, describit. Et quaC dam usus digressione, antiquam illius gentis religionem commemorat, hancque diu obsoletam Saporis Persarum regis studio florescentem factam fuisse asseverat. Hujus præterea regis prudentia, fortitudine atque justitia laudata, gradum facit ad explicandam etymologiam illius vocis *magorum*. Quo vocabulo Persidis presbyteri atque philosophi se vocitare consueverunt. Multa quoque subdit de Zoroastris philosophia, studiis, theologia, religione atque cultu. Tantasque tandem nugas, ineptias, jocularesque interpretationes attexuit, quas referre summopere virum cordatum et religiosum de Christianis rebus agentem dedecere arbitramur, et idcirco hæc et ejusmodi alia silentio prætermittere duximus necessarium.

7. Itaque potius nobis inquirendum supererit sub quo Persarum rege Manes debitas improbitatum pœnas luere coactus fuerit. Quo in otio non multum operis nos oporteret impendere, si pariter adversarium parumque in dictis sibi constantem Beausobre D non haberemus. In mentem ergo primo revocamus quæ paulo ante de mortis regis Saporis anno descripsimus. Quem cum Hormisdas filius excepisset (*f*), ut Persarum annales probant, et Beausobre etiam ultro concedit, duos dumtaxat in imperio annos insumpsisse exploratum est. Is autem Varanem hujus nominis primum habuit successorem, qui vix tertio regiminis anno absoluto ex hac luce migravit, relicto Varane II, illius regni successore et hærede. A quo autem Christi anno repetendum sit exordium regni

(*a*) Petavius Rationario temporum, tom. III, pag. 146. Agathias, lib. IV.

(*b*) Pagius ad annos Christi 271 et 272. Scribit : *Obiit hoc anno Sapores Persarum rex, qui regnavit unum et triginta integros annos, et ingentibus jacturis Romanos affecit*. Agathias, lib. IV : *Eo mortuo, Hormisdas ejus filius regnum suscepit atque post unum annum et decimum mensem emortuus est.*

(*c*) Orosius et Trebellius Valeriani necem describunt in Gallieni Vita.

(*d*) Beausobre, lib. II, cap. 1, pag. 161.

(*e*) Beausobre, lib. II Hist. Manich., cap. 4.

(*f*) Pet., Ration. temp. part. III describens success. Persar. reg. mediæ ætatis, pag. mihi 146 Venetæ editionis.

Varanis II (*a*), non conveniunt inter se Petavius, A Pagius, aliique cum Beausobre. Illi autem contendunt ab anno 276 desumendum esse. Contra vero Beausobre diversis insistens conjecturis, in sequentem 277 esse rejiciendum fabulatur. Propterea 97 Manetis supplicium, non sub Varane II, sed sub ejus prædecessore Varane I contigisse sibi adulatur. Sed ad hujus scribendi ratiocinandique scopum, opus est attendamus. Tamquam certum ergo primo cum Pagio supponit Saporem ab anno bis centum et uno supra quadraginta Persarum regni habenas assumpsisse, easdemque ad annum bis centum septuaginta duos tenuisse. Hormisdæ vero hujus filio et regni successori, non duos integros, sed annum unum et dies decem, vel menses decem, imperii adjudicavit. Credidit que sub hoc rege Manetem, primo a Sapore e Perside exsulatum abire coactum, in Persidem iterum se recepisse, novoque regi quemdam *Revelationum* librum, variis perfectissimisque picturis adornatum, exhibuisse. Librum porro hunc non diversum fuisse ab Evangelio Manichæi, in quo falsa Jesu Christi historia continebatur, ex quodam Photii testimonio sibi Beausobre persuadet. Qui prætcrea dolendum esse fatetur quod hujus operis exemplaria, temporum invidia hominumque odio, prorsus perierint, cum in se comprehensum haberent fetum sapientioris hominis, qui ea ætate in Orientalium philosophiæ studiis impenderit. Postremo intolerabilem abusum eam prælatorum et sæcularium principum religiosam œconomiam appellat, qua ejusmodi perniciosos libros, ad populorum fidem, pietatem et mores depravandos aptos et ordinatos, flammis disperdi et concremari jussum fuerit; cujus quippe operis an aliquæ saltem reliquiæ sive fragmenta apud veteres scriptores Orientales, Arabes et Persas supersint, se ignorare fassus est. At veterem, adhuc hodie servatam, Ecclesiæ praxim Beausobre hic et multis aliis in locis impetere et calumniari voluisse, quis non videt? Nos ejusmodi dicteria falsasque calumnias refellere reservamus cum de M. Leonis aliorumque PP. decretis contra Manichaicos libros editis sermonem erimus habituri. Neque deinde nobis opus est in iis immorari quæ ibidem subjecit, cum de Persarum ritibus et cæremoniis ad quemdam cincturæ usum pertinentibus verba facit. Quem inter Zoroastris moralia præcepta annumerari, ex Hyda auctore, asseverat. Quare inde concludit, Persas eamdem prorsus virtutem *cincturæ* tribuere, quam Romani catholici *signo crucis et aquæ* benedictæ inesse confingunt, videlicet pro expellendis dæmoniis et liberandis ab eorumdem violentia hominibus. Concludit igitur utrumque illum ritum, Persarum videlicet, Mahumedanorum et Christianorum omnimodam redolere superstitionem. Quemadmodum tandem Hormisdas Persarum rex laudatum Manetis Evangelium gratiose excepisset, et se Manichæum fecisset, animadvertit. Cujus regis exemplum cum plures brevi secuti essent, nomen auctoritatemque apud Persas facile sibi vindicavit.

8. Verum, subdit, regis protectio haud multum Maneti prodesse potuit, ut tutius atque securius viveret. Christiani enim et magi eum suis religionibus adversari intelligentes, statim infensi eidem facti sunt, quorum furorem ut evaderet, Hormisdas rex præsidium simul et munimen in quodam inexpugnabili castro eidem suppeditavit, ut illic, videlicet, eam necem præcaveret, quam dubio procul tot tantorumque inimicorum furor et impetus ipsi attulissent. Hormisdas tandem extremam diem clausit, consumptis vix in imperio duobus annis, ut fert communis scriptorum opinio, quibus nec Beausobre repugnare ausus est. Qui hujus mortem referunt ad annum 273 aut 274, affirmantes successorem habuisse Varanem I, ejus filium. Is Patris exempla secutus, Maneti munimen atque præsidium in exordiis sui regni exhibebat. Sed deinde, ethnicorum magorum Judæorumque in eum persecutione recrudescente, et in quadam disputatione 98 publica ab iis superatus, tandem veluti hæreseon auctor necatus est.

Quale autem supplicii genus regis decreto subierit, certo ibi Beausobre non definit. Tamquam Saducæum, dumtaxat, capitali pœna fuisse occisum asseverat, variorum opinionibus laudatis, Hydæ videlicet, qui eum cruci affixum fuisse ad urbis portam affirmat, vel abbatis Renaudot asserentis *pellem eidem vivo detractam, fenoque repletam suspensam esse ad aliorum terrorem*.

Cui testimonio, subdit librum cujusdam incerti auctoris, Persarum historiam describentis, vel Abulpharagii qui dicit pellem Manetis post mortem detractam fuisse (*c*). Quod verisimilius indicavit Valeriani B naturali morte pereuntis exemplo ductus, cui Sapores pellem detrahi jussit, ut eam videlicet Romanis objiceret ad arrogantiam superbæ hujus nationis comprimendam. His opinionibus et tertiam subjecit, qua asseveratum est Manem occisum fuisse suspensum in duasque partes divisum, partem quidem ad unam, partem vero ad alteram urbis portam. Quare factum est ut loca ista appellarentur *Manes superior* atque *Manes inferior*. At sub Varane I hæc omnia contingere potuisse, quis sibi persuasum habebit?

Hunc enim, spectatis testimoniis accuratissimorum scriptorum, jam vivere desiisse anno 276 exploratum est. Itaque Aurelio Probo Augusto et Aruntio Paulino cons. illius hæresis damnanda innotescere haud potuit, neque cum Archelao episcopo et Dioride presbytero, vel, ut mavult Beausobre, cum magis, ethnicis, Judæis, potuit disputare, cum jam non esset in vivis ob necem quam præcedenti anno regis C decreto eum oportuit subire. Nos ergo ad ejusmodi ambages et scopulos præcavendos, Patrumque Græcorum et Latinorum testimoniis insistentes, ad annum 277, quo tempore Varanes II Persis dominabatur, ipsius Manetis necem protrahimus. Vix ac ne vix quidem Beausobrianis dictis subscribendum esse censentes, qui non alium sibi scopum præfixit quam vanum inutilemque dubiæ, jocularis et indigestæ eruditionis apparatum congerere; ut videlicet suis illiciis incautos deciperet lectores; fabulosis quibusdam traditionibus, ex ignotis impurisque fontibus derivatis, sinceram constantemque Ecclesiæ catholicæ traditionem ad exitium perducendo, ut disertius in subsequenti capite probare aggredimur.

99 CAPUT XIII.

An Archelai Acta cum subjectis disputationibus contra Manetem habitis, prout circumferuntur, vera et genuina sint. Beausobre opinio ad examen perducitur, D *illiusque argumenta tamquam infirma refelluntur.*

1. Mihi maxime deesse viderer, si, fusiori calamo explicatis iis omnibus quæ ad Manetis originem, hæresim, errores, facinora, atque supplicium pertinent, animum serius in eam disputationem et Acta non converterem quæ sub Archelai, Cascharæ episcopi, nomine circumferuntur. Integrum enim atque perfectum fuit hocce opus publicis typis Romanis sacræ congregationis Propagandæ Fidei commendatum, Christi anno 1698, illudque maximis studiis et labore erudite ornavit clarissimus et præstantissimus vir Laurentius Alexander Zacagnius Vaticanæ bibliothe-

(*a*) Vide cap. 3 libri seq., in quo Rom. pont. agendi ratio ad disperdendas Manichæorum scripturas a notis criticis Beausobrianis vindicatur.

(*b*) Beausobre, lib. II, cap. 4, pag. 201, contendit hanc Manetis confictam disputationem veteribus catholicis scriptoribus Patribusque occasionem dedisse Archelai fabulosa Acta conscribendi. Nos tamen hujus argumenta sequenti capite refellere reservamus.

(*c*) Abulpharagius Dynast. Beausobre, lib. II, cap. 4, pag. 206.

cæ præfectus in sua veterum monumentorum collectione Ecclesiæ Græcæ et Latinæ. Hocce autem opus omnium eruditorum suffragio exceptum fuisse, quoadusque in lucem prodiit Beausobriana de Manichæis Historia, nemo est qui ignoret. At cum ab anno 1740 idem Beausobre suum opus Amstelodami typis commiserit, jam tum de veritate Historiæ Archelai et laudatorum Actorum authenticitate, ab eruditis etiam catholicis dubitatum est; qui ex una parte ad veterum traditiones secum recogitantes, ex altera vero adversa parte argumenta quibus horum fidem et auctoritatem Beausobre elevare et evertere contendit perpendentes, jam facile in eam persuasionem adduci potuerunt, vel prorsus ejusmodi Historiam esse fabulosam; aut multa saltem in se continere quæ rerum veritati illorumque temporum rationi, civilium rerum moderationi et Ecclesiæ rebus repugnant. Quæ quidem omnia cum eripere aut saltem conciliare statuissem, primo occurrit Eusebii Cæsariensis aliorumque illius ævi scriptorum silentium, cui potissimum Beausobre insistit, ex quo negativo argumento contendit Archelai Acta, et subjectas duas disputationes, commentum et fabulas continere. Verum nullius eruditi viri animum hocce Eusebii, aliorumque illius ævi scriptorum silentium movere posse aut debere arbitror. Quid enim? Manichæi res, disputatio, exsiliumque contigerunt tertio Ecclesiæ sæculo labente, Persica Syriacaque lingua Archelai Acta et duæ subjectæ disputationes scriptæ fuerunt. Non mirum igitur, si ad Eusebii manus ejusmodi monumenta non pervenerunt, qui post primum celebratum Nicænum concilium Ecclesiasticam conscripsit Historiam, illique Manichaica dumtaxat innotuit hæresis, quam in suo Chronico ad annum 277 descripsit. Si hocce scriptorum illius ævi silentium Beausobriano scopo prodesse posset, in medium adducere eum oportebat Syros et Persas scriptores qui, illius gentis Ecclesiæ statum Manichaicasque res describentes, hanc Archelai Historiam disputationesque negarent, aut silentio prorsus occulerent. Sed ubi sunt? Pauci ea ætate scriptores floruerunt qui id præstare possent. Nam si Græcos consulamus, quos Syrorum et Persarum res latuerunt, dumtaxat occurrit Anatolius Laodicænus, qui sub Probo floruit, vel Pierius presbyter Alexandrinus sub Caro et Diocletiano, aut Methodius, qui sub eodem Diocletiano martyrio fuit cæsus, quippe contra Porphyrium et Origenem scripsit, Arnobius rhetor, et ejus discipulus Lactantius. Hos autem omnes ob summam locorum distantiam, nullumque eos inter Persas et Syros commercium, Manichaicas res latere **100** debuisse, quis non intelligit? Mirum ergo esse haud debet si illius ætatis scriptores desideramus qui Archelai Acta et disputationes recensuerint. At non longe post Nicænum primum concilium Manichaicas res ad Græcorum notitiam pervenisse exploratissimum est. Quarto enim sæculo currente, hoc est anno 348, Cyrillus Hierosolymitanus episcopus, catechesi sexta, occasionem non tantum arripuit, Scythiani, Terebinthi et Manetis hæresim insectandi; horum erroribus patefactis, sed etiam Archelai episcopi Mesopotamiæ meminit, qui Maneti e carcere fugienti occurrit, *et Græcorum auditorium constituens, etiam philosophis judicibus eum redarguit; ne si Christiani judicarent ad gratiam aliquid judicasse viderentur.* Verbis porro hisce, Archelai cum Manete disputationes et Acta indicata esse, quis ibit inficias? At dicat, amabo, Beausobre ex quibus fontibus Cyrillus hæc haurire potuit, nisi ex satis vulgata traditione Macarii forte et Maximi, illius Ecclesiæ episcoporum, quæ traditio jam fidem auctoritatemque obtinuerat; vel ex aliqua Persica, aut

A Syriaca scriptura, quam præ manibus habebat. Somniasse autem, vel studiose comminisci voluisse Cyrillum in eorum institutione qui sacro lavacro illuminandi erant, minime censendum est. Alias PP. omnes qui sua ætate et post eum floruerunt ipsum de errore notassent, et scriptis exagitassent, commentitiam prorsus esse Archelai cum Manete disputationem scribentes. Unum interea non est prætermittendum, quod plurimum valere potest ad alia et alia Beausobriana argumenta refellenda. Cyrillus videlicet Archelaum Mesopotamiæ episcopum appellavit. Nullibi autem cujusnam urbis episcopus fuisset indicavit. Quam tamen œconomiam seu cautionem minime secutus est Epiphanius, qui hæresi 66 Archelaum Caschăræ episcopum appellavit (a), et in reliquis ipsi Cyrillo subscripsit, ampliorem tamen de Manichaicis hisce rebus relationem contexendo. Contendit deinde Beausobre hujus operis autographum numquam Syriaca lingua fuisse conscriptum, illud-
B que primo ex Græcorum fraude in lucem prodiisse. Propterea colligit nihil aliud nisi purum commentum redolere. Laurentium Zacagni pariter vellicat quod scripserit Epiphanium Græca consuluisse exemplaria. At injuria quidem cl. virum carpit. Is enim Hieronymi non tantum testimonio id probat, verum etiam gravissimas affert conjecturas, quas inter illam, videlicet, quod Archelaus de solaris cursus spatio agens, *sphæram* illud a Græcis vocari ait capite 32. Itaque autographum illud in Græcorum lingua primo prodire haud potuit; sed ab aliquo interprete, qui eorumdem Actorum versionem e Syriaco in Græcum eloquium elucubravit, ut in notiorem linguam transfusa, cuncti per orbem fideles plenissimam eorumdem notitiam habere possent. Sed Græcam ipsam versionem, de qua agimus, Epiphanio esse antiquiorem constat, qui insignia eorumdem excerpta Græce refert in Manichæorum hæresi. Nec dici potest (subdit idem Laurentius Alexander (b) Zacagni) ea ex Syriaco exemplari, Epiphanium ipsum Græce fecis-
C se, cum omnia, quæ ab eodem ex Actis disputationis Archelai cum Manete afferuntur in Latina quam edimus versione totidem verbis reperiantur. Neque aliquid conficit quod inter Latinos scriptores primus qui hujusmodi Acta recensuit fuit S. Hieronymus (c), qui circa Christi annum 392 floruit. Cum potius eorumdem Actorum mentionem facere debuisset Philastrius Brixiensis episcopus, qui jam pridem, anno videlicet 370, ut notat Beausobre (d), sed accuratius Caveus (e), anno 380, hæreseon catalogum conscripsit. At quale judicium eruditi fecerint de Philastrii studio et scriptis, ex eodem Beausobre et Guilielmo Cave conjicere licebit. Græcorum enim scriptorum fere omnia **101** monumenta Philastrium latuisse, opus illud ab eo concinnatum manifeste judicium minus accuratum prodit.

2. Beausobre ipse Philastrium inscitiæ oscitantiæque non semel insimulat, ut apprime noverunt qui ejus Manichæorum Historiam lustrarunt. Si ergo ipse
D nullam fidem Philastrio esse adhibendam censuit, et hac de causa eum exagitat, cur deinde ipsius silentium sibi favere posse arbitratur? vana conjectura et ratiocinatio, apage. De interprete deinde, cum Beausobre, tum Zacagnius verba faciunt, sed eidem opinioni animum minime accommodant. Zacagnius namque ad concilianda S. Hieronymi, Epiphanii et Heracliani Chalcedonensis testimonia, provocat ad Photii auctoritatem, qui cod. 87 ejusdem Heracliani quædam excerpta referens, hæc verba subjicit, quæ cap. 39 horum Actorum legimus, quæque confirmare videntur eadem acta ab Hegemonio fuisse scripto consignata (a). Igitur verisimile Zacagnius arbitratur

(a) Lib. I, cap. 12, pag. 130, in notis, num. 4.
(b) Hieronymus. de Scriptoribus Eccles., cap. 72.
(c) Zacagni, in præf., num. 4, pag. 4.
(d) Videsis serm. prologomen. Isaaci Beausobre ad II part. Manich. Hist.

(e) Guilielmus Cave, sæculo Arian., pag. 172.
(f) *Quoniam vero placuit Marcello disputationem hanc excipere, atque describere, non potui contradicere, confisus de benignitate legentium, quod veniam dabunt, si quid imperitum aut rusticum sonabit oratio. Hoc enim*

Archelaum ipsum nonnulla priori disputationi suæ A postmodum addidisse, et in eam sententiam lubens venit, ut Epiphanium atque Hieronymum cum Heracliano conciliari posse crederet, si dicamus Archelaum Syriaca primum lingua cuncta quæ coram delectis judicibus adversus Manetem protulerat divulgasse; Hegemonium vero quæ ab Archelao jam edita fuerant meliori non solum ordine digessisse, verum etiam exordio, epilogo aliisque nonnullis locupletasse, ut omnibus numeris absoluta celeberrimæ hujus disputationis Acta ad posteros transmitterentur.

3. Has Zacagnii rationes atque conjecturas satis speciosas Beausobre judicabit, quas tamen probari non posse contendit, cum formulæ ab Archelao adhibitæ ad Christi personam et incarnationis mysterium explicandum innuant eas originem habuisse ab homine qui floruit et scripsit post Nicænum concilium, videlicet circa annum 330. At Beausobre minus sibi in suo conscribendo opere constare jam exploratum est ex iis quæ contra Archelaum cap. 9 superius objecit. B Contendebat enim disputationem de qua agimus prorsus esse refertam loquendi phrasibus quæ Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum hæresibus apertissime favent. Unde ne negotium nobis facesseret cap. 9 hujus operis Archelaum ipsum ab hujusmodi malignis notis purgare nisi fuimus (a). Male tandem imperitus censor concludit quod cum nemo ex antiquis auctoribus Syris ei occurrerit, qui mentionem fecerit aut Archelai, aut ejus disputationis, se coactum fuisse profiteri atque concludere, aut ejusmodi Historiam suppositam, aut excogitatam fuisse ab eodem Hegemonio, aut eam accepisse ab aliquo viro ex Mesopotamia orto, et a Turbone forte, qui Manichæum viderat, hujusque sectæ nomen dederat, quamque aliis deinde quamplurimis circumstantiis a se ipso excogitatis reddidit adornatam. Hocce judicium hausisse concludit a quodam viro docto recentiori, qui credidit præfatum opus Archelao minime fore adjudicandum. Sed Hegemonium ea addidisse, vel detraxisse, quæ opportunius judicavit. A qua C opinione se non posse abscedere fatetur, quoad usque clariora argumenta sibi non fuerint exhibita aut suppeditata. An tute vero Beausobre communiori persuasioni defuerit, quando præter laudatorum scriptorum testimonia, alia sequentium sæculorum accedunt? Quando Photius, Petrus Siculus, cæterique emunctioris **102** critices homines, laudata Archelai Acta et disputationes probarunt, multis verbis non erit opus patefacere; cum satius de similibus negativis argumentis in præcedentibus sermonem habuerimus, et Beausobre ipse, pro suo marte dumtaxat comminiscendo, quæstiones proponat atque resolvat. Cujus generis quidem est altera quam instituit, an Cascharæ disputatio vere exstiterit, vel commentitia sit dicenda. *Cascharæ disputationem* dixisse fatetur, eum certo affirmare non posse, vel inficiari, Manetem quandoque cum aliquo orthodoxo episcopo de suis erroribus disputasse, vel congressiones habuisse. Lectores hac de re certiores reddere non posse ait; cum antiquorum scriptorum varia exempla supersint, illorum, D videlicet, qui suppositias quasdam disputationes non tantum hæreticos inter atque orthodoxos episcopos excogitarunt, sed cum apostolis et hæreticis fuisse habitas commenti sunt. Exemplum affert librorum Recognitionum, qui sub Clementis nomine circumferuntur, in quibus temere esse ait historiam S. Petri contra Simonem Magum disputantis. Credit (sit) Guilielmus Cave fabulosam hanc narrationem a Bardesane, Græci eloquii peritissimo, ex Syria aut Mesopotamia adductam fuisse. At quis ex eruditis Historiam Litterariam Guilielmi Cavei suis oculis non lustravit? Is sane ejusmodi historiam fabulosam narrationem continere non affirmavit. (b) Opus antiquissimum esse ab Origene quoque laudatum, sincere fassus est. Non illud Clementi adjudicavit: inter hujus supposititia Opera recensuit; sed non eo sensu, ut quæ in iis continentur fabulas redolerent, sed quia quod aliis forte auctoribus erat adjudicandum, Clementis nomen præseferat. Male ergo ad hujusmodi exempla et Cavei testimonia provocavit Beausobre (c), ut Archelai acta et disputationes prorsus commentitia esse ostenderet. Nec Beausobre satius duxit similibus nugis horum Actorum fidem sensim elevare. Sed graviora evidentioraque falsitatis argumenta sibi mutuari posse intendit, ex loco ipso in quo habitam esse disputationem describitur. Primo in una Mesopotamiæ urbe publice a Manete et Archelao fuisse disputatum dicitur. Secundo eam urbem in Romanorum potestatem fuisse redactam; tertio urbem illam Caschara aut Carchara fuisse appellatam. Igitur comœdiæ disputationis Archelai hos tres characteres convenire, laudata Acta produnt. Si itaque nullam inveniamus urbem cui talia conveniant, necessario fatendum est prorsus fabulosam esse disputationem, quoniam auctor scenam habitam esse in loco confinxit, qui haudquaquam reperitur. Urbem hanc Mesopotamiæ diligentius Zacagnium inquisivisse animadvertit. Qui demum sibi persuasit laudatas tres notas aut characteres celeberrimæ urbi Carræ convenire posse, quæ celebrior deinde facta est, ob Crassi cladem, ut Ammianus Marcellinus notavit. Hanc vero urbem Romanorum fuisse coloniam, varia numismata patefaciunt, ut videre est apud Spanheim, Cellarium aliosque. Zacagnio autem ita ratiocinanti fundamenta suppeditavit quorumdam scriptorum Latina versio, quæ habet nomen *Charræ*. Deinde in veterum historiis nullam Mesopotamiæ urbem invenit Romanis subjectam, Cascharam aut Carcar appellatam. Sed similia nomina potius attributa fuisse urbi in Arabia Felice sitæ, ut videre est apud Anonymum Ravennatem, Geographiæ scriptorem, vel apud Ammianum (d) Marcellinum, qui alterius Carchæ meminit. Verum, subjicit Zacagnius, neutrius harum urbium Archelaus episcopus exstitit. Nam ejus cum Manete disputatio habita est in Mesopotamiæ urbe, sub Romanorum ditione posita, cujus episcopatum **103** obtinebat Archelaus, ut diserte dicitur apud Epiphanium, et in Actis disputationis. Charcha vero a Marcellino memorata extra Mesopotamiam trans Tigrim in Persarum ditione sita erat. Charchæ quoque Arabiæ urbs, cujus apud anonymum Ravennatem mentio est, Archelaus nullo pacto episcopus esse potuit, cum antiqui omnes scriptores eum non Arabiæ, sed Mesopotamiæ episcopum fuisse tradant.

4. Hanc Zacagnii (e) opinionem jam pridem ab Assemano, (f) viro doctissimo Vaticanæ bibliothecæ præfecto primario, rejectam et refutatam fuisse (ait Beausobre), subjiciens Assemani hæc verba : *Librariorum potius errore in unico illo Actorum loco Carrhæ scriptum dicendum est, quam Caschar vel Carcar initio Actorum, et apud clarissimos scriptores Epiphanem, Socratem, Photium, qui certe Carrhas, seu Haram, celeberrimam Mesopotamiæ urbem, Carcarum seu Cas-*

tantum est quod studemus, ut vel gestæ cognitio studiosum quemque non lateat. Et clarius in eodem cap. ultimo: *Quibus postea cognitis, Archelaus adjecit ea priori disputationi, ut omnibus innotesceret, sicut ego, qui inscripsi, in prioribus exposui.* Zacagnius, ut supra.

(a) Consule quæ scripsimus cap. 9 et 10 hujus libri ad purgandum Archelaum ab omni hæreseon nota.

(b) Guilielmus Cave, Hist. Lit., sæculo apost., pag. 18: *Hos decem libros e Græco in Latinum sermonem transtulit Rufinus presbyter Aquileiensis, nec quisquam fabulam olere affirmavit.*

(c) Beausobre, lib. I, cap. 12.

(d) Ammianus Marcellinus, lib. XXIII: *Antiquum oppidum Crassorum et Romani exercitus ærumnis insigne. Syri hanc urbem* Haran *appellant. Sed Græci ex fluvio Carra denominationem accipere asseverant.*

(e) Laurentius Zacagni, præfat. pag. VIII.

(f) Asseman. tom. I Bibliothecæ Orientalis.

caram numquam appellassent. Hanc tamen Assemani, alioquin viri gravissimi, sententiam improbatam offendimus a doctissimo viro le Quien (*a*) in suo opere quod inscribitur *Oriens Christianus*. Is enim, tomo secundo, de Chaldæorum Ecclesiis agens, Caschbaram urbem in confiniis Mesopotamiæ sitam describit, valde diversam ab altera quæ apud Cosdresnam erat constructa. Priorem enim urbem idolorum cultui prius occupatam, Christo nomen dedisse S. Taddæi prædicatione, atque Archelaum episcopum eidem præfuisse sub Probo, idem auctor asseverat, qui nec ab Epiphanio, nec a Hieronymo, nec a Photio nulla ratione resilire voluit, ipsi deinde universo veterum scriptorum cœtu suffragante. Si itaque adhuc Zacagnii conjectura, quam impetere Beausobre intendit, prorsus labaret atque caderet ex librariorum vitio; non inde tamen consequeretur fabulosam esse Historiam de qua agitur; atque figmentum redolere, vel Archelai, vel episcopatus nomina, quorum ibidem mentio facta est. Labant tamen prorsusque cadunt aliæ conjecturæ, quas subjicit ipse Beausobre, contendens hunc episcopum catholicæ fidei causam coram ethnicis etiam judicibus expendere voluisse, præsente videlicet populo, qui Manetem blasphemantem lapidibus obruere volebat, si Archelaus annuisset. At futilis conjectura. Beausobre in primis animadvertere oportebat ad Cyrilli Hierosolymitani dicta : videlicet etiam ethnicos aliquos judices accersitos fuisse, *ne si Christiani judicarent ad gratiam aliquid judicasse viderentur*. Illi ergo philosophi, qui tamquam testes advocati fuerant, potentia et auctoritate carebant, potissimum quia tum Romano suberant imperio. Ethnicos philosophos in Nicæno concilio admissos fuisse, ut audirent, atque etiam disputarent, nullus hactenus ivit inficias. Unde ergo mirum si episcopus Archelaus congressionem habiturus cum hæretico homine, qui falsis Zoroastris philosophiæ et magorum principiis hærebat, etiam ethnicos philosophos admiserit, quos a fabulosis sophisticisque Manetis argumentis abhorrere sibi persuadebat? Addit (*b*) Beausobre deinde in iis Actis legi Archelaum indignatione erga Manem commotum, ipsi objecisse non alium esse quam Mithræ presbyterum, Solis videlicet, falsisque diis cultum adhibere consuevisse. Hanc objurgationem, subjicit, approbare non potuit populus paganus, urbsque idolis repleta. Bene vero plausum obtinuisset a Christiana gente, cui Christianus imperator dominaretur. Si ita factum fuisset, urbs tota indignatione contra episcopum commota injuriis etiam cum vitæ discrimine eum affecisset. Quæ tandem omnia ut probabilitate carere ostenderet, ad Juliani Apostatæ factum vel exemplum provocat, qui in fatali Persarum expeditione Edessam urbem proficisci recusavit, quia maximus Christianorum numerus ibidem reperiebatur; **104** suumque iter ad Carram convertit, ut sacrificium diis immolaret. Quare cum hujus urbis populus falsorum deorum cultui maxime esset addictus, lapidibus obruerunt infelicem eum hominem qui ipsis nuntiaverat Julianum jam vita functum fuisse.

5. Hic Beausobrianus disserendi modus, hujusque artificium, facile historiæ ecclesiasticæ indoctos persuadere posset. At non eidem fidem adhibebunt, qui ex Eusebio Cæsariensi aliisque sinceris scriptoribus didicerunt Christianas res Ecclesiarum Mesopotamiæ, Persarum, Ægypti, Phœnices, Phrygiæ, ab anno 277 usque ad annum 293, valde fuisse mutatas; ita ut, quæ florentissimæ primum erant, ad plenum exitium redactæ fuerint, Diocletiani sæviente persecutione. At quis ignorare potest, quod antequam A tam dira et gravis persecutio in Christianos excitaretur, jam nostros in summo honore habitos fuisse apud ethnicos principes; ita ut munus regendarum provinciarum ipsis quoque demandaretur? *Juris* quoque *dicendi nostris præbebatur : et conjugibus, et ministris, atque universæ domui suæ, non solum credere in Dominum nostrum Jesum Christum, verum etiam cum omni fiducia et libertate in fide agere, gentilium principes sinebant; ita ut illos sibi fideles ac familiares ducerent, de quibus certi erant quod pro fide Christi nihil perfidum saperent* (*c*). Tali tantaque felici tranquillitate et muneribus donatos fuisse Christianos sub Marco Aurelio Probo, militari consensu ad imperium evecto anno Christi 276 aut 277, ut ex Vopisco, Vict., Eutropio, Idatio in Fastis, Zos., narrat etiam Petavius (*d*). Non mirum ergo si quæ exposuit Archelaus in laudatis Actis verificari potuerint, maxime quia, ut jam vidimus, Marcellus, sive Marcellinus, qui imperiali auctoritate Mesopotamiæ provinciæ rebus præerat, utpote catholicus, fidei B veritatis propagationisque in desiderio erat, quique militari manu seditiosos contra Archelaum episcopum insurgentes pœnis et cladibus potuisset afficere.

Quod autem Christiani tum ab imperatoribus, provinciarum administratores, rationarii cubiculariique, et ad alia honoris auctoritatisque munera obeunda assumerentur, etiam colligitur ex Diocletiani decreto an. 303 Nicomediæ proposito, quo cautum est ut in posterum *Christiani carerent omni honore et dignitate* (*e*). Quod sane absurdum fuisset, nisi antea Christiani honoribus et dignitatibus frui consuevissent. Non oportebat igitur Beausobre, ut contra veritatem luce clariorem fucum facere tentaret, temporum rationes susquedeque vertendo, sibique persuadere lectores allucinari posse ad fidem ejus dictis adhibendam. Fabulosum itaque est, Orientis Ecclesias, sub ethnicis imperatoribus semper fuisse vexatas, atque Christianos æqualem conditionem sustinuisse sub Marco Aurelio Probo, quam deinde sub Diocle- C tiano, sub Sapore, sub Juliano Apostata subierunt. Quod commentum multis aliis gravissimis argumentis refelleremus, nisi certo innotuisset etiam nihil conficere quod ex Juliano Apostata objecit, qui, catholica ejurata fide, idolorum fana reseravit. At quomodo reserare potuisset, si jam pridem in religionis catholicæ propagationem et munimen non fuissent occlusa?

6. Diligentius post hæc Beausobre suum stylum convertit ad inquirendum an Carchar, seu Caschar fuerit urbs in Mesopotamia, sive in Assyria, aut Chaldæa sita, vel in Persarum finibus, non longe a Seleucia posita; et an Romanorum imperio subesse potuerit Probo regnante. Varias hinc inde ex aliis et aliis scriptoribus conjecturas et rationes pro consueto suo disserendi modo collegit, nunc ad Assemanum, nunc ad antiquos recentioresque geographos provocando, tantamque rerum suppellectilem **105** in medium adducit, ut sibi videatur ostendisse D hujus disputationis theatrum, nec Cascaram, aut Carcharam esse potuisse, nec hujus nominis urbem castrum aut oppidum sub Romanorum potestate redactum fuisse. Cum itaque ad D. clar. Assemanum provocet, ipsi objicere incongruum non erit quæ laudatus auctor in sua Orientali Bibliotheca descripsit : *Archelaus anno Christi 277 Manetem hæresiarcham ex Persarum finibus erumpentem docta disputatione coercuit* (*f*). Si ergo ex antiquis monumentis ab Assemano in medium adductis cum Manes ad disputandum cum Archelao venit, ex Persarum finibus eruperat, jam episcopalis Ecclesia non erat in

(*a*) Oriens Christianus, P. le Quien, tom. II, pag. 1173 et seq.

(*b*) Beausobre, lib. I, cap. 12, pag. 134.

(*c*) Eusebius Cæsariensis, Hist. Ecclesiastica, lib. VIII, cap. 1, 2 et sequentibus.

(*d*) Petavius, Ration. Temp. part. I, lib. V, cap. 14.

(*e*) Lact., lib. de Mort. persecutorum, cap. 2.

(*f*) Assem. tom. I Bibliothecæ Orientalis, cap. ultimo, pag. mihi 555; et tom. IV Orientalis Bibliothecæ. Et vide Act. Martyr. clar. Evodii de Caschara Martyr. sub Sapore rege, pag. 151.

Perside, sed in alia provincia non multum longe dissita. Addit Assemanus : MESOPOTAMIÆ EPISCOPUM *vocat S. Hieronymus in Catal. cap* 72; *locum episcopatus designat S. Epiphanius hæresi* 66; *Socrates, lib.* I *Hist. Ecclesiast. cap.* 22, *et Photius lib. contra Manichæos, videlicet : Cascar, vel Carchar, indeclinabiliter, aut plurali vel singulari numero Caschara, et Carchara, quæ urbs in Mesopotamiæ finibus sita. Cascar* malunt Syri antiquiores, *Gargar*, seu *Carcar*, vel *Carcha* recentiores. Non possum tamen dissimulare doctissimum hunc virum alibi de hac urbe disseruisse, et descripto catalogo episcoporum illius urbis post Marem Archelaum nostrum constituisse, eamque urbem in Persarum finibus constructam, ad Chaldæorum provinciam pertinere affirmasse. Quid tamen si non eadem semper provinciarum divisio, ob bellorum vicissitudines et Romani imperii mutationes ab antiquis scriptoribus atque geographis servata fuerit? Poterant quidem Romani, qui Mesopotamiæ rebus tum dominabantur, Carcharam, seu Caschararam, illius provinciæ præfecto seu proconsuli regendam tribuere, eamque illius subjicere ditioni, ita ut scriptores postmodum de ea disserentes, magis attendentes ad monarchiæ jura quam ad locorum plagam, eam in Mesopotamiæ finibus positam esse asseveraverint. Cujus quippe rei gravissima fundamenta nobis suppeditat ipsa Romanarum rerum historia, ex qua colligimus ab anno 235 Christi ad 276 Persas aliosque vicinos populos maximis bellorum cladibus fuisse agitatos. De Gordiano enim legimus magnis copiis contra Persas potissimum tetendisse, anno imperii quinto, ab iisque Carras Nisibin, aliaque oppida recepisse, et eosdem in regionem suam compulisse. Non latet Gordiani successorem cum Sapore hujus nominis primo Persarum rege pacem constituisse, et Romam regressum fuisse; sed iidem Orientalium limites armis invadentes, Antiochiam diripientes, varias regiones Rom. ditioni subjectas populatos fuisse, quos denique Odeactus Palmyrenorum decurio, cui Zenobia nupserat, fortiter compressit, ac Romanam rem sustinuit, cum regium sibi nomen assumpsit. Is itaque, capta Nisibi et Carris, vindicata Mesopotamia, Persarum rege fugato,

A cæsisque quamplurimis, vinctos satrapas misit, quasi vicisset ipse, triumphare non erubuit (*a*). Hanc victoriam notavit Trebellius, coss. Gallieno et Saturnino, qui est Christi annus 264. Ab hoc anno itaque, usque ad Marci Aurelii Probi imperium, quod contigit, ut vidimus, anno 276, Orientis Persarum ac Mesopotamiæ res mutatas fuisse, scriptores non tradunt. Quare cum rationabiliter colligere possimus eamdem prorsus a Romanis rationem jurisdictionemque servatam fuisse, non mirum si Archelaus disputationis auctor, ut vult Assemanus, aut Hegemonius, qui totam illam Actorum seriem descripsit, servato rerum et imperii ordine, eam urbem Mesopotamiæ attribuerit, et in ejus finibus sitam esse dixerit, quæ deinde in subsequentibus provinciarum divisionibus Chaldææ fuit attributa. Provinciæ nomine designare antiquos **106** consuevisse regiones bello extra Italiam devictas atque subactas, quarum aliæ consulares, ad quas gubernandas proconsules mittebantur, aliæ

B prætoriæ, ad quas prætores, ex veteribus scriptoribus satis exploratum est (*b*). Quod cum fiebat, in provinciæ formam redigi dicebantur. Nec mihi objiciatur de Carra et Nisibi id verum fore, quia earum urbium Romanorum imperio subactarum expressam factam fuisse mentionem reperimus; id, inquam, mihi non objiciatur. Nam aliorum quoque oppidorum mentionem faciunt scriptores jure belli ex Persarum cladibus Romano imperio devictorum et subactorum; quorum nomina haudquaquam descripta fuere. Verisimile igitur est quod generali illa expressione, *aliaque oppida* ex Persis Gordianum *recepisse*, Caschararam aut Carcaram etiam comprehendi, quæ Persarum finibus vicinior erat.

Diutius tamen in his expendendis immorari supervacaneum esse duco. Potissimum cum argumenta quæ postremo loco Beausobre (*c*) subjicit prorsus negativa sint; desumpta videlicet ex silentio scriptorum Syrorum, quorum scribendi scopus ille non erat, ut de Archelao ejusque disputatione, omnibus notis-

C sima, facerent mentionem. Cumulatissime enim illa refelli possunt certis et positivis testimoniis omnium Græcorum PP. cujusvis ætatis qui post Manetem et Archelaum floruerunt.

(*a*) Petavius, Rationario Temp., part. I, lib. V, cap. 12, pag. 284; et Victor., Euseb., Zosimus.

(*b*) Cicero, de Legibus 184. Cæsar, de Bello Gall. lib. 1, cap. 45.

(*c*) Beausobre, lib. I, cap. 13.

LIBER SECUNDUS.

DE MANICHAICÆ HÆRESEOS INCREMENTIS.

107 CAPUT I.

Scriptoris disserentis scopus explicatur.

Alteram Manichaicæ historiæ partem describere aggredientes, multæ, et quidem gravissimæ, difficultates nobis occurrunt; potissimum, cum de Manetis discipulis et genuinis nominibus eorum qui hanc hæresim post magistri necem latius huc illucque propagarunt, nos verba facere oporteat; vel eas provincias et loca designare in quibus brevi ad catholicam religionem labefactandam introducta fuit; vel tandem eos PP. recensere qui eorumdem hæreticorum libros, epistolas et fabulosa scripta disperdere et refellere nisi sunt. In quo munere obeundo, cum veteres recentioresque scriptores inter se sæpissime dissideant, prorsus difficile reputabamus certi aliquid posse statuere. Maxime quia Beausobre suis dumtaxat partibus studiisque indulgens, eas critices regulas sibi proposuit, et prosecutus est, quæ non ad veritatem investigandam deserviunt; sed eas prorsus quibus in præcedentibus, ut vidimus, perpetuo adhæsit (*a*). Cujus quidem agendi rationis in hoc secundi libri vestibulo specimen aliquod exhibere supervacaneum ducimus, cum præter exempla superiori libro jam tradita, innumera alia mendacia, calumniæ, et fabulosæ interpretationes eripienda supersint, de quibus suo loco

D et tempore ea annotare atque refellere parati sumus, ut ostendamus quam fraudulenter, minusve docte, multa conscripserit, quæ non nisi apertum hæreseos errorem in se continere, vel saltem ad hæresim conducere, judicavimus. Interim tamen silentio minime præterire possumus licentiam libertatemque quibus ipse utitur in exagitandis illis PP. qui Manichaicam hæresim aut descripserunt, aut oppugnarunt. Hos perpetuo tamquam ignorantiæ reos accusat, veluti non sibi constantes; sed tamquam suis propriis dictis repugnantes carpit, nec perfecte Manichæorum systemata atque mysteria **108** intellexisse asseverat, quasi sibi dumtaxat illa gloria et honos debeatur, quod universam illius hæreseos philosophiam, theologiam et re-

(*a*) Beausobre, in serm. præliminari ad secundam partem, pag. 219 et seqq.

ligionem felicius penetrarit. Fateor quidem et ego, multa in hoc scribendi genere offendisse, quæ obstrusa multisque tenebris obvoluta sunt, quæque scriptoris studio et diligentia haud possunt intelligi. Sed similibus rebus nobis occurrentibus, optimum duximus aliorum opiniones referre, iisdemque quandoque subscribere; vel confiteri potius nescire, quod prorsus latet, quam in fabulosas ineptasque narrationes excurrere, quibus nulla fides adhiberi potest. Habet hic itaque lector generalem sed rudem ideam eorum quæ in præliminari sermone ad secundam Manichaicæ Historiæ partem Beausobre descripsit. Verum cum non omnia in hisce exordiis singillatim exprimere possimus, latius in reliquo hujus operis progressu, quæ necessaria judicabimus referre, minime negligemus.

CAPUT II.

Quibus in locis, quibusque subsidiis Manete occiso, ejus hæresis huc illucque propagata fuerit et aucta. Beausobrianus et Cavei lapsus annotantur. Hujus nimia in Augustinum licentia castigatur. Quemadmodum tandem Armeniam, Mesopotamiam, aliasque Asiæ regiones nefaria hæc secta labefactaverit inquiritur.

1. Post truculentam illam Manetis necem, tot tamque virulenta ejus nequitiæ semina haudquaquam exstincta et abolita fuere; sed cum huc illucque spargerentur, brevi temporis spatio, aliorum impiorum studio, altas in multorum hominum mente radices egerunt, et in Christianæ religionis odium suos terminos propagarunt. Et primo quidem si Archelao, atque Turboni, Ephræmio Ædessæ diacono omnem fidem adhibemus (*a*), Manichaica dogmata potissimum in Oriente, in Syria, Mesopotamia atque Ægypto annuntiata fuerunt. Cum videlicet Manes adhuc superstes primarios suos pseudoapostolos iis locis atque provinciis præfecit. *Jussit discipulos* (Manes videlicet) *in tres mundi plagas proficisci. Ex quibus Adda partem sortitus est Orientis. Thomas vero Syrorum terras suscepit. Hermas vero ad Ægyptum profectus est....... Dogmatis hujus gratia prædicandi.* De hoc tamen ordine et provinciarum divisione paululum a se ipsis veteres scriptores dissentire, inter cæteros unus Guilielmus Cave annotavit (*b*). Nam apud Cyrillum et Epiphanium, Thomas primum occupat locum, huncque abiisse in Judæam idem Epiphanius affirmat, refragante tamen Dionysio Petavio in suis annotationibus, qui pro *Judæa* legendum putat *Indiam*. Et ita quidem habet Theodoretus, Thomam ad *Indos* missum esse. Theodoreto pariter consonat Nicephorus lib. VI, cap. 32. Quod si ita sit, voluit impostor Christum etiam in hac parte imitari, dum Thomam apostolum ad Evangelium suum prædicandum in Indiam destinaret.

2. Jam vero isto Thoma relicto, ad Addam Turbonis præceptorem, alium principem ejusdem impostoris Manetis pseudoapostolum, se vertit oratio. Hunc ergo ad Syros decipiendos missum fuisse, idem Archelaus **109** asseverat; sed Buddam Petrus Siculus (*c*) eum appellat, Baddam Cyrillus, Aldam Theodoretus. Addam tandem Epiphanius et Nicephorus, Acta Archelai disputationis secuti, hunc vocitarunt. Sed utut sit, certum est hominem de quo agimus non tantum sui præceptoris institisse vestigiis, sed, multis aliis et novis quidem excogitatis, Manichaica dogmata suo nisu reddidisse auctiora. Hac quippe de causa librum unum concinnavit, quem *Modion* appellavit,

A cujus meminit auctor Tollianus, contra quod volumen, auctore Photio in sua Bibliotheca, post aliquot annorum seriem stylum strinxere Titus Bostrorum in Arabia episcopus, et Diodorus Tarsensis antistes in Cilicia, quæ argumento sunt quarto jam vertente Ecclesiæ sæculo eas provincias ejusmodi labe fuisse pollutas. Aliter tamen, et quidem parum sibi constans, Beausobre ratiocinatur, qui de Tito Bostrorum episcopo verba faciens, non Addæ Modion, sed librum de Mysteriis, qui sub Manetis nomine circumferebatur, rejecisse affirmat. Aliam ab Epiphanio secutum esse agendi rationem episcopum Titum in hoc libro refellendo asseverat; dicendo eum 22 capitibus juxta Syrorum alphabetum fuisse distributum, ac solide deinde ab hoc docto prudente episcopo, sine ullis invectivis in suum adversarium, errores fuisse refutatos, quin auctorem tamquam *magum*, et *dæmonum* interpellatorem, in *abominabilibus mysteriis* occupatum appellet. Addit Manem hujusce libri auctorem
B philosophum fuisse, qui sibi persuasit mundum hunc minime respondere ideæ quam nos de divinis perfectionibus habemus, ac propterea secum reputasse aliud principium præter Deum ipsum habuisse. Operum Titi Bostrensis subsidia Beausobre adhibuisse affirmat, quia is absque ulla comparatione magis exacte et moderate quam Epiphanius ipse scripsit (*d*). Quid vero? Tantarum rerum apparatu posthabito atque neglecto, Beausobre in eam lapsus est oscitantiam, ut mox dicta ex ejus animo exciderent. Oblitus namque se scripsisse Manem a Tito Bostrensi haud accusari, ob *magiam*, *dæmoniorum* invocationem et abominabilia mysteria, postmodum subdit hunc episcopum graviter tulisse referre et ad examen *reducere* quæ a Manichæo mystice excogitata *fuerant*. *Quæ autem a Manichæo magis mystica inventa sunt, quæ sunt complura, silentio prætereuntes*. Exhorruit ergo Titus Bostrensis expendere quæ magis mystica a Manichæo inventa fuere. Nec alia ratione ea prætermisisse censeri oportet, ne videlicet lectorum animum
C offenderet; quemadmodum de abominabilibus hisce mysteriis S. Leo Magnus disserere recusavit (*e*). Sed adhuc difficultas superest an Titus Bostrensis in suo opere Manetis mysteriorum volumen oppugnet; an vero aliud, Modion videlicet, ab Adda conscriptum, sola Beausobre auctoritate ductus, ego quidem non definiam. Huic enim Photii testimonium prævalere debere, mecum judicabunt qui illius in sua adornanda Bibliotheca studium adhibitum apprime noverunt. Sed de Addæ libro infra verba faciemus.

3. Circa hunc Addam vero, illiusque opus, quondam se gravius aberrasse Guilielmus Cave sincere fassus est; cum hunc videlicet non alium fuisse ab Adimanto arbitraretur, cujus toties apud Augustinum occurrit mentio, quemque S. episcopus peculiari opere refutavit. Ejusmodi autem falsam opinionem idem Caveus jam pridem Petri Siculi historiam, et Coteleriana, et Zolianæ formulæ auctorem secutus, retractavit; sed ut simul excusatum iret, prioris sui lapsus causam perperam uni Augustino ascribit, cu-
D jus sequentia recitat verba: *Nam illud aliud, quod in eodem codice* **110** *scribi cœperat, Adimanti opus est, illius discipuli Manichæi, qui proprio nomine Addas dictus est* (*f*). At vero quid oscitantius aut iniquius simili excusatione? Non enim genuina Augustini retulit verba, sed falsata. Nam subducta ab eo testimonio voce *filius*, hanc aliam, pronomen videlicet, *illius*, intulit, quæ S. doctoris sensa in aliam omnino signifi-

(*a*) S. Ephræm tempore, Manichæorum hæresis Mesopotamiam maxime infestabat, ut tradit Asseman. tom. I, pag. 8.

(*b*) Historia litteraria, pag. mihi 91.

(*c*) Petrus Siculus, Hist. Manichæorum tom. XV Bibliothecæ PP. Theodoretus, Hæret. Fab. lib. I, cap. 26. Epiph., hæresi 66.

(*d*) Titus Bostrensis, tom. IV Bibliothecæ PP., part. II, colum. 899.

(*e*) S. Leo Magnus, serm. 4 de Jejunio decimi mensis, et de Eleemosynis, serm. 2 de Pentecoste cap. 4; ibid., serm, 2 de Pentecoste cap. 6. Diodori Tarsensis exitium opus in Manichæos conscriptum, temporis injuria, apud Græcos deperditum est.

(*f*) August., lib. II contra adversarium Legis et Prophet., circa finem.

cationem trahit, quam sibi expedire Caveus arbitratus est. An hoc indicabit a præcedenti suo lapsu surgere, et errorem reparare voluisse, cum S. Doctori vitio vertit, eumque injuste vellicat et impetit? Nugæ profecto. Nam Augustini verba isthæc sunt: *Nam illud aliud quod in eodem codice scribi cœperat, Adimanti opus est, filius discipuli Manichæi, proprio nomine, aut prænomine (ut Maurini PP. legunt) Addas dictus est* (*a*). Nec in *prænomine* voce, quam mss. codd. auctoritatem secuti, pro duabus illis *proprio nomine* congregationis S. Mauri PP. in novissima intulerunt editione, Cavei allucinatio, oscitantia, aut mala fides consistit; sed in vocabulo *filius*, quod perperam in istud pronomen *illius* mutavit. Apud enim nullos editores, vel mss. exemplaria, hanc vocem *illius* offendimus : sed constantissime *filius* vocabulum exhibent. Nobis ergo ex eodem Augustino luce clarius innotescit alium fuisse Addam, et alium Adimantum, quamvis ambo Manichaici dogmatis assertores et propugnatores impiissimi. Quare cum nomen *Addas*, non ad *filium*, sed ad Manichæi discipulum referat Augustinus, illud sequitur quod ad Cavei et rem nostram potissimum pertinere videbitur. Adimantum videlicet, vel ex Adda patre naturæ originem duxisse, aut saltem ob pessimas institutiones ex eo haustas et imbibitas ejusdem filium appellari; ob quas rationes Addæ etiam cognomentum ei convenire potuisset. Ad indicandam nimirum Adimanti agnationem, vel scholam illam, ex qua prodierat. Tandem quid repugnat quod Adimantus proprio nomine Adda primum appellaretur, ut hæc vox *prænomine* significare habet, illudque postmodum Cubrici sui antesignani exemplo in aliud mutaverit? Non inde tamen hic Addas idem foret dicendus cum alio Manetis pseudoapostolo primario, qui *Orientis partes*, suo magistro superstite, peragrandas sortitus est.

4. Præter Thomam vero, Addam et Hermam, primarios Manetis asseclas, reliqui quoque illius duodenarii numeri discipuli, ad eam nefariam hæresim propagandam sese strenue applicuerunt. Petrus Siculus enim narrat quod, occiso Manete, *nonnulli sectatorum illius, in Armeniam Samosata penetrarunt, ubi, sparso impietatis semine, multos Armenorum in fraudem pellexerunt.* Quod semen valde succrescens, ea pessima radix *pullulans Phanariam usque progressa multis exitiales fruges* attulit. Quorum autem studiis potissimum nefaria illa hæresis Armeniam atque Phanariam ipsam pene ad exitium labefactaverit, idem Petrus Siculus, qui pro Basilio imperatore ad Armenos diu post legatione functus est, paucis explicavit, cum ait *mulieri Gallinicicæ geminos fuisse liberos, quorum unus Paulus, alter vero Joannes appellabatur. Hos ergo duos serpentes vipera genitrix aluit, nefariamque sectam edoctos, Samosatis præcones erroris emisit, quique Phanariæ ditionem ingressi ad vicum quemdam pervenere ibique rudes, parumque certos fidei nacti incolas, venenum impietatis et dirum dæmonis hostis lolium sparsere.* Mulierem hanc Gallinicam impuram et perditam fuisse Dionysius Petavius asseverat (*b*). Qui itidem ex eodem Petro Siculo docet nefandam suam sobolem in diversa Armeniæ loca ad Manichæi dogmata propaganda dimisisse. Interim tamen gravis controversia exoriri potest, quandonam ejusmodi missio contigerit; quove potissimum tempore ab his duobus fratribus novum nomen illa hæresis **111** mutuata sit. Quæ quidem quæstio cum multis tenebris sit obvoluta, haud facile definiri poterit. Etenim duo ibidem Petrum Siculum indicare voluisse valde probabile est. Alterum videlicet, Manete necato, aliquos ex duodenario illo discipulorum numero, statim Armeniæ provinciam penetrasse, ibique receptos omne pravi dogmatis virus effudisse; quod cum magis in dies succresceret, totam illam regionem labefactaverit, pravisque dogmatibus cor-
A ruperit. Alterum vero est : non nisi variis sæculis a Manetis nece elapsis, Gallinicam illam Samosatanam mulierem geminos suos filios Phanariam misisse, veluti novos hujus nefandæ sectæ antesignanos atque præcones; ut nimirum pessimas institutiones quas jam imbiberant ad rudium populorum exitium eructarent. Quod sane causa esse potuit ut, variis sæculis elapsis, vetus tunc hæreseos nomen in aliud Paulicianorum mutaverit.

5. Ne autem in his, vel divinari videar, vel totius historiæ filum quam conscribimus abrumpere cogar, ea momenta in medium proferam quibus præcedentes nostræ conjecturæ innixæ sunt. Quas inter potissima illa censeri debet, quam Augustinus libro de Hæresibus suppeditat. Is ergo, optime de Manichæorum mysteriis et profanis ritibus edoctus, non tantum describit quomodo, occiso Manete, unus *electorum* veluti omnium princeps, et totius sectæ caput, duodecim aliis *electis*, quos magistros appellabant, præ-
B esset; sed quantum cœtus ille excreverit et se ampliaverit narrat. Etenim, eo auctore, quasi ad Christianæ catholicæ hierarchiæ formam et similitudinem, duodecim illi pseudoapostoli cum iniquo diabolicoque suo capite septuaginta duos episcopos ordinare cœperunt : episcopi tum presbyteros ordinabant, tum diaconos sibi eligebant. *Nam ex electis suis habent duodecim, quos appellant magistros, et tertium decimum principem eorum : episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur a magistris, et presbyteros qui ordinantur ab episcopis. Habent etiam episcopi diaconos.* Sed præter istos quos profanis sacrilegisque ritibus ordinabant, quique ad nobiliorem diabolicæ illius hierarchiæ partem componendam assumebantur, alios quoque ex eadem electorum classe huc illucque ad rudes simplicioresque homines decipiendos dimittebant, ut promptius atque facilius, aut sua confirmarent dogmata, aut eadem propagarent. Quare idem Augustinus ita immediate subjicit : *Et jam cæteri tantummodo electi vocantur : sed mittuntur etiam ipsi qui vi-*
C *dentur idonei ad hunc errorem, vel ubi est sustentandum et augendum, vel ubi non est etiam seminandum.* Hæc autem a Manichæis Augustini tempore fieri consuevisse, idem S. doctor hisce verbis testatus est scribens : *Quem numerum Manichæi hodieque custodiunt.* Cum igitur Augustinus, qui omnia Manichaicæ sectæ dogmata, mysteria, philosophiam, gradus, ordinationes, hierarchiam et incrementa optime noverat, nullibi geminorum horum fratrum faciat mentionem, recte conjectari potest anno 428, quo opus illud de hæresibus conscripsit, nondum eam sobolem in orbem ex infernalibus ergastulis prodiisse, et Manichæos a Paulicianis novum nomen tum fuisse mutuatos. Nec liceat suspicari id Augustinum latere potuisse, quia Armenorum et Asiæ regiones in quibus (auctore Petro Siculo) ista contigerant, ab Hippona Africæ urbe, ex qua Augustinus istud opus conscripserat, remotissimæ erant. Non hæc, inquam, quis suspicetur. Nam S. doctor, qui jam a pueritia in Manichæorum in-
D ciderat errores, et horum philosophiæ studiis maxime fuerat addictus, optime etiam nomina quibus secta illa appellabatur novit, descripsitque, eamque in Paphlagonia Armeniæ parte, in Gallia, in Africa, aliisque regionibus grassari sine ulla prorsus ambiguitate fassus est. Et quidem laudato de hæresibus libro Catharistas, Manichæos appellari asseverat, quasi purgatores. Ex quo nomine occasionem arripit eos gravius perstringendi et insectandi, *quia horrenda turpitudine humanum cibum polluebant.* Et rursus, libro **112** de Natura boni, quasdam eorum turpitudines exagitat, quibus per coitum *masculorum et feminarum* ligari partem Dei perperam æque ac in divinum rerum auctorem contumeliose contendebant, quam se manducando solvere et purgare profitebantur; provocat ad quasdam publicas eorumdem criminum confessiones, qui-

(*a*) In edit. PP. S. Mauri, tom. VIII, pag. 430.

(*b*) Petav., tom. VI Theologicorum Dog. lib. xv de Incar., cap. 7, n. 4 et 5.

bus hoc se facere in publico judicio testati sunt, non tantum in Paphlagonia, sed etiam in Gallia, *sicut a quodam Romæ Christiano catholico audivi*. Augustino igitur, qui ista anno 404 scribebat (*a*), apprime fuerat persuasum in Paphlagonia Armeniæ regione hanc hæresim latius grassari, idque ex publicis judiciorum actis, tum ex aliorum fama recensebat. Non itaque Augustinus ea prætermisisset referre atque rejicere, quæ a Paulicianis postmodum in hujus sectæ confirmationem, incrementum et robur excogitata fuere; quæque ambo nebulones illi fratres magno studio nacti sunt, ut turpius catholicam labefactarent religionem, atque catholicos ministros crucis, atque eucharistiæ mysteria, perpetuamque Deiparæ virginitatem, cæteraque ejusmodi impeterent, et maledictis configerent. Cum ergo in tam multis variisque libris et operibus ab Augustino contra Manichæos aliosque hæreticos conscriptis, nullibi Paulicianorum fratrum nomen occurrat, cum nullibi præterea ab eo recenseantur ea hæreseos additamenta quæ a Petro Siculo nobis indicata sunt, nulla ratione adduci possum ut arbitrer jam Manetis morte secuta, geminos eos fratres hujus hæreseos vindices et auctores fuisse; idcirco de iisdem luculentius disserere nunc supervacaneum existimo, de quibus postea verba facere nobis opus erit, cum, servato, quantum possumus, temporum ordine atque ratione, hujus hæreseos sobolem septimo Ecclesiæ sæculo ad catholicæ religionis contemptum latius adhuc in Syriæ et Asiæ regiones grassantem dicemus.

6. Interim vero minime prætereundum esse arbitramur jam ante Augustini ævum et quarto ineunte Ecclesiæ sæculo Armeniam et Paphlagoniam potissimum ejusmodi Manetis erroribus labefactatam fuisse. Id non tantum evincunt Manetis pseudoapostolorum inibi habitæ prædicationes, vel exitiales et venenatæ illæ scripturæ, quas Thomas, Agapius, cæterique, Constantio Chloro regnante, undequaque disseminaverant: sed ejus rei præterea certissima suppeditant testimonia Gangrensis concilii Acta, quæ adhuc supersunt. Ad eam itaque synodum quindecim tantum episcopi, una cum magno Ossio Cordubensi, S. Silvestri papæ tempore convenere, paulo antequam primum generale Nicænum concilium cogeretur. Gangris præterea urbs Paphlagoniæ est, in Asiæ Minoris parte constituta, in quam urbem laudati quindecim episcopi cum magno Ossio coiverunt, hæreseos Eustathianæ occasione, quæ ex variis Manichæorum fontibus originem trahebat, et in varias Armeniæ regiones maximo cum catholicæ religionis detrimento grassabatur. Id potissimum cum ex eorumdem Gangrensium PP. Synodica, tum ex uno et viginti canonibus ibidem editis haud obscure intelligi potest. Synodicam quippe: *Dominis honorabilibus consacerdotibus in Armenia constitutis* inscripserunt. Et plerique ex canonibus in ea synodo editis, directe varios Manichaicæ sectæ errores taxant, impetunt, et anathemate feriunt; ut jam olim Severinus Binius in Conciliorum collectione recte quidem atque erudite annotavit (*b*). Hujus generis profecto sunt canones illi qui in nuptiarum vel conjugatorum gratiam conscribuntur, vel illi in quibus de licito carnium esu sermo est, vel in quibus Ecclesiastica jejuniorum regula firmata, a catholicorum cœtu procul amandantur, qui Dominicam et Resurrectionis diem aspernabantur, eam in luctu, mœrore atque jejunio traducentes. Hæc quippe et similia in Eustathii Armeniæ monachi condemnationem sancita sunt, qui non ex aliis quam ex Manichæorum fontibus suos errores impie hauserat, et pari ratione nuptias,
113 filiorum procreationem, virginitatis cultum, sacros conventus ab Ecclesia constitutos, jejuniorum usum, carnium et animalium esum, divitiarum possessionem, festorum et diei Dominicæ potissimum solemnitates, cæterosque sacros et ab Ecclesia approbatos

(*a*) August. lib. de Natura boni cap. 47.
(*b*) Tom. II Conc. pag. 423.

A ritus convellere et omnino abolere nitebatur. Procul dubio igitur anno 324 ita in Paphlagonia et Armeniæ regione Manichæi errores, ejusdem monachi Eustathii studio, increverant, ut ad eos coercendos, eamque luem purgandam, Gangrenses PP. convenire debuissent. Hujus synodi Acta denique in ipsorum Manichæorum odium atque exitium, tum a Nicæno primo generali concilio apostolicæ sedis suffragio approbata fuisse, non tantum Ossii Cordubensis pro S. Silvestro papa legatio, sed Symmachi atque Leonis M., Romanorum pontificum, decreta patefaciunt. Nec vero me latet ejusmodi Ossii Cordubensis pro apostolica sede in concilio Gangrensi legationem, non tantum a Petro de Marca (*c*) atque Pagio in dubium revocari; sed absolute omnino inficiari. Et ea de causa potissimum, quia hujus nomen in Actis, quæ supersunt, non primo, sed quartodecimo loco inter aliorum episcoporum nomina legendum occurrit. Sed in hisce quæstionibus dirimendis haud semper episcoporum
B prærogativas ex ordine quo in codicibus horum nomina descripta sunt repetere juvat, ut ipsi de Brittone Trevirensi episcopo, in Priscillianistarum historia, contra Tillemontium, aliosque demonstrabimus. Nam quandoque Amanuensium errore, et codices corrumpi, aut saltem genuinus eorumdem episcoporum ordo perturbari potuit. Verum duplici de causa hanc congressionem nunc devitandam esse arbitror. Prior ex nostro hujus conscribendæ historiæ scopo desumitur. Non enim nos sumus ex iis qui dubiis valdeque obscuris rebus adhærentes apostolicæ sedi jura asserere et vindicare quæramus. Nimis profecto indecens aut turpe foret in re tam certa et tam gravi, *cujusmodi* est illa de sedis apostolicæ judiciaria potestate et juribus, quæ luce clarius per omnia Ecclesiæ sæcula emicant, propriis studiis indulgere, conjecturis dumtaxat insistere, et extra scenam vagari, easque res in quæstionem adducere, quæ ad causam de qua agitur non satis pertinere perspicue constat. Cum igitur synodus illa dumtaxat provincialis fuerit, et illius
C canones non nisi ex apostolicæ sedis suffragio robur et approbationem obtinuerint, ut ipsi conciliorum collectores etiam fatentur, quid nostra intererit, an Osius Cordubensis ibidem pro apostolica sede legationem fuerit functus.

7. Altera vero causa ex nostra erga clarissimum doctissimumque virum æquitate desumpta est. Nam cum hic Romæ, paucis abhinc annis, in solemni pontificia conciliorum Academia, coram sanctissimo domino nostro Benedicto papa XIV, magno totius litterarii cœtus plausu, singulas obscuras difficilesque quæstiones, quæ de Gangrensis concilii tempore, canonibus, auctoritate et confirmatione jam pridem excitatæ fuerunt, et in posterum a criticis studiosis excitari possunt, summa eruditione Rmus P. Antoninus Bremond Dominicanæ familiæ cultor eximius, et in Casanatensi Bibliotheca Theologus insignis, jam vero totius ordinis Prædicatorum magister generalis, qui pro eximia sui animi benignitate nos
D maximo amore complectitur, expediverit et illustraverit, minime in præsens licere potest de iisdem rebus sermonem instituere. In hac enim sua elucubratione, quemadmodum et in aliis, omnium eruditorum suffragium sibi nactus est. Et tale quidem, ut communibus omnium votis ejusmodi opus aliquando publici juris futurum nobis polliceamur. Verum cum et nos eodem anno, nono kal. Maii in eadem pontificia Academia theologicam habuerimus de iisdem Gangrensibus canonibus dissertationem, hanc tamquam appendicem Manichaicæ historiæ lectori subjiciemus cap. ultimo hujus libri.

114 CAPUT III.

De Manichæorum libris quarto et quinto Ecclesiæ sæculo fere per universum orbem dispersis.

1. Quemadmodum Manichæo necato hujus disci-

(*c*) Petrus de Marca, in dissert. de Veteribus Collect. can., cap. 2.

puli et sectatores huc illucque per diversas, cum Orientis, tum Occidentis, provincias hanc hæresim propagaverint, præcedenti nostro cap. satis superque arbitror exploratum. Quia tamen ejusmodi nefariæ religionis propugnatores, non verbis et prædicationibus dumtaxat insistebant, ut ad dogmatum perversitatem rudium atque illitteratorum hominum ingenia traherent et perducerent; sed etiam plurium noxiorum librorum subsidio utebantur, in quorum lectionem si incauti homines operam insumerent, quasi quodam illicio irretiti, iisdem erroribus animum adjicebant, hos libros idcirco paucis indicare in præsens decrevimus. Neque vero de Scythiani operibus, quæ is moriens Terebintho reliquit, et Manichæus ipse recoxit et interpolavit, sermonem tantummodo esse instituendum arbitramur; cum jam de ejusdem quatuor Scythianis voluminibus ex gentilium philosophorum fabulis et fæculentissimis veterum hæresiarcharum lacunis congestis, prioribus capitibus præcedentis hujus Historiæ libri verba fecerimus.

2. Ne igitur nos acta iterum agere velle videamur, ad reliquos hujus sectæ scriptores et ad eorum describenda opera nostra se vertit oratio; in quorum numerum potissimum Thomam illum rejiciendum esse arbitramur, cui quoddam Evangelium aprocryphum et suppositium veteres omnes adjudicarunt. Pauca tamen de hoc opere dicenda occurrunt, si vetustiores omnes scriptores pervolvamus. De eo quidem veluti opere a Manichæis confecto horumque referto fabulis mentionem habuerunt. Sed nullus alicubi, quem viderim, disertius atque expressius blasphemias inibi contentas indicavit. Qua in re illud potissimum essèt investigandum : an Thomas iste, hoc impietatis portentum ex integro composuerit; vel potius an nacto sibi primum Scythiani Evangelio, huic suum nomen indiderit, auctis deinde atque exaggeratis quæ in eo continebantur (*a*). At vero ejusmodi definire quæstionem quis auderet, quamvis posterius probabilius videatur? Siquidem veteres, non duo, sed unum dumtaxat Manichæos habuisse Evangelium testati sunt, illudque perperam sub Thomæ apostoli nomine circumferre conatos fuisse, quamvis Caveus, nescio qua ductus ratione, aliud Scythiani et aliud Thomæ Evangelium fuisse affirmaverit. Minus difficile tamen erit conjicere quibus laciniis atque blasphemiis istud Evangelium refertum fuisset. Nam cum principalius in eo ageretur de Jesu Christi Domini Nativitate, gestis, prædicatione, passione, morte et resurrectione, quæ catholicæ fidei dogmata atque mysteria ita audacius oppugnabant; sat verisimile erit omne mortiferum virus illic sparsum fuisse, quod præcipua nostræ religionis fundamenta subverteret atque aboleret. Negabant, ut vidimus, etiam auctore Augustino (*b*), Christum natum esse de Virgine, nec ejus carnem veram confitentes fuisse, sed fictitiam, ac per hoc falsam ejus passionem et nullam resurrectionem fuisse contendentes. Nefaria quoque de Spiritus sancti missione et adventu, ad corroborandum alium palmarem Manetis errorem eo in Evangelio fuisse contenta non **115** obscure indicavit Cyrillus Hierosolymitanus de hoc disserens libro, catholicos admonens ut se ab illius præcaverent lectione (*c*). Quem sane diabolicæ impietatis librum, non solum Romanorum pontificum, Siricii videlicet, Innocentii I et Gelasii papæ, decretis inter apocryphas scripturas rejectum esse intelligimus (*d*), sed et eum penitus auferendum et ignibus concremandum, sanctissimus papa Leo Magnus definivit (*e*). De his enim similibusque Manichæorum et Priscillianistarum scriptis ita sanctus pontifex Leo locutus est, catholicos gravi quidem sermone admonens, ne a simulata quadam pietatis specie, quam ejusmodi scripturæ præseferre videbantur, ad eorum lectionem se adducere sinerent. *Quamvis enim* (ait) *sint in illis quædam quæ videantur speciem habere pietatis, numquam tamen vacua sunt venenis, et per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos laqueis cujuscumque erroris involvant.* Ad quæ tandem apostolicæ sedis decreta, cum Nicæni concilii II PP. animadverterent, præcipue de hoc Thomæ Evangelio dixerunt (*f*) : *Ad hæc* (loquuntur enim de adulterinis scripturis, quæ sub Pauli nomine olim circumferebantur) *Manichæi Evangelium secundum Thomam invexerunt, quod Ecclesia catholica merito ut impium aversatur.* Quibus omnibus illud unum tandem subjicimus, Thomæ videlicet Evangelium valde ab eo libro differre, qui Revelatio Thomæ apostoli inscribebatur. Nam et in eodem Gelasiano decreto, de utroque tamquam de duobus libris distinctis sermo est, quamvis nullibi posteriorem librum, Revelationem Thomæ apostoli videlicet, ex Manichaica officina prodiisse indicetur. In hanc opinionem tamen Turribium Asturicensem episcopum fuisse, non obscure ejus ad S. Leonem M. epistola patefacit. Nam cap. 5, de aprocryphis libris disserens, *vel per maximum principem Manem ac discipulos ejus compositis vel infectis, specialiter recensuit actus S. Thomæ*, et his similia, ex quibus (ait) *Manichæi et Priscillianistæ, vel quæcumque est illis secta germana, omnem hæresim suam confirmare nituntur.*

3. Præter unum vero, aut duo Evangeliorum volumina, quasi ad catholicorum formam et imitationem impie tamen exarata, alium Epistolarum videlicet librum, Manichæi habebant. Atque illum ex Manetis potissimum officina prodiisse veteribus fuit persuasum. Cujus quidem voluminis, seu Epistolarum *farraginis*, mentio occurrit, tum apud Goarium et Petrum Siculum, tum apud conditorem formulæ Cotelerianæ et Tollianæ. Ex hoc Epistolarum corpore procul dubio (ait Guillelmus Cave) (*g*) erat famosa illa epistola quam *fundamentum* vocabant Manichæi, quam toties citat Augustinus de Natura boni, et in actis cum Felice (*h*). Qui et contra ejusmodi epistolam integrum librum conscripsit, quo, prioribus partibus ejusdem epistolæ Manichæi rejectis, ostendit ipsum pro manifesta, quam pollicebatur, et pro certa cognitione non nisi incerta et absurda deliramenta insanis suis sectatoribus proposuisse. At contra Manichaica secta hanc epistolam veluti universæ fidei suæ promptuarium venerabatur; ita ut, auctore eodem Augustino (*i*), quoties coram auditoribus legeretur, capite inclinato dicere solerent *Amen*, quasi quod, hujus *illuminati* lectione, scelestissimo auctori grates rependerent. Hujus autem epistolæ exordium istud erat : *Manichæus apostolus Jesu Christi providentia Dei Patris. Hæc sunt salubria verba de perenni* **116** *ac vivo fonte* (*j*). Simile exordium jam offendimus in epistola ad Marcellum, ut habent Latina Archelai fragmenta superius recensita, et Epiphanius, hæresi 66. Sed omnes ejus epistolas eo in codice congestas idem habuisse exordium, inter cæteros unus Augustinus testatus est lib. XIII, cap. 4 contra Faustum, eos ita compellans : *Manichæus enim vester non fuit propheta venturi Christi. Apostolum*

(*a*) Hunc Evangelii librum, picturis adornatum, Saporem a Manete dono accepisse, sine auctore Beausobre affirmavit, ut in præcedenti libro explicavimus.
(*b*) August., epist. 236, cap. 2.
(*c*) Cyrillus Hierosolymit., catech. 6.
(*d*) Innocentius et Gelasius PP., et in Romano concil., de canonicis et apocryphis Scripturis, anno 494.
(*e*) Leo Magnus, epist. ad Turrib. Asturicensem, cap. 15.
(*f*) Septimæ synodi PP. act. 6, tom. VIII Conc., pag. mihi 1491.
(*g*) Guillelmus Cave, Hist. Litteraria, pag. 91.
(*h*) Augustinus, lib. de Nat. boni, cap. 42 et 46.
(*i*) Augustinus, lib. contra epist. fund. tom. VIII, pag. 110.
(*j*) Augustinus, ibid., cap. 5.

quippe ejus se dicit, impudentissimi quidem fallacia. Et paulo infra subjicit : *Omnes tamen ejus epistolæ ita exordiuntur : Manichæus apostolus Jesu Christi.* Sed de aliis atque aliis Manichæi epistolis mentionem habet Guillelmus Cave pag. 92. Tertio loco deinde Mysteriorum librum recensendum esse arbitramur, quem ad legem evertendam et ad omnia veterum prophetarum vaticinia oblitteranda Manichæi ipsi studiose composuerant. Ex Goario enim Guillelmus Cave aliquod fragmentum recitat, quo ejusmodi libro anathema dictum est. Hunc pariter unum fuisse ex Scythiani libris, sed a Manete in immensum auctum, et innumeris locis interpolatum, ut propriis studiis indulgeret, idem auctor asseverat. Quare in duas et viginti partes alphabetico ordine fuisse divisum, Syriaca et Palmyrena lingua descriptum, Tollius pronuntiavit. Hos libros deinde quartus excipiebat, quem nonnulli Omnium Negotiatio inscribi oportere, ex quibusdam corruptis mss. Græcis exemplaribus, perperam omnino testati sunt. Alium titulum vero habuisse cum ex Timothei Constantinopolitani scriptis, tum ex aliis insignioribus vetustis exemplaribus, inter cæteros unus Guillelmus Cave, sua Litteraria Historia animadvertit. Quare variis conjecturis innixus, hunc libellum ex argumentis quæ continebat, ostendit suam potius denominationem accepisse, eumque appellatum : *De differentia eorum qui accedunt ad puram fidem.* Et quidem Manichæos de suæ fidei puritate falso gloriari consuevisse, jam paulo ante in præcedentibus ex Augustino probatum est, cum videlicet Catharistas, seu purgatores se ipsos vocitaverint (*a*).

4. Ut jam vero ad illa veniamus quæ post formulam Goarianam Cotelerius et Tollius ediderunt, alius liber dictus Apocryphus nobis occurrit, quo (ut Caveus ait) probabile est reconditiores Manichæorum ritus, præstigia, et exsecranda Religionis mysteria contenta fuisse, quorum rituum doctrina, non nisi mystis et nefandis eorum orgiis imbutis tradebatur. Cavei hanc conjecturam haudquaquam nos improbamus. Etenim Manichæorum schola præter communia illa dogmata, quæ in suos evulgabat auditores, alia quoque arcana et secretiora docebat et tuebatur, quæ non nisi hujus sectæ principibus et primariis ejus magistris innotescebant. Id quidem in sua hæreseos ejuratione, Turbonem non obscure testatum fuisse, jam ipsi præcedenti libro cap. 11 annotavimus. Eo autem in libro omnes profanos ritus, sacrilegasque cæremonias, jejunia, et orationes descripta fuisse, quibus Manichæi cultores Bematis, sacra et festa solemnia agentes, utebantur, verisimile est. Propterea in Coteleriana formula, ejusmodi rituum et præstigiarum libri hisce verbis indicantur (*b*) : *Damnanda esse omnia quæ ab illis in sacris fiunt atque celebrantur, quæque Manichaicis seu præstigiatoriis ipsorum libris continentur.* Sed omnibus iis quasdam interpretationes addebant, *Manetis dictorumque memorabilium commentaria appellatas.*

Inter Manichaicos scriptores quoque non infirmum locum habebat ille Addas, de quo in superioribus etiam verba fecimus. Is ergo unicum librum Modion appellatum conscripsit, qui pluribus axiomatibus et philosophicis principiis erat refertus, quæ tamquam penitus aliena et communibus rationibus natura insitis pugnantia, etiam primo intuitu, cognoscebantur. Cujusmodi profecto vel illa erant, quibus homines necessario ad **117** peccandum induci ex quodam malo auctore sine principio existente et Deo contrario affirmabant. Vel illa alia quæ ad summam divinæ Providentiæ contumeliam pronuntiabant, impie contendentes nimirum aspectabilem hunc mundum divino regimini atque gubernationi minime esse subjectum. Sed et duo testamenta, vetus et novum videlicet, ex quibusdam apparentibus contradictionibus, seu potius allegoriis et mysteriis, inter se pugnare, hujus libri auctor patefacere nisus fuerat. Et iterum de novo disserens Testamento, speciatim ostendere conabatur Manichaicæ sectæ errores ex eodem vim et robur et fundamenta omnia desumpsisse. Hæc, inquam, nefario diabolicoque eo libro contenta fuisse Titi Bostrensis volumina conscripta perspicue ostendunt (*c*). Is enim sanctissimus Arabiæ episcopus, auctore Heracleano episcopo Chalcedonensi, apud Photium (*d*), omnes sui studii nervos intendit, ut illius libri blasphemias, errores rejiceret et subverteret.

5. Curiosa tamen sunt quæ de Aristocrito haud postremo Manetis discipulo atque scriptore Guillelmus Cave recensuit. Qui etsi suum præceptorem tamquam malum hominem traducere non vereretur, tamen ejus inhærens dogmatibus opus edidit *quo ostendere conabatur Judæorum, Gentilium, Christianorum et Manichæorum unam eamdemque esse doctrinam.* Quod argumenti genus etiam in suo libro Addas indicasse, ex antecedenter dictis perspicuum est. Cæterum non iis dumtaxat libris priores Manichaicæ sectæ principes, magistros, electos atque auditores usos fuisse, ex variis veterum monumentis intelligimus. Timotheus enim Constantinopolitanus presbyter, libri Precum meminit, in quo precationum et præstigiorum formulæ continebantur. Quare pœnitentes Manichæi in suis ejurandis erroribus Orationum librum quoque anathematizare jubebantur. Cujus quidem generis sunt et omnes aliæ apocryphæ scripturæ in Gelasiano decreto descriptæ, quas vel ex Manichæo, vel ex ejus discipulis prodiisse, veteribus scriptoribus persuasum fuit, ut videre est apud Caveum, sæculo Novatiano, pag. 92.

Qui pariter duos alios incertæ ætatis hujus nefandæ sectæ scriptores recensuit, quos ex celebrioribus fuisse asseverat. Horum prior est Agapius, scriptor (ait) satis obscurus, cujus utpote, præter Photium, nullus (quod sciam) veterum meminit. Caveo Tillemontius (*e*) suffragatus est, qui Photii testimonio pariter adhærens, Agapium Eunomio facit coævum; huncque suis scriptis exagitasse ac perstrinxisse affirmat, quamvis ad Manichæorum partes jam turpiter ille defecisset. Hinc tamen inter utrumque aliquod dissidium. Nam Caveus altius res repetens, et ad ea quæ de Agapio Petrus Siculus scripserat animadvertens, aliter Photii testimonium explicari posse contendit. Agapium quidem unum fuisse ex duodecim Manetis discipulis, qui librum confecit Heptalogum dictum, jam ex eodem Petro Siculo ipsi annotavimus. Qui igitur fieri potuit ut is Eunomii ætate adhuc superstes contra eum ejusque errores stylum strinxerit? Ab anno enim quo Manetis hæresis damnanda innotuit ad Eunomii Aetii notarii lapsum octoginta et amplius anni fluxerunt. Quod sane temporis intervallum minime cum hisce duobus cohærere potest; ut videlicet unus et idem Agapius ex duodecim primariis Manetis discipulis fuerit, et tamdiu vixerit ut Eunomium suis scriptis potuerit exagitare.

Gravem hunc scopulum quem prævidit Guillelmus Cave, multo studio præcavere nisus est. Sed utrumque contingere potuisse asseverans, alias et alias conjecturas tum ex Epiphanio, tum ex Cyrillo Hierosolymitano, quas ad rem suam facere arbitratur, adducit, lectorem eas perpendere admonet, **118** atque *tandem nihil in hac parte pro certo* statuere velle definivit. Cujus quidem rei statum, sive rationem diligentius inquirere nunc nobis otium haudquaquam est, cum plane interciderint, aut saltem prorsus lateant vetustiora illa monumenta quæ ejusmodi quæstionem dirimant.

6. De reliquis igitur Agapii Operibus, aliqua dua-

(*a*) Tollius laudatus a Cave, pag. 142.
(*b*) Augustinus, lib. de Hæresibus, hæres. 46.
(*c*) Titi Bostrensis Opera, tom. IV Bibliothecæ PP., pag. 447, floruit anno 362.
(*d*) Photius, cod. 85. Aristocritus Manichæorum scriptor.
(*e*) Tillemontius, in Memoriis ad Ecclesiast. Hist., tom. IV, pag. 403.

taxat dicenda supererunt, cui laudatus Photius duo alia Opera adjudicavit. Horum alterum in viginti duos est dispertitum libellos; alterum vero centum et duo capita complectebatur, et utrumque Uraniæ cuidam, sectæ suæ mulierculæ studiique sui sociæ, ipse auctor nuncupavit. Si curiosius præterea ex Photio sciscitemur cujus generis argumenta his in libris Agapius explicaverit, illud evidentissime patebit, sola nefaria ac fabulosa commenta iis in Operibus contenta fuisse, quæ ex Turbonis confessione et Augustini testimoniis in superioribus luculentius ipsi explicavimus, in quibus expendendis nunc iterum immorari supervacaneum ducimus (*a*).

Sed in hunc eumdem incertæ ætatis scriptorum ordinem quemdam Alexandrum rejiciendum esse Guillelmus Cave arbitratus est, quem Lycopolitam, ex Lyco una Thebaidis Ægypti urbe, veteres appellarunt. Erat quidem primum cultu gentilis. Deinde vero cum Manichæi se in eas Ægypti recepissent regiones, ad horum castra transfugit. Demum autem ejurata nefaria hac hæresi catholicam professus est religionem. Jam vero antequam se ab hujus hæreseos labe purgaret, librum de Manichæorum Placitis, quæ optime et intime noverat, conscripsit; in quo, eodem Caveo auctore, interiorem eorum sensum accurate exponit, et malesana hujus sectæ dogmata rationibus ex arcano philosophiæ petitis solide refellit. Hujus scribendi stylum veluti duriusculum *parumque difficilem* idem Caveus taxat; nec ejus ætatem certo definire ausus est, etsi non longe remotum fuisse a Manetis temporibus suspicetur; cum idem Alexander affirmet ea dogmata *ab iis* qui *cum homine familiariter conversati fuerant accepisse*. Quæ verba ad Papum et Thomam Manetis discipulos referenda esse arbitramur, cum de his duobus dumtaxat faciat mentionem. Varia demum hinc inde collecta de hujus Alexandri operibus et ætate, Guillelmus Caveus retulit, parum quidem inter se cohærentia, quæ a nobis prætermittuntur, ne incertis dubiisque rebus insistamus.

7. Jam vero de Adimanto, celebri quidem Manichaicæ sectæ discipulo (quem cum Adda Caveus, ut vidimus, olim confuderat), verba faciamus, præsens nostrum postulat institutum. De hujus autem scriptis atque gestis non semel suis in Operibus Augustinus disseruit; sed ita cum eo congreditur, ut hominem ex hac luce migrasse describat, illiusque dumtaxat scripta exagitet et convellere conetur. Id quidem ex priori libro Retractationum, cap. 13, innotescit, quo nimirum, Opera a se ipso conscripta recensens, cum adhuc presbyteratus ordine fungeretur ait: *Eodem tempore* (*b*) *venerunt in manus meas quædam disputationes Adimanti, qui fuerat Manichæi discipulus, quas conscripsit adversus Legem et Prophetas, velut contraria eis evangelica et apostolica scripta demonstrare conatur.* Adamantici igitur istius libri titulum atque scopum nobis indicat S. doctor; sed cum scriptorem *Manichæi discipulum* ibi appellet, et de eo tamquam de homine diu vita functo verba faciat, vix dubitare possumus et Manetem audiisse, et, ejus parente, *Adda* nimirum, agente, inter secundi ordinis discipulos saltem locum obtinuisse (*c*). Sed et Adimanti Operum præterea idem Augustinus libro contra Faustum meminit. Primo quidem cum **119** sub istius nomine verba ponens, hunc Faustum, veluti de sua, Manetis et Adimanti doctrina gloriantem, quasi in scenam venire compellit, qui elatus insania audacius affirmabat: *Satis superque jam in lucem traductis erroribus ac Judaicæ superstitionis simul, et semichristianorum abunde detecta fallacia, a dilectissimo, scilicet, et solo nobis post beatum Patrem nostrum Manichæum studioso Adimanto, non abs re visum est.* Ex quibus sane Fausti verbis, non tantum patefactum est consuevisse Manichæos, catholicæ religionis cultores, tamquam fallaciis et pravis dogmatibus deceptos postulare; sed et Adimanti scriptis insistere voluisse, quem tamquam alterum post Manetem illius profanæ sectæ antesignanum venerabantur. Iterum quoque idem Augustinus Faustum exagitat, quod ex ficto quodam, ab Adimanto adducto, Scripturarum conflictu, turpius errasset vel circa hominum, brutorum et vegetabilium substantiam, quorum vitam ejusdem esse naturæ Adimantus post Manetem fabulabatur; vel dum de animarum transitu, et in nova corpora commigratione, aut denique eum ex novi et veteris Testamenti Scripturis de vano superstitiosoque ciborum delectu ratiocinabatur. Hos enim potissimum errores, ex Adimanti voluminibus Faustum imbibisse, et ex eis horrendas blasphemias propugnasse, disertius idem Augustinus libro sexto demonstravit (*d*). Durius tandem sanctus doctor in ipsum Adimantum invehitur, eum refutans errorem quo docebat etiam rationales, id est hominum animas in belluina corpora posse contrudi, *Quid ergo faciet* (Adimantus, videlicet) *de tanto scelere, si quando tardum jumentum plagis aut concitatum freno fatigavit, in quo forte patris ejus anima fuerit? Ut non dicam, quod etiam occidere parentes suos inter pediculos et pulices potuerit, a quorum isti interfectione non temperant.* Noverat præterea Augustinus aliquos Manichæos hisce similibusque perstrictos rationibus, negare consuevisse usque ad ista minutissima animantia *revolvi animas humanas posse.* Quod quidem effugium ultro sanctus doctor concedens, ex eo occasionem sibi nactus est, ut magis atque magis Adimantum et cæteros Manichæos perstringeret. Quare a minutioribus ad grandiuscula progrediens, satis lepide eos illudebat, et ita erudite ratiocinabatur. *Quid enim eis prodest quod aliquando negant*, etc.? *Hoc enim negant ne tam multarum interfectionum rei teneantur, aut cogantur parcere pediculis, pulicibus et cimicibus, et tantas ab eis molestias, sine ulla cædis eorum licentia sustinere. Sed ut vehementer adhuc urgentur*, ideo Augustinus subjicit: *Cur in vulpeculam revolvi anima humana possit, et non possit in mustelam, cum catulus vulpeculæ fortasse etiam minor sit quam magna mustela.* Denique ut horum dictis plenius illudat, argumentum hisce claudit verbis: *Deinde si in mustelam potest, cur in murem non potest? Et si in istum potest, cur in stellionem non potest? Et si in eum potest, cur in locustam non potest? Vel in apem, vel in pulicem vel in aliud multo minutius pervenire?* Ex qua quidem disserendi ratione, Adimantum, cæterosque Manichæos innumerabilium homicidiorum reos fieri demonstrat, quippe qui cum superstitiosæ et nugatoriæ huic credulitati sive dictamini insisterent, eorum conscientia hisce maximis erroribus impedita gravius laborabat.

8. Hoc autem contra Adimantum libro, totus est Augustinus in conciliandis inter se Scripturarum sententiis, quas de Testamento vetere ac novo, velut invicem contrarias, idem Adimantus, utrumque Testamentum ab uno et eodem esse non posse contendens, corraserat. Sed alterius libri a se ipso contra eumdem editi idem meminit Augustinus; in quo primum positis Adimanti verbis, iisdem S. Pater suam reddiderat **120** responsionem. *Quod opus*, ait (*e*), *uno volumine conclusi, et in eo quibusdam quæstionibus non semel, sed iterum respondi, quoniam quod primum respondi perierat, et tunc inventum est cum jam iterum respondissem, aliquas sane earumdem quæstionum popularibus ecclesiasticis sermonibus solvi, adhuc etiam*

(*a*) Consule Photium, cod. 179, et Guill. Cave, dissert. de Script. incertæ ætatis, pag. 165.

(*b*) Id est anno 394 aut 395, ut novissimi Augustini Operum editores annotarunt. Consule tom. VIII pag. 79.

(*c*) Consule quæ diximus præcedenti cap. 2.

(*d*) Augustin., lib. VI contra Faustum, cap. 6, et lib. contra Adimantum Manichæi discipulum, cap. 12.

(*e*) August., lib. I Retract., cap. 22.

aliquibus non respondi. Si quis vero in his rebus plenius instituí cupiens, sciscitaretur ex nobis ad quos potissimum ecclesiasticos et populares sermones hic provocare voluerit Augustinus, huic interroganti illico respondebimus, calumniosa Adimanti objectamenta sermone 12 maxime diluere (*a*), quo videlicet, adhuc agere volens de Manichæorum fraudibus et dolis, in Adimantum invehitur, qui, studiose apostoli Pauli testimonio corrupto et depravato, contendebat inferre *Neque principes, neque potestates, neque virtutes Deum cognovisse.* Ut ergo ejusmodi evertat calumniam, ait : *Sed primo ab istis vellem quærere ubi Adimantus apud Apostolum legerit, nam talium calumniarum iste conscriptor est. Vellem ergo diceret ubi legerit testantem Apostolum et confirmantem, ut dicit* (*b*), *quod neque principes, neque potestates, neque virtutes Deum cognoverunt. Cum Dominus etiam hominum in se credentium dicat Angelos quotidie videre faciem Patris.* Hæc ergo et id genus alia profert Augustinus ad conciliandum videlicet celebre Jobi testimonium, quod cap. I, 6, legimus, cum illis aliis Matthæi verbis cap. V, 8, quibus Adimantus insistebat, ut utriusque Testamenti repugnantiam induceret et suaderet.

9. Verum enim vero cum de hoc Adimanto nihil aliud aut in Augustini Operibus, aut in aliorum scriptis scitu dignum occurrat, jam eo prætermisso ad Fortunatum presbyterum, Manichæorum quoque sectatorem horumque doctrinæ vindicem nostra se vertat oratio tandem necesse est. Is ergo, auctore Possidio, ejusmodi labe inquinatus, quando per Africæ regiones hæc infamis ac nefaria hæresis latius grassabatur, ut totam pene Hipponensem urbem et provinciam labefactaret atque corrumperet, nimis studiose allaboravit. *Eodem itaque ibidem conversante atque manente*, ita brevi hujus hæreseos virus succrevit, ut quam plurimi ex illius urbis civibus et peregrinis pestilenti hac contagione vitiati fuerint. Interea (ait idem Possidius) (*c*) *Hipponenses cives et peregrini Christiani, tam catholici quam etiam Donatistæ adeunt Augustinum presbyterum, atque deposcunt ut illum hominem* (Fortunatum videlicet) *Manichæorum presbyterum, quem doctum credebant, videret, et cum eodem de lege tractaret.* Cum hæc vero apud Afros in Hippone potissimum celebri urbe gerebantur, Arcadius Augustus et Rufinus, viri clarissimi, secundum agebant consulatum, illudque incidit in Christi an. 382. Quare S. presbyter Augustinus, ut omnium votis indulgeret, oblatam sibi provinciam subire minime detrectavit : Quinimmo, se omnino paratum exhibuit rationem de fidei rebus poscentibus reddere.

10. Cum itaque res ita disponerentur, Manichæi Fortunatum rogarunt cum Augustino subire periculum, ne communis eorum sectæ causa periclitaretur. At ipse Fortunatus, qui apud Carthaginem quondam Augustinum eodem Manichæorum morbo laborantem noverat, cum eodem congredi verebatur. *Sed tandem suorum maxime instantia coactus et verecundatus, promisit cominus se esse venturum, certamenque disputandi subiturum.* Die ergo quinta kalendarum septimi mensis apud Hipponem, *in Sossii balneis*, Augustinum inter et Fortunatum disputatio incœpta est. Ad quam audiendam magna populi frequentia convenerat, astantibus potissimum doctis et curiosis viris, qui utrisque partibus, ut fieri solet, studebant. Tum vero *notariorum tabulis* apertis, Augustinus diputationem orsus est; et quæstio potissimum versabatur *unde malum sit.* Qua

121 in re, cum is catholicæ doctrinæ propugnator exortum fuisse *hominis malum ex libero voluntatis arbitrio explicaret; illo autem* (Fortunato, videlicet) *naturam* A *mali Deo coæternam persuadere moliente*, sed in disputatione postremæ diei parum sibi constante, *confessus est nihil se adversus nos invenire quod diceret. Sed responsione deficiens, ultimo collaturum se cum suis majoribus ea quæ refellere non potuit prosecutus est, et, si sibi forte de his satis minime fecissent, suæ animæ consulturum promisit* (*d*). Hæc laudato loco narrat Possidius, cujus tamen rei nos magis reddunt certiores ejusdem Fortunati presbyteri verba coram omnibus in secundæ diei disputatione pronuntiata, quæque cum a notariis exciperentur, in ecclesiasticis tabulis præterea fideliter scripto consignata fuere, ut videre est etiam in calce ad disputationem secundæ diei, quæ cum priori exstat tomo VIII Operum S. Augustini. Interim vero nemo arbitretur Fortunatum Manichæum tali tantoque pudore, verecundia et dedecore auctum, a suis erroribus resipiscere cogitasse, aut catholicis nomen in posterum dare voluisse. In id consilii profecto quilibet sanæ mentis homo, cui suæ fidei res nutari et ad exitium deduci intelligeret, statim B incidisset. Sed Fortunatus ille tanta affectus confusione de *Hipponensi urbe profectus, ad eamdem amplius non remeavit, nec tamen catholicus factus est.* De hoc tandem Fortunato Manichæo presbytero nullibi, quod sciverim, Augustinus facit mentionem (*e*). Hujus dumtaxat quædam exstat epistola ad alium scripta Manichæum presbyterum, quem Felicem fuisse congregationis S. Mauri Patres in novissima Augustini editione suspicati sunt. Hunc ergo Augustinus jam ad episcopatum Hipponensem assumptus hisce verbis compellavit : *Itaque denuntio tibi in nomine Christi, ut si paratus es, solve quæstionem in qua defecit prædecessor tuus Fortunatus ; et ita hinc ierat, ut non rediret, nisi cum suis disputatione collata inveniret quid contra respondere posset disputans cum fratribus.* Ex his itaque liquet presbyterum hunc Manichæum, qui Fortunato successerat, ab Augustino excitatum et provocatum fuisse ad eamdem solvendam quæstionem, in qua turpius ejus defecerat prædecessor. Qui C ita ex Hipponensi urbe dilapsus est, ut studiose confinxerit cum cæteris Manichæorum principibus se velle conferre, quæ ei fuerant objecta.

11. Fortunatum hunc presbyterum Faustus, gente Afer, civitate Milevitanus, Manichaicæ sectæ episcopus, excipit, qui anno quadringentesimo floruit. Hujus ingenium, studia, animi dotes, et scripta inter cæteros unus Guillielmus Cave (*f*) descripsit dicens : *Vir fuit eloquio suavis, ingenio callidus, loquax potius quam eloquens, sciolus magis quam solide doctus.* Et rursus paulo infra subjicit : *Volumen vero conscripsit adversus rectam Christianam fidem et catholicam veritatem.* Nihilominus tamen laudatus scriptor non satis accurate hujus libri argumentum descripsit. Nam Augustinus, qui Fausti Manichæi opus sedulo lustravit, libro II Retractationum, cap. 7, quid istud in se contineret his verbis explicavit dicens : *Contra Faustum Manichæum blasphemantem Legem et Prophetas, et eorum Deum, et incarnationem Christi, Scripturas autem novi Testamenti, quibus convincitur, falsatas esse* D *dicentem, scripsi grande opus, verbis ejus propositis reddens responsiones meas.* Hunc hominem quidem noverat Augustinus, qui, in suarum Confessionum sincero sacrificio, quemadmodum in Manichæorum sectam incidisset prolocuturus, ait : *Jam venerat Carthaginem quidam Manichæorum episcopus Faustus nomine, magnus laqueus diaboli, et multi implicabantur in eo per illecebras suaviloquentiæ... fama enim de illo prælocuta mihi erat, quod esset honestarum omnium doctrinarum peritissimus, et apprime disciplinis* **122** *liberalibus eruditus.* Ejusmodi porro Fausti Manichæi fama apud suos asseclas valde pervulgata, jam diu

(*a*) Serm. 12, alias de diversis 16, tom. VI pag. 50 et 51.

(*b*) Ibid. cap. 11.

(*c*) Possidius, in Augustini Vita, cap. 6, tom. X pag. 75, in edit. PP. S. Mauri, et tom. VIII, pag. 67.

(*d*) Augustinus, Retract. lib. I, cap. 15; et Possidius, ibid., cap. 6.

(*e*) August., lib. Retractationum laudato, cap. 16, et epist. 79, alias 244.

(*f*) Guillielmus Cave, Hist. Litteraria, pag. 218.

desiderium in Augustinum excitaverat eum docentem et disputantem audiendi. Nam si quandoque annorum novem spatio, quo erranti quasi animo S. Pater huic sectæ hærere videbatur, in *auditorum* dumtaxat, non *electorum* classem redactus, in difficiles offendebat nodos, atque quæstiones, quas profanæ illius religionis cæteri homines solvere nesciebant, nimis extento *desiderio venturum exspectabant illum Faustum cujus adventu* (ait ipse) *collatoque colloquio, facillime mihi hæc, et si qua forte majora quærerem, enodatissime expedirentur* (a). Id sane cæteri Manichæi cum Augustino de fidei rebus congredientes promittebant. Quasi quod illius nefandæ sectæ mysteria uni dumtaxat essent Fausto episcopo revelata. Augustinum tandem ejusmodi gentis Manichaicæ fama fefellit. *Si quidem ubi venit, expertus sum* (ait) *hominem gratum, et jucundum verbis, et ea ipsa quæ illi solent dicere multo suavius garrientem. Sed quid ad meam sitim pretiosiorum poculorum decentissimus ministrator?* Jam similibus rebus Augustini aures fuerant satiatæ, nec ideo illi meliora videbantur, quia melius dicebantur, nec ideo vera, quia diserta, nec ideo sapiens anima, quia vultus congruus, et decorum eloquium. Sed ad particularia ejusdem Fausti gesta, sciendi facultatem, divinarum naturaliumque rerum cognitionem descendens, quid quantove in his homo ille tantopere a suis æstimatus polleret, cum variis in familiaribus congressionibus idem Augustinus expertus esset, hocce postremum de eodem protulit judicium. Cum videlicet ab eorum opinione recessisset quibus prudens et sapiens videbatur, quia delectabat eos loquens, scribit: *Post varia igitur familiaria pericula expertus sum prius hominem expertem liberalium disciplinarum, nisi grammaticæ, atque ipsius usitato modo, et quia legerat aliquas Tullianas orationes, et paucissimos Senecæ libros, et nonnulla poetarum, et suæ sectæ, si qua volumina Latine atque composite conscripta erant. Et quia aderat quotidiana sermocinandi exercitatio, inde suppetebat eloquium quod fiebat acceptius, magisque seductorium moderamine ingenii et quodam lepore naturali.* Ejusmodi ergo animi corporisque dotes, quas cæteri Manichæi in Fausto episcopo admirabantur, nec leniter Augustini ingenium demulcere, aut seducere potuere. Nam postquam illi satis earum artium imperitus apparuit, quibus excellere et fama venditabat, et Augustinus ipse putaverat, is statim desperare cœpit posse Faustum aperire et dissolvere eas quæstiones in quibus, spectatis Manichæorum fabulosis principiis, ejus animus nimis fluctuabat. Id præsertim ei evenisse fatetur, cum, conversis oculis in eorum libros nugis refertos, omnia quæ de cœlorum, siderum, solis et lunæ motibus, qualitatibus affirmabant perfecte scire et intelligere cupiebat. Quæ omnia Faustus, in mathematicis disciplinis nusquam eruditus, cum minime explicare posset, quemadmodum eum confiteri non puduit; illico omnis Augustini conatus, quo proficere in illa secta statuerat, illo homine cognito, prorsus intercidit, non ut ab eis omnino se separaret, sed quasi melius quidquam non inveniens eo quo jam quoquo modo irrueret. Defervescente igitur ejusmodi prava Augustini cupiditate pro addiscendis omnibus Manichaicis dogmatibus atque mysteriis, quasi derepente ejus animus cœpit nutare. Qui quamvis non illico divinæ gratiæ motibus acquieverit, aut obtemperaverit, tamen manus Domini in abdito *providentiæ suæ, non deseruerunt* animam ejus, *et de sanguine cordis matris* suæ, *per lacrymas ejus diebus ac noctibus pro filio sacrificium offerentis cum eo miris modis egerunt* (b).

12. Hæc itaque de Fausti gestis, studiorum ratione, scientiarum facultate, divinarum humanarumque rerum ejus cognitione, hujusque scriptis tradidit Augustinus, in quibus expendendis nos haud diutius immorari **123** possumus, ne Augustini potius, quam hujus Manichæi episcopi gesta pandere velle videamur. Illud unum tandem superaddendum esse arbitramur: Augustinum, videlicet, jam e Manichæorum laqueis solutum, atque ad episcopatus ordinem evectum, contra hunc Faustum stylum strinxisse huncque triginta tribus libris exagitasse (c). Quod sane opus ita ingeniose digessit, ut primo sub istius Fausti nomine verba posuerit, singulis capitibus totidem catholicas responsiones a se ipso conscriptas subjiciendo. Qualem vero finem Faustus ipse subierit, narrat libro v cap. 8, ubi S. Pater totus est in exprobranda Manichæorum audacia, qua temere et sacrilege contendebant se persecutiones et hominum odia sustinere propter justitiam, cum videlicet Africæ proconsules pœnarum rigore contra hanc nefariam sectam animadvertentes, *ipse Faustus convictus, vel confessus quod Manichæus esset, cum aliis nonnullis secum ad judicium proconsulare perductis in insulam relegatus est* (d). Sed de hoc judicii genere luculentius et commodius sequenti cap. acturi sumus.

13. Superest jam vero ut de quodam Secundino altero Manichaicæ sectæ vindice atque scriptore verba faciamus, quem gente Afrum fuisse perperam omnino Guillelmus Cave arbitratus est. Addidit præterea hunc hominem vixisse post Augustini ad Ecclesiam reditum, et absolutos de libero Arbitrio libros tres; sibique videri Secundini ad Augustinum epistolam, et Augustini ad Secundinum responsa, ad Christi annum 390 esse referenda. Quæ duo sane non nisi ab homine audentius divinante, et de Ecclesiæ scriptoribus falso et ex sola libidine ratiocinante, affirmari potuere. Et primo quidem quod ad ejus patriam attinet, Secundinum non ex Afrorum gente, sed ex Romano populo duxisse originem, ipsius indicant scripta. Etenim de semetipso disserens sic alloquitur Augustinum (e): *Legit enim aliquanta exile meum et qualecumque Romani hominis ingenium reverendæ dignationis scripta, in quibus sic irasceris veritati, ut Hortensius philosophiæ.* Se Romanum igitur Secundinus appellat, et ad ea provocat scripta quibus Augustinus, jam diu ad catholicam conversus fidem, Manichæos exagitaverat. Rursus idem Augustinus hunc ipsum hominem tamquam Romanum compellat, ita ejus ingenium, de quo Secundinus maxime gloriari videbatur, illudens: *Quæro abs te acuto ac solerte viro, et a tuo Romano, ut gloriaris, ingenio, unde habeat ista boni natura pati posse quod patitur, ut consentiat malo* (f).

Nec minor est Guillelmi Cavei allucinatio, vel (g) oscitantia in definiendo tempore quo vel Secundinus Augustinum suis scriptis adorsus est; vel cum is, contra eum exarato opere, omnia ipsius epistolæ argumenta rejecit. Nam si Prospero, Possidio aliisque supparibus scriptoribus fidem adhibere volumus, Augustinus, ejurato Manichæismo, anno 387 catholicorum societati se adjunxit. Si igitur hocce Secundinum inter et Augustinum litterarum commercium in annos post hujus ad Ecclesiæ reditum rejiciendum esset, ut Guillelmus Cave oscitanter commentus est, jam inde isthæc staret consecutio, videlicet, circa Christi annum 390 ejusmodi scripta fuisse evulgata. Verum laudata consecutio illico caderet, si Secundinus suis in scriptis Augustinum subdole jam veluti episcopatus honorem adeptum vellicaret et impeteret; et Augustinus ipse hujus calumniis occurrens, callido homini se catholicorum episcopatum obtinuisse non dissimularet. At Secundinus revera Augustinum insimulat quod a Manichæo timore quodam et asse-

(a) Confess. lib. v, cap. 6.
(b) Eodem lib. v, cap. 7.
(c) Augustini libri triginta tres contra Faustum Manichæum exstant tom. VIII, pag. 131.
(d) August. lib. v contra Faustum, cap. 8.

(e) Secundini epist. ad Aug.
(f) Augustin. lib. contra Secundinum cap. 19, tom. VIII, pag. 383.
(g) Guillelmus Cave, sæcul. Arian. ad Christi an. 390, pag. 184.

quendi honoris cupiditate allectus defecisset; atque inter scribendum iis semper usus est phrasibus quas cum episcopis dumtaxat adhiberi fuit consuetum, videlicet, *salutarem tuam egregiam sanctitatem*, **124** *domine merito laudabilis et percolende;* vel illam: *illud vero facere non possum tuæ patientissimæ sanctitati* (a); aut denique hanc aliam: *quamquam hæc tuæ sanctitati dicere nimis absurdum sit;* atque id genus alia vocabula, quibus soli episcopi tunc temporis honorabantur. Quid plura? Augustinus ipse, Secundino occurrens, se jam episcopatus honorem assecutum fuisse asseverat. *Quamobrem* (ait) *etsi non bona de me suspicatus sis, quod carnali timore alicujus incommoditatis, quæ de vestra societate mihi accidere poterat, hæresim Manichæorum reliquerim, vel cupiditate honoris quem in catholica adeptus sum.* Quid vero diutius in his immorabor? Suorum quidem librorum temporis aliquam rationem nobis Augustinus ipse duobus in Retractationum libris reliquit. In quibus recensendis, cum suæ vitæ ordinem sequatur, librum de quo agimus inter eos retractat quos episcopus elaboraverat. Id profecto Caveus novisset, si cap. 10 lib. II Retract. consulere voluisset, ubi hujus contra Secundinum libri diserte meminit, ut post hæc observabimus. Cum igitur Augustinus, jam presbyter factus, episcopalem dignitatem non nisi anno 394 fuerit assecutus, inde sequitur ante hoc tempus illud litterarum commercium inter eos intercedere non potuisse.

Diligentius tamen congregationis S. Mauri PP. in novissima Augustini Operum editione hanc veritatem scrutati sunt (b). Et probabilioribus tandem conjecturis innixi, ejusmodi cum Secundini Manichæi tum Augustini catholici episcopi scripta in annum 404 aut in sequentem, qui est decimus sive undecimus post adeptum ab Augustino episcopatum, rejicienda esse arbitrati sunt, ita scribentes: *In Retractationibus proxime sequitur opus de Natura boni, quod libris contra Felicem in fine anni 404 conscriptis subnectitur. Pertinet itaque hic liber* (*contra Secundinum*) *ad annum circiter* 405.

Jam vero annotatis Cavei allucinationibus, quarum altera ad Secundini Manichæi patriam, altera ad tempus illius conscriptæ epistolæ pertinet, tertiam adhuc, quæ cæteris gravior est, describere et præcavere debemus. De eodem enim Secundino ita scripsit: *Magna illi cum Augustino intercesserat familiaritas, dum uterque in hæresi Manichæorum versaretur.* Nugas garrire Caveum nemo ignorare potest qui Augustinum consulat. Is sane hunc hominem numquam vidisse, citra omnem mendacii labem sincere fassus est, quamvis ambo Romæ quondam Manichaicis laqueis fuissent irretiti. Laudato enim II libro Retract. cap. 10 hæc habet Augustinus (c): *Secundinus quidam, non ex eis quos Manichæi electos, sed ex eis quos auditores vocant, quem nec facie quidem noveram, scripsit ad me veluti amicus, honorifice objurgans quod oppugnarem litteris illam hæresim, et admonens ne facerem, atque ad eam potius sectandam exhortans cum ejus defensione et fidei catholicæ reprehensione.* An Caveus, si quid operis impendisset in perquirendis ex Augustino Secundini gestis, patria, moribus, familiaribusque sociis, in eam opinionem fuisset lapsus? An postremo loco magnam inter hos duos homines intercessisse familiaritatem affirmasset, dum uterque *in hæresi Manichæorum versabatur*, cum eum hominem nec facie vidisse asseveret Augustinus?

3. Interim tamen hæc prætereamus, et nostra oratio potius se convertat ad epistolarum commercium quod Augustinum inter et Secundinum Manichæum habebatur, earumdem epistolarum argumenta exquirentes. Et primo quidem Secundinus se Augustini amicum simulans, hunc suis litteris adoritur, vellicat, atque carpit, quod a Manichaica defecisset secta. Quam ob causam, Manetis Persæ iram indignationemque in judicii postremum diem subeundam Augustino imprecatur. Huic duas defectionis causas objicit: alteram **125** ex timore, quo vereri contingit omnes sæculi corporales pœnas, injuste Manichæis indictas, vel quandoque publice potestate inflictas; alteram vero ex honoris cupiditate ortam; qua videlicet Augustinus laborans, episcopatus gradum in catholica Ecclesia sibi dari concupierat. His itaque calumniis voluit occurrere Augustinus, et celebre quoddam opus elucubravit quod in sex supra viginti capita distribuit (d). Atque potissimum duas præcipuas sibi calumnias subdole et falso intentas diluere nititur. Primo non ex alio timore suam a Manichaica secta defectionem repetendam esse ostendit, quam ex Apostoli ad Timotheum verbis cap. IV, 1, videlicet: *Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum*, quæ in Manichæos quadrare veteribus omnibus abunde fuit persuasum. At ad posteriorem suæ defectionis causam sermonem convertens, eumdem Paulum apostolum ad Romanos interpellat, sequentia verba usurpans (e): *Gloria autem et honor, et pax omni operanti bonum*, ut indicaret, videlicet, non a mali opifice quem Manichæi confingebant, sed a summo incommutabilique bono isthæc dona derivari, palam et sine ulla prorsus ambiguitate fatetur. Neque in his dumtaxat duabus refellendis calumniis Augustinus *insistit:* sed singula proferens et prosequens *instituta quæ ex Manichæorum schola Secundinus objecerat*, prospero felicique gressu, omnia et singula adversæ partis argumenta tandem dissolvit, rejicit, atque subvertit. Duos tandem ejusdem nominis viros Augustinus contra Donatistas disputans recensuit; quorum alterum Secundinum a Codia, alterum Secundinum a Carpis appellavit (f); qui cum valde diversi sint a Secundino Manichæo, hic annotare debuimus, ne quisquam unum cum alio confundens in errorem incideret. Hisce autem hactenus conscriptis, nos oporteret adjungere Felicis quondam Manichæi presbyteri gesta, qui binas saltem, aut ternas cum Augustino publice habuit disputationes. Idque in magnum lectoris commodum cessisset, ne huc illucque eum vagari sineremus, pro conspiciendis rebus in Africa Augustini ævo a Manichæis gestis, simulque ut sub unico tantum capite patefaceremus ea quæ in hujus cap. exordiis pollicebamur. Verum quia istius Manichæi disputatio non ad privatorum hominum contentionem, sed ad publicam catholicæ Ecclesiæ causam pertinere nobis visa est; quia et eo tempore habita quo sacerdotes sæculique judices in Manichæos variis pœnarum generibus animadvertere cœperant; quia præterea Felix ipse presbyter post habitas cum Augustino collationes, de errore convictus, ejurata primum nefaria hæresi, omnem labem delere conatus est, catholicorum communioni se consociando, idcirco cum de eo, tum de aliis Africæ potissimum Manichæis publico judicio convictis, qua poterimus brevitate opportunius sermonem habebimus.

126 CAPUT IV.

S. Leonis Magni, Gelasii, Symmachi atque Hormisdæ Romanorum pontificum agendi ratio in disperdendis atque igne concremandis Manichæorum libris, a notis criticis Beausobrianis vindicatur. Veterum quoque ethnicorum exemplis ostenditur gravissimum nefas

(a) Secundini Manichæi epist. ad August. exstat tom. VIII, pag. 370.

(b) PP. Congregat. S. M., in Aug. Opera, quorum annotatio exstat tom. VIII Conc., pag. 371.

(c) August. II lib. Retract., cap. 10.

(d) August. lib. contra Secundinum cap. 11.

(e) Apost. ad Rom. cap. II, 16.

(f) August. lib. VI contra Donatistas alios duos Secundinos commemorat.

semper judicatum fuisse, eorum librorum lectionem populo permittere, ex qua in rebus ad religionem pertinentibus etiam leviter a majorum institutis posset resilire.

1. Etsi non sim nescius quantum ea Romanæ Ecclesiæ agendi ratio quibusdam invisa sit, qua perpetuo consuevit acatholicorum hominum codices et volumina disperdere, atque igne concremare, non debeo tamen in præsens de ea sermonem præterire, ex Beausobriano scribendi ratiocinandique scopo occasione arrepta. De quatuor Romanis pontificibus qui Manichaicos libros legendos proscripserunt, et omni adhibito studio igne concremandos tradiderunt, non semel verba fecit Beausobre huc illucque varias querimonias spargendo, quod libri hujusmodi ad antiquorum philosophiæ theologiæque cognitionem pertinentes, prorsus perierint, ex quibus sincere ea dogmata et systemata hauriri possent quæ ab iisdem hæreticis propugnabantur (*a*). Taxat pariter, vellicat atque carpit hanc agendi rationem, veluti injustam; sed imprudenter et insulse. Nam tantæ eruditionis virum, qualem se esse jactat, summopere dedecet ea ignorare quæ quovis tempore et apud quamcumque religionem obtinuerunt. Primo ergo animadvertat eam religionem a veteribus esse appellatam, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque affert. Comitem habere pietatem sanctitatemque in iis qui divinis præsunt rebus, et rerum civilium œconomiam administrant, Cicero ipse fassus est. Istis namque ob muneris præstantiam, et dignitatum auctoritatem, ea omnia necessario proscribere et præcavere incumbit quæ divini Numinis cultum aut labefactare aut ad exitium perducere possunt. Propterea quidquid ab imperitorum opinionibus ficte in alicujus etiam profanæ religionis detrimentum et labem aliquando excogitabatur, illudque de novo inter res sacras sensim induci curabatur, omni nisu quælibet natio a suis ritibus ejecit et exhorruit, variis pœnarum generibus eos etiam coercens, qui, mutatis patriis legibus, res divinas aliter facere ausi essent.

2. Cujus quippe rei, etsi innumera exempla proferre possemus ex Tito Livio, Romanarum rerum scriptore; tamen ne extra præscriptos concertationis limites vagari videamur, illud unum interim in medium proferimus, quo intelligimus Romanos *externæ* et *novæ religionis* inductionem improbasse, eamque tamquam sibi, majoribus et diis perniciosam abolendam judicasse. Dum ergo, consulatum agentibus Q. Fabio, T. Sempronio, cum Annibal videlicet in Tarentino agro æstatem consumpsit, et quo diutius bellum trahebatur, inter cætera, etiam religionis res variabant, et potissimum ex parte externa, ita *ut aut homines, aut dii repente alii viderentur facti*. Nec jam in secreto modo, neque intra parietes abolebantur Romani ritus; sed in publico etiam, ac foro, Capitolioque, mulierum turba erat, nec sacrificantium, nec precantium deos patrio more. Cum itaque malum tam graviter increvisset, et potentius apparuisset, quam per *minores magistratus sedari posset*, M. Atilio prætori Urbis negotium a senatu datum est ut his religionibus populum liberaret. Is ergo et in concione **127** senatus-consultum recitavit, et edixit: *Ut quicumque libros vaticinos precationesve, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes, litterasque ad se ante kal. Aprilis deferret, ne quis in publico sacrove loco, novo aut externo ritu sacrificaret.*

3. Hocce autem studium in catholicæ religionis munimen et præsidium sacro divinoque inspiratos consilio Romanos pontifices aliosque pastores et im-A peratores christianos adhibuisse, non inficiatur Beausobre. Qui tamen, magistratuum et antiquorum ethnicorum principum agendi rationem et œconomiam minime animadvertens, censorio stylo notare et carpere ausus est quotquot ex catholicis PP. ignibus concremandos et disperdendos Manichaicos libros jusserunt. Id non tantum in priori suæ Historiæ parte annotavit, sed disertius explicavit in sermone prolegomeno partis secundæ, quem orditur affirmando et statuendo valde difficilem rem, aut fere impossibilem esse, hodierna die justam et completam ideam exponere ad philosophiam theologiamque Manichæorum pertinentem; quia eorumdem scripta volumina amplius non existunt (*b*). Ait postmodum se nescire an inter antiquos Leo Magnus primus fuerit, qui Manichaicos libros disperdi et concremari jussit; scire tamen hunc fuisse imitatum a suo successore Gelasio, qui horum codices ante ecclesiam S. Mariæ ut incenderentur mandavit. Quam consuetudinem Symma-B chus papa paulo post secutus est. Nam ex Anast. Bibliothecario habemus: *Manichæorum omnia simulacra*, vel *codices*, *ante fores basilicæ Constantinianæ incendio cremavit*. Contendit primo Manichæorum *simulacra incendio* cremari haud potuisse. Tum quod *magi*, quorum religionem Manichæi prosequebantur, ex Epiphanio (*c*), idola non habebant; tum denique quia Manichæi *ignem*, *solem* et *lunam* colebant, quarum rerum idola haud poterant incendi. Denique concludit Hormisdam pontificem in horum hæreticorum causa suorum prædecessorum exemplum esse secutum. Ex hactenus descriptis nihil occurrit quod videlicet graviter lædat Romanorum præsulum agendi rationem. Infirmum dumtaxat illud dictum offendimus, quo contendit non potuisse Symmachum papam Manichæorum *simulacra* concremare, quia *ignem*, *solem* et *lunam* repræsentabant; quasi quod ejusmodi simulacris eadem vis et natura insit quæ ipsis rebus repræsentatis existit. Ignis quippe substantia, sicut *solis* et *lunæ*, incendio consumi non potest. Sed quis C negabit simulacra horum lignea, testacea, conflatilia, haud posse incendi?

4. Post hæc auctor Beausobre sensim se in lectoris animum insinuare quærit; et, cujusdam ignorantiæ prætextu, hinc inde disserit, an antiquorum episcoporum laudari oporteat studium, quo Christianorum imperatorum animus movebatur, ut hæreticorum libros igni tradendos decernerent, capitisque sententiam contra eos juberent qui similes libros aut legere aut apud se retinere ausi essent. Quarum legum scopum et finem bonum fuisse sibi persuadet; sed simile exemplum taxat tamquam valde perniciosum, adhuc ab ipsis Christianis veluti injustum et violentum condemnatum. Hanc futilem atque veneno aspersam conjecturam (quam nostri ævi scioli omnes sequuntur) ut probaret, vel eidem robur adjiceret, ad alteram Justini martyris apologiam provocat, in qua amare plorat Romanorum legem contra eos latam qui *Sibyllinos* et *Hystaspis* libros consulebant, quibus D Christiani ad sua dogmata confirmanda utebantur. At quis non intelligit justissimam fuisse S. martyris Justini querimoniam? Sibyllini enim libri apud ethnicos erant in usu. In arduis enim aggrediendis rebus vel expediendis Romani ipsi ad hos libros provocabant, ut inde subsidia haurirent. Quare ergo in imperii negotiis præfatis libris fidem præstabant, **128** et in Christianæ religionis odium, quam obscure saltem vaticinabantur, in eos tantopere excanduerunt, ut ipsos disperderent? Arbitrabatur igitur Justinus hos libros ethnicis ipsis etiam subsidia exhibere posse ut facilius Christo nomen darent. Siquidem tantam in eos fiduciam habebant, auctore Tito Livio (*d*): *Ut ex senatus consulto, cum insanabili perniciei finis non in-*

(*a*) Beausobre, lib. I, cap. 12, et in sermone prolegomeno ad alteram partem.
(*b*) Beausobre, serm. prælim. ad II part., p. 218.
(*c*) Epiphanius, ab eodem laudatus, lib. contra Hæreses.
(*d*) Titus Livius, lib. V, cap. 13, et lib. XXXVIII, cap. 45.

veniretur, libri Sibyllini aditi sint. Justini ergo querimonia non in eo sita erat, quod deperdita fuerint sacra monumenta ad catholicam fidem confirmandam apta et idonea; sed quod ethnici se quibusdam subsidiis privaverint, ex quibus aliquod saltem exiguum lumen nostræ Christianæ fidei haurire potuissent. Cæterum quis umquam affirmare potuisset Sibyllinos libros fuisse vel necessarios vel idoneos ad confirmandos catholicos in sua fide? Scripturis utriusque Testamenti edocebantur, apostolicam prædicationem audiebant, perpetuis miraculorum signorumque experimentis illuminabantur, ne quidquam dicamus de summa pastorum cura et sollicitudine in primis Christianis instituendis et in fide roborandis. Iis ergo minime opus erat ad Sibyllinos libros provocare. Quod si Justinus aliique ex veteribus Patribus ad eos provocarunt ut ethnicos perstringerent, id dumtaxat ex quadam suppositione factum esse censemus. Quia videlicet sciebant hos libros ab eorum majoribus, sacerdotibus, pontificibus et magistratibus in veneratione habitos fuisse. Cadit ergo prorsus Beausobre argumentum ex Justini martyris querimoniis desumptum, et propterea ad nostrum scribendi scopum, a quo paululum discessimus, regrediamur. Et quidem quæ utilitas qualiave subsidia haurire potuissent catholici ex Manichaicis libris, ut aliqua ducti ratione de Romanorum pontificum decretis conqueri potuissent? Quid præterea? Manichæi ad fidem auctoritatemque suis codicibus vindicandam, falso iisdem gravissima sanctissimaque pietatis nomina imposuere: *Evangeliorum* videlicet, *Mysteriorum*, *Revelationum*, *Thesaurorum*, et similia; atque ostentantes eos divinam scientiam continere, sacros tamquam canonicosque libros sub apostolorum nominibus inscribebant, apprime intelligentes non posse facile simplices, rudes et incautos homines decipere, nisi venenatam doctrinam quadam mellis specie prælinirent. *Quomodo* (ait S. Leo Magnus) *facilius decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prælinirent; ne usquequaque sentirentur insuavia, quæ essent futura mortifera*. Ad præcavendum ergo ne catholici prava impuraque dogmata ad Christianæ fidei labem et exitium imbiberent, ea œconomia necessaria fuit, ut ejusmodi scripta penitus auferrentur, et ignibus concremanda traderentur. Propterea S. episcopo Turribio, Asturicensis Ecclesiæ pastore vigilantissimo mandat, hujusmodi scripturarum exemplaria, *multarum falsitatum* seminaria, legenda non solum interdicere, sed penitus auferre, et ignibus concremare. *Curandum ergo est* (ait ipse Leo Magnus) *et sacerdotali diligentia maxime providendum, ut falsati codices in nullo lectionis usu habeantur. Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt et ignibus concremandæ* (a). Æquum autem justumque esse hocce S. Leonis decretum quis non videt? Fere id negat impudentissime Beausobre cum suis acatholicis, nimium philosophiæ et antiquarum rerum studium affectantibus; dicit ergo ibi interim se nolle primo reprehendere aut laudare hunc usum, tot legibus firmatum. Subjicit secundo quosdam revera libros reperiri incendio dignos. Cujusmodi sunt illi qui mores corrumpunt, aut religionis tum humanæ societatis fundamenta penitus subvertunt. Sed aliud genus librorum non ita perniciosum sat esset populis abscondere, non autem plane supprimere, cum non desint multi viri prudentes qui ex iisdem utilitatem haurire possent. Si igitur Manichæorum libri (concludit Beausobre) **129** tales sunt quales describuntur, ego auderem affirmare maxima injuria igni traditos fuisse, quoniam catholica fides majora emolumenta obtinuisset ea

A scripta conservando, quæ fabulis ridiculis et obscenis erant referta. Ita ratiocinatur Beausobre, fabulosa quædam Manichæorum dicta subjiciens, quæ ex superioribus Archelai Actis ipsi annotavimus (b). Eum tamen pudeat isthæc scripsisse. Quid? Manichæorum libri non subvertunt omnia nostræ catholicæ fidei mysteria? Quænam enim nostræ religionis dogmata non oppugnarunt, quænam etiam non evertere conati sunt? Percurrat apostolorum Symbolum, et dicat an unum fidei nostræ articulum intactum reliquerint? At hæc prætermittamus. Notum enim est, et pervulgatum apud omnes, Manichæos unius Dei existentiam inficiari, veram incarnationem, passionem, mortem, Christi Domini resurrectionem rejicere, eucharistiam aliaque sacramenta profanare, de Spiritus sancti adventu commentis sacrilegis fabulari? Quid plura? An non Manichæi Scripturas divinitus inspiratas, aut a malo auctore derivari affirmarunt, aut si novum Testamentum acceptarunt, illud non integrum et perfectum servandum esse dixerunt: sed B interpolationibus, mantissis aliisque falsis additamentis vulnerarunt et corruperunt? Uno verbo, nihil est in catholica religione quod Manichæi labefactare atque prorsus evertere conati non sint. Si igitur, auctore etiam Beausobre, ii libri incendio digni censeri debent qui religionis et humanæ societatis fundamenta subvertunt, jam Romanorum pontificum agendi ratio haud taxari et reprehendi potest, cum Manichaici libri utrumque præstarent. Nam præter crimina in religionem patrata, etiam nuptias et connubia solvebant, ab iisdem abhorrebant, et in nefariis luxuriæ vitiis quæ natura horret se exercitabant. An *similia in eorum* libris contenta sub nomine scripturarum *apostolorum* debebant a sacris ministris permitti? Sacrilegium apage (c).

5. Postremo cum hæc et id genus alia Beausobriana argumenta percurrerem, in eam facile veni suspicionem, auctorem nullam religionem habere, vel extrinsecus tantum profiteri. Si enim speciem aliquam pie- C tatis interius habuisset, sibi quoque in mentem revocasset qualem quantamque venerationem sibi conciliare possint scripta illa quæ sub nomine majorum jam auctoritatem magnamque famam habentium falso circumferuntur. Nihil efficacius enim ad religiones dissolvendas hisce libris reperiri posse, Q. Petillius, Lucio Petillio dixit, quando videlicet in hujus agro repertæ fuerunt duæ arcæ in quarum altera sub nomine Numæ Pompilii libri Pytagorici reperti sunt. Vulgata erat opinio qua credebatur Pytagoræ auditorem fuisse Numam. At cum ejusmodi libri, Latine et Græce conscripti, *Quorum septem primi de jure pontificio erant*, *septem vero postremi de disciplina sapientiæ quæ illius ætatis esse potuit*, eos sane conservare ad illarum facultatum studium consilium non habuerunt; sed, lectis rerum summis, cum animadvertissent pleraque ad religionem dissolvendam ordinari, ipse L. Petillio dixit *sese eos libros in ignem conjecturum esse*. Nec arbitretur Beausobre privata D auctoritate hos libros in ignem conjectos fuisse: sed delata re prius ad prætorem, qui censuit *eos libros legi servarique non oportere*, deinde ad senatum, qui statuit *libros primo quoque tempore in comitio cremandos esse;* tandem *libri in comitio igne a victimariis facto in conspectum populi cremati sunt* (d). Me prorsus latet an quisquam hactenus fuerit, qui L. Petillium prætorem, aut Rom. populi senatum tamquam injustum accusaverit aut reprehenderit, quod hujusmodi libri, quorum pleraque dumtaxat *dissolvendarum religionum* vim **130** habebant, incendio traditi fuerint. Id unum mihi exploratum est, in publico populi Romani conventu, communi omnium ordinum consilio, universo plaudente populo, quemadmodum co-

(a) S. Leo Magnus, epist. 15, cap. 15.

(b) Beausobre, præliminari serm. ad II partem, pag. 219.

(c) Consule quæ scripsimus cap. 11 præcedentis libri, de fabulosis Manichæorum philosophiæ ac theologiæ figmentis.

(d) Titus Livius, lib. XL, cap. 29.

mitiorum leges ferebant, a victimariis qui erant A publici ministri, prædictos libros crematos fuisse. At rogo Beausobre : Erantne tum inter Romanos, qui *juri pontificio* vel *philosophiæ* operam darent? Fuisse quidem necesse est fateatur. Nullum tamen cujusvis ordinis virum exstitisse, qui de talium librorum jactura conquereretur, indicatum est. Persuasum illis quippe erat religionem novis et externis ritibus non esse attenuandam. Nam, auctore Cicerone, *cultus deorum est optimus*, idemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra et incorrupta mente et voce veneremur (*a*). At quorsum mens atque vox puritatem, integritatem institutorum ad rem sacram pertinentium servabunt, si vagari incipiant, et delectari in aliquibus saltem superstitiosis insolentissimisque rebus?

In his tandem omnibus, ex ethnicorum veterum historiis hactenus desumptis, paulo fusius nostram orationem versari oportuit, ne summa Beausobriana luxuries, in taxando antiquas catholicæ Ecclesiæ B consuetudines, et in maligno stylo exercendo contra Romanorum pontificum gesta, sine justa objurgatione præterire videremur. Potissimum, cum etiam hujus nostræ ætatis acatholici viri, videntes suos libros apostolica auctoritate proscribi, et igne a publicis ministris in populi conspectu cremari, blaterantes conquerantur de veluti injusta atque injuriosa œconomia, sanctissime tamen et religiose adhibita ad catholicæ fidei puritatem integritatemque tuendam.

CAPUT V.

Imperialium legum in Manichæos Africæ rigor ad examen revocatur. Quo videlicet perterrefactus Felix, et S. Augustini auctoritate et disputationibus victus, tandem Hippone suæ hæreseos errores ejuravit. Variæ denique in hac causa quæstiones occurrentes expediuntur.

1. Post inductam in Africa Manichaicam luem, ita brevi ejus error latius propagari cœpit ut in omni hominum cœtu, viri et mulieres multæ reperirentur C quæ eadem turpissime polluebantur. Cum itaque id non sine magno civilis et catholicæ reipublicæ contumelia, dedecore et exitio eveniret, quia Manichaici mores et instituta primo omnia conjugiorum jura dissolvebant, prolium puritatem turpissimis promiscuisque impudicitiis labefactabant, sanctioris vitæ et instituti virgines tenellam adhuc ætatem agentes corrumpebant, et perinde quasi hujus sectæ viri nullis prorsus divinis et humanis legibus subjicerentur, natura ipsa abhorrente, in omnia nequissima flagitiorum genera sese effundebant; igitur statim ac sæculi principibus innotuit istbæc Manichæorum diu arcana, et latens vivendi ratio, jam in eos eorumque sacrilegos conventus animadverteretur edictum est, latis hac de causa variis legibus, quibus multa pœnarum genera subire astringebantur. Noster animus præterea maxime horreret ea referre quæ Manichæorum *electi*, in cibis quibuscumque, et venerabili etiam *eucharistiæ Sacramento* sumendo, sacrilege et superstitiose D **131** facere cogebantur. Sed nostrum animi horrorem verecundiamque, Augustini verba, quæ subjicimus, elevabunt. *Qua occasione* (ait) *vel potius exsecrabilis superstitionis quadam necessitate coguntur electi eorum velut eucharistiam conspersam semine humano sumere, ut etiam inde, sicut de aliis cibis quos accipiunt, substantia illa divina purgetur* (*b*). Neque minus impia sacrilegaque erant nonnulla alia mysteria, quæ cum magno nostrorum rituum abusu Manichæos servasse Augustinus alibi asseverat. Cum videlicet in magnum catholicæ nostræ religionis dedecus et contemptum, ipsi hujus sectæ *auditores ante electos genua figebant, ut eis manus supplicibus imponerentur, non a solis presbyteris, vel episcopis, aut diaconibus eorum, sed a quibuslibet electis.* En ergo unde primum nefaria illa opinio prodierit obtinueritque posse laicos homines sacros Ecclesiæ ministros instituere et ordinare; qui error jam diu abolitus, iterum elapsis sæculis uno Calvino cæterisque scelestissimis auctoribus, cum totius ecclesiasticæ hierarchiæ jactura, renovatus est. Cum hæc itaque et id genus alia electorum Manichæorum scelestissima secta facere consuevisset, ad hujus corruptissimos mores penitus exstirpandos sæculi principes omnem operam insumpsere. Neque vero id ex uno aut altero Leonis Magni testimonio nobis innotescit. Sed ex ipso Theodosiano codice, in quo plures ab imperatoribus latæ in Manichæorum exitium leges describuntur, ut opportuniori alio loco observabimus. Interim vero ad eam legem opus est animadvertamus, quam, instante Juliano Africæ proconsule, duo imperatores Diocletianus et Maximianus ediderunt, ut etiam Tillemontius commemorat.

2. Ambo itaque imperatores, anno Christi Domini 290, auditis primum ipsius Juliani Africæ proconsulis querimoniis, quemadmodum nova hominum secta Persarum finibus ibi adveniens, magnas intra illius regni urbes turbas excitaverat, quibus Romani imperii res susquedeque vertebantur; ipsi, hisce malis ibi gliscentibus occurrere cupientes, in mense Martio ejusdem anni apud Alexandriam eam legem ediderunt, ut hujus sectæ homines cum nefandis eorum scripturis igne comburendi traderentur. Nobiles vero, si qui hac labe vitiati reperiebantur, præter bonorum omnium jacturam in exsilium deportari jusserunt; cæteros tandem infimæ conditionis viros ad capitalem subeundam pœnam coegerunt. Ejusmodi igitur legem in Africa adhuc Augustini ævo obtinuisse, inter cæteros unus Tillemontius probabilius arbitratur (*c*). Qui, scite et diligenter consultis contra Felicem Augustini Actis, animadvertit hæreticum illum hominem, *et episcopali* (ut aiebat) *perterritum auctoritate fuisse, et illarum legum districtione, quas in nefariæ hujus sectæ exitium imperatores pervulgarunt.* Sed utrumque istius hominis effugium mire eludere nisus est idem Augustinus. Primo ostendens sacrorum episcoporum auctoritatem a Deo derivatam, nullum reis timorem incutere, quando tranquillitate disputatur, et populus qui disputationibus adest nullam prorsus vim terroremque incutiat. Secundo deinde exponit, quemadmodum imperialium legum rigor a gladii jure ortus, religionis veritati sinceræque hujus confessioni numquam obesse possit, sed utrumque semper catholicæ Ecclesiæ sacrisque ejus dogmatibus, ornamentum, præsidium atque incrementum præbuisse. *Dixisti etiam quod te episcopalis terreat auctoritas : cum videas quanta pace inter nos agamus, quanta tranquillitate disputemus, quemadmodum populus præsens nullam tibi vim faciat, nullum terrorem incutiat, sed tranquillissimus audiat, sicut decet Christianos. Dixisti etiam timere te leges imperatorum : hoc pro vera fide non timeret, quem Spiritus sanctus impleret.* Cujus quidem rei causa eidem Petri apostoli exemplum proponit, qui divino **132** actus Spiritu pro Dominica fide crucifixus est. Verum Felix ipse nimio contentionis studio adductus, ita respondere Augustino ausus est : Et *apostoli timuerunt.* Quod novum Felicis Manichæi effugium idem sanctus Pater eripere cupiens, quemadmodum apostoli tyrannos timuissent statim hisce verbis explicavit. *Timuerunt* (ait) *ut caverent, non ut fidem suam comprehensi edicere dubitarent.* Et paulo infra, leviter et sine ulla verborum ambiguitate aut contumelia eum objurgat quod imperatorem antea non timuerit, ut comminiscebatur, quia antea non tacuit : *Nam etsi imperatorem timuisses, ante tacuisses.* Et cum hesterna die in Manichæismi suspicionem Felix fuisset adductus, ad urbis Hippone *curatorem* provocavit, cui libello exhibito publice clamitaverat se juxta *Diocletianam legem*, cum suis co-

(*a*) Cicero, lib. II de Natura deorum, cap. 28.
(*b*) Augustin. hæresi 46.

(*c*) Tillemontii judicium, tom. IV, pag. 409.

dicibus esse paratum incendi, si aliquid mali in ipsis fuerit inventum, idcirco quasi eum irridens sic Augustinus suam claudit responsionem. *Unde heri leges flagitabas quasi fortis, hodie veritatem fugis ut timidus* (a).

3. Ex his ergo publicis Augustini episcopi cum Felice Manichæo Actis, luce clarius ille imperialium legum rigor emicat, quo in Africa istius sectæ homines afficiebantur, cum videlicet ejusmodi hæreseos professores suis cum codicibus igne comburendi tradebantur. Liquet præterea episcoporum auctoritas non tantum in perstringendis hominibus ea labe infectis, ut errores ejurarent, sed ad penitus exstirpandas ex eorum diœcesibus quascumque novitates, quæ catholicæ religioni repugnabant; quæ sane episcopalis ecclesiastica auctoritas maxime enituit in hac Felicis causa. Qui cum anno 404, *Honorio Augusto sextum consule die sexta Decembris*, *temere* et palam in Hipponensium urbe dixisset *quod posset defendere scripturas Manichæi, et asserere quod veritatem habeant;* atque præterea, eadem de causa cum merito apud urbis *curatorem*, ut vidimus, tum apud Augustinum episcopum tamquam exsecrabilis blasphemiæ reus postulatus fuisset, jamjam publicam subire quæstionem cogebatur. Nec enim Felix Hipponem inhabitabat, sed ibi venerat Manichaicos errores seminaturus. Qui cum esset unus *ex doctioribus eorum*, *liberalibus tamen ineruditus litteris* (b), sed versutior Fortunato, latius errores propagari confidentius sperabat. Addit Possidius ex eorum numero *fuisse quos electos dicunt;* quique, præter nefaria dogmata quæ propugnabant, impurissimis impudicitiis et obscœnitatibus addicebantur. Congressio isthæc igitur die sequenti, id est septima Decembris, populo præsente, in ecclesia cœpta est. Quam congressionem *gesta ecclesiastica*, seu judicium ecclesiasticum, a notariis quidem scripto consignatum, Augustinus appellat, quondam inter disputandum ab illa Manichæi epistola, quam fundamentum appellant, orsi sunt : sed non eadem die congressio hæc aut episcopalia Acta fuere absoluta. Nam Felix cum veritate urgeretur, et Augustini argumentis maxime perstringeretur, dixit : *Dilationem peto, ut possim respondere.* Cujus quippe votis benigne atque perhumaniter annuens Augustinus, quemadmodum catholicæ Ecclesiæ episcopum decebat, reliqua disputationis Acta dierum quinque spatio prolata sunt, hoc est ad diem pridie idus Decembris (c).

4. Ejusmodi disputationis prolatationem, quamvis Augustinus humanius cum Felice agere cupiens illi indulsisset, S. episcopi tamen animus a timore vacuus, et liber non erat, Felicem secum reputasse fugam arripere, ut nimirum pœnas evaderet horum facinorum reis intentatas. Quare antequam ad finem priorem hanc perduceret collationem, multa cautione uti illi opus fuit. Sciscitari videlicet ex eo an fugam meditaretur. Quod ille cum semel iterumque negasset, ei proponitur anathema dicere Manichæo, **133** atque se sub alicujus hominis custodia constituere. Quibus in omnibus cum Felix fidem publice datam servasset, et primæ disputationis gesta signata fuissent, cum a Felice et Augustino, tum a quodam Bonifacio sub cujus custodia Felicem se commisisse arbitramur, jam priora Acta magna cum catholicæ veritatis gloria ad exitum perducta fuere. Quid vero quinque diebus elapsis factum fuerit, Acta similiter *cum Felice Manichæo secundæ* diei perspicue produnt. Etenim convenientibus iis cum frequenti populo, et notariis *in Ecclesia pacis* die duodecima ejusdem mensis, ab iis rebus, sive dogmatibus, Augustinus orsus est novam disputationem, a quibus præcedens finem obtinuerat. *Si Deo* (aiebat Augustinus) *nocere nihil poterat, quare bellum gessit cum gente quam dicitis tenebrarum, in quo bello naturæ dæmonum misceret substantiam suam, quæ hoc est quod ipse, sicut jam interrogatus dixisti?* Ita sane Felicem S. episcopus aggrediebatur. Cui quidem fabuloso figmento cum hæreticus homo occurreret, versutia et tergiversatione simul utens, se adhuc esse imparatum respondit, nullam inter manus eo otii tempore scripturam habuisse, quia illi redditæ non fuerant, unde se posset instruere. *Nullus enim* (subjiciebat) *ad certamen exit nisi prius munitus fuerit; et nullus litigator potest sine suis chartis litigare, similiter et ego sine mea scriptura respondere non possum.* Hac arte itaque novum periculum evadere Felix nitebatur. Sed Augustinus novit; et apprime quidem versuti hominis tergiversationem novit. Propterea gravi, et auctoritatis sermone pleno ad eum conversus, acriter hunc increpat, quod sacrilegos errores hac excusatione niteretur occulere, eumque novum facinoris reum expostulat, quod quinque dierum spatio ad respondendum petens, codices quoque sibi dari non exquisivisset, *qui sub publico sigillo custodiebantur*. Exoptatam igitur duorum adhuc dierum prolatationem non obtinuit Felix. Sed codices duntaxat ei dati fuere. Quos cum is accepisset, ita eum S. episcopus urgere cœpit, tantaque vi et rationum pondere eum insectari, ut excussis omnibus Manichæi fabulosis figmentis, erroribus atque impietatibus, tandem argumentorum veritate victus, cum maximo catholicorum plausu, Manichæum ejusque doctrinam coram tam frequenti cœtu ejuraret. Interim vero, ut omnibus innotesceret, se Manichæo ejusque erroribus sincere et ex animo anathema dicturum, ab eodem *Augustino episcopo* anathematismorum formulam *scripto consignatam* exposcebat. Sed hoc maxime rogare, ut sibi Felici quo magis confirmaretur præiret Augustinus, ac Manichæum, necnon spiritum qui in eo locutus fuerat, prior *anathemaret*. Id tandem assecutus est. Nam accepta ab Augustino charta, anathematismo exsecravit; idem præstitit Felix verba sequentia sua manu scribens : *Ego Felix qui Manichæo credideram, nunc anathemo eum et doctrinam ipsius;* et id genus alia, quæ apud Augustinum in fine secundi libri commode ab omnibus percurri possunt.

5. Verum in his omnibus recensendis nos incassum laborasse arbitramur dicturos qui Augustini Vitam a PP. congregationis S. Mauri concinne et erudite digestam evolverunt. Libro enim quinto, cap. 12, summatim ea omnia quæ ad præsentes Augustini cum Felice disputationes pertinent plenius descripsere. Quid tum? Num nobis non licebat easdem res retractare, eam imperatorum ethnicorum in Manichæos latam legem referre, quemadmodum Felix ad eam provocasset explicare, simulque ostendere hunc utriusque potestatis rigorem et pœnas pertimuisse? Hæc omnia quidem doctissimi Operum S. Augustini editores missa facere, a proposito sibi scribendi scopo id alienum esse forte causati, quo nimirum res duntaxat ab Augustino cum Felice gestas enarrare voluerunt. Cum igitur nostrum in conscribenda Manichæorum historia studium illud potissimum spectaret, ut, servata quantum licuit temporum ratione, illius sectæ facinora, a **134** gravissimis et fide dignis scriptoribus indicata, in unum veluti corpus collecta redigeremus; idcirco, illa eadem in nostrum usum transtulimus annotationibus iis ubique appositis, quas alii aliud negotium agentes aut prætermiserunt, aut saltem prætermittere debuerunt.

6. Interim vero nos, ne in iis quæ ad rem nostram faciunt deficere videamur, minime silentio occulimus Augustinum inter et Felicem, non duas, sed tres habitas fuisse collationes. Id obscure saltem indicare voluit Possidius in Augustini Vita. Sed rursus clarius id ex ipsius Augustini verbis innotescit. Qui in primæ diei collatione a notariis excepta, aliam præcedentem

(a) Lib. I Act. cum Felice Manichæo, cap. 12.
(b) August., lib. II Retract., cap. 8; Possidius, in Augustini Vita, cap. 16.
(c) Lib. II Act. cum Felice Manichæo, cap. 1.

congressionem judicavit, ita Felicem Manichæum A alloquendo: *Hesterno die scit se dixisse*. Atque iterum Felix ipse Augustinianis occurrens interrogationibus, se paratum probare promittit quod impie et sacrilege asseverabat, si ei darentur *Manichæi scripturæ, quinque auctores* (ait) *quos tibi dixi, quidquid me interrogaveris probo tibi*. Cujus sane verba referenda sunt ad illos codices quos in postrema collatione etiam exposcebat, *quique sub publico custodiebantur sigillo* (*a*). At ejusmodi libri jam custodiendi sub sigillo traditi erant antequam collationes publicæ et solemnes a notariis scripto exciperentur. Igitur cum hæc omnia mecum repuio, facile in eam ducor opinionem, duas dumtaxat ad cancellos Ecclesiæ astante populo collationes seu disputationes S. episcopum habuisse; sed has aliam jam prævisse coram *imperiali curatore*, quando Felix videlicet, suo supplici libello ad imperialium legum pœnas provocavit, quando tandem apocryphos Scripturarum codices sub publico custodiendos sigillo tradidit. Ita profecto B cuiquam ratiocinari licebit, qui non oscitanter et Possidii testimonium, et illarum disputationum Acta sedulo lustrare voluerit.

7. Priorem hanc quæstionem illa alia excipit, quæ ad Felicis Manichæi ecclesiasticum gradum pertinere visa est. Cui quidem inquisitioni occasionem præbuit Augustini epistola 79 quam presbytero Manichæo *Fortunati successori* S. episcopus inscripsit. Ex ea enim Augustini Operum editoribus injectus est scrupulus, ut suspicarentur hunc eumdem presbyterum fuisse illum Felicem de quo hactenus locuti sumus. Suspicio autem isthæc, quibus innixa est momentis vel conjecturis, ne vanam omnino et falsam eam existimemus? Unde ut ita suspicemur fundamenta hauriemus? Ego profecto qui nullo partium studio adducor, si quod animo revolvo sincere fateri debeam, presbyterum hunc Manichæum, ad quem laudatam dedit epistolam Augustinus, alium fuisse a Felice judicabo. At ne probabilis hujus opinionis fundamenta dissimulare videar, statim ita paucis C ratiocinabor. Rogabo videlicet novissimos Augustini editores an epistola 79 laudatas Augustini cum Felice collationes exceperit, vel illas præiverit? Sed iis collationibus esse posteriorem haudquaquam judicare licet. Nam Felix jam ex animo conversus, antequam novissimæ collationis Acta ad finem perducerentur, catholicam religionem jam palam confessus est, Manichæum ejusque dogmata ejuravit, nec eum in pristinos relapsum errores esse sine gravissimis testimoniis possumus existimare. Laudatam ergo 79 Augustini epistolam duas illas collationes scripto exceptas prævisse minime ejusdem editores dubitabunt. Istud sane indicare voluisse arbitramur, cum ad editorum exemplarium marginem temporis notam posuerunt: Scripta forte anno 404. In quem quidem annum etsi, certas genuinasque consulum notas seculi, publicas Augustini cum Felice Manichæo congressiones rejiciamus, tamen cum easdem labente hoc anno habuerit, Decembris videlicet duodecima D die, idcirco nemo sanæ mentis his posteriorem esse epistolam 79 poterit affirmare. Quæ tandem cum agitarem, hujus epistolæ argumentum cum iis quæ in disputationibus describuntur non indiligenter contuli; nec sibi **135** concinere deprehendi. Nam ille presbyter Manichæus, quem Felicem fuisse laudati editores suspicantur, cum quibusdam Augustini fratribus quæstionem excitaverat de visibili morte non fugienda; contendens eam non esse dumtaxat mentis a corpore separationem, sed avulsionem etiam *boni a malo*. Hoc cum ex Manichaico dogmate presbyter ille affirmaret, hunc Augustinus perstringere nititur, simulque eum ad disputationes publicas vocat, ut quæstionem solveret, in qua præcessor suus *Fortunatus* defecerat. Sed alia inesse iis disputationibus A argumenta, jam ex ipsa Actorum serie innotescit. Augustinus præterea neque in Retractationum libris, neque in collationum Actis, hanc ad Felicem epistolam dedisse asseverat; atque istud idem silentium Possidium in Augustini Vita servasse, perspicue manifestum est. Fateor igitur me prorsus latere quibus conjecturis insistere debeam, ne temere suspicer, epistolam de qua agimus Felici Manichæo presbytero Augustinum inscribere potuisse. Id tamen melius atque facilius alii judicabunt, cum jam ad hos præcavendos scopulos, in quos postremi Augustini Operum editores incidisse videntur, nihil deinde statuentes, ad certiora alia describenda gradum potius facere deliberamus.

CAPUT VI.

De Ecclesiæ Carthaginiensis judicio in Manichæorum causis adhibito. Catholicorum episcoporum studium, et ecclesiasticæ disciplinæ ratio in iisdem pænitentiam agentibus recipiendis.

B

1. Inter multas hæreses quinto Ecclesiæ seculo Africam vastantes, Manichaica quidem principem obtinebat locum, vel quia ante Arianam, Priscillianam, Pelagianam, Donatistarumque sectam exorta, eo in regno, ex Perside aut Armenia adveniens, anno 290 fixerat pedem, et diu catholicos latens antistites, modo hic, modo illic radices egerat, vel quia in duas classes divisa, *auditorum* videlicet et *electorum*, facile duo hominum genera ad se trahere poterat; alterum eorum qui divinorum mysteriorum inscitia laborabant, alterum vero eorum qui maximo libidinum turpissimarum ardore effervescebant. Utrumque autem horum hominum genus post suam conversionem, colloquiis, disputationibus et scriptis S. Augustinus strenue exagitavit, ut vidimus, et insectatus est. Sed majorem adhuc vim in refellendis et exstirpandis Manichæis adhibuit, quando videlicet, apud Carthaginem nonnullis eorum detectis, publica et C ecclesiastica auctoritate in eos animadversum est. Constat enim ex Prosperi Chronico, Ursum, Regiæ Constantii imperatoris domus præfectum, qui tribunitia pariter præfulgebat dignitate et in Africa civilibus rebus præerat, cum catholicam religionem profiteretur et totis viribus tueretur, aliquos eorum Manichæorum intercepisse, quos *electos* atque *electas* nominabant. Ut hi ergo ad Ecclesiæ tribunal perducerentur, ipse tribunus Rufus nostrorum jurium vindex imperaverat; ubi ab episcopis, coram quibus rei se sistebant, præsente etiam populo, quæstio institueretur, primo de eorum flagitiis et dogmatibus interrogarentur, deinde omnium criminum confessione audita, quemadmodum leges præcipiebant, in eos esse animadvertendum decrevit. Ad horum autem confessionem audiendam non tantum notarii, qui Acta conscribebant, sed aderant episcopi, qui ibi tamquam judices assidebant, ut juxta humanas et ecclesiasticas leges totius inquisitionis forma et ordo servarentur. Episcoporum autem nomina, si unum Aurelium exci-D piamus, qui Ecclesiæ Carthaginensi summa cum laude tum præerat, prorsus ignoramus. **136** Sed ex tota illa provincia fuisse collectos episcopos probabile est. Adfuit Augustinus quoque, cui forte præ cæteris hujus exsecrabilis sectæ dogmata atque flagitia innotuerunt.

2. Quid vero ex iis episcopalibus Carthaginensibus gestis innotuerit, quot præterea fuerint illi quos Rufus tribunus interceptos coram ecclesiasticis judicibus sistere jusserat, valde difficile est definire. Temporum enim injuria Acta ejusmodi a notariis excepta intercidere, et Augustinus aliunde et Prosper de quibusdam mulieribus vitiatis dumtaxat facta mentione, reliquam gestorum seriem describere prætermiserunt. In harum mulierum numerum duas potissimum

(*a*) August. lib. I de Actis cum Felice Manichæo, cap. 1. Ibid., cap. 14; atque lib. II de Actis cum Felice, cap. 1.

retulit Augustinus. Alteram Margarita nominatam, quæ *illam prodidit turpitudinem;* videlicet, *quæ cum esset annorum nondum duodecim propter hoc scelestum mysterium se dicebat esse vitiatam* (*a*). Quod quidem flagitiosi propudii vitium cum pariter passa esset Eusebia quædam alia Manichæa femina, quasi *sanctimonialis habita, eam vix compulit confiteri.* Nam primo hæc se adhuc integrum retinere virginitatis florem perperam testabatur, atque ab obstetrice inspici postulabat. *Quæ inspecta, et quid esset inventa, totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum et commiscendum concumbentium semen farina substernitur* (*quod Margarita indicante absens non audierat*), *similiter indicavit.*

Hæc itaque Margaritæ confessio in Ecclesia apud Carthaginem flagitiosissimas Manichæorum libidines prodidit, quas inter se exercebant, quarum levissima erat virginum constupratio. Sed Eusebia quoque suum dedecus, et propudium primo fateri coacta, alia etiam sectæ suæ abominanda facinora aperuit, inter quæ illud unum præcipuum erat, ut in mulierum et uxorum etiam abusu solas carnis voluptates quærerent, conceptum vero et prolis generationem semper devitarent; *ne divina* (ut aiebant) *substantia quæ in eos per alimenta ingreditur vinculis carneis ligaretur in prole.* Hæc generatim dumtaxat de illa in *Manichæorum electos* atque *electas* Carthaginensi inquisitione nostra hac oratione recenseri possunt, cum singula quæ ad reorum confessionem et episcopalium gestorum summam pertinent, describere prorsus impossibile sit, nisi divinari velimus. Minus facile quoque erit verba facere de illo gravi Carthaginiensis populi horrore, quem cuncti hujus ecclesiasticæ inquisitionis testes in tam pestiferæ sectæ odium præconcipere debuerunt. Ex quo non tantum conjicimus catholicos omnes in Manichæorum exitium conclamasse, sed quemlibet præterea libentius eo sacramento obstringi voluisse, ut quoties aliquis ex Manichaica secta sibi innotesceret, hunc statim ecclesiasticis judicibus, sine ulla prorsus animi fluctuatione aut temporis prolatatione prodere deberet. Cujus quidem rei argumenta, quamvis Carthaginensium notariorum Acta intercíderint, nos ex una aut altera Augustiniana epistola haurimus.

3. Prior enim ad Quodvultdeum, tum Carthaginensis Ecclesiæ diaconum scripta est. Rogaverat is enim Augustinum ut de hæresibus unum volumen conscriberet. Cui Augustinus respondens, operis difficultatem jam primo a Philastrio, Brixiensi episcopo, et Epiphanio Cyprio tentatam, adimpletumque exponit. De utriusque deinde scriptoris voluminibus suum judicium ferens, istud, Epiphanii nimirum, Philastrii libro præferendum esse asseverat. Sed antequam epistolam claudat, petit ut sibi rescribere non gravetur, quemadmodum in catholica perseveraret fide quidam *Theodosius, per quem Manichæi nonnulli sunt proditi.* Et ipsi *quos ab eo proditos putamus esse correctos.*

Manichæos igitur ab isto Theodosio fuisse proditos, perspicue Augustinus asseverat. Sed an is Manichaica labe aliquando fuisset inquinatus, etsi probabilius existimetur, et Augustini verba id obscure innuerent, tamen definire **137** haud ausim. Augustini porro epistola isthæc in annum 428 rejicienda est. Quando videlicet librum de hæresibus huic Carthaginensi diacono inscripsit. Cujus recenti tempore iterum in eadem Ecclesia nonnulli eorum reperti fuerant, sicut *episcopalia gesta*, quæ idem Quodvultdeus ad Augustinum miserat, ostendunt; qui Manichæi pariter *hoc non sacramentum, sed exsacramentum sub diligenti interrogatione confessi sunt, quorum unus Viator nomine.* Horum autem episcopalium Actorum occasione, catho-

A licis episcopis schisma aliquod inter Manichæos ortum innotuit. Etenim in varias scissi factiones, alii Catharistæ seu purgatores vocabantur; alii vero Mattarii, qui in mattis dormiebant, appellabantur; alii tandem Manichæi dumtaxat dicti erant. Hoc ergo Manichæorum schisma, ex Carthaginensibus recensitis Actis etiam comprobatum fuit. Sed illud jam pridem Augustino innotuisse, constat ex iis quæ habet contra Faustum libri v caput 5, illudque in aliud tempus esse rejiciendum, ut statim explicabimus.

4. Superbe igitur atque inaniter Manichæi de Christianorum mandatorum perfectione gloriabantur, quasi ipsi soli, quæ in Evangelio præcepta sunt, operarentur. Sed tanta eos intererat morum dissimilitudo vivendique ratio, ut in Manichaicis adimplendis legibus minime convenirent. Quare cum inter cætera nonnulli maxime de Christiana paupertate se jactarent, quam alii prorsus aspernabantur; idcirco Augustinus, qui eorum mendacia et simulationes refellebat, præcipue Faustum docentem *æs in* B *zonis non esse portandum* aggreditur, impetit exagitatque, quia Manichæi profiterentur *aliud, et aliter viverent*, cum videlicet *æs in zonis non portantes, aurum in arcellis et in sacculis avidius custodire studebant* (*b*). Ea de causa provocat ad quemdam Constantium Romanorum civem, quondam Manichaica labe infectum, qui deinde, ejurato errore, ad Christianam catholicam religionem conversus est. Hunc ergo tamquam locupletissimum testem interpellat qui, maximo quo in hanc sectam æstuabat studio, cum Romæ multos Manichæos suam *in domum* accivisset congregassetque *propter implenda præcepta Manichæi, satis quidem vana et inepta, sed tamen quæ magna a suis discipulis æstimabantur,* quarum legum severitati *austeritatique cum eorum infirmitas cederet*, dispersi fuere, ut quisque in viam suam abiret. Cum itaque quisquis in Manichaicis legibus solvendis sibi liberum fore contenderet et arbitraretur, eos inter schisma illud de quo superius verba C fecimus exortum est; quia alii in *mattis dormiunt*, ait idem Augustinus, *Mattarii* appellantur, *a quorum stratis longe dissimiles fuerunt plumæ Fausti et caprinæ lodices; qua deliciarum affluentia non solum Mattarios fastidiebant, sed etiam domum patris sui, hominis pauperis Milevitani* (*c*). Lepide quidem Faustum hic irridet et suggillat, hocce Manichæorum schisma describens; quod potissimum una ex causis fuit quæ jam Augustino ipsi istius hæreseos fastidium ingesserunt. Narrat id quidem ipsemet lib. de Moribus Manichæorum, quo in libro insignem Constantii Manichæorum auditoris disertius refert historiam, quæ quidem usque adeo percrebuerat, ut hæc ad absentes etiam longeque positos fama vulgante perveniret. Sed Augustinus ipse, qui primum omnem rem gestam optime ab amico teste noverat, Romam deinde circa Christi annum 383 veniens, compertam omnino exploratamque sibi fuisse testatur. Narrans videlicet quemadmodum Constantius, talem tantamque inter D Manichæos morum dissimilitudinem molestissime ferens, omnes in suam domum congregatos ad vivendum secundum eamdem regulam in Manichæi epistola propositam compellere nitebatur. *Multis* (ait Augustinus) *intolerabile visum, abscesserunt; remanserunt tamen pudore non pauci.* **138** *Cœpit ita viri, ut placuerat, et ut tanta præscribebat auctoritas, cum interim auditor ille* (Constantius videlicet) *vehementer omnes ad omnia cogeret, neminem tamen quod non prior ipse susciperet. Interea rixæ inter electos oriebantur creberrimæ; objiciebantur ad invicem crimina : quæ ille omnia gemens audiebat, dabatque operam ut se ipsos in jurgando incautissime proderent. Prodebant nefanda et immania.* Atque, paucis interjectis, subdit Augu-

(*a*) Augustinus, lib. de Hæres. num. 46, atque epist. 222.

(*b*) August. lib. v contra Faustum, atque lib. de Moribus Manichæorum cap. 20.

(*c*) Consule Augustini Vitam, lib. I, cap. 9.

stinus : *Quid plura? coacti aliquando murmuraverunt sustineri illa mandata non posse, inde in seditionem abeuntes* (*a*).

5. Nemini interim autem prolixior hæc nostra oratio videatur quam esse oportebat. Nemo præterea nostram scribendi rationem reprehendat, quod res in Africa contra Manichæos gestas cum iis quæ diu antea Romæ contigerant permiscere voluerimus. Etenim ut a Carthaginensibus episcopalibus gestis parumper digrederemur, duo potissimum nos impulere. Alterum est schisma illud quod in Manichæorum confessionibus a notariis exceptis magis atque magis patefactum est. Cui cum aliud Romanum quod præcesserat apprime respondeat, et istud in nostri lectoris utilitatem indicare non incongruum existimavimus. Alterum vero est quorumdam olim magni nominis hominum opinio, qui omnia ecclesiasticæ historiæ monumenta susquedeque vertentes, Manichæorum in urbem Romam adventum nonnisi ab anno 427 repetendum esse contendunt. Profecto si istorum staret opinio, non tantum Augustinianorum scriptorum fides nutaret, sed plurium Romanorum pontificum decreta et constitutiones, ex quibus Africanæ Ecclesiæ præsules eas disciplinæ regulas hauserunt, ut in Manichæos animadverteretur, pessum abirent. Hujus autem opinionis potissimum auctor fuit Quesnellus, quemadmodum in sequentibus capitibus ostendere reservamus.

Jam vero ad eam ecclesiasticæ disciplinæ legem a qua aliquantulum digressi sumus revertentes, eam sine ulla prorsus episcoporum indulgentia rigidius fuisse servatam, alia ejusdem sancti Augustini epistola evidentissime patefacit. Compererat enim Victorinum quemdam Mallianensem, in clericali subdiaconatus ordine constitutum Manichaica esse labe pollutum. Propterea catholicæ religionis studio actus, statim litteras ad Deuterium ejusdem provinciæ episcopum dedit, ut hunc clericum præcaveret. Ne videlicet per socordiam, aut ejus negligentiam, inimicus homo, qui ovili Dominico cœperat insidiari, Christianorum animas *tanto pretio comparatas perderet*. Hunc ergo Victorinum Augustinus in judicium vocaverat; et antequam a testibus qui eum accusaverant coargueretur, interrogatus læsam suam fidem negare non potuit. Et idcirco *auditorem Manichæorum, non electum, se esse confessus est*. Cujus quidem confessionis veluti summam episcopo Deuterio subjicit, ut immania sacrilegaque facinora percurrendo, generatim saltem corruptissimos hujus sectæ mores impiaque dogmata intelligere posset. Post hæc autem ecclesiasticæ disciplinæ regulas in Manichæis pœnitentibus recipiendis observandas, aut ei suggerere, aut in ejus mentem revocare voluit. Quas deinde cum secum reputasset, seduloque animadvertisset, optime perspecta præcedenti Victorini vivendi ratione, hunc eas observaturum non esse graviter suspicabatur. Quare ne levi suspicione moveri videretur, anteactis Victorini moribus in medium adductis, ad eam provocat fictionem qua, sub simulata catholicæ fidei professione et sacri ecclesiastici subdiaconatus ordinis colore, Manichaicam religionem, quam corde profitebatur, nisus fuerat occulere. Hunc ergo, tam gravi adductus scrupulo, Augustinus, nec post ejuratos errores, tamquam pœnitentem in Ecclesia recipiendum esse censuit; sed, omni disciplinæ ecclesiasticæ rigore servato, eum coercitum ex Hippona urbe et diœcesi pellendum curavit. Quem tamen severiori adhuc alia **139** ecclesiastica pœna plecti Deuterio suo episcopo mandat; huic suis epistolis indicens ut a *clericorum gradu congrue ecclesiastica severitate* Victorinum dejiceret, ut is quocumque honore et communione privatus omnibus innotesceret. Ei denique petenti pœnitentiæ locum concedere omnino vetat; nisi *et alios quos illic novit esse manifestaverit, non* A *solum in Malliana, sed in ipsa tota omnino provincia*.

6. Rerum porro harum summam ex Augustini epistola 236, olim vero 74, nos ipsi ad patefaciendam ecclesiasticam cum Manichæis adhibitam disciplinam excerpsimus (*b*). Quo anno autem S. doctor eam scripserit, latuit novissimos Augustini Operum editores, qui eam in quartam epistolarum classem rejecerunt. Earum videlicet *quarum tempus minus compertum est*. Sed in præmonitione ad duos de Actis cum Felice Manichæo libros, vetustum quoddam Felicianæ professionis fragmentum cum ex Baronio, tum ex Gervasiano codice, ipsi Augustini Operum editores in medium adducunt, quo intelligimus ex hac hæresi ad Ecclesiam venientes numquam receptos fuisse, nisi primum alios ejusdem sectæ viros proderent, et ad suos Ecclesiarum episcopos vel pastores deferrent; nec Manichæi qui tamquam pœnitentes recipiebantur, aliorum hujus sectæ virorum B nomina patefaciebant qui eam dumtaxat diœcesim incolebant ad cujus communionem post reconciliationis sacramentum ipsi erant admissi, sed et alios longe lateque per totam provinciam, vel alias viciniores dispersos prodere tenebantur. Id perspicue innotescit ex ipsius Felicis quondam Manichæi confessione, de quo in superioribus verba fecimus : Videlicet *Felix conversus ex Manichæis dixi, sub testificatione Dei, me omnia vera confiteri, de quo scio Manichæos, vel Manichæas, in partes Cæsarienses, Mariam et Lampadiam uxorem Mercurii argentarii, quibus etiam electum Eucharistum pariter oravimus, Cæsariam et Lucillam filiam suam, Candidam, quæ commoratur Thipasæ, Victorinam Hispanam, Simplicianum Antonii Patrem, Paulum et sororem suam, qui sunt Hippone, quas etiam per Mariam et Lampadiam scivi esse Manichæas*. Ex hac ergo Felicis Manichæi ad catholicam fidem revertentis confessione, vetusta illa Ecclesiæ disciplina innotescit, qua cautum erat ne umquam ad reconciliationis sacramen- C tum admitterentur, nisi sub omnipotentis Dei testificatione proderent quotquot noverant ea hæresi inquinatos. Quorum tandem si pœnitens aliquem sibi notum ad ecclesiasticos judices dolose deferre prætermisisset, jam laudata reconciliatione efficiebatur indignus. Propterea idem Felix hanc suam confessionem his verbis clausit : *Hoc tantum scio, quod si aliud inventum fuerit me scire supra quam dixi, me reum ego ipse confiteor*.

7. Sed ex præcedenti hac Felicis confessione nondum plenius et perfectius illius antiquæ disciplinæ ratio et ordo innotescit. Etenim cum plerique ex Manichæis numquam sacro baptismatis lavacro essent regenerati, et gentilium quasi ritu semper vixissent, alii vero ex catholica societate aufugientes Maneti nomen dederant, idcirco non eadem episcoporum agendi ratio esse poterat in utrisque recipiendis. Et quidem eorum quilibet quos pœnitebant libellum confessionis simul atque pœnitentiæ facere D tenebatur, in quo, anathemate primum Maneti dicto, enixe debebat petere, vel catechumeni vel pœnitentis locum obtinere; ejusmodi porro libellos episcopi recipiebant, hosque probabant an ecclesiasticis essent conformes regulis; nec aliter iisdem reconciliationis epistola dabatur, nisi *cum die et consule: ut* (nimirum) *neque de superiore tempore aliquam molestiam vel publicis legibus, vel disciplina ecclesiastica paterentur*. Si quis vero post acceptum ecclesiasticum testimonium et syngraphum, certis adhuc indiciis Manichæus apparebat, tunc justitiæ severitatem ad civilium et ecclesiasticarum **140** legum formam experiri cogebatur; quos deinde catholicis viris prorsus juxta apostolicum divi Pauli mandatum cavere jubebantur. *Commendabantur autem, qui epistolas ab episcopis acceperant, religiosis catholicis vicinis, vel co-*

(*a*) Consule eumdem August. lib. v Confess. cap. 11, num. 21.

(*b*) Augustini epist. 236; exstat tom. II, pag. 646.

habitatoribus suis, sive clericis, sive laicis, per quorum erga se curam frequentent ad audientiam sermonis Dei, et quorum testimonio possint innotescere. Ita legimus eo in commonitorio Ecclesiæ catholicæ, quod vulgo Augustino inscribitur, quodque novissimi Augustini Operum editores in tomi octavi appendicem rejecerunt. Ex quo deinde commonitorio illud pariter intelligimus, hos Manichæos conversos non statim ad baptismum, vel ad reconciliationis sacramentum admissos fuisse, sed vel in catechumenorum gradu, vel in pœnitentium loco usque ad mortis periculum perseverare debuisse, vel saltem tamdiu in alterutro permanere statu coactos, quamdiu ab episcopis, eorum fidei firmitate perspecta atque eorum testimonio quibus commendati fuerant comprobata, has pœnas per indulgentiam ipsis relaxandas æquum esse judicabatur.

8. Epistolæ tandem testimonium, seu syngraphus, sub quo Manichæi pœnitentes demittebantur, non eadem prorsus forma exprimebatur. Nam quemadmodum electi *auditoribus* erant nequiores, ita et gravioribus pœnis afficiebantur. Quare in primis *auditores*, post factam confessionem, et post dictum anathema blasphemiis et impiissimæ et immundissimæ hæresi eorum, facile laudatas episcoporum litteras obtinebant, adversus eos qui sibi temporis præteriti Manetis errorem objicere tentabant; electis vero non tam facile ejusmodi dabatur testimonium; sed prius cum Dei servis, sive clericis, sive laicis in monasteriis vel xenodochiis recludebantur, donec præcedentis hæreseos penitus omni suspicione purgata, tandem vel baptismum, vel reconciliationem recipere mererentur.

9. Jam vero gradum sistere paululum nos oportet, ut apostolicæ sedis hostibus arma præeripiamus, et ea potissimum quæ ex præcedenti nostra oratione sibi nancisci posse contenderent. Etenim cum illorum studium sit ut Romanorum pontificum jura auctoritatemque in hæresibus profligandis et in ecclesiastica firmanda disciplina dejicere conentur, jam sibi adulari possent Ecclesiæ leges hactenus descriptas, vel ex Augustino, vel ex aliis Africæ episcopis prodiisse. Et hac de causa tantum roboris obtinuisse, ut Romana Ecclesia eorum facta pedissequa, easdem leges postmodum sibi adoptaverit, ac religiose in Manichæis judicandis custodire voluerit. Ita profecto nugari possunt, qui non solum tamquam genuinum Rom. Ecclesiæ canonum codicem volumen illud evulgarunt, quod ex aliarum Ecclesiarum statutis, episcoporum litteris, congestum est; sed et de Eutychianorum rebus disserentes, non alias partes S. Leonem subiisse asseverant, quam eas quas olim Athanasius cum Arianis, Augustinus cum Pelagianis, Cyrillus cum Nestorianis subierant. Quinimmo, de Pelagianorum rursus causa agentes, Innocentii, Zosimi, Bonifacii atque Cœlestini decreta, nonnisi ex ipsis Africanis conciliis robur obtinuisse commenti sunt. Quibus omnibus, et id genus similibus, nugis et mendaciis hisce nostris historicis lucubrationibus occurrere voluimus, ut has erga apostolicam sedem calumnias dilueremus, istud etiam quod objicere potest statim eriperemus. Nec enim ecclesiasticæ disciplinæ ea lex Augustino, aut alii cuipiam Africæ episcopo asseri potest, quæ antequam Augustinus catholicis nomen daret, et antequam Africæ episcopi Manichæos convenirent, ab apostolica divi Petri sede firmata et definita fuerat. Eam legem ex apostolica Romanæ sedis traditione scripto consignavit papa Syricius in sui pontificatus exordio, quando Augustinus videlicet adhuc in Manichæorum erroribus versabatur. Immo neque tunc Africæ præsules in Manichæos ecclesiasticis pœnis animadvertere cœperant; cum id primum apud Carthaginem, Augustino jam Hipponensem episcopatum tenente, factum fuisse ex superioribus intelligamus. Non igitur

A ex ecclesiasticæ disciplinæ regula, vel ratione, ab Augustino, aut alio **141** quopiam Africæ episcopo prodire potuit, si Augustinus et cæteri Africani episcopi ad illius sectæ exitium ea statuta servarunt quæ diu antea ab apostolica sancti Petri sede fuerant pronuntiata. Nostra vero nunc interesset ejusdem papæ Syricii decreta subjicere, quæ postmodum maxima cum religione, non tantum Africani PP. in Manichæis recipiendis observarunt, sed et omnes totius orbis Ecclesiæ admodum religiose custodierunt. Id autem præsentis otii opus esse non potest, cum in subsequentibus capitibus varias cum Paschasio Quesnello congressiones habituri, plurium Romanorum pontificum in Manichaicæ sobolis odium et exitium res gestas describere et indicare reservaverimus.

10. Interim vero ne clarissima doctrinæ et sanctitatis lumina debita laude et merito fraudemus, plurimi faciendum esse affirmamus Augustini potissimum et Africæ episcoporum studium, qui totis animi
B viribus ita Manichæis sese opposuerunt, ut nefariam eam sectam profligarent et abolerent. Augustino imprimis omnis honos et laus deferri debet. Qui a suæ conversionis die nihil aliud secum reputavit quam nefanda atque occultiora Manichæorum mysteria prodere, falsa hujus sectæ dogmata convellere, eorum impudicitias scripto exaggerare, *electorum* hypocrisim deridere et exsecrare, profanos ritus et sacramenta ab ipsis adhibita maledictis impetere; et doctiores præterea, quos tamquam suos magistros cæteri Manichæorum habebant, ad publicas habendas disputationes provocare; ex quibus postea, *Manichaicæ* doctrinæ falsitate comperta, unice *catholicæ fidei* sanctitas ut omnibus innotesceret *allaboravit*. Hæc quippe sunt quæ in catholicæ Ecclesiæ bonum, decus et utilitatem maximo studio præstitit S. doctor Augustinus. Cujus gloriosos labores non solum celebrant tot tantaque erudita opera, præsertim contra eosdem conscripta, quorum catalogum nos in præsens non recensemus, ne a proposito scopo recedamus;
C sed et omnia alia ab eo vel contra Donatistas, vel Pelagianos et Arianos conscripta; in quibus passim, modo unum, modo alium, Manichæorum errorem refellere conatus est. Tanta ergo librorum Augustini supellectile, Africa potissimum, et catholica Ecclesia ditata, eo tempore videlicet quo hæreses in eam *terram tamquam serpentes Ægyptiorum magorum scatebant*, jam reliqui Africani præsules, apostolicæ Romanæ Ecclesiæ regulis edocti, et civilium legum subsidio adjuti, plene Manichæos conterere et consumere poterant. Quemadmodum S. doctorem indicare voluisse arbitramur, sermone tempore barbarico habito ad catechumenos, ita eos alloquendo: *Manichæorum venenum subrepserat, contritum est, consumptum est* (*a*). Sed non ea ratione consumptum, ut Manichæi vel exsilio affecti ex Africæ regno excedentes Augustini ævo alio commigraverint, vel quia ad pœnitentiam adducti regnum illud ab omni Manichaica labe exstitisset purgatum. Non ita inquam.
D Nam viperea illa propago, civilibus ecclesiasticisque pœnis perterrefacta, latebras sibi quærere solita, numquam penitus Africa exsiliit, quamvis postmodum Vandali regnum illud vastassent. Augustini igitur loquendi scopus ille fuit: innuere videlicet *Manichæorum venenum ibi contritum et consumptum esse* anathematismis et proscriptionibus; ejusque diabolica illicia omnino contrita et confracta fuisse catholicorum studiis et scriptis, ut neque rudes, neque doctiores homines, ejusmodi laqueis amplius contingi possent. Hæc quæ descripsimus ad Augustini pertinent ævum. Sed si quid de eadem hæresi in Africa grassante dicendum nobis occurrerit, temporum ratione, quantum possumus, servata, harum historicam elucubrationem decursu opportunius indicabimus.

(*a*) Serm. ad catechumenos de Tempore barbarico, cap. 5. Exstat tom. VI, pag. 45.

142 ## CAPUT VII.

A probris et maledictis Beausobrianis S. Leonis Magni in Manichæos agendi ratio vindicatur. S. pontificem non tantum in concionibus declamasse, sed eorum errores patefecisse explicatur. S. Augustini pariter scripta contra Manichæos exarata, nec fabulas nec sophismata continere contra eumdem Beausobre ostenditur.

1. Plures hic assumimus ventilandas quæstiones, quæ, semel illustratæ, non tantum plurimum lucis conferunt nostris præcedentibus dictis, sed etiam prorsus ea argumenta eripiunt, quæ Beausobre contra SS. Leonem M. et Augustinum, strenuos Manichæorum oppugnatores, nimis injuriose objecit. Primo ergo animadvertit quemadmodum miserabilis illa Manichæorum secta, post occupatam a Vandalis Africam proconsularem, in qua latius se propagaverat, exsulatum abire fuerit coacta. Cujus sectatores, alii Romam venerunt, alii vero in diversa loca aut urbes se recipere curarunt. Qui autem Romam venere solamen atque subsidia a suis fratribus obtinere posse sperabant, ut tutius viverent. At brevi istharc spes eos fefellit. Nam de eorum adventu et mansione certior factus S. Leo Magnus, summus pontifex, nihil studii et laboris prætermisit ut ab hac peste suam Ecclesiam purgaret. Verumtamen (ait Beausobre) talem modum agendive rationem in eos adhibuit, ut potius ad iracundiam et desperationem impulerit, quam ad resipiscentiam et criminum ejurationem excitaverit. Contendit S. Leo (subjicit idem Beausobre) eos de abominabilibus cæremoniis fuisse convictos, de quibus ipse postea encyclicis epistolis Italiæ episcopos admonuit. Hic ergo agendi modus duos perniciosos effectus peperit. Primus fuit excitare in populum et plebem horrorem erga Manichæos, atque movere magistratus ad infligendas ipsis pœnas jam a legibus statutas. Alius vero effectus perniciosior fuit ille, quo sensim in eosdem Manichæos maximus horror in Ecclesiam catholicam inspirabatur, videntes tantopere episcopos sibi graviter infensos fieri, cum ab istis calumniis potius atque gravissimis persecutionibus urgerentur. Nec enim de illis criminibus erant rei, de quibus postulabantur (*a*). Hisce itaque maledictis et probris S. Leonem pontificem Beausobre vexavit, ut Manichæis magis indulgeret, eosque a nefandis criminibus purgaret. An ergo tantam scribendi impudentiam vel ratiocinandi audaciam patienter sustinebimus; præsertim cum auctor in universo suo opere se jactet nullis præjudiciis adduci, solamque rerum veritatem percunctatum esse in Manichæorum historia adornanda? At splendide in his omnibus nostrum scriptorem mentitum esse sequentia momenta patefacient. Primo, undenam colligit Manichæos Romam venisse, vastata a Vandalis Africa proconsulari? Hujus enim nefariæ sectæ homines jam pridem alias latebras sibi in urbe Roma quæsiverant, videlicet tempore S. Syricii papæ. Quos pervicaces et nimis perfracte suis erroribus adhærentes et propugnantes in exsilium amandari jussit; correctos autem et pœnitentes ad reconciliationis sacramentum admisit; dummodo reliquum vitæ cursum in monasteriis detenti absolverent (*b*). Non igitur Romanorum PP. agendi modus in Manichæos originem habuit a magno Leone; non post Vandalicam cladem Africæ proconsulari illatam 143 Roma detecti sunt, ut oscitanter (credo) Beausobre affirmavit (*c*); non præcludebatur deinde ipsis ad pœnitentiam aditus, ut iracundia et desperatione adducerentur; sed proposito ipsis ex una parte legum sacrarum rigore, et ex alia ecclesiastica pace et lenitate, ad quam potius eorum animas inclinaret poterant se flectere. Non ergo ita sævus judicandus est S. Leonis Magni cum Manichæis agendi modus, ut neglectis suorum prædecessorum Syricii et Anastasii pontificum statutis, Manichæorum primo conversionem non quæsierit, et pœnitentes ad reconciliationem recipere recusaverit. Quod si deinde populare odium in hos homines ob detecta horribilia flagitia excitabatur, et etiam magistratus moverentur ad eos pœnarum rigore torquendos, id minime Leoni vitio dari debet. Quinimmo summa laude illud studium cumulandum est, quo Romanam Ecclesiam, sibi concreditam a tantarum nequitiarum inquinamentis purgare nitebatur. Quid præterea, si Manichæi maximum horrorem erga episcopos et catholicorum societatem concipiebant? Ea enim ordinaria omnium reorum conditio esse solet, ut judices vereantur, et a pœnis, quibus juste affici debent, abhorreant (*d*). Sed non ideo episcopi illorum calumniatores persecutoresque efficiebantur. Cum non nisi Manichaica crimina in judiciis, solemni inquisitione probata, eorumdemque confessionibus patefacta, sermone vel scripto promulgabant. Hanc enim œconomiam nostrum Leonem servasse vel in publicis concionibus ad populum habitis, vel cum ad omnes Italiæ episcopos suas epistolas direxit, ut præcaverent se suasque plebes a Manichæorum dogmatibus (qui homines ex urbe Roma fuerant recenter expulsi), luculentius ipsi demonstravimus agentes de Romana Leonis in Manichæos inquisitione. Ex qua videlicet dissertatione abundantius lector habebit unde probra et maledicta Beausobriana in S. Leonem Magnum refellat.

2. Neque satius duxit Beausobre S. Leonis Magni in Manichæos agendi rationem, ut hactenus vidimus, taxare et probris proscindere; sed ad ejusdem S. pontificis Epistolas et Sermones gradum faciens, hos haudquaquam descriptionem Manichaicæ doctrinæ continere affirmat; sed omnia istius scripta in invectivis contra Priscillianistas et Manichæos versari ait, cum perpetuo duas has distinctas sectas confundere conetur, ambasque iisdem pœnis subjiciat. Aliquam laudem Leonis zelum mereri subjicit; sed major in eo animi moderatio expetenda fuisset. Cum potissimum is fuerit unus ex iis præcipuis episcopis qui hæreticorum supplicia tamquam rata et justa probaverit. Claudit tandem Beausobre suum sermonem dicendo tantæ Leoninæ commotionis causam quæsivisse, et secum reputasse hujus S. pontificis characterem. Hominis (inquit) fuit ejus character ambitione abrepti, minus cogitantis spiritum lucrari docilitate et suasionibus, sed potius violentiis opprimere. Nec tamen satis duxit Beausobre ita scripsisse; sed ut magis suum furorem in S. pontificem et apostolicam sedem exerceret, provocat in notis ad quædam verba ejusdem S. Leonis, dicta occasione necis Priscilliani aliorumque istius sectatorum, apud Treviros a Maximo imperatore per publicos ministros patratæ; quibus verbis idem pontifex probare videtur illius principis cruentum consilium, et deinde subjicit. *Quesnelli nota super hunc locum, digna est ut hic exscribatur: « Sed neque hic* (Severus Sulpicius), *neque ille* (Hieronymus), *neque quisquam alius sanctorum Patrum qui illo Priscilliani ævo vixerunt, cruenta hujusmodi consilia approbarunt; »* nempe ut Leo (*e*).

3. Hæc omnia autem eripere et singula probra quibus S. Leonis fama et sanctitas proscinditur in iniquos calumniatores retorquere, nec grave erit, nec nobis satis difficile. Alia enim ex iis quæ objecit ita 144 sunt infirma et insulsa, ut ad ea refellenda sufficiat oculos in Opera S. Leonis Magni conjicere, et

(*a*) Beausobre, serm. prælim. ad II part. Hist., pag. 226.

(*b*) Videsis quæ præcedenti cap. scripsimus, pag. 139 et seq.

(*c*) Beausobre, ubi supra.

(*d*) Videsis cap. 9 secundi lib. hujus Historiæ.

(*e*) Consule cap. 10 hujus libri, in quo singillatim Manichaicos errores, dogmata et ritus ex Leonis textibus referimus.

oppugnatoris mendacia deprehendentur. Quare eum rogo undenam hauserit Leonem in Epistolis et Sermonibus palmares Manichæorum errores non descripsisse, sed in solis declamationibus, rhetorum more, fuisse versatum? Id sane ex Quesnelli notis et scriptis non hausit, quem veluti magistrum sequendum, ut ex præcedenti narratione vidimus, assumpsit. Nam is varios saltem ex sancto pontifice Manichæorum errores recensuit, ut constat ex cap. 10 hujus libri. Quamvis præterea et alios passim commemoret, quos non nisi ob nimiam oscitantiam idem Quesnellus annotare prætermisit. Quid præterea Leoni opus erat in concionibus ad populum habitis, totam Manichaicæ philosophiæ et theologiæ doctrinam, omnes superstitiosos et profanos ritus, omnia diabolica mysteria, in quibus secta illa versabatur, singillatim enumerare, atque proferre? Non enim illud munus assumpserat, ut dogmatum fidei tractatus componeret ad illos hæreticos oppugnandos; sed dumtaxat in votis habuit Romanum populum admonere ut se ab eorum consuetudine et insitatis præcaveret. Id facere consuevit in solemnioribus præcipue anni diebus, dum sacratiora fidei nostræ mysteria in templo agebantur. Idcirco sat erat summatim indicare populo horum palmares errores, ut illos abominaretur; sed in epistolis contra eosdem Manichæos conscribendis aliam esse secutum rationem, et ipsarum textus, et rerum scriptarum ordo manifestant.

4. Et imprimis quod ad Italiæ episcopis epistolam datam spectat, Beausobre eam vix suis oculis lustrasse censendum est (*a*). Si enim hujus textum cursim dumtaxat etiam attigisset, non alium sibi scopum proposuisse Leonem intellexisset, quam episcopos præmonere super iis quæ Romæ in solemni judicio contra Manichæos habito gesta fuerunt; ne ignari videlicet, in eorum diœcesibus vitiorum semina, quæ Romæ exstincta interierant, furtim radicitus per novas propagines seminarentur. Uno verbo, generatim ibi dumtaxat de Manichaica disseruit hæresi, et alios episcopos advocat in consortium suæ sollicitudinis, certiores faciendo: *plurimos Manichaicæ impietatis sequaces et doctores in Urbe investigatione* sua reperiisse, *vigilantia* divulgasse, *auctoritate* et *censura* coercuisse. Sed quoniam in iisdem coercendis solemnem judiciorum formam et regulas servavit, descriptis in publicis tabulis criminibus, eorumdem reorum confessionibus probatis, una cum hac epistola, omnium gestorum exemplaria transmisit ut plenius edocerentur. *Sicut* (ait) *gestorum vos series poterit edocere. Ad instructionem vestram etiam ipsa* (gesta videlicet) *direximus*, *quibus lectis omnia quæ a nobis deprehensa sunt nosse potestis*. Dolendum quidem est ejusmodi Actorum seriem temporum injuria intercidisse. Sed magis dolendum Beausobre hanc epistolam lustrare neglexisse, ut solis calumniis et probris in S. pontificem inveheretur.

5. Quod vero ad alteram spectat epistolam, quæ est 15, minime inficiari possum, eam totam versari in quæstionibus eidem S. pontifici a Turribio episcopo Asturicensi propositis, cum is videlicet illum in Priscillianistarum causa consuleret. At neque hac occasione Leonem decebat aut oportebat longum tractatum hujus vel Manichaicæ hæreseos describere, nam extra propositarum sibi quæstionum terminos inepte vagatus esset. Nec quidquam facit quod in laudata epistola promiscue cum de Priscillianistarum, tum de Manichæorum institutis disseruerit; nimis enim affines erant ambæ istæ hæreses, cum Priscilliana multa falsa dogmata ex Manichaica mutuata sit, et ambæ antiquorum Gnosticorum virus imbiberunt. Nec propterea tamen Leo SS. pontifex de errore esset insimulandus, si Priscillianistas quandoque Ma-

A nichæos appellaverit. Si quidem et Idacius narrat (*b*) latentes in Asturicensi urbe Manichæos, gestis episcopalibus detectos, ad judicium **145** tractos et damnatos, per Hispaniam fuisse publicatos. Tamen ibidem sermonem habuisse de Priscillianistis, exploratum est. A qua scribendi phrasi nec Hieronymus abhorruit (*c*), ut annotavit etiam Quesnellus (*d*).

6. At vehementius adhuc insectari voluisse S. Leonem, postremum quod objecit perspicue manifestat, cum videlicet S. pontificem describit, ambitione et furore ductum, probasse cruentum Maximi tyranni consilium in Priscillianistas apud Treviros exsecutioni demandatum. Qui tamquam mendacem et impostorem vult convenire Beausobre, mittat eum ad Leoninæ epistolæ textum. Ex quo sat habebit, nec magis injustum probrum, nec audaciorem contumeliam potuisse excogitare. Narrat quippe S. Leo, illius epistolæ cap. 1, quemadmodum episcopi *sub quorum temporibus hæresis illa nefanda prorupit per totum mundum instanter egerint ut impius furor ab universa Ecclesia*

B *pelleretur*. Quid mali consilii in hoc? Nihil plane in episcopalis dignitatis dedecus vel ecclesiasticæ lenitatis detrimentum illi Patres egerunt, qui, anathemate in Priscillianum et socios prolato, eos, vel ex episcopalibus sedibus, vel ecclesiastica communione depulsos, tamquam ethnicos et publicanos haberi jusserunt. Nec suffragatur Beausobre illud aliud judicii genus cruentum, de quo statim S. Leo facit mentionem, scribens: *Quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt*, *ut auctorem ejus cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent*. Judicii enim hujus cruenti causam, non episcopis, sed criminum qualitati gravitatique adjudicat. Nam subjicit: *Videbant* (principes) *enim omnem curam honestatis auferri*, *omnem conjugiorum copulam solvi*, *simulque divinum humanumque jus subverti*, *si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset*. Si enim Priscillianistæ solis fidei dogmatibus repugnassent, si æque omnes honestatis

C leges, divina simul et humana jura non subvertissent, nullam in eos tulissent sæculi principes cruentam sententiam. Sed quia in talia facinora erumpebant, quæ totam vitam civilem ad exitium perducebant, idcirco tantæ amentiæ auctores publicarum legum ense prosternere necessarium duxerunt. Propterea idem S. Pontifex, ne ad malignam interpretationem quisquam præcedentia ejus verba trahere auderet, statim duo illa judiciorum genera distinguit, explicans *quemadmodum ecclesiastica lenitas...... sacerdotali contenta judicio*, *cruentas refugiat ultiones*. Si refugit, non approbat. Sed subjicit: *Severis tamen Christianorum principum constitutionibus adjuvatur*, *dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium*, *qui timent corporale supplicium*. Unde ergo habet Beausobre Leonem cruenta consilia probasse? Forte quia dixit ecclesiasticam lenitatem, sacerdotali contentam judicio, *Christianorum principum* constitutionibus adjuvari? sed quo sensu id Leo affirmavit? Nimirum

D quia gravioribus hujusmodi criminibus irretiti, corporalis supplicii timore correpti, nonnumquam ad *spirituale remedium recurrunt*, præcedentes eorum impietates et crimina exsecrando. Quam vanæ ergo et futiles sint Beausobrianæ in S. Leonem Magnum calumniæ, præcedens hæc nostra disserendi ratio et methodus ostendit. Ex quibus lector etiam habet unde subdolam quartam annotationem Quesnelli refellat (*e*), qui tamen non ita audacter sicuti Beausobre commentus est.

7. Jam vero manum de tabula tollere statueram, et, relictis parumper S. Leonis Magni vindiciis, ad Augustini causam agendam gradum facere volebam, ut hunc quoque ab injustis Beausobrianis crimina-

(*a*) S. Leonis epist. 8, cap. 1.
(*b*) Idacius, ad olympiad. 306.
(*c*) Hieronymus ad Ctesiphontem.
(*d*) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis M., in notis ad epist. 15, pag. mihi 449.
(*e*) Quesnellus, nota 4, tom. II Operum S. Leonis M., pag. 448. Videsis Priscillianistarum historiam, cap. 15.

tionibus purgarem (a). Sed cum in evolvendis scriptis acatholici viri alia quoque **146** offenderim quæ Leonis pietatem et sinceram fidem lædere videntur, diutius in horum examine immorari necessarium duxi, ne omnino indiligens ab invidis criticisque adversariis judicarer. Iterum ergo S. pontificem in scenam inducit, non tantum ut ludat de Manichæorum dogmatibus disserendo, sed ut novis maledictis et probris eum exagitet. Confingit imprimis S. Leonem Cyrilli Hierosolymitani sententiam secutum, qua ait Manem *blasphemasse, se sanctum Spiritum vocitando;* dicit : Magis speciosa est saltem ejusmodi accusatio; et Leo melius fecisset eam potius exscribere quam extendere, et latius explicare inexcusabili cum libertate præfata verba, *Manichæos* (ait Leo) *sub nomine Spiritus sancti, ipsum talium impietatum magistrum adorare Manichæum.* Et rursus : *In magistro suo Manichæo apparuisse Spiritum sanctum crediderunt ..... ut non aliud fuerit Manichæus ipse quam Spiritus* (b). Profecto si id verum exstitisset (subjicit Beausobre) nostrum hæreticum superbia et blasphemia ad supremum malitiæ gradum traxissent. At si Leo non est magis fidelis in suis narrationibus, quam sit justus in suis sermonibus, excusabimur plane, si illius dictis fidem non adhibeamus. Potissimum cum paucis etiam refellere volens præsumptam Manichæi superbiam in sequentia verba erupit. *Quoniam et hic de illa mundi exstitit parte, quæ non potest Spiritum veritatis recipere.* Quasi innueret Spiritum sanctum angustis finibus esse restrictum, et Orientis populum cunctis esse miserabiliorem. Numquam sane (subjicit Beausobre) credidissem quod unus episcopus, qui *Magni* cognomentum obtinuit, simile absurdum in quodam sermone qui ad posteros transiit dicere potuisset. Ita ut ipse oblitus quod primi inter gentiles qui Messiam adorare venere fuerunt magi, Persarum philosophi, et quasi Manetis atavi. Pariter ille oblitus est se alio in sermone dixisse quod magi non ex sidereo signo cognovere Christum in Judæa natum, *sed agente sine dubio in eorum cordibus inspiratione divina.*

8. En totus Beausobrianus ludus, qui actoris impudentiam et mendacia arguit, si inspiciamus Leoninum contextum ex quo tria objecta loca avulsa sunt. In quorum primo nihil plane occurrit a fide et veritate alienum, quodque a Manichæis profiteri S. pontifex non deprehenderit. Quarto enim illo de Epiphania sermone, in populi memoriam incarnationis mysterio revocato, et latius explicatis quæ ad diei celebritatem, ad magorum in Bethleem adventum, ad oblata munera, ad sidereum illud signum quod ex longinquis Orientis partibus eos adduxerat, pertinebant, Manichæos quos mox in Urbe latentes detexerat aggreditur exagitare, summatim ad populum sacrilega commenta et fabulosa mendacia referens, quibus incarnationis veritatem subvertebant. Quid? Ne pluribus populum teneret, ad quamdam summam reduxit omnium errorum capita : videlicet quemadmodum Mosaicas Scripturas rejicerent, evangelicas corrumperent, apostolicam symboli veritatem contemnerent, et negantes *a Christo vivos et mortuos judicandos, docebant in sole et luna colere Christum, et sub nomine Spiritus sancti ipsum talium impietatum magistrum adorare Manichæum.* Duo autem illa valde inter se differre, quis non videt? Manichæum videlicet se Spiritum sanctum dixisse, et illius discipulos sub Spiritus sancti nomine Manichæum adorare (c). Hocce postremum dumtaxat de Manichæis S. Leo Ma- A gnus affirmavit. Ea prorsus ratione qua sacrilegi etiam contendebant in sole et luna Christum adorari; nec tamen effutiebant solem et lunam esse Christum. Neque alio **147** modo noster Leo ratiocinatus est in altero sermone de Pentecoste, cum Manichæos suæ ætatis refellere aggressus est, contendentes magnum quemdam et sublimem auctorem sequi, in *Mane* magistro suo apparuisse *Spiritum sanctum crediderunt, promissumque a Domino Paracletum non prius venisse quam hic infelicium deceptor oriretur, in quo ita Spiritus sanctus manserit, ut non aliud fuerit Manes ipse quam Spiritus Dei.* Si igitur ad hæc Leonina dicta ex Manichæorum sententia prolata attendamus, nihil prorsus intelligimus quo potuisset Beausobre S. Leonem infidum et injustum appellare. Constabat enim S. pontifici ejusmodi prava dogmata a Manichæis profiteri, non ex falso hominum rumore, non ex aliorum testimoniis, sed hæc omnia ex eorumdem Manichæorum confessione criminumque exsecratione probavit. Quare omnibus persuasum esse debet acatholicum virum B Beausobre nodum semper quæsivisse in scirpo, fraudulentas interpretationes confingendo.

9. At saltem verum erit S. pontificem Spiritui sancto fuisse injurium, cum illum angustis finibus restrinxit, et Orientales illius ope et præsidio privari indicavit. Commentum apage. Narrat quippe S. Leo quemadmodum Manes in orbem damnandus apparuerit, Probo et Paulino consulibus. Ex qua temporis epocha evidenter demonstrat jam a Christi morte ad Probi et Paulini consulatum usque octavam in Christianos persecutionem desæviisse, innumerabilesque martyres exstitisse, quibus juxta divinas promissiones apud Matthæum XIX datus erat Spiritus sanctus : *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*, etc. Non potuisse ergo Deum, suorum donorum largitatem continere, ut tot Ecclesiæ generationes sua inspiratione fraudaret, donec prodigiosus turpium mendaciorum signifer nasceretur, Leo quasi Archelai argumentis insistens asseverat, et statim C de Manete subjicit : *Cui nec hoc quidem tribui potest, quod vel exiguam divinæ inspirationis acceperit portionem, quoniam hic de illa mundi exstitit parte, quæ non potest Spiritum veritatis accipere.* At hæc verba posteriora non sunt referenda, aut ad Persidem, aut ad totum Orientem, ut vel allucinatione, sive malitia, Beausobre interpretatus est, *sed ad diabolum, mendaciorum patrem*, cujus partes et munera Manes agebat, ejus doctrinam docendo. Mox enim S. pontifex se explicavit, subjiciendo : *Repletus enim spiritu diaboli, spiritui resistit Christi : et cum sanctis Dei hoc Paracleti doctrina contulerit*, etc. Cum itaque manifesta res sit, divinis etiam in Scripturis prædicata, mundum in duas dividi partes, quarum alteri Deus et veritas, alteri vero diabolus et mendacia dominantur, non video cur laudatus Leonis sermo, divinis institutionibus refertus, non debuerit ad posteros transferri. Christum Dominum quidem dixisse Spiritum veritatis *non posse mundum accipere, quia non videt eum, nec scit eum*, testis est evangelista Joan- D nes (d). At quis propterea Spiritum sanctum angustis finibus esse restrictum affirmabit? Sublato ergo ejusmodi Beausobrianæ amphibologiæ ludo, cætera quæ censor objecerat prorsus cadunt; et idcirco ad evertendas alias calumnias contra Augustinum prolatas gradum faciamus. Quæ si brevi a me exponi posse quis arbitraretur, vehementer erraret, cum innumeræ pene sint malignæ interpretationes hinc

(a) Beausobre, part. II Hist. Manichæorum, lib. I, cap. 2, pag. 256, § 5.

(b) S. Leo Magnus, serm. 4 in Epiphan., cap. 2 et seqq.

(c) Id nos ipsi ad marginem hujus cap. annotavimus; ut videlicet lector unico intuitu intelligeret quod Manes magister docuerit, quidve Manichæi discipuli Leonis ævo credidissent. Nostri deinde mss. codd. pro voce *sancti* aliam *Dei* habent. Sanctus Leo, serm. 2 de Pentecoste, cap. 6 et seqq.

(d) Apud Joannem XIV, 16 et seqq., legimus : *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat in æternum : spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum nec scit eum : Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* An non homines hujus mundi in duas partes et classes sunt divisi, quarum altera Spiritum sanctum non potest recipere?

illincque in toto Beausobriano opere sparsæ, quæ sanctum episcopum impetunt, et maledictis proscindunt. Neque nostrum consilium est singulas hic persequi, indicare, atque refellere. Nam in immensum fere nostrum opus protraheretur, nec quidquam laboriosius molestiusque assumeremus.

148 10. Paucis itaque aliqua dumtaxat ex iis primo delibabo, quæ habet in sermone præliminari ad alteram suæ Historiæ partem (*a*). Itaque de Augustino verba facturus, orationem orditur a quibusdam Leontii Byzantini verbis, scribentis neminem felicius posse Manichaicam describere hæresim, si jampridem non exstitisset professione Manichæus. Quod dictum optime in Augustinum quadraret, qui ab anno suæ ætatis decimo nono, ad vigesimum octavum usque, huic sectæ nomen dederat, et errores viriliter contra catholicos pluribus in concertationibus feliciter propugnavit. Sed id eloquentiæ et ingenii fervore dandum esse Beausobre ibidem asseverat. Nam Secundinus eum reprehendit non intellexisse Manichaica mysteria: *Visus enim mihi es, et pro certo sic est, te numquam fuisse Manichæum, nec ejus te potuisse arcana incognita secreti cognoscere, atque sub Manichæi nomine persequi Annibalem atque Mithridatem.* Hocce paradoxum multas pati contradictiones ironice asseverat Beausobre. Primo ab hæretico prolatum est. Secundo, ita obloquenti obest præjudicata mundi opinio, eorum videlicet qui majori scientia et auctoritate pollent. Quid? Augustinus præ cæteris PP. Latinis doctior animoque perspicacior, Occidentalis Ecclesiæ oraculum, novem annorum spatio inter Manichæos vitam egit, quin Manichæorum systema penetraverit? Poteratne Secundinus quid temerarius aut absurdius proferre? Alterutrum itaque (ait) dicendum est: aut Augustinum non satis horum systema intellexisse; aut sanctum Augustinum illum mutasse, quod ab aliquibus sine hæreseos nota affirmari haud posse arbitrabitur. Ego (subjicit) præ cæteris plurimum facio hujus Patris excellentes qualitates, non sine admiratione illius ingenium et sapientiam perpendo, illius honoro memoriam, et diuturnos ejus labores existimo; sed optimæ logices regulæ atque experientia me docuerunt ejus dictis atque testimoniis non esse insistendum. Veteres numquam infallibilitatem ambiere, quam posteri demum illis donarunt. Homines fuerunt, ut nos sumus. Et paucis interjectis habet: Ego nolo propugnare S. Augustinum Manichæorum systema mutasse, vel corrupisse, ut victoriam reportaret, id foret læsæ fidei reum eum appellare; sed certum est ipsum quibusdam sophismatibus fuisse usum, et sæpius male expressisse illorum religionem. Hæc, inquam, et id genus alia probra in Augustinum scripsit, quæ singillatim referre nos pudet. Quare ut jam dictis fidem comparare possit apud lectores, exempla et probationes varias annectit. Quorum primum desumptum est ex his Augustini verbis: *Inimicus quippe qui eumdem Salvatorem justorum patrem crucifixisse se speravit, ipse est crucifixus; quo tempore aliud actum est atque aliud ostensum.* Hæc ex Manichæorum sententia dixisse Augustinum asseverat, et laudat tum epistolam Fundamenti, tum librum de Fide, cap. 28. Quibus verbis et alia addidit: *Coactus est dicere Manichæus, quia non Christus, sed princeps tenebrarum cum suis sociis omnia illa passus est.* Atque tandem loquens de vegetabilium animabus, quas Manichæi divinitatis partem in se habere credebant, cujus prærogativas in plantis, in fructibus adhuc asservari dicebant, atque solum perire et annihilari cum fructus et olera ad epulas assumuntur; quæ cum ad carnem comedentis venerint, omnem intelligentiam amittunt, *et propterea Magister hominibus missus sit, quia stulta in iis est facta pars Dei, et propterea non sit missus melonibus, quia sapientem habent animam.* Hæc tria, inquam, exempla, tamquam ab Augustino ex Manichæorum sententia dicta, Beausobre primo objecit, contendens ejusmodi delicta, falso Manichæis ab ipsis orthodoxis, tamquam illius sectæ dogmata, fuisse imputata.

11. Non ibo inficias tria hæc me offendisse in libro de Fide contra 149 Manichæos, quem perperam olim Augustino fuerat adjudicatum. At plane desiderantur in alio libro quem certo Augustinus contra epistolam Fundamenti conscripsit. Non cursim quidem, sed sedulo hoc opus lustravi; nec verbum inveni quod similia redoleat. At quis ignorare potest librum illum de Fide non esse Augustini fetum? Bellarminus enim, Vandingus et alii, animadvertentes inter illius Opera non esse relatum, nec in Retractationibus, nec in Possidii Indice; conspicientes quoque stylum ab Augustiniano esse diversum, atque debiliorem in disputandi ratione, sed auctorem dumtaxat Augustinum imitari studuisse, non modo ejus sensus exprimendo, et interdum ejus verba usurpando, et eo præsertim libro qui de Natura boni contra Manichæos scriptus est; idcirco postremi S. Augustini Operum editores illud opus Evodio adjudicarunt, et in appendicem octavi tomi rejecerunt. Beausobrianam itaque negligentiam, ne dicam fraudem, satis mirari non possum, qui incerta pro certis et falsa pro veris vendere nisus est (*b*).

12. At ultro demus isthæc Augustinum ex Manichæorum sententia scripsisse, quia forte non absimilia in libro de Natura boni expressit. *Quid? Similia deliria excogitavit, confinxit Augustinus, ut horrorem in Manichæos excitaret, ut paulo post subjecit*: Aliis in exemplis calumniatur. Nam Augustinus, locis a Beausobre laudatis, nec falsis insistit principiis, nec ex veris Manichæorum principiis falsas consecutiones deducit. Iis enim in locis agit Augustinus de turpitudinibus a Manichæis contra Deum confictis et excogitatis, quas hic recenseri, cum nimis grave sit, prætermitto, ne lectori negotium facessere videar; idque etiam supervacaneum ducam, cum ad ipsius Augustiniani textus lectionem quisque recurrere possit. Dissimulare tamen non possum Beausobrianam licentiam, qua videlicet contendit falso deduci ex Manichaicis principiis. Nam, ait, præfatas turpitudines *illi infelices legunt, hoc dicunt, hoc audiunt, hoc credunt, hoc in septimo libro Thesauri eorum* (sic enim appellant scripturam quamdam Manichæi, ubi istæ blasphemiæ conscriptæ sunt) *ita positum est: tunc beatus ille pater*, etc. Nihil ergo ex suo ingenio addidit Augustinus, qui ad verba ipsorum Manichæorum provocat, eademque exscribit, et in suo opere transtulit, ut videre est in toto illo cap. a Beausobre laudato. Præterea si malo dolo id fecisset Augustinus, creditne Beausobre quod Faustus, Felix, Fortunatus, Adimantus, Secundinus, et quotquot ex Manichaica sobole suis scriptis exagitavit, siluissent, quin eum accusassent tamquam mendacem et impostorem? At non siluisse Secundinum probant illius verba paulo ante laudata, quibus S. episcopum exagitat, quod Manichaica non intellexerit mysteria, et sub Manichæi nomine persequi Annibalem et Mithridatem. Fateor quidem Secundinum in hæc verba erupisse. Sed dicat Beausobre an ipsi fides debeat adhiberi, si adhibeamus fidem Secundino, qui Augustinum carpit, quod istius scripta nimia perluceant eloquentia: *Hanc* (subjicit) *si voluisses veritati concordare, magnum utique nobis exstitisset ornamentum. Noli, rogo, contra tuam venire naturam, noli esse erroris lancea, qua latus percutitur Salvatoris* (*c*). Quid igitur

(*a*) Beausobre, serm. prælimin. ad alteram Hist. partem, pag. 228. Secundinus apud Augustin.

(*b*) Consule præmonitionem PP. cong. S. Mauri ad lib. de Fide contra Manichæos, qui in append. Operum S. Augustini, tom. VIII, rejectus est, pag. 25; lib. de Natura boni, 44; contra Faustum lib. xx, 6; contra Felicem lib. II.

(*c*) Epist. Secundini ad S. August., tom. VIII ejus Operum, pag. 270; lib. S. August. contra Secundinum, ibid. Exstat pag. 552.

hic vellicat et contemnit Secundinus, nisi summam S. Patris eloquentiam, quam si concordare voluisset cum Manichaicis principiis, quæ sancta et vera esse hæreticus contendebat, nostræ vero fidei dogmata falsitati obnoxia esse effutiebat, *magnum ornamentum illis extitisset*. Sed permittamus Secundinum dixisse Augustinum Manichæorum mysteriorum ignarum. Rogo tamen : **150** cui fides adhibenda est? Hæretico homini, qui, cum malam causam haberet, undequaque subsidia quærit, ut illam apparenter saltem tueatur; et ne cadat, ad mendacia, ad exaggerationes, ad dolos audacter provocat, sancti episcopi famam, et nomen probris etiam proscindendo; vel ipsi Augustino, qui, vix accepta hujus hæretici epistola, calamum arripuit, atque omnia objecta ab adversario proposita refellit? Si Manichaicorum mysteriorum fuisset ignarus, accusationem dissimulasset. At non dissimulavit, sed Manichæi sectam et dogmata ex argumentis ab ipso Secundino prolatis, abundantius rejecit; ita ut hæreticus homo valde turpiterque confusus obmutuerit, et quoadusque vixit numquam S. Augustinum probris impetere vel calumniari ausus fuit. Totum ergo Beausobrianum artificium ruit, et Augustinus optime Manichæorum systema intellexit; nec in minima re illum mutavit aut corrupit.

12. Jam vero Beausobre ad alia gradum faciens in Augustinum stolide quasi invehitur, eam instituendo quæstionem, quare videlicet S. doctor annorum novem spatio Manichaicæ sectæ, tantas abominationes docenti, nomen dederit? quare ipse easdem contra catholicos audacter propugnaverit? Non respondeat, quæso (ait), se in ordine auditorum, minime electorum exstitisse, idcirco similes ignorasse blasphemias. Nam ipsemet asseverat eas contineri in septimo libro Thesauri Manichæorum, quem librum omnes sectatores manibus terunt. Atque provocat ad illa verba ex libro de Natura boni desumpta (*a*), quæ ipsi paulo ante laudavimus. Augustinus ergo eas blasphemias ignorabat quando erat Manichæus. Vel si haud eas ignorabat, mirari subiit quod diu in ea secta permanserit. Hæc et alia similia Beausobre congerit, ut ostendat Manichæorum systema et dogmata horribiliter fuisse mutata, atque pravis interpretationibus corrupta. Quod ut magis persuadeat, ad duas illas provocat disputationes, quas cum Felice et Fortunato presbyteris habuit Augustinus. Felicem, hominem prorsus ignarum fuisse ait. Sed Fortunatus Felice doctior, lumen aliquod exhibet ad intelligendam illius sectæ doctrinam. Veruntamen de duabus hisce disputationibus in præsens agere nostrum non est, cum jam satis verba de iisdem fecerimus, omnia Augustini contra Manichæos scripta, congressiones et gesta recensendo. Propterea de præsenti tabula remoto calamo, quando Manichæi Romam venerint diligentius inquirere deliberavimus.

151 CAPUT VIII.

A quo Christi anno repetendus sit Manichæorum in Urbem adventus. Falsum ea de re Paschasii Quesnelli judicium.

1. Reversuri itaque unde nostra oratio digressa est, imprimis vix licet dubitare S. Leonem tertio jam sui pontificatus anno ineunte summa apostolatus munera in Manichæos non exercuisse, cum in eosdem publice animadvertit. Id minime inficiatur Quesnellus, qui tamen pro suo ingenio Leonis agendi rationem describit, parum nihilumve sollicitus de iis quæ Romæ ab istius prædecessoribus contra eosdem Manichæos diu jam gesta fuerant. Ait igitur Manichæos Romam adventasse *rebus in Africa profligatis, devastataque a Vandalo provincia*. Porro clades illa a Vandalis Africæ illata, si Prospero, Victori atque Procopio fidem adhibemus, contigit anno Domini 427, quando Geisericus cum octoginta millia Vandalorum, et Alanorum maria transfretavit, eamque paulatim sibi subjecit. Ex qua rerum circumstantia horum in Urbem adventus revocari deberet ad tempora dumtaxat Cœlestini, aut Xisti pontificum Romanorum. Ac proinde concluderet hæc alia Quesnelli conjectura : *Hæreticorum hæc colluvies diu latuit sub larva piorum hominum, qui impietatem vultu vitaque severiore dissimulabant* (*b*). At Quesnellus in male suscepta causa cedere cogitur, si animadvertat jam antea diu Manichæos in Urbe fuisse inventos, et tum summorum pontificum, tum imperatorum decretis exsilio affectos. De Siricio namque, qui ad pontificatum fuit assumptus anno 384, legitur : *Hic invenit Manichæos, quos in exsilio deportavit, et hoc constituit, ut non participarent cum fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret sanctum corpus Dominicum vexare. Iis tamen salutaris pœnitentiæ reconciliationem penitus non interdixit, dummodo sincere ad Ecclesiæ sinum revertentes, reliquos eorum vitæ dies in monasteriis relegati, jejuniis, orationibus, cæterisque corporis afflictationibus vacarent, ut probati sub omni examinatione usque ad ultimum diem transitus sui, et ob humanitatem, Ecclesiæ viaticum eis largiretur.*

2. Citra ergo omnem dubitationis aleam positum esse arbitramur S. Siricium in pestiferam horum hominum sectam anno quarto aut quinto sui pontificatus animadvertisse. Id sane non obscure intelligitur, tum ex Theodosii senioris novella anno 388 exarata, tum ex rescripto Ambrosii episcopi Mediolanensis, Sabini, Bassiani, cæterorumque illius provinciæ episcoporum, dato ad eumdem pontificem anno 390, postquam in Joviniani causa convenerant. Hæc autem inter cætera asserunt : *Manichæus est qui abnegat veritatem, qui carnem Christi negat; et ideo non est remissio peccatorum, sed impietas Manichæorum, quam clementissimus execratus est imperator, et omnes qui illos viderunt, quasi quædam contagia refugerunt.* E Mediolano quoque pulsos fuisse Manichæos Siricii tempore, favente etiam lege lata ab imperatore Theodosio seniore, statim subjiciunt : *Sicut testes sunt fratres et compresbyteri nostri Crescens, Leopardus et Alexander, sancto ferventes Spiritu, qui eos omnium execratione damnatos ex Urbe quasi profugos repulerunt* (*c*). Tres autem istos presbyteros, quos Mediolanenses Patres testes appellant, cum suis litteris Mediolanum miserat **152** Siricius, ubi apostolicæ sedis legatione fungentes ex illa urbe pepulerunt Manichæos, ut intelligimus etiam ex hujus pontificis epistola ad Mediolanensem Ecclesiam. Laudati tandem Ecclesiæ Mediolanensis Patres cum idem claudunt rescriptum, declarant Romani pontificis judicium adamussim esse prosecutos, adeo ut vel aliquid ei addere aut detrahere minime ausi fuerint. Quod sane evincit Romanorum pontificum auctoritatem, et irreformabili quodam judicio hæreses omnes fuisse damnatas, ut nos ipsi in præcedentibus capitibus demonstravimus. *Itaque*, aiunt, *Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martinianum, Januarium et Ingeniosum, quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos.* Hinc igitur manifeste liquet Manichæos jam Romæ atque in aliis Italiæ urbibus latebras sibi quæsiisse, saltem quadragesimo anno ante Africæ vastationem a Vandalis illatam. Jam enim undequaque pestifera illa soboles imperiali ac sacerdotali pœna plectebatur anno 390, quando videlicet Mediolanenses Patres ejusmodi rescriptum dederunt (*d*). Nobis omnino suffragatur Gothofredus in annotatione ad cod. Theod. qui ex laudatis verbis colligit *Siricium*

(*a*) Lib. de Natura boni cap. 44.
(*b*) Quesnellus tom. II, dissert. de Vita et Rebus a Leone gestis. Vide quæ jam diximus in præcedentibus capitibus 4, 5, 6.
(*c*) Hoc rescriptum exstat tom. II Conc., p. 1220.
(*d*) Epist. 2 Siricii ad Eccl. Mediol. Exstat tom. II Conc., pag. 1218.

papam Theodosianæ in Manichæos legis suasorem procul dubio exstitisse.

3. Neque nos tamen inficiamur eam hæreticorum colluviem ex Africa aut aliis transmarinis partibus profectam Urbem aliasque Italiæ civitates inhabitasse. Id facile colligi potest ex Vita Anastasii papæ I, qui mortuo Siricio, ad pontificatum evectus, decreta edidit : *nulla ratione transmarinum hominem in clericatus honorem suscipi, nisi quinque episcoporum designaret chirographos, quia et eodem tempore Manichæi inventi sunt in urbe Roma.* At Anastasius Petri thronum conscendit anno Christi 398, hoc est 29 annis antequam Vandalus cum suis copiis maria transmitteret. Igitur Manichæorum ad Urbem commigratio ex Africæ rebus a Vandalis profligatis minime est repetenda. Quamvis re ipsa non eamus inficias post Africæ vastationem crebriores factos fuisse in Urbe Manichæos, in qua jam pridem hujus improbæ sectæ homines inter latebras sibi præsidium paraverant. Id sonant ea Leonis verba sermone 15, c. 5 : *Hos itaque homines per omnia exsecrabiles atque pestiferos, quos aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores ab amicitia vestra penitus abdicate* (*a*). Ad hunc locum cum animadvertere neglexerit Quesnellus, turpiter lapsus est. Verum Quesnelli lapsum missum faciamus, ne nimium in eos invehi velle videamur, qui jam vivo olim, et nunc demortuo Quesnello, ita ejus dictis et sententiis subscripserunt, ut eum, si non in dogmaticis, saltem in historicis, et antiquæ disciplinæ rebus non adeo illum deceptum, et pluris habendum esse crediderint. Nos interim ejusdem vestigia conculcantes, ne incognita pro cognitis, incertaque pro certis habeamus, hoc unum omnibus persuasum esse volumus, Manichæorum sobolis in Urbem adventum quadragesimo saltem anno antequam Africa Vandalorum copiis occuparetur contigisse.

4. Ejusmodi ergo solidissimis jactis fundamentis, nos arbitramur, usque ad Leonis pontificatum Manichæos in Italiæ regionibus delituisse. Nec propterea Romanam urbem ab hac labe fuisse penitus purgatam, quamvis civili et ecclesiastica lege jam antea cautum fuisset ejusmodi homines exsilii pœna extra Italiæ oras esse amandandos, et pœnitentes monasteriis intercludendos. Sed illi porro versuti homines post latas in eos leges, minime superstitionis sacrilegos errores palam profiteri audebant; sed tanta simulatione in omnibus utebantur, ut ad magis *tegendam infidelitatem suam* cum catholicis, divinis non desinerent interesse mysteriis, ne aut sæculi aut Ecclesiæ ministris eorum superstitio et damnata religio redderetur **153** suspecta? Illud præterea accedit, non nisi abdita secretioraque loca frequentare consuevisse, præsertim cum sacrilegos celebrabant conventus. Quorum aditus et accessus iis dumtaxat patebant, qui primum in obscenis sceleratisque ritibus instructi, et a carnalibus illecebris allecti, nefariam hæresim sub jurejurando tueri profitebantur. Quid ergo mirum quod tali studio usi, tantaque adhibita diligentia diu latere potuerint? Ea enim est improborum hominum consuetudo, qui, ut gravissima quæque facinora perpetrare callidiori ratione possint, judicum potentiam reformidantes, tum dumtaxat, in vanam spem erecti, sibi blandiantur publicas posse evadere pœnas, cum latebras sibi criminum socias asciscunt. Neque tandem cum Manichæa illa soboles Urbem inhabitabat Romanus populus penitus ab omni superstitione expurgatus erat et immunis. Superstites enim adhuc erant plures ethnicorum Judæorumque reliquiæ, cum videlicet publicis darent operam spectaculis, lupercalium nimirum, circensium, Bacchanaliorum, Augustalium Saturnaliorumque ludorum, ut luculentissime cum Hormisdæ papæ epistolæ, tum nostri Leonis sermones testantur. Quare cum Manichæorum hæresis multos errores ethnicorum ac Judæorum figmentis, ritibus et impudicitiis affines profiteretur, ut jam vidimus, facile intra illius urbis septa diu etiam latere poterat, cum non in omnibus civibus par esset pietas, fides atque religio. Quod cum compertum Leo habuerit, palam populum alloquens, hæc non dissimulavit. *Sed cum in cunctis perversitatibus* (*diabolus*) *multiformem teneat principatum, arcem tamen sibi in Manichæorum struxit insania, et latissimam in eis aulam, in qua se exsultantius jactaret, invenit; ubi non unius pravitatis speciem, sed omnium simul errorum impietatumque mixturam generaliter possideret.* Deinde magis ad nostram rem hæc subjicit : *Quod enim in paganis profanum, quod in Judæis carnalibus cæcum, quod in secretis magicæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæresibus sacrilegum atque blasphemum est, hoc in istos quasi in sentinam quamdam cum omnium sordium concretione confluxit* (*b*).

4. Ne igitur S. pontifex se falli sineret ficta virtutis imagine et fallaci pietatis umbra; ne Romanorum pontificum prædecessorum canones et imperatorum leges frustrarentur; neve tandem quidquam de sancto sibi commisso *grege periret*, nihil eorum prætermisit quæ horum hæreticorum instituta, vitam corruptam et latebrosa loca ab iisdem inhabitata detegeret. Quare ut gravissimo huic malo, veluti cancro occulte serpenti, multosque labefactanti, et medelam adhiberet, et pararet exitium, prius in templis, quando frequentior erat populus, publice contra eam diaboli sectam declamare cœpit, ostendens turpissimum fore quod filii, quorum progenitores *Evangelium crucis Christi ab ipso beatissimorum apostolorum Petri et Pauli ore* (*c*) didicerunt, a tam nefariis erroribus se sinerent corrumpi. Utrumque autem mirifice est assecutus. Nam cum perpetuo inter sacra contra ejusmodi labem declamaret, generalem in eosdem hæreticos inquisitionem instituens, alii qui infirmitate aut ignorantia seducti in tam superstitiosa crimina prolapsi erant, propriis culpis mederi cupientes, maximo animi mœrore et cordis ejulatu patrata crimina sincere exsecrati sunt. Alii vero, qui pertinaci voluntate carnis illecebris, cæterisque superstitionibus indulgentes hæresim defendebant, corporalibus spiritualibusque pœnis mulctati, non dumtaxat vagi et profugi errantes, omni jure atque honore privati, hinc atque illinc abire cogebantur, sed etiam ab Ecclesia proscripti, tum ab omnibus reipublicæ rectoribus et magistratibus abominati et exacti cum essent, tandem extra Italiæ oras præsidium sibi quæsiverunt. Sic itaque catholicorum Italiæ urbibus expurgatis, nos Siricio **154** atque Leoni debemus gratulari. Eo præsertim quod in hac sanctorum pontificum agendi ratione formam ecclesiasticæ *inquisitionis contra hæreticorum pravitatem* constitutam atque firmatam fuisse deprehendamus, ut mox ex sequentibus patebit.

CAPUT IX.

Romana sancti Leonis Magni in Manichæos inquisitio. De cujus judicii forma quinque potissimum tum ex ejusdem S. P. scriptis, tum ex Rom. imperatorum legibus annotantur et expenduntur.

1. Jam animo concipio nimis ingrata aut saltem parum jucunda sciolis (ne quidquam de læsæ fidei viris) esse futura quæ nunc dicere aggredior. Quibus, cum numquam veterum sanctorum Patrum volumina pervolverint, nec ecclesiasticarum rerum historiam, nisi ex corruptis et depravatis fontibus hauserint aut prælibaverint, nos nugari aut comminisci videbimur. Quemadmodum olim de hujusmodi Leonis inquisitione, in privatis litterariæ antiquæ rei colloquiis verba facere aggrediens, quidam homines, qui tum nondum perfecte S. pontificis scripta lustrarant, de me judicarunt, contendentes numquam quam par est ex dubiis et incertis conjecturis apostolicæ sedis

(*a*) S. Leo Magnus, serm. 15, c. 5.
(*b*) Serm. 8 de Collectis et Eleemosynis, cap. 4.
(*c*) S. Leo Magnus, serm. 15, cap. 5, et sermone in octava Apostolorum

A jura et judiciorum ecclesiasticorum œconomiam esse repetenda. Qui ergo meis dictis repugnabant, secum potius reputabant, non ex Leone, sed ex recentioribus sæculis illam judicii formam illudque inquisitionis nomen in Ecclesiæ judiciis traxisse originem. Tum sane mihi proposueram ea de re longam satis contexere dissertationem, hancque non ex aliis quam ex sancti pontificis Operibus deductam. Atque item in ea probare antiquam Ecclesiæ disciplinam, et S. Leonis potissimum agendi rationem, in perquirendis et damnandis hæreticis Manichæis. Re tamen maturius perpensa, causæ hujus pertractationem huic loci differendam opportunius existimavi, et propterea quinque subjicere cogor.

2. Primum *inquisitionis* vocabulum jam Leonis ævo fuisse usurpatum ad innuendam eam judicii formam quam tum Romana Ecclesia prosequebatur in perquirendis indiscriminatim cujuscumque ordinis et gradus Christianis hæretica labe infectis;

Secundum, de hæresi suspectos atque comprehensos B coram Ecclesiæ judicibus se sistere debuisse, ut causam dicerent, et sententiam subirent;

Tertium, ab ipsis reis coram sacerdotibus adductis consuetum fuisse, cum criminum confessionem, tum eorumdem detestationem extorqueri;

Quartum, cujuscumque ordinis et conditionis Christianos tunc etiam quodam sacramento obstrictos fuisse de hæresi suspectos ad Ecclesiarum suarum seu parœciarum presbyteros *deferre*, vel, ut aiunt, *denuntiare;*

Quintum tandem, hæresibus inquinati, non ecclesiasticarum dumtaxat censurarum vinculis constringebantur, verum etiam si non satis pœnarum exhaustum foret, sæculari potestati, quam sibi in subsidium Ecclesia advocabat, aliis atque aliis suppliciis affecti tradebantur. Quinque autem hæc ita ex solo Leone perspicua et explorata facere conabimur, ut deinceps labia dolosa mendacium obloquentia obmutescant.

C Primum itaque quod hic probandum assumimus potissimum colligitur ex sermone decimo quinto (a), in quo cum de jejunio decimi mensis, tum **155** etiam de eleemosynis S. pontifex agit. Paulo enim ante, præsentibus sacerdotibus et clericis, una cum amplissimo Urbis senatu aliisque nobilibus viris, in quosdam Manichæa labe inquinatos animadverterat. Quare ad innuendam eam judicii formam quam pastoralis ejus vigilantia servaverat, vel in investigandis et detegendis hisce improbis hominibus, vel in ipsis evulgandis et coercendis, non alio est usus vocabulo quam *inquisitionis*. Capite igitur quarto, locuturus de obscenis et nefandis eorum sacrificiis et solemnitatibus, hæc habet : *De sacris tamen eorum, quæ apud illos tam obscena sunt quam nefanda, quod inquisitioni nostræ Dominus manifestare voluit non tacemus.* Exponit deinde quemadmodum qui ad judicium fuerant perducti impia dogmata et exsecrabilia crimina patefecerint. Quæ quidem non sine maximo animi horrore D ab iis qui ejusmodi confessioni aderant potuerunt audiri. Quia tandem S. Leo, divina virtute præditus, et revelatione præmonitus, prænoverat unam dumtaxat partem noxiorum hominum in Urbe latentium in eo solemni sanctissimoque conventu fuisse coercitam et evulgatam; propterea antequam ejusmodi clauderet homiliam, nequaquam a conatu desistere statuit. Immo in eadem inquisitione se perseveraturum esse pollicetur, quoad tota Urbs ab hujusmodi contagione penitus expiaretur, id maxime exigente diligentiori sui supremi apostolatus cautione : *Ideoque enim misericors Deus quamdam nobis partem prodidit hominum noxiorum, ut, manifestato periculo, excitaretur diligentia cautionis. Non sufficiat quod actum est, sed eadem inquisitio perseveret : quæ hoc, auxiliante Deo, consequitur, ut non solum qui recti sunt incolumes perseverent, sed etiam multi, qui diabolica seductione decepti sunt, ab errore revocentur* (b).

Divino itaque spiritu illustratus, maximo animi vigore mentisque firmitate, quibus in divinis sacrisque rebus gerendis et moderandis noster Leo pollebat, optime prænovit nihil Ecclesiæ Dei utilius, nihil sanctius et felicius Christianæ professioni posse desiderari ea agendi œconomia qua utebatur. Ex ea porro fidei et morum integritas defenditur atque servatur, Dei cultus et honor augentur, et Ecclesia ipsa immunis custoditur a tot tantisque vitiorum maculis, quibus diabolica contagione posset labefactari. Contra vero, si qui in Ecclesia reperiantur aut hæresibus imbuti, aut pravorum criminum sorde vitiati, hi vel facile ad rectam veritatis semitam redire possunt, si pœnitentes fieri incipiant; sin autem contumaci obstinatione in erroribus perstent, ecclesiasticis censuris perstricti, a totius Ecclesiæ communione abscissi removentur. Quam quidem agendi rationem, cum civilium rerum administrationi atque regimini principes sæculi et magistratus optime noscerent accommodatam, jam quidem illud nomen usurparunt ad indicandam eam judiciorum formam qua in læsæ majestatis reos animadverti solet. Sed ad aliam jam gradum faciamus.

3. Perspicuum præterea illud est, quod secundo loco proposuimus, Manichæos videlicet e latebris prodeuntes Leonis pontificis jussu in jus accitos fuisse, hosque coram episcoporum, presbyterorum aliorumque piorum hominum cœtu veluti læsæ fidei reos stetisse, ut Ecclesiæ judicium subirent. Ex quo aliisque similibus gestis etiam apud Carthaginem aliasque Africæ Ecclesias (c) Augustini ævo a Manichæis vexatas, optime intelligimus criminosos Christianos cujuscumque sint ordinis et gradus, conditionis et sexus, publicis quoque sacrorum pastorum judiciis subesse debere; et in iis causis potissimum in quibus fidei integritati et veritati prospicitur. Quare facile refellitur illorum perniciosa opinio, qui in arctum ecclesiasticam jurisdictionem compellere volentes, eam vix extendi posse contendunt ad illos homines dumtaxat qui per clericales ordines altaris ministerio sunt mancipati. Hos (aiunt) possunt sacri pastores, præsertim in **156** conciliis congregati e propriis gradibus dejicere, eos ecclesiarum beneficiis, titulis atque præbendis privare, atque tandem intra monasteriorum claustra vel in arctissimos carceres relegare, conjicere atque constringere. Contra vero laici (aiunt), extra sacram hierarchiam degentes, ejusmodi inquisitionum, investigationum judiciis subesse non debent. Habent isti (subjiciunt) suos magistratus et judices, a quibus in jus vocari possunt, atque ad eos potissimum spectat de civium vita, moribus et institutis inquirere. Tandem si Ecclesiarum præsules quid in laicos possent, id dumtaxat iis in rebus contingeret quæ ad sacræ communionis participationem, ad sacramentorum administrationem, vel ad divinorum mysteriorum celebrationem referuntur, quibus laici justa ac rationabili de causa possunt privari, et a sacris cœtibus arceri. Ita re ipsa idiotæ et depravatæ conscientiæ homines catholicæ legis fundamenta evertere conari possent. Nec enim ipsis fidei lumen inest, quo intelligant Ecclesiam sibi jus nactam esse in quotquot, abrenuntiatis primum omnibus sæculi impietatibus, se Christo dederunt; quando videlicet, solemnioribus ritibus, in præcipuum catholicæ religionis sacramentum jurarunt toto vitæ cursu catholicam religionem profiteri, et Ecclesiæ obedire. Quid ergo dicendum? Si re ipsa, violata postmodum fide, divinis sacrisque rebus possent abuti, et quasi sanctissimæ hujus matris corpus et viscera dilaniare, ut si hæc in laicos homines nulla polleret jurisdictione ad impietatem coercendam, quis umquam scissuras per hæreses factas repararet? quis aream purgaret?

(a) S. Leo Magnus, serm. 15 cap. 4.
(b) Leo M., serm. sup. laudato, cap. 6.
(c) Augustinus, lib. de Hæresibus, cap. 46. Possidius, in Augustini Vita.

quis tandem gravioribus morbis posset occurrere, iisdemque mederi, ne, percrebrescente malarum opinionum scabie, tota Christianorum universitas erroribus labefactata ad exitium perduceretur? Principes id forte poterunt, et sæculi magistratus, quod Ecclesiam agere posse inficiantur? Apage figmentum! Vacant isti civili temporalium rerum administrationi; vigilant ne, fractis naturæ et principatuum juribus, maximo cum justitiæ detrimento respublicæ susque deque ab iis vertantur, qui propter facinora et sibi, et publicis rebus, et communi tranquillitati perturbationem, vim et injuriam inferre audacius non reformidant. Non tamen propterea sæculi principes sine divinæ legis contemptu, et sacrilegio, ecclesiasticis et spiritualibus rebus se possunt miscere, nisi cum, ad vindicanda religionis jura, sacerdotes ipsi præsidium et opem exposcunt. Id passim Scripturæ, id Patrum monumenta, id denique antiquorum regum et imperatorum epistolæ et leges testantur. Quæ omnia in medium modo afferre nostri instituti ratio minime patitur. Ne ex *facto* ad *jus* transeuntes extra Leoninorum Operum scripta vagari videamur. Cui tamen rei si fidem accrescere vellemus, vel ad Siricii papæ decreta in præcedenti capite laudata, vel ad similem agendi rationem ab Africæ episcopis, Augustini et Possidii tempore servatam, provocaremus; quando videlicet, *Urso tribuno, qui tunc domui regiæ præerat*, apud Carthaginem Manichæi reperti ad Ecclesiæ tribunal perducebantur, quos inter puella Margarita nomine, quæ cum esset annorum nondum *duodecim* propter *scelerum mysterium* se dicebat esse vitiatam, et alia Eusebia nuncupata, veluti sanctimonialis habita, quæ et simile vitium ob turpissimum scelus passa fuerat (a). Hæc, inquam, et id genus alia nostris dictis fidem accrescerent. Sed cum de Romana in Manichæos inquisitione agamus, nostri propositi ratio postulat ut ad S. Leonem redeamus.

4. Leo itaque, ad vindicandam sibi fidem, nec ulla fraude fuisse prorsus deceptum, aut præcipitanter processisse in detegendis evulgandisque Manichæorum impietatibus, se nequaquam *dubiæ famæ et incertis opinionibus* credidisse palam testatus est. Propterea subjungit: *Residentibus itaque mecum episcopis et presbyteris, ac in eumdem consessum Christianis* **157** *viris, ac nobilibus congregatis, electos et electas eorum jussimus præsentari.* In vinculis ergo, aut saltem sub custodia, detinebantur, quos sanctus pontifex jussit coram tam frequenti amplissimoque conventu se persistere. Etenim si nondum comprehensi ac suæ prorsus libertatis compotes fuissent, quis non videt eos, arrepta statim fuga, dedecoris confusionem infamiæque turpitudinem evadere conaturos fuisse? Cum præsertim hoc omnibus omnino cujuscumque ordinis et conditionis hominibus a natura ipsa datum sit, ut præsentiam judicis, rigorem sententiæ, atque suppliciorum gravitatem quam maxime perhorrescant. Quod si Leo ipse viros et mulieres coram se adductos *electos* et *electas* appellat, iis vocibus indicare voluit criminosos non in inferiori illius sectæ gradu constitisse, sed principem sibi vindicasse locum; quos inter ille maxime cæteris eminebat, qui ut aliis præesset, profanis ritibus et diabolicis superstitionibus, eum veluti episcopum renuntiaverant. *Aderant enim* (subjicit Leo) *omnes personæ, per quas infandum facinus fuerat perpetratum. Puella scilicet, ut multum decennis, et duæ mulieres, quæ ipsam nutrierant et huic sceleri præparaverant. Præsto erat etiam adolescentulus vitiator puellæ, et episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator.* Concinit Augustinus libro de Hæresibus, scribens ad Carthaginensem diaconum Quodvultdeum: *Recenti tempore nonnulli eorum reperti et ad Ecclesiam aucti, sicut gesta episcopalia, quæ nobis misistis, ostendunt* (b).

Sistant ergo hic paulisper mecum volo quicumque (nescio cur) ita ingenio animoque affecti sunt, ut sacræ inquisitionis nomen et munera exhorreant, quippe huic judicandi rationi audacius detrahunt. Animadvertant, quæso, an mulieres, an viri illi, de quibus agit Leo, olim per clericales ordines altaris ministeriis potuerint mancipari? Dicant cur sacer ille cœtus tum in incontinentes et in incestuosos, tum in lenones et corruptas mulieres, impudicitias religionis rebus miscentes, animadverterit? Si injuria id factum esse suspicemur, cur a Romani populi senatu, cur a Romana plebe, cur tandem per imperatorem non fuit reclamatum? Jure ergo divino Ecclesiæ pastores, quarto et quinto jam sæculis currentibus, indiscriminatim super omnes baptizatos ulciscendi potestatem exercuerunt, ut eorum cohiberent audaciam, qui a pietate erga verum Deum defecerant?

5. Verum cum res tam manifestis exemplis argumentisque eluceat, non est cur in ea amplius immoremur. Duo vero illa, magna monumentorum copia et rationum pondere hactenus discussa, tertium excipit, sincerissimæ veritatis luce undequaque radians, ex quo prius rerum gestarum ordinem patefacientes, tum publice factam a Manichæis criminum confessionem cognoscentes, nullus amplius dubitandi supererit locus illius Ecclesiasticæ disciplinæ de qua agimus in præsentia. Quandoquidem non ex solis indiciis in medium duntaxat adductis, vel ex gravissimis etiam testimoniis quæstio habita est; sed, rerum *longa discussione præmissa, rei coram cœtu sistentes se, interrogabantur et respondebant, et notarii ipsi ad hoc vocati acta excipiebant, ita ut summa diligentia omnia dogmata, omnia mendacia et turpitudines, omnia denique illius sectæ infanda sacramenta, mysteria et solemnitates reipsa investigata fuerint, ut nihil minus credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum.* Quantum autem ejusmodi Acta contra nostræ hujus tempestatis minus *credulos* vel obtrectatores valere possint, neminem prorsus latere arbitror.

Quandoquidem Manichæorum crimina non in secreta quadam et arcana confessione, quam *sacramentalem* appellamus, reserata fuerunt; sed in externo solemnique judiciorum foro totus ille cœtus excepit, et ab ecclesiasticis scribis in tabulas exarata (ut antea in Ecclesia Carthaginensi **158** factum fuerat), quæ tandem ad posterorum memoriam in Romanæ Ecclesiæ archivis reponi et custodiri S. Leo mandavit, sicut ipse non semel, et iterum, sed tertio saltem in suis scriptis testatus est. Sermone itaque pluries laudato dicitur (c): *Omnium par fuit horum, et una confessio, et patefactum fuit exsecratum, quod aures nostræ vix ferre potuerunt. De quo ne apertius loquentes castos offendamus auditus, gestorum documenta sufficiunt: quibus plenissime docetur nullam in hac secta pudicitiam, nullam honestatem, nullam penitus reperiri castitatem, in qua lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo.* Summatim hic et veluti in compendio quæ in Actorum monumentis continebantur S. pontifex annuntiat. Sed serm. 4 de Epiphania cap. 5, recensitis primum multis Manichæorum dogmatibus, iterum subjicit: *Prosit universæ Ecclesiæ quod multi ipsorum* (Manichæorum videlicet), *Domino miserante, detecti sunt, et in quibus sacrilegiis viverent eorumdem confessione patefactum est.* Et rursus sermone 4 de Nativitate, cap. 4, scribit: *Qui præter omnia diaboli probra commenti, in ipso præcipue observantiæ suæ festo, sicut proxima eorum confessione patefactum est, ut animi ita et corporis pollutione lætantur.* Et in secundo de Pentecoste, explicato SS. Trinitatis myste-

(a) De hac Africæ inquisitione in Manichæos facta videsis quæ scripsimus cap. 5 et 6 hujus lib. pag. 136 et seq.

(b) Consule etiam August. lib. de Hæresibus, et ejus epistolam ad Quodvultdeum.

(c) Serm. 4 de Jejunio decimi mensis et de Eleemosynis. Serm. 2 de Pentecoste capite 4 et 6.

rio, et Spiritus sancti missione, exagitat cap. 2, ut jam diximus, Manichæos asserentes divinum illum Spiritum *in Manichæo magistro suo apparuisse, promissumque a Domino Paracletum non prius venisse quam hic infelicium deceptor oriretur, in quo ita Spiritus sanctus manserit, ut non aliud fuerit Manichæus ipse quam Spiritus, qui per ministerium corporeæ vocis et linguæ discipulos suos in omnem induceret veritatem.* Hunc dumtaxat Manichæorum errorem tunc agitavit et eripuit. De cæteris autem eloqui S. pontifex prætermisit, veritus ne in tam frequenti et solemni conventu piorum fidelium aures offenderet, neve sanctioribus purioribusque Christianis scandali lapidem præpararet, in quem impingerent. Quare illud caput hisce verbis claudit : *Quæ propter verecundiam non sunt nostro sermone promenda, cum jam abundantissime ipsorum sint confessione patefacta.* Fuit itaque tam solemnis, tam publica ipsorum Manichæorum confessio, et criminum detestatio, ut gestorum fama ad omnium Romanorum aures pervenire debuerit. Quamobrem cum hæc omnia in *totius Ecclesiæ* oculis contigissent, ut scribit Prosper in suo Chronico, nemo sanæ mentis timere, aut dubitare poterat de illa sacrorum præsulum potestate et jurisdictione, quam consules, quam senatores, quam denique imperator ipse communi consensione probaverant. Nullum autem huic Leonis agendi rationi repugnasse, aut Manichæis exsilii pœna mulctatis præsidium adhibere tentasse, ut fieri assolet, quando de legitimo judice dubitatur, jam sufficientissime patefactum est in epistola ad episcopos Italiæ. Ea enim edocemur quemadmodum, Urbe ab ea hæresi perfecte purgata, exemplaria Actorum in quibus Manichæorum criminum confessio et eorumdem exsecratio fideliter et sincere descripta erant, ad eosdem episcopos transmisisset. Siquidem paulo post, cum in suspicionem venisset, ne Manichæi, callida arte, quam adhibere solebant, in aliis quoque atque aliis Italiæ urbibus et locis novas sibi latebras quærerent; idcirco vigilantissimi pastoris muneribus fungens, aliarum Ecclesiarum incolumitati fidei ac morum integritati divinitus prospexit. Quare ne sibi suoque muneri deesse videretur, laudata epistola, omnes Italiæ civitatum episcopos præmonuit super iis quæ Romæ jam gesta fuerant, ne ignari, aut saltem nondum perfecte de his rebus instructi, in eorum diœcesibus vitiorum semina, quæ hic exstincta interierant, furtim radicitus per novas propagines seminarentur : *In consortium* (ita **159** epistolam orditur) *vos nostræ sollicitudinis, dilectissimi fratres, advocamus.....* et paucis interjectis subdit : *Ne is qui, Domini misericordia revelante, per nostram curam a nostris ovibus morbus abigitur, necdum vobis præmonitis, et adhuc quid agatur ignaris, per vestras se dispergat Ecclesias, et suarum furtim cuniculos inveniat latebrarum, ne quod a nobis in Urbe exstinguitur, tenebrosis apud vos radicibus seminetur* (a).

6. At vero quam magna et quam plurima Romanus populus et tota Ecclesia ipsi deberet, facile Italiæ episcopi ex subsequentibus verbis comprehendere poterant, quibus omnino perspicue exponit quid cogitaverit, quid egerit, quidve tandem assecutus fuerit, quando *Manichææ sectæ sequaces et doctores* in Urbe latentes reperiit. *Plurimos* (ait) *impietatis Manichææ sequaces et doctores in Urbe investigatio nostra reperit, vigilantia divulgavit, auctoritas et censura coercuit. Quos potuimus emendare correximus, ut damnarent Manichæum cum prædicationibus et disciplinis suis publica in Ecclesia professione et manus suæ subscriptione*

A *compulimus, et ita de voragine impietatis suæ confessos pœnitentiam concedendo levavimus* (b). En ergo in hoc uno multa comprehendente Romanæ sedis auctoritas, et Leonis divina agendi ratio, qui Manichææ sectæ doctores cum suis discipulis, jam Ecclesia mandante, prius detenti, deinde in cœtum adducti, ut compellerentur publica confessione crimina fateri, eademque solemni professione retractare; pro quorum firmitate, et necessaria fuit reorum subscriptio, et sincerum pœnitentiæ agendæ propositum. Ejusmodi ergo œconomia, *divina misericordia revelante*, Leo noster usus est, ut de *voragine* impietatis Manichæos correptos et pœnitentes levaret. Quænam autem crimina et flagitiosa mysteria in inquisitionis Actis fuerint regesta et contestata, series illa gestorum plenissime edocebat. Quare ipse S. pontifex pro instituendis aliis episcopis, et ut isti rectam regulam haberent quemadmodum in hisce causis se gerere deberent, jussit varia eorumdem Actorum exemplaria exscribi, atque hæc B una cum præsenti epistola ad eosdem episcopos transmisit, ut oculos in exarato volumine conjicientes, unico quasi intuitu conspicerent quid factum fuerat, quidve in posterum in consimilibus causis agere oporteret. Ad magis hanc veritatem roborandum, quid aliud facere possumus, quam S. pontificis verba exscribere? *Et omnia* (ait) *quæ tam in scripturis, quam in occultis traditionibus suis habent profana, vel turpia, ut noster populus quid refugeret, vel vitaret, oculis Christianæ plebis certa manifestatione probavimus, adeo ut ipse qui eorum dicebatur episcopus a nobis tentus proderet flagitiosa in suis mysteriis quæ teneret, sicut gestorum vos series potest edocere. Ad instructionem enim vestram etiam ipsa direximus : quibus lectis, omnia quæ a nobis reprehensa sunt nosse poteritis* (c).

7. Quartum quod sequitur aliquod majus in se habet, ut eo nihil clarius nihilque luculentius ad rem nostram excogitari possit, pro asserenda videlicet illa ecclesiastica lege, qua indiscriminatim omnibus fidelibus indictum fuit ut et hæreticorum vel maxime C noxiorum hominum societatem caverent, atque ut eosdem sacris Ecclesiæ pastoribus denuntiarent. Neque vero alia de causa (ut paulo ante vidimus) Leo ipse in sacris conventibus et populi frequentia de eorum dogmatibus occultisque traditionibus, de profanis turpibusque mysteriis loquebatur, nisi *ut populus nosset* **160** *quid fugeret, aut quid vitaret* (d). Cujuscumque enim falsi dogmatis notas et indicia catholicis viris nitidissime etiam sacri pastores ostendere consueverunt. Ut nimirum qui pura corda in pectore gestabant, abhorrendo a turpi superstitionum aspectu, eas præcaverent, et ne infirmiores rudioresque homines, sub falso pietatis colore, ab improbis decepti, in horum clientelam atque consortium venientes, consimili vitiorum labe coinquinarentur. Ea quidem sancti pontificis fuit agendi ratio, hic ejus disserendi scopus in sacris homiliis recitandis. Propterea eaque non semel exagitato publice Manichæo, et ejus discipulis, nullo sacramento eorum crimina et errores D tegere voluit : sed palam fecit, ut neminem fallerent *discretionibus ciborum, sordibus vestium, vultuumque palloribus.* Immo expresso mandato *cautum voluit nihil cum hujusmodi hominibus commune esse cuiquam Christiano : nulla* (ait) *cum talibus habeatur societas, nullumque consortium.* Tum, retectis cæteris eorum fallaciæ artibus, ita ad rem nostram subjicit : *Hactenus nocuerunt incautis, hactenus illuserunt imperitis, post hæc nullius excusabilis erit lapsus ; nec jam simplex habendus est, sed valde nequam, atque perversus,*

(a) Epist. ad episcopos Italiæ, octava apud Quesnellum, alias 11, cap. 1.

(b) Videsis dicta in præcedenti cap. 7 hujus libri. Contra Beausobriana enim maledicta et probra S. pontificis agendi rationem in Manichæos vindicavimus.

(c) In eadem epistola ad Italiæ episcopos, cap. 1. Hanc enim ad Vatic. mss. antiquissimos codd. castigatam, Deo opitulante, exhibebimus, quorum lectiones in his Exercitationibus nos passim tueri lectorem admonitum volumus, ne suspicione ducatur injuria ab aliorum editis abscessisse.

(d) *Quid* delevit Quesnellus, repugnantibus aliorum edit. et Vat. mss. codd., et supra intulit *potestis* pro *poteritis*.

qui deinceps repertus fuerit nefando obstrictus errore. Similia pariter aliis in locis legenda occurrunt, velut in quarto de nativitate Domini, in quarto itidem de Quadragesima. Sed et in quinto de Jejunio decimi mensis, non semel hic a nobis laudato, in quo, generatim admonitis prius omnibus fidelibus ut Manichæos a sua abdicent amicitia et societate speciatim deinde ad ipsas mulieres conversus toto animi vigore eas admonet *se ab eorum notitia et colloquiis abstinere, ne, dum fabulosis narrationibus incautus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis.* Atque tandem ad magis earum fidem firmandam, pudicitiamque muniendam, in mentem revocat mulieris primæ lapsum, quæ, diabolicis suggestionibus decepta, perpetuo universum hominis genus a paradisi felicitate dejecit, in quo miserrimo et luctuoso statu adhuc jaceret, nisi omnipotentis Dei miseratio, fractis dæmonis laqueis, et peccati vinculis eum liberasset. *Qui* (diabolus videlicet) *sciens quod primum virum, mulieris ore seduxerit, perque femineam credulitatem omnes homines a paradisi felicitate dejecerit, vestro nunc quoque sexui securiore insidiatur astutia, ut eas quas sibi potuerit per ministros suæ falsitatis illicere, et fide spoliet et pudore* (a).

8. Hic vero, si hujus præcepti æquitas atque justitia rite reputetur, a quopiam sanæ mentis homine reprehendi aut improbari posse vix adduci possum ut mihi persuadeam. Habet quippe illud ut omnium naturæ et hominum legibus sit valde conforme, quibus vetitum est privata auctoritate posse quemquam a patriis ritibus et institutis abscedere, aut novos deos sibi facere et habere aut aliam religionem, et sacra furtim etiam inducere, vel statuere, nisi publicæ auctoritatis suffragio hæc omnia probarentur. Et quidem si unicuique ex propria libidine liceret in iis quæ ad religionem et morum instituta pertinent, novitatibus adhærere, cum novatoribus societatem inire, vel in consortium venire, quæ confusio, quæ perturbatio in sacris et humanis rebus non consurgeret? qualis inter cives dissensio? quanta denique varietas in ritibus, in cæremoniis, in sacrificiis? Nonne præterea inter sacerdotes cæterosque altarium ministros gravissima exardescerent jurgia, invidiæ, dissensiones, et perpetua bella? Ut igitur hisce malis occurrerent, senatus et rerumpublicarum magistratus, et sacerdotum collegia, ad publicæ tranquillitatis bonum et incrementum, apud ethnicos etiam decreverunt ne privatis hominibus liceret prorsus quidpiam de patriis legibus mutare, nova instituta confingere, diis honores decernere, extraneorum ritus, et mores persequi, in horum clientelam **161** venire, vel istorum conventus frequentare, ne, oborto gravi discrimine inter cives, priora periclitarentur instituta. Ea de re luculentissime disseruerunt sacri profanique scriptores, ut apud Titum Livium et Tertullianum videre est.

Itaque S. nostri pontificis mandatum, potissimum in veteris et novæ legis præceptis fundatum erat, quibus cautum est improborum scelestissimorumque hominum consuetudinem et contubernium fugere, et consortium abdicare, qui exsecrabili calliditate, non sibi magis depravatis moribus obsunt quam aliis semper studeant nocere. Atque ea potissimum de causa sibi facinorum socios illos quasi semper asciscentes, atque inquirentes, quos incautos, debiliores, simplicioresque esse norunt. Quare S. Leo, universæ Ecclesiæ tranquillitati et bono prospecturus, Manichæos ipsos a catholicorum societate prius voluit rejicere, tum etiam singulis Christi fidelibus præcepit de iisdem inquirere, et sacris presbyteris denuntiare. Nihil profecto exploratius eo apostolico mandato inveniri poterit, hisce verbis expresso : *Illud quoque vos, dilectissimi, obsecrans moneo, ut si cui vestrum innotuerit ubi habitent, ubi doceant, quos frequentent, et in quorum societate requiescant, nostræ sollicitudini fide-*

A *liter indicetis.* Nec ab ejusmodi denuntiationis debito quemquam etiam ex probioribus sanctioribusque viris eximi posse statim patefacit dicens : *Quia parum prodest unicuique quod, protegente Spiritu sancto, ab istis ipse non capitur, si, cum alios capi intelligit, non movetur. Contra communes hostes pro salute communi una omnium debet esse vigilantia, ne de alicujus membri vulnere etiam alia possint membra corrumpi.* Si vero eos inter aliqui exstitissent qui, de Christiana fide ecclesiasticisque rebus parum solliciti, iis vanis prætextibus adducti, quos mundi honor, fama, bonumque nomen in mentem inserere solent, blanda sibi specie persuadentes hæresi labefactatos legitimis judicibus non opus esse deferri, vel apud eos postulari; ipsi certe nec propriæ saluti prospicere, aut consulere possent, immo latiorem sibi viam pararent ad extremam subeundam ultionem. Nimis enim exitiosum ipsis foret istud silentium, quo paterentur noxios viros occultari, ne debitas pro criminibus

B luerent pœnas. Grave facinus est ejusmodi silentium (ait S. P.) in quod extrema die Dominus animadvertet, quamvis cum hæreticis societatem nec habuerint, nec iisdem erroribus fuerint labefactati. Aurea certe sunt S. Leonis verba : *Et qui tales non prodendos putant, in judicio Christi inveniantur rei de silentio, etiam si non contaminarentur assensu* (b).

8. Sed ad expeditiorem adhuc viam aperiendam, facillimumque modum præscribendum, pro hujusmodi delationibus faciendis, et ut aditum iis præcluderet qui putarent grave, difficillimum *periculisque* plenum esse coram tanto judice se *sistere ad prodendos* de hæresi suspectos, *negotium præpositis* ecclesiarum Romanæ urbis demandat, ut singuli fideles celerrime et expedite, sine rubore et verecundia, excusso omni timore atque ignominia, hæreticorum nomina mores et domos deferant. *Etiam ad hanc vos hortamur industriam, ut Manichæi ubicumque latentes vestris presbyteris publicetis. Magna est enim pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis cui*

C *serviunt diabolum debellare.* Sed et hujus pietatis magnitudinem et excellentiam paulo etiam post in fine illius capitis commendat, docens prorsus nefarium esse relinquere latentes et inultos homines, qui novæ et antiquæ legis mysteria refutant, corrumpunt aut negant; apud quos nihil *sanctum, nihil integrum, nihil verum.* Præterea subjicit : *Cavendi sunt, ne cuiquam noceant; prodendi sunt, ne in aliqua civitatis nostræ parte consistant. Vobis, dilectissimi, ante tribunal Domini proderit, quod indicimus, quod rogamus.* Hic vero cum multa notatu digna **162** sese nobis objiciant, latissimus aperitur campus, in quo et ecclesiastica inquisitionis disciplina vindicatur, et præcipua ejus procedendi ratio nitidissime affulget. Primum enim quod spectari potest, nonne illud est, ad quod evertendum fere hæretici omnes nervos et operam impendunt? Cum videlicet contendunt religionis et Ecclesiæ etiam causas ad sæcularis potestatis tribunalia esse deferendas! Nonne illa Manichæorum, de qua agimus, rem divinam et humanam simul respiciebat? Et tamen non ad

D Romanos consules, non ad plebis tribunos, non ad senatores, non ad ipsos denique imperatores delata est; sed ad presbyteros Ecclesiarum *præsidentes*, qui per Urbis regiones a pontificibus fuerunt constituti, quos nunc parochos appellamus. Alterum est, sanctum pontificem, ad innuendam veram, non precariam quamdam et umbratilem ecclesiasticam jurisdictionem super omnes Romanæ urbis cives, incolasve, gravi hac plenaque apostolicæ auctoritatis formula uti voluisse : *prodendi sunt, ne in aliqua civitatis nostræ parte consistant.* Nec enim quisquam in solemni conventu et populi frequentia suam eam urbem assereret, in qua, vera jurisdictione privatus, vitam dumtaxat ageret, vel a qua duxisset originem. *Patriam* profecto potius quam suam civitatem dixisset. Atque tandem ut cætera alia missa faciamus, tertium

(a) Serm. 5 de Jejunio decimi mensis.

(b) Eodem serm. superius laud.

minime dissimulari potest, quo perspicue edocemur A religionis reos effici, qui, quovis ducti colore, hujusmodi mandato non obtemperantes, ab ea lege deflectunt, qua indictum est hæretica labe inquinatos, aut de ea suspectos, ad ecclesiasticum tribunal esse deferendos. Quorum quidem transgressio, cum Dei iram sibi vindicet, minime ultionis pœnas evadet, saltem extrema die cum turpe, immo turpissimum sit pro communi fidei causa, in iis, in quibus possumus, non allaborasse, et diabolum cui omnes hæretici serviunt, debellare noluisse.

9. Hisce tamen gestis S. pontifex omnino non acquievit. Sed alio adhuc excogitato consilio per novum indicium Manichæos enuntiavit, quo facilius, et isti deprehenderentur, et catholici ad horum nomina deferenda quasi compellerentur. Noverat sane pestiferam eam sobolem, nescio an ficto pietatis colore, an iniquo dogmate quod profitebantur, omne ex uvis vinum, sive merum esset, sive aqua dilutum, exhorrere consuevisse, ne prælibarent. Ea forte nequissima persuasione rati, quod draconum felli esset æquiparandum, B atque a quodam malorum auctore, quem deum in suis dogmatibus confingebant, fuisse productum. Quamobrem ad tam falsam indignamque persuasionem excutiendam, Leo ea summa prudentia, qua in sacris rebus agendis pollebat, omnibus catholicis eam legem indixit, ut in sacramentorum communione, non dumtaxat eucharistico pane reficerentur, verum etiam, admoto ad calicem ore, redemptionis sanguinem haurirent: ut videlicet, utriusque speciei communione percepta, et pietatis et fidei sincera testimonia palam exhiberent. Quo tandem facto indicio, haud difficile inter ipsa etiam sacra mysteria evulgabat si aliquis Manichæorum impietatibus operam daret. Rem autem clarius Leo ipse pandit quam a quopiam possit explicari : *Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum ne penitus latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem re-* C *demptionis nostræ haurire omnino declinent.* Cur autem id Christi fidelibus patefecerit immediate subdit: *Quod ideo vestræ notum facimus sanctitati, ut vobis hujusmodi homines, et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati et proditi a sanctorum societate pellantur* (a). Quesnellus duo illa verba, *notati* et *proditi*, in aliorum editionibus et in mss. codd. retenta, a sua eliminavit. Interea vero nemo sibi blandiatur eam Leonis œconomiam quoquomodo favere posse Lutheranis, aliisque Romanam **163** Ecclesiam divexantibus, quod, pro rerum temporumque diversitate, laicos a calicis communione interdixerit. Nec enim laici sanguinis perceptione fraudantur etsi sub unica dumtaxat specie communicent, ut luculentissime theologiæ doctores etiam in scholis demonstrant. Quare minime opus est ut horum argumenta, ne putida commenta dicam, excutiamus, cum jam sola scripturarum lectione corruant. Satis ergo superque esse arbitror, quæ a no- D bis hactenus de omnium fidelium cura, diligentia, in hæreticis deferendis indiscriminatim dicta fuere.

10. Jam ergo disserere oportet de summa catholicorum principum pietate, quos in Ecclesiæ gravioribus rebus sacri pastores interpellare consueverunt, ut sese vindices earum sanctionum exhiberent quæ ad fidei causas, ad morum disciplinam, ad Ecclesiarum regimen, jura, tranquillitatem atque munimen referuntur. Res profecto clara et omnino expedita est, quam hic ultimo loco exponere reservavimus. Ad quam comprobandam satis quidem esset dumtaxat animum revocare ad divales (ut vocant) imperatorum constitutiones, quæ non nisi efflagitantibus Romanis pontificibus, episcopis et generalibus synodis editæ et per omnes catholici orbis oras evulgatæ fuerant, ut hæretici animo obstinatiores etiam gravissimis temporalibus pœnis affligerentur. Vix enim verbis exprimi potest quantum priorum catholicorum principum religio excanduerit in eos qui Ecclesiæ pacem et fidem conturbare, evertere et labefactare conabantur. Statim enim ac principes Christo nomen dederunt, manus etiam adjutrices Ecclesiarum rectoribus porrexerunt, horum auctoritati sæculi potentiam conjungentes, vel ut nefarius idolorum cultus undequaque aboleretur, vel ut præcedentium ethnicorum principum decreta, quibus jubebatur Christianos viros veluti mancipia haberi, et ad necem undequaque inquiri, irrita redderentur. Sed præterea tanto odio in hæreticos exarserunt, ut eos omni honore, jure et prærogativa privaverint, regiis ærariis eorum bona, sive possessa, sive ex aliorum hæreditate derivata, adjudicarint, ab omni hominum consortio abdicaverint, et quandoque etiam in eosdem capitalibus pœnis animadverterint.

Hæc, inquam, fuit religio Magni Constantini, antequam ab Eusebianis deciperetur, et eam deinde toto animi conatu prosecuti sunt omnes Valentiniani, Gratianus, et Theodosii, Arcadius, Honorius, Leo, aliique catholici imperatores, quibus cum perspectum foret omnia imperii jura a Deo optimo maximo derivari, non ex quadam dumtaxat liberali largitate, aut in gratæ voluntatis testimonium erga fidei negotia, istis semper præsidio fuerunt; sed præterea hæc illorum magis quam civilem rerum administrationem interesse intelligentes, grave nefas reputabant, si debitis et propriis officiis Ecclesiam fraudassent, ejusque incolumitati aliqua ex parte deessent. Quid enim aliud in imperatorum mentem revocat sanctus Leo scribens ad Theodosium, ad Valentinianum, ad Leonem Augustos, atque ad Pulcheriam quoque Augustam, nisi id de quo agimus? Ab iisdem videlicet ea subsidia exposcebat, quæ, pro muneris dignitate, et pro virium suarum potentia, turbatis et afflictis Ecclesiæ rebus impertiri debent. Immo quandoque S. pontifex tanto animi vigore hujusmodi subsidia, tamquam Christi religioni debita, efflagitabat, ut, salvo purpuræ et imperialis diadematis honore, eosdem nimis insectari videretur; cum videlicet in eorum mentes excitabat et ingerebat graves, horribiles et terroris plenas cogitationes, veluti omnipotentis Dei indignationem incurrendam, imperii fortunam periclitandam, resque omnes temporales, susquedeque vertendas, si ipsi imperatores potentia qua præditi erant hæreticos aut de hæresi suspectos non comprimerent, et procul a catholicorum societate non amandarent. Quare isti ad divinæ misericordiæ opem facilius obtinendam, neve ab avita majorum pietate et institutis deflecterent, **164** omnes sæculi vires, quibus pollebant, ad hæreticorum hominum perniciem et exitium impendebant.

Nec vero necessum erit ut pro re tam frequenti et usitata ex Theodosiano codice (b) imperatorum leges hic referamus, et eas præsertim quas ad Manichæorum ultionem quinque piissimi principes condiderunt. Sufficiet dumtaxat oculos conjicere in Valentiniani Augusti novellam, quam ipse conscribere fassus est, ne dissimularet nova Manichæorum crimina, nuper Leonis inquisitione detecta, judicioque proscripta. *Manichæos loquimur, quos exsecrabiles et toto orbe pellendos omnium retro principum statuta judicarunt* (c). Hic Valentinianus ad ea alludit statuta quæ ambo Theodosii, Valentinianus senior, Arcadius et Honorius condiderunt, quæ apud Gothofredum jurisconsultum videri possunt. Sed ipse Valentinianus immediate post hæc subjicit : *Nec dissimulationem crimina nuper detecta patiuntur. Quæ enim et quam dictu audituque obscena in judicio beatissimi Leonis papæ*

(a) Serm. 41, alias 4, de Quadrages. cap. 3.

(b) Lib. xvi cod. Theodosiani tit. 5, de hæreticis Manichæis et Samaritis.

(c) Tom. VI, pag. 1, lib. xv, in Theodosianum cod., tit. 5, pag. 115.

coram senatu amplissimo manifesta ipsorum confessione patefacta sunt? Adeo ut eorum quoque qui diceretur episcopus, et voce propria proderet, et omnia scelerum suorum secreta præscriberet.

11. Hæc Valentiniani verba nova testimonia suppeditant, ex quibus habeamus S. Leonem veri atque legitimi *judicis* partes obiisse in Manichæorum inquisitione, tum in exposcenda ab iisdem criminum *confessione*, horumque *exsecratione*, ut ipsi tertio loco probavimus. Pergit præterea ipse Valentinianus ostendere ipsius notitiam minime potuisse latere, quæ a Leone solemni judicio gesta fuerant. Ac propterea ne ecclesiasticorum judiciorum vindicis partes negligeret, neve Divinitatis injurias, et ipse inultas relinqueret, ecclesiasticæ auctoritati suæ potentiæ vires adjecit, legem publicam perpetuo duraturam promulgando: *Ut ubicumque terrarum quisquam Manichæorum fuerit deprehensus, pœnas, quas in sacrilegos jura sanxerunt, auctoritate publicæ severitatis excipiat.* Respexit hic Valentinianus ad canonicas pœnas, quibus in sacrilegos Ecclesia animadvertere consuevit, ad quas declinandas ne sacrilegis ullum pateret effugium, omnem auctoritatem publicæ severitatis collocat. *Sitque* (ait) *publicum crimen, et omni volenti sine accusationis periculo tales arguere sit facultas.* Postmodum autem idem piissimus princeps de temporalium pœnarum subsidiis, quibus in posterum Manichæi erant plectendi, disserens addit: *Nemini licitum* et tutum esse ejusmodi *homines celare aut cum iisdem connivere;* eosdem præterea, *et dignitate militiæ, et urbium habitatione privat*, ab omnium hominum societate abdicat: *Vetat ne capiant successiones, nec relinquant; sed imperialis fisci viribus* omnia eorum bona et facultates aggregari mandat; jure contractuum ineundorum, vel rerum repetendarum coram judicibus, perpetua sanctione spoliat; atque tandem omnes *primates* cujuscumque *militiæ* vel *officii* pecuniaria mulcta 10 *librarum* auri percellit, si quem hac superstitione pollutum sciverint militare. *Neque enim aliquid nimium in eos videtur posse decerni, quorum incesta perversitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota vel pudenda committit.* Hisce verbis suam novellam claudit strenuus ille et magnus Ecclesiasticæ auctoritatis vindex et assertor, XIII kal. Junii, anno Christi 445, quando videlicet Valentinianus ipse cum Flavio Numo VI consulatum ageret, ut ex vetustis Romani imperii tabulis satis redditur exploratum (*a*).

165 CAPUT X.

Romanum in Manichæorum causa concilium. Antonii Pagii et Paschasii Quesnelli de ea quæstione judicium. A quorum criticis annotationibus cardinalis Baronii sententia tandem vindicatur.

1. Etsi, variis monumentis temporum injuria deperditis privati, non omne præsidium nobis suppeditetur pro aliis atque aliis novis quæstionibus instituendis quæ illud vetustæ ecclesiasticæ disciplinæ genus, quo apostolica divi Petri sedes in hæretica inquinatos labe animadvertere consueverat, magis atque magis illustrare queant, nihilominus tamen sacra ea supellectile nos abundare arbitramur quæ pro jam excitatis inter recentiores criticos quæstionibus penitus dirimendis utilis, immo et necessaria, existimatur. Hujus postremi generis profecto illa controversia censenda est, quam F. Antonius Pagius et Paschasius Quesnellus jam pridem excitarunt, qui, nimia disserendi aut rixandi libidine adducti, cardinali Baronio strenue se opponere arbitrati sunt, contendentes nimirum Romæ in Manichæorum causa nullum prorsus coactum fuisse concilium. Contra vero cum laudatus Ecclesiasticorum Annalium parens Leonis potissimum epistolæ ad Italiæ episcopos institerit, omniaque hujus momenta maturo libraverit judicio, haudquaquam censere possumus hunc tam turpiter lapsum fuisse, cum Romæ tum habitum fuisse episcoporum et presbyterorum concilium palam pronuntiavit. De hac dissensione igitur nos in præsentia agere aggredientes, adversæ partis potissimas rationes in medium adducimus. Eas nimirum quibus Pagius et Quesnellus contendunt cœtum quo in Manichæos Romæ fuit animadversum numquam a S. P. *concilium* appellari, sed dumtaxat dictum fuisse *conventum*, *consessum* atque *judicium*. Huic conjecturæ ut deinde robur adjiciant, ad Valentiniani provocant novellam, quæ, teste Quesnello, *consessus* vocabulum continet; atque tandem sequentibus rationibus Baronium urgent: *Sed non opus concilio (quod revera S. Prosper non commemorat) quoniam non de proscribenda nova hæresi aut de fide asserenda agebatur, sed de pœna juxta canonem Ecclesiæ sancienda; neque concilium est ubi cum sacerdotibus* pars senatus ET PARS PLEBIS EST. Frigidis igitur hisce ratiunculis eam *Concilii* vocem penitus esse oblitterandam sibi persuadent. Sed non hæc (*b*) Quesnellum Pagiumque pudent? Summaque cum libertate aliorum dicta carpere et notare audent, ut rebus omnino insulsis fallacibusque conjecturis Baronium urgeri posse arbitrentur? Nimis anxie revera nodum quærunt in scirpo dum partium studiis indulgent, nova excogitantes; et cum contentionem de vocibus dumtaxat instituunt, et longe a veritate abscedunt, tum contra veritatis umbram luctari nituntur. Quamvis ergo re ipsa ad scopum nostrum ejusmodi causa non *videatur pertinere*, nihilo secius, ne clarissimi viri Baronii opinio inulta remaneat, antequam Exercitationes in S. Leonis Opera de Manichæorum causa ad exitum perducamus, singulas amborum criticorum ratiunculas evertere conabimur.

Jam imprimis de solis vocibus contendunt, cum negant, illud *concilium* posse appellari, quod S. Pontifex modo *conventum*, modo autem *consessum* atque *judicium* asseruit. Apud quos gravissimi duo illi critici hæc disputant? An apud Latini sermonis tirones, aut eos saltem qui vetustiora Ecclesiæ monumenta numquam lustrarunt? Latini equidem etiam aureæ ætatis scriptores sæpissime *conventum* pro *concilio* usurparunt, ut apud **166** Titum Livium, Ciceronem, Cæsarem videre est. Nec propterea ab eo usu longe fecerunt vetustissimi Christiani scriptores, qui, ad indicandos sacros catholicorum cœtus pro fidei aut morum regulis definiendis, *conventus* vocem adhibuerunt; quos inter est Tertullianus (*c*), Eusebius Cæsariensis, Rufinus presbyter Aquileiensis, aliique plures, quorum catalogum in præsentia texere minime opus est. Quid tandem? Ita fuit vocabulum *conventus* usurpatum ad innuendum *concilium*, ut hodie etiam in generali synodorum collectione, has similesque epigraphes offendamus (*d*): *Conventus Sirmiensis*, *conventus Alexandrinus*, *conventus Hipponensis*, et id genus alias sexcentas, quæ haud dubie produnt duas illas voces promiscue a veteribus ad unum atque idem significandum adhibitas fuisse. Hæc tamen omnia, ne in re exploratissima multi essemus, dubio procul poterant prætermitti. Ea potissimum de causa, quia S. Leo, sibimet factus interpres, vocem *conventus* pro *concilio* usurpavit. Testis classicus sit Quesnellus apud se ipsum, qui in ornandis S. pontificis Operibus, veterum editorum et manuscriptorum fidem secutus, septimum caput tertiæ decimæ Leonis epistolæ cum sequenti titulo typis commisit: *De conciliis provincialibus celebrandis.* In cujus corporis contextu cum ea habeantur quæ dist. 18, de conciliis, cap. 2, et in Ivonis decreto legun-

(*a*) Valentiniani novella est apud Quesnellum, tom. I Operum S. Leonis, pag. 216.

(*b*) Quesnellus, tom. II, ad annum 443, p. 140.

(*c*) Eusebius Cæsariensis. Hist. Eccl. lib. V cap. 28, Rufinus, ibid.

(*d*) Tom. II Concil. p. 891, et rursus ibid. p. 1049. Tom. III Concil. p. 545.

tur, firmissime evincitur, duabus illis vocibus, *conventus* scilicet et *concilium*, S. pontificem unum atque idem indicare voluisse. Ne vero a quopiam in suspicionem fraudis adducar, Leonis verba quemadmodum in Quesnelli editione exstant exscribere non pigeat. *De conciliis autem episcopalibus non aliud indicimus quam sancti Patres salubriter ordinaverunt : ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nasci adsolent judicetur* (a). Et rursus apud eamdem Quesnelli editionem, hæc legenda occurrunt, epistola 16, c. 7, de Conciliis quotannis Romæ celebrandis, ubi S. P. de canone 5, Nicæno agens ita subdit : *Quare illud primitus pro custodia concordissimæ unitatis exigimus, ut quia saluberrime a SS. Patribus constitutum est binos in annis singulis episcoporum debere esse conventus* (b). Duorum itaque criticorum causâ jam in deterius ivit, cum Leo ipse, Nicænorum etiam PP. vestigiis inhærens, *conventus* voce uti voluit, ad innuendas tum provinciales, tum generales synodos, ut multis aliis exemplis etiam ex sancti pontificis Operibus depromptis, magis atque magis evinci possit. Nec eadem causa firmior evadere potest ob alteram vocem *consessus*, quam veteres ad innuendum *concilium* adhibuisse patefacit celebris magni imperatoris Constantini oratio, qua Nicænos Patres in cœtum congregatos allocutus est. *Quoniam* (inquit) *mihi admodum in optatis fuit, amici charissimi, isto vestro consessu aliquando frui*. Et paulo post, iisdem Patribus gratulatus quod, privatis studiis depositis, pacifice sine animorum contentionibus ad synodalia gesta procederent, subdit, *Ac tametsi lætor equidem vehementer, cum jam vestrum consessum intueor, tunc tamen arbitror*, etc. Me interea tamen pudet in hasce tricas conjectum negotium facere cum hominibus qui prima scientiarum elementa despiciunt. Nec enim mente pervolvunt apud veteres multoties unam tantum rem pluribus vocabulis nominari. Ea de causa potissimum, ut hæc, cum ab hominum voluntate dependeant, facile mutari possunt, rerum natura atque substantia minime mutata. Præterea, Latina oratio non ita sterilis censeri debet, ut unicuique rei singulare vocabulum oporteat assignari, extra quod nullum aliud res ipsas, aut ipsarum rerum proprietatem, munera et virtutem exprimere queat. Immo Latina lingua, auctore Cicerone, maxime vocibus abundat, ut earum copia etiam **167** Græcæ linguæ præstet : *Sed ita sentio, ut sæpe disserui, Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarem, sed locupletiorem etiam quam Græcam* (c). Quid mirum igitur si *concilium* (quod Græci synodum appellant) cum significare habeat cœtum, in quem plures judices pro Christianis rebus moderandis convenire solent, suapte natura plura nomina, et aptissima quidem, subeat, ut quandoque a veteribus voce *conventus*, quandoque vero vocabulis *consessus* atque *judicii* exprimatur. Nonne omne concilium cum proprietate, et *conventus*, et *consessus*, atque *judicium* reipsa est? Secum interim hæc ambo critici reputent, ac denique non Baronio, sed sibi potius gravem imputent lapsum. Arbitrari præterea opus est cum ista annotaret, dormitasse Quesnellum, aut saltem sibi fuisse blanditum, suos lectores tam oscitantes futuros, aut cæcutientes, ut pro judicio consessum legere potuerint (d). Nec enim Valentinianus in sua novella *consessus* voce usus est, sed *judicii*, atque ita esse legendum, ipse Quesnellus probavit, quia Valentiniani novellam typis committens, hæc evulgavit : *Quæ, et quam dictu auditque obscena in*

A *judicio papæ Leonis coram senatu amplissimo manifesta ipsorum confessione patefacta sunt*. Nec præterea ab exordio usque ad finem vocabulum illud *consessus* umquam occurrit.

4. Jam tempus tandem est ut hisce vocibus relictis ad ipsas res gradum faciamus, singillatim cætera amborum criticorum argumenta perpendentes, quæ nisi mea me fallat opinio, ita viribus carent, ut neque nervos, neque aculeos habeant, quibus perstringere aut urgere possint Baronium. Ad primum quod attinet, nihil eo imbecillius potest excogitari, utpote desumptum ex Prosperi silentio. Is revera *concilium non commemorat*, ait Quesnellus. Quid tum inde? Prosper expresse concilium Romanum in Manichæorum causa a S. Leone habitum non commemorat? Recensuit tamen, quemadmodum hujus S. pontificis diligentia Manichæos intra Urbem latentes repererit, oculis totius Ecclesiæ publicaverit, omnes nefarii illius dogmatis turpitudines et damnare fecerit et prodiderit, incensis eorum codicibus. Hæc omnia B prorsus dissimulavit Quesnellus. Sed Prosper re ipsa in publicis Chronicorum tabulis ita scripsit : *Maximo II et Paterio (seu Paterno) hoc tempore plurimos Manichæos intra Urbem diligentia papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos, et oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis turpitudines et damnare fecit, et prodere, incensis eorum codicibus*. Non itaque dubitandum est de publica et solemni Manichæorum damnatione, quam si extra concilium a sancto Leone factam ambo critici contendunt, jam scopulum incurrunt, quem semper et ubique summa diligenti arte præcavere nituntur. Manus enim dant nobis asserentibus hæreses et hæreticos sola Romanorum pontificum auctoritate posse damnari, et quandoque fuisse damnatos, nullo prorsus adhibito conciliorum suffragio (e). Tunc enim dumtaxat est opus concilio, quando Romani pontifices illud expedire judicant, et tunc ordinarie ea convocare consueverunt, quando communi consensione a toto Ecclesiæ C cœtu erant solemniter suscipienda fidei decreta jam ab apostolica sede definita; quando ad comprimendam hæreticorum audaciam frequentior episcoporum consessus perutilis censebatur, ut videlicet solemnius judicium haberetur; quando denique ecclesiasticas res in Ecclesiis turbatas, vel ob schismaticorum pravitatem, vel ob principum aliorumque sæculi ministrorum potentiam, facilius atque pacatius componere consentaneum erat (f). **168** Nulla itaque lex mandat, tamquam Ecclesiæ necessaria, habenda esse concilia. Immo legibus ipsis cautum est ne concilia generalia fiant, nisi ea esse habenda Romanus pontifex judicaverit. Quod si præterea novæ hæreses novaque schismata in Ecclesia exoriantur, hæc utique juxta divina apostolicaque mandata statim necessario et comprimi et evelli debent; ne, aut propagato malitiæ semine, aut radices agente cum catholicæ fidei detrimento, in dies magis magisque dæmoniorum zizaniæ alantur et increscant. Non propterea tamen hisce D malis unica conciliorum medicina ab Ecclesiæ fundatore parata est, sed plures. Possunt Romani pontifices per epistolas sacris dogmatibus refertas, possunt per crebras admonitiones, aut denique possunt per suos legatos validissima commonitoria deferentes omnibus illis malis occurrere atque mederi, quin generales convocent synodos. Nec enim ejusmodi judiciorum solemnitas absolute necessaria est, sed quando dumtaxat ecclesiasticæ res omnino turbatæ sunt, vel quando excitatæ quæstiones ita sunt dubiæ et obscuræ fluctuantes et in tricas conjectæ, ut

(a) S. Leonis M. epist. 13 cap. 7.
(b) Epist. 16 cap. 7.
(c) Cicero, de Art., etiam in Thesauro Cicer. Nizolii, et apud Col. in præfat. lib. XII.
(d) Quesnellus, tom. II, Operum S. Leonis M., diss. 1, de Vita et rebus a M. Leone gestis, pag. 141. Pagius, ad annum 444

(e) Vide quæ diximus de hac Ecclesiæ disciplina cap. 4 præcedenti.
(f) Vide quæ dicturi sumus in Eutychianistarum causa, agentes de Eutychetis, Flaviani, Theodoriti, aliorumque appellationibus ad apostolicam sedem factis.

pro communi pace et multorum salute, apostolica sedes concilium expedire judicaverit. Quare minime ferre possumus quæ in causa de qua agimus ambo critici asseruerunt, videlicet minime opus fuisse concilio, quoniam non de proscribenda nova hæresi, aut de fide asserenda agebatur; sed de pœna juxta canonem Ecclesiæ sancienda; perinde quasi alterutro ex his casibus interveniente necessario sint concilia cogenda, aut nulla alia occurrente causa provinciales aut generales synodi possint indici et haberi. Undenam ejusmodi hauserunt doctrinam? In medium afferant canones, Patrum monumenta, Ecclesiarum consuetudines, ut nobis etiam fontes innotescant, ex quibus singularis et arcana hactenus inaudita disciplina proficiscitur. Nos quidem, si Patres, concilia, et Ecclesiæ usum consulimus, omnino oppositum propugnare et credere debemus. Nam, secundo labente sæculo, quando post apostolos frequentiora cœperunt in Ecclesia haberi concilia, cum in Asia, tum in Palæstina, episcopi pluribus in locis in unum coiverunt, in quæstione de Paschate celebrando. Testis est magnus Irenæus, Galliæ Ecclesiarum apostolus, splendidissimumque lumen, cui omnes cum veteres, tum recentiores doctores fidem adhibuerunt (a), Quos inter Eusebius Cæsariensis lib. v Hist. Eccles. cap. 24 et 25. Quis vero affirmabit in eisdem synodis actum fuisse de nova proscribenda hæresi, aut de fide asserenda? Tertio pariter Ecclesiæ sæculo, cum Romæ et in Africa, tum in Phrygia, et Neocesareæ in Ponto, Ecclesiæ Patres plures coegerunt conventus, vel pro imponenda lapsis persecutionum tempore salutari pœnitentia, vel pro reparanda ecclesiastica disciplina, vel tandem pro diluendis episcoporum criminibus, iisdemque vindicandis; et tamen nullibi sermo habitus fuit, aut de nova hæresi, aut de fidei articulis, ut produnt scripta ejusdem Eusebii, Cypriani, Dionysii Alexandrini, aliorumque Patrum, qui ea ætate floruerunt, quorum scriptorum saltem aliqua ad nos pervenerunt fragmenta. Quid plura? Quarto, quinto et cæteris subsequentibus sæculis, innumera concilia habita fuerunt, vel pro anathemate dicendo jam alias damnatis hæresibus, vel pro statuendis in Ecclesia diversis pœnitentium gradibus, vel pro dejiciendis e sedibus episcopis, vel in proprias restituendis jam injuria dejectis, vel denique, ut de appellationibus, de Ecclesiarum dedicationibus, de immunitatibus, de indulgentiis lapsis pœnitentibus concedendis; atque id generis aliis rebus ageretur. Perperam igitur confingitur, sanctum pontificem non habuisse concilium in Manichæorum causa, quia non agebatur *de nova hæresi damnanda, vel de fide asserenda*. Sufficit quod anathema esset dicendum Manichæis in Urbe repertis; sufficit quod Romanæ Ecclesiæ disciplina exigeret ut Manichæi longe ab omnibus Italiæ finibus amandarentur. Quare quamvis in Manichæorum **169** judicio actum fuerit de pœna juxta canonem Ecclesiæ sancienda, tamen quia S. Leo *in oculis totius* Ecclesiæ publicavit *omnes dogmatis turpitudines*, *et damnare fecit*, *et prodere*, auctore S. Prospero Aquitano, ut vidimus, nihil impedire potest quominus in concilio hæc omnia exsecutioni demandarentur. Præsertim cum novæ cujusdam œconomiæ rationem S. pontifex statuere voluerit, cum pro hæreticis evulgandis et deferendis, tum pro eorum delationibus faciendis et excipiendis, quarum onus sub omnipotentis Dei indignatione cunctis catholicis injunctum esse voluit. Quid ergo mirum si, priusquam ejusmodi obligationes cum populo tum presbyteris indiceret, novum canonem in similibus causis perpetuo servandum condere voluerit? Nihil enim aliud ipse petebat, nisi incolumitatem religioni et catholicis cunctis, et propterea, convocato cœtu et facto judicio, partem senatus et partem plebis etiam adhibuit, generalem morum regulam condendo, cujus nexui omnium conscientia astringeretur, et a qua nemo sine criminis nota posset recedere. Nunc vero ambo critici sibi plaudere possent cum in difficiliorem nodum inciderem, quem forte Herculem arbitrantur, cum quasi ex tripode dixerint : *Neque concilium est, ubi cum sacerdotibus pars senatus et pars plebis est*.

5. Hæc postrema porro annotatio Baronium urgeret, si vera esset, si firma, si denique, contra sacrorum synodorum sanctiones et divini juris regulas, simul cum *sacerdotibus* et *presbyteris senatus* parte coeunte et parte *plebis*, Manichæorum causa fuisset judicata et definita. At imprimis dubiæ omnino fidei est illud assertum, *plebis* partem accitam, et adductam fuisse, cum de Manichæorum dogmatibus atque criminibus quæstio habebatur. Nec Valentinianus enim, nec sanctus Leo, nec alius quispiam id asserit. Valentinianus utique in sua novella : *Coram senatu amplissimo ipsorum confessione patefacta fuisse eorumdem crimina testatur*. Leo itidem de conventu a se coacto disserens scripsit : *Residentibus itaque mecum episcopis ac presbyteris, ac in eumdem consessum Christianis viris ac nobilibus congregatis, electos et electas eorum jussimus præsentari* (b). Quod si contendant duabus illis Leonis vocibus, *Christianis viris*, plebis partem saltem obscure fuisse indicatam, ultro concedere non repugnabo. Sed quid inde? Insolens est in Ecclesia ut principes, regii ministri, senatus ipse et aliqui ex populo in conciliis tamquam *testes* adhibeantur? Non ea fuit multorum conciliorum *praxis* et consuetudo? Sed ut missa faciamus *apostolorum* concilia, in quibus cum apostolis cæterisque Domini discipulis cuncti fideles et universa credentium multitudo congregata est, nonne ad Nicænum concilium generale primum, præter episcopos et imperatorem Constantinum, convenerunt etiam laici homines in philosophiæ studiis apprime versati, qui coram universo populo cum nostris disputationes habuerunt.

Nos quidem locupletissimos tenemus testes, nec tantum omnes catholicos scriptores (c), sed et ipsos heterodoxos, Calvinum scilicet, Illiricum, Lutherum, Magdeburgenses, et alios, qui in hac exploratissima re nobiscum consentiunt; quamvis deinde, laudatis exemplis abutentes, novas machinas contra Ecclesiam struere conantur, perperam omnino docentes laicos sacris in synodis, non veluti testes, sed ut judices esse adhibendos, et non nisi per summam injuriam suffragio (ut aiunt) *decisivo* posse privari. Sed quid mihi cum istis hæreticis modo, qui omnia corrumpunt, aut saltem in contrariam partem convertunt? Ad Quesnellum potius Pagiumque revertar, et an Chalcedonensium gestorum exemplaria aliquando percurrerint rogabo? Hæc autem synodus septennio post Manichæorum condemnationem ejusdem papæ Leonis auctoritate fuit coacta atque **170** confirmata, ut quandoque dicemus. An in illa soli episcopi, presbyteri, cæterique dumtaxat Ecclesiarum clerici et ministri, vel etiam senatus cum nonnullis aliis de populo locum habuere? Nos equidem si authenticis Actis fidem adhibemus, Chalcedone congregatos legimus senatores et magistratus, consules, præfectos reliquosque imperatorum ministros; immo intelligimus in tam frequentem conventum venisse ipsum Marcianum imperatorem magna nobilium et ignobilium comitatum familia, qui, magni Constantini exempla secutus, fidei vindicem sese exhibuit : *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi principis Constantini, synodo interesse voluimus*. Ita Marcianus Chalcedonenses PP. allocutus est (d). Numquid nec istud erit concilium,

(a) Irenæus, lib. v Hist. Eccles. cap. 23, 24, 25.
(b) S. Leo Sermone superius laudato de Epiph. cap. 4.
(c) Rufinus, lib. x Eccl. Hist. cap. 3. Eusebius quoque lib. x.
(d) Marciani imperatoris allocutio exstat tom. IV Conc. pag. 1472.

in quo cum sacerdotibus imperator, senatus, provinciarum et negotiorum præfecti, et pars populi fuerunt? nugæ meræ; apage figmentum! Conciliorum enim veritati hominum laicorum etiam *congregatio* minime obesse potest, si episcopi dumtaxat, eorumque legati, vel alii religiosarum familiarum ministri et cultores, ecclesiasticas causas pertractent et fidei negotia definiant; si denique isti soli veluti judices synodalibus sanctionibus subscribant. Nec propterea principes, magistratus, plebs ipsa, omni munere in conciliis carerent, si veluti idonei testes et veritatis vindices admittantur et advocentur, ut fieri solet. Ne autem ejusmodi discrimen laicos inter et Ecclesiarum ministros in Leonino Manichæorum conventu minime servatum fuisse quispiam suspicetur, vellem, quæso, ad S. pontificis loquendi formulam animadverteret, qua describit prius *episcopos* et *presbyteros* secum veluti in judiciorum tribunali residentes, tum deinde ait, *congregatis Christianis viris ac nobilibus, jussisse electos et electas eorum præsentari*. Non itaque et nobiles viri cum Leone et cæteris episcopis vel presbyteris consederunt; sed dumtaxat fuerunt *congregati* quando actum fuit de Manichæorum criminum contestatione et eorumdem exsecratione, quando denique actum est de recipiendis iis Manichæis quos S. pontifex ad pœnitentiam adduxerat. Istud sonant illa S. Prosperi verba, quæ etiam in superioribus adduximus. Videlicet, Manichæos in Urbe latentes *in oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis turpitudines damnare fecit et prodere*. Si itaque ea fuit Leonis agendi ratio, ut Manichæi tamquam pœnitentes in Ecclesia non reciperentur, nisi publice detestatis prius turpissimæ sectæ erroribus, cur tantopere contendere S. pontificis *conventum* appellari posse *concilium, quia in eo pars senatus et pars plebis fuit?* Quorsum tandem ista? Ego sane, omnium partium studio seposito, atque solam secutus veritatem, quæ unice inter scribendum et disputandum perquiri debet, nihil prorsus in illa Romana Manichæorum inquisitione intelligo quod notis et characteribus veri concilii repugnet; præsertim cum facile omnia argumenta evertamus quæ a Quesnello (*a*) et Pagio afferuntur. Immo unum intelligo omnibus catholicis maxime gratum, et ad fidei puritatem in Ecclesia servandam magis accommodatum, quod multis displicere posse vereor: videlicet hodiernæ generalis inquisitionis œconomiam, aliquam agendi rationem, ab illa Leonis in Manichæos inquisitione non prorsus absimilem originem traxisse.

6. Quod si occurratur nobis, et quidem a doctis atque eruditis, quærentibus satisne constanter probari possit ejusmodi judiciorum formam a Leonis ævo ad nostra usque tempora numquam fuisse variatam, aut interruptam, id vellem satis cognitum esset, quale habuerimus consilium. Non enim sumus ii quorum vagetur animus extra sibi propositum scopum. Nos enim dumtaxat Leonis Opera castigare, ornare, et ex ejus **171** scriptis Exercitationes quasdam deducere, ipsiusque S. pontificis gesta a criticis aliorum notis vindicare in votis habuimus. Propterea in ea nostram curam, cogitationem et studium ita contulimus, ut ad vitandam superfluitatem et arrogantiam, ad fugiendam temeritatem prolixitatemque, sancti pontificis gestis aliorum facta miscere minime debuerimus, nisi quando ad evertendas aliorum falsas opiniones talia offendimus a quibus sine inscitiæ labe recedere non potuimus. Quod si denique eadem agendi ratio et modis in hæresi inquinatos aut de hæretica labe suspectos quandoque fuit interrupta, quid istbuc est? Nondum enim extremam clauserat diem noster Leo, quando barbari, cum e Septentrione, tum ex Africa proficiscentes, Romano imperio ad exitum perducto, ita A etiam catholicæ Ecclesiæ res turbarunt, ut, inito fœdere cum dæmonum potestatibus, improbitas, Tyrannis, multarumque hæresum errores longe lateque disseminati, summi pontifices aliique inferiores vix operam dare possent ut catholicos a vitiis revocarent, ut principes a civium cædibus, urbium incendio, se abstinerent, et hæretici homines (Ariani præsertim) quorum tanta copia erat, erroribus ejuratis, veræ fidei dogmata profiterentur. In tanta enim rerum perturbatione, a tot tantisque efferatis hostibus circumventi, nihil erat quod timendum non esset. Et propterea, lenitate legum Ecclesiasticarum rigore aliquatenus temperato, sufficientissime vera pastoris munera adimplebant in exstirpandis erroribus qui in dies gliscebant, et in vitiis propulsandis quæ fidelium pietatem poterant corrumpere et labefactare. Non idcirco tamen has inter temporum, bellorum vicissitudinumque angustias, illa vetusta Romanæ Ecclesiæ disciplina, aut deleta, aut mutata dici potest, etiamsi, B œconomiæ causa, perpetuo exsecutioni non fuerit demandata. Impossibile enim prorsus erat ut sub barbaris principibus barbarisque populis, qui huc transmissi erant, quique innumeris erroribus erant obnoxii, eam formam et inquisitionis rigorem servarent, quem sanctus Leo sub piissimis catholicisque principibus custodiendum definiverat. Quare nemo admiratione commoveatur, si hisce tantopere afflictis Christianæ reipublicæ temporibus Ecclesiarum pastores servire debuerunt, ne una cum sincera Christi fide catholici omnes sub barbarorum jugo et persecutionibus periclitarentur. Eam autem Romanorum pontificum œconomiam magis atque magis apostolorum exemplis explicare possemus, qui Judæis atque gentibus evangelium crucis annuntiantes, in iis quæ Christianæ fidei non repugnabant tempori servire cogebantur, ut paulatim omnes cujuscumque ordinis atque conditionis homines Christo lucrifacerent.

Nemo tandem mihi succenseat quod nimius fuerim in refellendis Pagii et Paschasii Quesnelli ratiunculis; C nemo præterea conqueratur quod pro vindicando Baronio multa quæ aut prætermitti poterant, aut brevius explicari, in medium adduxerim. In utrumque sola necessitas me compulit. Studium videlicet Quesnelli et aliorum similium, qui, numquam satis propriis partibus indulgentes, quæ in sanctorum Patrum Operibus sunt illustranda quam sæpissime dissimulant; quæ propugnari debent, allaborant evertere; quæ denique ad apostolicæ sedis auctoritatem dignitatemque pertinent, aut omnino minuere, aut saltem occulere nituntur (*b*). Aliam tamen agendi rationem antiquos scriptores secutos esse, inter cætera monumenta, indicat Theodoriti Græca epistola ad nostrum sanctum pontificem Leonem; in qua, sincere recensitis apostolicæ sedis honoribus, prærogativis atque muneribus, ob quæ ad hanc sedem cunctæ accurrere consueverunt nationes, *ut Ecclesiarum* (ait) *ulceribus remedium a vobis accipiamus, vobis enim primas in omnibus tenere convenit;* in altero D capite gradum facit ad aliqua S. pontificis gesta laudanda, inter quæ illud recensuit **172** (tamquam argumentum sufficientissimum) studium illud *adversus infames Manichæos, quod sanctitas vestra* (ait) *nuper exercuit, et quo rerum divinarum studio vester in Deum sit amor patefecit*. Quibus verbis præsentem claudere Exercitationem minime nobis ingratum fuit.

CAPUT XI.

Post Magni Leonis obitum Manichæi iterum Urbem inhabitant. Gelasii papæ studium in iis detegendis. Guillelmi Cavei circa communionem sub utraque specie erroneum judicium. Idem S. Gelasius tandem

(*a*) Quesnellus, ad annum Christi 443, in dissert. 1, de Vita et rebus gestis sancti Leonis M., qui ut studiose se abstineret ab *inquisitionis* vocabulo, *congressionis* vocem usurpavit tom, II Oper. pag. m. 140 et seq.

(*b*) Apud Quesn. tom. I pag. 266, et Garnerium, tom. III.

nefarios hos homines ex Urbe eliminat, et eorum codices disperdit, anathematis addita sententia.

1. Quæ Manichaica alia audacior et callidior hæresis, aut quæ ea confidentior? Nam cum tantopere religione esset sacrilega, nefandis corrupta moribus, et ritibus profana, saltem ea loca inhabitare sibi præcavere debuisset, in quibus potissimum civiles et ecclesiasticæ leges contra eam conclamabant, et utriusque fori judices ad eam coercendam, eliminandam penitusque abolendam strenue se armaverant. Ad quam quidem audaciam conspiciendam longius ab ipsa urbe Roma abscedere opus non erit. In qua etsi multis variisque modis exagitati, et satis pœnarum, Magno Leone auctore, Manichæi exhausti fuissent, et longe ab omnibus Italiæ oris in exsilium amandati; adhuc tamen non diu post tam magni pontificis obitum, eos iterum Romam inhabitasse repertum est. Quod sane cum ipse mecum reputassem, in eam vehementem lapsus sum suspicionem, Manichæos Romæ existentes, Leonina jam generali in seipsos inquisitione perterritos, omnem nequissimæ simulationis artem ad delitescendum adhibuisse; et propterea, ne eorum turpitudines proderentur, cum catholicis viris sacris conventibus et divinis mysteriis sacrilege semper interfuisse, ut idem S. Leo, hoc gravissimum exsecrans facinus, fuerat conquestus. Quod si ejusmodi nostra suspicio a doctis non probetur viris, dubio procul alterum eos affirmare oportebit, Manichæos videlicet, Leone agente, extra Italiæ oras jam amandatos, audita postmodum S. pontificis morte, gradus Romam versus vertisse, antiquas latebras sibi quæsituros. Alterutram vero hanc rem cum sine teste fide digno definire haud liceat, quemadmodum Manichæi post S. Leonis obitum Urbem iterum incoluerint dumtaxat describere properamus.

2. Extremam itaque diem S. Leo Magnus clauserat anno 461, cui Hilarius suffectus est, qui, sexto sui pontificatus anno e vivis sublatus, Simplicium habuit successorem. An vero sub hisce duobus pontificibus Manichaica secta Urbem inhabitaret, ex nullo sacro, aut profano testimonio innotescit. Quare ne incertis monumentis et rebus adhæreamus, ad Gelasii papæ pontificatum hujusque gesta statim provocabimus. Ex libro itaque pontificali, et ex Anastasio, in Romanorum pontificum Vitas, hæc occurrunt legenda: *Gelasii temporibus inventi sunt Manichæi in Urbe, quos in exsilium deportari præcepit, quorum quoque codices ante fores basilicæ Sanctæ Mariæ incendio concremavit.* Ad hos autem detegendos homines, non aliam œconomiæ rationem idem Gelasius adhibuit, præter eam quæ magni pontificis Leonis decreto in Romana Ecclesia obtinuerat. Etenim præcepit ut quotquot ad sacram synaxim accederent utriusque speciei mysteria participarent, ut nimirum Manichæi qui nimia superstitione omnino a vino abhorrebant, calicis communionem sumere detrectantes, facilius a **173** veris dignoscerentur fidelibus. Ad hocce ergo Gelasianum decretum Guillelmus Cave animadvertens, S. pontificis agendi laudat rationem, qua videlicet nefariis Manichæis catholicorum larvam, sub qua delitescere nitebantur, abstulit. Sensim deinde Romanæ Ecclesiæ ritum de communione sub unica tantum specie, tamquam novitatem redolentem impetere quærit; addens præterea vetustum morem in Ecclesia ab ipsis primordiis receptum, ne quis in collectis sacris nisi sub utraque specie communicaret, Gelasium suo decreto confirmasse. Sed *Reformatæ sectæ* hominem, qui suis partibus indulgebat, Græcisque morem gerere cupiens, hæc effari oportebat. Dicat tamen, amabo, Caveus quandonam Romana Ecclesia hunc morem prosecuta sit? Proferat monumenta ex quibus hauriatur laicos eucharistiam non conficientes, quando in Ecclesiæ primordiis collectæ habebantur, sub utraque specie communicare debuisse. Profecto si Leo Magnus, si Gelasius Romani pontifices decretis suis hunc morem confirmassent, jam ante eorum ævum nemini catholicorum fictum fuisset a calicis usu se abstinere. Et propterea sacerdotes eucharistiam conficientes tantam in eorum collectis vini copiam consecrare debuissent quanta sibi et populo qui sacris mysteriis interesset sufficere potuisset. Sed hoc dato usu, jam soli Manichæi a calicis communione abstenti fuissent. Quid ergo necessum erat fideles ad utriusque speciei communionem cogere? Quid confirmare decreto quod jam apud omnes laicos catholicos obtinebat? Si Romana Ecclesia enim, quæ doctrinæ ab apostolis acceptæ semper inniti voluit, hunc morem a suis primordiis necessario ex divina institutione prosequendum intellexisset, numquam laicos eucharistiam non conficientes usu calicis fraudasset, numquam hunc ritum intermisisset. Sed ritum illum porrigendi laicis calicem Leonis ævo non fuisse in usu, probat ejusdem S. pontificis decretum. Qui idcirco œconomiæ causa catholicos ad calicis usum astrinxit, ut Manichæos detegeret. Sed Manichæis ex Urbe expulsis, hunc morem vel œconomiam statim fuisse intermissam quid dubitandum? Annon, Caveo auctore, Gelasius papa, qui unum supra triginta annos post Leonis Magni obitum pontifex fuit renuntiatus, cum Manichæos reperiisset, ut catholicorum larvam ipsis auferret, suo decreto catholicos ipsos ut in utraque specie communicarent coegit? Non coegisset profecto si mos ille vel ritus saltem post Leonis mortem non fuisset intermissus.

3. Diutius tamen in his nugis immorari supervacaneum arbitror. Etenim Gelasium Leonis œconomiam secutum esse, non tantum prodit decretum illud de quo hactenus egimus, sed studium ab eo adhibitum ut Manichæi in urbe Roma adinventi, judiciaria potestate compulsi, atque comprehensi in exsilium deportarentur. Verum Gelasius ipse non satis catholicæ fidei incolumitati se prospexisse arbitrabatur, si jam longe ab Urbe iis nefariis hominibus amandatis, adhuc eorum sacrilegæ doctrinæ libri vel codices superstites fuissent. Quare et in hac re S. pontificem Leonem imitari cupiens, eorum volumina, quæ multorum manibus terebantur, quæque huc illucque ad multos decipiendos circumferebantur, penitus perdere et abolere tentavit. Qua de causa collectis omnibus Manichæorum libris, quos invenire poterat, iisdemque sedulo lustratis, ne cuiquam in posterum offendiculum præberent, *ante fores basilicæ S. Mariæ incendio concremari jussit*. Qua occasione valde probabile est Gelasium tum celebre illud septuaginta episcoporum concilium habere voluisse, in quo, revocatis primum ad memoriam suorum prædecessorum statutis, divinorum utriusque Testamenti librorum catalogum concinnavit, et horum scriptoribus designatis, authenticas Scripturas ab apocryphis discrevit (a). In posteriorem vero hunc ordinem eos codices potissimum rejecit quibus hæretici **174** utebantur, quosque falso sub apostolorum nominibus in orbem Manichæi, Montanistæ, Marcionitæ, et alii inducere ausi fuerant. Hos ergo libros cum cæteris voluminibus quæ multi hæreticorum vel ad perdendam aut ad catholicam religionem labefactandam conscripserant, non solum papa Gelasius repudiavit, *verum etiam ab omni Romana catholica et apostolica Ecclesia eliminavit, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus*, sub anathematis indissolubili vinculo in æternum damnata esse cum toto illo concilio definivit. Quinam autem qualesque fuerint Manichæorum libri quos papa Gelasius tamquam falsos et suppositios suo decreto proscripsit, in præsens haud opus esse arbitror referre. Nam imprimis ille apocryphorum librorum catalogus pluries clarissimorum virorum studio illustratus

(a) Videsis quæ scripsimus superiori capite 4 hujus libri.

in lucem prodiit; et ipsi deinde præcedentibus capp. de ejusmodi libris jam verba fecimus.

CAPUT XII.

S. Gelasio vita functo, Manichæi tertio Urbem inhabitant, quos tandem Symmachus papa, prædecessorum suorum exemplis insistens, in exsilium pellit, horum simulacris et codicibus ante Constantinianæ basilicæ fores incensis. De quorum simulacrorum usu dum agimus, explicamus quemadmodum Symmachus, varie ab imperatore Anastasio exagitatus, perperam de Manichaica labe fuerit postulatus.

1. Manichæi, postquam, amissis Romanæ urbis domibus, in quas se receperant, nullum alium amplius feliciorem incolatum sibi nancisci posse putarunt, magno animi fervore ab exsilio, quod patiebantur, se reducere posse cupiebant. Sed cum sancti Gelasii summi pontificis studium, quo in eos suosque codices animadverterat, ipsi plurimum vererentur, idcirco non sat consonum veritati videtur eos pœnarum exhaustos hic suos gradus redoxisse, cum adhuc ille summi pontificatus habenas teneret. Diem ergo clausit Gelasius anno 496, et Anastasium II habuit successorem. Qui, duobus in pontificatu consumptis annis, ex hac luce migravit, quin Romæ de Manichæorum secta quidquam tunc innotesceret. At non ita profecto Symmachi papæ temporibus evenit. Qui, cum Christi anno 498 S. Petri thronum conscendisset, gravissima Laurentii antipapæ factione cum urgente, Anastasii imperatoris auctoritate et potentia freta, jam Manichæi, superioribus temporibus bis in exsilium amandati, ex eo magno schismate occasionem arripuerunt iterum Romam proficiscendi. Forte enim ipsi arbitrabantur nullum aliud tempus magis opportunum sibi offerri posse quam istud. Quo videlicet æque Ecclesia et imperio in duas scissis factiones, nec sacræ ecclesiasticæ disciplinæ rigor, nec imperialium legum severitas ab utriusque sacræ et civilis monarchiæ ministris facile poterant promoveri et exerceri. Hoc itaque schisma sane gravissimum fuit, quo clerus atque senatus in duas divisi partes, quarum altera Laurentio Romanæ Ecclesiæ diacono, qui S. Mariæ basilicam occupaverat, adhærebat; altera vero Symmachum ipsum in Constantiniana basilica legitimis suffragiis et sacramentis electum et ordinatum sequebatur. Hisce ergo gravissimis motibus urbe Roma jactata, quid mirum si versuta Manichaica soboles aditum adinvenit tertio vel quarto Urbem hanc inhabitandi? Quippe quibus aditus latior effectus est, cum Symmachus papa et ejus adversarius Laurentius Ravennam a Theodorico rege Ariano acciti, coram eo **175** se sistere debuerunt, ut hujus schismatis et turbarum veluti arbiter constitutus in eos ferret sententiam. Turpe itaque hoc istius schismatis facinus quoddam tyrannidis exemplum in Ecclesiam induxit. Nam Symmachus, qui laicorum principum legibus, vel decretis, in iis quæ ad legitimam ejus electionem spectabant, subesse non poterat, ad majora præcavenda scandala, afflictis iis temporibus servire coactus, regio judicio atque decreto se submisit.

2. Jam vero æquitati Ecclesiæque suæ incolumitati, ne adversus hanc inferorum portæ prævalerent, Deus ipse miris modis tunc opitulatus est, et omnes ambitionis turbæ omnesque diri schismatis motus ad faustum felicemque exitum perducta sunt. Etenim Theodoricus rex in ea fuit sententia, sacris canonibus satis consona, ut ex duobus iis episcopis *qui primus ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in sede apostolica. Quod tandem* (libri Pontificalis verbis utor) *æquitas in Symmacho invenit, et cognitio veritatis. Et factus est præsul Symmachus* (*a*). Sic itaque rebus dispositis, Symmachus Romam proficiscitur, ubi synodo congregata contra Laurentium diaconum, qui per subreptitiam ordinationem Romanum episcopatum invadere tentaverat, actus misericordia, apostolica auctoritate qua fungebatur, eum a canonicis vinculis, quibus cum ob tentatum schisma, tum ob illicitam ordinationem se obstrinxerat, exemit et exsolvit, eumque in *Nucerina civitate episcopum constituit.* Interim autem etsi diri illius schismatis factiones pene sopitæ et abolitæ viderentur; tamen quia odii et livoris virus multorum clericorum, atque patriciorum hominum, clarissimorum etiam propter consulatus dignitatem, qua functi fuerant, corda læserat, eademque latenter gravius corruperat, idcirco Symmachi adversarii, jam audaciores effecti, decursu temporis in sæviores seditiones eruperunt. Quare, quatuor elapsis annis, Festi et Probini factione in Symmachum recrudescente, hunc veluti criminosum apud eumdem Theodoricum regem postularunt, falsos subornarunt testes, Laurentium pseudopapam occulte a Nucerina urbe, ut Romam proficisceretur, revocarunt, et, priori renovato et aucto schismate, eumdem interpellarunt regem, *ut daret visitationem sedi apostolicæ;* in dies itaque seditionibus gliscentibus, tum propter Petri Altinatis episcopi audaciam, qui sola regia auctoritate et potentia fretus contra sacros canones, visitatione intentata, Romanæ sedis negotiis se immiscebat, tum propter Festi et Probini exconsulum furorem, qui civile bellum contra alios senatores, et præsertim contra Faustum exconsulem, ipsis invisum, intra ipsam Urbem instruxerant, cujus belli cædes et homicidia nec ipsi clerici evadere poterant, cum horum nonnulli, mulieres etiam et virgines monasteria inhabitantes plagarum ictibus afflictæ ac vulneratæ, ac sacerdotes tandem *ex invidia* immani, vel fustibus, vel gladio percussi occubuerunt.

3. Hæc autem Romæ in sexti sæculi exordiis, id est Christi anno 502, contigisse Ecclesiasticorum Annalium tabulæ patefaciunt. Quo tempore videlicet conjici potest Manichaicam sobolem hic delitescentem numquam lætiores suos transegisse dies quam tunc, cum ecclesiasticæ et civiles res susquedeque turbatæ in eam animadvertere non sinebant. Brevi tamen horumce hominum gaudium in luctum atque mœrorem versum fuisse, ex ejusdem Symmachi studio innotescit. Qui, primo Theodorici regis ejusque legati Petri Altinensis conatibus frustratis, deinde sedis suæ invasore dejecto, centum et quindecim episcoporum concilium Romæ coegit, cui intrepidus se sistens ab objectis sibi criminibus sese purgavit. Et sancti pontificis vitæ probitas, morumque integritas cæteræque virtutes, quas homines invidiæ odiique impotentes audacter calumniis impetebant, tamquam aurum probatæ in cunctas ubique terrarum nationes, probis **176** omnibus viris plaudentibus, evulgatæ fuerunt. Sed et hanc felicem justamque S. pontificis purgationem illud aliud bonum paulo post excepit; quo nimirum, senatoribus et Romano populo sensim a cædibus, seditionibus grassationibusque abstinere incipientibus, pax et tranquillitas Urbi et Ecclesiæ illuxere. Symmachi autem gesta, varios multosque modos quibus tum a Theodorico rege et Anastasio imperatore Arianis, tum ab aliis ecclesiasticæ et civilis militiæ viris fuerat exagitatus, non commemorabo, ne extra scenam nobisque propositum scopum vagari videar. Nimis profecto hæc præsens protraheretur oratio, si vel calumnias quibus criminabatur Symmachus enumerarem, vel ad synodos sex ab eo coactas pro suæ sedis juribus, suaque innocentia purganda, Romanæ Ecclesiæ collabente disciplina instauranda atque firmanda, ad eos omnes hæreticos et schismaticos procul a catholicorum societate propulsandos, qui, vel Ariana, vel Eutychiana, aut tandem Acephalorum polluti labe, veræ religionis dogmata inficiabantur, sermonem converterem. Ejusmodi enim res non ad Manichai-

(*a*) Ex lib. Pontificali, apud conc. edit. tom. I.

eam quam conscribere instituimus historiam pertinent. Quamvis in iis multa occurrant quæ suprema apostolicæ sedis jura produnt et vindicant. Ea ergo in præsentiarum referre tantummodo interest quæ in causa de qua agimus Symmachi magnum animi robur patefaciunt. Qui cum maximis undique calamitatibus urgeretur, nullo tamen sæculi potestatum timore adduci potuit quominus Manichæos in Urbe latentes, quibus imperialis auctoritas patrocinabatur, ex Urbe amandaret, eorum simulacra codicesque deleret, atque incenderet. *Post hæc omnia* (ait auctor libri Pontificalis in Symmachi Vitam) *beatus Symmachus invenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia simulacra, vel codices, ante fores basilicæ Constantinianæ, incendio concremavit, et eos ipsos exsilio relegavit* (*a*).

4. In iis interim vocibus, *omnia simulacra*, nostra hac oratione insistere oportet, utpote novum aliquem Manichæorum ritum et morem indicantibus, quem nullibi observavimus, quemque nullus hactenus eorum qui Romanorum pontificum Vitas notis adornarunt explicavit, quod negare Beausobre ausus est, ut vidimus cap. 4 hujus libri. Sed si unum potissimum Augustinum, qui omnes Manichaicos mores descripsit, consulamus, obscure saltem conjicere possemus Manichæos ad putida fabulosaque eorum commenta, sacrilegamque theologiam indicandam, profanis signis et simulacris usos fuisse. Id imprimis indicare possent ea Augustini verba, quibus turpem Manichæorum religionem, *non sectam, sed schisma gentium* nuncupaverat. Ea videlicet ratione quod in principaliori gentilium dogmate plures deos assentientium convenirent, sed in eo deinde a gentilibus dissidebant, *quod bona et mala, tetra et splendida, perpetua et caduca, mutabilia et certa, corporalia et divina unum non habere principium dogmatizabant* (*b*). Hoc enim tamquam gordianum nodum, vel Achilleum argumentum Faustus Augustino objiciebat, ut eam gentilium schismaticorum nuncupationem non tantum abjiceret, sed eos gentilibus multo esse pejores prædicaret. Contra vero Augustinus hoc assumptum probabat, Faustum atque Manichæos exagitando, quod Divinitatis cultum sacrilege et superstitiose *Soli*, et cæteris cœlorum signis vel *Hile Telluri* atque conficto *Athlanti* mundum sustentanti exhibebant, ea etiam adorabant, quæ non erant et exstare sibi confingebant. Quare S. doctor ex ejusmodi ritibus et moribus ita ratiocinatur. *Hinc vos paganis dicimus deteriores, eo tantum similes, quod multos deos colitis; eo vero in pejorem partem dissimiles, quod ii pro diis ea colunt quæ sunt, sed dii non sunt; vos autem colitis ea quæ nec dii nec aliquid sunt, quoniam prorsus nulla sunt.* Tum S. doctor, aliquas gentilium fabulas *a poetis delectandi causa* **177** *confictas* in medium adducens, paucis percurrit quæ de *Vulcano* claudo, de *Fortuna* cæca, de *Venere* adultera, de *Marte* belligero, de *Cupidine* pueri sagittantis eximiam formam gestante, *ad naturam rerum vel mores hominum ipsi pagani interpretari conabantur*, atque concludit : *Hoc in eis irridemus, quod male interpretata sic adorant, quæ non intellecta, quamvis damnabiliter, tamen excusabilius adorarent.* Horum omnium autem aliquid in rebus inveniri Augustinus asseverabat, *quamvis ad hominum salutem et utilitatem nihil sint, et quæ ex his interpretantur, in rebus inveniuntur.*

5. Hæc ergo, et id genus multa alia, ex gentilium poetarum fabulis desumpta exaggerat ibidem Augustinus; quibus figmentis Manichaica opponit dogmata, ut inde concludat pestiferam hanc sobolem cunctarum gentium sectis esse deteriorem. Inter cætera autem, quæ subjicit ejusmodi sunt : commentum illud videlicet, *quo primum hominum cum quinque elementis belligerantem describunt*; vel illud quo confingebant : *spiritum potentem de captivis corporibus gentis tenebrarum, an potius de membris Dei vestri victis atque subjectis mundum fabricantem, et splendide tenentem, reliquias eorumdem membrorum Dei vestri habentem in manu, et cætera omnia capta, oppressa, inquinata plangentem; vel denique Atlantem maximum subter humeris suis cum eo ferentem*, quem fabulose comminiscebantur, et quasi in *tapete theatrico* delineatum intueri nugabantur. Hæc, inquam, et alia innumerabilia, pariter inepta et insana, *nec pingendo, aut sculpendo, nec interpretando* Manichæos demonstrasse idem Augustinus testatus est. Sed cum istius verba valde obscura videantur, nimis difficile erit conjicere an sancti doctoris ævo Manichæi statuarum, picturarum, aut simulacrorum subsidiis uterentur, ut facilius suorum *electorum* atque *auditorum* mentes perniciosas has fabulas imbiberent. Vel saltem prorsus difficile erit hunc Manichæorum ritum et morem in simulacris gentium admittendis ex præcedentibus testimoniis intelligere (*c*).

6. Hæc tamen atque alia hujuscemodi sæpe nobiscum reputando, minime a libri Pontificalis verbis, aut ab Anastasii bibliothecarii testimonio, quibus Symmachum omnia Manichæorum simulacra omnesque codices ante Constantianæ *basilicæ fores* disperdisse et incendio concremasse *affirmatur, longius* abscedendum esse indicavimus. *Quinimmo his* momentis non insistere, aut fidem denegare, gravissimum nefas reputavimus. Etenim illum imprimis simulacrorum usum nobis haud dubie persuadent *patriæ Persarum leges*, ex quibus sacrilega Manichæorum religio duxit originem; cumque nos docent sacra illa *Bemmatis* (*d*) festa quæ ad Manetis mortis cultum et in Dominicæ resurrectionis contemptum singulis recurrentibus (*e*) annis in Martio mense celebrabant. Qua de causa sublime construebant *throni simulacrum*, magno divitiarum apparatu ornatum, quo gloriosum sui magistri Manetis natalem significatum esse sibi confingebant. Dum hæc autem libamus, minime nos fugit, vel Manichæos ipsos ad sui magistri honorem *super arundinibus lectos suos* insternere voluisse, ut sibi memoriam excitarent *Manem* in Perside, quasi in veritatis odium, *arundinibus* fuisse excoriatum, ut Nicetas asseverat (*f*); vel quæ in impiæ eorum religionis testimonium, catholicæque nostræ fidei ludibrum Manichæi ipsi excogitaverant, cum mutuatis **178** ex nobis crucis signaculo, Deiparæ imaginibus (*g*), et id genus aliis, hæc sacrilege et superstitiose obtruncabant difformabantque, et ea sic obtruncata et difformata modo veneranda proponebant, modo vero exsecrabantur, volentes iis signis artificiosis dogmata illa indicare, quæ nefarius eorum antesignanus in orbem induxerat. Nihil ergo obstat quin magnus ille pontifex Symmachus, optime perspectis nequissimæ hujus gentis sacrilegiis et superstitionibus, præter omnes codices, omnia etiam illorum signa et simulacra, quæ nefarium aliquod mysterium portendebant deleverit, et igne concremaverit. Neque enim S. pontifex Manichæis et rebus quibus ipsi in nostræ religionis contemptum utebantur poterat indulgere. Summi enim pontificatus ratio et munus, quo tantis

(*a*) Auctor libri Pontificalis, in Symmachi Vitam.

(*b*) August. lib. vigesimo contra Faustum cap. 3 et cap. 9.

(*c*) August. contra epist. Manichæi cap. 8, et lib. VIII contra Faustum cap. 5.

(*d*) Libro Pontificali concinit Anastasius Bibliothecarius.

(*e*) Vide quæ diximus cap. quarto et quinto de hoc Bemmatis Manichæorum festo.

(*f*) Nicetas Thesauro Orthod. lib. IV, cap. 33.

(*g*) Petrus Siculus et Photius aliqua de Manichæorum simulacris et imaginibus expressius indicarunt. Videlicet de crucis signaculo, de Deiparæ imagine aliisque similibus. Quæ quidem profanis quibusdam ritibus, et impuris superstitionibus in catholicæ fidei odium sacrilege deturpabant. Videsis lib. I Photii contra Manichæos cap. 7, 8, 9 et 18, apud Christophorum Wolfium

exagitatus adversitatibus fungebatur, istud etiam suæ sinceræ fidei publicum testimonium exposcebat ut cunctis innotesceret quantum ejus animus a Manichaico dogmate abesset, quantumque sectam illam exhorresceret.

7. Neminem tandem latere arbitramur, inter cæteras calumnias ab adversæ factionis livore et invidia sancto pontifici Symmacho constructas, eam non infimum habuisse locum, qua veluti Manichaici dogmatis reus per impiorum hominum ora traducebatur. Quam quidem turpitudinis læsæque fidei notam ita longe lateque ejus inimici enuntiaverant, ut Constantinopolim Anastasii imperatoris Acacianæ et Severianæ factionis patroni aures penetraverit. Qua de causa, ut idem Anastasius excommunicationis sententiam in eum a Symmacho latam eluderet, atque facilius contemneret, sancto pontifici gravissimum hocce facinus multa increpatione objiciebat. Symmachum igitur oportuit publica suæ fidei testimonia exhibere. Exhibuit autem, cum, Manichæis in exsilium amandatis, horum codices et simulacra delevit (*a*).

Hocce vero suæ fidei publicum testimonium omnem posse diluere calumniam Symmachus papa minime est arbitratus. Nam cum ab Anastasio imperatore famosum libellum conscriptum intellexisset, quo maledictis proscindebatur, et veluti Manichæus apud ipsos Orientales et alios populos traducebatur, huic libello apologetica pro se ipso oratione occurrit, penitusque omnem Manichaicæ labis suspicionem purgavit atque delevit. Jam vero quæ de hac Symmachi apologetica epistola et de Anastasio imperatore Manichæorum patrono dicenda supersunt, mox in sequenti explicabimus capite.

179 CAPUT XIII.

De Symmachi papæ apologetica epistola adversus famosos imperatoris Anastasii libellos. Idem imperator multorum hæreticorum vindex et fautor, etiam Xenaiam Manichæorum principem in suam clientelam recepit. Ex quibus tandem occasionem arripimus ut ejusdem Xenaiæ mores, institutum et scripta paucis expendamus.

1. Symmachi papæ famam numquam gravius ejus hostes læserant, quam cum eum veluti Manichaici dogmatis assertorem per multorum ora traducere ausi sunt. Id potissimum evenit cum famosus libellus ab Anastasio imperatore in sanctum pontificem conscriptus, multis quidem probris maledictisque refertus, quibus S. pontifex tamquam multorum criminum et læsæ fidei reus palam traducebatur. In tali ergo gravi discrimine positus, famosis lustratis libellis, neque odio aut iracundia commotus est. Sed, sui muneris partibus potius apostolicæque sedis honori consulens, numquam de ulciscenda injuria recogitans, stricto calamo illam celebrem scripsit epistolam, qua occurrens famoso Anastasii imperatoris libello, singulas in hoc contentas calumnias purgavit atque prorsus delevit. Et primo quidem suæ catholicæ fidei apologiam ab exemplo octo librorum quos Ambrosius ad Gratianum imperatorem scripserat orsus est, *quia illum non piguit gloriosius prædicare, et imperator non fastidivit gratanter accipere*. Animi deinde sui robur constantiamque S. pontifex (*b*) palam facit, qua coram tyranno ethnico imperatore illi mortem intentante se sistere non formidaret, illud apostolicum Pauli monitum mente revolvens, et ad illud provocans: *Væ mihi* (ait) *si non evangelizavero* (*c*); *meliusque est in jacturam vitæ præsentis incidere, quam sempiterna damnatione puniri* (*d*).

2. Ut plano deinde gradu et sensim sua oratione incederet, in eadem animi firmitate perstans, Anastasium veluti Romanorum imperatorem, et tamquam catholicum principem aggreditur et alloquitur, ut videlicet partes illas assumat, quemadmodum *etiam barbararum nationum legationes clementer admittere consuevit, et qualiscumque præsulis apostolici vocem patienter audire*. Et perinde quasi nullo gravissimarum calumniarum ictu posset commoveri, eam Domini promissionem recolit, qua dicitur apud Matth. (*e*): *Cum vos persecuti fuerint, et dixerint omne malum adversum vos propter justitiam gaudete*. Quod quidem interius gaudium, exterius dissimulare haud potens, benedictionem pro maledictione, honorificentiam pro contumeliis, charitatem pro odio imperatori sibi infenso studet rependere; ipsum tamen admonens ut divini judicis præcaveret indignationem, ne quanto ipse gravius offensus libenter remittebat, tanto cumulatius ab ipso offendente pœna exigeretur. Non nihil hisce addit de maximo scandalo in Ecclesia tunc exorto, cum propter famosum libellum, quem ipse imperator in Ecclesiæ caput conscripserat, tum propter anathemate damnatas Acacii, Severi et Acephalorum opiniones, quibus patrocinabatur; et statim ad varia S. P. provocat Scripturarum testimonia, ut inde imperator harum hæreticarum opinionum depromat falsitatem. Interim vero cum pontificis animus, non suo, sed suæ sedis honori majestatique prospicere **180** quærit, ex eo vellicat et urget imperatorem, quod, humanis divinisque legibus spretis, cum magno imperialis coronæ dedecore accusatoris et judicis partes adversus summum Ecclesiæ pontificem subiret. Propterea eum increpat scribens: *Dicis esse me Manichæum. Numquid Eutychianus sum, vel Eutychianos defendo, quorum furor maxime Manichæorum suffragatur errori.*

3. Qua quidem loquendi formula, et ironiæ figura, non tantum se injuste de Manichaica labe indicat insimulatum; sed ipsum Anastasium carpere intendit, qui dum Eutychianis præsidia præstabat, etiam Manichæis ipsis patrocinabatur, in suam videlicet clientelam Xenaia suscepto, qui, cum Manichæorum esset princeps, imperatoris erga se amorem magis et magis fovere studebat, Eutychianorum partibus adhærendo. Symmachus itaque ad delendas ejusmodi turpitudinum notas, atque ut Manichaico flagitio se numquam obnoxium fuisse ostenderet, urbem Romam tamquam testem appellat, provocatque ad apostolicæ sedis scrinia, in quibus authentica sinceræ fidei Acta asservabantur. Quoscumque vero minus sancte de ejus religione judicantes, aut saltem suspicari volentes, suis hisce scriptis lacessit, ut non reformident cum eo concertationes instituere, et objectorum sibi criminum veras probationes palam proferre, alioqui veluti infames et conviciorum reos habendos esse declarat. Ejus autem verba hic subjicere non incongruum arbitror, ut S. pontificis sensa apprime omnibus innotescant: *Roma mihi testis est, et scrinia testimonium perhibent utrum a fide catholica, quam in sede beati apostoli Petri veniens ex paganitate suscepi, aliqua ex parte deviaverim. Procedat aliquis, et aliqua ratione convincat. Alioqui convicia sunt ista, non criminum probamenta.*

4. Causam suam deinde post hæc divino committit judicio, cujus quidem summam sapientiæ providentiam se quondam expertum esse commemorat. Cum videlicet in pontificem legitimis renuntiatus suffragiis, ad Constantinianam proficiscens basilicam, pontificii ordinem suscepturus, ne lapidum imbre obrueretur liber evasit. Propterea Deum sibi opitulatorem semper habere sperans, nihil eorum quæ sibi suæque sedi noxia esse poterant permittere velle confidit. Nec enim imperatori argumenta esse poterant Deum Symmacho aut Romanæ sedi fuisse iratum. Idcirco maximo animi vigore ita eum com-

(*a*) Consule etiam quæ jam diximus cap. 4 hujus libri.

(*b*) Apologetica epistola exstat tom. V Conc. pag. 416.

(*c*) In priori ad Corinth. cap. IX.

(*d*) Symmachus, ibid., laudans Pauli verba.

(*e*) Matthæi V.

pellat: *Ostende ergo quid existimes arguendum, ut iratum maxime Deum quæ non convenerant permisisse demonstres.* Et ut ulcera quæ imperatoris animum læserant et corruperant purgaret, aut sanaret: *An quia Eutychianis nullatenus acquiesco? Me quidem ista non sauciant; sed te palam aperteque demonstrant meum cogitasse honorem repellere, quem interventu suo beatus Petrus imposuit.* Non ergo Deum sibi hac de causa iratum esse potuisse variis adductis rationibus patefacit. Nam cum Eutychianis adversaretur, quos nec in communionem suscipiebat, quorumque dogmata repudiabat, eas partes obibat quæ summum pontificem maxime decebant, cujus sacra potestas tantum ab imperiali distabat, quantum divina longe ab humanis rebus absunt. Quare inter utramque dignitatem comparatione instituta, imperatorem ita alloquitur. *Tu imperator a pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas. Postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat.* Atque ne superiorem sibi honorem vindicare velle videretur, æqualem saltem utrique convenire oportere asseverat. Hæc igitur, et id genus alia, ad suæ pontificiæ dignitatis gloriam, suæ innocentiæ præsidium, suæque apostolicæ sedis munimen et decus Papa Symmachus in medium adducit, eam potissimum turpitudinis notam purgaturus, quam Anastasius ei injuste inusserat, eum veluti Manichaicæ sectæ propugnatorem famosis libellis traducendo.

5. Quia vero laudatis famosis libellis eumdem Symmachum conspirationis reum in suam personam Anastasius declaraverat, quod videlicet, **181** Romano conjurante senatu, eum excommunicaverat, miris et veris rationibus huic objecto pontifex occurrens, facile et hanc evertit calumniam. Ait primo pontifex nihil innovasse, sed eamdem suorum prædecessorum agendi rationem se esse prosecutum: *Dicis quod mecum conspirante senatu excommunicaverim te. Ista quidem ego, sed rationabiliter factum a prædecessoribus meis sine dubio subsequor.*

Non igitur Symmachus omnium primus in imperatorem Anastasium excommunicationis tulerat sententiam. Sed eum, veluti Eutychianæ aliarumque hæresum vindicem et patronum, duo alii Romani pontifices, Gelasius nimirum et Anastasius II damnaverant. Quam quidem sententiam utique revocasset Symmachus, si imperator, relictis hæreticis, et Acacio præsertim, atque composito Constantinopolitano schismate quod fovebat, catholicis dumtaxat et apostolicis episcopis se consociare voluisset. Nam ab horum societate imperator recedens, nec amplius eorum conventibus se immiscens, jam quasi præcedentis contumaciæ pœnitens factus excommunicationis vincula dissolvere potuisset. Quare mitissimus pontifex gravissimis malis, quibus tantopere afflictabatur, hanc exhibet medelam: *Tu te noli miscere excommunicationi ejus* (videlicet Acacii) *et non es excommunicatus a nobis. Si te misces, non a nobis, sed a te ipso excommunicatus es. Ita fit ut in utroque, sive discedes, non sis excommunicatus a nobis, sive non discedas, non sis excommunicatus a nobis.*

6. Longa post hæc exaggeratione Symmachus Anastasium insectatur, tum quod, ipso ad apostolicam Petri sedem evecto, imperiales (*ut mos erat*) *litteras* non scripsisset, de sua fide et filiali amore pontificem faciens certiorem, utpote cui Domini Salvatoris ore cura totius Ecclesiæ fuerat delegata. Quam gravem omissionem ea dumtaxat de causa pontifex reprehendit, ne Dominici gregis curam negligere videretur; non vero ut suo magis honori consulere voluisse quis arbitraretur. Tum vero in eumdem imperatorem invehitur, quod militari manu catholicos compulerit ut schismatica et hæretica labe pollutis communicarent. Quam agendi rationem, veluti horrendum detestandumque facinus, exsecratur. Cum haudquaquam sæculi principibus, *quantalibet mundi potestate subnixis*, licere aut convenire possit ea ecclesiastica infringere jura, quæ fere a catholicæ Ecclesiæ incunabulis non divinis tantum, sed etiam imperialibus legibus firmata et declarata fuere. Quare ei objicit, et in ejus revocat mentem, quemadmodum Christiana religio ab apostolis usque ad sua tempora, tot tantisque modis ab adversariis multarum persecutionum generibus afflicta et jactata, nec opprimi nec dejici potuerit; sed ipsi persecutores malo exitu perierint, et ipsa orthodoxa veritas semper et undequaque prævaluerit. Eo uno interim pontificis animus magis urgebatur, ut pagani, vel alii homines paganis deteriores, cum, omnium aliarum hæreseon malis opinionibus in Orientem, et apud Constantinopolim potissimum, fractis apostolicæ traditionis regulis, habuerint *publice licentiam profitendi nefaria sua dogmata, et sola catholicæ communionis libertas putatur ab iis qui se religiosos existimabant subruenda.* Cum ab hisce ergo gravissimis malis pontificis animus se sentiret cruciari, nec iisdem (ut exoptabat) posset mederi, ad divinum provocat judicium, cujus præsidium sibi minime præstolari poterant qui temerariis ausibus catholicam veritatem oppugnare tentaverant.

Denique vero antiquorum imperatorum laudat consuetudinem, qui, vel imperii gubernacula suscipientes, vel apostolicæ sedis novos præsules institutos esse noscentes, *ad eam protinus sua scripta miserunt, ut docerent ejus esse consortem.* Quod facere cum Anastasius prætermisisset, se ab ea alienum esse profitebatur; et propterea tamquam *æmulum, reum, et inimicum* vitandum esse S. pontifex *judicavit.* Quemadmodum autem imperator *Manichæis* etiam patrocinaretur paucis S. pontifex indicavit, ut nos mox dicturi sumus Xenaiæ causam explicantes.

182 7. Quis igitur, qualisve fuerit Xenaias, Philoxenus etiam appellatus, quem Manichaici dogmatis sectatorem plerique affirmarunt, cum ex veteribus, tum ex recentioribus scriptoribus facile intelligemus. Cui imprimis ex Perside in Romani imperii ditionem advenienti, Petrus Cnapeus et imperator Anastasius cum maxime patrocinarentur, tot tantasque turbas et clades in catholicos excitavit, ut, prorsus dissolutis omnibus Christianæ societatis vinculis, aut schismata, aut errores ubique grassarentur. Symmachus papa in fine suæ apologiæ contra Anastasium imperatorem id testatus est, suppresso tamen nomine, Xenaiam hisce verbis, tamquam falsitatis propugnatorem, insectando: *Non mirum si catholicos persequuntur Manichæorum patroni, cum falsitas non possit non persequi veritatem. Non mirum si in orthodoxos sæviant, quibus potest cum cunctis hæresibus convenire, et universis erroribus amici non possint nisi solis esse non errantibus inimici* (*a*). Antequam autem de nefarii hujus hominis in catholicos sævitia peculiariter quidquam disseramus, de ejus patria, origine moribus atque institutis verba facere nobis opus est. In quibus omnibus persequendis ne longe a veritate aberraremus, clarissimi viri Joseph Assemani Bibliothecæ Orientalis volumina lustranda suscepimus, ut ea quæ ad rem nostram facere videbantur seligeremus.

8. Xenaiam ergo genere Persam in oppido *Tahal* provinciæ *Garmæorum* duxisse originem edocemur, conditione præterea fuisse *servum, et divini baptismatis exsortem*, plerique veteres scriptores affirmarunt; quibus tamen refragari posse contendit idem Assemanus, qui propterea ab ejusmodi turpitudinis nota Xenaiam, variis adductis argumentis, conatus est vindicare. Affirmans videlicet hunc, alioqui ecclesiastissimum hominem, *baptismo* non caruisse, et se ordinatum clericum non confixisse cum ex Perside in Syriam adveniret. Duas ea de re gravissimas profert conjecturas, alteram desumptam ex Xenaiæ agendi ratione, qua videlicet antequam extra Persidem proficisceretur, strenue, et Nestoriano dogmati, et Ibæ

(*a*) Symmachi papæ epist. apologetica adversus Anastasium imperatorem exstat tom. V concil. pag. 150.

Ædesseni, Marisque Persæ in Garmæorum urbe, cum A nonnullis aliis sese opposuit, quæ omnia *vernulæ homini, et nondum baptizato convenire non poterant.* Alteram vero ex ejusdem Xenaiæ scriptis deducere nititur. In quibus non tantum genuinam exprimit baptismatis formam; sed in ea se esse baptizatum et Christum induisse non semel professus est. Possent hæc quidem a contraria opinione nostrum animum avertere, si maximam apud nos scriptoris auctoritatem potius quam rationum momenta persequi vellemus. Tanta enim ille scientia et eruditione pollet in describendis Syrorum rebus, ut cæteros cum superiores, tum sibi coævos, suæ nationis scriptores antecesserit. Sed a docto, alioqui mihi amicissimo viro, veniam præstolabor, si utramque conjecturam cui pro vindicando Xenaiæ baptismate credidit insistendum nutare affirmabo. Quoad primam ergo conjecturam attinet, videlicet in Garmæorum urbe Xenaiam una cum quibusdam aliis viris Nestoriano [dogmati, Ibæ Ædesseni, Marisque Persæ conatibus B sese opposuisse, quid tum? etiamsi isthæc, quæ ex prorsus incertis monumentis deprompta sunt, vera forent; an versipellis homo, qui Manichaicam profitebatur sectam, arte carere poterat ad suam impietatem occultandam? Nestorii enim et Eutychis dogmata directe unum potissimum palmarem Manichæorum errorem evertebant. Manichæi quippe negabant Christum verum hominem fuisse, vere natum, vere passum et mortuum, atque in eo nonnisi umbratilem et phantasticam carnem prædicabant. A quo errore quidem longissime distabant Nestoriana et Eutychiana dogmata. Nestoriani quippe duas veras in Christo distinctas docebant esse naturas, totidemque personas. Eutychiani præterea humanitatis in Christo
183 veritatem non inficiabantur; sed eam in unitione a divini Verbi natura, vel fuisse absorptam, vel in Divinitatem conversam contendebant. Quando igitur certo adhuc constaret Xenaiam strenue utrique hæresi sese opposuisse, non inde inferri posset baptismate fuisse purgatum, cum jam Manichæis nomen C dedisset. Nescio præterea an Ibæ Ædesseni et Maris Persæ conatibus Xenaias in Garmæorum Persarum urbe facile se opponere potuisset. Omnibus enim perspectum esse arbitramur ejusmodi duorum illorum episcoporum conatus non nisi post Ephesinam generalem synodum, in Cyrilli Alexandrini odium, fuisse adhibitos; atque eos inter et Alexandrinum antistitem inimicitias et odia recruduisse ob Nestorii condemnationem, atque perdurasse ad Berytensem usque conventum, ut ex decima Chalcedonensis concilii actione intelligimus. At Xenaiam tum in lucem editum fuisse quis probat, aut unde colligitur? In Actis profecto Berytensis concilii, Ibæ causa coacti, aut in libellis sive scriptis eorum qui Ibam Ædessenum cum de mala fide tum de variis criminibus postulabant, Xenaiæ, aut Philoxeni nomen non offendimus (*a*). Cum tamen omnia nomina accusatorum qui sese Ibæ ejusque conatibus opposuerant descripta inveniamus. Quid demum, si ultro daremus, absoluto D Ephesino concilio, quod Nestorium damnaverat, Xenaiam in lucem editum? forte eum tantæ maturæ ætatis, auctoritatis doctrinæque virum tum fuisse arbitrabimur, ut duorum episcoporum de fidei rebus disputantium conatus oppugnare potuisset? Certe in hoc fungendo munere prima fidei rudimenta, quibus pueri edoceri solent, haudquaquam poterant sufficere. Cum illud Nestorianorum dogma episcopis plusquam bis centum numero, maximum negotium exhibuerit. Verum eo tempore Xenaiam aut nondum lucem aspexisse, aut saltem pubertatis annos vix attingere potuisse, ex reliquo ejus vitæ cursu edocemur. Si quidem ab Ephesina œcumenica synodo ad Xenaiæ obitum usque plusquam nonaginta anni A intercesserunt. Vita enim functus est Xenaias, etiam Assemano auctore, post annum 522, et Ephesina synodus rejicienda est in annum 431, quo tempore haud arbitror hunc Manichæorum signiferum ortum fuisse.

9. Si vero mihi objiciatur Nestorianorum Ibæ Ædesseni Marisque Persæ in Garmæorum urbem conatus ad aliud posterius tempus esse referendos, non repugnabo. Verum tanta temporis mora inter utrumque confingenda non est, ut merito conjecturas ducere possimus tum Xenaiam fuisse ortum, et tot tantaque sibi subsidia comparasse ut Nestoriano dogmati hujusque propugnatoribus strenue se opponeret. Nam Ibas suis iis conatibus ad finem vitæ usque non institit; sed, cum Cyrillo Alexandrino pace inita, ab omnibus hæreseon motibus ante Christi annum 445 sese temperavit, ut ex Tyri et Berytiorum synodis intelligitur. Igitur quamvis ab hoc anno, vel a subsequenti, Xenaiæ natalis dies B esset repetendus, jam prior illa Assemani conjectura concideret; istudque hæreseos et nequitiæ monstrum post 77 ætatis suæ annum occubuisset, quod plane iis repugnat quæ de hoc homine, antequam vitam finiret, Assemanus descripsit (*b*). Fatetur enim Xenaiam, ante vitæ exitum, Anastasio imperatore favente, sive jubente, pluribus pseudosynodis præfuisse; varia et longissima confecisse itinera; quatuor annorum spatio, Justini imperatoris decreto, a sua sede exsulasse; huc illucque, modo in Thraciam, apud Philippopolim; modo in Paphlagoniam, apud Gangrensem urbem, in qua fumo enecatus interiit, se recepisse. Quæ quidem omnia cum talem, tantamque laborum, et ærumnarum copiam portendant et indicent, vix adduci possumus ut existimemus ejusmodi mala et incommoda ab homine summam senectutem agenti sustineri potuisse.

184 10. Gravioris quidem ponderis est alia conjectura ab Assemano adducta, qui ut probet Xenaiam baptismatis non fuisse exsortem, primo provocat ad C ejusdem Xenaiæ scripta, quibus de sua fide atque baptismate fert testimonium; tum eum baptizatum fuisse conatur ostendere ex Syriæ PP. silentio, qui haudquaquam sibi manus imponere a Xenaia permisissent, si illum nec baptizatum, nec rite fuisse ordinatum scivissent. Minus roboris tamen huic vindiciarum generi subest, si testimonium ex aliorum scriptis petamus. Theodorus ergo Constantinopolitanæ Ecclesiæ lector, qui Xenaiam viderat, cum fuerit ei coævus, non tantum ex fama (ut ait Assemanus), sed ex Syriæ episcoporum narratione, scribit: *Persa quidam, Xenaias vocatus, quem tempore sacerdotii sui Calendio, inveniens ecclesiastica adulterare dogmata et castella excitare, pellit a regione. De hoc multa quæ a diversis audiens scrutatus sum ex parte dicam. A Persarum enim regione proprium dominum fugiens ad Romanorum pervenit.* Et paulo post. *Hunc Petrus pro Cyro Hierapoliensium Ecclesiæ episcopum transmittit. Quem non post multum episcopi e Perside venientes quasi vernulam arguebant, et ut divini exsortem baptismatis. Quo comperto, Pe-* D *trus, quod oporteret fieri non curans, dixit sufficere illi episcopi consecrationem, ad supplementum divini sacramenti* (*c*). Cujus quippe testimonii vim si sedulo perpendamus, difficile ei poterimus refragari. Nam Theodorus lector non disseruit de homine sibi plane incognito et absente, cujus facinora saltem principaliora cum sibi tum Constantinopolitanis omnibus non essent notissima, ob favorem potissimum quem et Zenonis et Anastasii imperatorum Orientalium sibi Xenaias comparaverat. Floruit enim Theodorus circa Christi annum 515, et propterea non ex fama solum, sed ex iis quæ viderat et quæ ab aliis sibi coævis audierat historiam descripsit. Præterea an non reclamarunt Persarum episcopi, Xenaiam ad

(*a*) Tom. IV Conciliorum generalium pag. 730, et rursus act. 10 concilii Chalced.

(*b*) Assemanus, tom. II Bibliothecæ Orientalis cap. 2, pag. 12 et seq.

(*c*) Tom. VIII Conciliorum pag. m. 1019.

Hierapolitanum episcopatum assumptum conspicientes? Non ex aliis quam ex Persarum episcopis clamores prodierunt: Xenaiam Hierapoli consecratum episcopum *vernulam et baptismatis exsortem fuisse.* Quod si iis fidem non esse adhibendam Assemanus arbitrabitur, quam fidem, quæso, sibi mereri poterit Xenaias, qui a suis concivibus episcopis reprehensus, et tamquam paganus accusatus, ut hanc infamiæ notam dilueret, et ne ab episcopali sede exturbaretur, epistolam de Verbi Incarnatione scripsit ad Zenonem, qua vaferrime et nimis studiose se fuisse baptizatum confingit? An non ejusdem Xenaiæ studium produnt illa eadem verba, quibus Assemanus insistit? Is enim in una atque eadem fere periodo, bis, ter quaterque, quæsita occasione de suo loquitur baptismate. Artem quidem in hac parte omnium nebulonum secutus, qui suo dumtaxat ipsorum testimonio justas sibi objectas accusationes diluere conantur. En Xenaiæ verba, quæ recitat Assemanus: *Unigenitus Filius unus est de Trinitate, sicut ipse significat cum ad discipulos suos ait: Ite docete omnes populos, et baptizate eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Igitur* (scriptoris agendi rationem annotemus), *igitur in ejus nomine baptizatus sum qui mortuus est; et illum, cujus in nomine baptizatus sum, confiteor pro me mortuum fuisse; eum denique, cujus in nomine et morte baptizatus sum, credo me ex baptismo induisse.* Tantum igitur abest ut hac scribendi ratione Xenaiam baptizatum arbitremur, quin immo majori ducamur suspicione eum *baptismatis fuisse exsortem.* Non enim ad sui baptismatis testes provocat, sacramenti ministrum non nominat, neque locum, neque tempus designat, quo Christum *baptismate* induisset, sed sui baptismatis se solum testem et vindicem facit.

11. Nullum vero alium vindicem, præter se ipsum, Xenaiam habuisse, produnt etiam Nicæni secundi generalis concilii Acta. Nam quinta **185** actione, cum Demetrius diaconus, vasorum custos, Theodori lectoris verba superius laudata legisset, nullus ex tercentis quinquaginta illis Patribus, saltem pro episcopatus honore, illud testimonium tamquam commentitium aut dubiæ fidei rejecit, sed Theodoro isthæc describenti omnes fidem adjunxere. Et tantam quidem, ut Tarasio doctissimo sanctissimoque viro Constantinopolitano antistite interloquente, cæteri omnes episcopi *Xenaiæ non baptizato et Manichæo, et iis qui phantasiam* prædicabant et Christi humanitatem negabant, anathema dixerint. Nescio igitur cur quave ratione quis possit nunc illum Xenaiam ab utraque illa labe purgare? credendo videlicet nec baptismate caruisse nec Manichæis nomen dedisse; cum nec unus ex illis 350 Patribus in probando mox laudato Theodori testimonio vel hæserit levius?

12. Ne tamen eo unico Theodori lectoris testimonio et Nicæni secundi concilii approbatione, quæ multo studio et eruditione qua pollet Assemanus mitius explicare conatur, nos dumtaxat insistere videamur, Antiochenam pseudosynodum a Petro Fullone coactam, prout ab auctore synodici libelli exprimitur, subjicere non pigebit. Hanc ergo synodum Petrus Fullo ab exsilio ad Antiochenam reversus Ecclesiam, Zenone imperatore, catholicis episcopis infenso, illi favente, coegit circa Christi annum 485, ut Labbeus, Pagius, Stephanus Baluzius aliique annotarunt. Tum enim Fullo diro actus furore, Chalcedonensem œcumenicam synodum *anathemate notavit, et multis cum sceleribus Xenaiam Hierapolis episcopum designavit, genere Persam, baptismi expertem, conditionis servilis*

A *fugitivum, et hæreseos Christianos accusantis ducem acerrimum* (*a*). De his vero profanis illegitimisque ordinationibus quas Petrus Fullo peregerat Theophanes verba fecit, ita scribens: *Petrus autem Fullo, Antiochiam ingressus, multa nefanda perpetravit, ut puta synodi exsecrationes, episcoporum abrogationes, noxiorum intrusiones, ordinationes illegitimas, et his similia.* Theophanes ergo, emunctæ naris scriptor, etsi in variis antiquorum gestis recensendis Theodorum lectorem fuerit secutus, quia tamen nec ab Xenaiæ ætate procul, *illegitimarum ordinationum descriptione*, hunc hominem *vernulam, baptismatis exsortem*, in Hierapolitanam episcopatus sedem intrusum obscure saltem designare voluit. Is enim cum gestarum rerum historiam Romanos inter et Persas scripsisset ad annum usque 573, nec Petri Fullonis episcopi Antiocheni gesta, nec illegitime ab eodem Petro Fullone ordinati episcopi eum latere poterant. Nemo igitur ista scribenti mihi succenseat, aut contrahat frontem, quod viro doctissimo, et de litterariis
B rebus jam optime merito, hac in re non subscripserim. Studium enim veritatis inquirendæ investigandæque, non rixandi libido, ne a Theodori lectoris testimonio et a Nicæni secundi concilii auctoritate levius resilirem, prorsus meum animum affecit, ut quod candide intelligo religione etiam palam profiterer. A qua quidem agendi ratione haudquaquam recedam, Xenaiæ Manichæismum explicaturus.

13. Hanc quoque labem idem cl. Assemanus Xenaiæ Magbugensi non asseruit; etsi scelestissimum hominem eum appellet (*b*). *A Manichaica hæresi* (ait) *quantum Xenaias abhorruerit, constat ex multis voluminibus mox recensendis, in quibus Eutychianos ille et Manichæos diserte refellit.* Et primo quidem si Xenaias suis in Operibus etiam *Manichæos diserte refellit*, qua de causa Theophanes Byzantius scribit: *Xenaiam, quoque Philoxenum nomine, Hierapoleos episcopum cum Manichæis sentientem*, a Justino seniore in exsilium pulsum fuisse? Id autem
C contigit Christi anno 518, ut probat eminentissimus Norisius de Epochis Syro-Macedonum. Cur præterea idem scriptor, Xenaiæ secundam ad **186** urbem regiam Constantinopolim narrans profectionem, scripsit: *Xenaiam Manichæorum sectatorem, Philoxenum alias dictum, utpote qui una secum sentiret, Anastasius Byzantium accersivit?* At Anastasius imperator non modo studiose Manichæis favebat, ut ex Symmachi papæ apologia diximus in superioribus; sed et Manichaica dogmata tuebatur, quia ex Manichæa matre procreatus. *Manichæi et Ariani* (ait Theodorus lector testis ocularis) *ob Anastasii promotionem sibi gratulabantur. Manichæi quidem, eo quod mater illius sectæ ipsorum cultrix esset studiosissima* (*c*). Si ergo ambo, Xenaias videlicet et imperator Anastasius, eamdem prorsus doctrinam profitebantur, et hujus doctrinæ causa imperator Constantinopolim illum *Xenaiam Manichæum* accivit; si præterea Anastasii mater Manichæorum *sectæ cultrix studiosissima erat;* qui fieri
D poterit ut veterum scriptorum fidem sibi apprime suffragantium despiciamus, levioribus quibusdam conjecturis innixi? Non ita profecto nostri majores fecere, qui, in Christi nomine, ad Nicænam secundam illam synodum convenientes, nequissimum illum Xenaiam Manichæorum sectatorem et principem judicarunt, testimonium etiam alterius antiquioris scriptoris secuti, Joannis videlicet Diacrinomeni (*d*) qui affirmavit illum consuevisse eas imagines *quæ Christum figurabant in abditis locis occultare*, ut nimirum

(*a*) Libellus, t. V Conc. p. 279, ubi quoque offendes Labbei, Pagii, Baluzii annotationes.

(*b*) Assemanus, tom. II laudatæ Bibliot. pag. 12.

(*c*) Theodorus lector, II libr. Histor. Ecclesiasticæ apud Valesium, tom. IV pag. 558.

(*d*) *Diacrinomeni* id est segregati. Sic vocabantur qui synodum Chalcedonensem non recipiebant, ex Leontio de Sectis. Ita apud Labbeum, tom. VIII p. 1019. Consule lib. I Photii de Manichæorum Historia cap. 7 et 10. Ibi namque legitur eos abhorruisse a venerandæ crucis figura in evangelicis codicibus delineata. Apud Christophorum Wolfium pag. 23: Addentes *veram crucem, utpote lignum maleficorum instrumentum, et maledicto subjacens, adorari et amplecti nefas esse.*

innueret Christum non veram humanam naturam, sed phantasticam dumtaxat et umbratilem assumpsisse; quod palmare Manichæorum dogma fuisse, jam nos abunde satis in præcedentibus capitibus probavimus.

13. Jam vero mihi deesse videbor, si prætercam silentio quæ Assemanus adduxit pro hac Xenaiæ Manichaica labe diluenda. Scripsit enim Xenaias ad quosdam Syriæ monachos de Verbi Incarnatione epistolam, qua utriusque naturæ, divinæ videlicet et humanæ, *veritatem* Christo Domino asseruit. Hujus autem epistolæ Syro sermone conscriptæ summam in quinque capita divisam exhibet, et sub numero tertio isthæc verba Latine reddita subjicit (*a*): III. *Si is qui incarnatus est* (Deus est), *Deus quoque erit, qui natus est; et sicut qui in Virginem ingressus est, unus erat spiritualis, cujus spiritualis natura ex Patre est; ita idem ipse unus ex eadem Virgine prodiit, cujus ex natura veritatem corporis sui habet. Quamobrem recte appellatur Virgo Dei Genitrix, eo quod unam Dei incarnatam personam ineffabiliter genuit.* Hæc, inquam, B et id genus alia, ex variis Xenaiæ epistolis aut scriptis Assemanus pronuntiat, quæ Manichæorum hæresim prorsus oppugnant. De hujus vero scriptoris et interpretis fide, maxime in vertendis e Syriaco in Latinum sermonem monumentis, dubitari non potest. Secutus vero ne fuerit Xenaias suæ fidei dictamen in iis scribendis, an secus, dubitari potest. Quemadmodum etiam dubitare licet an scripta videlicet quæ sub Xanaiæ nomine modo circumferuntur ex ejus prodierint officina, an in Syrorum libros et codices alicujus impostoris studio et confictione irrepserint. Ea quidem prorsus latuerunt Theodorum Lectorem, Theophanem, Evagrium, Persarum episcopos, Nicæni secundi concilii Patres, sequentium sæculorum scriptores; qui, non ex inani timore, sed maximis rationibus adducti, hunc nebulonem veluti Manichæorum ducem et principem traduxerunt. Valde difficile ergo videtur isthæc scripta, si revera **187** exstiterunt, non innotuisse iis viris qui hujus C flagitiosissimi hominis patriam, conditionem, mores, instituta et dignitates descripsere. Vel tandem si exstabant, num ita forte in Syrorum scriniis delitescebant, et in fidas includebantur custodias, ut non nisi novissimis hisce temporibus Assemani studio et laboribus in hominum notitiam pervenire potuerint? Certe Assemanus, qui ejusmodi Opera suis animadversionibus illustranda suscepit, nec unum dumtaxat scriptorem fide dignum laudat, qui talia Opera Xenaiæ adjudicet. Et quamvis quandoque ad unum aut alterum testem provocet, hos tamen tamquam Eutychianos et Monophysitas carpit, vellicat atque condemnat. Præterea, deficientibus jam supparum scriptorum testimoniis atque consensu, an non exquirenda forent ad Xenaiæ epistolas consonantia responsa? Scripsit ille ad imperatorem Zenonem et ad monachos diversorum monasteriorum incolas. Ubi, quæso, horum omnium responsa, ut rimemur an sibi concinnant, vel iis aliqua nota insit quæ eruditis oleat suppositionem? Ego enim cum in tanto D versarer discrimine, suspicione maxima adducebar falso Opera illa Xenaiæ ab aliquo sycophanta fuisse afficta. Suspicionem actitavit cl. Assemani agendi ratio: qui in gravissimis offendens scopulis, quos præcavere haud poterat, tum Xenaiam aut ementitum, aut aliquem Xenaiæ nomine confictionem voluisse astruere asseverat. Cujusmodi porro est illud commentum: *Nestorium hæresiarcham a S. Leone papa ad Chalcedonensem synodum evocatum fuisse* (*b*). Hæc tradit Xenaias in epistola ad Senonenses monachos, cujus argumenta persequens Assemanus, hocce, tamquam putidum figmentum, esse rejiciendum annotavit. Nam antequam S. Leo Magnus catholicæ Ecclesiæ obtineret pontificatum, jam Nestorius, A in quartum exsilii locum ablegatus, lingua vermibus corrosa, anno 436 interiit, ut quidam dixerunt; vel saltem usque ad annum 439 in oasim vixit, ut Socrates affirmavit (*c*); S. Leo Magnus vero nonnisi sequenti anno 440, die 28 Julii, ad pontificatus solium elevatus fuit. Qui de Chalcedonensi congreganda synodo consilium habuit anno 450, hancque demum sequenti anno fuisse celebratam, cum sacræ tum profanæ tabulæ patefaciunt. Palmarem, inquam, hunc errorem annotat Assemanus, et, suspensus hærens, nescit cui illum adjudicet, Xenaiæ videlicet, aut alicui Monophysitæ Xenaiam sibi patronum quærenti.

14. Non igitur laudatis scriptis doctus vir Assemanus tantam fidem censuit adhibendam, ut pleno hunc a Manichæorum erroribus abhorruisse arbitretur. Nam et quædam Xenaiæ dictiones ei occurrerunt, quæ hæreticum Manichæorum sensum præseferunt. Has inter celebris est illa quam Orientalis scriptor subjicit ex libro theologico *Radiorum* nuncupato; videlicet: *Philoxenus, inquiunt, passiones Domini voluntarias, non naturales, agnoscit. Moyses quoque Barcepha corpus Adæ, antequam is peccasset, Dominum induisse testatur. Denique in historia mar Barsumæ corpus Domini nostri haud instar corporis humani esse dicitur* (*d*). Has autem omnes dictiones Manichaismum spirare, et Manichæorum fabulosa figmenta continere, quis ignorat? Quas tametsi libri auctor non omnes Xenaiæ seu Philoxeno adjudicet, singulas quidem ex nefaria Manetis officina prodiisse, præcedentes nostræ elucubrationes abunde patefaciunt. Sed Manichaismum, istud Philoxeni dictum indicare, videlicet, *passiones Domini voluntarias*, et ipse Assemanus asseverat, illudque scriptoribus a nobis recensitis occasionem præbuisse ut Xenaiam hujus hæreseos reum traducerent affirmat. Sed doctus vir arbitratur aut Philoxenum in *Incorrupticolarum* impegisse errorem, ex Manichaicis quidem principiis derivatum; aut ob inconstantiæ vitium, quo frequentius hæretici jactari solent, quibusdam Manichæorum placitis adhæsisse, quamvis ipse in libris suis ea passim exsecretur.

188 Utcumque ergo res se habeant, jam nec Xenaias ipse, Assemano auctore, ab omni Manichaismi labe purgari potest, nec Opera quæ sub ejus circumferuntur nomine, illique adjudicantur, suppositionibus, laciniis atque interpolationibus carent. Quo itaque innixi fundamento, relictis veterum et supparum scriptorum testimoniis, de ejus fide judicabimus? Laudatis innixi scriptis in erroris discrimen adducemur, cum certo non innotescat an volumina illa ex vera Xenaiæ officina prodierint, an in illis conscribendis suæ fidei dictamen fuerit secutus, an denique aliorum studio falsata fuerint, ad occulendam seu delendam eam Manichaismi notam quam veteres scriptores et septimæ synodi Patres eidem inusserant.

Verum in his omnibus conscribendis diutius quam par erat immoratum me fuisse intelligo, potissimum quia monumenta Syriaco sermone conscripta nec lustrare queam, nec eadem interpretari; quæ sane cuique opus esse debent eorum qui causam ejusmodi ad exitum perducere cupiant. Quare, prætermisso hoc disserendi genere, illud unum dumtaxat subjicimus, totum pene Orientem Anastasii imperatoris et Acephalorum studio Manichaica labe fuisse pollutum. Quod ut clarius innotescat meliusque intelligatur, ultimum de Manichæorum historia conscribimus caput, cum reliqua quæ dicere possemus de nefaria hac hæresi apud Armenos postmodum Paulicianorum studio propagata sufficienter a Petro Siculo et a Photio fuerint descripta.

CAPUT XIV.

Manichæos urbem Romam adhuc inhabitantes Hormis-

(*a*) Assem. Bibliot. Orient. tom. II, pag. 29.
(*b*) Tom. II Biblioth. Orient. pag. 41.
(*c*) Socrates, lib. VII, cap. 32.
(*d*) Assemanus, ibid., pag. 4 et 2.

das papa plagarum examinatione discussos exsulatum abire cogit. Beausobre nugæ cavillationesque refelluntur. Constantinopolitana Mennæ patriarchæ synodus Severum, Anthimum aliosque Acephalorum principes, veluti Manichaici dogmatis propugnatores, damnat. Tandem nonnulla annotantur de Manichæis ex Petri Siculi et Photii historiarum libris,

1. Antequam aliquid de Orientalium episcoporum in Manichæorum causa gestis dicere aggrediamur, Hormisdæ papæ agendi rationem et in eosdem hæreticos judicium paucis describere necessarium ducimus. Quippe qui cum vipeream hanc sobolem Romæ delitescentem reperisset, omnes sui animi nervos ad eam penitus abolendam adhibuit. Christi ergo anno quingentesimo decimo quarto, cum Anastasius imperii habenas teneret, Symmachus papa ex hac luce migravit. Huic vero eodem anno Romæ Hormisdam suffectum fuisse, ecclesiasticæ tabulæ patefaciunt. An vero in hujus pontificatus exordiis aliquas Manichaicæ sectæ reliquias, ex præcedenti Symmachi papæ inquisitione superstites ibique latitantes, repererit; an vero, Symmacho dumtaxat vita functo, tertio aut quarto anno ex aliis Africæ, Orientis aut Italiæ regionibus ad Urbem inhabitandam convolaverint, ex nullo Christianæ rei monumento innotescit. Verum si Pontificalis libri, in quo Romanorum antistitum gesta describuntur, ordinem persequi velimus, Hormisdam post plures in pontificatu annos transactos, Manichæos Romæ reperisse credendum est. Nam idem summus pontifex primos quatuor sui regiminis integros annos insumpsit, ut Anastasium imperatorem, multarum hæresum, ut vidimus, propugnatorem et vindicem, ad bonam frugem reduceret. Quod cum semel iterumque, per suos legatos ea de causa Constantinopolim missos, tum per **189** epistolas, obtinere incassum tentasset, et pia Rom. pont. voluntas semper frustrata mansisset, *tandem imperator, nutu Divinitatis fulmine percussus, miserrime obiit*. Cui cum religiosissimus princeps Justinus in imperio suffectus fuisset, quod tantopere studebat Hormisda, mirifice consecutus est, anno 519, legatis Constantinopolim missis, quos inter fuit sanctissimus ille vir Germanus Capuanus episcopus.

2. Orientalium itaque cum Romana sede pace redintegrata, simulque cum hæreticis damnata Acacii, Euphemii, Macedoniique memoria, nec non Zenonis et Anastasii imperatorum, demum Manichæorum sobolem exsulatam ex Urbe abire compulit. Quare si nos libri Pontificalis auctorem, in Hormisdæ papæ gestis describendis, rerum temporumque ordinem fuisse secutum arbitrabimur, hocce pontificis in Manichæos judicium post annum 519 contigisse affirmabimus; verum parum utili et in incerto versanti quæstione prætermissa, Hormisdæ in Manichæos agendi rationem attendamus. *Hic* (ait laudatus scriptor) *invenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum exsilio deportavit* (*a*). Nova hæc plane est ecclesiastici judicii forma, quam ab Hormisda in Manichæos adhibitam auctor describit. Non enim ante hujus pontificis tempora, ecclesiastica auctoritate hæreticos *cum plagarum examinatione discussos* legimus. Et quamvis imperatores sæculique judices, ut penitus eam sobolem delerent, varia pœnarum genera jam pridem decrevissent, vel eorum bona proscribendo, vel eos omni humano jure privatos in exsilium abire cogentes, plagis autem verberibusque affligendos a quopiam hactenus definitum fuisse haud intelligimus. Verum publica sæculi auctoritate exsecutioni demandatum existimamus, ne videlicet lenitatis leges, quibus Ecclesiæ pastores sanctissime A hærebant, violarentur. Conquisitis præterea omnibus Manichæorum libris sive codicibus, summus pontifex, eadem suorum prædecessorum exempla secutus, *ante fores Constantinianæ basilicæ concremavit*, tantoque metu et terrore in horum scelestissimorum hominum animum excitato, ab exsilio Urbem amplius remeare non cogitaverunt.

Hæc tamen Hormisdæ, Symmachi, Gelasii, Leonis, aliorumque Romanorum pontificum in Manichæorum libris comburendis agendi ratio ab acatholicis viris non omnino probata est. Eam enim potissimum parum utilem et tutam ostendere conatur Isaac Beausobre (*b*), qui in suis de Manichaica Historia libris, varias cum imperatorum tum magistratuum leges de hæreticorum vel Christianorum codicibus perdendis pentiusque delendis recensuit. Has autem veluti rationabiles vindicat, ea videlicet de causa quod ejusmodi codices quædam continerent quæ religionis pietatem humanamque corrumpebant societatem, de qua re ipsi cap. 4 hujus libri sermonem luculentis- B sime habuimus (*c*).

3. Age vero, Beausobre nugis et commentis rejectis, alios Manichaicos mores, cultum ecclesiasticumque regimen, ex Constantinopolitanis synodis expendere aggredimur, quorum aliam ad Hormisdæ tempora referendam esse, aliam vero ad Agapeti ævum pertinere, ex certissimis monumentis patefaciemus. Eas autem synodos, Severum, Anthimum, Zoarum, Philoxenum, aliosque, qui Acephalorum nomen perferebant, tamquam Manichaicorum dogmatum propugnatores, communi Patrum consensione *damnasse*, iis exploratum est qui eorumdem *Acta lustrarunt*. Quare nos in iisdem Actis percurrendis, *sine ulla animi* ambiguitate, Manichaicorum rituum professores sub Acephalorum nomine delitescere studuisse judicavimus. Ne vero falsa videar fabulari, ad memoriam prius revocabo quæ impius imperator Anastasius ad suam hæresim amplificandam adhibuit, cum videlicet et Xenaiam Constantinopolim adduxit, et Severum **190** C nefandum hominem cum monachis bis centum eodem venientibus honorifice suscepit. Quod (ait Petavius) (*d*) initium fuit impuri illius Severi, qui anno 513 Antiochenam sedem, a qua Flavianus ob constantiam catholicæ professionis superiore anno exturbatus fuerat, per vim occupavit, et Orientales omnes ad synodi Chalcedonensis damnationem tentavit adducere, resistentes vero catholicos episcopos e sedibus ejecit. Quis fuerit Severus, ex qua gente duxerit originem, in qua religione primum fuerit institutus, paucis explicare ducimus necessarium. Quæ quidem omnia a nostro scribendi scopo aliena iis haudquaquam videri debent qui præsentes has nostras Exercitationes lecitabunt.

Sozopoli igitur, una ex Pissidiæ provinciæ urbibus, Severus natus est. Qui cum adolevisset, ut tradunt Evagrius, Nicephorus (*e*) et Liberatus diaconus, apud Berytum, Ciliciæ urbem, in foro versabatur, ethnicorum tamen moribus et ritibus assidue vacans. D *Postea vero, relicto jurisprudentiæ studio, cum sacrum baptismum suscepisset in ecclesia admirabilis martyris Leontii, qui in urbe Phœnices Tripoli summo honore colitur, illico monasticam vitam amplexus est, quod inter civitatem Gazam et oppidum Majumam in medio itineris positum est* (*f*). Hunc autem in veneficiis, ab ineunte ætate, fuisse deprehensum, atque in Berytiorum urbe, antequam baptizaretur, dæmonibus religiosum cultum adhibuisse, ex libello monachorum in Constantinopolitana Mennæ synodo recitato proditum est. Quare nobis saltem suspicari licet nonnisi simulate ad suscipiendum baptisma adductum fuisse, ut videlicet eas pœnas evaderet quibus imperatorum

(*a*) Liber Pontificalis, in Hormisdæ papæ Vitam, tom. V Concil. pag. 558.
(*b*) Vide quæ diximus cap. 4.
(*c*) Isaac de Beausobre, in præliminari serm. ad I partem Manichaicæ Hist. pag. 118 et seqq.

(*d*) Petavius, Rationario Temp., parte I, lib. VII, cap. 3.
(*e*) Evagrius, lib. III, cap. 33; Niceph., lib. XVI c. 29.
(*f*) Liberatus diaconus, cap. 19.

leges in sacrilegos veneficosque homines animadverti præcipiebant. Suspicionem auget Severi fuga, quam ex Beryto arripuit, ut apud Tripolim se reciperet. Atque tandem eadem nostra conjectura eo magis roboratur, quod Severus, nondum expleto tempore quo recenter baptismate illuminati in monasteriis diversabantur, animi nequitiem sub catholicæ religionis colore amplius cohibere non valens, *nec rursus perspicue ad antiquum gentilis opinionis suæ vomitum reverti valens, per aliam viam ad id quod studebat pervenit.*

4. Pœnarum ergo metu adductus, ad antiquos gentilium ritus palam reverti exhorruit. Propterea, novis fraudibus excogitatis, sub Acephalorum dogmatibus Manichaicam professionem delitescere nisus est, ut Manetis ritibus atque mysteriis studiosius vacaret. Non ergo mirum si, abnegata a Severo *Ecclesia, et eo a quo fuerat baptizatus*, statim Constantinopolim ad imperatorem Anastasium, omnium nequissimorum hominum patronum et vindicem properaverit, a quo cum bis centum monachis multo gaudio et honorifice exceptus est. Tantæ itaque potestatis præsidio suffultus, et ad Antiochenam seu Theopolitanam sedem evectus, non solum multas cruentasque cædes militari manu in catholicos sacerdotes et archimandritas, qui suæ illicitæ et per injuriam canonum factæ ordinationi strenue sese opponebant, fieri mandavit, verum etiam Dei domos et ecclesias, maximis solemnibusque ritibus et mysteriis consecratas, occisorum sanguine sordidavit, eas *diversoria hæresis et impietatis vocitando*, et baptisma quod acceperat reprobando. Jam vero quod Severus sincere Acephalis non adhæserit, *sed et ipsam Acephalorum religionem simulaverit, ex sequentibus omnibus* (aiunt religiosi monachi in laudato libello) (a) *manifestum fuit.* Narrant quippe imprimis nullam in Christo duarum naturarum unionem, seu *unitivum* (ut aiunt), admisisse, sed *novativum* dumtaxat, *ipsum divisivum appellans, et in suis propriis conscriptionibus anathematizans.* Quæ loquendi formula **191** etsi sensum obscurum redoleat, tamen veram humanitatem Verbum divinum non assumpsisse, nec eam sibi copulasse, significat. Petro Moggo deinde, qui in Alexandrinam sedem ob Acephalorum principatum fuerat intrusus, nec communicare voluit, neque iis qui ab eodem Petro Moggo fuerant *seducti et edocti, eo quod deberet Petrus abripi de Ecclesia Alexandrina.* Hac enim de causa Petri Moggi cæterorumque cum eo communicantium nomina ex Theopolitanæ Ecclesiæ *diptychis* abradi voluit. Propterea novis in dies contra quoscumque tumultibus excitatis, non catholicam tantum, sed et ipsorum Acephalorum religionem hujusque sectatores evertere atque delere conabatur. Tum assumpto sibi quodam Petro (quem Iberum appellant) criminum socio, quippe qui Apameæ episcopalem thronum sibi usurpaverat, *finalem urbis Alexandrinæ eversionem constituerunt, apponentes Alexandrinis divisiones, et ad invicem ibi populum conciliantes, ut et bella civilia fierent, multæ domus incenderentur, multorumque hominum sanguis effunderetur, et ipsi quidem vix aliquando fuga pœnas pro istis debitas aufugerunt.*

5. Ex hac porro rerum gestarum serie monachi in suo libello scite ratiocinabantur, Severum, Petrumque Iberum, seu Apamensem, nusquam Christianæ religionis fuisse cultores, utpote quibus æquanimiter catholicis et hæreticis infensi videbantur. *Cum enim omnem Ecclesiam inique anathematizare ausi essent, merito ab omni Ecclesia anathematizati fuere.* Et quidem ut universali quodam anathemate ab omnibus proscriberentur, et ut eorum vitæ genus omnes exhorrescerent, immanis sævaque agendi ratio qua ad necem et exitium Jesu Christi cultores perquirebant suadebat. Quia videlicet, omnibus sacris divinisque legibus fractis et abolitis, sacerdotes aliosque Ecclesiæ ministros templa inhabitantes et altaribus inservientes et insistentes violenti morti tradebant, eosque suis manibus suffocabant, vel quando ad monasteriorum omnia bona diripienda, devotos monachos, vinculis, carceribus exagitabant, gladiis telisque jugulabant; vel quando itinera agentes, venerabilia claustra S. Simeonis penetrantes, *congregata multitudine latronum Judæorum in istos honorabiles monachos irruerunt, nec horum canitiem veriti*, opus gladii in ipsos fecerunt circa 350 numero existentes, eorumque membra in via disperserunt, non tradentes sepulturæ eorum venerabiles reliquias, neque ipsorum tuguriis parcentes.

Hæc, inquam, omnia, etsi immanis, sævi, truculentique, et longe ab omni pietate et religione animi argumento sint, eorum vero Manichaica instituta non præmonstrarent, nisi rerum agendarum scopus attenderetur. Quid aliud enim Severus et Petrus Iberus secum reputabant in hisce immanibus cædibus patrandis? nisi cruenta dæmonibus, quibus serviebant, sacrificia reddere, quem ritum Manichæos adhibuisse exploratissimum est. Aliis præterea superstitiosis magicisque ritibus Severus et Petrus utebantur, vel *cum suffocatricis manus impositiones ipsorum profani et falsi sacerdotes* (tamquam ethnicorum arioli) *et pro mortuo vivente super ordinandis verba invocationis proferebant, non ex divina gratia, sed de ventre varia dicentes, ac de terra loquentes* (b); vel cum Dei Ecclesias, mystica nostræ fidei sacramenta et mysteria evertere et devastare studebant, nova conventicula et contraria baptismata instituentes, audacter et impudice Christianorum animas *ad pecunias, ad gloriam, ad carnales delicias* subripientes. Nam domos intrantes, captivas ducebant animas hominum et mulierum non firmatas, et non solum pravis dogmatibus *secundum animas, verum etiam et corporaliter ipsas corrumpebant.* Rerum autem harum atque similium relationem jam pridem ad Hormisdam Romanæ et apostolicæ sedis præsulem transmissam fuisse, atque ipsum summum maximumque pontificem depositionis anathematisque sententiam **192** in eosdem hæreticos tulisse, ex pluribus monumentis evinci, laudatus archimandritarum cœtus et monachorum ex monasteriis S. Dalmatii, Hierosolymorum, secundæ Syriæ, montis Sinai et trium Palæstinarum, profitetur; nihil aliud constantissime exposcente venerabili illo ascetarum cœtu, nisi nefarios hosce homines tamquam Manichæos habendos esse atque puniendos.

6. Et quidem sanctum pontificem Hormisdam in eos, veluti Manichaici dogmatis sectatores, animadvertisse, ejusdem epistola ad presbyteros, diaconos, archimandritas secundæ Syriæ, et ad reliquos orthodoxos quocumque Orientali climate degentes, et in apostolicæ sedis communione persistentes, satis perspicue patefacit. Nam Hormisdas ex apostolico Petri throno pronuntiat gliscentes tum per universum Orientem hæreses, aut ex Photini, aut ex Manetis impuris fontibus prodiisse horumque insana dogmata latius propagata fuisse, studio Severi Antiocheni, Xenaiæ Hierapolitæ, Cyri Edesseni, Petri Apameæ, qui, indesinenter nefariis superstitiosisque sordibus involuti, episcopales thronos innumeris criminibus polluerunt. Ne ergo presbyteri, diaconi, archimandritæ secundæ Syriæ, et reliqui Orientales orthodoxi a profanis ritibus deciperentur, summus pontifex ibidem generatim mandat, *quidquid adversus regulas Patrum, ex quibusdam falsis commentariis prolatum, abjicere. Nullus* (ait) *vos incongruentibus præceptis aut novis moveat institutis. Si enim mundani sunt, et Ecclesias tenere non possunt, quia eis magis convenit discere quam docere.* Et tandem ad Manichaicas forte oblationes alludens, subjicit: *Nefas est enim altaribus piis peregrina inferre libamina: quia certos religiosis*

(a) Libellus monachorum ad Constantinopolitanam synodum exstat in V Conc. pag. 1083 et seqq.

(b) Tom. V Concil. p. 1087.

disciplinis terminos Deus inter ipsa quoque cultus sui præscripsit initia (*a*).

7. Præter hujusmodi autem non incertæ fidei monumenta, quæ Severum, Petrum Apameæ, Zoaram, aliosque socios Manichaicorum rituum et dogmatum professores fuisse patefaciunt, alia illius ævi superest clericorum et monachorum Antiochensium ad Joannem Constantinopolitanum episcopum supplicatio, in qua non tantum præcedentia superius descripta facinora recensentur, verum etiam et alia multa, quæ nonnisi Manetis cultoribus convenire possunt. Cujusmodi enim illa sunt quæ ex Judæorum societate Severus sibi mutuaverat. Cum videlicet, Christianorum jugulationibus ubique patratis, sanctorum Syrorum martyrum monachorum carnes *canibus* et *avibus* lacerandas projecit; *cum circa fontes in Daphne facere præsumpsit, et veneficiis ibidem utens, scelestis sacrificiis dæmones colebat;* cum neque sacris altaribus parcens, neque sacris vasis, *alia confregit*, alia conflavit, ad nefarios omnino profanosque usus pecunia, ære argentoque erogatis. Siquidem calices argenteos et aureas columbas in formam *Spiritus sancti super divina lavacra et altaria appensas una cum aliis sibi appropriavit, dicens non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominare* (*b*). In hoc enim maledicti genere unum ex præcipuis Manetis dogmatibus situm fuisse quis inficiabitur? Deum enim posse corporeum assumere formam mordicus inficiabantur. Et propterea nec Verbum veram hominis carnem, nec Spiritum sanctum sub aspectabili corporeaque apparuisse figura docebat. Quare ad evertenda duo hæc Christianæ religionis capita, Christi, Spiritus sancti angelorumque figuras dejiciebant, et undequaque delere conabantur.

Hæc quidem Manichaicæ philosophiæ et theologiæ fuisse principia, nec acatholicus vir Beausobre potuit inficiari. Qui quamvis in Manichæorum describenda historia, nimium suis partibus indulgens, totum studium adhibeat ut catholicis negotium facessat, sanctorum vetustissimorum Ecclesiæ Patrum et scriptorum sententias contemnat, jocum risumque faciat, **193** catholicos jurgiis et maledictis lacessat; et denique, ut principaliora fidei nostræ dogmata refellat, aut perniciosius pravis Lutheranorum, Calvinistarum Socinianorumque commentis pervertere nitatur; octavo tamen libro quæ nos de Severo, Zoara aliisque descripsimus, ille Maneti suisque asseclis adjudicavit. De Severo tamen, Zoara aliisque, qui sexto Ecclesiæ sæculo Manichaicam impietatem sub Acephalorum larva delitescere nitebantur, Beausobre nec unum verbum fecit, cum ejus scribendi ratio et scopus ad solum Manetem primosque ejus socios, horumque profana æque et nefaria instituta, se extendant, posthabitis deinde ab eo iis locis iisque auctoribus quibus hæresis illa grassabatur, et quorum subsidio et industria, temporis decursu, longe lateque propagata fuit. Quare si quis attentius ad illius auctoris scopum animadvertere secum recogitabit, haudquaquam sincerum de Manichæis historicum criticumque opus conscribere sibi proposuisse, sed catholicos dumtaxat insectari, eosque sanctissimos vetustissimosque Patres qui nefandæ huic sectæ sese strenue opposuerunt carpere, de inscitiæ et errorum nota postulare statuisse, dubio procul intelliget, ut jam in præcedentibus indicavimus.

8. Ne vero in recensendis Beausobre malis artibus nostræ historiæ filum ordinemque pervertamus, Orientalium orthodoxorum episcoporum novas contra Severum, Anthimum aliosque Acephalos postulationes subjiciamus (*c*). Ex quibus apprime omnibus innotescet nihil nos in causa de qua modo agimus nostro studio confinxisse, aut solis conjecturis adhæsisse; sed rerum veritatem ex certissimis monumentis et percunctari et haurire voluisse. Orthodoxi itaque quadraginta septem Orientis episcopi, vel per se, vel per suos legatos, Agapeto Romano pontifici Constantinopolim accito, libellum obtulerunt, quo non tantum facinorosa Severi gesta hactenus descripta contestati sunt, sed hunc tamquam Manichaici dogmatis assertorem nefariumque propugnatorem damnandum postularunt. *Supplicamus* (aiunt), *sanctissime..., clamamus: Adjuva nos et sanctas animas* (*a Severo*) *occisas, quas astare cogitate prudenter, et ostendere vobis quod propter Christum traditæ sunt morti a bestia multi capitis, ne rursus ex suo omnibus manifesto mangonio et Manichæo errore, quo confidens iste iniquus ausus est intrare mundas regias aulas.* In quam quidem opinionem, sive judicium, laudati episcopi, non alia ducti ratione descenderunt, nisi quia, spectatis Severi moribus istiusque doctrina, sedulo percunctati sunt cujus sectæ assertorem propugnatoremque eum oporteret nuncupare. Etenim quandoquidem illum eadem cum gentibus sentire, *ejusdem* cum *Eutyche* simulate *opinionis esse*, Nestoriique quandoque mores sectari, cum iisdem innotuisset, merito et cum *veritate*, *et diaboli organum*, *et Manichæum vocitarunt*. Præpostere ergo laudatos Orientis episcopos de Severi dogmatibus seu erroribus judicasse nemo confingat. Potissimum, cum non ex incerto vulgi rumore, sed ex factis rebusque apprime perspectis et cognitis ejusmodi judicium ediderunt.

9. Præterea autem, ex Manichaicæ philosophiæ et theologiæ principiis, veram Christi *Domini ex* Virgine nativitatem, veram ipsius carnem *mortem*que inficiabantur, magicis studiis et *exercitationibus* Severus ipse, Petrus Apameæ, Zoaras et Isaacius Persa sedulo vacabant. In quibus superstitiose Manichæos versari consuevisse, etiam Beausobre variis in locis explicavit. De Zoara enim in laudato legimus libello, hunc divinam Scripturam omnesque sacros ordines et missam ignorasse. Quinimmo summa animi audacia omnes veros *sacrosque ecclesiasticos ritus pessumdedisse per conventicula et parabaptismata*, quæ quotidie ab eo agebantur. *Cujus synagogam* (aiunt laudati Orientis episcopi ad Agapetum) *mulierculæ comessationibus et ebrietatibus, luxibusque et adulterationibus* **194** *deditæ implent.* Quæ quidem mala ut procul ab Ecclesiæ sinu cæteri sanctissimi Orientis episcopi repellerent, omnes nisus adhibuerunt, intrepide etiam coram imperatore se sistentes, hunceque enixe rogantes ne permitteret aggregari *bestias sanguinis edaces cum agnis;* alias paulatim, tota in Oriente polluta et labefactata Christi religione, jam pudor, justitia, sanctitas verusque Dei cultus ad exitium perducerentur.

10. Isaacium autem Persam, qui in Orientem venerat, cæterisque nefariis illis viris comitem se adjunxerat, adhuc graviora perpetrasse facinora exploratum est. Nam orthodoxi illi episcopi de hoc homine verba ad Agapetum facturi, nec lacrymas vel ejulatum cohibere poterant, nec sermone explicare valuerunt quæ suis iniquis manibus facere non exhorruit. Unum dumtaxat de eo facinus narrant, quod maxime exsecrari testantur. Illud videlicet, quod in quoddam se recipiens diversorium, in quo piissimi Justiniani orthodoxi imperatoris imagine reposita, *prædictus scelestus et arrogans vir, tamquam certans ut secundum noviorem modum dicendi blasphemaverit Deum.* Peculiare igitur aliquod blasphemiæ genus hunc Persam in Deum excogitasse et dixisse præcedentia verba jam perspicue indicant. Quale autem ejusmodi fuerit, neque ex hoc, neque ex quocumque alio monumento nobis innotescere potuit; potissimum cum Patres illi incœptam narrationem prosecuti, statim

(*a*) Hormisdæ papæ epistola ad monachos secundæ Syriæ, tom. V Concil.

(*b*) Vide quæ de hoc Manetis dogmate scripsimus contra Beausobre lib. I, cap. 9. Consule Archelai Acta, apud Zacagnium, p. 90 et seqq.

(*c*) Libellus orthodoxorum episcoporum Orientalium oblatus Agapeto, tom. V Concil. pag. 999 et seqq.

subdant : *Extendens baculum, in quo inhonoratam senectutem suam firmare fingit, implensque simulatum stellionatum in conspectum eorum qui ab ipso seducti sunt, percutiebat sine venia similitudinem Christo amantissimi imperatoris, hæreticum denominando sic Deo unitum, et ab ipso custoditum, et veritatem prædicationis custodientem.* In quo furore Isaacium perstitisse asseverant, *donec divisit tunicam habentem nobilem effigiem, et partem pro se tenuit, quam et igni tradidit; sed totum exterminare non potuit.* Simul autem cum imperatoris imagine figuram Christum Dominum repræsentantem expressam fuisse arbitramur. Etenim in subsequenti sermonis parte subjiciunt : *Nam conservatum fuit a Numinis meliori providentia, in redargutionem manifestam et notam homicidialis temeritatis* (*a*).

11. Hæc autem quæ nos de Isaacio Persa et cæteris hactenus vel exscripsimus, vel explicavimus, manichaicos prodere mores, instituta et nefariam religionem, extra omnem dubitationis aleam positum esse arbitramur. Atque potissimum in eam rapimur persuasionem, quod Manichæorum secta, *templum, altaria, sacrificium, imagines*, aliaque mysteria ad Christi veram humanam naturam pertinentia, illamque repræsentantia, dejiciebant, evertebant et ab iis abhorrebant; ut in quibusdam deinde synagogis, seu diversoriis, cum pravis eorum mulieribus dumtaxat nocturnis horis congregarentur, ad profanas quasdam oblationes Deo offerendas. Luculentius tamen de horum institutis Beausobre disseruit (*b*); sed eo animo ut contendere auderet quædam ex iis institutis primigeniæ Christianorum religioni, ritibus, disciplinæ et dogmatibus consentanea omnino fuisse, quasi vero Manichæi in omnibus apostolicis viris se conformari studuerint. Quid? Trium priorum sæculorum Patres eadem cum Manichæis sensisse contendit. Videlicet dumtaxat *puram precum oblationem* a Christianis Deo fieri oportere docuisse, et ad Tertullianum nimirum, Clementem Alexandrinum provocare non veretur, subjiciens non templa, non altaria, non imagines primos Christi cultores admisisse (*c*) a quibus abhorrebant, ne gentilium religionem sectari viderentur. At nugari, planeque in his Beausobre comminisci, jam ex iisdem Patribus ad quos provocare intendit, exploratum est. Nam Tertullianus **195** imprimis, quamvis libro ad Scapulam, quem Beausobre laudat, de oblationibus Deo factis disserens, *puras cordis preces* in lata significatione sacrificia appellet, plerisque tamen in locis missæ *sacrificium*, Ecclesiæ *sacerdotium*, *altaria templaque* Christianorum recensuit, ut in libro potissimum de Castitatis Exhortatione, vel in libris de Monogamia, Carnis Resurrectione, et alibi passim; quibus in locis, non tantum sacerdotum dignitatem, sed ritus quibus altaris ministri consecrantur, laudat atque describit. Parem quoque Beausobre fingit fallaciam, callidumque gerit ingenium ad Clementem Alexandrinum, libro I Strom. cap. 7, provocando. Is enim etsi *purarum precum* oblationem laudet, nusquam tamen, aut incruentum corporis et sanguinis Christi sacrificium, aut Christianorum templa, vel altaria negavit; ut pluribus momentis ex hujus operibus excerptis explicare possemus, si noster scribendi scopus id non præpediret. His igitur aliisque similibus Beausobre fallaciis annotatis, quæ demum de Anthimo speciatim dicenda occurrunt paucis enarrabimus.

12. Is ergo primum una cum reliquis sociis in Constantinopolitanam irruens urbem, *altaria profana, baptisteria aliena in oppositum veri altaris et sancti fontis, in multis claris locis ipsius civitatis, et in suburbiis, et in propria domo, fixit, iniqua in ipsis facere non cessans.* Communi itaque Severi, Petri Iberi, A Zoaræ, Isaaci Persæ studio isthæc Anthimum Constantinopolim fecisse, Marianus monachus, cum archimandritis monasterii Sancti Dalmatii et cæteris monachis et archimandritis monasteriorum regiæ urbis Constantinopolim, Hierosolymorum, montis Sinai ac secundæ Syriæ, in suo libello supplici ad Justinianum Augustum dato, contestatus est, istud speciatim de Anthimo subjiciens, eum videlicet *propriam* Trapezuntinam Ecclesiam in qua episcopus fuerat ordinatus, contra divinas ecclesiasticasque leges ex multo tempore deseruisse, et sub ficta continentiæ larva cum hæreticis conventicula fecisse, ut nimirum horum præsidio sedem Constantinopolitanam *contra omnes ecclesiasticos canones et leges subriperet.*

Hanc violentam et iniquam Anthimi ad Constantinopolitanum thronum promotionem cuncti orthodoxi viri exhorruerunt, cum quia legitima catholicæ Ecclesiæ sacramenta pessumdabantur, tum quia summas pati molestias cogebantur. Quid vero imperator in B tanto ecclesiasticarum rerum discrimine decreverit attendamus. Non enim, auditis omnibus Anthimi criminibus, in hunc animadvertere voluit. Sed princeps sapientissimus, ecclesiasticis juribus et sacerdotum immunitati optime consulens, canonicum judicium a Romano pontifice cum in Anthimum tum in socios fieri exoravit; iis ductus persuasionibus, quod ecclesiasticis rebus se immisceri non oporteret. Ab universali igitur Ecclesiæ pastore sententiam fore exspectandam utriusque Testamenti præceptis persuasus et edoctus, eo videlicet, *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; seniores tuos, et dicent tibi*; vel alio, *Obedite ducibus vestris, et subditi estote; ipsi enim vigilant pro animabus vestris tamquam rationem reddituris* (*d*). Perpetrata ab Anthimo et sociis facinora (sicut jam pridem laudati libelli auctores cum Palæstinis episcopis et aliorum Orientalium præsulum oratoribus postulaverant) ut ab Agapeto papa recognoscerentur judicarenturque, sacra etiam imperiali C lege sancitum voluit.

13. Nec ab alio quidem quam ab ipso Romano pontifice Agapeto Anthimus condemnatus et omni sacerdotali honore fuit privatus. Cum videlicet sanctus pontifex, Constantinopolim profectus, facinorum impietate perspecta et omni ex parte probata, Anthimum ex ea sede dejecit, et tamquam hæreticum habendum esse declaravit, *omni dignitate* **196**, *sacro officio nudavit, orthodoxi et episcopi* nomine, quo Anthimus maxime gloriabatur, e sacrorum ministrorum Albo prorsus deleto. Quam quidem apostolicæ sedis sententiam, ut, omni contradictore et offendiculo sublato, ad felicem exitum perduceretur, Agapetus ipse ad Justinianum Augustum, tamquam sacrorum canonum vindicem, exsequendam commisit, ut laudati hujus libelli auctores enixius deprecati sunt, dicentes : *Obtestamur itaque vestrum imperium, non contemnere justum judicium prædicti sancti viri, sed ipsum exsequi, et Ecclesiam Dei, et totum mundum liberare a peste Anthimi et prædictorum hæreticorum. Nam* D *sancto viro Agapeto ex præsenti vita evocato, post Deum ad vestram pietatem respicientes, hæc finem a vobis accipere exspectavimus.* Quas vero partes in hæreticorum perniciem laudatus et piissimus sæculi princeps assumere debuisset, statim explicant iis verbis : *Implentes* itaque *quæ ab illo juste et canonice judicata fuere, et per vestram generalem sanctionem ipsa confirmando, taliaque de cætero præsumi interdicendo, illius beatam animam coletis.*

14. Hoc in genere Manichaicorum morum et rituum versatos fuisse Acephalorum principes, jam laudata ex sinceris fontibus monumenta dilucide patefaciunt. Verum cum in pervolvendis Constantinopolitani Mennæ concilii Actis alia occurrant nobis,

(*a*) Vide quæ diximus cap. 12 hujus libri.
(*b*) Beausobre, lib. IX, cap. 6.
(*c*) Beausobre, ibid., § 3.

(*d*) Deuteronom. XXXII, et Apost. ad Hebræos XIII, 17.

quæ non tantum præsentem dirimunt quæstionem, sed etiam Beausobre nugas in præcedentibus annotatas plenius rejiciunt; idcirco ea subjicere noster scribendi scopus suadet, ne nobis defuisse videremur. Hæc autem ad Petrum Iberum Apameæ episcopum potissimum pertinent, de quo in superioribus varia annotavimus, quemque omnium Manichaicorum dogmatum, rituum, cultorem assertoremque fuisse, totamque Ecclesiarum Syriæ sacram divinamque disciplinam et œconomiam susquedeque vertisse, ex communi testimonio cleri sanctæ Ecclesiæ Apamiarum metropoli innotescit (*a*). Neque vero nostra agendi ratio sinit ut singula recenseamus quæ laudatus Apameæ clerus in epistola ad *sanctissimos Patres et episcopos secundæ Syriæ* de tam nefario homine descripsit; vel modo indicare quemadmodum, qua arte, studio, quibusve præsidiis Apameæ thronum Petrus obtinuerit; non verba facere de callidis machinationibus quas adhibuit ad orthodoxorum Orientis episcoporum memorias e sacris diptychis penitus auferendas, vel de direptionibus quibus sacra vasa, Ecclesiarum pecunias, et supellectiles in profanum transtulit usum; vel de violentis ordinationibus quas frequentius adhibebat ut humiles et sibi infensos clericos, prædictarum rerum custodes, licet omnino repugnantes, a suis legitimis gradibus amoveret, eos ad altiora ministeria promovendo, sacrilego ore audacius contendens nec Jesum Christum crucifixum descendere posse ad eos e suis manibus eripiendos. Hæc, inquam, et id genus alia, silentio premere duximus, cum facile a quopiam in conciliorum Actis lustrari possint. Sed ea dumtaxat subjiciemus quæ apertos Manichaicos indicant mores. Cujusmodi profecto illa videntur quibus sacrum baptisma labefactabat, cum videlicet *impudicitiam muliebrem non dignam sancti fontis introduxit, et stare fecit juxta sacrum fontem. Et cum divina mysteria* (ait laudatus clerus) *in oratorio domus Dei Genitricis finiuntur, qualem sermonem indigne faciat quæ auris Christianorum tantam impietatem dictam et factam sustinuerit* (*b*). Hæc omnia autem ex Manichæorum schola prodiisse, auctor est Photius. Qui de horum cœtibus et conventibus verba faciens, ait eos appellare consuevisse loca in quibus conveniebant *proseuchas, seu oratoria*; addens : *Immo etiam si salutare baptismum respuunt, se tamen ipsum admittere simulant, Evangelii verba baptismatis voce subindicantes. Etenim*, inquiunt, **197** *Dominus dixit : Ego sum aqua vivens*? Et paulo infra explicare volens quemadmodum quandoque nonnulli eorum infirmitatibus corporalibus laborantes baptismate lavari peterent atque rogarent, *futiliter* (ait) *putantes crucem et baptisma corpori prodesse, homines sane omni commodo et opitulatione indigni; sed eorum vim et operationem, nec ad animæ mundationem, nec ad aliam quamque utilitatem pertinere arbitrantur* (*c*). Cum itaque ex illius synodi Actis certo habeamus, Severum, Anthimum, Zoaram, cæterosque sub Acephalorum nomine delitescentes, hujusmodi pravis moribus et institutis dedisse operam; eosque omnia sacra mysteria profanis ritibus et sacrilegiis labefactasse; sacris imaginibus crucisque signaculo bellum indixisse, confregisse pedibusque calcasse; quis negare poterit eos fuisse Manichæos? Et quidem tamquam Manichæos, tum ab Hormisda pontifice, tum ab alia Constantinopolitana synodo sub Menna fuisse damnatos, istius epistolis et Actis exploratum est, quæ facile a studiosis viris poterunt lustrari (*d*).

15. Absoluta itaque priori hac nostrarum Exercitationum parte ad Manichæorum historiam pertinente, aliqua referre nobis opus esset de Paulicianorum, Bogomilitarum, Waldensium et aliorum hæreticorum sectis, quæ Manetis doctrinam imbiberunt, istiusque instituta et mores prosecutæ sunt. Verumtamen, cum de hisce sectis, quæ ex tantæ improbitatis schola prodierunt, et Petrus Siculus, et Photius, et Christophorus Wolfius, ordinata quadam methodo jam verba fecissent, potius Priscillianistarum, Pelagianorum, Eutychianorumque hæreses a M. pontifice Leone oppugnatas atque rejectas describere deliberavimus, præsertim cum nos jam tædeat fusiori calamo duos præcedentes libros conscripsisse, perspicue intelligentes præcedenti nostra disserendi ratione in quasdam excurrisse et quasi vagatos esse quæstiones quæ ad operis intentum atque titulum pertinere minime iis videbuntur qui de nobis minus clementer favorabiliterque judicare consueverunt. Sed quis ignorat summos in litteraria quandoque re exercitatos viros, vix calamum continere potuisse, cum illis negotium agendum inopinato contigit cum quibusdam hominibus nova semper systemata excogitantibus, qui vel religionem sacram, vel regiminis ecclesiastici formam apostolicamque disciplinam susquedeque vertere conati sunt, ut ista dejicerent vel abolerent! Paucis enim ab horum objectis, cavillis atque argumentorum fallaciis se expedire difficile fuit. Præsertim cum aliquando inciderunt in quasdam quæstiones ab acatholicis et schismaticis excitatas, ad quas dissolvendas sufficere non poterant unius vel alterius S. Patris testimonia. Non mirum ergo si *quandoque*, S. pontificis agendi rationem explicare *volentes*, necessarium duximus ad rerum originem et institutionem provocare, vel in medium proferre præcedentem Ecclesiæ praxim et consuetudinem, ut perspicue ostenderemus S. Leonem Magnum, nec debitos a juribus constitutos terminos, in ecclesiasticis rebus administrandis, fuisse prætergressum; non laborasse studio dignitatis suæ amplificandæ, episcoporum aliarum Ecclesiarum prærogativas parvi pendendo aut abolendo; non denique, aut ambitu, aut nimia severitate adductum fuisse ad apostolicæ sedis et Christianæ religionis hostes coercendos. Ab hujusmodi autem notis eum purgare hactenus contra Beausobre, Quesnellum aliosque nisi sumus. Hoc ipsum præterea præstare in sequentibus Exercitationibus in votis habemus.

Quia tandem ad Manichaicam historiam judicantur tria illa pertinere theologica puncta quæ, præteritis annis, in publica conciliorum pontificia **198** Academia sanctissimi domini nostri Benedicti XIV discutienda data sunt, idcirco hujusmodi a nobis habitam Exercitationem, tamquam præcedentium appendicem, clarissimis consulentibus viris et præsertim illustrissimo ac reverendissimo domino Nicolao Antonelli, sacri Consistorii et præfatæ Academiæ a secretis, huic operi inserere deliberavimus. Inde sperantes hunc nostrum etiam qualemcumque laborem, lectoribus minime ingratum futurum, cum ecclesiasticas Gangrensis concilii regulas contra Manichaica dogmata editas exhibeat, quarum regularum seu canonum summam, scopum atque rationem, jam præstantissimi doctissimique viri anno Domini 1743 in pontificia aula explicarunt, eruditissimisque (ut diximus) observationibus adornarunt (*e*).

(*a*) Epist. Cleri Apameæ ad episcopos secundæ Syriæ, tom. V Concil.

(*b*) Tom. V Concil. pag. 1194 Venetæ edit.

(*c*) Photius, lib. I contra Manichæos cap. 9, apud Christophorum Wolfium, pag. 29 et 30. Consule etiam Petri Siculi Historiam. Similia de Bogomilis, recentiore Manichaismi surculo, idem Wolfius scripsit, de his agens in sua Historia, pag. 105 et seqq.

(*d*) Tom. V Conciliorum general. pag. 558 et 962.

(*e*) Videsis quæ jam diximus cap. 2 hujus lib., pag. 113.

APPENDIX AD MANICHÆORUM HISTORIAM.

THEOLOGICA DISSERTATIO

DE CANONIBUS XIII ET XVII CONCILII GANGRENSIS

Habita in Quirinali pontificio palatio nono kal. Maii anno 1743.

199 Arduam sane quæstionem aggredi jubeor, a nullo theologorum hactenus (quod sciam) ex omni parte agitatam. Eam videlicet, an ex verbis illis Apostoli primæ ad Corinth. cap. XI, 15: *Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt*, vetitum sit feminis comam tondere, juxta Gangrenses canones 13 et 17; tum, an eisdem non liceat umquam virilem vestem sumere, quin in Deuteronomio, cap. XXII, 5, legitur: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea, abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc;* tertio tandem, an saltem pietatis causa liceat feminis comam tondere, vestem virilem, præsertim monasticam, sumere et se virum simulare. Tria, inquam, hæc hodierna luce, non scholastica methodo, sed academico more persequenda mihi tradita sunt, in quibus exponendis Socratis consuetudinem mihi imitandam proposui. Is itaque docuit in ejusmodi nondum satis definitis concertationibus nullum prorsus judicium ab oratoribus esse interponendum, sed debere dumtaxat ea proponere et probare quæ verisimillima videntur, conferre causas, et quidquid in quamque partem dici potest exprimere, nulla adhibita auctoritate, judicium audientium relinquere integrum atque liberum (*a*). Hujusmodi igitur vestigiis insistendo, facile eorum invidiam declinabo qui contraria semper opinantur, et vos, sapientissimi viri, eritis mihi testes et vindices eorum quæ pro explicandis tribus theologiæ punctis jam dicere exordior.

Haudquaquam dubium esse potest quin mulieris nomine omnem femineum sexum omnesque ejus gradus Apostolus intellexerit. Quod quidem tum ipse totius Paulini canonis contextus imprimis probat, tum vero variis argumentis ex Scripturarum textibus depromptis Tertullianus demonstrat; gravi censura præterea in eos invehens qui minus prudenter sibi persuasum voluere Paulum dumtaxat de nuptis mulieribus esse locutum, quique temerario quodam ausu contendebant innuptis mulieribus vel tonso capite, vel cincinnata coma, nullo prorsus assumpto velamine, tam sacris quam in civilibus conventibus prodire esse licitum, prætextu quandoque falsæ virginitatis magnifice jactandæ ac ostentandæ. Horum itaque opinionem tamquam erroneam et sacris litteris repugnantem, idem Tertullianus lib. de Velandis Virginibus refellit, ostendens propterea Spiritum sanctum *unico mulieris nomine* nuptas et innuptas, virgines et omnes muliebris sexus gradus indicare voluisse, *utpote quod generale sit vocabulum, uti et feminæ.*

Ejusmodi igitur primum rejecto errore, adhuc alius non absimilis est eripiendus, in quem lapsum esse Ludovicum Capellum, non obscure ipsius de Oratione tractatus declarat. Vir itaque acatholicus, Mayemonidis Mysnæ 200 commentaria secutus, variis in locis asseverat Apostoli canonem de quo agimus esse accommodandum ad consuetudinem loci in quo sumus. Ait propterea eo habitu esse in ecclesiis precandum quo solent homines reverentiam suam et cultum testari erga magnates et principes hujus sæculi. Et post aliqua, de aliis atque aliis cum gentilium et Mahumedanorum, tum Judæorum et Christianorum ritibus loquens, addit Apostolum respexisse in hoc canone ad civilem qui tunc temporis inter Græcos et Romanos, quibus scribebat, vulgo obtinebat morem, quo omnes ingenui in publicum communiter nudo et aperto capite prodibant. *Cum itaque* (concludit) *civilis consuetudo non semper una sit et eadem ubique et omni tempore, sed plurimum variet pro temporum, locorum et gentium varietate*, ea etiam quæ ad εὐταξίαν ecclesiasticam pertinent non possunt et ubique esse eadem. Non absimili persuasione ratus de muliebri velamine et capillitio ratiocinatur, contendens Paulum apostolum ad civilem dumtaxat morem et consuetudinem respexisse, ac propterea *jussisse feminas* (utor ejus verbis) *in ecclesia sacris concionibus non interesse, nisi faciem reliquumque caput velatas.*

At Ludovico Capello, Rhenano, Munstero (*b*) cæterisque pseudo-reformatæ doctrinæ propugnatoribus, Apostolus ipse refragatur. Qui cum laudato capite Epistolæ ad Corinthios per Scripturas et naturæ rationem satis dixisse videretur, ut mulieribus velaminis necessitatem suaderet, animadvertens tamen eos inter fore quosdam qui illiusmodi testimoniis et rationibus repugnarent, non aliud potius argumentum ad causam evincendam proposuit quam sacrum Ecclesiæ morem. Propterea dixit: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* (*c*). Non igitur Apostolus, ut adversarios perstringat, ad locorum consuetudines vel ad civilem morem voluit provocare, sed ad sacram tum veteris tum novi Testamenti traditionem; quasi innuere vellet (ait doctissimus Melchior Canus) (*d*): *Si quis adeo est durus et pertinax ut argumentis positis non adducatur, sed adhuc contendat, feminam aperto capite orare oportere, hunc ego non aliter refello, quam quod Ecclesiæ Dei talem consuetudinem non habent. Tanta vis in traditione est, ut quos nec Scripturæ, nec naturæ ratio movisset, eos Paulus existimavit Ecclesiarum more et instituto refellendos.*

Et quidem quod attinet ad Judæorum Ecclesiam, nefas est dubitare eam alium ritum præter hunc fuisse prosecutam. Luculentissimum ea de re exstat Tertulliani testimonium, libro de Corona Militis (*e*), quo docemur nusquam Judæorum feminis licuisse, capitis velamen seu subjectionis signum abjicere. *Apud Judæos* (ait) *tam solemne est feminis eorum velamen capitis, ut inde noscantur.* Hocce institutum Rebeccæ exemplo confirmat, *quæ procul conspecto sponso velamen assumpsit.* Causam inquirit ac subdit: *Privatus pudor legem facere non potuit.* Ac demum concludit: præceptum illud velaminis assumendi ex sacra traditione apud Judæos derivasse, *habiturum quandoque Apostoli auctoritatem ex interpretatione rationis.*

Non itaque apposite ratiocinatur Ludovicus Capellus cum laudato loco ait apostoli Pauli tempore hoc unum fuisse receptum, et in more positum, ut castæ et pudicæ mulieres, præsertim nubiles, vix umquam in publicum nisi velata facie prodirent; tum ad Judæorum gentem sermonem convertens, subdit:

(*a*) Cicero, Tusculan. Quæst. lib. V.
(*b*) In Synopsi criticorum sacrorum.
(*c*) Epist. prima ad Corinthios cap. XI, 16.
(*d*) Melchior Canus, lib. V, p. 6.
(*e*) Tertullianus, lib. de Corona Militis cap. 4.

Nescio an forte judaica excipi debeat. Hæc porro, Tertulliano auctore, excipi non poterat, cum Judæorum Ecclesia nequaquam civili consuetudine innixa (quemadmodum barbaræ nationes), sed **201** Spiritus sancti traditione edocta semper *prosecuta sit quidquid foret patrocinaturum pudori et verecundiæ feminei sexus.*

His ergo positis fundamentis atque rejectis acatholicorum opinionibus, haud difficile erit priorem quæstionem resolvere, si dicamus eo Apostoli canone numquam vetitum fuisse feminis comam tondere, sed dumtaxat capitis velamen abjicere. Nec id nos aut recenti opinione confingimus, aut sine Scripturarum auctoritate asserimus. Etenim præclarum imprimis est illud ex quo Apostolus hunc canonem orsus est, cum tam viros quam mulieres doctas voluit quo habitu quove ritu in ecclesiis esset orandum (*a*). *Volo autem vos scire* (ait ille Corinthios alloquens) *quod omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput vero Christi Deus.* Quid autem mystice illud capitis nomen significet, idem Apostolus sibi concinens explicat cap. v Epistolæ ad Ephesios de mulieribus ita scribens (*b*): *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Non ergo pro illius vocabuli significatione nobis laborandum est. Innuit quippe *regimen, potestatem* atque *dominium*, quod superiores erga sibi subditos exercere habent.

Apostolus præterea viris ac mulieribus exteriora subjectionis signa præscribere pergit ne saltem inter orandum horum capita probro afficiantur. Non unum tamen idemque utrisque commune esse voluit: sed diversa, et ea potissimum quæ singulorum sexui maxime consentanea essent, eorumque honestati magis responderent. Idcirco subsequentibus versibus statim subjecit: *Omnis vir orans atque prophetans velato capite deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput suum.* Voluit ergo Paulus eo canone sacro precantium ritui consulere, ne Christiani viri et mulieres orantes, prætergressis quandoque reverentiæ, pudoris et verecundiæ legibus, aliquid probri dedecorisve committerent.

Sed perspecto jam ejusmodi Apostoli scribendi scopo, minime inferendum est in subsequentibus prohibitum voluisse feminis comam tondere. Nec enim laudato capite, aut aliis in locis, ejus verba præcepti vim habere videntur, cum dumtaxat mulieres laudibus ornet si comam nutriant, quia promissi capilli femineum decent sexum. Nec incongrue quidem hac de causa mulieres laudantur. Capilli enim naturæ sunt opus, quos prolixiores ipsa natura feminis dare consuevit ad capitis tegumentum contra nuditatem, vel in ornamentum contra rudem impolitumque exterioris conversationis apparatum, vel denique in munimen contra quoscumque hiemis vel alterius adversæ tempestatis rigores. Quibus forte rationibus adductus Apostolus, v, 15, merito scripsit: *Mulier vero si comam nutriat gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Quasi innueret (notat Erasmus) (*c*) *mulieribus datos esse prolixiores capillos quia velamine indigent.* Quam porro veritatem veteres scriptores apud Stobeum cum animadverterent, muliebre capillitium *tegumentum ab ipsa natura subministratum* appellarunt (*d*). Et Clemens Alexandrinus, de mulieris opificio scribens, dixit: *Deus feminam fecit nativa coma, ut equus juba, gloriantem.*

Sed Apostoli loquendi modus et ipsa, quibus utitur vocabula miro assertui nostro robur adjiciunt. Nam Paulus imprimis non proprie, sed improprie dumtaxat capillos velamen appellat, scribens: *Quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Etenim si ca- A pilli cum vera proprietate dicerentur velamen, mulieres quæ jamjam a paucis annis comam nutriebant non alio in ecclesiis publicisque conventibus velamine indiguissent, prorsusque **202** ipsis licuisset aperto capite in publicum prodire. A qua consuetudine hactenus non tantum Christianorum pietas et religio abhorruit, sed etiam cujusque barbaræ et acatholicæ gentis decor atque modestia. Rursus si capilli *proprie* dicerentur velamen, nec viri qui comam nutriunt, nec illi qui calvitio utuntur, umquam in publicum aut in ecclesiis retecto capite starent. Idcirco ad observandum Apostoli mandatum (quod supponitur), viri omnes cujusque conditionis et gradus, monachorum ritu tonsis crinibus incedere deberent, quod quam ineptum, quamve sit falsum neminem arbitror latere. Cum igitur istuc Apostoli dictum: *Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput suum*, minime de naturali comæ velamine intelligi debeat, sed de assumptitiis capitis indumentis, *pileis* videlicet, B *galeris, mithris*, et id genus aliis; jam inde ex opposito inferre oportet Apostolum mulieres jussisse artefacta velamina in ecclesiis deferre, ut facilius pudori, verecundiæ atque honestati perpetuo consulerent. Contra denique, si capilli *proprie* velamen essent, jam mulieribus liceret sparsis et intonsis comis mænadum instar, nullo super injecto velamine, in publicum exire: quem agendi morem veluti turpem et insanum, ab impia gentilium vivendi ratione derivatum, catholica Ecclesia semper damnavit.

Sed jam Apostoli verba, quibus utitur, adhuc clarius rem nostram patefaciunt. Siquidem *laudatas* voces non usurpat pro velaminis *vice aut loco*, vel ad indicandam rei originem; sed eas assumit ad finem dumtaxat innuendum, ut ex Græcis colligitur exemplaribus quæ præferunt ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται αὐτῇ, ex quibus interpretes merito, Chrysost., nempe, Theophilactus et cæteri asseruere (*e*) Apostolum ex naturali velamine necessitatem inferre C voluisse alterius velaminis, voluntarii nimirum, et assumptitii. Ut videlicet mulieres discerent studio et arte ea tegenda esse, quæ natura tegere voluit, atque eo assumpto velamine in memoriam revocarent primam muliebris conditionis rationem, propter quam Evæ omnibusque feminis, Gen. III, 16, dictum fuit: Et sub *viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Quæ sane verba non ad solam *dilectionis* subjectionem, sed ad earum conditionem referenda esse, inter cæteros PP. unus docuit (*f*) Augustinus lib. XI de Genesi ad Lit., quatenus vir etiam mulieri nolenti debeat dominari, *ut nisi hoc dominium servetur depravabitur amplius natura et augebitur culpa.*

Non ergo miremur si idem Apostolus velamen muliebre ad subjectionem tamquam ad verum referens finem, illud deinde, v, 10 ejusdem cap., *potestatem* appellat, dicens: *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput.* Quatenus videlicet muliebre velamen signum sit *potestatis et subjectionis indicium*, ut D forte clarius ex Græcorum codicibus colligitur, qui exhibent ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, quibus et Hebræorum, et Chaldæorum voces *rada et radat* apprime respondent, quæque de *obedientiæ velo* interpretari solent.

Vix ergo ambigere possumus quin velamen ibidem ab Apostolo tamquam reverentiæ, pudoris et pudicitiæ insigne præscriptum, omnibus mulieribus commune esse deberet. Ut propterea nuptæ eo utentes *virorum gloria sint, et virgines sibi.* Contra vero si assumptitium velamen rejicerent, *et proprio, et Christianæ professionis decori mentirentur.* Quod si vero curiosius inquireremus qualem formam, quantamque extensionem velamen illud habere debeat, id ex

(*a*) Epist. ad Corinth. cap. XI, 3.
(*b*) Epist. ad Ephesios cap. v.
(*c*) In notis ad hanc Epist., tom. VII.
(*d*) Lib. II Stromat.

(*e*) Chrysostomus, Theophylactus et cæteri PP. in I ad Corinth. cap. XI, 15 et seqq.
(*f*) August. lib. II de Genes. ad Lit.

Tertulliano audiamus. *Quantum* (ait) *resoluti crines occupare possunt tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipsæ enim* (cervices nimirum) *qua subjectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet. Velamen jugum* **203** *illarum est* (*a*). Cum igitur ista sit assumptitii velaminis lex, hic finis, hic modus, minime censendum est Christianorum feminas ab his omnibus abhorrere, etiamsi sibi capillos tondeant; dummodo tamen in coma tondenda, vanitati, luxuriæ et immodesto ornatui potius quam Christianæ moderationi et humilitati non pareant, vel aliquod pravum religioni et fidei repugnans sibi assequendum non statuant; quemadmodum feminæ illæ de quibus in Gangrensibus canonibus actum est. Nos interim laudatos canones in priori hujus anni dissertatione ab uno cl. et doctissimo hujus nostræ Academiæ theologo ad examen jam revocatos non subjicimus. Præsertim cum id temporis ratio et nostri propositi institutum non patiantur (*b*).

Nunc vero duo alia argumentorum genera proferam, quibus aperte, ac ipsa luce clarius constabit, nulla lege, sive divina, sive ecclesiastica, aut humana, feminis comam tondere fuisse vetitum. Primum ex verbis Deuteronomii desumi potest. Ibi quippe Deus Israelis filiis captivam mulierem in matrimonium ducere cupientibus præcepit ne sponsalia aut nuptias celebrarent, nisi prius captivæ desponsandæ coma tonderetur, totaque illius cæsaries abraderetur. *Si egressus fueris... et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, volueris que habere uxorem, introduces eam in domum tuam, quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues* (*c*). En igitur Domini mandatum de tondenda, immo et de abradenda tota muliebri coma. Cujus divini præcepti causas si nos sedulo animadvertamus, singulasque persequamur, plures quidem fuisse affirmabimus. Id sane plenissimeque norunt qui veterum philosophorum scripta lustrarunt. Ex quibus docemur servilis conditionis et captivitatis indicium capillorum tonsionem quandoque fuisse, ut ex variis Scripturarum textibus etiam colligimus. Quem ritum gentiles servasse, probat Aristophanes, qui admiratione quasi captus cuidam servo comam nutrienti olim dixit: *Servus cum sis comam nutris?* Capillorum item tonsio multorum sive graviorum criminum pœna fuit, scribente etiam Apostolo, v. 6 laudati cap.: *Si non velatur mulier, tondeatur*, quasi ut in pœnam violatæ legis de gestando velamine mulier ipsa tonderi debeat et decalvari. Sed et alia crimina eamdem decalvationis pœnam subiisse, non tantum ex variis Scripturarum locis, sed ex civilibus legibus apud Ulpianum, Justinianum, Tacitum colligimus. Ad quem ritum Juvenalem alludere voluisse arbitror satira 5, qui scripsit (*d*):

....Pulsandum vertice raso
Præbebit quandoque caput, nec dura timebit
Flagra pati.

Tertia vero illius divini præcepti ratio esse potuit naturalis pulchritudinis deturpatio. De hac pariter Apostolus eodem capitis versu locutus est. *Si autem turpe est mulieri tondere, aut decalvari, velet caput suum*. Sed de hac muliebri turpitudine imprimis disertius SS. Patres disseruerunt. Quos inter Hieronymus, Ambrosius, Augustinus (*e*), quorum testimoniis Baronius in Martyrologio insistit, ad diem 20 Septembris, sanctæ Faustæ virginis martyrium describens. Eam quoque turpitudinem profani scriptores exaggerant, ut videre est apud Apuleium, Statium, Virgilium, aliosque, quibus subscribens Ovidius ita cecinit:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

Has præcedentes rationes quarta excipit, quæ ex pœnitentia luctu, atque **204** mœrore desumpta est. Notissimum quippe omnibus esse debet, consuevisse Judæos atque gentiles in luctu maximisque funeribus sibi comas tondere. Præter illud enim quod Jeremiæ VII legimus: *Tonde capillum, et projice, et sume directum planctum*, id nobis testatum est ex Jobi (*f*) et Micheæ verbis. De eodem ritu pariter disseruerunt Herodotus, Statius, Virgilius, Seneca, quorum testimonia in medium adducere cum opus non sit, scriptores laudasse sufficiat.

Ultimam tandem rationem nobis ex veteribus Clemens Alexandrinus suppeditat, qui asseruit Deum, in Deuteronomii loco superius laudato, mulierem captivam matrimonio ducendam tonderi jussisse, ad coercendam minuendamque viri conjugis libidinem, quia videlicet uxoris capite deturpato, concupiscentiæ carnalis ardor facilius defervescit. Propterea subjecit: *Si enim ei manet ratio* (loquitur de Judæo captivam ducente) *ut eam uxorem ducat, eam retinebit, etiamsi turpis evaserit* (*g*). Quod autem mulier capillorum tonsione se minus aptam efficiat ad carnis illecebras excitandas, ex eo constat quod capillos videlicet in ea corporis parte natura collocaverit quæ apertius ostenditur, quæque a mulieribus diligentius componitur. Idcirco eo naturali ornamento abscisso, quo magis magisque placere ac nitescere student, jam humilitati, pœnitentiæ, castitati cæterisque virtutibus operam dare assuescunt, dummodo tamen artefactum velamen non abjiciant. Sed hisce de causis mulieres gratas esse Deo, nec divinum aliquod, aut apostolicum violare præceptum, nostra hac rudi oratione hactenus demonstravimus. Superest modo alterum argumenti genus, quo dubio procul probabimus mulieres adhuc Deo gratiores fuisse quando religionis severiorisque disciplinæ causa comam sibi tondent.

Sat celebre imprimis est illud Domini vetustum mandatum, quo, Moysen in libro Numerorum alloquens, dixit: *Loquere ad filios Israel: Vir sive mulier cum fecerint votum, ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare.... omni tempore separationis suæ, novacula non transibit caput suum usque ad completum diem quo Domino consecratur* (*h*). Ex quibus verbis perspicue constat totius sanctificationis complementum, tam pro viris quam pro mulieribus, qui ad tempus dumtaxat Nazoræatum profitebantur, in capillorum tonsione totiusque capitis abrasione constitisse. Sed illuscente jam Evangelio ejusmodi lex non fuit abrogata: immo maxime vigebat, quando idem Paulus eam ad Corinthios Epistolam scripsit. Etenim ipsemet Apostolus paulo post eamdem Nazoræatus legem professus est. Epistolam quippe de qua in præsens disserimus antequam Achaiam et Macedoniam peragraret conscripsit, et ad annum quinquagesimum septimum æræ vulgaris, qui est vigesimus quartus a Christi morte, referri debet. Quando videlicet Corinthiorum populi Ephesi miserunt Stephanum, Fortunatum et Achaicum ad Apostolum invisendum, ut deducitur ex cap. IV, XI et XVI, ejusdem epistolæ. Atqui idem Apostolus biennio post, variis absolutis itineribus, se totondit in Cenchris, propter Nazoræatus votum, ut in Actis apostolorum legitur: *Ubi assumptis ab eo quatuor viris habentibus*

(*a*) Tertullianus, lib. de Velandis Virginibus.
(*b*) Deuteronomii cap. XXI.
(*c*) Ezech. IX, ex II Reg. cap. X et primo Paralipom. cap. IX.
(*d*) Isaiæ III et XLVIII. Ezech. VII. Justin. Novell. Tacit. de moribus German. Juvenalis, satira 5.
(*e*) Hieronymus, in cap. VII Ezech. Ambrosius, lib. VI Hexaemeron. Augustinus, epistola ad Possidium.
(*f*) Job, cap. I. Michæas, cap. I.
(*g*) Clemens Alexandrinus, lib. Stromat. II.
(*h*) Num. VI, 2.

totum supra se, primo jussit ut raderent capita, et postera die purificatus cum illis intraret in templum, annuntians expletionem dierum purificationis suæ (*a*). Verum ejusmodi legem feminis fuisse communem, jam præcedentia laudata verba perspicue produnt. Non est ergo cur arbitremur apostoli Pauli canone, *Mulier vero si comam nutriat*, etc., feminis comam tondere vetitum fuisse. Nam Paulus, antequam hæc verba de muliebri coma et vestitu eructaret, jam semetipsum Corinthiis imitandum proposuerat, dicens : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*. Et quidem in nostra Ecclesia Paulum, non solum imitari studuerunt viri *et mulieres illæ* **205** qui, sacratiorem vitam sectari sibi proponentes, tonsis capitibus sacras monasteriorum ædes perpetuo inhabitandas decreverunt; sed quotquot, mundi spretis illecebris, sacro clericorum cœtui se ascribere exoptarunt.

Quod si mihi objiciatur nostra hac tempestate sæculi mulieres, et tonso capite, et abjecto vetusto velamine in ecclesiis publicisque hominum conventibus prodire : easque humilitatis et verecundiæ frenos cum capillis atque artefacto velamine abjecisse, quid profecto respondere possem? Num id crimini non dandum affirmaverim? Præsertim cum, novis vanitatis ritibus ab iisdem adhibitis, quasi omnino retecto capite, collo, cervicibus, humerisque nudatis, tamquam plenissimæ libertatis compotes, ubique apparere student? Quam vero acriter Christianorum antiqua pietas et modestia eas accusat! Sed cum mihi nec concionatoris, nec confessarii munus in præsens agere datum sit, illud in medium adducam quod Marcus Portius Cato olim pro lege Opia in publico senatu dixit : *Majores nostri nullam, ne privatam quidem, rem agere feminas sine auctore voluerunt; in manu esse parentum, fratrum, virorum. Nos* (*si diis placet*) *jam etiam rempublicam capessere patimur, et foro quoque, et concionibus, et comitiis immisceri*. Et paulo post subjungit : *Date frenos impotenti naturæ et indomito animali, et sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis* (*b*)!

Hactenus de mulierum coma atque velamine; nunc autem ne meo abuti otio vestraque eruditione diffidere videar, reliqua persequar, quæ duo postrema meæ dissertationis capita expedire possunt. De utraque enim tum sacrarum litterarum interpretes, tum summi theologi jam pridem disseruerunt, ut videre est apud Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, vel apud Guhelmum Parisiensem, Doctorem Angelicum, Nicolaum de Ausmo, cæterosque etiam theologiæ moralis scriptores; quorum catalogus in nostrum scopum nihil conferret. Ut igitur perspicue intelligamus *an mulieribus liceat umquam virilem vestem sumere*, necessario res postulat, ut hujus Mosaici præcepti : *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea*, finem et rationem expendendam suscipiamus. Pater Natalis Alexander imprimis scribit (*c*) : *Hujus observantiæ ratio multiplex*. Prima eaque præcipua idololatriæ exterminatio. Hæc enim vestimentorum commutatio, *ritus idololatricus fuit in gentium profanarum sacris passim usurpatus*. Cui expositioni Pater Calmet suffragatur, ne aliquid dicam de Grotio, Munstero, Fagio aliisque, quorum opiniones non longe abesse arbitror ab erroris nota. Ego tamen huic acquievissem persuasioni, si hanc convenientem nactus fuissem antiquorum moribus, simulque ex firmo stabilique aliquo principio conjicere possem Moysem ea in condenda lege consilium habuisse tollendi flagitia et superstitiones quæ in quibusdam inanium deorum festis et sacris committebantur. Tunc sane in proclivi mihi esset deducere illud scilicet Deuteronomii præceptum cum cæteris legalibus et cæremonialibus irritum et vacuum effectum fuisse nova evangelica lege illucescente. Quando videlicet ethnicorum superstitio undequaque aboleri cœpit. Sed hanc opinionem veluti periculosam rejiciendam esse, non tantum Trullani Canones, sed Ancyrani concilii decreta, Martini Turonensis et Zachariæ I papæ consultationes et statuta satis evidenter demonstrant. Deinde valde est incertum Moysis tempore idololatras ejusmodi commutandarum vestium superstitiosum ritum prosecutos fuisse. Scripturæ enim quæ alias et alias ethnicorum profanas cæremonias commemorant, altum quidem de qua agimus servant silentium. Aliunde vero et Servius, et Julius Firmicius, Hesychius, Polyanus, Plutarchus aliique scriptores, Moysi valde posteriores (*d*), quorum **206** testimonia, cum a P. Natali Alexandro, tum a sacrorum librorum criticis laudantur, narrant dumtaxat quæ eorum ætate apud Cyprios, Assyrios, Athenienses, Romanos aliasque Orientis et Occidentis nationes obtinuerunt. Nullibi tamen illorum rituum originem et antiquitatem definiunt. Immo si nobis liceret extra nostri instituti terminos vagari, ex idololatrarum musivis, statuis, anaglyphicis, ex numismatibus pariter, annulorumque signis probare possemus promiscuam illam vestimentorum confusionem longe post Moysis ætatem in orbem invectam fuisse. Forte eam primi omnium Cyprii excogitarunt, cum in templo Ἀφροδίτου statua collocata, quæ Venerem significabat, *cui viri in muliebri, et mulieres in virili veste sacrificabant*, ut Servius tradit. Deæ Isidis sacerdotibus pariter Romæ solemne fuit muliebribus indui vestimentis, ut prodit anaglyphum Capitolinum, eruditissime a clarissimo viro Georgio illustratum. Introductis item ex Græcia in Etruriam, et Italiam potissimum, Bacchanalibus festis, frequentior fuit in viris et mulieribus promiscua illa vestium usurpatio, et Romæ primum contigit, anno conditæ Urbis quingentesimo octuagesimo sexto, ante Christum natum centesimo octuagesimo nono, ut auctor est Titus Livius, et Romanorum consulum tabulæ patefaciunt (*e*). Qua de re aliqua adhuc nobis antiquitatis monumenta supersunt, quæ imperatorum imagines muliebri forma ornatas exhibent, vel mulieres ipsas virilibus armis indutas, ut prodit anaglyphum Marci Antonii a Buonaroti editum; vel annulus ille Venerem armatam præferens, quo Julius Cæsar in maximis dumtaxat rebus obsignandis utebatur; vel denique, ut ex aliorum annulorum numismatumque signis innotescit, quæ imagines Herculis, Commodi, Martiæ, Neronis, Ulpiæ Marcellinæ aliorumque, incongruentibus ac diversæ naturæ vestibus indutas nostris oculis subjiciunt.

Hæc quidem omnia probant novissimos gentiles, qui paulo ante vel paulo post Christi ortum in orbe fuere, ejusmodi profanam vestimentorum promiscuam confusionem adhibuisse, præsertim cum sacra et festa peragerent. Certum tamen non est Moysis tempore usum obtinuisse, vel ipsum Moysem prophetice ad illum ritum respexisse, ut tolleret videlicet flagitia et superstitiones quæ in quibusdam inanium deorum cultum committebantur. Verum quamvis ultro datum sit profanum hunc cultum Moysis tempore invaluisse, quid tum? Num credendum erit Moysen, ut ejusmodi licentiis modum faceret, eam condidisse legem de vestibus non confundendis? Absurda prorsus consecutio. Nam imprimis Deuteronomii lex Judæis, non vero ethnicis data fuit. Illorum quippe feminæ perpetuo juxta Domini mandatum a sacris arcebantur. Nec viris facile erat in ejusmodi prolabi crimen, quia in Exodi et Levitici libris, non tantum singula sacrificiorum genera de-

(*a*) Actorum XVI et XXI.
(*b*) Titus Livius, lib. XXXIV, cap. 2.
(*c*) Natalis Alexander Hist. Ecclesiast. veteris Testam. diss. 3, art. 6, § 3.
(*d*) Servius, ad lib. II Æneidos. Julius Firmicus, de Assyriis. Polyanus, lib. VIII Stratagematum. Plutarchus, de Herculis Sacerdotibus.
(*e*) Titus Livius, lib. XXXIX, 8 et 3. Pet. Rat. Temp. parte III.

scripta sunt, sed et Levitarum sacerdotumque ornamenta, munera, prærogativæ ac dotes liquido definiuntur; ac denique Levi dumtaxat masculis filiis istud sacrificandi onus fuerat reservatum. Si itaque Moyses, divino spiritu eductus, tali tantoque studio duobus in laudatis libris modum, tempus, ornamenta, rationem, et cæremonias sacrorum atque festorum descripsit definivitque, ut Hebræi nimirum nihil cum ethnicis commune haberent, quis porro suspicari poterit Deuteronomii legem de qua agimus primario ad exterminandos idololatricos ritus editam fuisse? Eo enim in capite Moyses nec unum de cæremonialibus præceptis verbum protulit (*a*).

Altius igitur hujus Mosaici præcepti motiva et rationes sunt repetenda; nec ab alia regula quam a rationis naturalis institutis, ad quam Moyses respiciens scripto definivit quæ communi universarum gentium jure erant sancita. Populi quippe cujusvis etiam immanis et barbaræ gentis, antequam Moyses illud præceptum scripto consignaret, vestium diversitatem **207** personis et sexui correspondentem in usu habuere; præsertim ut mares a feminis distinguerentur. Quare nos merito arbitramur laudatum præceptum Mosaicum referendum esse ad justitiæ et veritatis præsidium, ad erroris et mendacii exitium, ad rerum denique publicarum et privatarum domorum tranquillitatem et bonum. Cum itaque tria hæc humanæ vitæ commoda, nullis aliis in hac luce exæquanda, animorum mores et instituta dirigant et componant, vix dubitari potest quin præceptum illud morale sit, eoque Christiani maxime obligentur. Annon morale illud dicendum est, quod a natura proficiscitur, quodque nonnisi ea reluctante potest violari? Testis est Ambrosius scribens (*b*) : *Cur mentiris feminam, vel tu, femina, virum? suis unumquemque sexum induit natura indumentis; diversus cuique usus, color, motus, incessus, vires, diversa vox in viro et femina.* Testis est Seneca ita Lucillum alloquens (*c*): *Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem?* Testis est Diogenes Laertius, dicens (*d*) : *Legis gemina est distributio; altera scripta, altera non scripta.* Et, nonnullis interjectis, subdit : *Quæ vero citra scripturam est, ea a natura et usu proficiscitur, quale est nudum ambulare in foro non debere, aut uti veste muliebri.* Pœnam igitur non dicam legum, quas sæpe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quæ acerbissima est, nostræ mulieres non intelligunt, quæ cum vestibus exuunt pudorem, ut virorum ornamentis utantur. Fit enim in ea vestimentorum promiscua confusione quædam mentita sexuum permutatio a Græcis γενέσεως ἐναλλαγή dicta (ut Grotius animadvertit) quæ omnibus naturæ officiis repugnat. Propterea, quemadmodum virorum auctoritas et majestas læditur si muliebria opera facere velint, ut olim Clemens Alexandrinus annotavit (*e*), ita injusto arrogantiæ et audaciæ jure se mulier extollit, quando motu, indumentis, incessu atque operibus aliis, viros imitari et simulare studet. Huic porro agendi vivendique rationi, veritas, justitia et honestas repugnant. Si repugnant, naturæ jura læduntur, universorum Conditor arroganter contemnitur, et quidquid sanctum et decorum divinis humanisque præscriptum legibus omnino abjicitur et obteritur. Turpe est igitur mentiri, turpius fallere, turpissimum vero cum sibi tum aliis incontinentiæ et libidinis occasionem præbere, et flagitiis fenestram aperire. Quare Cicero, solo rationis lumine ductus, numquam sibi persuadere potuit (*f*) *Cadere posse in virum bonum mentiri emolumenti sui causa, criminari, præcipere fallere*, quia hæc omnia naturæ repugnant. Idcirco veteres Romani, tamquam summum facinus a Clodio perpetratum, illud exhorruerunt, quod is femineo indutus habitu collegium Bonæ Deæ ingressus fuerit, ut castam matronam stupro comprimeret. Et quidem ejusmodi mala, aut alia quædam etiam graviora, ex illa promiscua vestium permutatione evenire possunt; ideo, spectata saniori disserendi ratione, censemus Deuteronomii præceptum non primario ad exterminandos idololatricos ritus, sed ad humanos mores moderandos datum fuisse. Et quidem, Ambrosio auctore, hominum mores semper turpes et abominabiles fiunt, ubi dirigantur a studio celandi et occultandi sexum (*g*) : *Mendacium et turpe in verbis est, nedum in habitu.* Cyprianus quoque tam viros quam mulieres qui hisce abusibus vacant veluti adulteros reprehendit : *Manus Deo inferunt, quoniam illud quod ille formavit reformare contendunt.* Cui concinit S. Augustinus lib. II Soliloquiorum cap. 16. Claudere ergo juvat istud probationum genus (*h*) S. Thomæ Aquinatis verbis, quid ad rem nostram sic scripsit : **208** *Quod mulier induatur veste virili, aut e converso, incentivum est concupiscentiæ, et occasionem libidini præstat.*

Sunt tamen et aliæ hujus Mosaici præcepti mysticæ expositiones nostræ Vulgatæ verbis repugnantes, quas malumus silentio premere quam refellere argumentis. Cujusmodi sunt vel illa quam affert Josephus Judaicarum rerum scriptor (*i*) : *Non erunt vasa seu instrumenta viri super mulierem*, quamque Chaldæorum codices exhibent, et Maimonides, Munsterus, Fagius Clarus, Sanctes Pagnini, et alii expendunt, et quam sequuntur. Vel alia illa cujusdam Alberici jurisconsulti, qui, nimiam philosophandi libidinem secutus, arbitratur Moysen eo mandato nequissimum quoddam facinus a Judæis removere voluisse. Hæc veluti tamquam duo commenta ab expositoribus adinventa me indicasse sufficiat, ne temporis ratione vestraque clementia amplius abutar.

Interim, dumtaxat, pro tertio nostræ dissertationis capite brevissime expediendo, mihi liceat animadvertere nos iis legibus natos esse, ut ea habeamus naturæ principia, quibus parere et quæ semper sequi debeamus, ut utilitas nostra communis utilitas sit. Cum itaque celare sexum quandoque, cum de propria vita agitur, vel de patria, de virginitate, de religione servanda, præceptum aliquod urget, sit potius communi gloriæ et utilitati vacare quam suis studiis indulgere; hinc, gravi ductus ratione, mihi persuadeo posse mulieres, aliqua ex his circumstantiis urgente, comam tondere, vestem virilem, præsertim monasticam, sumere, ut se viros simulare. Sola autem pietatis causa id facere haudquaquam permissum esse potest, nisi gravis quoque naturæ necessitas aut peculiaris boni ratio urgeat et impellat. Quod si quis modo mihi Gangrenses canones, quibus sub anathematis pœna mulieribus comam tondere, et virilibus uti vestimentis, ac monasteria ingredi, cautum est, objiceret, id jam facile ex causa, loco et tempore laudati concilii eripere possem (*j*). Causa quippe fuit Manichæorum hæresis, quæ ecclesiasticas nuptias et conjugia, Eustathio docente, exsecrabatur. Propterea iis canonibus mulieres illæ dumtaxat exagitantur, quæ, hæreticorum doctrinis insistentes, nuptias, conjugia, filiorum procreationem condemnare audebant; atque, mutato habitu et abjectis capillis, qui subjectionis tessera sunt, monachorum claustra etiam quandoque penetrare tentabant. Id autem non in naturæ decus, non in religionis præsidium, non denique in communis utilitatis bonum, sed in turpitudinis vitium, pietatis

(*a*) Deuteronomii XXII.
(*b*) Ambrosius, epist. ad Irenæum.
(*c*) Seneca, in Lucillum.
(*d*) Diogenes Laertius, in Platonis Vita.
(*e*) Clemens Alexand., II Strom.
(*f*) Cicero, lib. III Officiorum.
(*g*) Ambrosius, Cyprianus. August., lib. II Soliloquiorum cap. 26.
(*h*) S. Thomas, q. 162, art. 6.
(*i*) Josephus lib. XVI Judaicar. Antiq.
(*j*) In cod. Canonum Rom. Ecclesiæ, et in Decretalibus, dist. 30, cap. *Si quæ mulier.*

exitium, et reipublicæ detrimentum cessisse, quis non intelligit, aut quis ignorare potest? Augustinus quidem in Soliloquiis eos veluti infames carpit et increpat, qui, privato dumtaxat adducti studio, *se muliebri habitu ostentant* (a). Quos nescio (ait) *utrum falsas mulieres an falsos viros melius vocem. Veros tamen histriones verosque infames sine dubitatione possumus vocare.* Sed, eodem Augustino ibidem auctore, eam infamiæ notam minime incurrent, qui liberandæ patriæ desiderio et communis boni procurandi ardore excitati se mulieribus vestimentis induerent. Immo horum nomina a cunctis civibus cum summo honoris plausu celebranda forent, et tantorum facinorum auctores ab ipsa republica meliora virtutis emolumenta obtinerent. Ejusmodi autem virtutum emolumenta viris et mulieribus magis debentur quando virginitatis et religionis tuendæ studio vestes sexui non correspondentes assumunt. Cujus quidem rei duo celeberrima profert exempla Ambrosius de Antiochena Christiana virgine disserens. Urgente enim contra Christianos persecutione, sancta virgo comprehenditur, quam ad lupanar adduci aut diis sacrificare impius tyrannus jussit. Sed in lupanari jam cum detineretur, de religione minime ambigebat, sed de pudore trepidabat (b). **209** *Ideo ipsa secum: Quid agimus hodie? aut martyr, aut virgo;* interim vero ad Deum orationibus conversa: *Ecce vir specie militis terribilis irrupit,* qui quasi adulter ingressus, derepente mutatus, virginitatis ejus vindicem se exhibuit et præstitit. Quod ut felicius impleret, omnesque falleret qui comprimendæ virginis causa tunc venerant ad lupanaria, miles muliebribus vestibus se induit; et virgo, a milite virilia et militaria indumenta assumens, evolavit de laqueis. Totam hujus rei historiam, quæ sua ætate recentius contigerat, eruditissimis commentariis illustrat Ambrosius, ad quæ sapientissimos auditores remittimus.

Nos tamen lectores admonere voluimus Baronium, in notis ad Martyrologium, die 28 Aprilis, gravi suspicione adductum arbitrari, eam fuisse Theodoram virginem Alexandrinam, et mendum in Ambrosii codices irrepsisse, et pro *Alexandria*, *Antiochiæ* vocabulum scriptorum inscitia fuisse subrogatum, de quo lapsu quidquam affirmare ausi non sumus, fidem potius eminentissimo cardinali Baronio adhibentes, qui Martyrologium illud summo studio et labore concinnavit. Dumtaxat subjicimus aliud non absimile factum nobis occurrisse, laudatum Baronii opus legentes, in quo, sub die 4 Maii, narratur Antoninam Constantinopolitanam virginem, cujusdam Alexandri virilem habitum sibi assumpsisse, ut clam e lupanari educeretur. Quare idem cardinalis annotavit: Cum frequenter Christianæ feminæ ad prostibulum damnarentur, sæpius similis casus potuit accidisse. Palladius quoque, in Lausiacis, id ipsum de alia virgine in Corinthiorum urbe accidisse, ex Hippolyto describit. Atque tandem ut silentio prætereamus quæ de Lacædemoniorum feminis narrat Valerius, non obscura sunt quæ Surius, Simeon Metaphrastes aliique scriptores de S. Euphrosina virgine Alexandrina tradiderunt. Quæ, studio perpetuæ virginitatis colendæ, paterna relicta domo ac virili habitu induta, monachorum claustra penetravit; ibique sexum et conditionem usque ad obitum occuluit. Forte qui rigidioribus critices regulis dare operam consuescunt, huic postremæ narrationi, non tam facile hærebunt, cum in ea causæ occurrant quæ communi honestati repugnare videntur, nec tam facile cum proximorum utilitate possunt conjungi. Verum pericula *omnia* et mala quæ imminent, quæque mulier *tonso capite et* monastico sumpto habitu posset *offendere, jam statim* evanescunt, si omnipotens ille *Deus* qui cujusque boni consilii est auctor, quemadmodum in femina Juditha, hujusmodi pietatis et religionis studia dirigere, custodire atque perficere dignabitur.

(a) Augustinus, lib. II Soliloq. cap. 16.

(b) Ambrosius, lib. II de Virginibus.

DE PRISCILLIANISTARUM HÆRESI ET HISTORIA

LIBER UNICUS.

210 CAPUT PRIMUM.

Quisnam fuerit Priscillianus.

1. Cum mecum ipse deliberaverim omnes hæreses Leonis ævo vigentes, sive exortas, scripto referre, jam ipsius consilii et temporis ratio postulat ut ad exitum perductis quæ de Manichæorum hæresi fuerant dicenda, nunc ad Priscilliani recensendos errores, quos idem S. pontifex rejecit, exagitavit atque proscripsit, animum stylumque ipsum convertam. Quæ autem de hujus novæ hæreseos auctore, quæ de hujus patria et moribus, quæ de synodis in eum ejusque sobolem coactis, quæ denique de variis multiplicibusque nefariæ hujus sectæ dogmatibus dicenda occurrunt, nemo hactenus aut accurate descripsit, aut saltem in lucem edidit. Propterea ego cum hisce conscribendis dissertationibus manum admovissem, et multis periculis rem plenam esse intellexissem, necessarium fore mecum reputavi veteres recentioresque in hac causa scriptores percurrere; ita tamen, ut, omnibus sepositis præjudiciis, nullo partium studio adductus, ea dumtaxat quæ aut veritatem patefaciunt, aut saltem veritati propius accedere videntur, ipsis lectoribus exhiberem. Igitur cum mihi primo de Priscilliani vita corruptisque moribus agere præscripsissem, neminem eruditorum hoc meum consilium improbaturum existimavi, quamvis revera a Leonis gestis, quæ referre et vindicare animus fuit, in ipso dissertationis vestibulo atque decursu paululum digredi videri possem. Siquidem, cum in hanc ecclesiasticæ historiæ partem nonnulla dubia et obscura, alia vero supposititia et falsa, quamplurima denique prorsus ignota offenderimus, ideo illud ipsum veritatis studium quod unice nostro insidet animo rem totam a suis exordiis repetere atque præscribere coegit.

2. Priscillianus itaque, nobili genere natus, et maximis abundans divitiis, vir fuit acer ingenio, inquies, facundus, multa lectione eruditus, in disserendo et disputando promptissimus. *Felix profecto* (ait Severus Sulpicius) *si non pravo studio corrupisset optimum ingenium; prorsus in eo multa animi et corporis bona cerneres, sed idem vanissimus, et plus justo inflatior rerum profanarum scientia* (a). Cum **211** ergo is in societatem sibi quemdam Marcum Ægyptium ascivisset, ab eo omnia facinora atque portenta ex Gnosticorum Manichæorumque sectis prodeuntia hausit atque animo imbibit. Tum, utrorumque dogmatibus propriis additis flagitiis, novam in orbem sectam invexit, in qua promiscuæ libidines, stupra, adulteria, con-

(a) Severus Sulpicius, Hist. lib. II.

nubiorum solutiones, mendacia, perjuria, et alia hujuscemodi, tamquam religiosa et licita, exercebantur. Quæ omnia cum ipse mecum reputassem, facile in eam adducebar persuasionem, nihil umquam in naturæ honestatem nocentius ac turpius, nihil humanæ societati perniciosius, nihil denique in religionis exitium superstitiosius aut magis sacrilegum a quopiam hæreticorum fuisse excogitatum. Nam præter turpitudines in se ipsos et in proximos admissas, præter etiam injurias Deo irrogatas, ita apud Priscillianum astrologiæ studium fatalisque necessitatis opinio valebat, ut perpetuo magicis artibus vacaret. Immo quamvis sacro baptismo initiatus et Christianæ fidei nomen dedisset, tantopere tamen ethnicorum implicatus vivebat erroribus, ut faventia sibi sidera, quemadmodum putabat, colere et adversantia mitigare studeret, adhibitis ea de causa profanis sacrilegisque ritibus, quos a Moyse usque ad nostra tempora semper Ecclesia caverat et exhorruerat (*a*). Interim vero, ne omnem prorsus pietatis et religionis rationem contemnere videretur, nimia fallendi arte, quam optime callebat, humilitatis speciem habitu prætendebat, nudipedalem incessum ducebat, jejunia etiam Dominicis diebus et Natali Domini servanda prædicabat; et dum fictam morum gravitatem affectaret, mulierum maxime animos demulcebat, quarum societatem semper appetebat. Hæ namque nimia blandiendi arte facile alliciebantur, et catervatim ad eum confluentes, rerum novarum cupiditate ac libidinum licentia haud difficulter capiebantur.

Hæc quæ de Priscilliani moribus, institutis, agendi ratione hactenus exposuimus, a nemine in dubium revocata sunt; idcirco nobis opus non fuit, aut aliquam instituere concertationem, aut in iis expediendis diutius immorari.

CAPUT II.

Quo tempore et unde potissimum Priscilliana hæresis cœperit grassari, variæ scriptorum opiniones annotantur.

1. Priscillianam gravissimam pestem anno Christi 379, in Hispania potissimum, grassari cœpisse auctor est Prosper in Chronico, *Ausonio et Olybrio consulibus*, ita scribens: *Gratianus, post mortem Patrui, Theodosium Theodosii filium in consortium assumpsit, imperiumque ei tradidit Orientis. Ea tempestate Priscillianus episcopus de Gallis ex Manichæorum et Gnosticorum dogmate hæresim nominis sui condidit. Ausonii porro, Hermogenis et Olybrii consulatum* in laudatum 379 annum esse rejiciendum, jam Romanorum consulum tabulæ palam ostendunt (*b*).

Scio tamen criticæ artis peritissimos viros potius existimasse eam hæresim serius per Hispaniam propagatam fuisse. Quam persuasionem Guillelmus Cave, Severinus Binius, aliique secuti sunt, contendentes biennio post eam hæresim ortam, et Priscillianum ex Hispania duxisse originem (*c*). Utrumque autem a Severo Sulpicio affirmatum asseverant. Sed ex hujus scriptis neutrum quidem compertum fiet. Nam laudatus Severus, suæ ætatis mala, quibus non usitato modo pollutæ Ecclesiæ et omnia perturbata fuerant, describere aggressus, eorum principes auctores denuntiat, **212** sed nec tempus presse definit, nec Priscillianum in Hispaniis ortum asserit. Immo si Sulpicii verborum vim sedulo attendamus, diu eam sectam, antequam Priscillianus accederet, latuisse credendum est, cum videlicet Marcus Ægyptius, Memphis ortus, subsidio cujusdam nobilis ac prædivitis feminæ Agapes appellatæ, et Elpidii rhetoris, Gnosticorum sectam primum in Hispanias induxit, quibus deinde post et Priscillianus ipse accessit, ex quo hæresis illa nomen sortita est. *Tum primum* (ait) *infamis illa Gnosticorum hæresis intra Hispanias deprehensa superstitio exitiabilis, arcanis occultata secretis. Origo hujus mali oriens ab Ægyptiis, sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facile est disserere. Primus eam intra Hispanias Marcus intulit Ægypto profectus, Memphis ortus. Hujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier, et rhetor Elpidius. Ab his Priscillianus est institutus, familia nobilis, prædives opibus*, etc. (*d*). Duo ergo tempora ibidem distinguit Severus Sulpicius: unum videlicet quo Gnosticorum secta grassabatur; alterum, quo Priscillianus, Gnosticis accedens, et horum impietate superata et aucta, Marci, Agapes et Elpidii errores in novæ nefandissimæque sectæ portentum improbitate, audacia et furenti libidine vertit. Hoc Ausonii et Olybrii consulatu, nec serius evenire potuisse, ex aliis rebus etiam et ex ipsa Cæsaraugustana synodo definiri potest.

2. Nam cum, auctore Sulpicio, idem Priscillianus suorum sectariorum numerum in dies augeri cognosceret, in unum omnes convocare cœpit, quos in montium latebras et diverticula abducere solitus, nefarias ibi agebat collectas, quas, ut aliorum oculis et notitiæ subtraheret, sectariis suis communionem cum Ecclesia catholica, sacris elementis in manu acceptis et secum asportatis, simulandam indulsit. Ubi itaque Hispaniarum episcopi religionem, justitiam, honestatem pessum ire, nec luxuriæ, sacrilegiis, nec magicis incantationibus modum fieri noverunt, eas leges et canones quos gravissimis hisce malis cohibendis maxime necessarios putarunt, sollicite condidere. Non igitur verisimile est quod Caveus et cæteri asseruerunt, anno Domini videlicet 381 eam hæresim in lucem ortam. Qui vero id fieri potuit, cum eo anno, jam longe lateque per eas provincias propagata, altas radices in improborum animis defixerat; quando maxima virorum atque mulierum frequentia, quibusdam anni diebus, cum in montibus, tum in villis Priscillianistæ, suas collectas agebant; quando denique omnia obscena et profana quæ in latibulis exercebantur sacris catholicæ Ecclesiæ pastoribus innotuerant? Innotuisse autem hæc omnia, octo illi Cæsaraugustani concilii canones produnt, de quibus paulo post dicemus.

3. Neque vero arbitremur ea hæresi statim innotescente sacros Ecclesiæ præsules in concilium coivisse. Nam comperta primum ab Hyginio, Cordubensi episcopo, magni Osii successore, virulenta Priscilliani tabe, quæ nonnullos etiam episcopos, quos inter Instantium et Salvianum, depravaverat atque corruperat, negotium ad Idatium, Emeritæ civitatis sacerdotem, relatum voluit. *Is vero*, Hyginius videlicet, *in sectarios excandens, sine modo* (ait Severus Sulpicius) *et ultra quam oportuit, Instantium sociosque ejus lacessens, facem quamdam nascenti incendio subdidit, ut exasperaverit malos potius quam compresserit*. Re igitur ad Idatium delata, atque gravius exagitatis Instantio et sociis, necdum statim ad concilium deventum est. Sed post multa inter utramque partem inita certamina, cum catholicorum spes, qua sibi persuadebant posse hæreticos ad pœnitentiam adducere, penitus frustraretur, tandem catholici episcopi duodecim apud Cæsaraugustam convenerunt.

4. Priori itaque hoc Cavei, Severini Binii atque aliorum lapsu **213** notato, postremum præcavere et eripere oporteret, illum videlicet de Priscilliani patria et origine. Ne vero hujus vel illius gentis nationem modo in invidiam adducere velle videar, eam quæstionem vix delibabo. Subjiciam, dumtaxat, perperam omnino Severo Sulpicio istud assertum ascribi: nimirum Priscillianum in Hispania ortum, nec enim quidquam tale offendet, qui ejusdem Severi secundum Historiæ librum totum integrumque percurrerit. Immo

(*a*) Videsis S. Leonis epist. 15, de qua verba faciemus cap. 14 hujus libri.

(*b*) Prosper, in Chronico, consulibus Ausonio et Olybrio.

(*c*) Guillelmus Cave, sæculo Arianorum, pag. mihi 177. Severinus Binius, in notis tom. II Concil.

(*d*) Severus Sulpicius, Hist. lib. II.

si aliorum veterum testimonia lustrare voluerimus, adhuc difficile rem hanc definire poterimus. Nam et ipse Hieronymus, qui aliorum consuevit origines referre, non semel et iterum, sed pluries Priscilliani mores, gesta et exitium recensens, altum ubique tamen de ejus patria et origine servavit silentium. Priscillianum autem per omnes virorum et mulierum cœtus in Hispania errores sparsisse fatetur, Gallam mulierem, non natione, sed nomine, sibi pravorum criminum sociam ascivisse docet; ex qua autem gente aut loco ipse suam duxerit originem, prorsus reticuit aut dissimulavit. Sed nec Cavei aliorumque recentiorum opinioni unum ex tot veteribus Patribus qui de ea hæresi scripserunt suffragari exploratissimum est. Augustinus quidem variis pluribusque in locis Priscillianistarum describit errores, *quos*, ait, *Priscillianus in Hispania instituit* (*a*). Orosius, fere Priscilliano coævus, in commonitorio, seu consultatione, ad Augustinum eam hæresim dumtaxat per Hispaniam diffusam conquestus est. Idatius in Chronico, cum Priscilliani, tum Priscillianistarum habet mentionem; nullibi vero hunc Hispania ortum indicavit. Epiphanius similiter, hæresi 49, de Priscilliano agens, paucis flagitia atque facinora ejus definit, sed de ortu atque patria nihil asseruit. Auctor tandem libri de Hæresibus, qui Rufino Palæstino tom. XXVII Bibliothecæ Patrum inscribitur, hæc tantummodo habet: *Septuagesimam hæresim Priscillianorum apud Hispanos Priscillianus legitur inchoasse.*

5. Quæ quidem omnia cum ipse mecum reputarem, non ut Hispanorum gentis jura defenderem, vel ut eos ab hac nota purgarem, sed magis ut veritati insisterem, et eam suspicionem præcavere curarem, qua nonnulli Priscillianum in Galliis ortum possent arbitrari. Hujusmodi autem suspicionis gravissima solidissimaque fundamenta, non tantum ex laudato Prosperi Aquitani Chronico, sed ex multis aliis conjecturis augebantur. Nam et Chronicum illud quod dumtaxat Prosperi Aquitanici nomen præfert, vel illud quod Tironis nomine auctum, et a Canisio in lucem editum, expresse habent: *Priscillianus episcopus de Galatia; Priscillianus episcopus de Galliis.* Sed præterea expresse indicant Aquitaniæ provinciam ea hæresi fuisse labefactatam; inter cæteras mulieres, etiam Euchrotiam Delphidii, seu Helpidii rhetoris uxorem, criminum et mortis sociam Priscillianum habuisse. Sed is Delphidius, seu Helpidius vir erat Gallus, et in eadem Aquitaniæ provincia rhetoricam docens, ut ex Galliæ Christianæ vetustissimis monumentis patefactum est, quorum profecto collectores, cum de Burdigalensi agerent archiepiscopatu, ita de S. Delphino, ad Christi annum 380, scripsere (*b*): *S. Delphinus Ecclesiæ Gallicanæ singulare ornamentum...., concilio Cæsaraugustæ in Hispania Tarraconensi celebrato, anno 380 aut anno sequenti, cum aliis Aquitaniæ præsulibus interfuit, ubi damnati sunt Priscillianus et Delphidius, rhetor Aquitanus, aliive nefariorum dogmatum sectatores.* Præterea tandem, qui fieri potest ut Prosperi tam apertum tamque perspicuum testimonium rejiciamus? Illud profecto nec rejecerunt, nec de errore notarunt Tillemontius atque Dionysius Petavius; qui quamvis de Priscilliani patria et origine disserere dissimulent, tamen nobiscum illius hæreseos **214** exordium ad 379 Christi annum revocarunt, solo Prosperi testimonio adducti. Non igitur Prosper ipse, ne in suum et totius Aquitaniæ gentis dedecus et probrum verteretur, Priscillianum Gallum appellasset, si id certo cum sibi tum cæteris satis superque non fuisset perspectum.

Si ita profecto, contra vulgatissimam traditionem omniumque persuasionem ratiocinaremur, nodum in scirpo quærere videremur. Etenim ibi Priscillianum duxisse originem, ubi primum ejus errores propagati sunt, sine ulla prorsus animi hæsitatione est affirmandum. Quod si deinde laudati Chronici verba repugnare videantur, quæ *Galatiæ* vocem exhibent, non inde tamen Priscillianum Gallum fuisse arbitrari oportet, cum potissimum Chronicon illud, multis erroribus scatere eruditi quam sæpissime judicaverint, et aliunde quandoque illud vocabulum a veteribus fuerit usurpatum ad designandum Galatiæ populos intra Hispaniarum confinia positos, ut sexcentis exemplis demonstrare possemus. Id potissimum ipsi præstabimus in adornanda sancti Leonis Magni epistola ad Turribium Asturicensem, de qua luculentius in hujus historiæ narratione suo loco agere reservamus.

CAPUT III.

Instantius atque Salvianus Hispaniarum episcopi Priscilliano morem gerentes, eum Abulæ episcopum consecrarunt. Eodem fere tempore in Cæsaraugustana synodo primum damnatus, tum Gratiani edicto ab Hispania expulsus, Romam ad Damasum proficiscitur.

1. Sed jam rejectis quæ a criticis viris parum accurate dicta fuere, quæque lectoris animum in pravam suspicionem possent adducere, ad Idatium cæterosque undecim Galliarum et Hispaniarum episcopos revertendum est, qui, ut vidimus, cum per multa certamina, nec audaciam, nec effrenatos mores, nec sacrilegam Priscilliani superstitionem umquam cohibere et corripere potuissent, sacra Ecclesiæ auctoritate et unanimi consensu Patres eas sententias *tulerunt*, quæ religioni, divino cultui, fidei *mysteriis, pietati*, morum integritati atque humanæ *societati magis prospicerent*, ac nefariam illam pestem destruerent atque delerent. Qui vero apud Cæsaraugustam in unum convenere sacri ordinis episcopi, fuerunt: **Fitadius**, ***Delphinus***, ***Eutychianus***, ***seu Baetitanus***, ***Ampelius***, ***Augentius***, ***Lucius***, ***Ithacius***, ***Splendonius***, ***Valerius***, *Cæsaraugustanus*, *Symposius*, *Catherius*, ***Idatius***; qui omnes veluti ex sacro senatusconsulto octo canones, seu leges, condiderunt, easque Lucius episcopus in conventu recitavit, ut ab universis episcopis contra transgressores anathema conclamaretur. Harum autem sententiarum seu legum exempla tomo secundo Conciliorum scripta sunt, easdemque Severinus Binius variis notis adornavit (*c*).

2. Interim vero dum hæc in Cæsaraugustana synodo agebantur, nec Instantius et Salvianus, nec Priscillianus, aut quispiam ex ejus sectariis cœtui interfuit; sed omnes coram illis Patribus se sistere detrectarunt, ne se judicio committerent. Rem narrat Severus Sulpicius, addens in absentes sententiam latam fuisse, et in eos qui damnatos in communionem ausi essent recipere. *Igitur post multa*, ait, *inter eos et digna memoratu certamina, apud Cæsaraugustam synodus congregatur, cui etiam Aquitani episcopi interfuere. Verum hæretici committere se judicio* **215** *non ausi, in absentes tum lata sententia, damnatique Instantius et Salvianus episcopi, Helpidius et Priscillianus laici. Additum etiam, ut si quis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eamdem sententiam promendam.* Hæc autem, ubi a sectariis comperta sunt, majoris odii in Ecclesiam et in omnes catholicos causa fuere. Nam ad augendas magis seditiones, magisque nefarios errores propagandos, duo illi episcopi, Cæsaraugustani concilii judicio condemnati, *Instantius* videlicet, *et Salvianus*, *Priscillianum laicum*, *sed principem malorum omnium ab eadem synodo notatum, ad confirmandas vires suas* (ait idem Severus) *episcopum in Labiensi oppido constituunt, rati nimirum, si hominem acrem et callidum sacerdotali auctoritate armassent, tutiores fore sese.* Tanti porro facinoris impietatem, qua sacerdotii honos et auctoritas summo

(*a*) August. lib. de Hæresibus hæresi 70, et libro ad Orosium, cap. 4.

(*b*) Gallia Christiana, tom. II archiepiscopi Burdigalensis, pag. 787.

(*c*) Tom. II Conc. p. 1195.

dedecore polluebatur, notavit immo et exhorruit, inter cæteros unus Hieronymus ad Ctesiphontem, illius hæreseos originem magnaque incrementa describens : *In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foveam, successoremque sui habuit Priscillianum Zoroastris magi studiosissimum, et ex mago episcopum, cui juncta Galla non gente, sed nomine, germanam huc illucque currentem alterius et vicinæ hæreseos fecit hæredem* (*a*).

3. Illud autem Cæsaraugustanum concilium anno Domini 381 sub Damasi papæ pontificatu coactum fuisse, illius canones a Garsia Loaysa editi quam perspicue produnt. Sed integra ejusdem concilii Acta aut intercidisse, aut nondum lucem aspexisse, ex iis quæ habet Severus Sulpicius nobis compertum est. Narrat siquidem, ut vidimus, in eodem sacro cœtu anathema iis dictum fuisse qui jam damnatos temere in communionem suscipere ausi essent. Qua sententia potissimum in Idiginum episcopum Cordubensem animadvertere voluerunt. Nam quamvis is, primo cupidus illius sectæ abolendæ, Priscilliano et asseclis bellum indixisset atque ad id Idatium ipsum per epistolas sollicitasset, tamen, mutata dein mente, catholicorum consilia non probavit, sed, turpiter depravatus, a concilio se abstinuit, hæreticosque nefarios in communionem recepit. *Atque id Ithacio Sossubiensi episcopo negotium datum, ut decretum episcoporum in omnium notitiam deferret, maximeque Iginum extra communionem faceret, qui cum primus omnium insectari palam hæreticos cœpisset, postea turpiter depravatus in communionem eos recepisset.* Ex cujus facti serie et narratione probe intelligimus laudatos octo canones qui supersunt utique sinceros et genuinos esse, cum eos inter episcopos, qui iisdem subscripsere, Igini, seu Idigini Cordubensis nomen nequaquam offendamus. Impetunt illi præterea atque taxant palmares quosdam illius sectæ errores, horum ritus, magisterium, conventus, jejunia palam prohibent et insectantur, quamvis multa alia facinora et turpitudines nedum forte tum satis explorata silentio prætermittant (*b*).

4. Verum enim vero illarum Ecclesiarum status in dies miserabilior efficiebatur. Nam duo illi catholici episcopi, præsertim Idatius et Ithacius, post synodalia decreta, atque post turpem illam Priscilliani ordinationem, acrius instantes, *sæculi judices adeunt, ut horum decretis atque exsecutionibus hæretici urbibus pellerentur. Igitur*, auctore eodem Sulpicio, *post multa et fœda, Idatio supplicante, elicitur a Gratiano tum imperatore* **216** *rescriptum, quo universi hæretici excedere non ecclesiis tantum, aut urbibus, sed extra omnes terras propelli jubebantur.* Asperam nimis fœdamque eam fuisse Idatii et Ithacii agendi rationem, cum Severus Sulpicius, tum cæteri animo mitiores catholici episcopi judicarunt. Nam, nullo alio Hispaniarum et Galliarum episcopo consulto, neque Damaso ipso Romano pontifice certiore facto, sectariorum causa ad sæculi tribunal delata est. Nec enim de laicis personis, sed de episcopis Instantio, Salviano, Priscillianoque agebatur, hæretica quidem labe inquinatis. Nec quæstio habebatur de iis criminibus quorum cognitio ad imperatorem spectaret, sed de iis dumtaxat quæ ecclesiasticum debebant subire judicium. Accedit denique Idatium Ithaciumque privata solum auctoritate, non concilii sanctione, Gratianum interpellasse, ejusque judicium expetivisse, et idcirco in Ecclesiæ dedecus et in sacri ordinis maximam ignominiam verti merito existimatum est.

5. Interim autem Priscillianus et cæteri, qui episcopi videbantur, cum se exsilio affectos intelligunt, *rebus suis diffisi, nec ausi judicio certare, sponte cessere;* laicorum vero multitudinem metus dispersit. Sed dum afflictis hisce rebus premerentur, nequaquam opem et præsidia posse invenire desperarunt. Propterea tres illi episcopi, cæterorum sectariorum antesignani, Romam proficisci decreverunt, ut qui publicæ auctoritatis decreto criminum pœnas luebant, dolis deinde Damaso Romano pontifice circumvento, tamquam innocentes et innoxii, quadam ecclesiastica reconciliatione doloso obtenta, a catholicis haberentur. Dum itaque Romam proficiscuntur, ex Hispania per Aquitaniæ provinciam iter suscipiunt, *ubi ab imperitis magnifice suscepti, sparsere perfidiæ semina, maximeque Elusanam plebem, sane tum bonam et religioni studentem, pravis prædicationibus pervertere. Elusa porro civitas ad Gelisam fluviolum vetustissima, olim archiepiscoporum seu metropolitanorum Novempopuloniæ, sub qua cum plurimis aliis ipsa civitas Ausciorum continebatur. Ab Elusa vero pagus Elusanus dictus est, qui Armaniacensis comitatus nunc est pars. In oppidulum autem versa dicitur, ob frequentes clades quibus attrita est a Gothis, Saracenis, Normannis.* Hæc ex Dionysio Sammarthano, tom. I Galliæ Christianæ annotavimus, qui præterea novum catalogum episcoporum Elusatum nuper contextum se vidisse testatus est (*c*). In Burdigalensem deinde diœcesim Priscillianus et cæteri se contulere. *Sed a Delphino episcopo repulsi, cum in Euchrotiæ, nefariæ et impudicæ feminæ, agro aliquantisper commorati, nonnullos suis erroribus infecere. Inde vero iter cœptum ingressi, turpi sane pudibundoque comitatu cum uxoribus atque alienis etiam feminis, in quis erat Euchrotia ac filia ejus Procla, de qua fuit in sermone hominum, Priscilliani stupro gravidam, partum sibi graminibus abegisse.* Sive ergo Procla ex Priscilliano fetum conceperit, interitumque, seu abortum curaverit, vel non, sive Priscillianus ipse matrem filiamque nefando compresserit incestu, ex sola quorumdam hominum opinione, auctor noster Severus definire minime ausus est.

6. Romam vero post nova, innumera tamque horrenda facinora, Priscillianum cum suis sociis venisse, non tantum ex vulgi fama, sed ex certissimis monumentis fit manifestum. Quæ quidem consilii ratio nova etiam ecclesiasticæ disciplinæ exempla suppeditat, ut inde intelligamus in conciliis damnatos, ad Romanorum pontificum judicia provocare et recurrere consuevisse, ut hi videlicet, apostolica divi Petri auctoritate, aliorum episcoporum acta, etiam in synodis definita, aut rescinderent aut confirmarent. Quod sane exemplum, utpote ex fidei inimicis desumptum, etsi flocci pendendum arbitremur, nec ei adhæreamus, **217** ut supremum apostolicæ sedi in fidei rebus stabiliendis jus asseramus, illud tamen minime rejiciendum esse contendimus. Nec enim Hispaniarum episcopi ad Romanum pertinebant concilium, quos solos a pontificibus judicari potuisse confingit Quesnellus. Neque Priscillianus et socii Romanorum clericorum albo fuerant ascripti, nec Romanæ sedi assentari volebant, ut de similibus causis vaferrime Launoius contendit; sed eo uti intendebant jure, quod sacræ litteræ indicant, quod universalis PP. traditio prædicat, quod denique generalis ubique Ecclesiarum praxis usu obtinuerat. Ea itaque Priscilliano et sociis, cum post synodalia decreta, tum post Gratiani imperatoris sententiam fuit agendi ratio, ut nequaquam ad generale concilium provocarent, ut in præsentia ejusmodi dictis et votis hæreticorum recando. Quamvis nos non lateat novissimum scriptorem Franciscum Girvesium reliquisse vocabula *Igini et Idigini* quibus veteres usi sunt, et istud aliud *Hygini* usurpasse. Videsis el. hujus viri eruditam dissertationem anno D. 1750 Romanis typis adornatam.

(*a*) Hieronymus ad Ctesiphontem.

(*b*) Aliter et aliter apud veteres auctores, et in antiquorum monumentis Hygini Cordubensis nomen scriptum offendimus, ut videre est in libris Severi Sulpicii et in Cæsaraugustani concilii Actis quæ supersunt. Quorum quidem scribendi rationem nos secuti sumus ipsorum testimonia adducendo vel indicando. Quamvis nos non lateat novissimum scriptorem Franciscum Girvesium reliquisse vocabula *Igini et Idigini* quibus veteres usi sunt, et istud aliud *Hygini* usurpasse. Videsis cl. hujus viri eruditam dissertationem anno D. 1750 Romanis typis adornatam.

(*c*) Dionysius Sammarthanus, tom. I Galliæ Christianæ pag. 960.

centiores, ad Romanæ sedis auctoritatem angustioribus finibus restringendam, conficiuntur. Sed Priscillianum apud Damasum Romanum pontificem sibi et sociorum causæ munimen et præsidia comparare nisum fuisse exploratissimum est. Nam, auctore Sulpicio, hi, ubi Romam pervenere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt. Neque obstat S. pontificem, illo spiritu ductum qui in Petri successoribus semper perseveraturus est, laudatorum hominum injustos conatus irritos reddidisse, nullo aditu prorsus purgationi eorumdem permisso. Nam ille ipsorum in Urbem adventus, ut causam dicerent, maximum solidissimumque est argumentum episcoporum cæterorumque causas, synodalibus decretis jam ad exitum perductas, Romanorum pontificum auctoritate iterum recognosci et judicari potuisse. Hæc autem leviter delibare placuit, ne recentiorum dogmatistarum disserendi ratio nos latere videretur (*a*). Jam vero prioribus conatibus frustratis, ad novos Priscillianus et Instantius animum vertere, ut mox ex sequentibus innotescet.

CAPUT IV.

Gratianus imperator, a Macedonio circumventus, Instantium et Priscillianum suis sedibus restitui jubet. De Brittone Trevirorum episcopo, illiusque sedis honore et prærogativis. Blondelli et Tillemontii falsæ conjecturæ rejiciuntur.

1. Necdum tamen, post gravem repulsam quam a Damaso papa Instantius et Priscillianus episcopi passi fuerant, ad plenum exitium res suas perductas esse credidere. Sed, consueta hæreticorum obstinata vafritie dominati, adhuc suis malis et exsilio quibus gravabantur mederi cupientes, novum excogitarunt consilium : illud videlicet, ut Mediolanum regrederentur, vana forte quadam spe adducti a magno illius Ecclesiæ antistite Ambrosio se in catholicorum communionem recipiendos. Qua tamen persuasione duo soli episcopi, Instantius videlicet et Priscillianus, ducebantur; nec enim tum erat amplius superstes alius episcopus eorumdem criminum et hæreseos socius *Salvianus, qui in Urbe jam obierat.* Sed res longe aliter ac opinabantur evenerunt. Nam comperta ab Ambrosio Romani pontificis agendi ratione, æque eis adversari cœpit, facinus gravissimum reputans eos audire vel in communionem suscipere, quos apostolica S. Petri sedes exhorruerat. *Tum* (ait **218** idem Sulpicius) *Priscillianus et Instantius vertere consilia, ut quia duobus episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat non illuserant, largiendo et ambiendo ab imperatore cupita extorquerent.*

2. Eo tempore autem adhuc imperialium rerum summa ipse Gratianus potiebatur, apud quem malis artibus magis quam auctoritate Macedonius officiorum magister cum prævaleret, eum facile in eam persuasionem adduxit, ut, revocato atque abolito priore in Priscillianum et socios exsilii decreto, ediceret ut sedibus a quibus prius jusserat exturbari restituerentur. Grave profecto et immane facinus istuc ab omnibus reputatum est. Siquidem Gratianus, alioqui vir religiosus et princeps maxime pius, ab improbo officiorum magistro circumventus, in illum temerarium ausum prolapsus est, ut non tantum præcedentia decreta sanctissime a se edita in irritum mitteret ac deleret, verum etiam Cæsaraugustanæ synodo, Magno Ambrosio et Romano ipsi pontifici, et sibi (quod gravius est) adversari voluerit.

Lætabundi ergo Instantius et Priscillianus ob imperatoris Gratiani in eos lenitatem, Hispanias repetere diu non distulere. Quo tandem, ineunte anno 383, profecti, suas occupant episcopales sedes, quibus Idatius resistendi animum habens, nihil in religionis munimen tentare potuit. Deerat illi quippe facultas, quia hæretici, *corrupto Volventio proconsule, vires suas confirmaverant.* Immo, cum tali tantaque sæculi potentia se fultos viderent, audacter nimis in episcopum catholicum Ithacium insurgunt, huncque quasi Ecclesiarum perturbatorem, reum apud proconsulem postulant, qui, scelestissimorum annuens votis, omni divino et humano jure sacrilege violato, jubet *per atrocem exsecutionem Ithacium deduci.* Sed is intrepidus *profugit ad Gallias, ibi præfectum Gregorium adiit.* Ubi autem Gregorius prætorii Galliarum præfectus rerum gestarum seriem apprime novit, actutum rapi ad se turbatum auctores jubet, et de omnibus interim certiore facto imperatore, hunc adhortatur ut hæreticis viam *ambiendi præcluderet. Sed id frustra fuit* (subjicit idem Severus), *quia per libidinem et potentiam paucorum cuncta ibi venalia erant.* Igitur hæretici *suis artibus, grandi pecunia Macedonio data, obtinent ut, imperiali auctoritate præfecto erepta, cognitio Hispaniarum vicario* (Marianeno) *traderetur, nam jam proconsulem habere desierant* (*b*). Atque, missis præterea a Macedonio ad Treviros militiæ officialibus, qui per vim ex ea urbe Ithacium extraherent, eumque ad dirum subeundum hæreticorum furorem in Hispanias reducerent, restitit tamen Trevirorum episcopus, qui, fraude comperta, mira animi prudentia atque sacerdotali constantia cum Macedonii imperialium officiorum magistri, tum hujus militiæ officialium improbos elusit conatus atque evertit.

3. Inter cæteros igitur catholicæ fidei vindices Brittonem Trevirorum episcopum non *infimum tenere* locum satis arbitror ex mox *dictis esse perspectum.* De eo enim verba faciens Severus Sulpicius Pritanum appellat. Sed verendum est ne binominis fuerit, aut ne in ejusdem Severi exemplaria, ob quamdam nominum affinitatem, error irrepserit. Nam in illius Ecclesiæ tabulis hocce nomen prorsus desideratur; sed aliud parum absimile legimus, Britto nimirum, seu Brittonius, qui anno Domini 374 Valentino concilio subscripsit : *Ego Britto episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.* Præter autem illius urbis Annales, id Bollandus, ad diem 5 Maii indicat, Brittonem inter illius Ecclesiæ confessores recensens. Suffragatur Sirmondus in notis ad Valentinum concilium; atque id denique omnes fere scriptores docent, quos inter Blondellus et Tillemontius (*c*).

4. Sed jam minime dissimulanda sunt quæ hi duo postremi auctores **219** de episcopo Brittone scripsere, ut forte eidem inter Occidentales episcopos post Damasum papam honoris et jurisdictionis prærogativam vindicarent. Aiunt itaque Trevirorum urbem ob nonnullorum imperatorum sedem ibidem collocatam in tantam honoris et potentiæ amplitudinem pervenisse, ut etiam illius episcopi, aliis, sive in synodis, sive in publicis actis, præcellerent. Ea autem de causa subjiciunt Trevirorum urbem primas non tantum in Gallias obtinuisse, sed in Hispanias et Angliam ; ibidem aut imperatorum præfectus, aut etiam ipsi imperatores, cum in Galliis versabantur, commorari consuevere; quibus rationibus Orientales Patres adducti, in epistola ad Romanum concilium anno Domini 382 scripta, auctore Theodoreto (*d*), Brittonem Trevirensem immediate post Damasum et Ambrosium collocant, illumque ante Aquileiensem, Thessalonicensem et Syrmiensem episcopos statuunt, ut nimirum ea agendi ratione, cum illius virtutem, tum auctoritatis amplitudinem indicarent. Lepidum profecto et fabulosum commentum! Sed mirum quod propter hanc imperatorum sedem Brittoni supra Damasum atque Ambrosium primatus prærogativam non asseruerint.

(*a*) Videsis quæ infra dicturi sumus in causis Eutychetis, Flaviani, Eusebii Dorylæi, et Theodoriti Cyri, qui ad apostolicam sedem Leonis Magni ævo provocarunt.

(*b*) Severus Sulpicius, ibid.
(*c*) Tillemontius, tom. VIII pag. 556.
(*d*) Theod. lib. v Hist. cap. 9.

At quam frigida sit ejusmodi ratiocinatio, nemo non videt. Si quidem episcopalium sedium honor et prærogativæ non ex civili quadam temporalium rerum administratione, non ex sæculi potentia, imperatorum præfectis, vel sedibus, aut denique ex ipsis provinciarum consulibus, quæ omnia pro temporum varietate innumeris subjacuere mutationibus, ut sacra et profana indicant monumenta, gradus habebant; sed omnino ex earum origine, antiquitate et fundatoribus repetendæ sunt.

5. Quod vero ex conciliorum privilegiis Romanorumque pontificum largitionibus et dispensationibus metropolitæ jus aliquibus Ecclesiis attributum reperiatur, illud tamen Trevirorum sedi supra cæteras Galliarum, Hispaniarum et Angliæ Brittonis ævo datum fuisse, minime demonstrari potest. Immo, si ecclesiasticis monumentis fidem velimus adhibere, dubio procul credendum erit Trevirorum episcopum tum primatus honorem haud obtinuisse supra archiepiscopum Viennensem, utrumque Narbonensem, Lugdunensem et quosdam cæteros alios Galliarum episcopos, qui ad Valentinam synodum convenere. Britto ille namque, de quo cum Blondello et Tillemontio modo negotium est, decimum quintum habet locum in illius synodi Actis subscribendis. Dicant igitur, amabo, duo illi scriptores, qui novum quasi in Occidente patriarcham supra trium regnorum provincias, quarto labente sæculo, delineare et confingere allaborant, cui potius fidem adhibere debeamus, Brittoni ipsi videlicet, qui ob suam sedem tantis ornatus prærogativis describitur, an vero conjecturis quibus forte ad Romanæ sedis jura elevanda aliqui insistere possent? Nemo sanæ mentis umquam sibi confinget tanti honoris et auctoritatis episcopum, decimo quinto sedisse loco, dum concilium illud in Gallia Transalpina, Allobrogum urbe, Viennensi archiepiscopatui subjecta, celebrabatur. Jam vero et Britto ipse post Justum Viennensem episcopum iis actis subscripsit.

6. Sed ad Orientalium epistolam a Theodoreto laudatam quod attinet, quid aiunt post Damasi et Ambrosii nomina illud statim Brittonis offendi? Sed rogo: Estne is Trevirorum episcopus? Nullibi id Theodoretus affirmat. Immo Henricus Valesius eum Capuanum episcopum fuisse *suspicatus* est (*a*). Sed rem definire impossibile reputamus, cum Romanæ illius synodi Acta a Damaso coactæ jam integra in Conciliorum collectione non asserventur, et episcoporum subscriptiones jamdiu interciderint. At dabo hunc Brittonem eumdem Trevirorum episcopum fuisse. Ergo tam solidum ex ea Orientalium episcoporum epistola deducitur ne argumentum, **220** ut hujus sola male confecta aut descripta epigraphe tanti momenti quæstionem definiat? Retulitne eam Theodoretus quemadmodum in suo autographo descriptam reperiit? Aut Orientales illi Patres de Occidentalium sedium ordine vel optime edocti, vel eum, nihil immutantes, fideliter persecuti sunt? Quis alterutrum affirmabit? Nam imprimis Orientales illi, qui Constantinopolim in concilio convenerant, Romanæ Damasi synodo, quæ tum agebatur, detrectarunt interesse, se excusantes, post tot innumeras gravissimasque ærumnas Arianorum furore exhaustas, tam longum et laboriosum iter arripere non posse, ut Romam venirent. Ea de causa tres episcopos legatos ad Damasum et Romanam synodum mittunt, Cyriacum, videlicet, Eusebium et Priscillianum, qui secum laudatam a Theodoreto epistolam detulere. Illis ergo Orientis Patribus, cum ordo, quem Occidentales episcopi in Romano concilio tenuere, tum horum numerus prorsus erant ignoti. Et idcirco nonnullorum nomina dumtaxat descripsere, cætera autem generali hac formula concludentes: *Et cæteris sanctis episcopis in* A *celebri urbe Roma convocatis*. Nihil denique dicam de suspecta Theodoreti fide in veterum monumentis recensendis, cum jam Baronius atque alii merito eum de consimilibus fraudibus insimulent. Sed eam fraudem longe abesse a Valentini concilii Actis jam Sirmondi studium indicat. Eadem quippe vir doctus, ex codd. mss. Remen., Lugdun., Anicien., Fossat. et tribus aliis collegii Paris., societ. Jesu, collect. Isidorianæ, ut castigatius lucem aspicerent curavit. Eos autem codd. ante 900 annos conscriptos arbitratus est. Quare eorumdem archetyporum exemplarium summa consensio omnem prorsus fraudis suspicionem eripit, ut nobiscum eruditi judicabunt.

Age vero nunc ad Priscillianum et Ithacium revertamur. Macedonii itaque hujusque officialium conatibus per Prittanium, seu Brittonem episcopum elusis, simulque occluso aditu, ne ex urbe Trevirorum Ithacium in Hispanias reducerent, gravis rumor oboriri cœpit *Clementem Maximum intra Britannias* B *sumpsisse imperium, ac brevi in Gallias erupturum. Ita tum Ithacius statuit, licet rebus dubiis, novi imperatoris adventum exspectare, interim sibi nihil agitandum.* Nec aliter quidem, quam fama pertulit, res contigere. Nam anno Domini tercentesimo octogesimo tertio jam inchoato, idem Maximus imperialium copiarum in Britannia dux, tyrannidem arripiens, a suis militibus imperator acclamatus est, et *transmittens exercitum in Gallia ab infensis Gratiani legionibus imperium sibi corroborat* (*b*). Hæc ex Victore et Zosimo (*c*) scribit Baronius, tom. IV, ad Christi annum 383.

CAPUT V.

De Maximo Tyranno, et ejusdem in Priscillianistas judicio agendive ratione.

1. Gratiano imperatore superstite, et Macedonio imperii negotia agente, episcopis catholicis et Ithacio potissimum nulla spes superesse potuit, ut Priscillianistarum everteretur impietas et audacia. At sta- C tim quam Galliarum legiones Gratiano infensæ, cum in Britannia, tum in aliis regionibus Maximum imperialium copiarum ducem, imperatorem renuntiarunt, jam eorumdem Priscillianistarum causa deterior facta usque ad exitium perducta est. Quale vero fuerit Maximi ingenium, summatim veluti Gilda, cognomento sapiens, descripsit, dicens: *Maximus, callida primum arte potius quam virtute finitimos quosque* **221** *pagos vel provincias contra Romanum statum retia perjurii mendaciique sui facinoroso regno advectans, et unam alarum ad Hispaniam, alteram ad Italiam extendens, et thronum iniquissimi imperii apud Treviros statuens, tanta insania in dominos debacchatus est, ut duos imperatores legitimos, unum Roma, alterum religiosissima vita pelleret.* Profecto igitur Treviros Maximo, ibique imperiali sua sede stabilita, Ithacius de omnibus, quæ a Priscillianistis, a catholicis Patribus, a Gratiano hactenus gesta fuerant, novum imperatorem edocere non distulit. Tum enim Gratianus non amplius erat superstes; nam is, a suis desertus, D forte ob nimiam lenitatem in Priscillianistas adhibitam, per Andragatii ducis dolum, apud Lugdunum, octavo kal. Septembris, anno 383, occisus est (*d*). Interim Maximus, ne Ecclesiæ rebus videretur infensus, easque in dies magis turbari sineret, hæreticorum judicium ecclesiasticis pastoribus in unum Burdigalæ coituris commisit. Ea de causa, ait noster Severus Sulpicius: *Datis ad præfectum Galliarum atque ad vicarium Hispaniarum litteris, omnes omnino, quos labes illa involverat, deduci ad synodum Burdigalensem jubet.* At ubi ad synodum convenere, primus coram judicibus Instantius se sistens, causam dicere jussus, cum nec ab objectis criminibus se posset purgare, PP. in eum animadvertunt, et episco-

(*a*) Henricus Valesius, in notis ad Theodoreti epistol.

(*b*) Severus Sulpicius, Hist. l. II.

(*c*) Victor, in Gratiano; Zosimus lib. I.

(*d*) Marcellinus; Socrates, lib. V cap. 11; Sozomen., VII, c. 13.

patu indignum esse pronuntiant. Quæ Priscillianus advertens, et deteriorem causam habere sibi conscius, statim ad Maximum imperatorem appellationem interposuit, ut sacri conventus judicium eluderet. Hisce fere verbis idem Severus historiam describit, qui præterea molli brachio concilii Patres objurgat, subjiciens: *Priscillianus vero ne ab episcopis audiretur, ad principem provocavit. Permissumque id nostrorum inconstantia, quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebantur, aliis episcopis audientiam reservari, non causam imperatori de tam manifestis criminibus permittere* (*a*). Ita omnes quos causa involverat ad regem deducti. Ne modo vero extra scenam agere videamur, de violatis Ecclesiæ juribus hic disserere prorsus dissimulamus. Severi Sulpicii testimonium nos annotasse dumtaxat sufficiat, ex quo nonnisi stolidi aut cæcutientes inficiari poterunt Ecclesiam a suis incunabulis usque veluti sacrilegas eas appellationes exhorruisse, quas tamquam ab *abusu* licitas esse, nimis audacter et temere, elapso sæculo, unus Maiemburgus propugnavit (*b*).

2. Maximus igitur, qui omnia imperii jura per fas et nefas tyrannice verterat, posthabita atque despecta tum Aureliani, tum Magni Constantini agendi ratione, etiam ab hoc judicandi munere non abhorruit, sed illud actutum sibi vindicavit. Hoc vero tamquam gravissimum facinus sanctissimi episcopi, quos inter Martinus Turonensis, reputantes, enixe imperatorem exorabant ne capite in hæreticos animadverteret; sed, de sacerdotum sententia contentus, eos e suis episcopalibus sedibus juberet extrudi. Primo quidem in hanc sententiam Maximus propendere videbatur, immo et in eam, Martini Turonensis præsertim hortatu, jam descendisse, Severus Sulpicius asseverat. Sed cum Ithacius tunc strenue nimis accusatoris partes obiret, et gravi odio in reos furens apud imperatorem pro horum morte instaret, cum negotium in ancipiti adhuc versaretur, episcoporum catholicorum cœtus in duas factiones scissus est, altera alteri communicare detrectabat. Prior enim prudenter et sancte infelicium sanguine abstinendum contendebat. Sed altera sævior et immitior, **222** ut crimina morte diluerent expetebat. Rebus igitur ita pendentibus, sæculi tribunal eam cognoscere causam distulit, quoad usque Treviris S. Martinus commoratus est; hunc enim benigne et perhumaniter Maximus excipiebat, tantaque reverentia et honore prosequebatur ut e Trevirorum urbe discessurus ab ipso sponsionem elicuerit nihil cruentum in reos constituendum. *Rerum tamen exitus sponsionem protinus elusit. Nam imperator per Magnum et Rufum Hispaniarum episcopos depravatus, et a mitioribus consiliis deflexus, causam præfecto Evodio permisit, viro acri et severo, qui Priscillianum gemino judicio auditum convictumque maleficiis, nec diffitentem obscenis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium feminarum egisse conventus, nudumque orare solitum, nocentem pronuntiavit, redegitque in custodiam donec ad principem referret.* Episcoporum autem, qui Maximum depravaverant, cum nulla apud veteres mentio occurrat, haud eorum sedium nomina referre possumus. De quodam Rufo episcopo dumtaxat in S. Martini Vita legimus, hunc juvenis cujusdam astu Eliam et Christum se appellantis et confingentis ita fuisse elusum, ut tamquam Dominum adoraret. *Propter quod eum postea ab episcopatu dejectum vidimus.*

3. Quod vero ad male inchoatum ab Evodio in Priscillianistas judicium attinet, minime verendum est cruentum exitum contra imperatoris fidem Martino datam non obtinuisse. Siquidem prioris capitis inquisitione jam facta, reorum confessione pariter audita, atque in carceribus ipsis facinorosis detentis, nihil aliud supererat quam ad jurium apices accusatores coram reis accire, ut, roborata absolutaque quæstione, imperator tandem sententiam ferret. Tum Ithacius (ait Severus Sulpicius) videns quam invidiosum sibi apud episcopos foret, si accusator etiam postremis rerum capitalium judiciis exstitisset (*etenim iterari judicium necesse erat*) *subtrahit se cognitioni frustra, callido jam scelere perfecto*. Nonnisi ergo ob excitatam in se episcoporum catholicorum invidiam Ithacius a perpetrato facinore abhorrere cœpit; sed frustra se a criminum contestatione subductum voluit. Nam Maximus cuidam Patricio fisci patrono Ithacii, vices et accusatoris partes, ut obiret, jussit, quo insistente, Priscillianus una cum Felicissimo et Armenio, qui nuper ad hæreticorum partes defecerant, capite damnaretur. Latronianus quoque et Euchrotia, Asarinus et Aurelius diaconus gladio perempti sunt. Mitius tamen cum Instantio actum est. Hunc enim in Sylinam insulam ultra Britanniam exsilio deportarunt, ubi comitem habuit Tiberianum, omnibus bonis antea possessis judicis decreto privatum. Cæteri denique, videlicet Tertullus, Potamius, et Joannes tamquam viliores personæ, et digni misericordia, quia ante quæstionem se se socios prodidissent, temporario exsilio intra Gallias relegati.

4. Eamdem autem cædem anno Domini 385 contigisse narrat Prosper in Chronico ad consulatum Arcadii atque Bautonis, quo tempore Siricius, Damaso jam vita functo, præcedenti anno *Ecclesiæ catholicæ clavum obtinuerat*. Sed idem *Prosper* præterea addit, sequenti anno, consulibus *Honorio et Evodio*, Burdigalæ quamdam Priscilliani discipulam nomine Urbicam ob impietatis pertinaciam per seditionem vulgi lapidibus exstinctam fuisse. Sed in alio Chronico, quod sub Tironis nomine circumfertur, eam vulgi in Urbicam seditionem Arcadio et Bautonio coss. excitatam fuisse narratur. Jam vero iis omnibus necatis, aut exsilio affectis, religionis et Ecclesiæ negotia in præceps ferri visa sunt. *Nam inprimis non solum repressa non est hæresis, quæ Priscilliano auctore proruperat, sed confirmata, latius propagata est. Siquidem illius sectatores, qui eum prius ut sanctum honoraverant, postea ut martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera*; quin jurare per Priscillianum summa religio putabatur. **223** Nec vero religio solum in Hispania tam sacrilego sceleratoque cultu labefactabatur, sed in Galliis, magno schismate exorto, etiam ipsi catholici episcopi in duas factiones discesserunt. Alii enim in Ithacio non tantum reprehenderunt, quod is, præter Ecclesiæ morem et lenitatem, læsæ fidei reos Ecclesiam exagitantes in capitis causa insectatus fuerat, sed etiam quia a Theognosto episcopo palam damnatus, ab ejus communione se abstinebant. Alii vero, regis metu, Ithacio faventes, ab illius communione minime abhorrebant.

CAPUT VI.

Maximus tyrannus ad Romanum pontificem catholicæ fidei confessionem scripto exaratam dedit. Novas clades imperator contra Priscillianistas per Hispanias excitavit.

1. Imperatores sæculique principes, tamquam sacrarum legum et religionis catholicæ vindices, Ecclesiæ rebus afflictis opem et præsidia præstare oportere, ne tyrannus et insaniens hæreticorum furor divina mysteria ad exitium perducat, jam ab eruditis omnibus sincere prædicatur. Quapropter non mirum, si Romani pontifices cum primum aliquem imperatorem esse renuntiatum intellexerunt, omni studio ab iis catholicæ fidei confessionem expostularant,

(*a*) Forte alludere voluit ad Nicænum canonem, vel ad Sardicenses, in quibus sermo est de renovando judicio in episcoporum causis, cum episcopi qui jam judicarunt suspecti habentur.

(*b*) Euseb. Cæsar. lib. VII c. 26. V. nostram editionem, tom. I, pag. 445. Rufinus, lib. I Hist. Eccl, c. 2, in eadem nostra edit. tom. II, pag. 3.

sine qua cum iisdem communionem habere detrectassent. Inter vetustissima porro hujus agendi œconomiæ exempla, hoc nobis S. Siricius papa suppeditavit, qui anno 385, post Damasi mortem, ad pontificatum assumptus, a Maximo hanc catholicæ fidei confessionem expostulans, is lubenti animo sua epistola facere non detrectavit, quod æquis et christianis principibus semper in more fuit. Quare primo de susceptis pontificiis epistolis habet mentionem, tum sacerdotalis muneris amplitudinem, tum splendidissimæ Romanæ urbis dignitatem exornans subjicit: *Fidei vero catholicæ, de qua clementiam nostram consulere voluisti, quo majus circa me et speciale judicium divinitatis experior, hoc me confiteor habere curam majorem, qui videlicet ad imperium ab ipso statim salutari fonte conscenderim, et cui semper in omnibus conatibus atque successibus Deus fautor affuerit, cujusque hodie et, ut spero, perpetuo protector et custos esse dignetur, Pater charissime* (a). Spondet præterea se operam daturum ut ecclesiasticas causas ejusdem Ecclesiæ sacerdotes pertractent, cum potissimum tunc ageretur de Agricio, quem indebite ad presbyterii gradum conscendisse S. pontifex commemoraverat, et propterea idem Maximus legitimorum imperatorum exemplum affectans, ait: *Quid religioni nostræ catholicæ possum præstare reverentius, quam ut de hoc ipso, cujusmodi esse videatur, catholici judicent sacerdotes?* Cui quippe quæstioni ut Galliarum et cæteri episcoporum qui intra quinque provincias commorabantur opportune interesse possent, conventum in qua elegerint urbe constituendum decernit, *ut, iisdem residentibus et cognoscentibus, quid habeat consuetudo, quid legis sit judicetur.* Præclarum postremo sinceræ suæ fidei testimonium daturus, enarrat Pontifici quemadmodum ipse, ex Britannia Treviros adveniens, multorum sceleratorum ita inquinatam et labe pollutam religionem repererit atque deprehenderit, ut, *nisi* (ait) *nostra provisio atque medicina, quæ ex Dei summi timore veniebat, his opem celeriter attulisset, ingens profecto divulsio atque perditio fuisset exorta,* 224 *et vix sananda postea vitia concrevissent.* Quid autem superstitionis et impietatis Priscillianistæ, quos ibidem Maximus Manichæos appellat, admiserint, *non argumentis* (subjicit) *neque suspicionibus incertis, sed ipsorum confessione inter judicia prolatis, malo quod ex gestis ipsis tua sanctitas quam ex nostro ore cognoscat; quia hujusmodi non modo facta turpia, sed etiam fœda dictu, proloqui sine rubore non possumus* (b). Cum hac epistola ergo totius quæstionis inquisitionisque Acta Maximum Tyrannum ad Siricium misisse, omnino constat.

2. Quid autem ad hæc rescripserit, aut ex iis Actis S. pontifex judicaverit, hactenus ex nullo Christianæ rei monumento erui potest. Illud unum dumtaxat tamquam certissimum contra recentiores quosdam dogmatistas intelligimus: videlicet, Romanos pontifices indirectam saltem in catholicos reges potestatem exercuisse. Non enim Siricius papa de Maximi imperatoris fide percunctatus fuisset, non scripto ejus professionem expetivisset, nisi a supremo sacerdotii munere judicandi auctoritatem obtinuisset, an Maximus jure, vel injuria, aut tyrannice imperium regeret. Sed ea de re alii disserant. Nos interim animadvertimus hoc eodem anno Ithacianæ factionis episcopos Treviris in concilium coivisse, ubi, aliis sanioris consilii episcopis etiam advenientibus, illi apud Maximum agebant, ut, lata prius in Ithacium a Theognosto episcopo anathematis et depositionis sententia in irritum missa, hunc tamquam insontem absolverent, nec cuiquam liceret communionem eidem denegare. Synodum adire auctoritas Martinum compulit, qui, a magisterii officialibus circumventus, primo spopondit se cum Christi pace Treviros venisse. Tum imperiale palatium ingressus, et ipsius Maximi minis territus, tum denique Felicis episcopi Trevirensis ordinationi se sistere cum deberet atque voluisset, per horam dumtaxat cum hæreticis Ithacio faventibus communicare compulsus est. Sed ut eam communionem scripto firmaret, nullo terrore, aut minis potuit induci. *Postero die se inde proripiens* (ait Severus in Dialogis) *cum revertens in via mœstus ingemisceret se vel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtum..... ille subsedit causam doloris et facti accusante ac defendente invicem cogitatione pervolvens, astitit ei repente angelus: Merito, inquit, Martine, compungeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam, ne jam non periculum gloriæ, sed salutis incurreris. Itaque ab illo tempore satis cavit cum illa Ithacianæ partis communione misceri.* Cæterum noxiæ illius communionis causa, tardius quam solebat divinam opem et præsidia pro patrandis miraculis obtinuisse, ipse jam expertus est, cum quibusdam dæmone correptis cuperet mederi. *Sexdecim postea vixit annos, nullam synodum adiit, ab omnibus episcoporum conventibus se removit.* Ita illud caput claudit Severus Sulpicius laudato dialogo (c).

3. Nos vero antequam de hujus emortuali anno verba faciamus, minime silentio eam cladem premere possumus, quam Maximus imperator ex concilii Trevirensis sententia in hæreticos per Hispanias grassantes excitavit, cum tribunos summa potestate armatos illuc mittere decrevit, qui et hæretica labe inquinatos inquirerent, et deprehensis vitam et bona adimerent. Sed illud decretum ecclesiasticæ lenitati prorsus repugnans, atque ira odioque maximo cum abundaret, Martini animum internis cruciatibus torquebat. Etenim absque ulla hæsitatione, per maximam tribunorum avaritiam atque libidinem, non scelestos dumtaxat sacrilegosque exagitandos, puniendos atque necandos esse intelligebat, sed ipsos catholicos et sanctorum etiam turbam depopulandam, cum parvum omnino discrimen sit inter hominum genera. *Etenim* (ait Severus Sulpicius) *tum solis oculis judicabatur, cum quis pallore potius aut veste hæreticus æstimaretur.* 225 Hæc ergo Martino concilium advenienti maxime displicebant. Idcirco nil mirum, si post Trevirensem synodum se ab ejusmodi cœtibus in posterum abfuturum religiose statuerit, iisdemque quoad usque vixerit interesse recusaverit (d).

4. De hujus vero sancti viri emortuali anno summa (ait Dionysius Petavius) veterum scriptorum dissensio est. Gregorius Turonensis, cap. 46, Cæsario et Attico coss. obiisse narrat media nocte quæ Dominica habebatur. *Hic annus porro* (subjicit idem Petavius) *est* 397. *Verum eo anno littera Dominicalis fuit D, proinde Novembris* 11 *erat* 4 *feria, non Dominica. Sigibertus, quem Annales Ecclesiastici sequuntur, annum* 402 *addicit. At eo anno littera fuit E, Novembris* 11 *feria* 3; *aut ergo anno* 400 *obiit, quo littera Dominicalis erat A C, Novembris* 11 *feria prima, aut anno* 401, *quo fuit secunda feria. Si prius amplectimur, mortuus erit illa nocte quæ Dominicam antecessit; si posterius placet, ea nocte quæ Dominicam excepit. Annum* 401 *suadet Severus Sulpicius, qui dialogo laudato scribit, ut vidimus, Martinum sexdecim annis vixisse post consulatum Evodii, qui incidit in annum* 386, *a quo sextus decimus annus est Christi* 401. *Gregorius vero Turonensis, lib.* II *cap.* 43, *annum* 400 *designat dum Clodoveum ab obitu Martini anno* 112 *mortuum esse scribit, qui excessit anno Christi* 511. Rem ita describit eruditissimus Dionysius Petavius, Rationarii Temporum parte II cap. 13, cujus conjecturis nihil nostro studio accessit. Sed tum jam Maximum Tyrannum malo fine apud Aquileiam periisse certissimum est. Is enim, a Theodosio et Valentiniano superatus, spoliatus (ut ait Prosper in Chronico) indumentis regiis sistitur, et capite damnatur;

(a) Tom. II Concil., Venetæ edit., pag. 1227.
(b) Tom. II Concil., pag. m. 1227.

(c) Sev. Sulp. dialogo 3, cap. 15.
(d) Idem, ibid.

natur. Cujus filius Victor eodem anno post paucos dies ab Arbogaste in Galliis interfectus est. Andragatius autem (subjicit Petavius) (a) se in mare præcipitavit. Horum necem Idatius et laudatus Prosper ad Theodosi II et Gynegii referunt consulatum, qui juxta Ecclesiæ tabulas est Christi annus tercentesimus octogesimus octavus.

CAPUT VII.

De Toletanis synodis Priscillianistarum causa coactis.

1. Jam vero rerum ordinem prosecuti, silentio haudquaquam premere possumus, quarto labente Ecclesiæ sæculo, ita Priscillianam percrebuisse pestem, ut non tantum vulgi homines, sed viri olim pietate et dignitate clarissimi ab eadem labefactarentur. Ad cujus hæreseos mala cum catholici episcopi animadvertere cogerentur, ita eorum animus conficiebatur, ut non semel in unum convenire debuerint. Primo enim, cum eam in hæresim hujusque sectatores libellarem, ut aiunt, direxerunt sententiam. Sed ubi, aut quando convenerint, difficile est judicare. Verum ante Toletanam synodum, quæ nunc exstat, Hispanos episcopos aliud concilium habuisse, ipsi Toletani novemdecim PP. in suæ synodi præfatione hisce verbis perspicue indicant: *Omnes decem et novem isti sunt, qui et in aliis gestis adversus Priscilliani sectatores et hæresim quam astruxerat libellarem direxere sententiam.* Veteri hac Latinorum loquendi formula Toletani PP. ad innuendam damnationis sententiam non verbis tantum prolatam, sed scripto et palam editam, forte usi sunt. Ad hanc porro in judiciis ferendis Hispaniarum episcoporum agendi rationem minime adverterunt Tillemontius, Sirmondus, Pagius, Severinus **226** Binius, Aguirre, et cæteri omnes qui de quarti sæculi Hispanicis ecclesiasticisque judiciis agentes, nec unum prorsus verbum habent de concilio illo quod ipsi Toletani PP. paulo prius habuisse affirmant. Immo id potissimum ex omnium sententia præstare quidem debuisset novissimus scriptor Cajetanus Cenni, qui sibi agere proposuit: *De Judiciis Ecclesiæ Hispaniarum per sæculum quartum* (b). Vel Franciscus Gervesius Urgellensis presbyter, qui anno elapso hic Romæ de Priscillianistarum historia bipartitam dissertationem prelo commisit. Sed ambo clarissimi doctissimique viri alium et alium scribendi scopum cum sibi assumpsissent, tantum otii illis haud esse potuit, ut singula annotarent. Nam D. Cajetanus Cenni, Romanorum pontificum supremæ in totius orbis Ecclesias auctoritatis et asserendæ et propugnandæ studio cum ageretur, contra Dupinium aliosque huic similes theologos calamum stringens, ita potissimum huic scopo erat intentus, ut ad concilii Toletani primi Acta aut non attenderit, aut omnino lustrare prætermiserit. Scriptor vero posterior summatim dumtaxat Priscillianistarum originem, incrementum et exitium, ordinata quadam methodo indicare in votis habuit, cæteris omissis quæ ad rem suam non pertinere arbitrabatur (c).

2. Patruinus igitur cum cæteris decem et octo Hispanis episcopis, habita ratione ad impia Priscilliani et hujus sectatorum dogmata, hæc eadem, ut æquum erat, scripta in tabulis sententia proscripsere; tum deinde, paucis elapsis, ut credibile est, annis, iterum in Toletanam urbem convenire voluerunt, ut ea quæ ad ecclesiasticam disciplinam, quæ ad scandala, quæ ad schisma tollendum, quæ denique ad summam concordiam firmandam necessaria videbantur, definirent. *Quare considentibus presbyteris, astantibus diaconibus, et cæteris qui intererant concilio*

A *congregatis, Patruinus episcopus dixit: Quoniam singuli cœpimus in Ecclesiis nostris facere diversa, et inde tanta scandala sunt, quæ usque ad schisma perveniunt, si placet, communi concilio decernamus quid ab omnibus episcopis in ordinandis clericis sit sequendum.* Sed mihi hujus Toletanæ synodi Acta et canones legenti, eosque ad Siricii papæ epistolam Himmerio Tarraconensi cæterisque Hispaniarum episcopis datam exigenti, compertum est hæc omnia ita inter se concinere, ut illi PP. nihil aliud sequendum decreverint, nisi ea quæ summus pontifex jam 385 apostolica auctoritate ipsis observandum mandaverat, vel ea quæ in Nicæna synodo de ordinationibus jam pridem fuerant constituta. Quæ res cum innuat Hispaniarum episcopos in Ecclesiæ judiciis ferendis Romanam semper consuluisse sedem, nec ab ejus umquam regulis resilire ausos fuisse, merito nos in admirationem trahit, quod præcedentes laudati scriptores talem tantumque horum monumentorum consensum similitudinemque non animadverterint, aut annotare
B neglexerint. Nec enim ut hos, alioqui eximios et de litteraria optime meritos, scriptores contumeliose lædamus, sed ut argumentorum quæ ipsi contra novatores adducunt vim et pondus augeremus, hæc referre debuimus.

3. Interim vero ad hujus Toletani primi concilii tempus, variasque in eo excitatas quæstiones, et genuina Acta, quod attinet, inter Ecclesiæ scriptores minime convenit. Baronius imprimis istud concilium non nisi quarto sancti Innocentii pontificatus anno, qui quadringentesimus et quintus Christi est, coactum fuisse asseverat, ea nimirum persuasione ductus, quod ad hujus synodi PP. ipse Innocentius eam epistolam scripserit, quæ sequentem epigraphem præsefert: *Innocentius ad episcopos synodi Toletanæ.* Et quamvis Baronii conjecturis ipsa Toletani concilii Acta repugnent (d), **227** quorum inscriptio hæc habet: *Concilium Toletanum novemdecim episcoporum tempore Anastasii, Honorii et Arcadii, Stilicone consule*
C *habitum æra 438, anno Domini 400, Patrono episcopo præsidente sub die septimo idus Septembris;* tamen errorem in hanc irrepsisse, nec ad primum, sed ad secundum Stiliconis consulatum, qui in laudatum annum 405 incidit, Acta illa esse referenda contendit. Ita ergo Innocentianæ illi epistolæ Baronius insistit, ut, laudato hoc Toletanæ synodi titulo et inscriptione neglecta, non Patruini præsidis nomen, non Hispanicam æram, non Anastasii pontificatum, non quadringentesimi anni Christianam epocham esse probandam duxerit. Sed jam doctum virum allucinari non tantum omnia edita et manuscripta exemplaria patefaciunt, sed et ipsa sancti Innocentii papæ epistola. Quid? In ea quippe S. pontifex de illa synodo loquitur in qua Gregorius Emeritensis in Patruini locum fuerat suffectus, cujus Gregorii querimonias audiri jubet. At Toletanæ synodo, de qua nos agimus, Patruinus adhuc vivens interfuit, immo et præfuit, ut ex tota illa Actorum serie ipse lector intelliget. Contra vero illius epistolæ capite de Pa-
D truino ita scripsit Innocentius: *Gregorii etiam Emeritensis episcopi, qui in locum Patruini venerabilis recordationis est ordinatus, querela, si qua est, audiatur, et si contra meritum suum passus est injuriam, in invidos honoris alterius vindicetur, ne posthac in quemquam bonorum spiritus factionis insurgat* (e). Quæ sane verba clare multos Hispaniæ scriptores de errore convincunt, quorum alii Patronum, seu Patruinum Toletanæ synodi præsidem, Toletanum antistitem, alii Bracarensem fuisse existimarunt; ex iis enim verbis apparet quod illis in mentem non venerat, videlicet Emeritensem episcopum fuisse,

(a) Rat. Temp. part. I lib. VI cap. 8.

(b) Tom. I, diss. de Antiquitate Eccl. Hisp. pag. 147 et seq.

(c) Franciscus Gervesius, de Hist. Priscillianistarum, parte posteriori, pag. 71.

(d) Baronius, tom. V, ad Christi annum 405, pag. 235.

(e) Epistola hæc inter Innocentianas exstat, tom. III Conciliorum Generalium, pag. mihi 41.

cui jam defuncto Gregorius quinquennio post successerat.

4. Longe ergo nobis aliam disserendi rationem esse oportuit, qui Innocentianam illam epistolam non ad primam Toletanam synodum, sed ad alteram esse referendam judicamus. Id jam pridem Sirmondus, Pagius, Petavius, Severinus Binius, Tillemontius aliique scriptores, quamvis non iisdem rationibus et conjecturis adducti, monuerunt; quorum alii Toletanam primam synodum vel in Christi annum 399, vel in sequentem rejiciendam esse rationabilius docuerunt, de qua nos luculentius disserere prætermittimus, cum jam difficilius aliud quidpiam et obscurius nobis expediendum supersit: earum rerum videlicet inquisitio quæ hujus primæ Toletanæ cogendæ synodi Patrono, seu Patruino occasionem dedere. Multas porro gravissimasque causas fuisse illius ævi monumenta quæ supersunt nobis persuadent; quas recensere cum Ecclesiæ scriptores hactenus neglexerint, nos percurrere cogimur, ne in oscitantiæ aut nimiæ conniventiæ notam incidamus. Illius itaque in Toletana urbe concilii habendi causam principem schisma quoddam gravissimum ex Priscilliana ortum hæresi fuisse, notum et perspectum omnibus esse volumus. Fuerit vero illud idem quod Ithaciana factio excitaverat, an potius aliud, non satis perspicue evinci potest: unum dumtaxat notissimum æque ac certissimum, ita ecclesiasticas Hispaniarum provinciarum res quoad dogma, quoad mores, quoad disciplinam ex illa Priscilliana lue turbatas et labefactas fuisse, ut episcopi etiam ac cæteri clericalis ordinis ministri, a SS. Patrum regulis abscedentes, quod magis eorum studiis favebat sequerentur. Tanta quippe eos inter erat animorum discordia et dissimilis agendi ratio, ut sine ullo prorsus delectu pœnitentes susciperent, conjugali vinculo alligatos, vel concubinas habentes filiosque procreantes, ad majores sacros ordines promoverent; Bigamos et sæculari militiæ addictos, servosque dominis obligatos, ad ecclesiastica ministeria assumerent. Alii cum sacrilegis et anathemate percussis libere communicabant; alii a propriis **228** recedentes Ecclesiis, unde egressi fuerant, sub depositionis pœna redire non cogebantur. Alii denique, vel religiosarum puellarum familiaritate, vel sacra synaxi abutebantur, episcoporum presbyterorumque defunctorum superstites uxores sibi conjugio adjungebant, atque in tot tantaque alia non minoris momenti facinora prolabebantur, ut non tantum canonum sanctiones ex malorum abusu, sed et ipsa divina apostolicaque præcepta pessum abirent. Sed et de iisdem rebus paulo ante aliud a Lusitanis habitum fuisse concilium sequentia prioris illius capituli seu canonis evidentissime nobis indicant. *Placuit* (aiunt Toletani PP.) *ut diacones, si vel integri, vel casti non sint, et continentis vitæ, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur; ita tamen, ut si qui etiam ante interdictum quod per Lusitanos episcopos constitutum est incontinenter cum uxoribus suis vixerint, presbyterii honore non cumulentur.* At hujus Lusitani concilii decreta seu interdicta prætereamus. Illius quippe Acta ab eruditis desiderantur, nec cardinalis Aguirre Hispanicarum rerum diligentissimus collector disertius quidquam de iisdem describere potuit.

5. Alteram igitur Toletani illius concilii causam expediamus. De ea quidem celebriores scriptores verba fecerunt, quos inter Tillemontius et Paschasius Quesnellus locum habent; qui potissimum in præsens nobis agere instituentibus de Symphosio episcopo, de Dictinio, aliisque clericalis ordinis hominibus, qui ex Priscilliana redeuntes hæresi, Ambrosio et Romano pontifice agentibus, a Toletanæ primæ synodi patribus in communionem suscepti

A sunt, negotium facessunt. Et primo quidem totius controversiæ nodum cum in multis situm esse deprehendamus, ut facilius dubia a certis et falsa ab authenticis secernamus, varia opus est præmittamus.

Primum videlicet Symphosium cum aliis undecim episcopis anno Domini 381 Cæsaraugustano subscripsisse concilio, Priscillianoque et hujus dogmatibus anathema dixisse, ut ex hujus concilii Actis intelligitur. Quamvis revera, si unicum dumtaxat Cæsaraugustæ fuisse coactum concilium dicamus, a cæterorum PP. illorum communione se subduxisse credendum erit, ut suo loco dicturi erimus. Non igitur tum ea lue nefanda certo poterat labefactari Symphosius. Neque de hac hæresi, palam saltem, is fuerat postulatus Christi anno 385, cum videlicet Priscillianus hujusque socii, Maximi tyranni decreto, vel capitis, vel exsilii pœna mulctati fuere. Severus quippe Sulpicius, qui lib. II Hist. rem totam describit, hæreseos utique auctoris et sociorum nomina in catalogum
B redegit, nulla prorsus Symphosii facta mentione. Quod argumenti genus, tamquam ex scriptoris silentio depromptum, quamvis aliis in rebus imbecillum, parvique pendendum ducamus, illud tamen in præsentia maximum robur obtinet, ne Severum Sulpicium de socordiæ vel oscitantiæ vitio postulandum esse arbitremur. An is celeberrimi hujus episcopi nomen reticuisset, qui aliorum hujus sacri ordinis nomina recensuit, qui Igini, seu Idigini, Cordubensis lapsum post Toletanam synodum annotavit, quique ad plenam earum rerum notitiam alios etiam infimæ plebis viros et mulieres expresse nominavit?

Ex quo tertium illud sequitur, videlicet nonnisi post Priscilliani cædem, et Ithaciano jam schismate ingravescente, et Hispaniarum rebus mutatis, ob Maximi tyranni necem, Symphosium in apertam hæresim erupisse. Non igitur ante Christi annum 389 ipse Symphosius tamquam Priscillianista haberi potuit; nec enim debitas corporis pœnas evasisset, quas huc illucque per Hispaniæ provincias imperialium
C tribunorum tyrannis, libido et avaritia contra Priscillianam sobolem, capitali etiam adhibita pœna, districte exercebat. Ne itaque Symphosium imperialium tribunorum inquisitionem per miraculum evasisse arbitremur, dubio procul **229** fateri oportet hunc ejusque filium Dictinium, Maximo tyranno adhuc in vivis superstite, catholicam fidem exterius saltem simulasse. Sed Maximum vita functum apud Aquileiam cum intellexissent, jam præconceptum necis subeundæ timorem Symphosius et Dictinius excusserunt, et Priscilliana illa dogmata, quæ occulto forte hactenus prosequebantur, palam verbis et scriptis, ut latius propagarent, docere cœperunt.

6. De Dictinii porro Operibus inter cæteros agit etiam Augustinus libro contra Mendacium ad Consentium, in quo ubique Priscillianistis excitatis illum Dictinii librum describit, cujus nomen est Libra; *eo quod pertractatis duodecim quæstionibus, velut unciis explicatur, tantis (intelligitur Dictinius) extulerit laudibus, ut talem Libram, qua horrendæ blasphemiæ*
D *continentur, multis librarum auri millibus pretiosiorem esse testetur* (a). Eo ergo in libro Dictinius dogmatizabat: *ad occultandam religionem religiosos debere mentiri.* Quod argumenti genus, cum ex sacris Scripturis et harum exemplis deduci auctor contenderet, ipse Augustinus, ut divinarum Scripturarum sanctitati auctoritatique consuleret, omnes excelsæ suæ sapientiæ nervos ad librum illum catholicæ pietati maxime injuriosum refellendum atque destruendum adhibuit. Sed et alios Dictinium in Priscillianæ hæreseos tutelam et præsidium edidisse tractatus, inter cæteros Leo noster asseverat, ut nos ipsi suo loco dicemus.

(a) Augustinus, contra Mendacium ad Consentium, cap. 5, tom. VI edit. PP. S. Mauri pag. 330. Videsis ergo hunc Augustini librum in quo non tantum agit de mendacio, quod studiose Priscillianistæ semper prosequebantur; verum etiam de rebus ad Dictinium Asturicensem pertinentibus, ut erudite ibidem PP. congregationis S. Mauri annotarunt.

7. Interim vero, ne a proposito instituto longius abscedamus, Symphosii ac Dictinii apertum lapsum non ante quintum vel sextum Siricii pontificatus annum revocandum esse certissime arbitramur; quorum quidem impietate a cæteris Hispaniæ et Lusitaniæ episcopis cognita, et ex Dictinii Operibus, quæ omnium manibus terebantur, magis comprobata, catholici ab eorum communione se abstinere cœperunt, et in aliquo, ut arbitror, episcoporum conventu anathemate proscripti fuere. Sed de re tam obscura, cujus veteres scriptores altum servavere silentium, ne in divinationem labamur, verba facere omnino prætermittimus. Sed ad Idatii Chronicon sermonem convertentes, quandonam Symphosius et Dictinius ad catholicorum communionem redierint, paucis explicabimus (a).

8. Idatius itaque, Hispaniarum rerum scriptor accuratissimus, sub Anastasii pontificatu quoddam Toletanum concilium habitum fuisse, atque in eo tum Symphosium, tum Dictinium, aliosque Gallæciæ provinciæ episcopos Priscillianam hæresim ejurasse, propriaque manu fidei professione subscripta condemnasse asseverat. *Romanæ Ecclesiæ 37 habetur episcopus Anastasius. In provincia Carthaginensi, in civitate Toleto, synodus episcoporum contrahitur, in cujus gestis continetur Symphosius, et Dictinius, et alii cum his Gallæciæ provinciæ episcopis Priscilliani sectatores hæresim ejus blasphemissimam cum assertore eodem professionis suæ subscriptione condemnant.* Addit præterea : *Statuuntur quædam etiam observanda de Ecclesiæ disciplina, communicante in eodem concilio Ortygio episcopo, qui Celenis fuerat ordinatus. Sed agentibus Priscillianistis, pro fide catholica pulsus factionibus exsulabat.* Mirari profecto oportet nec veteres nec recentiores scriptores ad tam celebre testimonium animadvertisse, sed horum alios, quoad concilii causas, quoad tempus, quoad gesta, in unam, alios in alteram abiisse opinionem. Imme admirationem auget quod hujus vel alterius opinionis assertores non iisdem insistant **230** principiis, cum eorum quilibet, vel propriis studiis indulgeat, vel, quasi divinationibus usus, longius quam par est in re non mediocris momenti abscedat a veritate. Nec enim cum Baronio aut Conciliorum collectoribus hic contendere audeo, qui, in tanta sacrorum monumentorum copia et Christianæ rei supellectile tempus et operam insumentes, omnia collegerunt, disposuerunt, ornarunt, non ita tamen, ut eadem semper oculis suis lustrare potuerint, eademque ad optimæ critices regulas redigere. Sed nostra oratio potius eos tangit et urget qui commentaria vel in Baronium, vel in concilia ipsa ediderunt. Pagius enim, Severinus Binius, cardinalis Aguirre, Sirmondus, Baluzius, atque alii eruditi et antiquæ rei studiosi scriptores legitimum concilii Toletani tempus definierunt, cætera vero ibidem acta silentio præterierunt. Tillemontius deinde ad concilii cogendi causas examinandas descendit, multa de Symphosio et Dictinio comminiscitur, cum ad divi Ambrosii epistolas 52, 56, provocat, in quibus nec de Priscillianistis, nec de duobus illis episcopis unicum profert verbum. Cajetanus Cenni octo priorum sæculorum ecclesiasticam historiam illustrandam suscepit, ac præsertim de *formis ecclesiastici judicii servatis in Ecclesia Hispana* verba facere sibi proposuit. Sed vir doctus vix delibatis iis quæ ad Toletani concilii tempus pertinent, cætera silentio prorsus præterit, amplissimo relicto nobis aliisque campo, quem eidem Dictinii et Symphosii causa aperuerat pontificiæ apostolicæ sedis auctoritatis tum asserendæ, tum propugnandæ. Qua in re a proposito sibi scopo minime cessisse certe ii judicabunt qui ejusdem Cenni præfationem percurrerunt.

CAPUT VIII.

Ad refellendas quorumdam et Paschasii Quesnelli potissimum falsas opiniones, Symphosii et Dictinii episcoporum causa exactius ex ecclesiasticis monumentis ad examen revocatur.

1. Quamvis hactenus multus fuerim in expendendis Cæsaraugustanorum Toletanorumque conciliorum Actis, ad Priscillianistarum causam et condemnationem pertinentibus, tamen nihil me præstitisse arbitror, nisi exactius stylum admoveam in iis describendis quæ ad Symphosium et Dictinium episcopos, quondam Priscilliana labe pollutos, spectare videntur. De iisdem enim duobus episcopis aliqui etiam ex recentioribus scriptoribus verba fecere, quos inter principem obtinet locum Paschasius Quesnellus, qui in adornandis sancti Leonis Magni Operibus, nimis suis partibus indulgens, nullo veritatis studio adductus, solam ratiocinandi libidinem secutus, rerum ecclesiasticarum seriem, susquedeque, vertere nisus, veterum monumenta aut oscitanter lustravit, aut in pravum sensum detorsit; et denique veteri Ecclesiæ disciplina abolita, novam regiminis et œconomiæ rationem moliri allaboravit. Is namque in notis et observationibus ad S. Leonis Magni epistolam 15 (b) disertius Priscillianistarum causam et concilia in eosdem Priscillianistas congregata, tempus quo Symphosius et Dictinius vel in hæresim lapsi sunt, vel in Ecclesiæ communionem suscepti fuere, diligentius inquirit. In præceps sane multa ruerent, quæ nos tamquam certa probavimus, si Quesnellianæ conjecturæ robur haberent. Sed tentabundus imprimis is scriptor incedens, utriusque lapsum, Symphosii nimirum et Dictinii, ante Cæsaraugustanum **231** statuit concilium. De qua hæresi infamatus uterque fuit in Cæsaraugustana synodo anni 381 adversus Priscillianum, cujus judicium declinasse dicitur Symphosius, in sententia Toletanæ I synodo se subducens. Nutare arbitror hocce primum Quesnelli assertum. Nam definitiva illa sententia, quæ post concilii Toletani primi acta legitur, ex qua is certe suam hausit opinionem, minime hisce dictis cohæret. Siquidem animum suspensum in veritatis inquisitione habuisse Symphosium ibidem asseritur, *sola tamen una die concilio Cæsaraugustano stitisse se, qui postmodum declinando sententiam præsens audire contempserat* (c). Qua ratione autem hæc cum Priscillianistarum historia cohærere possint, me omnino latet. Symphosium episcopum Cæsaraugustano concilio anni 381 subscripsisse certissimum est. Ad aliud igitur Cæsaraugustæ habitum concilium laudata verba referri debent, de quo plerique suspicati sunt, sed hujus Acta non exstant. Præterea quæ ibidem subduntur præcedentibus repugnare videntur, nam aiunt : *Arduum nobis esset audire jam dictos, litteris tamen sanctæ memoriæ Ambrosii, quas post illud concilium ad nos miserat, ut, si condemnassent quæ perperam egerant, et implessent conditiones quas præscriptas litteræ continebant, reverenter ad pacem* (adde, *quæ sanctæ memoriæ Siricius papa suasisset*)...., *magnam nos constat præstitisse patientiam* (d). Totam in suam sententiam hanc transtulit Quesnellus narrationem, minime tamen perpendens an cum cæteris aliis Priscillianistarum historiæ certissimis monumentis cohæreret, necne. Si ad memoriam revocemus ea quæ in superioribus ex Severo Sulpicio exscripsimus, dissimilem quamdam in Ambrosio agendi rationem in eadem causa deprehendimus. Is quidem Priscillianum, Instantium aliosque hujus sectæ viros,

(a) Consule alteram partem dissertationis a D. Francisco Gervesio Urgellensi presbytero nuper Romanis typis editæ; in qua Quesnellum carpit, quod Toletani synodi Acta supposititia esse contenderit.

(b) Tom. II Operum S. Leonis Magni, in notis et observationibus ad 15 epistolam, pag. m. 449.

(c) Exemplar definitivæ sententiæ translatæ de gestis tom. I Concil. pag. 1476.

(d) Rescriptum episcoporum Ambrosii, etc., ad Siricium papam, tom. II Concil. pag. 1220.

qui Cæsaraugustanæ illi synodo anno 381 se sistere detrectarunt, quamvis Mediolanum profectos, non audivit, non recepit, nec pro iisdem recipiendis ullas ad catholicos Hispaniarum episcopos litteras dedit. Qui ergo fieri potuit ut idem Ambrosius post illud idem Cæsaraugustanum concilium audierit, receperit, pœnitentiæque agendæ conditiones Symphosio episcopo et hujus filio Dictinio atque aliis præscripserit, qui iisdem moribus et vitiis labefactabantur?

2. Sed aliud quidpiam præterea laudata in narratione est, quod cum Cæsaraugustani concilii tempore minime conciliari potest. Ibidem enim sancti Siricii papæ pro hæreticis pœnitentibus recipiendis statuta laudantur. Nec Ambrosius ipse alias conditiones jure præscribere poterat, nisi eas quas apostolica summi pontificis auctoritas decreverat. Recognovit enim ille sanctissimus Mediolanensis antistes, et cæteri illius provinciæ episcopi jam in concilio congregati, neminem ab Ecclesia exclusum legitime eam iterum ingredi posse, cui supremus Janitor, S. Petri successor, januam non aperuerit. Propterea Ambrosius ad Siricium cum cæteris in concilio congregatis rescribens, epistolam sic orditur: *Recognovimus litteris sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi januam serves, et pia sollicitudine Christi ovile custodias*, etc. Hisce ergo principiis Ambrosius insistens, Hispaniarum episcopis suggerere debuit, ut Symphosium et Dictinium pœnitentes ad reconciliationem reciperent, sub illis conditionibus dumtaxat, quas jam apostolica sedes decreverat. Verum cum Siriciana ejusmodi statuta lucem non aspexerint nisi quadriennio saltem post Cæsaraugustanum illud concilium, anno videlicet 385, III idus *Februarias, Arcadio et Bautone* consulatum agentibus, idcirco mihi numquam persuadere possum Symphosii et Dictinii causam anno 381 in Cæsaraugustana synodo fuisse recognitam, amboque ab illo episcoporum judicio se subduxisse. Nam admissa illa diffamatione quam confingit Quesnellus, **232** tum probata illa subductione a Cæsaraugustanorum Patrum judicio anni 381, jam Symphosium et Dictinium, utpote contumaces, necessario ad Burdigalensem synodum accire debebant, cui interesse si detrectasset, parem cum Instantio et Priscilliano pœnam solvissent. Quid plura? Maximi tyranni gladium minime evasissent, nec denique ab imperialium tribunorum furore se incolumes præstitissent, ut paulo prius observavimus. Burdigalensis porro synodus illa eodem anno 385 iisdemque consulibus coacta fuit, in qua nihil de Symphosii et Dictinii diffamatione et contumacia dictum fuisse, Severi Sulpicii silentio probatum est.

3. Nos ergo, ut hujusmodi figmentum præcaveamus, affirmare oportebit, vel scribarum imperitia in eam sententiam ista verba irrepsisse: *Post Cæsaraugustanum concilium, in quo sententia in certos quosque dicta fuerat, sola tamen una die præsente Symphosio, qui postmodum declinando sententiam præsens audire contempserat*; vel ad aliud quam ad illud, quod anno 381 coactum fuerat, debere referri; hocque nonnisi post Priscilliani, Instantii, aliorumque necem haberi potuisse, nostra quidem sententia est. Cardinalis Aguirre, variis adductus conjecturis, tom. II Concil. Hispaniæ, præter illud primum Cæsaraugustanum concilium, aliud anno 385 ibidem celebratum asseverat, cui nos subscribere haud possumus, qui serius illud coactum fuisse contendimus. Verum quamvis multis obvolutum tenebris istud negotium sit et videatur, tamen cætera, quæ in laudato illius definitivæ sententiæ exemplari subduntur, magnum lumen ad veritatem propius attingendam suppeditant. *Legitur namque Symphosium, sancto Ambrosio præsente et audiente, sub conditionibus acceptasse et promisisse, videlicet a recitatione eorum qui dicebantur martyres jam recessisse et perpetuo recessurum; Dictinium vero ecclesiastica obtenta pace, presbyterii locum tenere, nec accipere honoris augmentum*, ut jam papa Siricius priori sua epistola de lapsis pœnitentibus decreverat. Plane ergo omnes illorum conjecturæ ruunt qui Symphosium et filium ejus Dictinium ante Priscillianistarum cædem lapsos esse contendunt. Cujus cædis gesta referens Severus Sulpicius causam fuisse ait, *ut non solum non repressa fuerit hæresis quæ illo auctore proruperat, sed confirmata, latius propagata est. Namque sectatores ejus, qui eum prius ut sanctum honoraverant, postea ut martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera.* Cæso itaque Priscilliano et sociis, catholica religio impie magis et superstitiose fœdari cœpit, cum videlicet tamquam veri martyres haberentur et colerentur ii quos ob graviora scelera sæculi gladius interfecerat.

4. Ex cujus facti novitate ita ecclesiasticæ res perturbatæ fuere, ut plurimi sanctioris vitæ episcopi ab illo judicii et vindictæ genere maxime abhorrentes, quasi Priscilliani causam tueri videbantur, cum cædium auctoribus, Ithacio videlicet et cæteris, communione denegata, anathemate dicto episcopalibusque sedibus spoliatis, tam grave cruentumque facinus exhorrebant. Ab illo enim catholicorum schismate Priscillianistæ occasionem arripuere magis atque magis suam sectam propagandi, cum cæsorum cadaveribus sacros martyrum honores vindicarent, impiamque eam consuetudinem inter se ipsos et in Ecclesias inducentes, ut horum nomina inter aliorum martyrum memorias divinis in persolvendis officiis recitarent (a). In ejusmodi quippe amentiam cecidit Symphosius, a multis deceptus et circumventus, quemadmodum illius definitivæ sententiæ exemplaria patefaciunt. Ex Priscilliani autem dogmatibus duo dumtaxat profitebatur Symphosius: alterum *innascibilem esse Deum*, alterum vero duo rerum aspectabilium principia reperiri. *Nullis tamen libris apocryphis, aut novis scientiis, quas Priscillianus composuerat Symphosius umquam usus est, quamvis Dictinius epistolis aliquantis esset lapsus, quas omnes sua professione* **233** *condemnans, correctionem petens, in Toletano illo concilio veniam postulavit.* Hæc itaque omnia tantam apud nos vim habent, ut nulla prorsus ratione in Quesnelli sententiam adducamur, ut videlicet arbitremur Symphosium anno 381 in Cæsaraugustana illa synodo diffamatum, et veluti Priscillianistam se ab illorum Patrum judicio subduxisse. Vix enim ecclesiasticæ reconciliationis donum sibi promereri potuisset, si novemdecim annorum spatio (quale inter illud et istud Toletanum concilium intercessit) pertinax in sua contumacia perstitisset.

5. Jam vero ad alia gradum faciamus, quæ ob veterum monumentorum jacturam æque obscura et multis difficultatibus implexa sunt. Ambrosium itaque, veluti pacis et reconciliationis sequestrem, a Symphosio et cæteris qui lapsi erant interpellatum fuisse, jam inter omnes cum veteres tum recentiores scriptores convenit. Non ita tamen exploratum est quo anno istos Mediolanum profectos Ambrosius receperit, traditis illis commendatoriis litteris, ut sub quibusdam præscriptis et acceptatis conditionibus catholici ipsi Hispaniarum episcopi, qui se a lapsorum communione separaverant, ad pacem et ecclesiasticam reconciliationem eos admitterent. Quid autem in se continerent divi illius Ambrosii epistolæ ad Hispaniarum episcopos datæ, cum jam temporis injuria interciderint, non undequaque perspectum esse potest. Ex Actis dumtaxat hujus Toletani concilii anno 400 coacti evincitur, illas in præcedenti alia Toletana synodo, ad quam Symphosius, Dictinius et cæteri lapsorum acciti venire detrectarunt, fuisse recitatas; tum etiam Ambrosium sequestris officio sub iis conditionibus functum esse, ut Symphosius ab ordinationis munere se abstineret, et Dictinius hujus filius perpetuo in presbyterii gradu ita permaneret,

(a) Augustinus, lib. contra Mendacium cap. 5.

ut ipse et alii clerici æqualis vel inferioris ordinis numquam ad superiores gradus Ecclesiæ possent ascendere. Sed duo sane tum contigerunt, quæ paci et ecclesiasticæ reconciliationi prorsus repugnabant. Detrectarunt imprimis quotquot Ambrosium adierant coram Hispanorum episcoporum synodo condemnare *quæ perperam egerant*, ut idem Mediolanensis antistes, apostolicæ sedis statutis innixus, faciendum præscripserat, tum a pœnitentium statu atque proposito contra fidem datam recesserunt. Nam vita functo Asturicensi episcopo, Symphosius ad eam sedem Dictinium filium evexit, et episcopum consecravit, et Dictinius ipse, cum eodem Symphosio multos alios in Galliciæ provincia, quorum fides non satis probata erat, in episcopos ordinarunt. Horum autem omnium gestorum seriem continet illud definitivæ sententiæ exemplar quod in Toletana anni 400 synodo editum fuit.

6. Superest nunc ergo ut illius habitæ Toletanæ synodi tempus inquiramus in qua, lectis Ambrosii litteris, pœnitentes illi ad reconciliationis pacem admitti debebant, a qua tamen Symphosius et cæteri se subtraxerunt. Eam autem habitam fuisse ante Ambrosii mortem probabilius est. Paulinus enim in hujus Vita ait : *Theodosio imperatori Christianissimo triennium fere supervixit Ambrosius, qui et ipso die sabbati sancti illum desiisse vivere scribit : prorsus* (Petavius subdit) *Aprilis 4, Christi anno* 397, *Cæsario et Attico coss.* Marcellinus autem hujus obitum anno sequenti 398 ascribit, *Honorio et Eutychiano* coss. Non diu igitur ante divi Ambrosii mortem potuit illa synodus congregari, nam omnes illi novemdecim episcopi, qui in contumaces absentes libellarem direxere sententiam, adhuc 400 anno erant superstites, quod difficile fuisset, si inter illam et hanc Toletanam synodum multorum annorum spatium interfluxisset. Nullum prorsus ad hæc horumque similia respectum habuit Paschasius Quesnellus, sed, pro more et ingenio suo, divinationibus usus, plures Toletanas synodos distinxit, quarum primam inter Cæsaraugustanam anni 381 et Toletanam anni quadringentesimi statuit, nulla interim prorsus habita ratione, vel ad Burdigalensem, vel ad Trevirensem, vel ad aliam forte **234** Cæsaraugustanam, quæ certissime omnes Toletanos conventus præcesserunt. Verum isthæc prætereamus, ne in minimis cum Quesnello contendentes, nodum in scirpo quærere voluisse videamur.

7. Illuc igitur nostra potius se vertat oratio, ubi graviores Quesnelli lapsus offendimus. Cujus quidem generis esse arbitramur palmares illos errores quibus notæ et observationes in epistolam 15 S. Leonis refertæ sunt. In priori quippe horum Operum editione, quasi ex suggestu, Paschasius Quesnellus docuerat Dictinium ex episcopali sua sede ob Priscillianam hæresim ejectum fuisse, cui postmodum Turribius successerat. Huic autem errori causam dedere verba sequentia, quæ ex Idatii Chronico recitare dixit : *Dictinius Asturicensis episcopus, cui ob Priscilliani hæresim, quam profitebatur, ejecto, cum aliis ejusdem sectæ episcopis, successit Turribius.* Incaute etiam monachos congregationis sancti Mauri lapsos esse deprehendimus (*a*), qui in sancti Augustini Operum editione, nimia forte Quesnello vel alteri mendaci scriptori, fide adhibita, illud idem testimonium Idatiano asseruerunt Chronico, repugnantibus aliunde Augustini verbis, quibus Dictinium inter catholicos Ecclesiæ episcopos diem clausisse affirmat; et Ferrario (*b*), qui scripsit Dictinium catalogo sanctorum episcoporum Asturicensis Ecclesiæ ascriptum reperiri, ejusque memoriam quotannis die 2 Junii ea in Ecclesia recoli consuetum fuisse.

8. Interim autem Paschasium Quesnellum suis A laudibus fraudari iniquum foret, qui, laudatum Idatii Chronicum percurrens, memoriæ defectionem seu allucinationem in prima editione se passum esse fatetur, ex cujus Chronici lectione sapientior factus, quæ jam dixerat in altera retractavit editione, sed nimis subdole. Hominis ingenium, qui quoad usque vixit a jam dictis contra catholicæ fidei articulos prolatis et scriptis numquam recedere voluit, quis profecto mirari desinet? Sed hæreticorum schismaticorumque ejusmodi fuisse agendi rationem nemo ignorat. Hi namque quam sæpissime, si in historicis similibusque rebus, parum nihilumve ad eorum systema conducentibus quandoque per inscitiam, oscitantiam et arrogantiam defecerunt, haud difficile postmodum errata revocarunt, correxerunt, et quibusdam veritatis umbraculis contexerunt, ut videlicet veracium ingenuorumque animorum opinionem apud suos asseclas, quos in fidei morumque regulis decipere voluerunt, sibi vindicent. Sed eum errorem in postrema B sua editione nec integre omnino emendavit Quesnellus. Verba illa quidem in Idatiano Chronico desiderari, nec suo fuisse studio conficta sincere et quasi jurejurando fassus est. Cæterum fragmentum illud, cum omnibus substructis, non abradendum a postrema editione censuit, in spem nimirum adductus posse aliquando eruditis oculis inter legendum occurrere, et ad typographum deferri, huic historiæ inserendum. Cui quidem opinioni cum insisteret, non spurium esse illud fragmentum sibi persuadet, sed ignoto potius parenti adjudicandum, et tamquam somniator multa falsa commentitiaque imaginatur, quæ catholicæ Ecclesiæ et Priscillianistarum historias *dejiciunt*, Toletanorum conciliorum fidem *auctoritatemque nimis* reddunt suspectam; et, quod gravius est, Idatii Chronicum, quod et ipse summis laudibus ornat, pravis suis interpretationibus mutilat, corrumpit et in contrariam detorquet significationem. Sed ne de mea sententia comminisci videar, singula quæ Quesnellus adducit, jam statim refellam.

C 9. Et primo rogo unde is scriptor hauriat Dictinium jam ante 400 annum e sua Asturicensi sede dejectum, huicque statim S. Turribium suffectum? Unde, quæso, deducit iterum Dictinium ipsum, Toletanis PP. annuentibus, suam primam occupasse sedem, quæ disserendi ratio, contra **235** Ecclesiæ canones, duos confingit episcopos eamdem sedem administrantes? Horum porro nihil habet Idatius in Chronico, nihil Toletani Patres, qui de hac Dictinii restitutione, aut de Turribii ordinatione nec unum verbum protulerunt. Immo Chronicum illud et hujus concilii Acta mire inter se concinunt; in ea videlicet indicanda indulgentia, qua Dictinio et cæteris pœnitentibus episcopis benigne fuit concessum in suis sedibus perseverare, et duntaxat cautum fuit ut ab initiandis episcopis, presbyteris atque diaconibus se abstinerent, quoadusque Romani pontificis Anastasii et Simpliciani Mediolanensis episcopi, Ambrosii successoris, communionis D litteras reciperent : *Symphosius autem* (aiunt Toletani præsules) *senex religiosus, qui quod egerat*, supra *scripsimus, in Ecclesia sua consistat, circumspectior circa eos quos ei reddemus futurus; inde exspectabit communionem unde prius spem futuræ pacis acceperat. Quod observandum etiam Dictinio et Antherio esse decrevimus* (*c*). Cum itaque Toletani Patres decrevissent Symphosium, Dictinium et Antherium in suis Ecclesiis debuisse consistere, an non confinxit Quesnellus Dictinium ante illud concilium e sua sede ejectum, eique Turribium suffectum? Consistant aiunt PP., non suas sedes recipiant, ut noster annotator somniatur, quæ voces non idem importare vel leviter attendenti fit manifestum. Non ergo est credendum, Dictinio adhuc superstite in hujus locum

(*a*) Tom. VI Operum Augustini, pag. 330.

(*b*) Ferrarius, in generali catalogo SS., ad diem 2 Junii. Videsis Francisci Gervesii dissertationem, pag. 65.

(*c*) Exemplar definitivæ sententiæ Tolet. conc.; tom. II, pag. 1479.

Turribium fuisse ordinatum, sed Dictinium ipsum a die suæ consecrationis ad emortualem diem usque in Asturicensi Ecclesia semper constitisse. Qua in re, tamquam omnino imbecillæ, illico cadunt duæ illæ Quesnelli conjecturæ et suspiciones, vel de duobus episcopis eodem tempore eamdem Ecclesiam administrantibus, quod sacris canonibus vetitum est, vel de summa Turribii senectute, ad quam certe pervenisset, si ejus ordinatio ante 400 annum esset repetenda, cum jam adhuc esset in vivis, et ad laboriosissima habenda itinera aptus, et habilis anno Christi 447 sub Leonis Magni pontificatu reperiretur, ut ex ejus colligitur epistola de qua in seqq. capitibus verba faciemus. Sed de Turribii ordinatione ex monumentis quæ supersunt, nihil certi definire possumus. Illud unum dumtaxat nobis ex Augustino exploratum est, Dictinium ejus prædecessorem extremam clausisse diem ante annum 420. Siquidem cum S. Pater hoc anno librum contra Mendacium ad Consentium scripsisset, Dictinium ex hac vita decessisse hisce verbis indicavit: *Dictinii episcopi vel cogniti vitam, vel incogniti famam laudare mendaciter, est hoc tolerabilius adhuc, quia ille putatur fuisse catholicus, atque ex illo errore correctus* (a).

10. Nec aliqua ratione urgeri possumus genuino illo Idatii testimonio, quo olympiad. 306 scripsit: *In Asturicensi urbe Galliciæ quidam ante aliquot annos latentes Manichæi gestis episcopalibus deteguntur, quæ ab Idatio et Turribio, qui eos audierunt, ad Antonium Emeritensem episcopum directa sunt.* Manichæorum nomine Priscillianistas ibidem designari, nescio quo pacto affirmet Quesnellus, cum jam Idatius eo in Chronico numquam Priscillianistas cum Manichæis confundere consueverit, quamvis ambæ hæreses Gnosticorum propagines fuerint. Olympiade enim 24, descripta Priscilliani et sociorum nece, subjicit: *Exin in Gallæciam Priscillianistarum hæresis invasit.* Rursus, olympiade 294, agens de Ortigio, qui Celenis fuerat ordinatus, addit (b): *Sed agentibus Priscillianistis, pro fide catholica pulsus factionibus exsulabat.* Hac eadem loquendi formula idem Idatius usus est de sancti Leonis Magni ad Turribium Asturicensem epistola disserens: *Romanæ Ecclesiæ 43 præsidet episcopus Leo. Hujus scripta per episcopi Turribii diaconum Pervincum contra Priscillianistas ad Hispalenses episcopos deferuntur.* Quæ quidem omnia **236** cum ipse mecum reputarem, non facile Quesnelli opinioni subscribere potui, quod videlicet priori laudato ejusdem olympiadis loco sub Manichæorum nomine Idatius Priscillianistas designare voluerit, cum nobis cæterisque illud Chronicum percurrentibus utriusque sectæ hæreticos suis propriis nominibus appellasse constet. Et quidem paulo post, de quodam Manichæo Pascentio urbis Romæ, qui de *Asturica diffugerat*, sermonem instituens, eum *Manichæum expresse nominat, quem Antonius episcopus Emeritæ comprehendit, auditumque etiam de provincia Lusitania facit expelli.* Hunc autem Priscillianistam quis affirmabit? Cum Romæ numquam, et Leonis tempore potissimum, Priscilliana lues fuerit grassata. Verum quamvis ultro daretur quod Idatius ibidem ejusmodi hæreticos Manichæos vocarit, quid inde? Nullum dubium est Turribium, defuncto Dictinio, in episcopatu successisse. Hujus igitur studium cum Idatio Lemicæ urbis episcopo in detegendis Manichæis adhibitum nihil obstat quin Dictinius usque ad diem emortualem in Asturicensi throno consederit; non evincit eum e sua sede exturbatum fuisse; non denique eam Ecclesiam a duobus episcopis administratam. Quando enim Dictinius obierat, aut Zosimus, aut Bonifacius Romanam sedem tenebant. Quando vero Turribius et Idatius in occultos animadverterunt Manichæos, jam sanctus Leo pontificatum gerebat, ut in laudato Chronico idem Idatius affirmat.

CAPUT IX.

De Toletana synodo, in qua Symphosius et Dictinius tamquam pœnitentes suscepti sunt, et de Gallæciæ schismate horum causa exorto. Quesnellianæ conjecturæ et ratiocinationes annotantur atque rejiciuntur.

1. Relicto in hisce exordiis parumper Quesnello ad nonnulla alia gradum facere statuimus. Ad Toletani videlicet concilii Acta, ad aliarum rerum seriem in hac eadem causa gestarum, ad gravissimum denique illud schisma in Galliciæ potissimum provincia excitatum, postquam Symphosium, Dictinium aliosque episcopos et presbyteros, quondam Priscilliana lue infectos, a Toletanis Patribus receptos et absolutos fuisse, quidam invidi, aut ecclesiasticæ disciplinæ conservandæ importuno studio addicti, resciverunt. B Et imprimis quod ad laudata Acta attinet, qui oculos, prout a conciliorum collectoribus edita sunt, in ea conjiciunt, valde mutila et imperfecta modo asservari judicabunt, quod nemo hactenus animadvertit. Id sequens specimen, quod subjicimus, patefaciat. In epigraphe quidem nullum vitium irrepsisse arbitramur, nisi forte illud a collectoribus derivatum, qui istud Toletanum primum appellant, cum jam aliud ibidem ab iisdem novemdecim episcopis habitum Patruinus in sua asserat præfatione, ut etiam in superioribus annotavimus. Cæterum istud sub Anastasii pontificatu, Honorio, Arcadio imperantibus, cum videlicet Stilico primum consul renuntiabatur; congregatum fuisse, perspicue Idatius in Chronico indicavit olymp. 294. Eam epigraphem deinde *titul capitulorum* excipiunt, qui brevem dumtaxat summam continent eorum quæ ad ecclesiasticam disciplinam ibidem instaurandam sancita fuerunt. Sed ibi jam vitium irrepsit, nam laudati tituli Romanis etiam numeris notati, unum supra viginti capitula firmata C fuisse indicant; sed postremum, quod erat: *De regulis fidei catholicæ contra Priscillianos* prorsus desideratur. Hisce vero capitulorum titulis concilii præfatio subjicitur, in qua primum illorum novemdecim episcoporum in Toletana **237** convenientium Ecclesia nomina describuntur, nulla tamen facta mentione Ecclesiarum quibus præerant. Sed iis fideliter descriptis, Patruinus Emeritensis episcopus illius cœtus præses, gravem et brevem orationem habuit, qua in Hispaniarum provinciis ecclesiasticam disciplinam pessum ivisse conquestus est, atque ita clericorum scandala percrebuisse, ut gravissimum schisma excitassent. Quibus quidem malis remedium adhibere Patruinus cupiens, *a communi concilio definiendum expetiit quid ab omnibus episcopis in ordinandis clericis esset sequendum.* Tum primus omnium ipse præses in hanc erupit sententiam: *Mihi autem placet constituta primitus concilii Nicæni perpetuo esse servanda, nec ab iis esse recedendum* (c). Cui quippe Pa- D truini sententiæ cæteri episcopi assensi sunt ad unum, anathematis pœna præterea eos postulandos esse judicantes, *qui aliud* quam statutum est facere ausi essent.

2. Nihil autem præter hæc habet præfatio illa, quam deinde viginti dumtaxat capitula, ut diximus, seu canones excipiunt, afflictis illorum temporum rebus maxime convenientia, cum ad malorum luem id dies magis percrebrescentem purgandam, tum ad aditum intercludendum, ne latius serperet, et incolumes adhuc Ecclesias et catholicos labefactaret. Sed cum vigesimum capitulum, quod est de chrismate a solo episcopo conficiendo, subscriptiones episcoporum immediate sequantur, ideo graviter

(a) Augustinus, lib. contra Mendacium ad Consentium, cap. 3.

(b) Idatius in Chronico, olymp. 294.

(c) Exemplaria professionum in concilio Toletano contra sectam Priscilliani exstant tom. II Concil. pag. mihi 1477.

dolendum est quod altera Toletanorum gestorum pars exciderit, aut saltem e primigenia sua sede fuerit avulsa, ut quæ ad Priscillianam pertinent historiam, modo integra, perfecta, et prout a Patribus fuerunt disposita, minime habeamus

Ejusmodi porro gravis jactura partim dumtaxat reparari potuit ex alterius concilii Actis, cujus Patres, vita functis Symphosio, Dictinio ac cæteris qui de Priscilliana hæresi postulabantur, apud Toletanam urbem forte convenientes, ne præpostere quidquam præcipitique animo de transacta hæresi et schismate judicarent, sancte secum reputarunt, Priscillianistarum res gestas altius repetere, cunctaque cognoscere quæ jam in ea causa contigerant. Hac occasione ergo præcedentes Toletanæ synodi definitiones de plenariis gestis excerpi jusserunt, easdemque, ut universo illi novo cætui innotescerent, publice recitari demandarunt. Quo autem anno quave occasione ejusmodi gestorum exemplaria e suis sedibus avulsa in alio concilio posteriori recitata fuerint, cum Ecclesiæ monumenta quæ exstant non prodant, certo definiri non potest. Illud certe extra omnem dubitationis aleam est, excerpta ex genuinis Actis fuisse avulsa, quando jam Symphosius, Dictinius episcopi, et Comasius presbyter, ex hac luce migraverant. Sufficienter hoc indicant sequentia verba posterioris concilii : *Post habitum jam concilium kal. Septembris, tertio nonas Septembris, post diversas cognitiones tunc habitas, sub die octava iduum Septembrium excerptæ sunt de plenariis gestis professiones domini Symphosii, et domini Dictinii sanctæ memoriæ episcoporum, et domini sanctæ memoriæ Comasii tunc presbyteri, quas inter cæteros habuerunt in concilio Toletano de damnatione Priscilliani vel sectæ ejus.* Quis ergo sibi persuadet *sanctæ memoriæ* eos episcopos, illumque presbyterum, in concilio dictos fuisse, si jam adhuc superstites exstitissent? Nec enim vita aut episcoporum mors ab aliis episcopis comprovincialibus, metropolis aut nationalibus, potuit ignorari, et idcirco illos diem extremam clausisse quando ejusmodi professionum exemplaria in concilio longe posteriori fuere avulsa et publice recitata, credendum est.

3. Sed harum possessionum exemplaria confictionem subolere Quesnellus suspicatus est, nec ab hac suspicione Stephanum Baluzium vacuum arbitramur. Unde vero confictionis conjecturæ hauriri possint aut debeant, nullus 238 sufficienter indicavit. Nam Quesnellus, qui in notis ad epistolam 15 S. Leonis aliquos illarum professionum suppositionis characteres in medium produxit, a recto disserendi scopo aberravit, et multa falsa et infirma commentus est. Cujusmodi quidem est illud primum *quo* SANCTÆ MEMORIÆ *episcopos appellat Symphosium et Dictinium; quod si alias tolerabile esset, in ea tamen professione qua hæresim abdicant absurdum videtur* (a). Adeone scrupulose agis, Quesnelli, ut quondam hæretica labe aspersi, si postmodum evadant pœnitentes, singulos ejurent errores, et cum Ecclesia reconciliati tandem in pace obdormiant, nefas repules eos sanctæ memoriæ viros appellari? Profecto tota Christianæ rei historia, sacra diptycha et vetustæ Ecclesiarum tabulæ ruerent, pessum irent, et commentis scatere censenda essent. Antiquitus enim, sicut et modo, illa loquendi formula usurpata erat ad innuendam ecclesiasticam pacem et communionem in qua obierant qui jam ex hac luce demigrarunt; neque iis vocabulis *sanctæ memoriæ* fraudabantur ob hæresim, vel schisma, in quod lapsi essent, dummodo pœnitentes decederent, et, absoluti ante vitæ exitum, pristinæ communioni restituerentur. Immo ejusmodi homines post adeptum reconciliationis sacramentum, ita in honore habebantur, ut eorum nomina Deo ad altare offerrentur, ut constat ex can. 29 concilii Illiberitani, quo cautum est ne *energumenorum* nomina sacris in mysteriis recitarentur; vel ex 19 concilii Emeritensis, quo sacerdotibus jubetur : *Pro singulis diebus dominicis sacrificium Deo offerre, et eorum nomina a quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore missæ; quod si ab hac decesserunt, aut decesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo ordine.* Horum porro nominum recitatio catholicæ communionis argumentum fuisse erudite probant Albaspinæus et Ferdinandus Mendoza in notis et observationibus ad Illiberitanum concilium (b).

4. Sed addit Quesnellus, *sanctæ memoriæ* verba illa, etsi tolerabilia censeantur, in ea professione qua hæresim abdicant absurda videri. Sed hic gravissimum nostri annotatoris Quesnelli oscitantiæ lapsum lector, quæso, animadvertat, et nobiscum serio illarum professionum exemplar percurrat, quæ in concilio Toletano contra Priscilliani sectam editæ fuere, simulque perpendat quæ ad postremum concilium pertinent. Illius quippe exemplaris exordium totum spectat ad postremi concilii PP., qui, adducti studio inquirendæ veritatis, dicunt consuluisse Toletanæ synodi Acta, et excerpi jussisse de *plenariis gestis professiones domini Symphosii, et domini Dictinii sanctæ memoriæ episcoporum* (c). Et duo ergo illa verba prorsus extra professiones posita sunt, et a posterioris concilii notariis et PP. adhibita dumtaxat fuere ad innuendam eam ecclesiasticam pacem et communionem in qua Symphosius et *Dictinius obierunt.* Præterea non sibi suadeat Quesnellus hujus concilii notarios integre eas professiones, prout erant, in autographo huc transtulisse. Multa quidem ab iisdem prætermissa sufficienter ea indicant verba : *Post aliquanta..... eodem tempore acta.... Dictinius episcopus dixit : Audite me.* Unde eruitur, ex plenariis Toletanæ synodi gestis ea dumtaxat selegisse quæ in criminum contestationem, horumque exsecrationem, tum a Dictinio et Symphosio, tum a Comasio, dicta fuere. Cum igitur professio ab iis vocibus ordiatur : *Audite me, optimi sacerdotes*, non est cur Quesnellus eam confictionis insimulet, cum 239 omnia præcedentia verba (inter quæ hæc duo, *sanctæ memoriæ*) notario tribui debeant, ut legentibus patebit.

5. Jam vero aliud confictionis argumentum, quod secundo loco Quesnellus subjicit adhuc perpendamus. *Deinde* (ait) *errores Priscilliani et assectarum ejus vix attigit, de sola Filii innascibilitate loquens, et de duobus principiis, et animæ cum Patre consubstantialitate, quas sententias ita condemnant, ut fucum facere videantur, sibique suas professiones explicandi reservare facultatem.* Cui quippe conjecturæ ut robur adderet auctoritatemque, ad S. Leonem provocat, ex cujus verbis professionis confictionem comprobare intendit. *Et tertio enim* (ita immediate subjicit) *S. Leonis capitulo putet illos aliquo sensu nascibilem Filium dixisse. Ex quinto, non illos contendisse disertis verbis unam Dei et hominis esse naturam, quod in se solummodo reprehendit Dictinius in illa professione* (d). His ergo similibusque aliis eruditus criticus insistit, ut lectorem in malam fidem adducat, ad credendam videlicet totas illas professiones ad fraudem esse confictas. Ita quidem ratiocinatur Quesnellus. Sed verane isthæc omnia esse arbitrabimur? An potius nobis erit verendum argutulum hunc nimis licenter fabulosa quædam comminisci potuisse, cum de aliorum fraudibus et confictionibus nimis anxie inquirebat?

(a). Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis Magni, pag. 450.

(b) Tom. I Concil. Generalium.

(c) Mirum quidem est Quesnellum in talem oscitantiam labi potuisse, cum S. Leo Magnus episcopos pœnitentes in latrocinio Ephesino lapsos in communionem recipiens, jubeat horum nomina ad altare recitari. Vide postremam hujus tomi partem, in qua luculentius de hac re sermonem habemus.

(d) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis, p. 450.

Eum autem turpiter aberrasse, priora illa indicant A verba : *Deinde errores Priscilliani et sociorum vix attigit.* Quid enim? Attingere forte et confiteri debebant errores in quos numquam lapsi fuerant? Exemplar quippe illud de quo agimus, non fidei professionem in Toletano concilio ab episcopis et presbyteris pœnitentibus factam continet, sed dumtaxat criminum confessionem ejurationemque. In ea autem ex Priscilliani erroribus eos dumtaxat exprimere debebant quibus adhæserunt, tum deinde Priscilliano auctori cæterisque ejus blasphemiis anathema dicere. Cum igitur ex Priscilliani dogmatibus illa profiteri ausi fuissent : *Innascibilem esse Deum, unam Dei et hominis esse substantiam, aut duo esse principia*, ideo expresse hæc tantum confiteri opus erat, eadem exsecrari, quin se aliorum criminum reos facerent quæ numquam admiserunt.

6. Confessionem autem criminumque ejurationem exemplar illud continere, minime fidei professionem, produnt illa verba, in quæ primus omnium Dictinius B pœnitentiam agens erupit : *Audite me, optimi sacerdotes, corrigite omnia, quia vobis correctio data est. Scriptum est enim : Vobis dabo claves regni cœlorum, sed peto a vobis ut claves mihi regni, non portæ aperiantur inferni.* Hæc hominis humiliter pœnitentiam agentis, veniam absolutionemque enixe deprecantis, verba esse quis inficiabitur? Post hæc autem singillatim sua aperit crimina. *Hæc, si dignamini, omnia ante oculos pono. Hoc in me reprehendo, quod dixerim*, etc. pari ratione quoque omnia retractavit quæ scripserat, subdens : *Sed et omnem præsumptionem meam de scriptis meis arguo et condemno.* Et interposito juramento, omnia toto corde respuere Dictinius profitetur, et quæ contra fidem scripserat condemnavit. Hæc igitur in se spectata nullam olent suppositionem, fraudem, aut confictionem; præsertim cum illi pœnitentes coram synodo se sistentes fidei professionem ab iis Patribus acceptam ex chartula scripta recitarent, et anathemate dicto omnibus hæreticorum libris et dogmatibus, et Priscilliani po- C tissimum, absoluti et ad communionem recepti fuere, ut ab exemplari definitivæ sententiæ colligimus.

7. Falsissimum præterea est fucum facere voluisse, aut sibi suæque professiones explicandi reservasse facultatem. Undenam id conjicit annotator? Contrarium quidem innuunt hæc et consimilia verba concilii Patribus dicta : *Omnem præsumptionem meam de scriptis meis arguo, atque* **240** *condemno.* Vel illa alia : *Testis est mihi Deus*; aut isthæc : *Quæcumque conscripsi, omnia me toto corde respuere; excepto nomine Dei, omnia anathematizo; omnia quæ inveniuntur contra fidem cum ipso auctore condemno.* Non ergo tam subdoli et versipelles fuerunt pœnitentes illi, de quibus ibi sermo est, ut fucum facere nisi sint, aut contra fidem prolata explicandi facultatem sibi reservaverint, ut hac nostra ætate Quesnellus ipse ejusque associæ ad apostolicæ sedis judicium acciti, et condemnati, contra omne jus quam sæpissime nimis audacter tentarunt. Splendide tandem noster annota- D tor Quesnellus nugatus est, cum ad S. Leonis Magni dicta provocans, ea quasi in testimonium confictæ illius professionis adduxit. Absolute quidem innascibilem esse Deum, Leone auctore, Priscillianistæ asseruerunt. *Quia verbum caro factum* (ait S. doctor) *non vere isti honorant, sed honorare se simulent, jejunantes eodem die, sicut et die Dominico, qui est dies Resurrectionis Christi; quod utique ideo faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentata videri volunt quæ vera non fuerint.* Disertis quoque verbis Priscillianistas contendisse unam Dei et hominis esse substantiam et naturam ipse S. Leo, cap. 5 docuit, dicens : *Quinto capitulo refertur animam hominis divinæ esse substantiæ, nec a natura creatoris sui conditionis nostræ distare naturam* (a). Quæ duo cum ego sedulo animadvertissem, facile in eam persuasionem adductus sum, aut Quesnellum nimis fidenter suis studiis indulsisse, aut in S. Leonis Operibus adornandis oscitanter semper ea percurrisse ut quam sæpissime nostris hisce dissertationibus palam facimus.

CAPUT X.

De cæteris episcopis et clericis Priscilliana labe pollutis in Toletana prima synodo condemnatis vel absolutis.

1. Quæ de Symphosio et Dictinio dicenda occurrebant quanta potuimus brevitate præcedenti capite explicavimus. Nonnulla alia in præsentiarum dicturi sumus de quibusdam aliis episcopis et clericis eadem Priscilliana labe pollutis, qui cum eisdem Symphosio et Dictinio, nondum pœnitentibus et ab Ecclesia absolutis, communicarunt, vel ad sacrorum ordinum ministeria ab iis se promoveri passi sunt. Et primo quidem ad eos se nostra vertit oratio qui, ad synodum canonice acciti, coram Episcopis se sistere non detrectarunt, quos inter locum habuisse Paternum, definitivæ illius concilii sententiæ exemplaria ex gestis translata produnt. Is enim ante ordinationem, Priscilliani errores sciebat et profitebatur. Sed post adeptam Bracarensem sedem, omne illius hæreseos virus ejuravit lectione librorum sancti Ambrosii.

2. Hunc ergo cum Symphosius ordinasset contra ecclesiasticas leges, quadam adhibita indulgentia, suam retinere sedem permisere, despondentes præterea illius Toletanæ primæ synodi PP. eum in communionem suscepturos, *cum sedes apostolica rescriberet*. Eamdem indulgentiam erga Isonium adhibuere, qui, nuper baptizatus a Symphosio, contra ecclesiasticas regulas ad episcopatum statim fuit promotus, quem ab hoc gradu minime esse dejiciendum concilium judicavit, quia hoc se tenere quod in præsenti concilio professus est respondit. Hæc synodi Patres cum decrevissent, ad Vegentini causam examinandam processerunt, **241** *qui olim ante Cæsaraugustanum concilium episcopus factus, similiter libros Priscilliani cum auctore damnaverat, ut de cæteris Acta testantur.* Sed cum postmodum fidem mutasset, ac Priscillianistis adhærere voluisset, sacra communione erat privatus. Et huic indulgendum, quamvis forte graviorem culpam admisisset, communi suffragio definitum est, eumque in pristinam communionem receperunt, ea conditione proposita et servata, ut sinceram fidei professionem scripto consignaret.

3. Aliter vero cum Herena episcopo hujusque clericis factum fuisse intelligimus. *Nam Herenas ille, qui suos clericos sequi maluerat, quique sponte, nec interrogatus, Priscillianum catholicum sanctumque martyrem clamasset, et ipse usque ad finem catholicum esse dixisset persecutionem ab episcopis passum; hunc* (inquam) *cum his omnibus tam suis clericis quam diversis episcopis, hoc est Donato, Acurio, Æmilio, qui consortium perditorum sequi maluerunt, sacerdotio* submovendos esse decreverunt. Nec vero tanti momenti quæstionem hisce decretis definitionibusque dumtaxat absolutam fuisse arbitrabimur. Alia quippe adhuc supererant, quibus consulere et medicinam adhibere oportebat. Iis videlicet qui ad concilium ex Gallæcia venerunt, et in Symphosii communione semper durarunt, cum episcopus ille Priscilliana lue inficiebatur. Pro his ergo istud decretum factum legimus, ut, *accepta forma a concilio missa, si subscripserint, etiam ipsi in cœlestis pacis contemplatione consistant, exspectantes pari exemplo quid papa, qui nunc est, quid sanctus Simplicianus Mediolanensis episcopus reliquique Ecclesiarum rescribant sacerdotes.*

Si qui autem, audacius agentes, concilii hujus spreta indulgentia, *subscriptionem formæ quam misimus non dederint, Ecclesias quas detinent non retineant, neque his communicent qui, reversi de synodo,*

(a) Ex epist. ad Turribium Asturicensem, cap. 4. Ex eadem epist. cap. 5.

datis professionibus, ad suas Ecclesias reverterunt. Non licere præterea cuiquam communione privato collectiones facere per mulierum domos, et apocrypha quæ damnata sunt legere, ne communicantes his pari impietate tenerentur, jure et merito sancitum est. Qua in re catholicis episcopis maxime præceptum voluerunt, ne suum onus et officium oblivviscerentur : *Quoniam quicumque eos susceperint* (aiunt), *certum est eos etiam graviori sententia retinendos esse.* Postremo tandem Ortygium Celenis catholicum episcopum, nefarie Priscillianistarum factionibus et impetu ante hoc concilium a sua sede expulsum, ad suam reverti debere Ecclesiam pronuntiarunt, ut tradit etiam Idatius in Chronico, de hac Toletana synodo habens sermonem.

4. Hæc itaque sunt omnia quæ causa religionis tuendæ, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, atque pacis firmandæ, perpetuoque duraturæ concordiæ, a Toletanis illis PP. anno 399 aut 400 firmata sunt. Verum cum in iis condendis decretis laudati PP. semper eam conditionem apposuerint, se pleniorem remissionem pœnitentibus concessuros, cum sedes apostolica rescripserit, ut cum Vegentino et Paterno factum legimus, videlicet, *Recepturi etiam in nostram communionem, cum sedes apostolica rescripserit;* vel cum agebatur de recipiendis iis Gallæciæ episcopis qui cum Symphosio semper communicaverant, quibus dictum est, ut exspectarent pari exemplo *quid papa, qui nunc est, quid S. Simplicianus Mediolanensis episcopus reliquique Ecclesiarum rescribant sacerdotes;* vel illud denique, quod de Dictinio et Anterio pariter episcopis servandum constituerunt, quos ab ordinationis sacræ ministerio abstentos esse voluere, quoadusque per *papam vel sanctum Simplicianum communio ipsis redderetur;* cum, inquam, nos ejusmodi loquendi formulas ab Hispanis conciliis adhibitas offendamus, inde est ut nos in iis, tamquam in speculo, conspiciamus Hispaniarum præsules talem tantamque venerationem atque obedientiam apostolicæ sedi, et ipsis Romanis summis **242** pontificibus exhibuisse, ut adhuc ab ipsis synodice prolata judicia, in pœnitentium episcoporum et clericorum causis, firma et rata esse minime arbitrarentur, nisi ejusdem apostolicæ sedis auctoritate probarentur.

5. Quam quidem veritatem cum omnibus fere hæreticis aliisque invidis hominibus exosam esse noverim, jam illud statim mihi eripere opus est quod opponere possent. Æqualem reverentiam, videlicet, Hispaniæ PP. tunc exhibuisse Simpliciano, Mediolanensium episcopo, cæterisque sacerdotibus, ut decreverunt, cum in causa episcoporum Gallæciæ, qui semper cum Symphosio communicaverant, tum in causa Dictinii et Anterii episcoporum, in quarum postrema judicium æque reservatum fuit sancto Simpliciano episcopo Mediolanensi ac Romano pontifici tum existenti. Sed hæc agendi œconomia Romanorum pontificum auctoritatem (aiunt) elevat, aliorum episcoporum auctoritati æquiparando, vel ut saltem in Romanum concilium eædem causæ finiendæ referantur. Ita profecto blaterant, et nunc blaterare possent, qui, ecclesiasticam unitatem scindere cupientes, nimis anxie Romanos pontifices cæteris aliis episcopis exæquare student. Sed incassum eos laborare in hac aliisque similibus causis perspectum est. Nam ut alia prætereatn, de quibus vel jam disserui, vel alibi verba faciam (*a*), plenissime constat Toletanos PP. non una et eadem ratione adductos Simpliciani Mediolanensis

A episcopi et papæ, qui tunc erat, litteras exspectandas esse decrevisse. Ambrosius in primis, Simpliciani prædecessor, sequestris officio apud Hispaniarum PP. functus fuerat, ut Symphosius, et Dictinius sub conditionibus a Siricio papa præscriptis reciperentur (*b*). Ambrosii votis annuerunt Toletani illi Patres. Sed quia jam is ex hac luce migraverat, et Simplicianus hujus thronum conscenderat, nec Symphosius atque Dictinius præscriptas impleverant conditiones, sed, necessitate aut contemptu, contra canonum sanctiones irritas reddiderunt. Hoc quippe gravissimum violatæ fidei, tum sacris canonibus irrogatæ injuriæ, facinus, ob quod irregularitatis vitium contraxerant, et arctioribus excommunicationis vinculis se obstrinxerant, illi Ecclesiæ innotescere oportebat, cujus pastor mediatoris officium interposuerat, ut pœnitentes illi absolverentur. Quare cum Ambrosius eorumdem intercessor jam apud Hispaniarum catholicos episcopos egisset, non ut a quocumque vitio ab-
B solverentur, sed sub illis dumtaxat conditionibus quas supremus et universalis pastor Siricius ex hæresi revertentibus præscripserat, idcirco illi de Symphosio rescripserunt : *Inde exspectabit communionem, unde prius spem futuræ pacis acceperat. Quod observandum etiam in Dictinio et Anterio esse decrevimus.* Quæ verba, etsi ad mediatorem et supremum etiam judicem debeant referri, non tamen parem utrique auctoritatem fuisse indicant. Ambrosius enim, in hac causa, vicaria, dumtaxat, seu delegata summi pontificis potestate fungebatur, cum ipse conditiones sub quibus pœnitentes illi reciperentur non præscripserit, sed eos sub præscriptis a Siricio papa recipiendos insinuaverit suaseritque. Nihil nostro confingimus marte. Sed ejusdem definitivæ sententiæ illa verba id sonant : *Litteris sanctæ memoriæ Ambrosii, quas post illud concilium ad nos miserat, ut, si condemnassent, quæ perperam egerant, et implessent conditiones quas præscriptas litteræ continebant, reverentur ad pacem* (adde, *quæ sanctæ memoriæ Siricius papa*
C *suasisset*)... Quid enim ea ibi verba apponere, *quæ sanctæ memoriæ Siricius* **243** *papa suasisset*, si Ambrosius propria et non apostolicæ sedis auctoritate ad Hispaniarum episcopos scripsisset? Siricii quippe, non Ambrosii est magnum illud decretum ad *Tarraconenses*, *Carthaginienses*, *Bæticos*, *Lusitanos atque Gallæcios*, eosque qui in vicinis habitabant provinciis, quo statuit ea conditione *pœnitentibus, bigamis, vel viduæ maritis, qui indebite in sacram militiam irrepserunt, veniam esse relaxandam, ut in magno debeant computare beneficio, si, adempta sibi omni spe promotionis, in hoc quo inveniuntur ordine perpetua stabilitate permaneant.* Cum itaque in recipiendis lapsis pœnitentibus, a concilio Toletano potissimum, de illius Siriciani decreti dispensatione ageretur, non ad aliam quam ad apostolicam sedem recurrere oportebat, atque ab hac definitiva sententia omnino erat exspectanda. Siquidem istuc dispensandi jus cum iis qui ejusmodi irregularitatis vitio erant impediti, non cujuscumque ordinis episcopis, non conciliis
D indulsit, sed sibi suisque successoribus papa Siricius reservavit, ut illius decreti verba immediate subsequentia patefaciunt : *Sciturі post hæc omnium provinciarum summi antistites, quod si ultra ad sacros ordines quemquam de talibus crediderimus assumendum, et de suo, et de eorum statu quos contra canones et interdicta nostra provexerint, congruam ab apostolica sede promendam esse sententiam* (*c*).

(*a*) Videsis quæ dicturi sumus in postrema hujus operis parte de Eutychiana 1 hæresi verba facientes.

(*b*) Perperam contendit Quesnellus Siricii papæ hanc epistolam, aliasque similes, locum non obtinuisse in cod. illo canonum quem ipse nonnisi fabulando antiquo Romanæ Ecclesiæ usui adjudicavit. Plene ejus argumenta evertunt, tum Ambrosii et Simpliciani Mediolanensium agendi ratio, tum Toletanorum PP. decretum, quod hactenus explicavimus. Videsis Quesnelli dissert. 12 et seqq., tom. II Operum S. Leonis. Nos de hoc canonum cod. a Quesn. edito aliqua dicemus de Pelagianis agentes.

(*c*) De hujusmodi dispensationibus Romanæ sedi reservatis potissimum agemus in describenda Eutychianorum historia, in postrema hujus operis parte, ad examen revocatis sancti Leonis Magni epistolis pro recipiendis iis qui in latrocinio Ephesino lapsi erant.

6. Nunc dicant, amabo, novæ ecclesiasticæ disciplinæ assertores, qui audacter apostolicæ sedis jura oppugnare conantur, eamdem arctissimis finibus circumscribere cupientes, an tam grave, tam sanctum, tam *peremptorium* (ut vocant) decretum fuisset ab illo nationali concilio dissimulandum? Vel an novemdecim illi Patres, qui in concilio convenerunt, pietate utique, doctrina atque morum integritate clarissimi, decretum illud potuerint ignorare aut contemnere? Utrumque vero absimillimum. Nam isthoc decretum, seu *interdictum*, ut ait Siricius, de non promovendis ad episcopatum aut sacros ordines quondam hæretica labe pollutis, jam ante quatuordecim annos omnibus Hispaniarum Ecclesiis innotuerat, eoque non tantum clerici qui promoveri cupiebant, sed et episcopi ordinatores constringebantur. Cum igitur Symphosius, Dictinius, Anterius, Vigentinus, et cæteri omnes, qui, veluti homines ad clericalem militiam ascripti, pœnitentiam agentes coram synodo se stiterunt, talia facinora admisissent quæ apostolicæ sedis dumtaxat indulgentia plenissime poterant relaxari; idcirco PP. ad eam provocare oportebat, speciali simul facta mentione Siriciani *interdicti*. Laudatum vero Siricii papæ *interdictum* die III iduum Februariarum prodiisse, eo anno quo Arcadius et Bautonius, seu Baudonius, consulatum agebant, qui est 385, jam ipsi ex Romanorum consulum tabulis in superioribus annotavimus.

7. Miramur tamen tanti momenti res, ad ecclesiasticam illustrandam historiam aptissimas, hactenus a nemine fuisse ad trutinam revocatas, hujus concilii gesta cum præcedentibus Siricii decretis atque canonibus conferendo. Nec enim suppositionis nota isthæc epistola argui potest, vel inter Isidorianas merces rejici. Eam quippe in sua collectione Dionysius Exiguus admisit, atque eamdem laudarunt, cum Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi anni 789, tum Hincmarus Rhemensis opusc. 10, ne quidquam dicam de libro Pontificali, in quo legitur: *Hic fecit constitutum de omni Ecclesia*, cujus auctoritas plerisque criticis suspecta est (*a*). Immo nostram admirationem maxime auget Tillemontii licentia, qui cum **244** sibi alium scopum proposuisset, præter illum Romanæ sedis jura asserendi et propugnandi, in laudata Toletani concilii verba parenthesi interclusa offendens, videlicet (adde, *quæ sanctæ memoriæ papa Siricius suasisset*), ea extra textum amandanda censuit, nec aliud nisi purum putumque redolere additamentum existimavit. Sed ibi vir doctus nugas agit, cum futilibus insistens conjecturis, haudquaquam rationi consentaneum sibi videri arbitratur S. Ambrosium ea occasione, aut ex Siricii consilio, aut ex hujus legatione, ut Symphosius et Dictinius a Toletanis Patribus absolverentur, egisse. Papæ! Ita non oportebat Tillemontium ratiocinari, ne Quesnello aut aliis videretur velle episcoporum jura minuere, et apostolicæ sedi legitima jura asserere. Age igitur, aliorum præjudiciis vir doctus non adhæreat, eademque non propugnet (*b*). Sed dicat, amabo, an Siriciana illa decreta (*c*) cum Ambrosium, tum Hispaniarum episcopos latere potuerint, an ab iisdem omnino contemni? Alterutrum asserere, aut suspicari, nimis inverisimile est. Nam Ambrosii ad Siricium papam epistolæ qualem quantamque ipse erga apostolicam sedem animi reverentiam et submissionem exercuerit, quantumque Romanum pontificem ob jam damnatos hæreticos laudaverit, nimis evidenter manifestant. Ambrosius igitur agens cum Hispanis episcopis de recipiendis Symphosio et Dictinio pœnitentibus, non poterat præterire conditiones jam ab eodem papa Siricio

A præscriptas; nec ipsi Hispani episcopi pœnitentium causam cognoscere poterant, de ea inquirere et judicare, nisi sub iisdem conditionibus quas Siriciana statuta continebant. Igitur in definitivæ sententiæ decreto, quod Toletani PP. ediderunt, necessario ea verba exprimere oportebat: *Litteris tamen sanctæ memoriæ Ambrosii.... ut, si condemnassent quæ perperam egerant, et implessent conditiones, quas præscriptas litteræ continebant, reverenter ad pacem* (adde, *quæ S. memoriæ papa Siricius suasisset*) . . . . *magnam*, etc. Quod si facere prætermisissent, non irreverentiæ dumtaxat, sed et schismatis et contumaciæ redargui et puniri potuissent. At ne operam tandem vel cum uno Tillemontio, vel cum apostolicæ sedis inimicis ludere videar, relictis modo Sirícianis decretis atque Toletani concilii gestorum exemplaribus, ad ea gradum facere libet quæ post hujusmodi gesta in iisdem Hispaniarum provinciis contigerunt.

B

CAPUT XI.

De gravi schismate inter Hispanos orto post Toletanam synodum.

1. Grave quidem tunc schisma ob veniam relaxatam episcopis et clericis pœnitentibus, Priscillianistarum hæresim et scripta exsecrantibus, vel ob indulgentiam contumacibus denegatam, paulo post excitatum fuisse, jam sancti Innocentii papæ epistolæ ad synodum Toletanam evidentissime patefaciunt. Cujus quidem schismatis auctores Bœtici, et Carthaginenses episcopi fuere, qui ægerrime ferentes quod Toletani Patres Symphosium, Dictinium aliosque Gallæciæ episcopos in communionem, retentis honoribus et gradibus, recepissent, ab iis qui eos receperant desciverunt. An livor, invidia et rixandi desiderium Bœticorum et Carthaginensium animum urgeret; an vero Toletanis sanctionibus repugnaverint, ne ecclesiasticæ disciplinæ rigor nimis relaxaretur, non audeo definire. Id unum dum-
C taxat certum et exploratum est, brevi ita duarum factionum partes in illis provinciis percrebuisse, ut, auctore Hilario episcopo, et Elpidio presbytero, qui ad apostolicam sedem convolarunt, pax **245** fuerit violata, disciplinæ ratio confusa, et *contra canones, Patrum contempto ordine, neglectisque regulis, in Ecclesiarum usurpatione* multa commiserint, quæ sacerdotalem concordiam, in qua *catholicæ nostræ fidei stabilitas tota consistit*, quasi pervicaci et rabido animo dissolverunt. Interim dum ejusmodi mala latius in dies magis propagabantur, Anastasius summus pontifex ex hac luce demigrat. Quibus ut Hilarius et Elpidius necessariam adhiberent medelam, Romam proficiscuntur, quando jam Innocentius papa apostolicæ sedis clavum tenebat. Sed in quem Christi annum horum in Urbem adventus rejici debeat, ex nullo Christianæ aut civilis rei monumento conjicere potuimus. Potissimum, quia in illa epistola quam S. Innocentius pro componendo Ecclesiarum Hispaniæ turbatissimo statu ad Toletanam synodum scripsit,
D temporaria seu consulum nota desideretur. Probabilius tamen est Toletanam inter laudatam synodum et Innocentianæ hujus epistolæ tempus varios effluxisse annos, quorum cursu commode et opportune schisma, in Bœtica et Carthaginensi provincia primo excitatum, longe lateque per omnes Hispaniarum partes potuit propagari. Id nobis suadet Patruini Emeritensis episcopi, qui Toletanæ synodo præfuit, obitus, hujusque successoris Gregorii institutio et ordinatio; tum graves injuriæ quas post adeptam Emeritensem sedem idem Gregorius passus fuerat, cujus honorem sanctus Innocentius ut vindicaret jussit, ne post hæc

(*a*) Franciscus Gervesius hanc suspicionem adjudicat Nicolao Antonio, Bibliotheca Hispan. lib. II, cap. 7. Sed credendum est Tillemontium haud consuluisse, præsertim cum eam non refellat, uti erat necessum. Hist. Priscil., post p. 68.

(*b*) Tillemontius, tom. VIII, nota 13 de Priscillianistis, pag. 124.

(*c*) Rescriptum episcoporum Ambrosii ad Siricium papam exstat tom. II Concil. pag. mihi 1229.

in quemquam bonorum spiritus factionis insurgat. Sed nec in sui pontificatus exordiis huic gravissimo schismati Innocentium papam occurrisse, perspicue produnt verba illa, a quibus ipse suam epistolam orditur; videlicet : *Sæpe me et nimia cum teneret cura sollicitum super dissensione et schismate Ecclesiarum, quod per Hispanias latius in dies serpere et citatiore gradu incedere fama proloquitur.* Nam sæpe auditis ex fama tantorum malorum rumoribus, iis medicinam afferre secum distulit, quoadusque ex remotioribus Hispaniæ finibus Hilarius et Elpidius, qui jam Romam venerant, fideli narratione, cum dolore et gemitu *protestati sunt quæ in consensum presbyterii actorum confectione*, qua laborabat pernicie Ecclesia, exposuerunt. Tunc quidem emersisse *tempus, quo non posset emendatio differri; sed oportere congrua medicina provideri*, ipse Innocentius fassus est. Quare scribere statuit ad Toletanæ synodi episcopos, nomi castigare brachio, et vellicare, et eos carpere, qui propter Galliciorum cum Symphosio et Dictinio communionem ab *omnium pace descivèrant.* Ad quam autem Toletanam synodum S. Innocentius suas epistolas direxerit, non satis inter scriptores convenit. Baronius et alii S. pontificem ad præcedentem laudatam synodum scripsisse sibi persuadent, aut saltem ad episcopos superstites, qui ad eam convenerant. Contra vero Severinus Binius cum quibusdam aliis scriptoribus ad novum concilium apud Toletum quoque coactum has epistolas referri debere, variis conjecturis innixi, arbitrantur, suffragante etiam Vivario, qui quinque Toletanos conventus brevi habitos fuisse autumat. Sed cum hujus rei decisio gravissimis nodis obnoxia sit, ad quos dissolvendos aut præcavendos saltem, necessaria non supersunt monumenta, nihil prorsus definiemus.

2. Illuc igitur potius nostra se convertet oratio, unde S. Innocentius Toletanos episcopos allocutus est. Apostolici vigoris in primis plena esse verba, quibus ad penitus exstinguendum contentionis ignem usus est, nemo inficiabitur. Nam schismatis auctores impetit, quod, *obtinendi proposito unusquisque quod voluit, æternum orbem mali et circuitum quemdam de tali animositate fecerunt, cum ubique bono cuique in rebus talibus vinci melius sit, quam malo more pravum propositum quod semel placuit obtinere* (a). Ut fortius deinde S. Innocentius in dissensionum auctores inveheret, irregulares rabidosque eos motus luciferiano schismati æquiparat, quando videlicet pertinacia eum episcopum *retraxit a concordia illorum* [246] *qui Arianorum hæresim prudenti conversione damnaverant.* Eodem autem prorsus studio tum permotos fuisse asseverat qui Priscillianistis conversis communicare detrectabant, cum Ecclesia jam auctoritate, qua pollet, horum primum confessione acceptata pœnitentia et conversione probata, in suum sinum eos receperat. Quod factum utile (subjicit) *et ipsam Ecclesiarum pacem aliquibus* (Bœticis videlicet et Carthaginensibus episcopis) *displicuisse deteguntur.* Sed quia novit laudatos episcopos invidia disrumpi, quod cum honoribus et muneribus Ecclesia Symphosium, Dictinium aliosque receperat, primo horum unitatis et concordiæ propositum laudat, quo adducti pravam hæresim damnarunt, tum deinde quasi miratur quod inventi fuerint *quibus recte facta correctio displiceret. Quæro* (paulo post ipse subjicit) *quare doluerint Symphosium atque Dictinium aliosque qui detestabilem hæresim damnaverunt, receptos in fidem catholicam tunc fuisse? Numquid nam aliquid de honoribus amiserunt, quos habebant? Quod si quos hoc pungit et stimulat, legant Petrum apostolicum post lacrymas hoc fuisse quod fuerat, considerent Thomam post dubitationem illum nihil de prioribus meritis amisisse.*

3. Hæc igitur et id genus alia exempla ex sacris litteris deprompta schismatis auctoribus objiciebat sive ut præcedentia Toletanorum Patrum statuta vindicaret, sive ut a Symphosio et Dictinio omnem hæreseos labis suspicionem amoveret, sive denique ut, omnibus dissidiis compositis, cunctos in unitatis atque concordiæ vinculum adduceret; et in Hispaniarum Ecclesiis unum inexpugnabile corpus esse inciperet. Ita quidem generaliter omnes tamquam singulos scripto allocutus est. Dehinc vero ad particularia scandala sermonem convertens, Rufinum episcopum corripi mandat, qui, in Toletana synodo inter pœnitentes susceptus, postmodum sui metropolitani jura sibi usurpaverit, *et, contra populi voluntatem et disciplinæ rationem, episcopum in locis abditis ordinare et Ecclesias scandalis miscere ausus fuerat.* Tarraconensium deinde episcoporum causam tractare jubet, *qui pari modo Minicium in Gerundensi Ecclesia episcopum ordinasse conquesti sunt.* Sed quia denique cum Rufinus, tum Minucius Gerundensis, passim in alienis Ecclesiis maxima cum metropolitanorum injuria ordinationum jus sibi vindicaverant, juxta Nicænos canones (videlicet) ferenda est (ait) de illa usurpatione sententia, et plena discussione habita circa ordinatos, sacerdotio privandos decernit, *ut quia perperam facti sunt, intelligant id quod videntur initio adepti sunt se diutius obtinere non posse* (b).

4. Capite tertio cujusdam Joannis episcopi etiam exagitat levitatem, qui, a concilio discessit, cum per suum vicarium Toletana probasset gesta, cumque ei Symphosii et Dictinii a synodo reversorum correctio ita probabilis visa fuisset, ut jam cum eisdem communicaret, attamen, temporis decursu, ab illis se subducens, in apertum schisma consenserat. *In hunc ergo* et in alios qui a communionis consortio cessasse videbantur, plenius inquiri, deprehensosque, si ad concordiam redire abnuant, excommunicari jubet.

5. Majoris præterea aut saltem æqualis momenti ea sunt quæ de illicitis clericorum ordinationibus exaggerat, circa quas ecclesiastica disciplina aut collapsa, aut penitus abolita videbatur. Quare etsi ad majores perturbationes præcavendas, ejusmodi ordinationes, utpote jam factas, et propter corrigendorum numerum, in dubium non revocari, sed Dei judicio dimittat, tamen hisce verbis quatuor ordinatorum defectus iis objicit dicens : *Quantos enim ex his qui, post acceptam baptismi gratiam, in forensi exercitatione versati sunt, et obtinendi pertinaciam susceperunt, ascitos ad sacerdotium esse comperimus, e quorum numero Rufinus et Gregorius perhibentur? Quantos ex aliqua militia, qui, cum potestatibus* [247] *obedirent, severa necessario præcepta sunt exsecuti? Quantos ex curialibus, qui, dum parent potestatibus, quæ sunt sibi imperata fecerunt? Quantos, qui voluptates et editiones populo celebrarunt, ad honorem summi sacerdotii pervenisse, quorum omnium neminem ne ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat pervenire?* In hos itaque omnes irregularitatis vitiis impeditos potuisset papa Innocentius animadvertere, vel jubere saltem ut in novo concilio plena inquisitio, apostolicæ referenda sedi, haberetur. Sed lenitatem S. pontifex adhibuit, delinquentibus venia et remissione impartita. Unde maluit potius ut in posterum dumtaxat sacræ disciplinæ rigor servaretur : *Ut si post hæc adversus formas canonum vel ad ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverint, una cum creatoribus suis ipsis in quo inventi fuerint ordine et honore priventur.*

6. Ne vero in posterum Nicænorum canonum observatio temere negligeretur, neve cuiquam eos aliter interpretandi liberum arbitrium relinqueret, ab omni altaris ministerio docet eos arcendos esse, qui, baptismate accepto, militarunt, qui causas egerunt, *neque de curialibus aliquem venire ad ecclesiasticum ordinem posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel su-*

(a) Innocent. papa, epist. 23, cap. 2. Exstat tom. III Concil. pag. 38.

(b) Innocentius, in laudata epist., cap. 2.

cerdotium, quod dicitur, sustinuerint, vel editiones publicas celebraverint. Sed sacris ministeriis eos præficiendos mandat *qui vel ab ineunte ætate baptizati fuerint, et electorum officio sociati*; et ex majoribus baptizatis subjicit, *vel si majores sint, cum fuerint Dei gratiam consecuti; statim se ecclesiasticis ordinibus mancipaverint*. Denique quod ad bigamos attinet, eos perpetuo a sacris ordinibus excludit, atque Apostoli verbis, I ad Timot. cap. III, *unius uxoris virum*, innixus, illorum errores refellit qui opponebant *quod ante baptismum uxor accepta non debeat imputari, quia in baptismo omnia dimittuntur*. Sed hæc de solis peccatis intelligi oportere declarat : *Sola utique peccata* (ait) *in baptismo dimittuntur, nec uxorum numerus aboletur*. Cujus quidem pravæ opinionis auctores multis rationibus perstringit, quarum postrema ejusmodi est : *Si enim uxor ante baptismum accepta non ducitur in numerum, nec filii ex ea suscepti inter filios poterunt numerari Quod quam absurdum sit atque inconum, prudentia vestra melius æstimabit* (a).

7. Hæc ergo Innocentii papæ agendi ratio, Siricii aliorumque ejus prædecessorum statutis et œconomiæ apprime consona, perspicue prodit quænam qualiave jura apostolica sancti Petri sedes perpetuo exercuerit in aliarum catholici orbis Ecclesiarum hæreticos damnandos proscribendosve; aut cum agebatur de pœnitentibus recipiendis, et canonicis pœnis per indulgentiam relaxandis; aut denique, dum necessitas postulabat ut nova statuta a synodis edita robur obtinerent. Veteres vero et probatos canones recte et fideliter interpretarentur, et prava quorumdam asserta, errores in fidei, morum et disciplinæ rebus continentia proscriberentur. An non ista omnia ipse Innocentius papa unica hac epistola assecutus est; quin quisquam ausus fuerit ad aliud judicium provocare? An super recensitas gravissimas causas Hilarius episcopus et Elpidius presbyter Romam profecti sunt, ut Innocentium duntaxat consulerent; non vero, ut idem pontifex definitivam, et scripto quidem, expromeret sententiam? Inepte nimis, ne dicam stolide, ratiocinantur, qui sibi confingunt Romanos pontifices in his similibusque causis consultorum atque doctorum, non judicum, officio functos fuisse. Catholici omnes qui primis etiam Ecclesiæ sæculis floruerunt, Romanorum pontificum oraculis numquam repugnarunt, sed eorum statuta; tamquam fidei et morum regulas, summa animi veneratione et exquisierunt et susceperunt (b).

248 Interim autem gravius dolendum est quod Innocentiana illa statuta facile atque perfecte executioni demandari non potuerint. Nam quamvis tempus præcise quo apostolica sedes illa ediderit non innotescat, ut diximus; tamen extra omne dubium est illa ad Hispaniæ episcopos transmissa fuisse; cum jam Barbarorum clades imminebat.

CAPUT XIII.

Alanis, Vandalis, Suevisque Galliam et Hispanias latius depopulantibus, catholicæ religionis res plene ad exitium reducuntur.

1. Toletani concilii sanctiones, S. Innocentii Romani pontificis decreta, cæteræque catholicorum episcoporum sanctiones in Priscillianæ hæreseos odium et exitium robur et vim haudquaquam obtinere potuere, quia, mutato de repente rerum civilium statu, Barbarorum gentes suis incursionibus Galliarum et Hispaniarum provincias diripuerunt. Anno quippe 409 innumeris calamitatibus Galliam et Hispaniam oppressas fuisse, cum Alani, Vandali, et Suevi, populatis Galliis, Pyrenæum transgressi, Hispanias occuparunt. Auctor est Idatius in Chronico. Immo Pe-

A tavius quemadmodum regnum illud in diversas provincias divisum, diversorum quoque Barbarorum tyrannidem sustinuerit, ad eumdem Christi annum iis verbis descripsit : *Gallæciam Vandali et Suevi, Alani Lusitaniam et Carthaginensem provinciam, Silingi, quod Vandalorum gentis alterum fuit, Bæticam invadunt* (c). In tantis itaque illius regni calamitatibus et perturbationibus impossibile prorsus erat ut catholici episcopi in unum cœtum coirent, metropolitanorum jura vindicarent, in sacrilegos animadverterent, male et illicite ordinatos e sacris ministeriis removerent, et cætera fideliter adimplerent quæ Innocentius papa I, tum pro schismate abolendo, tum pro hæreticis Priscillianistis evertendis, exsequendum præceperat.

2. Sed quod Barbari illi, præter urbium direptiones et excidia, omnia tentaverint ad plenam catholicæ religionis delectionem, ecclesias, sacerdotes, sanctorum martyrum exuvias perdere nisi fuerint, et
B omnem clericalem militiam ad necem usque vexaverint; certissima monumenta patefaciunt. Nam ut prætermittamus in primis concilii Bracarensis I Acta, in quibus suppositionis notæ eruditis suboluerunt, tamen certissimum est tunc a Barbaris templa eversa, servos Christi *in ore gladii occisos fuisse, et memorias sanctorum, ossa, sepulcra, cæmeteria profanata, vires imperii confractas, atque omnia commotionem pertulisse, sicut stipulam ante faciem venti*. Ita revera suam præfationem orsum fuisse Pancratianum; sive Pancratium, illius forte pseudosynodi præsidem; Ecclesiæque Bracarensis episcopum, illorum Actorum architectus narrat, cujus fictio, si qua est; minime referri debet ad res a Barbaris tam in Hispaniis gestas, sed potius ad assertum ibi Bracarensis sedis supra Gallæcios et Lusitanos episcopos primatum; quod jus anno 411 aut 415, Bracarensis metropolita sibi haud poterat vindicare, ut disertius ad Christi annum 411 Antonius Pagius annotavit. Cæterum hisce gravissimis malis tum Hispanias afflictas fuisse, do-
C cent Orosius homo Hispanus, res patrias non ignorans (d), Cassiodorus et Prosper in Chronicis, ad consulatum Honorii octavum, et Theodosii tertium; quod in Christi annum 409 incidisse ipsæ Rom. consulum tabulæ demonstrant. Sed Augustinus infelicissimum illarum Ecclesiarum statum **249** in epist. olim 180, nunc vero in novissima editione PP. S. Mauri 228, ad Honoratum, cap. 5, descripsit; dicens : *Non enim quisquam est qui dicat ministros manere oportere, ubi jam non fuerint quibus necesse sit ministrare. Ita quidem sancti episcopi de Hispaniis profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captivitate dispersis*. Cui quidem maximo excidio fœdissimas Hispanorum carnis libidines occasionem dedisse Salvianus Massiliensis asseverat (e). Sed turpes eas, effrenatasque omnium libidinum turpitudines in omni cum virorum tum mulierum cœtu, Priscillianistarum studio et dogmatibus, apud Aquitanos potissimum et
D Hispanos, propagatas, non tantum idem Salvianus tunc Massiliensis episcopus octo libris descripsit, sed tristi admodum et lugubri carmine Prosper Aquitanus deflevit. Quare is et cladis diuturnitatem et Barbarorum recensens furorem; decennalem fuisse affirmat, et tanto impetu Vandalos florentissimas illas olim regiones diripuisse, ut aspera etiam et difficilia loca ad exitium perduxerint.

.... Heu cæde decenni
Vandalicis gladiis sternitur et Gothicis.
Non castella petris, non oppida montibus altis
Imposita, aut urbes amnibus æquoreis,
Barbarici superare dolos, atque arma furoris
Evaluere : omnes ultima pertulimus.

(a) Idem Innoc., laud. epist. 23, n. 6.
(b) Hanc Innocentii papæ epistolam inter cæteras, multis eruditis notis adornavit Sirmondus, ut videre est tom. III Concil. pag. m. 42.

(c) Pet. Rat. Temp. p. 1, lib. VI, cap. 10, pag. 335.
(d) Orosius, lib. VII, cap. 40.
(e) Salvianus, de Provid. Dei lib. VII.

3. Quemadmodum vero barbarica illa incursio et invasio contigisset, eruditis omnibus satis perspectum arbitror. Nec enim est qui ignoret eos fœdere cum Attalo junctos, veluti amicos et auxiliares, in Aquitanorum sinu primum exceptos fuisse; sed de repente, spreto Attalo, divinæ ultionis effectos ministros, in rapinas et incendia se totos convertisse, ut etiam Paulinus consularis in Eucharistico carmine narravit. Verum Paulinus iste ex nobili consulari Ausonia gente progenitus, duo de se ipso exponit, quorum postremum mire ad rem nostram pertinere judico. Attalo in primis dissensisse fatetur, qui eum comitem curatorem largitionum creaverat, cum jam sciret istud munus nullo prorsus sensu subsistere posse. Tunc quippe Paulinus, Attali tyranni partibus spretis, Gothicam partem secutus est. Alterum vero deterius, quod perperam factum, amara deflevit pœnitentia; illudque fuit, ait Baronius, quod ad improbata fidei dogmata Christianus homo diverterat : sed improbis adhæsisse dogmatibus integro quindecim annorum spatio, non obscure sequentia produnt carmina, quibus se catholicæ restitutum communioni commemorat :

Post autem, exacta jam trieteride quinta,
Rite recurrente statuto tempore Pascha,
Ad tua, Christe Deus, altaria sacra reversus,
Te miserante, tua gaudens sacramenta recepi.

Sed quibusnam hæreseos vinculis tamdiu Paulinus obstrictus permanserit, Baronius inquirit et probabile existimat Priscillianistarum turpibus erroribus pollutum et implicitum fuisse. Etenim Severi Sulpicii et aliorum testimonio jam vidimus in ea provincia clarissimos viros ac feminas a Priscilliano et ejus sectatoribus Romam proficiscentibus fuisse seductos; quos merito divina ultio secuta est, cum ad illius hæreseos impudicitias abolendas, nec sacræ, nec ecclesiasticæ, nec civiles leges ullum robur obtinuissent

4. Et quidem ipsi etiam Christiani orbis imperatores, ut catholicæ fidei rebus optime prospicerent, paulo antequam Vandali, Gothi, Alani, aliique Barbarorum Gallias et Hispanias diriperent, varias leges in hujus Priscillianæ hæreseos odium condiderunt. Honorius enim Augustus legem contra eosdem in Occidente tulit, qua Senatori præfecto prætorio jubet in Manichæos, et Phrigias, seu Priscillianistas diligenter inquirere, eosdem variis pœnarum generibus coercere. Sed ut ii quoque **250** in Orientis partibus delerentur, Theodosius imperator Augustus studium adhibuit; quando videlicet duobus datis ad Antherium præfectum prætorio rescriptis, Montanistis, Priscillianistis, Eunominianis præter necem omnia supplicia decrevit. Sed quid? Imperialium forte ministrorum socordia, improbitas, avaritia, aut falsa religio, cum iis legibus obtemperare neglexisset, divina agente ultione, in iis regionibus Romanum imperium prorsus deletum fuit, et populi ipsi, bonis, libertate aut etiam vita privati, debitas hæreseos et suarum impudicitiarum pœnas persolverunt.

5. Cum itaque Hispaniarum et Gallæciæ regnorum civiles atque ecclesiasticas res tot tantæque perturbationes vexarent, Innocentiana illa statuta exsecutioni demandari nullo modo poterant, præsertim quia Hispaniæ et Gallæciæ populi non uno tantum Principi, sed duobus Arianorum labe pollutis tum obtemperare cogebantur. In Hispaniis enim Athaulphus, Christi anno 414, primus ex Gothorum gente regnavit. Sed vix imperii anno absoluto a quodam Gotho necatus est, cui Segericus succedens post sex menses ipse etiam interficitur. Quibus et alii quatuordecim ex eadem stirpe Ariani reges ad annum 568 usque successere. In Gallicia autem et Lusitania principes ex Suecorum stirpe regnarunt, quorum A primus fuit Hermericus, qui, post imperii annos 32 decedens, anno 440 Rechilam successorem habuit. Is autem, septem dumtaxat annis in imperio consumptis, Recciario regni habenas reliquit, qui in catholica edoctus religione, ecclesiasticas res sanctis episcopis haud difficile componendas permisit.

CAPUT XIII.

De Turribio Asturicensi episcopo, ipsius ad apostolicam sedem consultationibus, rebusque ab eo gestis ad Priscillianam hæresim penitus exstinguendam, et ecclesiasticam disciplinam reparandam.

1. Quadringentesimus quadragesimus sextus, aut septimus Christi annus tum agebatur, cum Turribius Asturicensis Ecclesiæ in Gallicia episcopus, modica tranquillitate illucescere incipiente, Priscillianam luem prorsus purgare et Dictinii libros aliasque apocryphas scripturas, quæ aut in privatis domibus asservabantur, aut palam in Ecclesiis legebantur, B proscribere, disperdere, aut omnino incendio consumere nisus est. Quæ omnia cum maxime in votis haberet, cæterorum catholicorum Patrum exempla secutus, actutum non alium judicem et magistrum censuit esse interpellandum quam sanctum Leonem Romanum pontificem, ad quem sua scripta direxit. Pervincio itaque suæ Asturicensis Ecclesiæ diacono Romam proficisci et ad S. Leonem ejusmodi scripta deferenda ipse Turribius commisit. Quorum porro generum scripta ad apostolicam sedem transmiserit, Leo ipse in exordiis suæ epistolæ 15 *indicavit, dicens ex epistolæ sermone, et commonitorii serie, et ex libelli textu didicisse Priscillianistarum fetidissimam apud eas regiones recaluisse sentinam.* Sed ejusmodi Turribii scripta, ex quibus facilius Galliciæ et Hispaniarum Ecclesiarum ærumnosum statum potuissemus comprehendere, jam diu interciderunt. Cujus quidem jacturæ gravissimum damnum aliqua ratione dumtaxat litteris ad Idatium et Ceponium episcopos, C quæ sub Turribii Asturicensis nomine circumferuntur, tum sincera celebrique ea epistola quam in hac causa ad Turribium Leo rescripsit, possumus reparare. Utrisque ergo nos insistere in præsens oportet, ut Priscillianistarum hanc historiam, quam illustrare aggressi sumus, absolvamus.

2. Et certe quidem illarum Ecclesiarum statum deplorandum Turribius ipse, vel qui Turribii agit personam, ea in epistola descripsit, cum **251** vide licet de *molesta* et *injucunda* peregrinatione disserens, quam semper inter duos labores et lacrymabiles necessitates subierat. Inter has aliquid adjumenti habuisse asseverat, *cum adeundo incognita, et ignorata discendo, quodam profectu mentis augemur, plerumque ea quæ apud nos optima videbantur prava esse atque deterrima reddita nobis meliori ratione, noscentes.* Super autem quibus rebus Turribius peregrinando instructior evaserit, ut facile noscere potuerit, *prava* atque *deterrima reddita* esse, quæ ei quandoque *optima* videbantur, statim patefacit, eam D unitatem maxime commendando, quam in omnibus Ecclesiis earum provinciarum quas peragraverat, reperiit. In iis namque summa animorum consensione et sine ullo schismate omnes invicem communicabant, et, *condemnatis omnibus errorum sectis*, reper (ait) *unum atque eumdem catholicæ fidei sensum teneri, ex purissimo veritatis fonte venientem, qui in nulla divortia multifidis rivulis scissus, camporum plana in cœnosas voragines solvat, quæ rectum fidei iter impediant* (a). Qua narratione non aliud in mentem eorum episcoporum revocare voluit quam studium catholicæ hujus unitatis et communionis procurandæ. Hanc enim ab Hispaniarum et Galliciæ Ecclesiis dudum pestiferum Priscillianæ hæreseos virus ejecerat atque exsulaverat Propterea, ut Idatii et Ceponii animos ad religionis studium incenderet,

(a) Turribius Asturicensis, epistola ad Idatium et Ceponium, cap. 1, 2.

Ecclesiarum quas lustraverat exempla subjicit, quorum pastores eos *quos pravorum dogmatum virus infecerat, aut correctos piæ parentis gremio reformari contumaces, veluti abortivos partus ac non legitimam sobolem ex consortio sanctæ hæreditatis expellit.*

3. Post longas igitur annorum *metas* Turribius Asturigiam reversus, dire cruciabatur, cum animadverteret damnatas jam dudum ab Ecclesia traditiones, quas iis in regionibus plene abolitas arbitrabatur, pertinacius adhuc vigere. Immo ejusmodi cruciatus in eo augebantur cognoscente pro *uniuscujusque hominum studio et voluntate prava dogmata velut quibusdam hydrinis capitibus pullulare.* Quorum alii hæreticorum veteri errori blasphemiarum suarum argumenta conferebant, alii Priscilliani doctrinam integre profitebantur, alii denique, ejuratis ex parte dumtaxat principalioribus dogmatibus quæ perspicue veritati catholicæ repugnabant, cum nonnulla adhuc retinerent, reliquis adhærere videbantur. Hæc, inquam, omnia huc illucque per Hispanias et Galliciam liberius crevisse, *synodorum conventibus decretisque cessantibus*, ipse Turribius asseverat. Atque tandem gravissimum impiissimumque facinus cunctis quidem deterius deplorabat, illud videlicet, *quod ad unum altare diversis fidei sensibus conveniretur.*

Cum autem isthæc omnia Turribius recenseret, sola in patriam charitate, non temeraria præsumptione, a qua prorsus erat alienus, agebatur. Atque idcirco catholicam veritatem studiose prosequens, vernaculos hæreticos furibus et adulteris æquiparavit, qui, a sacris dogmatibus veritate subtracta, divini verbi auctoritatem exsecrabantur, quam ut facilius adulterio corrumperent, repudiatis canonicis et evangelicis Scripturis, apocryphorum librorum lectioni dumtaxat incumbebant. Ne episcopis ergo, ad quos scribebat, gravis et molestus fieret, neve erga eos magisterium exercere videretur, prudentiæ simul et zelo inserviens, nullam prorsus in eos *auctoritatis adhortationem*, sed dumtaxat *suggestionis instructionem* adhibere fatetur, gravioris quidem criminis reum coram Deo se reputans, si tacuisset.

4. Hæc, inquam, fuit Turribii erga confratres episcopos animi moderatio, hoc studium in describenda hæreticorum hominum perfidia, quorum doctrinas et magisterium si quis catholicorum paulo constantius increpabat, continuo congressionum disputationes eludebant, inficias euntes, **252** et perfidiam perfidia occulere conabantur; quod ne ultra jam facerent, subdolas versutasque eorum artes describit patefacitque, quibus aut apocryphas Scripturas canonicis præferunt libris, aut occultas arcanasque traditiones venerabantur, nullis quidem libris, etiam apocryphis, expressas, per quas SS. apostolos locutos esse mentiebantur: aut forte denique quosdam alios libros apud se dumtaxat occultius asservabant, *solis*, ut ipsi aiunt, *perfectis patentes.*

5. Quibus vero apocryphis libris Priscillianistæ præsertim uterentur, paulo post indicavit, speciatim de Actis disserens, quæ S. Thomæ nomine circumferebantur. Unum in illis præ cæteris notandum atque exsecrandum animadvertit, *quod dicit eum non baptizare per aquam, sicut habet Dominica prædicatio, sed per oleum*, quam pravam consuetudinem Manichæi cum eodem antesignano Manete prosequebantur. Hæc igitur universis exsecrabilis et in omnibus terrarum partibus damnata soboles, vel libros dumtaxat apocryphos recipiebat, aut quibusdam aliis apocryphorum fabulis refertis utebatur, quemadmodum eorum confessione innotuerat. Sed Priscillianistarum manibus alii ejusdem generis libri terebantur. Actus videlicet illi qui vocantur S. Andreæ, vel alii qui dicebantur S. Joannis, quos olim sacrilego ore Lucius conscripserat, vel denique volumen illud omnium blasphemiarum portentum, quod Memoria Apostolorum perperam inscribebatur. In eo quippe pseudoapostoli et pseudoprophetæ ad magnam perversitatis suæ auctoritatem doctrinam Domini mentiebantur, tota destruebatur lex veteris Testamenti, et omnia quæ S. Moysi de diversis naturis *creaturæ Factorisque divinitus revelata sunt.*

6. Tot ergo tantisque ærumnis atque nefariis sacrilegisque erroribus Galliciam potissimum et Hispanias labefactatas cum reperisset Turribius, aliorum SS. episcoporum animos ad eam medelam procurandam tum adhibendam excitabat, quæ divinis et ecclesiasticis legibus magis esset consona. Quamobrem, ut facilius id assequeretur, quoddam opus conscripsit, in quo ea testimonia blasphemiis plena digessit quæ in Priscillianistarum scripturis reperiebantur, iisdemque, ut potuit, pro sensus sui qualitate respondit. Istud vero opus a se elaboratum primum in vulgus dispergere curasse arbitramur, *ut nemo* (ait ipse) *deinceps quasi rerum inscius diceret se simpliciter hujusmodi libros vel habere, vel legere.* Tum deinde Idatii et Ceponii judicio, censuræ et existimationi illud subjecit, ut nimirum isti universa perpenderent, et *quæ sine ambiguitate veritati ac fidei contraria videbantur, cum aliis fratribus sibi sociatis* resecare atque abolere curarent.

7. Occurrit autem nobis, et quidem doctus et eruditus vir, Stephanus Baluzius, nimirum quærens et dubitans de hujus Turribii epistolæ fide et auctoritate. Huic enim plures suppositionis notas suboluisse produnt observationes quibus concilium Asturicense habitum anno Christi 446 adornavit. Totam porro confictionis suspicionem ex sancti Leonis verbis haurire fassus est. Nam summus pontifex, ad Turribium Asturicensem rescribens, jussit *Ut Galliciæ saltem episcopi convenirent, quibus congregandis fratres nostri Idatius et Ceponius imminebunt.* Ad hæc autem animadvertens subjicit Baluzius: *Gravis suspicio* epistolam illam, Leonis videlicet, immisisse alicui impostori cogitationem confingendi eam quæ a Turribio scripta esse dicitur ad Idatium et Ceponium; itaque ab illa abstineo. Sed, Baluzio se opponens, Turribio Asturicensi laudatam epistolam adjudicandam esse doctissimus cardinalis de Aguirre contendit, atque ad eripiendum quod a docto illo Conciliorum collectore objicitur, hunc primo excusat, veluti conscium innumerabilium fabularum, in pseudochronicis antiquis exstantium, iisdemque adductum rejecisse quæcumque in iis narrantur, dum aliunde non innitantur, aut confirmentur certo aliquo et firmo testimonio. Secundo, ait Turribii epistolam **253** de qua agimus non esse excogitatam et fictam a veteratoribus illis qui tot commentis et absurdis Hispanicam historiam deturparunt, sed reperiri in ms. cod. sexcentorum circiter annorum antiquitatis, etc. Sed inter duas has contrarias opiniones cui subscriberem, animus olim hærebat suspensus. Codicis quippe antiquitatem, quam cardinalis Aguirre tanti fecit, non omnem delet suspicionem, quod ab aliquo antiquo impostore laudata epistola non fuerit conficta. Nihil sane conficit quod Philippus II rex, tempore Ambrosii Morales, ex antiquissima bibliotheca insignis monasterii S. Emiliani codicem illum transtulerit in aliam recentem S. Laurentii in Scoriali, viginti annis circiter ante fictiones Dextri, Maximi, Juliani. Quid? An non antiquiores exstitere impostores, qui a pluribus sæculis eam confingere potuerunt? Apostolis enim jam vita functis, sub nomine etiam sacrarum scripturarum multa volumina ab impostoribus conficta fuisse omnia Ecclesiæ monumenta et epistola hæc de qua agimus perspicue produnt. Illius ergo codicis vetustas nihil conficeret, nisi antiquiorem impostorem de Hispaniæ et Galliciæ rebus optime instructum, jam undecimo sæculo labente, vel duodecimo ineunte, hanc unam Turribii epistolam confinxisse.

8. Huic ego tamen Baluzii opinioni non tam facile subscribo, sed cardinalis Aguirre rationes prorsus infirmas esse contendo. Nam si de suppositionum argumentis ea in epistola repertis hic agere instituerem, multa quidem in ejus lectione me offendisse fateri possem, quæ nec a Stephano Baluzio, nec ab ipso Hispa-

niæ Conciliorum collectore, nec a quoquam alio annotata fuere. Cujusmodi enim illud exordium apparet, in quo Turribius de seipso, tamquam de longinqua peregrinatione veniente, in qua longum annorum spatium insumpserat, disseruit. An hæc de episcopo disciplinæ ecclesiasticæ tuendæ apprime studioso vera esse possint, quis poterit suspicari? Tot enim perurgentibus calamitatibus, sub Dei et Ecclesiæ indignatione, optimum hunc pastorem gregem suum deserere voluisse aut potuisse arbitrabimur? Nemo id mihi negari poterit, præsertim cum S. Leo, cui Turribius deterrimum illarum Ecclesiarum statum exposuit, summis laudibus hunc ornet, quod semper vigilans sollicite Dominico gregi devotionem officii pastoralis impendisset. Profecto si arbitrio ductus dumtaxat Turribius peregrinatus fuisset, eum potius sanctus pontifex carpere et corripere debuisset, quod a *Dominico* grege diffugerat, concreditas sibi oves luporum furori dilaniandas subjiciendo. Duplici de causa dumtaxat has similesque objurgationes indebite evadere potuisset, exsilii videlicet altera, in quod, Arianis principibus agentibus, Turribius episcopus pulsus fuisset; altera vero, quod, nondum ad episcopatum assumptus, longo annorum spatio peregre iter fuerit profectus. Sed utraque vacillat. Nam si Arianorum principum furor in eum excandens exsilium subiisset, non peregrinationis labores et incommoda exaggeraret, sed exsilii; et aliunde post latam in eum sententiam jam in Asturicensi throno alius intrusus fuisset, quemadmodum quarto Ecclesiæ sæculo præcedenti Ariani ipsi facere consueverunt. Quid? Si Turribius in hac epistola ad alios duos Galliciæ coepiscopos hanc exsilii pœnam, utpote ipsis notissimam, commemorare præteriit, id forte in epistola ad Leonem narrare omisisset? Vel Leo ipse in suo rescripto, in paternæ commiserationis signum id non indicaret? Quid plura? An Idatius in Chronico, qui alias episcoporum clades descripsit, hanc unam de Turribii exsilio reticuisset? Denique, cur et cæteri omnes Hispaniæ Galliciæque scriptores tanto silentio laborassent in maximi momenti re? Non itaque ad hocce effugium recurrendum est.

9. Neque quidem tam longam plurium annorum peregrinationem, antequam ad episcopatum eveheretur, Turribius peragere potuit. Post Dictinii quippe mortem, quæ ante Christi annum 420 contigit, ut ex Augustino **254** vidimus, jam Asturicensem Ecclesiam Turribius est assecutus. Sed tunc non Leo Magnus, sed Zosimus, aut Bonifacius, catholicæ Ecclesiæ præerat. Quare cum in exordio secundi capitis illius epistolæ Turribius de seipso tamquam de homine jamjam ex peregrinatione adveniente loquatur, inde fit quod quæ de Asturicensi concilio ex Idatii Chronico narrant Baluzius et Aguirre minime in Leonis ævum, videlicet in annum 446, rejici possint. Quod si tandem confingamus non statim post adeptum episcopatum Turribium ad Idatium et Ceponium scripsisse, nec Leonem veluti supremum magistrum et judicem interpellasse, sed totum illud 27 aut 28 annorum spatium effluxisse, statim culpandus esset Turribius, quod tam sero gravissimis illis malis recrudescentibus, medicinam quærere et afferre distulerit, et contra sacrorum canonum statuta, sua relicta Ecclesia, peregrinari voluerit. Fateri ergo oportet ea in epistola talia saltem obscura contineri, quæ cum Turribii pietate et sanctitate, cum Ecclesiæ disciplina, sacris canonibus et Christianis rebus minime cohærere et conciliari possunt. Ita profecto mecum reputavi, postquam sæpius epistolam perlegi. In qua et alia offendi quæ apertam scriptoris oscitantiam saltem redolent. Ejusmodi quidem mihi visa sunt, vel quæ capite 4, leguntur, quod *ne ultra jam faciant* usque ad finem, in quibus nulla ratione genuinus sensus juxta syntaxeos grammaticæ regulas argui potest; vel quod in subsequenti capite 5 conspicitur, ubi eadem narratio de apocryphis S. Thomæ

A Actibus iteratur, et id genus alia, quæ certe aut scriptoris indiligentiam arguunt, aut illius codicis, in quo sub Turribii nomine epistola illa fuit *inventa et fideliter eruta*, præstantiam maxime elevant.

10. Sed quamvis ea in epistola multa eluceant quæ a veritate, aut saltem a verisimilitudine, plurimum dissident, illam tamen rejiciendam, aut veluti supposititiam habendam esse, vereor judicare. Immo egomet in divi Leonis Magni Operibus colligendis et ornandis, quemadmodum Quesnellus in suam translulit editionem, ita et in alia nova quam post has Exercitationes facere deliberavi, servandam esse necessarium duco. Ea propter variis annotationibus ex probatissimis scriptoribus haustis, eam adornare pro viribus curavi, ut videlicet æquivocationes et obscuros sensus quibus scatet, amicus lector præcavere possit.

Interim vero, antequam de tabula manum removeam, affatim probanda esse existimo quæ de illarum
B Galliciæ et Hispaniæ Ecclesiarum statu ibidem descripta sunt. Cumulatissime quippe cum iis respondent quæ in 15 S. Leonis Magni epistola conspiciuntur, de cujus fide et auctoritate saltem suspicari maximum crimen foret. Nam et veluti genuinum S. pontificis fetum, cum vetera, tum antiqua mss. exemplaria illam continent, concilii Bracarensis PP. et quarta generalis synodus eam S. Leoni adjudicarunt; omnes scriptores, nemine refragante, cum hanc eamdem testarentur veritatem, editoribus amplissimum aperuerunt campum ut, omni remoto scrupulo, in omnibus vulgatis exemplaribus eam excuderent.

255 CAPUT XIV.

De epistola 15 S. Leonis Magni ad Turribium Asturicensem scripta, Priscillianæ hæreseos occasione. Novum ejusdem fragmentum de canonicis Scripturis, ex Palat. Vat. bibliot. cod. erutum.

1. Nos itaque, tot tantisque præcedentibus suf-
C fulti testimoniis, cum de veritate auctoritateque epistolæ 15 S. Leonis Magni minime ambigere possemus, tantummodo eam a mendis purgare, si quæ in eam irrepserunt, curavimus. Pro quo quidem labore felicius absolvendo necessaria nobis non defuere subsidia; nam, præter varios antiquissimos Vaticanos codd., quos nostris oculis lustravimus; præter Grimaneum archetypum Parisiis asservatum, juxta cujus lectiones Paschasius Quesnellus suam adornasse editionem maxime gloriatur, quem nos ipsi amicorum ope adjuti fideliter exscribere curavimus, illam eamdem epistolam tum ad Vallicellanum, tum ad duo Florentina exemplaria exegimus, ut divino quandoque Numine opitulante, omnia Leonis Opera puriora, nitidiora auctioraque novis typis prodire possint. Sed jam ad institutum revertamur.

Laudata igitur S. pontificis ad Asturicensem episcopum epistola sexdecim subjecta habet capitula, quia totidem discutienda et definienda Turribius
D Leoni proposuerat. Id ea verba innuunt: *Quia ergo dilectio tua fideli quantum potuit diligentia damnatas olim opiniones sexdecim capitulis comprehendit*. Sed perantiquum Vaticanum exemplar cum Grimaneo codice *decem et septem* esse legendum probant. Id magis confirmat ipsa capitum divisio, quæ postremo loco hunc Romanum numerum cum sequenti titulo exhibet: Cap. XVII. *An caro Christi vere requieverit in sepulcro*. Qui Quesnelli studium, laborem diligentiamve in divi Leonis Operibus ornandis castigandisve plus æquo commendare consueverunt, animadvertant, quæso, in qualem lapsus sit oscitantiam? Videant an hæc argumento sint Grimaneum codicem tamquam lapidem lydium assumpsisse in religiose probandis Leonini textus lectionibus. Dicant an sedulo S. pontificis Opera lustraverit, qui in male concinnata synopsi sexdecim dumtaxat subjicit capitum titulos, ultimo prætermisso, cum jam epistola ipsa in decem et septem dividitur, quorum postremum

et suum titulum habet, in præcedenti synopsi prorsus desideratum? Sed de hac re diligentius suo loco disputabitur, quemadmodum de alio perantiquo Vat. Palatino exemplari hujus epistolæ quoddam de canonicis Scripturis hactenus ineditum fragmentum nobis exhibente. Sitne istud Leoni adjudicandum, an non, alibi quoque prosequemur, cum potissimum ad ritum duntaxat et ordinem spectare videatur quos per anni tempora in divinis canonicisque legendis Scripturis Romana divi Petri Ecclesia servare consueverat. Nostræ ergo orationi modo liceat tantum in hujus Leoninæ epistolæ amplissimo campo, prout in omnibus vulgatis hactenus exstat, spatiari; certissimis quippe uberrimisque testimoniis undequaque epistola illa cum referta sit, facilius ex ea cum Priscillianæ hæreseos fontes et errores colligemus, tum simul clarius apostolicæ sedis auctoritatem irreformabileque judicium in iis refellendis intuebimur.

2. Et quidem Priscilliana dogmata præcedentium omnium hæreticorum erroribus nequiora fuisse, atque ex iis omne virulentum impietatis traxisse contagium, statim S. Leo docuit in illius epistolæ exordio, qui Priscillianistarum sectam omnium hæresum *fetidissimam sentinam* appellat. Addit Priscillianistas in *paganitatis tenebras* adeo se immersisse, ut, mathematicorum vanis mendaciis et magicæ artis profanis secretis adhibitis, fidem religionis morumque rationem in potestate dæmonum et in affectu siderum ipsi collocarent. Hæc et alia similia illius nefandissimæ sectæ dogmata **256** Leo recensuit, et antiquorum Patrum qui præcedenti sæculo floruerunt studium in mentem revocat, qui in conciliis omnes conatus adhibuere ut ejusmodi impius furor ab universa pelleretur Ecclesia. Refert deinde quemadmodum sæculi principes tantopere hanc sacrilegam amentiam detestati sint (Maximus tyrannus videlicet) *ut ejus auctorem cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent* (a). Primum hoc cruenti judicii genus et exemplum, quo sæculi principes et magistratus in pertinaces hæreticos quandoque animadverterunt, plurimum animum veterum et recentiorum scriptorum hactenus torquere potuit: *Prospexi*, ait Natalis Alexander, Hist. Eccl. sæculo IV, cap. 3, art. 17, *hæreticos hac historia abuti posse, tum contra sanctæ inquisitionis officium, quod pertinaces hæreticos sæcularibus magistratibus tradit, seu relinquit extremo supplicio puniendos*; tum contra principes ac magistratus ipsos, qui suo jure in illos etiam pœna capitis animadvertunt. Ibidem P. Natalis ab omni censura eam propositionem vindicare intendit, quæ in priorem ejus editionem irrepserat: *Nullus catholicorum dixit imperatores et reges non posse in hæreticum etiam capitis pœna animadvertere.* Quo sensu autem eam dixerit, in postrema deinde editione explicavit, atque in asserenda hac sæculi principibus potestate laborat. De eadem principum auctoritate agere etiam voluit ejus annotator Constantinus Roncaglia in postrema Lucensi editione. Qui primo canonistarum suffragio ostendit in hæresum causis judicandis, *et ea quæ sunt juris, et ea quæ sunt facti, Ecclesiam potestate pollere.* Tum deinde ait: *Non esse alienum a potestate principum legibus pœnisque indictis hæreses, sacrilegia*, etc., *amovere, docuit Bellarminus*, etc. (b).

3. Profecto si ambo clarissimi viri, et quotquot de hac similibusque disseruerunt causis, ad nostrum S. pontificem animadvertissent, nec tantopere laborassent, sed facilius expeditiusque quidquid ab heterodoxis objici potest eripuissent. Cur autem sæculi principes cruentum illud judicii genus in Priscil-
A lianistas exercere demandaverint, S. pontifex Leo sequentibus explicat verbis: *Videbant enim* (sæculi principes videlicet) *omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque divinum jus humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset.* Priscillianistarum ergo crimina talia cum essent, ut non religioni dumtaxat summum dedecus gravissimamque injuriam afferrent, sed civilem ipsam rempublicam, in iis potissimum quæ naturæ jura lædunt, ad plenum exitium perducere possent, ideo sæculi principes illius sectæ professionem cum suis auctoribus perdere et abolere, capitis pœnis adhibitis, nisi sunt. Quibus rationibus S. pontifex innixus, simile judicium ecclesiasticæ lenitati diu profuisse fassus est. Subjicit enim: *Profuit diu ista districtio ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi, sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spiritale nonnun-*
B *quam recurrant remedium, qui timent corporale supplicium.* Capitalia ergo supplicia, cum Ecclesia in pertinaces hæreticos animadvertit, non statuit, non infligit, nec infligenda quærit. Suis ipsa semper spiritualibus contenta pœnis, et, ne lenitatis incurrat defectum, quascumque refugit cruentas ultiones. Sed si tamen istæ publicis sæcularium principum et magistratuum decretis statuantur, plurimum ei prosunt, iisque maxime adjuvatur, præsertim quia delinquentes, **257** severitate corporalium pœnarum perterriti, ad spirituale remedium, ad criminum ejurationem videlicet, et ad pœnitentiam recurrere consuescunt.

4. Nec quis, simili Leonis loquendi ratione, sibi persuadeat Idatii et Ithacii contumaciam, de qua in superioribus egimus, et ob quam catholicis episcopis, et Martino potissimum, invisi fuere, et Ithacius ipse a Theognosto episcopo palam damnatus, iri excusatum. Nulla quippe excusatione episcopus purgari potest, qui, propriis studiis indulgens, confratrum
C in conciliis adductorum judicia spreverit, quippe suis accusationibus sæculares principes et magistratus urgere voluerit noxiorum necem procurando. Hanc quidem agendi rationem catholicæ lenitati repugnare evidentissimum est. Sed ab ea maxime abhorrent, cum nostrarum Ecclesiarum præsules, tum sanctum illud inquisitionis officium, contra quod hæreticos comminisci posse P. Natalis Alexander prospexit. Et quidem eas severitatis pœnas Ecclesiæ adjumento fuisse, Leo ipse ex eo etiam confirmavit, quod corporalia supplicia, et ecclesiasticarum legum executiones, ob gravissimas bellorum vicissitudines, multorum spatio annorum cessare debuissent, nec ipsis provinciarum sacerdotibus in unum frequentius coire, cum haud amplius liceret: *Invenit* (ait S. pontifex) *secreta perfidia libertatem, et ad multarum mentium subversionem iisdem malis est incitata quibus debuit esse correcta.* Ex cujus causa statim deplorare pergit deterrimum Galliciæ et Hispaniarum statum, quarum
D non solum plebes, ut a Turribio acceperat, mortifera contagionis peste erant labefactatæ; sed, quod gravius est, eorumdem sacerdotes, hoc lethali correpti morbo, veritatem multis erroribus opprimebant, Priscilliani doctrinam evangelicis præferebant documentis, et ista tandem profanis sensibus depravata populis proponebant, aut prædicabant, ut Spiritus sancti revelationibus rejectis, diaboli dogmata in auditorum animos inspirarent. Hæc quippe ad illarum Ecclesiarum deplorandum statum Turribius S. Leoni reformanda proposuerat; quibus decem et septem capitula subjecit, strictim damnatas olim opiniones comprehendentia, quæque S. pontifex, pro suprema sui

(a) Videsis quæ ipsi jam scripsimus contra Beausobre in Exercitationibus ad Manichæorum Historiam pertinentibus. Cap. 7 enim secundi libri, S. pontificem vindicavimus ab istius acatholici viri probris et maledictis quibus eum exagitare ausus est, quia Maximi tyranni cruentum judicium in Priscillianistas ecclesiasticæ lenitati profuisse asseveravit.

(b) Constantinus Roncaglia in notis Hist. Eccl. P. Natalis Alexander, sæculo IV, pag. 72 Lucensis edit.

apostolatus dignitate, denuo tractavit, *ne aliquid earumdem blasphemiarum tolerabile aut dubium videretur in posterum.* A

5. Nos interim horum capitulorum summam stricte et veluti in compendio hic subjicere lectoribus non ingratum futurum arbitramur. Ad quod præstandum opus, etsi jam pridem plures insigniores theologi in ecclesiasticis conscribendis historiis manum admoverint, nescio tamen an felicius saltem palmares omnes hujus sectæ errores, ex quibus et alii minoris momenti originem ducebant, annotaverint. Nec vero id plene P. Natalis Alexander assecutus est, qui, catalogum quemdam seu synopsim omnium Priscillianistarum errorum contexere instituens, nescio quo fato allucinatus, quatuordecim dumtaxat annotavit, tribus aliis, et ex principalioribus quidem, omnino prætermissis. Verum ex sola hac Leonis epistola luce clarius omnibus innotescit decem et septem fuisse, ut mox enuntiabimus.

Sanctus pontifex ergo, ut Asturicensis episcopi B Turribii animum expleret, singillatim eadem capitula retractat quæ ex Gallicia Pervincus diaconus judicanda detulerat. Primo Priscillianistæ impie de Trinitatis mysterio sentiebant, unam dumtaxat in Deo trinominem personam prædicantes, ut Sabellius et Patripassiani docuerunt. Hunc errorem S. pontifex non tantum Nicænæ synodi decretis refellit, sed et theologicis rationibus, quæ Athanasiani symboli loquendi formulas redolere videntur.

Confingebant secundo quasdam virtutes ex Deo procedere, quas non semper Deum in sua essentia habuisse affirmabant, sed aliquando eas habere cœpisse, ut pessime Ariani ratiocinabantur.

Tertio ideo unigenitum dici Dei Filium contendebant, quia solus sit **258** natus ex Virgine. Quare vel principium de matre Christo dabant cum Paulo episcopo Samosateno et Photino, vel non unum esse Dei Filium credebant, sed alios quoque ex summo Patre genitos, quorum hic unus sit natus ex femina qui ob hoc appellatur unigenitus, quia hanc nascendi C conditionem alius filiorum Dei nemo susceperit.

Quarto Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credebant, et idcirco cum Cerdone, Marcione atque Manete apparentem dumtaxat et illusoriam carnem sibi copulasse affirmabant. Quo quidem errore seducti, diem Natalis et Resurrectionis Domini in mœrore et luctu ducebant, sua corpora jejuniis affligentes.

Quinto deinde animam hominis divinæ asserebant esse substantiæ, nec a natura creatoris sui conditionis nostræ distare naturam.

Sexto aiebant diabolum numquam fuisse bonum, neque naturam ejus Dei opificium fuisse, sed illum ex tenebris et chao emersisse, quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse principium sit atque substantia.

Septimo nuptiarum et matrimonii usum cum Manichæis quoque damnabant: ea ratione, videlicet, ut legitimæ prolis procreationem perhorrescerent omniumque turpitudinum libertatem facilius admitterent. D

Cui errori et octavus maxime fuerat affinis, cum dicerent humana corpora diaboli esse figmenta, quatenus conceptionum semina in mulierum uteris configurarentur, et corpora ipsa animæ dignitati, utpote diabolica virtute formata, minime congruere possent. Hinc semel soluto corpore, iterum per resurrectionis mysterium reviviscere posse atque debere inficiabantur.

Non minus portentosa fuit nona eorumdem annotatio, qua promissionis filios, non ex carnis semine, sed ex Spiritu sancto esse conceptos prædicabant, hosque minime peccato mortalique contagio obnoxios quæ in prolem Adami primi parentis vitio transcurrunt.

Decimo autem docebant animas, quæ humanis inseruntur corporibus, olim in cœlis omni corporea mole spoliatas peccasse, ob idque a sublimioribus ad inferiora delapsas, in diversæ qualitatis principes incidisse, et per aereas sidereasque potestates, alias durioribus, alias mitioribus corporibus esse inclusas, sorte diversa et conditione dissimili, ut quidquid in hac varie et inæqualiter provenit, ex præcedentibus causis videatur accidere.

Undecima ipsorum blasphemia, fatalibus stellis et animas hominum et corpora opinabantur obstringi, et idcirco cum gentilibus aut faventia sibi sidera colere, aut adversa mitigare studebant.

Duodecimo sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis membra describebant, et qualitates interiorum præsulum, virtutum scilicet, quas animam regere fingebant, in patriarcharum statuebant nominibus, quibus e regione signa opponebant corporea, quorum virtuti corpora subjicerentur. Addebant corporis humani partes duodecim cœli signis respondere, et secundum ipsa compositas esse, constituentes in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, etc.

Decimotertio circa Scripturarum scientiam errarunt, cum canonicarum Scripturarum corpus sub patriarcharum nominibus accipiebant. Fabulabantur enim duodecim illas virtutes quæ reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis indicari.

Decimoquarto, ita siderum et *signorum potestati* hominem subjiciebant, ut *contenderent multa in* sanctis libris reperiri, quæ ad exteriorem hominem pertinerent, ut in ipsis Scripturis divinam inter terrenamque naturam quædam sibi repugnet adversitas, et aliunde sit quod sibi vindicent animi præsules, aliunde quoque corporis conditores.

6. Decimoquinto, veris Scripturis adulteratis, falsas inducebant, quas canonicas appellabant; cui quippe gravissimo malo ut S. pontifex **259** occurreret, generalem illam indidit legem, qua Ecclesiarum sacerdotes jussit omnem diligentiam adhibere, ne aut falsati codices in usu *lectionis* haberentur, aut apocryphæ scripturæ servarentur a quopiam. De his autem sic scripsit: *Apocryphæ scripturæ, quæ sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ, sed penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ* (*a*). Nullo ergo præsidio hæretici aut novatores septi sunt, cum multis injuriis recentiores Romanos pontifices afficiunt, quod sua Opera proscribant, et ignibus concremari jubeant. Nimis vetusta est ejusmodi in catholica Ecclesia disciplina, nec solum a Gelasio papa, vel a concilio septuaginta episcoporum tum habito repetenda, sed a Leone Magno, qui eam omnibus catholicis episcopis observandam inculcat. Quare splendide inter cæteros acatholicos Van Espen et Beausobre (*b*) allucinatos esse, Leonis hæc agendi ratio suadet patefacitque. Nam Van Espen, cum in priori suorum Operum parte, quæ Juris Ecclesiastici universi inscribitur, haudquaquam ad hocce Leonis decretum animadverteret, cumque agere institueret de Ecclesiæ disciplina in hæreticorum libris prohibendis, Gelasiano decreto dumtaxat insistit, cujus verbis vim omnem roburque prorsus adimere conatur, quasi ex suggestu affirmans Ecclesiam tantummodo publicam, non privatam, proscriptorum librorum lectionem cavere voluisse. Splendide, inquam, Van Espen allucinatur. Quod ut innotescat, minime opus erit ut, a nostro proposito recedentes, nunc de Gelasiano disserere incipiamus decreto. Istud quippe multis eruditisque notis adornatum prodiit, Chifletii Holstenii

(*a*) Vide quæ diximus cap. 6 secundi libri Historiæ Manichæorum.

(*b*) Beausobre, part. I Histor. Manichæorum, lib. III, et alibi passim, cujus nugas, agentes de veteribus Manichæis, abunde rejecimus.

et P. Josephi Bianchini studio et labore, ut novis animadversionibus locupletare prorsus supervacaneum sit. Ad Van Espen igitur lapsum præcavendum, ea quæ S. Leo subjecit advertere sufficiet. Is itaque non publicum tantum corruptorum, apocryphorum falsorumque codicum usum catholicis, sed et privatis horum lectionibus vacare, vel etiam hujusmodi exemplaria in domibus retinere, sub hæreseos nota episcopis qui id permitterent interdixit. Quare subjecit: *Unde si quis episcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani sunt emendatione corrupti, hæreticum se noverit judicandum, quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.*

Perantiquum Palatin. Vatic. ms. exemplar, post hæc verba, celebre hujus epistolæ fragmentum nobis exhibet, hactenus a præcedentibus Operum S. Leonis editoribus nec annotatum, nec publici juris factum. Hoc autem quamvis Leoninam orationem omnino redolere non videatur, tamen laudati codicis vetustas B et auctoritas, tum argumenti ratio, præcedentibus S. pontificis dictis apprime concinens, nos in illud consilium adducunt, ut in altero tomo lineolis interclusum typis committamus. Et quoad codicis antiquitatem spectat, nonum attingere sæculum antiquorum characterum æstimatores nobiscum judicarunt. Argumenti ratio plane respondet sancti Leonis scribendi scopo. Nam post rejectas apocryphas scripturas illi interesse videbatur designare canonicas, et quo ordine in Ecclesia legendæ occurrerent, ut summa concordia in divinis laudibus concinendis et mysteriis celebrandis sacri altaris ministri convenirent. Præterea hujus fragmenti accessione, aptissime priora posterioribus conjunguntur; et in codice eam epigraphem offendimus, videlicet: *Incipit sententia papæ Leonis de apocryphis scripturis.* Quæ exordium habet ab illis vocibus laudati capitis 15 hujus epistolæ ad Turribium: *Curandum ergo est et sacerdotali diligentia maxime providendum ut falsati codices*, etc., usque ad C illa, quæ in omnibus editis hoc caput claudunt, nimirum: *Quoniam qui alios ab errore non* **260** *revocat seipsum errare demonstrat.* Post quæ, hæc alia immediate subduntur: *Leguntur autem omnes Scripturæ divinæ sancti canonis ab initio anni usque ad finem in Ecclesia sancti Petri hoc ordine. Tempore veris, hoc est septem diebus ante initium Quadragesimæ usque ad octavam diem ante Pascha, leguntur libri Moysis cum Jesu Nave et Judicum*, etc. Duo itaque dumtaxat brevi otio hic animadvertere et annotare haud prætermittam. Alterum, ordinem in hoc fragmento descriptum pro legendis omnibus sacri canonis Scripturis in totius anni curriculo non differre ab illa distributione et ordinatione quæ modo etiam in Romano Breviario conspicitur. Hoc probat enim sacri hujus ritus auctoritatem vetustatemque a nostris majoribus derivatam, qui consilium habuere singulis quatuor anni temporibus, et divinis mysteriis in Ecclesia celebrandis aptiores, et magis consonas Scripturarum lectiones D distribuere et accommodare, ut magis mysteriorum dignitati et populorum institutioni consulerent atque prospicerent. Alterum est, in laudato fragmento descriptos reperiri omnes libros in canone Tridentino, sess. 4, descriptos, si unum tamen alterumque excipiamus. Quæ duo sane sacrarum Liturgiarum studiosis viris, qui merito hisce temporibus in hoc labore magna cum sacræ antiquæ rei utilitate operam insumunt, eruditarum dissertationum supellectilem exhibebunt. Nos integrum illud hic non subjicimus, ne longius quam par est a proposito scopo abscedamus. Illud tamen prout exstat in ms. cod. publici juris faciemus in altero tomo omnium Operum S. Leonis pontificis, brevibusque notis adornabimus. Ad nostra itaque revertentes, ita ratiocinamur. Si ergo, canonicæ disciplinæ rigore spectato, quinto jam Ecclesiæ sæculo, nemini licebat per domos sacras Scripturas habere ab hæreticis vitiatas atque corruptas, qui fieri nunc potest ut tantopere heterodoxi conquerantur, cum suos libros sub anathematis pœna legendos catholicis ab apostolica sede interdictum intelligunt? Sed in hac re exploratissima diutius immorari vitio mihi daretur, et propterea ad sextum decimum caput gradum facimus, in quo de aliis libris hæreticorum studio conscriptis S. pontifex verba fecit.

7. Hoc itaque sextum decimum caput, *postremum* sanctus Leo Magnus appellat, eo sensu videlicet, ut sexdecim capita discutienda Turribii libellus ad apostolicam sedem transmissus contineret. Sed quia et aliud in *extrema familiaris suæ epistolæ* parte idem Asturicensis episcopus subjecerat, quod est de Christi carne: *An vere requieverit in sepulcro*, idcirco merito judicavimus antiquam vulgatam lectionem, *sexdecim* nimirum, esse expungendam, et codicum suffragio, ut diximus, novam, decem et septem videlicet, esse sequendam. Sextodecimo igitur Turribiani libelli capiti S. pontifex occurrens, ejusdem imprimis Turribii approbat querimoniam, eam scilicet quæ circa Dictinii quondam in Asturicensi sede sui prædecessoris scripta et tractatus versabatur. Dictinium autem eos libros scripto consignasse cum Priscilliana labe esset pollutus, jam Toletani concilii Acta, jam Augustinus aliique coævi scriptores, ut vidimus, et nunc ipse S. Leo apprime testati sunt. Hos autem libros multi cum veneratione legebant, *qui reparationem ejus magis debebant amare quam lapsum.* Non ergo Dictinium (ait S. pontifex) *sed Priscillianum legunt, et illud probant quod errans docuit, non quod correctus elegit.* Quare extra ecclesiasticum cœtum eos esse declarat qui ejus scriptis utebantur. Neminem ibi profecto summus pontifex excepit, sed ut cujusque ordinis ac status homines comprehenderet, ex sancti apostoli Petri subselliis pronuntiat: *Sed nemo hoc impune præsumat, nec inter catholicos censeatur quisquis utitur scriptis non ab Ecclesia solum catholica, sed etiam a suo auctore damnatis.* Post hæc S. Leo Priscillianistarum et Manichæorum artes exaggerat, quibus ad imperialium legum severitatem præcavendam solerter utebantur. Quarum vero sectarum homines, cum ad **261** invicem corda haberent, eadem sacrilegia profitebantur, quamvis diversis appellarentur nominibus. Quare, *etsi vetus Testamentum*, quod Priscillianistæ suscipere simulabant, Manichæorum soboles refutaret, ad unum tamen finem (ait S. pontifex) utrorumque tendit intentio, *cum, quod isti abdicando impugnant, Priscillianistæ recipiendo corrumpunt.* Cæterum in exsecrabilibus mysteriis, in obscenitatibus omnique turpitudinum genere cum Manichæis Priscillianistas convenisse, jam ex tota hujus historiæ serie arbitror comprobatum. Quod maxime hic Leo Turribio inculcans, ad eam sollicitissimam inquisitionem Romæ contra Manichæos habitam provocat, cujus judicii et Actorum exemplaria ad eumdem Asturicensem præsulem direxit (*a*).

8. Ultimum restat caput, quod in extrema familiaris suæ epistolæ parte, ut jam diximus, Leoni definiendum Turribius proposuerat: *An caro Christi*, videlicet, *vere requieverit in sepulcro.* Hocce quippe nostræ religionis mysterium plerisque catholicorum etiam in dubium venerat, ex eo quod Christus ad inferna descenderat. Qua enim ratione duo illa, *descensus* videlicet ad *inferos* et Christi carnis in sepulcro *requies*, cum vera conjungerentur proprietate, Hispaniarum populi intelligere haud poterant. Duo hæc apostolici Symboli dogmata inter se nequaquam repugnare S. pontifex variis Scripturarum testimoniis demonstrat. Sed contrarium assertum ex Priscilliani et Manichæi dogmatibus derivasse, non dubium est, qui sacrilego (ait) *sensu ita se Christum*

(*a*) Consule c. 10 libri II Historiæ Manichæorum, in quo de Romana Leonis in istos hæreticos inquisitione verba fecimus.

simulant confiteri, ut et incarnationis, et mortis, et resurrectionis auferant veritatem (*a*).

Non igitur verendum est quin in iis retractandis capitulis S. Leo supremi judicis et magistri partes obierit. Nec hic enim adversariorum nugas locum habere posse, ipse S. pontifex manifestat. Qui, ut sui ipsius doctrina et canonica judicia omni clericorum cœtui singulisque fidelibus innotescerent, primo encyclicas inter episcopos epistolas habendas jubet ad concilii celebrandi locum opportunum designandum. Ad istud deinde vicinarum provinciarum sacerdotes convenire præcipit, ubi plenissima habita districtione, ad examen potissimum revocare voluit et jussit, an essent aliqui inter episcopos qui Priscillianæ hæreseos contagio polluerentur. Eos autem, quos tali tantaque labe inquinatos reperisset concilium, servatis omnibus pontificiarum harum sanctionum regulis, a catholica *communione* sine dubio separandos decernit, *si tamen nefandissimam sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluissent.* B Ut autem hæc, quæ ad apostolicæ sedis jura pertinent plenius faciliusque exsecutioni mandarentur, haudquaquam S. pontifex hac epistola fuit contentus. Sed, nulla interposita prolatione, alias litteras dedit ad coepiscopos, Tarraconenses nimirum, Carthaginenses, Lusitanos atque Gallicios, quibus concilium generale indixit, in quo certe indicendo supremum sui pontificatus jus exercuisse, haud dubium esse potest. Id quippe isthæc Leonis verba perspicue patefaciunt. *Ad tuæ* (ait) *dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis auctoritas ad prædictarum provinciarum episcopos deferatur.* An vero unam tantum encyclicam, vel plures epistolas, Leo scripserit, ut laudatos omnes Hispaniarum et Galliciæ episcopos ad concilium venire compelleret, non ausus sum definire; cum quæcumque illæ fuerint, hactenus non prodierint, et temporum injuria fortasse jam interciderint (*b*).

262 9. Nunc vero si mihi ex Romanæ sedis jurium cavillatoribus percunctari liceret, cur magnus ille C Turribius inter maximas versans angustias, ad unam apostolicam sedem sua consulta direxerit, non vero ad alterius sedis episcopum; quid inter cæteros Launoius, Blondellus, Quesnellus aliique reponerent? Num contendere audebunt totum negotium ad futurum concilium fuisse remissum? Deciperentur quidem, et sibi fucum facerent. Nam summus pontifex, suorum prædecessorum vestigiis insistens, ex Vaticani throno, non theologicis rationibus tantum singulos Priscillianistarum errores rejecit, sed et sub anathemate damnavit; apocryphorum scripturarum exemplaria et hæreticorum librorum privatam publicamque lectionem proscripsit, eosdemque comburendos præcepit; extra catholicam communionem eos episcopos declarans qui ejusmodi statutis non obtemperassent. Quid igitur? Num hæc futuro definienda concilio remisit? Num ab hisce regulis atque statutis leviter etiam resilire concilii Patribus licuisset? Nugas agerent id confingentes, cum veritatis D studiosi intelligant concilii Patribus examen dumtaxat fuisse remissum, an essent aliqui inter episcopos qui hujus hæreseos contagio polluerentur, qui, secundum has ad Turribiana consulta responsiones, a communione sine dubio erant separandi. *Frustra enim* (ait S. pontifex) *utuntur catholico nomine, qui istis impietatibus non resistunt.* Non agendum igitur erat in illo concilio de hæresi damnanda, quam jam RR. PP. et Leo ipse damnaverant; sed de hæreticis puniendis, quorum causa nondum satis apostolicæ sedi erat explorata. Propterea noster Leo, jam sufficienter discus-

A sis quæ ad jus pertinebant, ea quæ circa personas et factum versari poterant concilii generalis, aut saltem provincialis, judicio subjecit.

10. Et quidem quia totus pontificis animus potissimum versabatur in Galliciæ malis medendis, atque in præcavendo ne, latius in iis regionibus serpentibus, catholica religio ad plenum perduceretur exitium, sequentem censuit adhibere œconomiam. Si videlicet aliquid obstitisset quominus generale concilium celebraretur, Galliciæ saltem sacerdotes in unum convenire præcepit, quibus congregandis Idatio, et Ceponio, utpote metropolitico jure insignitis, cura demandata est, quibus et Turribii sollicitudinem adjunxit, *ut citius vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferretur.* Dum hæc igitur in Gallicia et Hispania agenda Leo jussit, et dum Pervincio Asturicensi diacono epistolas pontificias utriusque regni episcopis deferendas tradidit, jam Calipius et Ardubare Romanum consulatum agebant. Id vero in Christi annum 447 contigisse, jam Romanorum consulum tabulæ patefaciunt. Si quid tamen abundantius theologicarum rerum studiosi veritatisque amatores ad hujus nefandissimæ sectæ refellendos errores sibi cupiunt nancisci, ejusdem S. pontificis consulant homilias. Vix enim ab eodem comperta nequissimorum hominum impietate et sacrilegiis, studium cohibere non potuit, quin inter sacra mysteria peragenda profanam eam religionem hujusque dogmata impeteret et exagitaret. Cujus quidem agendi rationem nobis satis est indicasse, ne prolixior justo hæc nostra evadat oratio.

263 CAPUT XV.

De conciliis in Galliciæ et Hispaniæ regnis sancti Leonis Magni præcepto habitis. Falsum Paschasii Quesnelli judicium de antiquo cod. Canonum Rom. Ecclesiæ.

1. Obscuriores autem nunc res nos scribere oportet, et iis quæ jam diximus multo difficiliores, præsertim cum ob veterum monumentorum jacturam iis subsidiis careamus quæ facile ad cognoscendam rerum veritatem nos dirigere atque conducere possent. Interim tamen a suscepto proposito manum non removebimus, quoadusque exploratius fiat quemadmodum pontificiis mandatis utriusque regni sacerdotes obtemperaverint. Episcopi ergo illi cum ob diversas rerum civilium administrationes, ut jam vidimus, tum ob diversorum principum stirpem, ingenia et religionem, in unum generale concilium convenire haud potuerint, uniuscujusque regni metropolitæ suas synodos coegerunt. Tarraconenses enim, Carthaginenses, Lusitani et Bætici episcopi, quibus in rebus civilibus Theodoricus Arianus ex Gothorum stirpe ortus dominabatur, eodem anno 447, suum concilium celebrarunt. Cujus quippe rei celebre illud esse testimonium mihi persuadeo, quod Conciliorum generalium collectores suppeditant. Post concilii enim Toletani I canones, fidei quædam regula legenda occurrit, quæ sequentem epigraphem præsefert: *Incipit regula fidei catholicæ contra omnes hæreses, et quam maxime contra Priscillianos, quam episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, et Bætici fecerunt, et, cum præcepto papæ urbis Romæ Leonis, ad Balconium episcopum Galliciæ transmiserunt, ipsi etiam et suprascripta viginti canonum capitula statuerunt in concilio Toletano* (*c*). Apud Toletum ergo Hispaniæ episcopos convenisse, postrema illa indicant verba. Sed præcedentia capitula prout in Conciliorum collectione hodie asservantur Leonis ævo edita fuisse nemo sibi persuadeat. Iisdem namque primo Patruinus cum cæteris subscripsit, qui 400 anno in Symphosii et Dictinii

(*a*) Videsis quæ de hoc dogmate scripsimus contra Beausobre, ut vindicaremus a notis suppositionis Acta Archelai, hujusque disputationem habitam contra Manetem lib. I Hist. Manichæorum.

(*b*) Sed unam tantum encyclicam epistolam ad omnes Hispaniarum et Gallæciæ episcopos Leonem misisse, ex simili ejusdem S. pontificis agendi ratione colligi potest, ab eodem servata in Orientalium causis, post latrocinium Ephesinum ad examen revocatis, ut in postrema harum Exercitationum parte videbimus.

(*c*) Tom. II Concil. generalium pag. m. 1475.

causam convenerant. Subscripsit præterea Ortigius, A Galliciæ episcopus, de quibus jam in superioribus satis superque disseruimus. Sed eos adhuc anno 447 potuisse esse superstites, vel Ortigio liberum fuisse cum Hispaniarum episcopis ad hunc venire conventum, prorsus inverisimile est. Luce clarius itaque apparet Harduini annotationem esse probandam, qui scripsit *in editione hujus concilii a Loaysia curata hæc verba legi : Explicit concilii Toletani*, quæ argumento sunt subsequentem fidei regulam ad illud haudquaquam pertinere, sed ad concilium jussu Leonis coactum esse referendam.

2. Non aliter profecto ea de re a Pagio est judicatum, qui sedulo atque maturius secum reputans quæ ad ecclesiasticas sanctiones et ad monumentorum ordinem pertinere videntur, ut gestarum rerum perturbationem præcaveret, fidei professionem de qua agimus Leonis ævo conscriptam fuisse asseveravit (*a*). Cujus quippe veritati minime officere potest tanta illa mss. et editorum exemplarium diversitas, quæ B nobis in iis anathematismis conspicienda occurrit, dum videlicet aliqui ex codicibus duodecim dumtaxat anathematismos contineant, edita exemplaria decem et octo, in Augustini Operibus horum numerus usque ad viginti sex augeatur.

Tantam porro diversitatem cum animadverteret Quesnellus, suis studiis **264** et partibus prodesse posse censuit (*b*). Et propterea eam modo Leoni adjudicat, quam ex Romano canonum codice avulsisse suspicatur, modo eam Augustino asserendam esse conjicere conatur, quasi quod aliquando vel ad Hispaniarum episcopos miserit, vel illam ex Africa *asportatam a Leone*, cum ille adhuc *acoluthus Zosimi decretum adversus Pelagianos detulit*, etc. Rectene ac sapienter hoc loco et sequentibus Quesnellum ratiocinari arbitrabimur? Frivolum utrumque et sine fundamento esse jam olim Harduinus annotavit. Sed Parisiensem hunc Leonis Operum editorem pro more comminisci et nugari voluisse, ii perspicue intelligent, qui cum in fidei professionem, tum in illos subjectos C decem et octo anathematismos oculos conjiciant. Nam quis sibi adulabitur eam fidei regulam cum subjectis anathematismis jam diu fuisse concinnatam, textamque antequam omnes Priscillianistarum errores, artes horumque fontes unde dimanabant, plenius innotescerent? si jam Romanorum Canonum codici eam fidei professionem antequam Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani et Bætici episcopi convenissent insertam confingamus, vel si antequam Turribius apostolicam sedem consuleret, et S. pontifex consultationibus responderet, Augustinus, vel quisquam alius eam edidisset, dicat, amabo, Quesnellus an Turribium et Leonem latere potuisset? Id suspicari haud licet. Ambos enim de rebus in Ecclesia gestis instructos esse oportebat, et Romanus pontifex potissimum id novisset, si vel ex Africa istud monumentum Romam secum asportasset, illudque sui prædecessores, vel ipse etiam, Romanorum canonum codici inseruissent. Cur ergo S. ponti- D fex ad hanc fidei professionem numquam provocavit? Cur singillatim Priscillianistarum articulis anathematismos professioni subjectos non opponit? Cur denique Turribius ipse apostolicam consuluit sedem, si jam diu Hispaniarum episcopi ex Augustino fidei tesseram acceperant? Isthæc ergo mea persuasio est, videlicet, Quesnellum versute omnino nugatum fuisse, eam fidei professionem Augustino adjudicando. Tarraconenses enim, et cæteri PP. qui in concilium convenerunt, si ex ejus Operibus eam mutuati essent, ejus nomen non reticuissent, immo nec omisissent indicare Romanæ et apostolicæ sedis canones et statuta, si fidei regulam ex illo codice desumpsissent. Atqui in illa epigraphe non aliud quam Leonis nomen legendum occurrit: habet enim : *Incipit regula fidei catholicæ contra omnes hæreses, et quam maxime contra Priscillianos, quam episcopi Tarraconenses .... fecerunt, et cum præcepto papæ urbis Romæ Leonis ad Balconium episcopum Galliciæ transmiserunt.*

3. Nec errore aut oscitantia amanuensem liceat notare eam, Bracarensis concilii PP. anno Christi 563 sincere id fassi sunt, quando videlicet Lucretius episcopus illius sacri conventus præses, cæteros alloquens episcopos, ad Toletanam provocat synodum Leonis ævo et præcepto habitam, in qua regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus capitibus conscribentes, ad Balconium tunc Bracarensis Ecclesiæ præsulem direxerunt (*c*). Igitur si Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani et Bætici episcopi anno Christi 447 fidei professionem illam cum subjectis anathematismis, seu capitulis, conscripserunt, jam illa Augustini studio in lucem prodire non potuit, cum jam S. episcopus apud Hipponam sedem suam extremam diem clausisset anno 430. Si denique ex Augustini Operibus, vel ex Romanorum canonum collectione PP. illi mutuati essent, nequaquam Lucretius dixisset : *Regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus capitibus conscribentes*, sed potius alia usus familiari loquendi formula dixisset : *Vel recitata fuit fidei professio ; aut ex codice fidei professionem, cum subjectis capitulis legerunt, vel exscribere fecerunt.* Levibus autem divinationibus nos minime insistere plenissime norunt, **265** qui conciliorum Acta et historias percurrerunt. Sed id jam et Quesnellus novisset, nisi, nimium suorum studiorum partibus adductus, ejusdem Bracarensis concilii gesta, ad quæ provocat, evolvere aut intelligere neglexisset. Annon idem Lucretius episcopus, post illa verba a nobis laudata, et ab ipso Quesnello exscripta, immediate hæc alia subjecit? *Unde quia et ipsum præscriptæ fidei exemplar cum suis capitulis præ manibus hic habemus pro instructione ignorantium, si vestræ placet reverentiæ recitetur. Tunc autem omnes episcopi dixerunt : Valde necessaria horum capitulorum est lectio.* Nec aliam adducunt rationem, nisi hanc, ut simplicioribus, videlicet, *quibusque pristina sanctorum Patrum statuta pandebantur, abominata jam olim a sede beatissimi Petri apostoli et damnata Priscillianæ hæresis figmenta cognoscerent.* An vero isthæc Quesnellum jugulent, quæso, lector animadvertat? Pristina profecto illa sanctorum Patrum statuta, quibus Priscillianæ hæreseos portenta damnata fuere, apostolicæ beatissimi Petri sedi tribuuntur. Non igitur illius professionis fidei illorumque capitulorum auctor Augustinus dicendus est; is enim, quamvis meritis, laboribus honoribusque clarus, quandonam apostolicum Petri thronum assecutus est?

4. Neque deinde tanta illa tamque a Quesnello decantata diversitas in anathematismorum numero reperta huic veritati tenebras obducit. Nam imprimis manuscripta exemplaria ex quibus potissimum illa diversitas hausta est, amanuensium quandoque indiligentia et oscitantia fuerunt corrupta, vel aucta; vel quia, aliis occurrentibus causis, Patres ipsi, ad præcedentia Ecclesiæ statuta provocantes, ea dumtaxat in medium adducebant quæ ad novas excitatas quæstiones videbantur pertinere; vel et alia addiderunt quæ rebus quas agebant magis congruere arbitrabantur. Quid ergo mirum si quandoque in evolvendis veterum scriptis unum idemque monumentum, modo interpolatum et diminutum, modo vero prolixius et auctius nobis occurrat? In hisce quippe rebus quæ ab scribentium et utentium voluntate pendent, nisi eorum animus innotescat, non sine negotio judicari potest, præsertim cum autographa exemplaria desiderantur.

5. In hoc negotio tamen non multum operis Quesnello insumendum fuisse arbitror. Iidem namque

(*a*) Pagius ad Christi annum 405, num. 16 et 17.
(*b*) Quesnellus, dissert. 14 de libellis in codice contentis, num. 8.
(*c*) Bracarense conc., tom. VI Concil. pag. 551.

ejusdem laudati Bracarensis concilii Patres Acta eorum qui Toletanæ synodo anno 447 coactæ interfuerunt in genuino contenta codice præ manibus habebant. Idcirco, lecto fidei exemplari cum subjectis capitulis, necessarium duxerunt post annos 116 eadem capitula simplicius et evidentius exponere, ut minus e ruditis innotescerent quæ sub anathematis sententia olim ex Priscilliani dogmatibus ab apostolica divi Petri sede fuerant damnata, *licet* (aiunt Bracarenses PP.) *horum capitulorum lectio necessaria recensita sit, tamen evidentius et simplicius ea quæ sunt exsecrabilia, ita præpositis etiam capitulis, modo declarentur, ut qui minus est eruditus intelligat, et sic sub anathematis sententia explosa jam olim Priscilliani erroris figmenta damnentur*, etc. Nobis ergo gratulari oportet quod Patres isti eadem retractaverint capitula, latam enim apertamque viam nobis pararunt ut securius ad nostram pervenirent notitiam quot et quales anathematismos Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani et Bætici Patres anno 447, jussu Magni Leonis, ediderint ad noxium Priscillianæ hæreseos virus penitus exstinguendum. Anathematismi porro isti, si oculos in eos conjiciamus, Leoninæ omnino epistolæ ad Turribium respondent. Non igitur fieri potest ut, rationabili adducti fundamento, vel eos uni Augustino adjudicemus, vel in Romanum Canonum codicem relatos ante S. Leonem confingamus. Qua in re ne apud Quesnelli studiosos in commenti sive mendacii suspicionem adducamur, nobis opus est causam referre cur Bracarenses illi Patres eadem omnino capitula retractaverint, luculentiusque explicare voluerint **266**. *Ut quisque* (aiunt) *clericus vel monachus, sive laicus, tale aliquid* (intellige cum Priscilliano) *sentire adhuc vel defendere fuerit deprehensus, tamquam vere putridum membrum, continuo de corpore abscindatur catholicæ Ecclesiæ, ne aut societatis aut pravitatis ejus maculata corda recte credentibus de permixtione talium aliquod orthodoxi reputetur opprobrium*. Ejusmodi autem sententia a Lucretio episcopo prolata, quam totius concilii Patres probarunt, olim statuta contra Priscillianam hæresim capitula continebat, ut sequentia verba indicare videntur. *Proposita contra Priscillianam hæresim capitula et relecta continentur hæc.* Sed cum decem et septem anathematismi illa statim excipiant, quæ, ut diximus, et Turribianis consultationibus apprime respondent, et Leoninis responsionibus omnino concinunt, ut eorum lectio satis perspicue patefacit, idcirco extra omnem dubitationis aleam positum arbitror, Tarraconenses Patres cum aliis trium Hispaniæ provinciarum episcopis, Leonis mandatis obtemperare volentes, tunc primum, anno videlicet 447, et fidei regulam, et anathematismos de quibus agimus edidisse et promulgasse. Si id neget Quesnellus, alterutrum ei affirmare opus erit; videlicet, aut Turribii ad apostolicam sedem consultationes jam ante Leonis pontificatum fuisse discussas et definitas, aut epistolam ad Turribium alteri Romano pontifici quam Leoni esse adjudicandam, quæ duo nonnisi pura putaque redolent figmenta.

6. Jam vero effugium quod sibi paraverat Quesnellus præcavere et eripere oportet. Illud nimirum quod sibi suppeditatum arbitratus est ex illius fidei professionis epigraphe, quam cum decem et octo anathematismis Toletano I concilio assutam Conciliorum collectores exhibuerunt. Legitur enim : *Incipit regula fidei catholicæ contra omnes hæreses, et quam maxime contra Priscillianos, quam episcopi Tarraconenses*, etc. (*a*). Si ergo isthæc fidei professio *omnes hæreses* taxat et rejicit, non tunc primum prodiit quando illi Hispaniarum episcopi in unum convenere. Licebit ergo potius inferre hos Hispaniæ Patres hanc in suum transtulisse usum, quia mirifice in Priscillianistas quadrare noverunt. Ita profecto effutire posset qui isthoc monumentum, aut Augustino adjudicat, vel qui illud ex Romano Canonum codice ante Leonem edito mutuatum confinxit. Sed hunc maxima ecclesiasticæ historiæ et Leoninorum Operum potissimum inscitia laborare, argumento esset. Quid enim S. hic pontifex de Priscilliana hac hæresi prædicavit ac scripsit? Annon ipse eam hæresim ex præcedentium omnium hæreseon fontibus et auctoribus scripsit esse derivatam, ita ut suis ad Turribium responsionibus perspicue ostendat Gnosticorum, Cerdonis, Photini, Apollinaris, Sabellii, Patripassianorum, Arii, Manichæi aliorumque improborum hominum errores Priscillianistas admisisse et propugnasse? Hispaniarum episcopi igitur, si Leoninæ doctrinæ et epistolæ insistere cupiebant, eos iis vocibus uti oportebat : *contra omnes hæreses, et quam maxime contra Priscillianos*. Nam S. pontifex variis in locis, sed potissimum in exordio epistolæ ad Turribium, de hac disserens hæresi, scribit : *Nihil est enim sordium in quorumcumque sensibus impiorum quod in hoc dogmate non confluxerit, quoniam de omni terrenarum opinionum luto multiplicem sibi fæculentiam miscuerunt, ut soli* (Priscillianistæ nimirum) *totum biberent quidquid alii ex parte gustassent*. Sed hisce verbis immediate et ista alia, quæ in rem nostram mirifice faciunt, subjecit : *Denique si universæ hæreses quæ ante Priscilliani tempus exortæ sunt diligentius retractentur, nullus pene invenitur error de quo non traxerit impietas ista contagium.* Neque vero quisquam sibi blandiatur S. pontificem isthæc generatim dumtaxat indicare voluisse. Nam cum iisdem Turribianis occurreret consultationibus atque quæstionibus, singillatim fontes et auctores designat unde derivaverint errores quos in decem **267** et septem, vel in decem et octo, epistolæ suæ capitibus refellit. Quam agendi rationem apprime imitati sunt, et Hispaniarum episcopi qui ad illud convenere concilium, et Bracarenses Patres, qui, ut vidimus, laudata hæreseon capita denuo tractarunt. De Bracarensibus autem Patribus Quesnellus id sincere fassus est, qui præterea in notis ad epistolam 15 animadvertit hujus concilii anathematismos, sive capitula, editos esse ad normam responsionum quas olim noster Leo ad Turribium direxit. Tantam porro affinitatem illa inter se habere cognovit, ut scripserit : *Nullum enim fere verbum est, quod a Leone non sint, Patres mutuati, nulla Leonis capitula quæ suis non comprehenderint. Priores primi quinque concilii articuli quinque Leonis capitibus respondent; alii cum aliis, etsi nec ordine servato eodem, nec numero, omnino conveniunt* (*b*). Sed hic Quesnellum suo se gladio jugulare quis non videt? Nobiscum enim fatetur Bracarenses Patres ex Leonis sententiis et verbis sua capitula et anathematismos concinnasse. Atque laudati Bracaræ Patres aiunt se prosecutos esse capitula jam pridem in Hispaniæ concilio a Tarraconensibus, Carthaginensibus Patribus edita et conscripta. Igitur utriusque concilii Patres, apostolicæ sedis instructionibus ac definitionibus adhærentes, eadem omnino capitula ediderunt et conscripserunt. Non igitur opus est ut fidei professionem illam cum subjectis capitibus, aut Augustino, aut incerto Romanorum canonum auctori adjudicemus.

7. Sed cum fidei professionem non omni nævo carere, tam Quesnellus quam Harduinus contendunt. Arbitrantur enim auctiorem modo exhiberi quam olim a suis auctoribus primum in lucem prodiit; cum videlicet mentio habeatur processionis Spiritus sancti ex *Patre Filioque*, quæ verba recentiorem manum prodere non est qui dubitare possit. Hoc ultro sane dare possem, mecum deinde singula reputans dissidia quæ, Photiani schismatis causa, catholicos Romanos inter et Græcos, octavo Ecclesiæ sæculo et sequentibus contigerunt. At ne duorum criticorum censuris subscribam, non tantum Leoninorum Operum lectio-

(*a*) Tom. II Conc. pag. 1475.
(*b*) Quesnellus II parte Operum S. Leonis, in notis ad epist. 15.

nes, sed et manuscriptorum vetustas ad quæ exemplaria ejusdem S. pontificis Opera exegimus, impediunt et prohibent. Etenim mihi de hoc dogmate ex Leonis scriptis inquirenti varia testimonia occurrunt, quæ jam postmodum excitatam quæstionem persolvunt. Hæc inter autem principem locum habere mihi persuadeo quæ contra Priscillianam hæresim de qua agimus scripsit. Siquidem Turribio cæterisque Galliciæ et Hispaniarum episcopis quæ de Trinitatis mysterio sunt credenda describens, sine ullo prorsus verborum involucro et ambiguitate, Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere docuit et definivit (*a*). *Primo itaque capitulo demonstratur quam impie sentiant de Trinitate divina, qui et Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam atque eamdem asserunt esse personam, tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur, nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit.* Sed locum hunc Spiritus sancti a Filio quoque processionem non tantum significare, sed et exprimere, neminem diffiteri posse arbitror. Etenim cum Spiritum sanctum de utroque *procedere* affirmet, hujus processionem æque a Patre et Filio derivatam esse oportet.

Ita profecto, hocce Leonis testimonio adductus, ratiocinatus est Theodulphus libro de Spiritu sancto, qui pro præteriti temporis voce *processit*, hac alia præsentis, nimirum *procedit*, usus est. Insignioris notæ theologis præterea verba illa *recentiorem* manum minime suboluerunt, qui, ad probandum contra Græcos hujus dogmatis in Ecclesia perpetuitatem, non tantum ad Leonis testimonium provocant, sed ad illam fidei professionem quam Toletani I concilii PP. adjudicarunt. Verum enim vero dogma **268** istud *processionis* Spiritus sancti a Patre et Filio jam in Romana Ecclesia satis provulgatum fuisse, produnt duo alia S. pontificis testimonia, sermonibus de Pentecoste expressa, quæ hic indicasse sufficiat. De quibus aliqua dicemus in notis ad eosdem sermones, quos novis typis sequenti tomo adornabimus (*b*).

CAPUT XVI.

An fidei illa professio Toletanis PP. adjudicata Augustini stylum et ætatem redoleat. Adhuc canonum codicem a Quesnello editum falso Ecclesiæ Romanæ esse adjudicatum ostenditur.

1. Sed infirma illa tum Quesnelli tum Harduini annotatione erepta, et iis rejectis quibus fidei laudata professio cum subjectis capitulis, seu anathematismis, aliis perperam quam Leoni et Hispaniæ episcopis adjudicabatur, adhuc de Augustini scriptis disserere oportet, inter quæ istud monumentum de quo agimus auctius quidem locum habere unus Quesnellus contendit. Hanc ait a Magistro Sententiarum lib. III, dist. 21, sub finem, iis verbis laudari: « *secundum quam rationem* (inquit) *dicit Augustinus, Si quis dixerit, atque crediderit Filium Dei, Deum passum, anathema sit.* Locus (ait idem Parisinus editor) Augustini ad marginem notatus recentiori, ut puto, manu est: *Sermo de Fide, qui est 3 in feria 5 in Cœna Domini.* Revera, tom. X Operum ejus exstat sermo 129 de tempore, de Fide recta inscriptus, quem in appendicem non rejecerunt doctores Lovanienses, ac proinde Augustinianum fetum esse censuerunt (*c*). » Hactenus Quesnellus, qui, ita suarum partium studio abreptus, varias, sed levissimas et inter se pugnantes, nec ad propositum facientes, conjecturas in medium affert, ut nugis dumtaxat et verbis, quemadmodum legentibus patebit, certare vel ludere videatur. Qua in re explicanda, nos certo multos esse

A oporteret, si singula annotare, et deinde rejicere cuperemus, quæ ibidem comminisci nisus est. Sed quæstionem ad quædam peculiaria capita reducere satius ducimus, ut inde quantum a veritate recesserit perspicue intelligamus.

2. Et primo quidem Augustinus, anno 393, cum adhuc esset presbyter, occasione Hipponensis generalis Africæ concilii tum in secretario basilicæ Pacis habiti, contra Manichæos disputans, ita de divinis disseruit personis, ut nec unam loquendi formulam laudatæ professionis verbis affinem adhibeat, nec unum ex illis erroribus, aut errorum fontibus quos laudata professio indicat et exprimit innuat, impetat atque refellat (*d*). Immo si sedulo ea quæ de Spiritu sancto ibi dicta sunt animadvertamus, Ecclesiæ Africæ doctrinam longissime ab apostolicæ sedis institutionibus tum abfuisse, veritatis cultores judicabunt. Tunc etenim nondum tam copiose a doctis et magnis divinarum rerum magistris hoc dogma fuerat dispu-
B tatum; idcirco cum Dei *donum* esse prædicabant, non tamen tamquam *Filium de Patre genitum*, neque de *Filio* productum tamquam Patris *nepotem*, aut duo esse rerum omnium prima principia, ut Manichæi perperam opinabantur (*e*). *De Spiritu sancto autem* (ait) *nondum tam copiose ac diligenter disputatum est a doctis et magnis divinarum Scripturarum tractatoribus, ut intelligi facile possit et ejus proprium quo proprio fit, ut eum neque Filium, neque Patrem dicere possimus, sed tantum* **269** *Spiritum sanctum, nisi quod donum Dei esse prædicant, ut Deum credamus non seipso inferius donum dare. Servant tamen, ut non genitum Spiritum sanctum tamquam Filium de Patre prædicent, unicus enim est Christus. Neque de Filio tamquam nepotem summi Patris, nec tamen id quod est nulli debere, sed Patri ex quo omnia, ne duo constituamus principia sine principio, quod falsissimum est, et absurdissimum, et non catholicæ fidei, sed quorumdam hæreticorum proprium.* Cum itaque Augustini ætate de Spiritus sancti processione nimis obscura
C apud Afros quæstio esset, Patres in sacris Scripturis eruditi, eum dumtaxat *Deum*, *donum*, *dilectionem*, *non Filium*, *non Patris nepotem* appellabant. Numquam vero a *Patre et Filio* tamquam ab unico procedentem principio prædicarunt. Qua ratione igitur hæc cohærere possunt cum apostolicæ sedis doctrina, satis ea in professione expressa, quæ longe aliis clarioribus congruentioribusque loquendi formulis et phrasibus referta est? Profecto si apud Afros etiam apostolicæ sedis loquendi phrases in usu venissent, Augustinum iis uti maxime decebat in fidei et Symboli expositione. Quas cum non adhibuerit, cum de *Spiritu sancto nondum tam copiose et diligenter disputatum fuerat a doctis et magnis divinarum Scripturarum tractatoribus*, id sane argumento est, laudatam fidei professionem non Augustini ætatem, stylum, doctrinam redolere posse.

3. Sed nec Quesnellianæ opinioni firma suppeditant argumenta, vel quæ Augustinus jam ad episco-
D patum assumptus ad Orosii consultationem respondit; vel quæ in aliis Operibus, et potissimum libro de Hæresibus, anno 428 conscripto, legenda occurrunt. Nihil quippe habent ejusmodi Augustini Opera ex quibus conjici possit eam fidei professionem de qua agimus genuinum ejusdem esse fetum. In primis itaque quod ad librum contra Priscillianistas et Origenistas Orosio inscriptum attinet, minime aliquid huic fidei professioni simile vel consentaneum in eo contineri arbitrabuntur qui hocce opus propriis oculis lustrarunt (*f*). In exordiis enim fatetur non omnibus in Orosii commonitorio expressis se occurrere velle; *Nam in quibusdam opusculis nostris* (ait)

(*a*) Leonis epistola ad Turribium, cap. 1.
(*b*) Leo Magnus, serm. 1 de Pentecoste, cap. 3, et serm. 2, cap. 2.
(*c*) Quesnellus, diss. 14, de Libellis in cod. contentis, num. 8.
(*d*) Ex lib. I, Retractationum cap. 17.
(*e*) August. libro de Fide et Symbolo cap. 9.
(*f*) Libro ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas, cap. 1, tom. VIII, pag. 438.

quæ vel legisti, vel legere poteris, multa dicta sunt quæ valent adversus hæresim Priscillianistarum, quamvis non mihi eos proposuerim refellendos, sed cum aliud agerem, etiam hoc me egisse nunc intelligo, quando ex te audio quod illi sentiunt. Non igitur ante annum 415 Augustinus sibi proposuerat Priscillianistas refellere, cum eo anno dumtaxat ex Hispania ab Orosio quid illius sectæ homines sentirent intellexisset. Fatetur tamen jam cum Manichæos exagitaret, se multa scripsisse quæ in Priscillianistas, multis in dogmatibus Manichæis affines, optime quadrare poterant. Sed non perinde aliquod in hujus scriptis vestigium exstat quod is eam fidei professionem conscribere potuerit. Nondum ipsi enim, nec Orosio quidem, omnes Priscillianistarum blasphemiæ vel errores innotuerant. Quasi nonnisi temere stylum strinxisset ad fidei professionem contra eam hæresim conscribendam, cujus errores necdum ipsi innotuerant. Et quidem ita effari haudquaquam auderem, nisi Orosii ad Augustinum scripta, et Augustini ad Orosium liber, argumenta suppeditarent (*a*). Sed cum Orosius ipse Priscillianistarum tres quæstiones dumtaxat exponendas proponat, aliæ vero, quas subjicit, cum Priscilliani erroribus nihil affine habent, sed ad Origenistarum commenta pertinere ipsi ambo testati sunt; igitur non omnia Priscillianistarum commenta ipsis adhuc innotuerant (*b*). Quas vero quæstiones Orosius Augustino explicandas proposuerit, statim patefacimus. Harum ergo prior ad animæ naturam atque substantiam pertinebat, quam **270** nimirum Priscillianistæ non omnino creatam esse contendebant, sed divinæ naturæ portionem in se habere confingebant. Altera deinde circa humana corporeaque membra efformationem versabatur, quibus patriarcharum nomina respondere, et cœli signa in iis disposita esse, comminiscebantur; quod impietatis superstitionisque portentum *ex quodam libro qui inscribitur Memoria Apostolorum confirmare nitebantur.* Sed et hunc librum aliis fabulis et figmentis esse refertum idem Orosius testatur. Ultima tandem quæstio de Trinitatis erat mysterio, quod solo verbo consistere prædicabant: *Nam unionem absque ulla existentia aut proprietate asserunt, sublatum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum hunc esse unum Christum dicebant.* Tribus ergo hisce dumtaxat erroribus Augustinus occurrens, illam fidei professionem conscribere, et ad Orosium, vel ad quemquam Hispaniarum episcopum, mittere non potuit, in qua præter tres illos recensitos errores, et alii quatuordecim, seu quindecim, damnantur et rejiciuntur, qui nondum ad Augustini notitiam pervenerant.

4. Nec mihi Augustini epistola objiciatur quam inscripsit Ceretio (*c*). Ex ea enim quid? Totus ibidem est sancti Patris scopus in detegendis iis fraudibus quibus sacras Scripturas corrumpebant, et sibi apocryphas adoptabant, cum potissimum canonicis præferrent libris hymnum quem a Christo Domino ante passionem in horto recitatum fuisse confingebant. Quo autem anno ejusmodi scripserit Augustinus epistolam, proferre non audeo. Sed eam mihi sedulo percurrenti nihil prorsus occurrit quod Quesnellianis conjecturis queat suffragari. Verum nec iis suffragari posse quis sibi blandiatur quæ idem Augustinus anno 420 ad Consentium contra Priscillianistarum mendacia atque perjuria, tum de Dictinii libris, conscripsit. Impetit quippe ibidem mendacii naturam, et omnia contraria argumenta ex male interpretatis Scripturis deprompta refellit; Dictinium in Ecclesiæ pacem tamquam pœnitentem extremam diem clausisse asseverat, ut jam vidimus, in quibus tamen omnibus nec unum leve illius fidei professionis vestigium conspicimus.

5. Jam vero antequam ad sermonem illum 129 perveniamus, quem tamquam genuinum fetum Quesnellus Augustino adjudicat, de libro contra omnes hæreses ab eodem, anno 428, conscripto, nobis verba facere opus est. Fatemur quidem sanctum Hipponensem episcopum, num. 70 prolixiori stylo alios et alios Priscillianistarum recensuisse errores (*d*). Sed si excipiamus conjugiorum solutiones, carnis turpitudines, et contaminationes, quibus Priscillianistæ delectabantur, quas ipse exagitat, nihil aliud ibi subjicit, præter ea quæ vel in libris ad Orosium et Consentium, vel in epistola ad Ceretium jam antea exagitavit. Necdum igitur tum omnia illius sectæ arcana Augustino, aut aliis innotuerant. Si enim biennio antequam is ex hac migrasset luce innotuissent, certe describere non prætermisisset, cum in hoc opere exarando in votis habuerit singularum hæreseon errores referre. Neque ei id vitio vertendum est. Nimium enim ea ætate tum Hispaniarum, tum Galliciæ res erant afflictæ, et propterea sacri Ecclesiarum præsules, quibus post Romanum scissum imperium Barbari Arianique principes dominabantur, non in synodis cogendis vacare poterant, non in hæreticos et contumaces clericos animadvertere, non denique gravissimis occurrentibus quæstionibus ultro citroque epistolas mittere, et ea institutionum subsidia ab aliis catholicæ societatis episcopis expetere, quæ omnino necessaria videbantur. Ad hæc quippe, quæ fusius etiam antecedenter descripsimus, si noster lector sincere animadvertat, non *facile sibi* persuadebit, aut nos Augustinum in *invidiam adducere* voluisse, aut de ignorantia notare, *sed tantum* ea referre quæ veritati magis **271** magisque consona esse censentur. Neque Quesnello ad Eutropii et Pauli episcoporum Hispanorum consultationes provocare juvat, contendendo, videlicet (*e*), *Hos commonitorium quoddam ad Augustinum transmisisse adversus invalescentes in Hispaniarum regionibus errores, qua occasione potuit libellus iste postulari ab Hispaniæ episcopis, et scribi ab Augustino.* Sed unde hoc tenet Quesnellus? Ex Orosii consultatione, seu commonitorio, id habere affirmat. Sed Orosii verba jam Quesnello negotium facessunt, nam Eutropius et Paulus episcopi, *sola salutis omnium utilitate permoti, commonitorium jam dederunt* (ait Orosius) *de aliquantis hæresibus, nec tamen significarunt omnes* (*f*). Super quas vero hæreses duo illi episcopi Augustinum consuluerint, plane reticuit. Sed si eum consuluissent super Priscillianam hæresin, et errores; vel si Augustinus, postulantibus illis duobus episcopis, libellum illum anathematismosque scripsisset, quid Orosio opus erat *festinato edere et coacervare in unum omnes perditionum arbores cum radicibus et ramis suis?* Annon illa fidei professione, vel libello; annon in decem et octo, vel in viginti sex, anathematismis habebatur id omne quod ad illius hæresis exitium oportebat? Augustinum præterea, si duo illi episcopi in hac causa interpellassent, aut rescribendo iisdem fecisse satis arbitratur Quesnellus, aut non. Sed utroque hoc telo seipsum jugulat. Nam dato illo primo, fateri cogitur cur Augustinus in eadem causa ab Orosio iterum consultus, hunc non remisit ad illam fidei professionem, et ad illos anathematismos quos, rogantibus Eutropio atque Paulo episcopis, conscripserat. Remisisset quidem, quemadmodum eum remittit ad lectionem quorumdam opusculorum contra Manichæos editorum, *quæ legisti* (ait), *aut legere poteris.* Cur tandem fatetur ex Orosio

(*a*) Orosii consultatio, seu commonitorium, ad August., de errore Priscillianistrarum et Orgenistarum, exstat tom. VIII Operum August. pag. 431.

(*b*) Augustini liber contra Priscillianistas et Origenistas; ibid., pag. 433 et seq.

(*c*) Epist. 237, olim 253, exstat tom. II, pag. 643.

(*d*) August. libro de Hæresibus, hæresi 70, tom. VIII, pag. 17.

(*e*) Quesn. dissert. 14, de Libellis, num. 8.

(*f*) Orosius, in commonitorio ad Augustinum.

tum intellexisse quid Priscillianistæ sentirent, *et jam* A *illa fabulosissima deliramenta apud Hispanos esse convicta?* Sed jam Augustinum ab Eutropio et Paulo de Priscillianistarum erroribus non fuisse interpellatum, nec ad eos episcopos in hac causa quidquam aliquando rescripsisse, arbitror evidentissime demonstratum.

6. Verum enim vero, etsi de hoc fidei libello multa scripserim, adhuc me nihil præstitisse videor, si ille clarissimorum virorum judicio et manuscriptorum exemplarium auctoritate uni Augustino adjudicaretur. Ecquis profecto lepidum nugatorem me esse non arbitraretur, cum lustratis jam aliis atque aliis Augustini Operibus, quibus laudata illa fidei professio nec concinit, nec cohæret, istud unum subsisteret cui potissimum Quesnellus insistit? Annon vetusto Romanorum canonum codici, Sententiarum Magistro, antiquis recentioribusque exemplaribus, Lovaniensibus doctoribus, ex quibus omnibus suarum conjecturarum argumenta ipse Quesnellus mutuatus est, fides B adhibenda foret? Sed in tanti discriminis causa nihil operæ me insumere oportebit, si Parisini doctoris judicio illud opponam, quod jam Patres congregationis S. Mauri in postrema Parisina Operum S. Augustini editione pronuntiarunt. Illam ergo fidei professionem cum subjectis anathematismis sub nomine sermonis 233, de Fide catholica inscriptam, in appendicem quartæ classis rejecerunt, atque eam Augustiniano nomine prorsus indignam judicarunt. Qualem vero hujus sermonis fecerint censuram, nos hic subjicimus. Omnes quippe singulasque Quesnellianas ratiunculas apprime refellit, præter eam quæ ad Romanorum Canonum pseudocodicem pertinere arbitrantur (a). « In appendice (aiunt) nunc primum collocatur. In Lovaniensium editione dubius est, Verlini autem et Vindingi censura supposititius. Exceptis anathematismis posterioribus quatuordecim, qui ex confessione fidei catholicæ Damasi ad Paulinum Antiochenum huc accesserunt, nihil est 272 aliud quam libellus fidei qui in codice Canonum Ec- C clesiæ Romanæ, cap. 40, sic inscribitur: *Libellus Augustini de Fide catholica contra omnes hæreses*, qui etiam Toletani I anni 400 concilii Actis insertus reperitur, cum nonnulla in anathematismis varietate. Nomine Augustini citat Magister Sententiarum in III, dist. 21, ex ipso forte Romano canonum codice. Quippe in mss. hunc libellum inter Augustini sermones et opuscula nusquam exstare vidimus. Augustinum certe nobis minus sapiunt hi loquendi modi, num. 1, *Hanc unam esse divini nominis Trinitatem*; ibid., *Non imaginarium corpus, aut forma sola compositum*; ibid., *Et omnia corporis exercitia*, sive, ut Rom. cod., *exitia, sensisse*; et num. 2, *Mundum hunc factum non fuisse, atque ejus omnia instrumenta*; tandem vox *Paracletus* passim posita pro *Spiritus sanctus*. Estius in III Sent., dist. 21 § 3, editum suspicatur a scriptore in Nestorianos propenso, quorum videlicet errori accommodari possunt sententiæ quædam, præsertim anathematismus quintus. » Hactenus D congregationis S. Mauri PP. in laudati sermonis editione.

7. Ego autem in his percurrendis exscribendisque, quæ mire in nostrum conferunt negotium, in magnam rapior admirationem ob maximum illud silentium, quod cum hic, tum alibi de Quesnellianis nugis Maurini Patres servarunt. Istæ haudquaquam dissimulandæ erant, cum ipse Quesnellus habuerit in votis eosdem PP. in nova Operum S. Augustini editione, cui tum operam dabant sibi suisque conjecturis suffragaturos. Hoc profecto hisce verbis indicasse, quemquam eruditorum minime latebit. Post longam enim tot tantorumque commentorum seriem, ita caput illud octavum suæ dissertationis de Libellis absolvit: « Plura, et doctissimo viro digna exspectamus de hoc libello a R. P. domino Francisco Delfau asceta Benedictino, in ea quam cum suis San-Germanensis cœnobii collegis adornat Operum S. Augustini editione. » Nec ego modo contendere audeo doctos studiososque illos viros suæ eruditionis æquæ animique sinceri testimonia non exhibuisse. Sed illud mihi maxime displicet, quod in laudata præmonitione ad sermonem 129, nunc vero 233, Quesnello quasi suffragari voluerint, Romanæ Ecclesiæ illum canonum codicem asserendo, quem plurimis monumentis hinc inde mutuatis, corruptis atque interpolatis refertum esse intellexerunt. Hac in re succinere voluisse Quesnello divinanti non arbitramur, qui, semper suorum studiorum partibus adductus, Romanæ Ecclesiæ auctoritatem elevavit, sensim præsertim ostendere nisus eam in suis decretis et constitutionibus aliarum particularium Ecclesiarum pedisequam factam esse, ex quibus modo unum, modo alterum monumentum atque decretum mutuata est, ista suum in usum traducendo. Hanc sane agendi rationem viros pietate et doctrina celebres consulto sequi voluisse, suspicari nefas esse arbitramur. Verum, una alteraque voce ibidem adhibita, lectorem saltem admonere potuissent codicem illum, quem sub nomine Romanæ Ecclesiæ Quesnellus evulgavit, incerto auctori ascribi, et dubiæ omnino fidei esse, vel ab iis habendum, qui non tantum emunctiori critices judicio pollent, sed qui prima ecclesiasticæ historiæ et theologiæ elementa et institutiones prægustarunt.

273 CAPUT XVII.

De Asturicensi, Celenensi, et Bracarensibus synodis in Galliciæ regnis apostolicæ sedis decreto habitis, vel ejus suffragio probatis.

1. Age jam tandem, missis factis Paschasii Quesnelli divinationibus et nugis, ad alia concilia in Galliciæ regno S. pontificis suffragio aut præcepto habita nostra se convertat oratio. Sed incertus sententiæ ob veterum monumentorum inopiam, sive jacturam, aliorum dictis, et observationibus insistere, quam novum aliquid in medium afferre malo; cujusmodi sane illud est, cujus Idatius in Chronico celebrem fecit mentionem. *In Asturicensi urbe Galliciæ quidam ante aliquot annos latentes Manichæi gestis episcopalibus deteguntur, quæ ab Idatio et Turribio episcopis, qui eos audierant, ad Antonium Emeritensem episcopum directa sunt.* Fluctuat nunc animus in adjungenda fide Stephano Baluzio, conciliorum collectoribus, Quesnello aliisque doctis viris, qui arbitrati sunt *Manichæi* vocem *Priscillianistas* hic innuere et designare. Idatius quippe illius Chronici auctor, discrimen maximum Priscillianistas inter et Manichæos dari utique novit, ut ipsi hisce dissertationibus explicavimus. Sed adhuc animi fluctuationem hæc alia verba præcedentia augent: *Quidam ante aliquot annos latentes Manichæi.* Latibula porro et tenebras quærere consuevisse Manichæos, non Priscillianistas, in prioribus duobus nostris libris, quos de Manichæis Leone M. et ex Romanæ inquisitionis Actis conscripsimus probatum est. Sed Priscillianistas suapte morum conditione impudentissimos, lucem vereri, et abdita loca inhabitare consuetos fuisse, eo tempore potissimum quo in Gallæcia civiles et ecclesiasticæ res susquedeque vertebantur, quis sibi persuadet? Deinde iis in regionibus, cum Priscillianistarum ita increbuissent propagines, ut multi etiam ex clericali et sacerdotali ordine labefactati reperirentur, qui umquam fieri potuit, ut isti laterent? Illud tandem hac in re animum magis magisque fluctuare urget, quod idem Idatius in Chronico subjicit, videlicet in horum hæreticorum numero fuisse *Pascentium quemdam urbis Romæ, qui de Asturica diffugerat Manichæum, Antonius episcopus Emeritæ comprehendit, auditumque etiam de provincia Lusitania fecit expelli.* Nunc porro, si quæ de urbe Roma, cum in Annali-

(a) Tom. V, in appen. classis 4, pag. 272; alias de tempore sermo 129, nunc de diversis 233.

bus, tum in sacris vetustis monumentis legenda occurrunt, ad memoriam revocemus, nusquam hic Priscillianistas latitasse aut immoratos fuisse reperiemus. Sed Manichæos ex Africa advenientes sub Siricio papa in Urbem sibi confugia quæsiisse, latibula parasse, frequentes habuisse sacrilegos turpitudinum conventus, ad quos Romani viri et mulieres, tamquam *electi et electæ*, acciti convenire consueverant, explorotissima res est. Qua vero in urbe cum usque ad quartum vel quintum sancti Leonis Magni pontificatus annum permansissent, divino tamen consilio factum est ut publicis Ecclesiæ et magistratuum proscriptionibus exsules extra Italiæ oras amandarentur. Id forte innuere voluisse Idatium de Pascentio Romano Manichæo loquentem, saltem suspicari possumus, cum scripsit: *Antonius episcopus Emeritæ comprehendit, auditumque etiam de provincia Lusitania fecit expelli*. Non semel Pascentium exsilii pœnam subiisse particula *etiam* cum indicare habeat, commode isthæc de exsilio ab Urbe interpretari potest, maxime quia *de Asturia urbe diffugit*, non exsulavit.

2. Conjecturæ autem hactenus adductæ maximum sibi robur nanciscuntur, cum ex tempore in quod Asturicense concilium rejiciendum est, **274** tum ex præcedenti laudata sancti Leonis Magni ad Turribium epistola. Concilium illud quippe anno 446 fuit coactum, et Manichæi ex omnibus Italiæ oris amandati fuere præcedenti anno 445, ut etiam ex Valentiniani novella perspicue demonstratur. Hos autem tunc in Hispanias et Gallæciam se recepisse verisimile est; cum regnis illis acatholici principes dominarentur. Anno præterea 447 ad Turribium suam epistolam scripsit, et singulis sibi propositis quæstionibus S. Leo occurrit. Putantne sanctum pontificem de hoc Asturicensi concilio nihil fuisse dicturum, si in Priscillianistarum causa fuisset coactum? Turribius enim Leonem consuluit, non de Manichæorum, sed de Priscillianistarum erroribus. Igitur concilii Acta cum una synodica epistola ad apostolicam transmisisset sedem, quæ Acta aut approbasset, aut reprobasset S. Leo, aut saltem illorum aliquam mentionem fecisset, præsertim cum tam in exordiis quam in epistolæ fine in S. Turribii laudes excurrat, eumque admoneat de uno generali aut pluribus provincialibus synodis habendis, tum ad purgandas Priscillianistarum labes, tum ad horum improbitatem impudentiamque coercendam. Cum igitur nec unum saltem verbum de Asturicensi jam coacto concilio proferat, quis sibi rationabiliter blanditum voluerit istud in Priscillianistas animadvertisse? Hisce ergo validissimis rationibus adductus, mea sententia propensior est ut potius conjiciam concilium ab Idatio laudatum annoque 446 coactum Manichæos exagitasse.

3. Sive tamen in Manichæorum sobolem, sive in Priscilliani asseclas synodus illa animadverterit, in dubium minime vocandum est, sancti Leonis præceptum ad illam haudquaquam posse referri, sed ad aliam in Gallæciæ regno coactam, post susceptam a Turribio sancti pontificis epistolam cum omnium propositarum quæstionum resolutionibus. Accepta ergo a Turribio hac epistola, secumque reputatis gravissimis impedimentis, quæ generalis cogendæ synodi moram afferebant, ipsi Gallæciæ provinciæ episcopi de particulari quodam cogendo concilio habuerunt consilium. Qua autem in urbe isti episcopi convenerint, certo hactenus definitum non est. Severinus Binius sibi persuadet eum conventum in Celenensi municipio apud Lucensem urbem, præside Balconio Bracarensis Ecclesiæ episcopo et Gallæciæ metropolita, congregatum fuisse. Huic opinioni suffragari Lucretii præfationem in Bracarensi I concilio factam, perspicuum est. Sed ei non cohærent S. Leonis verba, quibus Idatio et Ceponio, veluti metropolitico jure insignitis, episcoporum congregandorum curam et onus demandat. *Quibus congregandis fratres nostri Idatius et Ceponius imminebunt*. Si, ex S. pontifice, igitur, Idatio et Ceponio metropolitanorum dignitas et honor attributa sunt, quid causæ esse potuit ut quatuor Hispaniæ provinciarum episcopi fidei regulam a seipsis conscriptam ad Balconium Bracarensem, non ad illos, direxerint? Certe si tertium adhuc metropolitam in Gallæciæ provincia confingere non velimus, alterutrum ex duobus illis episcopis vitam functum fuisse dicendum est, quando Bracarensis illa synodus coacta est, cui Balconius præerat. Ceponium autem huic sedi ante Balconium præfuisse, non Idatium, non spernendis conjecturis ratiocinatur Quesnellus. Sed dum hoc damus, adhuc de Idatii sede dubitatur. Hunc quidem Lemicæ urbis episcopum Sigibertus in Chronico facit, cujus causa, præter metropolitam Lucensem, aliumque Bracarensem, tertium quoque admittere cogeremur, Lemicensem nimirum, ad quam consecutionem cum animadverteret Quesnellus, scripsit: «Igitur Lucensis metropolitanus fuisse videtur Idatius, quamvis Sigibertus eum Lemicæ episcopum faciat. Sed videtur confundere duos Idatios, quorum unus tempore Leonis et Chronici auctor fuit, alter Priscilliani olim accusator, qui revera Lemicæ episcopus fuit.» Cujus erroris causam **275** afferre volens, hanc fuisse affirmat, quod recentior Idatius in præfatione sui Chronici natum se in Lemica civitate asseveret. Sed si hunc episcopatum assecutus fuisset, non omisisset eo loco commemorare. Atqui, subjicit idem Quesnellus: Metropoliticam suam dignitatem *videtur indicare*, cum ibidem se summi præsulem *officii creatum* dicit. Et in laudatæ præfationis fine ita gemebundus deformem luget ecclesiastici ordinis in Gallæciæ provincia statum, ac si ad eum præcipue pertinuisset, velut provinciæ caput: *Creationibus indiscretis, et universæ propemodum in divina disciplina* occasui, ex officio occurrere ac subvenire.

4. His ergo, similibusque aliis conjecturis in re maximis obvoluta tenebris, Quesnellus insistens duas in Gallæciæ provincia ad Priscillianistarum exitium factas fuisse synodos non dissimulat, quarum alteram apud Lucum, alteram vero in Bracarensi urbe congregatam affirmat; felicemne faustumque habuerint finem duo provincialia concilia Leonis præcepto indicta, vetusta monumenta non produnt, et aliunde eorum Acta temporis diuturnitate et injuria interciderunt. Verum si ex Ecclesiæ memoriis quæ supersunt liceat ratiocinari, eam hæresim tum in Gallæciæ regno non penitus exstinctam et abolitam remansisse, credendum est. Etenim quamvis Turribius, Idatius, Ceponius, Balconius, aliique episcopi synodalibus gestis eam cohibuerint, ut, ipsis in carne viventibus, et Leone Magno superstite, Priscillianistæ audacius caput extollere ausi non fuerint, tamen aliis atque aliis annis decursis, iis in regionibus eorum errores redivivos pullulasse compertum est. Cujus rei causa nos antequam de tabula stylum removeamus, sequenti capite mox paucis absolvemus quæ de Priscilliana hæresi supersunt dicenda.

CAPUT XVIII.

Novissima Bracarensis Ecclesiæ Acta ad aliquas superstites Priscilliani erroris reliquias abolendas.

1. Priscillianistarum sobolem jam tot et tam variis modis cum a Romanis pontificibus, aliisque sanctissimis episcopis, tum a synodis sæculique principibus exagitatam, quingentesimo Christi anno nondum exstinctam, nec penitus fuisse abolitam, vetusta Christianæ rei monumenta sat perspicue patefaciunt. Nam hujus impietatis et impudentiæ venena, quæ huc illucque in Hispaniarum et Gallæciæ regnis multorum virorum et mulierum corda, fidem et religionem corrupe-

(a) Quesnellus, in notis et observationibus ad epist. S. Leonis 15.

rant, brevi temporis spatio nec purgare, nec iis mederi, sacri catholicique pastores potuere. Quare etsi aliquamdiu mala illa sacrilegiorum et blasphemiarum semina, episcoporum studio annitente, latere visa sint, ea tamen, sexto Ecclesiæ sæculo currente, in Gallæciæ regno potissimum, rursum in lucem eruperunt. Id maximo sane sui animi mœrore (ut credibile est) novit Profuturus Bracarensis Ecclesiæ metropolis episcopus, qui, primum exsecutioni demandatis apostolicæ sedis et provincialium synodorum statutis, iterum anno 538 eamdem apostolicam sedem suis epistolis consuluit, novis quidem occurrentibus causis, quas mox aperiemus.

2. Qui igitur tum in Gallæcia regno Priscilliana labe inquinati erant superstites, ficto religiosæ pietatis et Christianæ abstinentiæ colore, a carnium escis abhorrebant. Quod cum ab ipsis *non devotionis, sed exsecrationis animo fieri Profuturus episcopus* optime novisset, causam ad apostolicam sedem retulit, exquirens an iisdem anathematis pœnis essent plectendi, quibus ob idem scelus olim SS. Patrum statutis in Manichæos fuit animadversum. Apostolicam tunc vero Romanam S. Petri sedem Vigilius **276** papa regebat, qui Profuturi consultationibus confestim occurrens, primo eorum damnavit superstitionem, qui *aliquid ciborum contagione carnium credebant esse pollutum, quia* (subjicit) *de his omnibus quæ ad humanum victum misericordia Dei contulit, nihil catholicis esse judicatur immundum* (*a*). Quare ad pleniorem Bracarensis hujus episcopi institutionem, et ad apostolicæ sedis decretorum robur augendum, eos Scripturarum fontes in medium adducit, quibus ejusmodi præcavendos errores esse docemur. Cujusmodi autem illud est, quod vel Paulus scripsit ad Titum (*b*): *Omnia munda mundis*, etc.; vel illud aliud epistolæ I ad Timotheum, videlicet (*c*): *In novissimis temporibus discedent quidam a fide*, etc.; vel illud denique quod apud S. evangelistam Matthæum legendum occurrit (*d*) : *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quæ procedunt de ore, hæc sunt quæ coinquinant hominem*. His ergo aliisque similibus Scripturarum testimoniis Patres qui Vigilium præcesserunt innixi, speciatim eos damnandos esse censuere qui se a carnium esu abstinentes, *ea quoque credebant esse vitanda, quæ carnibus fuisse videbantur admixta*. Cum vero ista scriberet Vigilius, divino consilio factum est ut ea verborum formula uteretur, quæ invidis hominibus et recentioribus sectariis omnia arma præriperet. Quapropter *abstinentiam* ad nostri corporis effrenes passiones coercendas minime reprobavit, quam Deo maxime gratam esse universus sanctorum PP. cœtus affirmat. Cujus causa, cum in pervigiliis, tum Quadragesimæ tempore ciborum delectum et discretionem rationabilius Ecclesiam præcepisse perspicuum est : sed eos a catholicorum societate eliminandos esse docet, quia a Domini creaturis nefarie et superstitiose abhorrebant. *Quapropter* (ait) *nec abstinentiam Deo placitam reprobamus, nec eos qui exsecrantur Domini creaturam recipimus in nostra societate* (*e*).

3. At Priscillianistarum sacrilegus in Trinitatis mysterium animus novam quamdam aliam erroris speciem excogitaverat, tametsi Toletani Bracarenses et Lucenses PP. præcedentibus in conciliis fidei professionem conscripsissent et promulgassent, ad unam in tribus divinis personis substantiam, naturam, virtutem atque potestatem prædicandam et confitendam. Quare ergo ut Priscillianistæ aliorumque hæreticorum propagines hoc dogma convellerent, glorificationis hymnum quem catholica Ecclesia in Psalmo-

A rum fine antiquitus canendum instituerat, ipsi, una aut altera conjunctionis syllaba subducta, corrumpebant, dicendo : Gloria Patri, et Filio, Spiritui sancto. Novam hanc esse erroris speciem S. pontifex ibidem affirmat; simulque eorumdem hæreticorum illum agendi scopum esse scribit, videlicet eos docere voluisse *Filii et Spiritus sancti* unam tantummodo esse personam. Sed ad eum convincendum errorem, *sufficit* (ait Vigilius) *quod Dominus Jesus Christus, designans in invocatione Trinitatis credentium debere baptisma celebrari, dixit : Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*f*). Quæ argumento sunt æqualibus distinctionibus tres illas personas nominari jussisse (*g*).

4. Præter has duas autem quæstiones, quæ Priscillianistarum errores respiciebant, et alias quæ ad Arianorum baptisma, vel ad Ecclesiarum instaurationes et consecrationes, vel ad diem eo anno definitam pro Paschali festo et Pentecoste celebrando pertine-
B bant, Profuturus Romano pontifici discutiendas proposuit. Sed celebris profecto est consultatio vel quæstio illa, **277** cui quinto loco Romanus pontifex occurrens, vetustum ecclesiasticæ disciplinæ ordinem divinarum precum in missis recitandarum servandum præscribit. In quo quidem capite cum multa et varia descripta offendamus, *quæ circa canonicas preces et sanctorum Dei festivitates* recentiorum novatorum criticorumque hominum arguant falsitates, lubens ea omnia expenderem, nisi quæ mihi objiciuntur dicenda nimium hujus Priscillianæ hæreseos historiæ filum abrumperent. Unum interim tamen minime censui prætermittendum: remotiorum videlicet orbis partium episcopos ita ab apostolicæ sedis mandatis et institutionibus consuevisse pendere, ut ad hanc non tantum fidei et episcoporum negotia definienda deferrent, sed ea etiam quæ ad festa, ad sanctorum Dei solemnitates natalitiosque dies celebrandos, pertinebant, pari animi submissione statui atque perscribi postularent. Quæ sane cum ipse mecum repu-
C tarem, facile in eam adductus sum persuasionem, canonicarum precum regulam primitus ab apostolica sede, in Occidente saltem, derivatam esse, a qua resilire nulla Ecclesia, nullusve ecclesiastici ordinis minister confidebat. Ut maxime confirmari potest ex perantiquo illo fragmento epistolæ S. Leonis ad Turribium, quod in superioribus indicavimus, quodque publici juris facere jam deliberavimus. Harum tandem canonicarum precum ordinem, ex apostolica traditione acceptum, una cum hac epistola Vigilius papa ad Profuturum episcopum direxit, ut inde intelligeret quid in festivitatibus esset sequendum : *Quapropter* (ait) *et ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum, quem (Deo propitio) ex apostolica traditione suscepimus. Et ut charitas tua cognoscat quibus locis aliqua festivitatibus apta connectes, Paschalis diei preces similiter adjecimus.*

5. Verum ad hanc omnium Ecclesiarum et episcoporum, in quibusvis causis, erga apostolicam sedem reverentiam et subjectionem patefaciendam, in his
D immorari arbitror supervacaneum. Ipse quippe Vigilius absque ulla verborum ambiguitate ac veritatis fraude, quasi suorum prædecessorum vestigia et suæ sedis privilegia paucis persequens, *Romanam Ecclesiam fundamentum et formam omnium Ecclesiarum esse, ex omnium credentium consensione prædicat. Quoniam* (ait) *licet omnium apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est ut omnibus præemineret.* Et paucis interjectis, de præcipuis Romanæ Ecclesiæ prærogativis disserens, eam omnium Ecclesiarum ea ratione primatum habere as-

(*a*) Vigilius papa, in epistola ad Profuturum Bracarensem cap. 1.

(*b*) Epist. ad Titum, cap. I, 15.

(*c*) Epist. I ad Timotheum, cap. IV, 1 et seqq.

(*d*) Matthæi XV, 16, 17.

(*e*) Vigilius papa, ibid., cap. 1. Qui mire concinit Leonis M. testimoniis, sermonibus de jejunio quatuor temporum anni et Quadragesimæ.

(*f*) Vigilius, ibid., cap. 2.

(*g*) Matthæi ultimo, 19. Consult. S. Leonis serm. de Pentecoste.

severat, ut ad eam, tam summa episcoporum negotia, judicia atque querelæ, quam et majores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput, semper referenda sint. Quæ igitur ad *primatus* prærogativam, quæ ad appellationes ab episcoporum judiciis ad apostolicam sedem factas, quæ denique in causis majoribus eidem apostolicæ sedi sunt reservata pertinere jura sanxerunt, cum laudato loco, tum in reliquo suæ epistolæ contextu Vigilius papa recensuit. Sed cum hæc omnia catholicis eruditissimisque viris notissima sint, in præsens silentio premere statuo, causas potius dicturus ob quas confictionis aliquid ea in epistola redarguere possent.

6. Viribus imprimis destitutum censeri oportet quod ex epistolæ inscriptione objicerent. Eam videlicet in veteribus etiam editis exemplaribus Eucherii, seu Eleutherii, nomen præferre. Id sane haudquaquam inficiatus est cardinalis de Aguirre, qui Profuturo Bracarensi, Gallæciæ episcopo metropolita, inscribendam hanc epistolam docuit. Sed ex hac objectione quid? Nulla enim ratione amanuensium lapsus et oscitantia exploratissimæ veritati obesse potuit (a). Quare minus prudens et prorsus futilis eorum eruditio censeri debet, qui ex corrupto alicujus monumenti titulo et inscriptione suppositionis et falsitatis argumenta desumere conantur. Nimis quippe frequens et solemnis fuit ejusmodi amanuensium lapsus, **278** in exscribendis præsertim personarum et locorum propriis nominibus, ut in cujusque ætatis et idiomatum manuscriptis exemplaribus videre est. Illud vero in præsens ad nostram rem spectat, nimirum pro Eucherio, seu Eleutherio, Profuturi nomen esse legendum, ut habent plerique optimæ notæ manuscripti codices, ut Bracarensium episcoporum catalogi, et Romanorum consulum tabulæ, ut denique concilii Bracarensis Acta paulo post celebrati, sine ulla prorsus ambiguitate, patefaciunt.

Et quidem plures mss. codd. : vetustissimus videlicet Lugdunensis, duo Colbertini antiquiores, optimis notis insigniti, ex quorum uno clarissimus Stephanus Baluzius hanc epistolam descripsit, Profuturi nomen habent. Sed hunc Bracarensem episcopum fuisse, ejus concilii prima Acta testantur. Quare vix dubitare licet eum apostolicam sedem, cum supra Priscillianistas, tum supra cæteras illas quæstiones Vigilii papæ tempore consuluisse, atque Vigilium pontificem ad eumdem epistolas de quibus agimus direxisse. « De die autem (ait eminentissimus Aguirre) et anno quo data est, inutile reor esse si disputem, cum ex codice Colbertino constet scriptam esse eo anno quo Joannes consul fuit post Belisarium, id est anno 538.

7. Quod si vero secundo loco adhuc objiciatur, saltem postremum illius epistolæ caput suppositionem et falsitatem redolere, in quo de *primatu Romanæ Ecclesiæ* disseritur, jam propositum urgerem. Nec enim moveri possem quod illud in variis Galliarum codicibus desideretur vel quod in pseudoisidoriana collectione dumtaxat reperiri adversarii asseverent. Nam imprimis isthæc epistola ad Gallæciæ metropolitam scripta est. « Et propterea longe major fides habenda reliquis omnibus codicibus manuscriptis antiquissimis Hispaniæ, visis et collatis ab illustrissimo Loaysa, tum impressis, in quibus caput illud de primatu Romanæ Ecclesiæ habetur, quam uni Colbertino, de quo non levis suspicio esse possit in Gallia scriptum fuisse iis temporibus quibus causæ episcoporum appellantium sedem apostolicam disceptabantur, præsertim inclinante sæculo nono, sub Nicolao I papa, et postea in causa Gerberti Rhemensis, desinente fere decimo. Fieri enim facile potuit, ut qui, adversus Hincmarum Laudunensem et Rhotadum Suessionensem episcopos sedem apostolicam appellantes, eripere ipsi conabantur episcoporum judicia, truncarent epistolam Vigilii absciso eo capite quo ipsi jugulabantur. » Hactenus cardinalis Aguirre loco superius laudato. Cujusmodi subsidiis usi sunt novissimi Conciliorum editores in notis ad laudatam Vigilii epistolam, tom. V, pag. 1290.

At nec nos tam multos esse oporteret in duobus illis eripiendis objectis, si ad Vaticanorum exemplarium manuscriptorum auctoritatem provocare institueremus. Exstant quidem in apostolica hac bibliotheca plura hujus epistolæ exemplaria, quæ genuinum Profuturi nomen et caput illud de Romanæ Ecclesiæ primatu exhibent, quæ invicte probant laudatam epistolam nullum prorsus vulnus passam fuisse.

8. Verum si tot tantaque præsidia huic exagitatæ veritati non opitularentur, adhuc forte de hujus epistolæ falsitate et suppositione quis suspicari posset? Apage figmentum! Longe majora sibi veritatis certa argumenta vindicat ex suffragio Bracarensium Actorum illorumque Patrum consensione quibus potissimum cardinali Aguirre, Baluzio, Conciliorumque collectoribus adhærere, et ea non tantum cursim evolvere, vel levius indicare, opus erat. Patres itaque illi, ut in præcedentibus vidimus, anno Christi Domini 563, cum jam Joannes papa tertius apostolicæ sedis clavum teneret, et Ariamirus, seu Theodomirus, ex Suecorum stirpe rex, civiles Galliciæ et Lusitaniæ res administraret, in unum convenere. Diu enim antequam convenirent, in votis habuerunt sacerdotalem inter se ipsos fieri debere conventum, ut penitus Priscillianæ hæreseos contagium **279** purgarent. Propterea aiunt : *Nunc igitur, quoniam optatum nobis hujus congregationis diem gloriosissimus atque piissimus filius noster, aspirante sibi Domino, regali præcepto concessit, et simul positi considemus* (alias *consideremus*) *prius si placet, de statutis fidei catholicæ perquiramus.* Prima autem die mensis Maii hunc conventum inchoatum fuisse, sequens nota patefacit. *Concilium Bracarense, anno 3 Ariamiri regis celebratum, die kalendarum Maiarum* (b). A quibus vero catholicæ fidei statutis concilium illud exordia sumpsisset, jam luculentissime in præcedentibus diximus, Quesnellum exagitantes, qui confidentius fidei professionem a Tarraconensibus, Carthaginensibus, Lusitanis et Bæticis Patribus, papæ Leonis præcepto descriptam, eripere conabatur, ut incerto prorsus scriptore eam assereret. Ne igitur actum iterum agamus, alteram illius concilii partem expendendam assumimus, in qua quippe cum de Profuturo Bracarensis Ecclesiæ antistite, tum de Romanorum pontificum primatu et juribus, cumulate laudati Patres verba fecere.

9. Ad totius ergo clericalis ordinis institutionem Lucretius eos præcedentes Ecclesiæ canones recitari jussit, quos generales et provinciales synodi in Ecclesiasticæ disciplinæ munimen et sacrorum rituum et ministrorum Ecclesiæ decus conscripserant. Cui suggestioni cæteri omnes episcopi illico cum suffragarentur, necessarium et valde utile arbitrati sunt primo ad eas provocare institutiones quæ ab apostolica S. Petri cathedra *ad interrogationem quondam venerandæ memoriæ prædecessoris sui Profuturi directæ fuere.* Profuturum episcopum ergo ante Lucretium in Bracarensi consedisse throno, et ab apostolica S. Petri cathedra regulas pro Priscillianistarum superstitibus reliquiis abolendis recepisse, hujus concilii Patres confessi sunt. Sed horum votis lubens Lucretius adhærere cupiens, confestim respondit : *Recte vestra fraternitas pro auctoritate sedis reminiscita est.* Atque omnibus audientibus : *Relecta est auctoritas sedis apostolicæ ad quondam Profuturum directa episcopum, quæ propter prolixitatem his gestis minime inserta est.* Hæc autem ad Vigilii apostolicam constitutionem referri, nemini dubium esse potest. Nam subjecta ibi et definita viginti duo capitula huic æque innixa sunt, quemadmodum præcedentes ca-

(a) Card. Aguirre, Concil. Hisp. t. II, pag. 228.

(b) Bracarense II conc. exstat t. III concil. pag. 515.

nones et anathematismi ex S. Leonis ad Turribium epistola, quam laudarunt, mutuati sunt. In his igitur novis capitulis conscribendis eum potissimum sibi scopum statuerunt; abolere videlicet ritus, cæremonias, omnemque profanam disciplinam, et regulas a Priscillianistarum pravitate derivatas. Non enim impii sacrilegique illi homines catholica dumtaxat dogmata corruperant labefactaverantque, sed divinorum officiorum et horarum canonicarum ordinem perverterant, solemnioribus quoque diebus, et in pervigiliis, peculiares lectiones in missis celebrandis recitabant. Ab illa enim recesserant apostolica traditione quæ formulam populum inter sacra mysteria facienda salutandi præscribit. Non eumdem in sacrificio perficiendo et baptismate administrando ordinem et formam servabant. Alios psalmos et alias scripturas poetice compositas, præter eas quæ in novo et veteri Testamento habentur, publice in Ecclesia psallebant; neque tandem omnes etiam clericalis ordinis ministri carnium cibo utebantur. Quare capitulo 14 statuerunt : *Pro amputanda suspicione Priscillianæ hæresis, vel olera cocta cum carnibus tantum prægustare cogantur; quod si contempserint* (addunt) *secundum quod de his talibus sancti Patres antiquitus statuerunt, necesse est eos pro suspicione hæreseos hujus officio excommunicatos omnibus modis removeri.* Nimis perspicua profecto sunt hæc, et id genus alia, quæ subjicere possem ad apostolicæ sedis *primatum* et prærogativas patefaciendas, vel ad eam animi subjectionem et obedientiam probandam quam remotioris orbis partis episcopi erga Romanos pontifices verbis et factis impleverunt.

280 10. De qua quidem obedientia et sacro conjunctionis fœdere cum Romana Ecclesia, quovis tempore Hispani ipsi gloriati sunt, ut, post cardinales Baronium et Aguirre, clarissimus et optimarum scientiarum cultor eximius D. Idelphonsus Clemente de Arostegui, jam in alma hac urbe pro Castellæ regno inter duodecim viros jurisconsultos Romani fori causarum judices novissime testatus est (*a*). Is namque ad augendam ornandamque Hispaniensis Ecclesiæ historiam, exhortationem ad Hispanos Romæ XII kal. Septembris 1747 eo consilio conscripsit, ut eos in patriæ honorem et utilitatem ad studia litterarum excitaret. Inter cætera autem quæ in mentem suæ gentis hominum revocat, illud est. « Cum a prima Ecclesiæ Romanæ et Hispaniæ ætate maxima fuerit utriusque conjunctio atque societas, hinc certissima mihi res erat in hac urbe memoriam et monumenta præcipua servari quæ ad historiam nostram spectant. » Et paulo infra subjicit. « Hic igitur facile reperiri posse judicabam singularum Ecclesiarum origines et dignitatem; hic earum conjunctionem, divisiones, et translationem; hic conciliorum Acta, episcoporum appellationes, atque SS. Pontificum decreta. » Ad cujus verba cum ego attendissem, in eam spem adducebar, nec ipsi, nec aliis quibuscumque, qui in Christianæ rei studiis versantur, præsentem hunc meum qualemcumque laborem ingratum futurum, cum in istis Exercitationibus conscribendis jam alia et alia tractaverim quæ strictissimum illud cum Romana Ecclesia fœdus, conjunctionem societatemque certissime patefaciunt, alia vero quæ ad antiquum illarum Ecclesiarum statum, dignitates et prærogativas coguoscendas non infirma et dubia argumenta suppeditare possunt, prout rerum ordo et ipsa scribendi ratio postulabat, explicaverim. Cum igitur tandem quæ ad Priscillianistarum causam, errores, concilia contra eosdem coacta pertinere videbantur, quæque in hac maximi momenti re apostolicæ sedis jura auctoritatemque ab invidorum calumniis vindicare poterant, ad exitum perduxerim, duas dumtaxat in sequenti et ultimo capite levissimas difficultates eripere conabor, quæ ex hujus concilii textu et narrationibus deprompta sunt, quæque maximam disceptandi libidinem in Paschasii Quesnelli aliorumque animos excitarunt, ut mox videmus.

CAPUT XIX ET ULTIMUM.

Duos Leonis tempore exstitisse Turribios perperam Paschasius Quesnellus arbitratus est. Ad quem potissimum Christi annum Bracarense concilium de quo egimus sit revocandum.

1. Actorum Bracarensium seriem Paschasius Quesnellus percurrens, in eam lapsus est opinionem, præter Turribium illum Asturicensem, de quo in superioribus verba fecimus, alium hujus nominis hominem exstitisse, qui apostolicæ sedis notarii munere fungebatur, qui ad Galliciæ synodum Leonis litteras detulerat. Huic controversiæ Lucretii verba occasionem præbuere, qui in laudata Bracarensi synodo proloquens dixit : *Credo autem vestræ beatitudinis fraternitatem nosse quia eo tempore quo in his regionibus nefandissimæ Priscillianæ sectæ venena serpebant, beatissimus papa urbis Romæ Leo, qui quadragesimus fere apostoli* **281** *Petri successor exstitit, per Turribium notarium sedis suæ ad synodum Galliciæ contra impiam Priscillianæ hæresis sectam scripta sua direxit.* Si de Turribio Asturicensi isthæc verba explicanda forent, mendacium continerent. Is quippe cum esset episcopus, nec sedis apostolicæ notarius dicendus est, nec illi munus istud injungendum, ut bajuli instar ad Galliciæ synodum litteras deferret. Baronius hanc quæstionem excitari posse intelligens, unicum dumtaxat fuisse Turribium asseverat, cui primum refragatus est Ambrosius Morales rerum Hispanicarum scriptor non contemnendus, duos omnino distinguendos esse Turribios contendens, quorum alter Asturicensi potiebatur episcopatu, ad quem S. Leo Magnus epistolas direxit; alter vero per quem S. pontifex ad Hispaniæ scripsit episcopos, qui Roma in Hispanias missus est ut laudatas deferret epistolas. Hanc ergo opinionem adoptavit Quesnellus, qui nimis sibi indulgens, in eminentissimum Annalium scriptorem invehitur, et duo istius argumenta tamquam levia et exilia, vel falsitatis portentum continentia, subvertere conatus est (*b*). Et quidem nobis in præsens tantum otii esse non potest, ut singillatim referamus quæ hujus controversiæ causa Quesnellus subjiciendo comminiscitur. Cujusmodi illa sunt : « Non semper solemne fuisse in litteris eorum nomina describere per quos hæ deferebantur. » Leonem ad Turribium rescripsisse per eumdem diaconum Pervincium, a quo consultationes acceperat : « Ad Galliciæ vero synodum mittere debuisse non alienum clericum, sed nuntium aliquem e suo latere avulsum, quod munus optime alteri Turribio, non episcopo, sed Romanæ sedis notario dumtaxat poterat convenire. » Hæc, inquam, et id genus alia, nimis operose congerit, et magnifice exaggerat Quesnellus, ut duos Turribios distinguat. Qui præterea cum se Leonino textu a Baronio urgeri intelligeret, in hunc tela retorquere nisus est, doctissimum istum Romanæ Ecclesiæ cardinalem, et Ecclesiasticorum Annalium parentem oblitum esse contendens. « Quidnam sit discriminis inter episcopum rebus Ecclesiæ sacerdotali sollicitudine incumbentem, et diaconum, vel notarium, episcopi mandata ex præcepto exsequentem, et huc illucque litteras bajuli instar deferentem. »

2. Lepida profecto ratiocinatio isthæc iis forte videbitur, qui Quesnello adulari cupientes, nonnisi externam rerum superficiem attingere quærunt. Sed

(*a*) Cardinalis Baronius, tom. VI, ad annum 447. Card. Aguirre, tom. II Conciliorum Hispan. Ildelphonsus Clemente de Arostegui in exhortatione de excolenda historia Ecclesiæ Hispanien., pag. 111 et seq. Videsis quoque Francisci Gervesii dissert. pag. 104.

(*b*) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis, p. 445.

A quid ea insulsius, aut magis nugatorium? Sacerdotalem ergo sollicitudinem dedecere (ait Quesnellus) si episcopus ad suæ provinciæ synodum acceptas ab apostolica sede litteras deferat? Annon suæ Ecclesiæ rebus incumberet ejusmodi pontificia mandata ex præcepto exsequendo? Sed doctus noster criticus et annotator dicat, amabo, num Leonis litteræ ad Afrorum, Indorum aliorumque Orientalium populorum negotia pertinerent, vel ad ecclesiasticas ejusdem Galliciæ regni res, immo et ad ipsam Turribii diœcesim jam turpius undequaque a Priscilliana hæresi labefactatam? Nimis in propatulo res est; nam Turribius, suæ diœcesis et Galliciæ malis mederi cupiens, Leonem consuluit, interpellavit, ab ipso ea decreta et regulas expetens quæ Priscillianam luem purgarent, et ad exitium perducerent. Quid ergo mirum si sanctus pontifex, omnibus hujus episcopi postulatis occurrens, ei demandat clericorum ea labe pollutorum causas ad provinciæ synodum deferre, si eidem injungit encyclicas epistolas de Galliciæ synodo co-
B genda? Hæc profecto agendi ratio cæteris expeditior erat, cum pro Priscillianistis coercendis, tum pro iis abusibus exstirpandis, qui vel in sacrorum ministrorum irrepserant ordinationes, vel qui sacros ritus et Ecclesiasticam disciplinam adulteraverant. Nam Pervincius ille Asturicensis diaconus, qui Romam venerat cum Turribianis epistolis, patriam deinde remigraturus, non tantum ad consulta jam factas **282** responsiones, sed injunctas etiam litteras ad cæteros illius provinciæ episcopos facile deferre poterat, quin opus esset ut summus pontifex, cui Turribii studium in fidem et religionem maxime innotuerat, alium quemquam ex Romanis clericis cogeret tam longum et laboribus plenum iter arripere. Hanc autem agendi rationem Leonem servasse, sequentia ejus verba palam faciunt. *Dedimus itaque litteras ad fratres et coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicios, eisque concilium synodi generalis indiximus.* Ad hæc quæ sequuntur, quæso, animadvertant Quesnelli assentatores : *Ad*
C *tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis auctoritas ad prædictarum provinciarum episcopos deferatur.*

3. Nunc igitur Ambrosium Morales et Quesnellum sic rogo : Qui fieri potuerit ut ad Turribii Asturicensis sollicitudinem pertineret ut Leoninæ ordinationes, seu statuta, ad omnes illarum provinciarum sacerdotes tutius pervenirent, nisi eas Pervincio diacono patriam remigranti cum hac epistola Turribii fidei committendas tradidisset? Aliam enim significationem Leonis verba subire posse cum non videam, facile in eam sententiam adducor, ideo eumdem Turribium Asturicensem a Bracarensibus Patribus apostolicæ sedis notarium appellatum fuisse, quia ejus fidei, pontificiæ auctoritatis scriptæ ordinationes erant commissæ, illique maxime incumbebat ad S. Leonem rescribere an facile esset omnibus illarum quatuor provinciarum sacerdotibus in unum generale concilium coire, vel an saltem Galliciæ episcopi ci-
D tius, Ceponio et Idatio agentibus, in *provinciali* conventu congregaturi forent, ad *remedium tantis vulneribus afferendum.* Quod vero addit Quesnellus : « Notarii vox numquam in ecclesiasticis monumentis in eo significatu usurpatur quem ei affingit auctor ille » Baronius nimirum, « qui quod agitur in provinciis ad Romanam sedem referre ac notum facere satagit; » hic nos jam ad Latinos optimos scriptores provocare possemus, qui eam *notarii* vocem usurparunt ad eos significandos qui in publicis tabulis Ecclesiæ res describere consueverunt; cur ergo istud munus ab apostolica sede Turribio demandari non potuit? Quæ episcopalium jurium violatio in eo exercendo, cum de Christianæ reipublicæ bono ageretur, et illius provinciæ potissimum, in qua concilium haberi Romanus pontifex præceperat?

4. Adhuc præterea me latet cur « Tres Leonis epistolas omnino distinctas cognoscere cogamur, partim (ait Quesnellus) ex ipso Leone, partim ex Lucretii Bracarensis interlocutione, non item cogemur eodem tempore missas existimare. » Nugæ quidem. Nam si diversas illas Leonis epistolas non eodem tempore missas confingamus, nec Galliciæ concilium ad annum 447 revocandum esset, ut Idatii Chronicum habet, cui omnes ecclesiastici scriptores suffragantur (*a*). Etenim prior Leonis epistola kalendis Augusti hujus anni conscripta est, quam S. pontifex, ut sæpius diximus, Pervincio diacono patriam remigranti tradidit. Hunc ergo alas habuisse confingere oporteret, ut non temere arbitraremur brevi temporis intervallo Pervincium Galliciam attigisse, et rursum alios nuntios cum epistolis Romam, et alios ex urbe Roma ad Galliciam remeasse. Istud sane confictionis portentum cum aliis et aliis futilibus divinationibus nimis operose Quesnellus astruere conatus est, ad eam de duobus Turribiis opinionem suis lectoribus sensim insinuandam.

5. Jam vero tandem hæc, et id genus alia, prætereamus, gradum novissime facturi ad genuinam Bracarensis synodi epocham inquirendam. Qua quidem in re satis esse videbitur, si, brevius aliorum sententias referentes, lectorum potius judicium exspectemus, quin rem ipsam definire **283** contendamus. Severinus Binius itaque ex eminentissimo cardinali Baronio istud Bracarense concilium *anno Christi* 563 coactum fuisse arbitratus est, *ei etiam suffragante* eminentissimo cardinali Aguirre, conciliorum Hispaniæ collectore. Sed Garsias Loaysa refragatus est, illudque biennio ante, anno videlicet 561, convocatum affirmat, sibi persuadens Patres illos apud Bracaram non sub Ariamiro principe, sed Theodomiro convenisse. Hunc autem fuisse Suecorum regem, de cujus mirabili ab errore et impietate Ariana conversione potissimum egit S. Gregorius Turonensis (*b*), jam omnes scriptores affirmarunt. Sed ambo ea nomina eidem regi fuisse attributa, nec ullum errorem in codices irrepsisse, jam cardinalis Baronius ex certissimis monumentis probavit, eidem assentientibus Binio et doctissimo Petavio, Rationarii Temporum parte tertia (*c*).

Antonius Pagius autem (*d*), cum Baronii tum Garsiæ opinionibus in medium adductis, refert Bollandistas *ad diem* 20 *Martii in Vita sancti Martini Dumiensis*, affirmare concilium Bracarense « recte a Garsia anno Christi 561 consignatum. Verum, subjicit Pagius, hæc opinio contrarium habet Gregorium Turonensem S. Martino Dumiensi coævum. Varias hinc inde rationes ex Gregorii Turonensis scriptis mutuatas affert, quæ potius illius concilii epocham ex anno 549, aut in sequenti, esse repetendam ostenderent. « Nihilominus (ait), quia Gregorius in referendis iis quæ extra Gallias gesta sunt non raro fallitur, existimo a Garsia scriptore Hispanico non recedendum. » Tandem animadvertit Innocentii papæ III epistolam fundamenta suppeditare dicendi concilium de quo agimus adhuc citius fuisse coactum, anno videlicet 560 (*e*).

6. Sed in tantarum opinionum conflictu Baronio et cardinali Aguirre fidem adimere minime ausim. Conjecturæ quippe omnes, quæ ab adversis partibus adducuntur, nullas evidentiæ, sed solius probabilitatis præseferunt notas, in quibus expendendis longius supervacaneum ducimus laborare, ne nimis divinationibus, quas in aliis reprehendimus, aliquando indulgere videamur. Unum interim, quod referre ad

(*a*) Epist. ad Turribium cap. 17, circa finem.
(*b*) Gregorius Turonensis, lib. V cap. 11 et 37.
(*c*) Dionysius Pet., tom. III Rat. Temporum, et alii.
(*d*) Baronius, anno 560, num. 6, et anno 563.
(*e*) Pagius, ad Christi annum 560, num. 3 et 4, et ad annum 563, num. 4.

nos pertinet, illud potissimum censuimus, post coactam illam Bracarensem synodum, nullam in posterum in sequentibus conciliorum Actis Romanorumque pontificum decretis Priscillianistarum hæreseos occurrere mentionem. An vero tum sacrorum præsulum pietate, et catholicorum principum potentia, qui Hispanis et Galliciis cœperant dominari, nefariæ illæ propagines ad exitium perductæ fuerint; an vero sub simulato alio nomine, Manichæorum videlicet, Gnosticorum, Montanistarumque latebras ibi sibi quæsierint, affirmare haud ausim. Nec enim optimæ A critices regulas violare æquum est; a quibus sane eos recedere arbitramur, qui, nimium suis studiis indulgentes, sine ullo monumentorum subsidio, solis variis futilibusque conjecturis insistentes, aut veritatem ipsam falsis quibusdam coloribus caligine simillimis obruunt, aut falsas rerum species fictis describunt lineamentis, ut incautos lectorum animos et judicia decipiant atque pervertant. Ab hac enim agendi ratione nos semper abhorruisse, cum hæc, tum aliæ nostræ dissertationes cumulate patefacient.

DE PELAGIANA HÆRESI,

S. LEONIS MAGNI ÆVO GLISCENTE,

LIBER UNICUS.

284 CAPUT PRIMUM.

De Juliano Eclani episcopo, ejusque agendi ratione, ut Pelagianam hæresim latius in vulgus spargeret.

1. Inter Cœlestii discipulos principem locum tenuisse Julianum Eclani episcopum, jam ex ecclesiasticis monumentis et imperialium decretorum legibus omnibus exploratum est. Is ergo, quamdiu S. Innocentius papa primus vixit (a quo episcopatus ordinem obtinuerat), variis simulationum artibus nefarium illius hæreseos virus obvolvere studuit; atque sub pietatis et charitatis velo erga egenos totam animi impietatem obtendere conabatur. Immo, si Mario Mercatori fidem adhibemus, idem Julianus, ut sancto pontifici Innocentio pergratam rem faceret, exterius, absque ulla prorsus simulatione et verborum involucro, Pelagium et Cœlestium tamquam catholicæ fidei desertores palam damnare non detrectavit. *Prædicti sane Cœlestius et Pelagius non tunc primo a sanctæ memoriæ Zosimo videntur esse damnati, sed ab ejus decessore sanctæ recordationis Innocentio, a quo et Julianus fuerat ordinatus; quippe post illorum damnationem, usque ad prædicti Innocentii excessum e vita, in ejus communione permanens et perseverans in sincera sententia, et communicans damnatori prædicto, cum ipso quoque sine dubio Pelagium Cœlestiumque damnavit.* Utinam ergo Innocentius diu in vivis stetisset, aut Julianus ante illius decessum mortem obiisset! Non enim tantas calamitates Ecclesia perpessa fuisset, nec tot olim sanctissimi Campaniæ et Italiæ episcopi, Juliano duce et antesignano, catholicæ fidei puritatem maculassent; non denique tot tantaque scripta blasphemiis aspersa impietatibusque referta ultro citroque transmissa fuissent, quemadmodum Eclanensis episcopi impetu et furore contigisse exploratissimum est. Quid vero fecerit, quidve Julianus, mortuo Innocentio, moliri tentaverit, certe et plenissime ecclesiasticis monumentis edocemur. Siquidem tunc non valens amplius odium in apostolicam doctrinam cohibere, quasi irarum impotens factus, palam in iis populum edocebat quæ jam a Cœlestio didicerat; sanctissimos et alioquin doctissimos catholicæ Ecclesiæ episcopos carpere et vellicare non verebatur; Augustino 285 cæterisque Africæ Patribus diras imprecabatur, atque in dies deterior factus, contempta prius auctoritate, doctrina et admonitionibus sancti Zosimi papæ, plurimos in malam fidem adduxit. Tum tandem rejecta ejusdem summi pontificis dogmatica epistola (quam tractatoriam appellant, quamque universi catholicæ societatis episcopi summa animi veneratione, tamquam fidei regulam, susceperant), ipse impudentissime eidem una cum aliis episcopis subscribere recusavit.

B 2. Tantarum tamen improbitatum pœnas diu luere non distulit. Etenim e sacerdotii primum gradu dejectus, tum sua episcopali sede spoliatus, ac postremo imperiali sanctione ab omnibus Italiæ oris proscriptus, apud Orientales se exsulem recepit, spe omni denique frustratus posse aliquando, aut proprium, aut alium quempiam episcopalem conscendere thronum. Contra vero alii ex episcopis quos improbitatis sibi socios asciverat, maxime pœnarum vim, magnitudinem et ignominiam reformidantes, secum reputarunt nimis turpe fore apostolicæ sedis judiciis non obtemperare; idcirco, Juliano derelicto, damnatisque Pelagio atque Cœlestio, supplices apostolicæ sedi libellos exhibuerunt, a qua clementer suscepti, propriis sedibus restituti sunt. Alii vero qui pertinaci animo imperiales et ecclesiasticas pœnas subire non verebantur, perpetuo depositi atque exauctorati, extra omnes Italiæ fines compulsi fuerunt. Rem totam hisce fere verbis Marius Mercator laudato loco exposuit: *Cui* (Zosimi epistolæ videlicet) C *Julianus et reliqui complices ejus subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati, ex omni Italia deturbati sunt, ex quibus plurimi resipiscentes, et a prædicto errore correcti, regressi sunt supplices ad apostolicam sedem, et suscepti suas Ecclesias receperunt.*

3. Hæc porro sanctissimi pontificis Zosimi gesta ex Mario Mercatore recensentibus, amplissimus nobis aperiretur campus evertendi omnia mendacia atque calumnias quibus referta est *dissertatio* 13 *de Conciliis Africanis*, quam in apostolicæ sedis odium Paschasius Quesnellus conscripsit. In ea quippe omnia susquedeque perturbans, et vertens licenter sanctum pontificem Zosimum carpit, atque eum de nimia cum Pelagianis conniventia culpans, vehementer exagitat: Romanæ Ecclesiæ clericos quoque tamquam Pelagiana tinctos fuligine describit; provincialium in D Africa conciliorum auctoritatem ultra debitos et a divinis legibus præscriptos limites extendit; ipsius denique apostolicæ sedis jurisdictionem dignitatemque, quam Africani Patres tunc summa cum religione prosequebantur, non tantum elevare, sed etiam dejicere conatus est. Sed hisce imposturis quid? Suis dumtaxat asseclis audacter imponere potuit, non nobis, qui ex Prospero in Augustini Vita optime novimus Africanos Patres, ab apostolicæ sedis judicio tunc vel maxime pendentes, numquam in plenaria synodo convenire voluisse, nisi posteaquam Zosimi papæ decretum ad eos pervenit. Cui deinde decreto bis centum atque duodecim Patres, ut in omnibus suffragarentur, octo canones ediderunt, qui perperam Milevitanæ secundæ synodo attribuuntur. Sed *Mile-*

vitana ista, ait doctissimus Petavius (a), *contra Pelagianos nihil statuit*, et ex illis octo canonibus, tertius, quartus et quintus a Cœlestino papa (b) sub Carthaginensis concilii nomine citantur. Hæc vero silentio premere maluimus quam in medium proferre, cum haud in animo in præsens habeamus singulis laudatæ dissertationis mendaciis et fraudibus occurrere, eademque refellere: potissimum cum ad ea rejicienda quisque uberrimam habeat rerum copiam, jam pridem ab eminentissimo cardinali Norisio paratam **286** in libris de Pelagianorum Historia. Cujus nos etiam subsidiis insistentes, ea dumtaxat delibanda duximus quæ ad hujus exortæ hæresis tempus, quæ ad illius auctores et antesignanos, quæque tandem ad nonnullorum Romanorum pontificum gesta pertinere videntur; ut, videlicet, brevissima quadam præmissa rerum historia, faciliorem pararemus viam ad ea quæ de sancto pontifice Leone mox exponere aggredimur. Cætera autem, quæ Africanorum conciliorum causam attingunt, et apostolicam sedem ab omni labe vindicant, alibi expedienda reservavimus.

CAPUT II.

Sancti Leonis Magni studium in Juliano et Pelagianis evertendis Campaniam populantibus.

1. Ad propositum itaque ut revertamur, nemo sibi persuadeat, aut Julianum cum suis impietatis sociis ita pacifice exsilium aliasque pœnas subiisse, ut Cœlestino papæ atque Xysto hujus successori fucum facere non tentaverit, ut absolveretur. Nemo quoque arbitretur Urbem, Campaniam, aliasque Italiæ regiones, post Juliani cæterorumque episcoporum exturbationem, penitus a Pelagianorum lue liberas mansisse. Julianus imprimis, comparato sibi Nestorii Constantinopolitani episcopi præsidio, suam et sociorum causam dolo atque fraudibus apud sanctum Cœlestinum agere tentavit, apud quem, ut sibi et exturbatis sociis episcopales restituerentur sedes, quam sæpissime institit. Interim quoque Pelagiani, hinc atque illinc per Italiam sparsi succrescentes, spe fovebantur, quandoque proprios sibi reddendos esse pastores, ac propterea, non a querimoniis, non a tumultu, non a maledictis desistebant. Quare, vix mortuo Cœlestino, et in ejus sedem Xysto suffecto, hujus fidem et apostolicum vigorem Julianus tentare ausus est, cum, ad eum datis supplicibus libellis, catholicam fidem profiteri simulabat, ut pristinum episcopatus honorem et munera pontifex ei restitueret. Rem narrat Prosper Aquitanus in Chronico, addens præterea Julianum non ab alio fuisse elusum quam a sancto Leone tunc Romanæ Ecclesiæ archidiacono, qui omnium virium suarum contentione apud sanctum pontificem egit ut a simulata hæretici hominis pœnitentia sibi atque toti Ecclesiæ caveret. « Hac tempestate Julianus Eclanensis jactatissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Xystus papa, diaconi Leonis hortatu, vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit, et ita omnes catholicos de rejectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim apostolicus gladius detruncasset. » Ita scripsit laudatus Prosper ad consulatum Theodosii xvii et Festi, qui juxta Petavii tabulas rejiciendus est in annum Christi 439, ut etiam eminentissimus card. Norisius annotavit.

2. Tanta ergo fuit S. Leonis adhuc diaconi mira prudentia ingeniique sagacitas, ut statim hujus Pelagianorum signiferi dolos, malam fidem et simulationes comprehenderet, qui, dumtaxat, intemperantiori amissi episcopatus cupiditate actus, in catholicorum communionem cum omnibus honoribus et muneribus admitti efflagitabat, ut denuo Ecclesiam perturbaret et novis machinis impeteret. Posteaquam vero animo omnibus periculis superiore idem Leo hisce malis occurrisset, hæreticos cum Nestorianos, tum Pelagianos scriptis etiam exagitandos esse censuit. Ac perinde, quasi præscius divinæ sui ipsius ad summum Ecclesiæ pontificatum electionis, Cassiani Massiliensis presbyteri verecundam taciturnitatem crebris **287** adhortationibus excitavit, atque istius propositum ac sententiam laudabili studio et imperiosissimo affectu vicit, et quasi impulit ut septem adversus Nestorium de Incarnatione libros scriberet et evulgaret. In iisdem porro libris nullum prorsus morem Pelagianis gessit, sed eos impetiit atque proscidit. Quare etsi, a Cassiano absolutis dudum Collationum spiritualium libellis, secum reputasset, constituissetque se in silentii portu collocare, excusaturus per taciturnitatis verecundiam loquacitatis audaciam, atque ut Semipelagianorum fautoris maculam, falso omnino illi affictam, deleret, tamen ex tam alto præmeditati silentii recessu, in publicum formidandumque judicium, nostro adhortante Leone atque imperante, venit, novum subiit laborem, cum adhuc de præteritis erubesceret. Ita profecto fassus est idem Cassianus in epistola nuncupatoria ad Leonem, in qua hunc etiam ita alloquitur: *Tua enim jam hic magis causa quam mea vertitur, tuum magis judicium quam meum officium periclitatur. Me enim, sive par sim tuo imperio, sive non sim, ipsa aliquatenus obedientiæ ratio atque humilitatis excusat...* Et paulo post hæc subjicit: *Tua ergo hæc res, tuum negotium, tui pudoris opus est.*

3. Non multum vero post, non solum fama (qua nihil in hujusmodi rebus est celerius) usquequaque persuasit, sed nuntii etiam præcucurrerunt, Xystum Romanum pontificem ex hac luce migrasse. Quod cum Pelagiani audissent, statim sibi novas clades imminere intellexerunt, si archidiaconus Leo ad pontificatum assumeretur. Et propterea maximo timore gravissimisque periculis cruciabantur, et quasi in se ipsos etiam veluti de superiori loco nova fulmina jaculanda prospiciebant. Et quidem faustis hisce ominibus Leo Ecclesiam regere aggressus est. Nam, ad communem fidei catholicæ utilitatem, statim hæreticis omnibus et Juliano potissimum, ac cæteris Pelagianis qui in Campania commorabantur, maximum bellum indixit. « In Italia nobis per Campaniam constitutis, dum venerabilis et apostolico honore nominandus Leo Manichæos subverteret, et contereret Pelagianos, et maxime Julianum (c). »

Qua in re tamen eos scriptores minime esse audiendos arbitror, qui ex Photii scriptis perperam eruerunt sanctum Leonem in Campaniam adversus Juliani insidias Prosperum Aquitanum destinasse. Nec enim Photius sua in Bibliotheca tale aliquid asseruit. Codice 54, dumtaxat, scripsit de Pelagiana hæresi renascente (d): « Post non diu rursum velut existere atque enasci e mala radice impudenter cum cœpisset, Romæ etiam quidam pro hæresi libere locuti sunt, quos Prosper homo sane divinus, libellis adversus eos in vulgus editis, facile dissipavit exstinxitque, Leone etiam nunc, quem diximus, Romanam sedem gubernante. » Non ergo Prosper, auctore Photio, Pelagianos in Campania commorantes evertit, nec ad eam subeundam provinciam a papa Leone missus et destinatus fuit, ut Usserio, Caveo aliisque placuit; sed tantummodo quosdam libellos contra eos evulgavit, *qui libere pro hæresi Pelagiana loquebantur*. Quibus porro verbis potius quosdam homines indicatos esse arbitramur, qui nec Scripturarum testimonia intelligentes, nec qua par est sub-

(a) Dionysius Petav., part. I Rat. Temp., lib. vi, c. 15.

(b) Cœlestinus papa, in epist. ad episcopos Galliarum, tom. III Conciliorum.

(c) Auctor lib. Promiss. Dei dimid. temp., cap. 6.

(d) Photius, in sua Biblioth., cod. 54, pag. 20.

missione apostolicæ sedis judiciis obtemperantes, inanem ambitiosamque scientiæ speciem affectabant, dum illius hæreseos vindices videri cupiebant. Quorum quidem consuetudo hodierno quorumdam mori simillima est, cum sæpissime garrulos quosdam et clamosos doctores, ne ardeliones appellem, offendamus, qui publicas venalium librorum officinas, eo dumtaxat animo frequentare solent, ut summa cum libertate aliorum gesta et scripta notent et carpant, eademque maledicis carminibus describant, cum tamen, oh summa ingeniorum confidentia! ipsis nec a natura, nec ab officiis, 288 neque a scientiarum peritia et exercitationibus, ratione ulla datum sit de hujusmodi facultatibus vel leviter judicare.

4. Ejusmodi itaque hominum loquacitatem atque licentiam S. Prosper quatuor aut saltem tribus libellis cohibuit. Porro autem et illud reputans, homines videlicet, carminibus magis quam soluta oratione delectari consuevisse, idcirco metrice conscripsit. Præcipuum vero hosce inter libellos locum obtinet carmen illud de Ingratis, in quo contra Pelagianos, non tantum Ecclesiæ rerum gestarum seriem describit, sed etiam omnes nefarios illius hæreseos errores in medium adducit et evertit. Annon igitur ex hoc orationis genere populus et vulgus intelligere poterat quali quantave reverentia illa apostolicæ sedis decreta suscipienda forent, quæ jam ab omnibus Ecclesiarum episcopis tamquam fidei tesseræ habebantur? Annon præterea sola hujus libelli epigraphe, omnibus qui libere pro hac hæresi loquebantur, aut pudorem excitare potuit, aut illius legendi cupiditatem injicere, utpote gravem indicans in opere ingratorum animorum censuram contineri, quos quolibet tempore cunctæ nationes exhorrere et ab eorum consuetudine segregare se consueverunt? Et sane si ingratus is censeri debet qui pro acceptis beneficiis nec grates rependit nec habet, quanto magis qui beneficia etiam se accepisse negat, et qui ingratis morem gerens, horum vitium et causam defendere nititur? Merito igitur Pelagianos ingratorum sibi nomen acquisivisse in dubium revocari vix potest: « quia nemo (ait Martinus Steyaert) pejus ingrati animi vitio laborat, quam ille qui voluntati ac misericordiæ divinæ impie voluntatem præfert humanam, quasi originaliter malus receptionem boni, non a summo bono, sed a se ipso inchoet.

5. Hisce tamen rationibus eminentiss. Norisius refragari videtur. Libro quippe II Pelagianæ Historiæ ita de testimonio Photii scripsit: « Cæterum nulli sunt libri Prosperi contra Pelagianos, cum Photius eos libellos vocet, intellexisse puto eos quos in Gallia contra Semipelagianos evulgavit, quos tamen ante Leonis pontificatum scriptos esse mihi compertum est. Contra ingratos vero lepidum illud carmen Romæ eumdem scripsisse unus Usserius sine teste affirmat pag. 680. » Num ergo hæc dissimulanda sunt? Ne semper cum doctissimo viro negotium me habere velle videar, ut critici, litterariæ rei Veneti scriptores, olim publicarunt, cum primum nostra Rufini editio lucem aspexit (a). An ita Norisii conjecturis subscribere oportet, ut in nostra opinione labare videamur? Absit ut nostra cogitatio in istuc incidat consilium! Nec enim Photii testimonium ita est imbecillum, ut apud nos et apud eruditorum cœtum aliquam saltem sibi non vindicet fidem. Neque præterea ita eidem esse adhærendum arbitramur, ut clarissimi doctissimique viri cardinalis Norisii conjecturas atque rationes impetere aut rejicere audeamus. Nimis enim turpe foret vel leviter etiam eruditissimi hominis lædere existimationem, qui pro Ecclesiæ rebus, post tot exantlatos labores meliora suorum studiorum catholico orbi specimina exhibuit, cum in Pelagiana conscribenda Historia, tum in antiquorum monumentis ornandis. Cum hæc itaque mecum reputarem, iterum conjectis oculis in Photii testimonium, utriusque scriptoris opiniones seu asserta facile conciliari posse mihi in animum induxi, atque ea potissimum de causa, quod Photius nullibi asserat, Leone Romanam sedem tenente, Prosperum ejusmodi contra Pelagianos exarasse libellos. Ait dumtaxat: *Prosper, homo sane divinus, libellis adversus eos in vulgus editis, facile dissipavit exstinxitque*. Qui certe loquendi modus potius indicat Prosperum Romæ sibi nactum occasionem publicandi in plebem etiam libellos, quos forte antea contra Pelagianos conscripserat. Hanc autem significationem Photii 289 verba præseferre, nemo inficiabitur, qui ad genuinum illorum verborum sensum animadvertat; simulque recogitet nusquam propria scripta omnibus indiscriminatim PP. communicare consuevisse. Nec enim tanta tum erat manuscriptorum codicum copia, ut etiam vulgi manibus tererentur. Idcirco sat verisimile esset arbitrari Prosperum libros quos forte ipse, auctore Norisio, in Galliis conscripserat Romæ demum in vulgus etiam edidisse, ut Pelagianorum vindices *dissiparet et exstingueret*.

6. Postremam hanc conjecturam Hieronymi ad Florentium epistola auget, de qua nos ipsi in Eusebii editione disseruimus. Ibi namque annotavimus, maximam fuisse librorum communicationem Hieronymum inter et Rufinum. Quare ille Florentium enixe rogat ut ubi hospitio Rufinum communem amicum exceperit, petat ab eo sibique mittendos curet beati Rheticii Augustodunensis episcopi commentarios in Canticum Canticorum. Præterea nomine cujusdam Pauli Senis de Rufini patria reddi sibi postulat Tertulliani codicem: *Interpretationem insuper Psalmorum Davidicorum et prolixum valde de Synodis librum S. Hilarii*, sua Hieronymi ipsius manu apud Treviros exscriptum. Ex qua epistola intelligimus codices Operum a Patribus elucubratorum ita perraros quinto Ecclesiæ sæculo fuisse, ut vix eorum exemplaria parandi esset facultas hominibus vel maxime pecuniosis, aut iis qui improbum amanuensium laborem subire non reformidabant. Quamvis igitur hoc ultro demus, quod Prosperi libelli, de quibus Photius disseruit, in Galliis ab auctore fuerint conscripti, quid inde tamen impedimenti erat quominus ad communis causæ utilitatem in vulgus pariter postea ederentur? Et quidem non alium Photiana verba sensum subire nobiscum judicabunt, qui eadem secundum grammaticæ apices voluerint interpretari. Numquid enim aliud ibi laudatus Photius, nisi unum hoc dumtaxat innuit, nimirum sanctum Prosperum magnum veritati lumen et adjumentum attulisse in iis libellis pervulgandis, quibus facile omnes vulgi tumultus compescuit, atque catholicorum cum pietatem, tum religionem fovit, confirmavit et auxit? Et sane vulgus ipse, quamvis in ecclesiasticis rebus sit parum versatus, nec facile docentis auctoritati obtemperet, quam sæpissime tamen, si necessariis negotiis curisque sit vacuus, obloquentium sermones audire nequaquam abnuit, ac ab iisdem veluti quodam captus illicio, cum de justitiæ rigore agitur, judicum rectitudinem vel integritatem sibi facit suspectam, de reorum criminibus frequenter præpostere judicat, et quadam miseratione erga damnatos motus, cum ob pœnas quas luunt, tum quod ab iis abhorret, sanctissimos Ecclesiæ præsules atro dente petere non erubescit. Ut itaque malis hisce omnibus sanctus Prosper occurreret, simulque vulgi pietatem et religionem foveret, ut diximus, et excitaret, sat verisimile est eum idcirco tristibus versibus Pelagianorum mores et instituta exagitare voluisse, ut scilicet vulgus ipse non se falli sineret, atque ad veritatis inquisitionem investigationemque traheret et accenderet. Et sane non alia de causa ejus oculis rerum gestarum seriem et ordinem, Pelagianorum impietatem et errores eumdem subjecisse credendum est, nisi ut deinceps divinæ gratiæ laudes

(a) Veneti litter. rei scriptores, anno 1742.

concineret, catholicæ Ecclesiæ fidem et pietatem celebraret, et ipsorum demum hæreticorum gesta, dogmata, clades, exitium atque ignominiam in oris canticum verteret. Ejusmodi autem felicem exitum celebri carmine de Ingratis, tum tribus aliis libellis in vulgus editis, Prosperum assecutum fuisse, Photii laudata verba non obscure denuntiant, sive S. Prosper multo ante Leonis Magni pontificatum, sive hujus pontificatus tempore eos libellos conscripserit.

290 CAPUT III.

De tempore quo S. Prosper suos libellos in Pelagianos conscripsit.

1. Jam vero nunc extra nostri instituti propositum vagari videbimur, si horum libellorum epocham diligentius inquirere statuamus. Sed ab hoc munere nulla ratione abduci potui, cum ea in epocha inquirenda omnes præcedentes scriptores lapsos esse perspexerim. Nec enim carmen de Ingratis ad annum 429, vel ad sequentem, revocandum est; neque duo illa epigrammata in Augustini obtrectatorem in annum 417 vel 418 rejicienda sunt, ut præcedentes scriptores asseruerunt. Id imprimis ex Prospero ipso colligitur, qui ita de Ingratis carmen orditur, ut plene abolitum omne Pelagianum virus describat. At quorsum hæc Prosperi spectaret oratio, si Ecclesiæ hoste nondum eliso, adhuc tumidus per Campaniam aliasque Italiæ regiones sese extulisset? Qua porro ratione Prosper dixisset plenam ab Ecclesia contra Pelagianos reportatam fuisse victoriam, si horum signifer Julianus, vel Constantinopolim, vel per Italiam et Gallias novas turbas excitare potuisset, ut semel et iterum in catholicam societatem irrepere tentaret? Nec enim similes loquendi formulæ, aut ad Africæ synodos, aut ad sancti Innocentii papæ decreta dumtaxat debent referri; nam, ut optime ex ecclesiasticis monumentis intelleximus, tunc Julianus in apertam hæresim nondum erat prolapsus, sed sub religionis ac pietatis larva nefarios errores potius obducere conabatur. Neque de papæ Zosimi constitutione, aut de concilii Ephesini sanctionibus possunt eadem sancti Prosperi verba interpretari, cum jam sub Xysto et Leone Romanis pontificibus Julianus ipse, et reliqui Pelagiani præsules, hinc atque illinc novas turbas et molimina excitantes, episcopales sedes, honores et ministeria ut sibi restituerentur omnibus studiis contendebant.

2. Prosperi igitur carmina non alio potius quam Xysti aut sancti Leonis tempore convenire posse nobis videtur. Et quamvis absolute asserere haud audeamus, istud carmen Leonis ævo fuisse conscriptum, tamen cum ita loquatur, ut Pelagianam sobolem penitus exstinctam describat, et veluti de confecto bello, de parta victoria, de pace secuta mentionem faciat, minime ejusmodi conjectura omnino debet refelli, ut ex ejusdem Prosperi carminibus ipse lector poterit judicare.

> Congenitæ in Christo gentis mihi castus ab alto
> Insinuatus amor proprias excedere vires
> Me jubet, atque pias accendere carmine mentes:
> Ne post confectum celebris victoria bellum,
> Securos animos incauta pace resolvat,
> Ceu metus eliso jam nullus ab hoste supersit,
> Nec caput attriti virosum palpitet anguis.

Quod si tamen quisque contendat istud Photii dictum : *Romæ etiam quidam pro hæresi* (Pelagiana nimirum) *libere locuti sunt, quos Prosper, homo sane divinus, libellis in vulgus editis, facile dissipavit exstinxitque*, de uno dumtaxat carmine de Ingratis minime comprobari, ego quidem non multum repugnabo. Immo, licet illud opus libellorum nomen re ipsa subeat, tum cum ab auctore in quatuor æquales partes fuerit divisum, quarum unicuique proprium atque singulare argumentum respondet, ut jam cl. D. Antonius Salinas, regularis canonicus, in sancti Prosperi ornandis Operibus probavit; tum deinde, cum hocce orationis genus satiricos versus ad aliorum malos mores et instituta carpenda et exagitanda comparatos contineat, merito etiam ex hominum loquendi usu sibi libellorum nomen vindicavit. Ne autem negotii plenus Norisio repugnare videar, leves has conjecturas prætereo, atque ad alios tres etiam Prosperi libellos **291** contra Pelagianos editos mea se convertit oratio. Conscripsit itaque, ut diximus, Prosper duo alia epigrammata in sancti Augustini obtrectatorem, quibus et celebre illud Nestorianæ et Pelagianæ hæreseos addidit epitaphium. Sed illa orationum genera certe prorsus intempestiva fuissent, si saltem Augustinus aut nondum extremam diem clausisset, aut si alterutra ex illis hæresibus adhuc penitus exstincta et abolita non fuisset, quæ revera duæ illæ hæreses ad plenum exitium minime fuerunt perductæ, nisi posteaquam Augustinus diem obierat. Cujus quidem argumenti pondus Prosperi editores præsentientes, epitaphium dumtaxat in Nestorianos et Pelagianos serius exaratum asseruerunt; illud videlicet ad annum 432 revocantes, cum nimirum, e vivis sublato Augustino, duæ illæ hæreses in plenaria Ephesina synodo damnatæ fuerunt. At id saltem de aliis libellis asseri oportere gravissimæ conjecturæ nos urgent. Quis namque reputabit Augustino adhuc superstite alium quempiam pro ejus nomine atque doctrina sibi vindicis partes assumere voluisse? Annon sanctus doctor ipse, quoad vixit, stylum semper contra suos adversarios paratum habuit, eos vel molli brachio perstringendo, *aut gravissimis censuris eorumdem machinas destruendo? Sat* igitur verisimile est Augustinum *illum*, qui Adrumetinos monachos perperam ejus scripta interpretantes corripuit, objurgavit; qui Pelagium et Julianum perpetuo impetiit et exagitavit; qui ab Hieronymi objectionibus propriam doctrinam modeste purgavit; sat, inquam, verisimile est hunc Augustinum novas illas Pelagianorum obtrectationes inultas minime reliquisse, aut saltem debitas gratias Prospero ejus vindici reddidisse. Reddidisset tamen, si in vivis exstitisset adhuc cum laudatos libellos Prosper conscripsit.

3. Prosperi deinde duæ ad Augustinum epistolæ magnum nostris conjecturis robur adjiciunt. Sed Caveum, Usserium, Joannem Olivarium cæterosque Prosperi editores in assignanda prædictorum libellorum epocha gravius lapsos esse patefaciunt, si nos tempus quo ejusmodi epistolæ conscriptæ fuerint diligentius inquiramus, atque ad eorumdem argumenta animi cogitationem convertamus. Quoad tempus attinet, Caveus credidit anno 426 fuisse conscriptas. Novissimus autem eorum editor sibi persuadet exeunte anno 428, vel ineunte anno 429, scriptas fuisse. Ita ad marginem annotavit pag. 89. Si deinde epistolarum argumenta perpendamus, in iis palam Prosper testatur Pelagianæ hæreseos reliquias in Galliis et in plerisque aliis regionibus adauctas fuisse; maximas quoque querelas excitatas adversus ejusdem Augustini opuscula, et præsertim contra doctrinam libro de Correptione et Gratia explicatam. Quis autem affirmare velit jam tum Prosperum carmen illud de Ingratis cum cæteris libellis a Photio laudatis concinnasse cum has epistolas scriberet? Nonne in iis recensuit gravissimas difficilioresque quæstiones a Pelagianis motas, quas clara luce ab illo sibi aperiri cupiebat, et, quasi in multarum rerum intelligentia nutans, lumen ex novis Augustini scriptis efflagitabat? Galliam pene totam fuisse commotam, cum Prosper hæc scriberet, priori epistola declarat, et propterea fieri studebat S. Patris sapientia et eruditione doctior, et ut prodesset multis suo rogatu, eum interpellat, scribens : *Tribue nobis in hac causa, papa beatissime, pater optime, quantum juvante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ, ut quæ in istis quæstionibus obscuriora et ad percipiendum difficiliora sunt quam lucidissimis expositionibus digneris ape-*

rire (a). Harum autem gravissimarum quæstionum decem argumenta statim subjicit, et interim veritus contra tot adversarios meritis atque honoribus claros in apertum disputationis campum prosilire, et contra eosdem dimicare, animi fervorem silentio cohibet, quoadusque ab Augustino obtinebit responsum. « Quibus omnibus enodatis (ita ultimum ejus epistolæ caput orditur), *et multis insuper quæ altiore intuitu* **292** *ad hanc causam pertinentia magis potes videre decussis, credimus et speramus non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat defæcatissimum lumen gratiæ recepturos.* Non itaque tum Augustini obtrectatores suis carminibus Prosper impetere poterat, non plenam canere de Pelagianis reportatam victoriam, si et ipse, inter alia et alia dubia jam hærens suspensus, ab Augustino inquirebat an Christiana fides ea dissensione violaretur, quantum periculi in adversariorum opinione patefaceret. *Deinde quomodo per istam præoperantem et cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium*, explicaret. *Tum utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita*, et id genus alia, quæ octavo ejusdem epistolæ capite a quopiam possunt lustrari. Sodes igitur dicant, qui duo Prosperi epigrammata contra Augustini obtrectatorem ad annum 417 aut 418, carmen vero de Ingratis ad 430 annum revocant, an is, qui in sacris litteris homo divinus appellatur, Pelagianos ad bellum scripto tum advocare potuerit, cum anno 429 nondum satis de totius controversiæ cardine, fundamentis atque rationibus erat instructus? An imparatus et inermis cum hæreticis certamen sanctus Prosper habere voluit, et, quasi nimium sibi fidens, tum pro Ecclesiæ sanctionibus, tum pro Augustini doctrina decertavit, quando, necdum super laudatas quæstiones institutus, animo varias inter adversariorum opiniones interpretationesque fluctuabat? Ficta et commentitia fabula tanto indigna viro! Præsertim cum ab Augustino, duobus in libris, videlicet de Prædestinatione et de Dono Perseverantiæ, paulo ante diem ejus emortualem conscriptis, objectas sibi a Prospero et Hilario Massiliensium et Pelagianorum quæstiones enodatas fuisse intelligamus. Quando vero Augustinus obierit, narrat Possidius in Augustini Vita scribens: *Anno 430, quinto kalendas Septembris S. doctorem humanæ vitæ debitum persolvisse, quo tempore Vandali Hipponem tertium jam mensem obsidebant.*

4. Ad quæ omnia cum ipse sedulo animadverterem, contra fere omnium præcedentium scriptorum opinionem mihi persuasi sanctum Prosperum in Pelagianos vel horum reliquias decertare aggressum, eosdemque scripto dumtaxat impetere cœpisse cum jam Augustinus obierat. Quis ignorat tum ita in Galliis præsertim percrebrescentibus divinæ gratiæ hostibus, Augustinique obtrectatoribus, Prosperum et Hilarium Romam ad Cœlestinum pontificem profectos, ut firmo certoque testimonio, quanti apud apostolicam sedem semper fuerit, de ejusdem sancti Augustini doctrina declararet? Horum autem votis Cœlestinum annuisse, celebris epistola anno 430 ad episcopos Galliæ declarat, in qua non tantum scribit (b): *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis decessoribus haberetur.* Huic autem epistolæ *præteritorum sedis apostolicæ auctoritates de gratia Dei et libero voluntatis arbitrio* subjectas legimus; ut inde obloquentes quæ sequi et probare profiterentur, atque ea omnia *quæ sacratissima beati apostoli sedes Petri* A *contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit et docuit*, intelligerent (c). Quisnam vero horum capitulorum collector fuerit, in præsentia non inquirimus. Auctor tamen ita recentioribus dogmatistis refragatur, ut luce hac in re clarius ostendat Pelagianam hæresim proscriptam et judicatam fuisse ab apostolica sede, et Africanos canones tantum roboris obtinuisse, quantum iisdem Romani **293** antistites tribuerunt, cum eosdem probarunt. Quæ sane verba cum Quesnellum aliosque ejus asseclas gravius urgeant et male habeant, statim subjicimus sequentia verba: *Necessarium igitur fuit diligenter inquirere quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi quæ eorum temporibus exorta fuerat judicaverint, et contra nocentissimos liberi arbitrii defensores quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint; ita ut etiam Africanorum conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas ubique suas fecerunt apostolici antistites, cum probarunt.* Ejusmodi porro necessitatem apostolicæ sedis judicii inquirendi et exspectandi, cum de B hæresibus agitur, pleno ore nono Ecclesiæ sæculo Hincmarus Remensis Ecclesiæ episcopus contra Gotescalcum confessus est. Qui sane ad laudata verba non provocasset, nec integra suam in epistolam transtulisset, si illam sententiam ratam non habuisset. Præfatus autem Hincmarus cum Petro diacono, Floro magistro, Cresconio, Dionysio Exiguo, Ivone, eadem capitula Cœlestino tribuit, cum veluti pars et appendix illius epistolæ habeantur.

5. Hæc itaque aliaque multa cum animo oberrarent, contra omnium præcedentium scriptorum opinionem constanter existimavi laudatorum libellorum nullum a Prospero exaratum fuisse antequam Augustinus ex hominum vita demigraret. Certe hoc uno satis admonere visa est ejusdem Prosperi vigilantia, qui, ut Augustino jam vita functo præsidium pararet, Romam venit, ut super illius doctrina Cœlestinum papam consuleret. At si Prosper jam edidisset aut evulgasset laudatos libellos, non Augustini, sed pro- C priam apud pontificem causam egisset. Nihil enim habet Prosper, præsertim in carmine illo de Ingratis, quod ex Augustino non fuerit depromptum, quodve a Massiliensibus vel Pelagianis non fuerit in discrimen adductum, quod denique in illis decem apostolicæ sedis capitulis non appareat definitum. Neque enim probabile est S. Prosperum quadripartito illo carmine de Ingratis, aut adversariorum objectiones transferre voluisse, aut ante apostolicæ sedis judicium Augustini doctrinam ab omni suspicionis labe purgare ausum fuisse. Quid de decem illis apostolicæ sedis capitulis erit asserendum? Potuit forte S. Prosper eadem sibi in animo præfingere, eademque scripto exponere, *antequam diligenter inquireret quid rectores Romanæ Ecclesiæ de Pelagiano hæresi, quæ eorum temporibus exorta erat, judicaverint?* Figmentum apage! Quare, si in hoc scribendi genere argumentum a simili valeret, utique ad librum adversus Collatorem a Prospero editum recurrerem, D quem legentes ipsi cognoscunt Augustino vita functo fuisse conscriptum. Sed hunc cum carmine de Ingratis fere in unum et idem tempus esse rejiciendum, jam adducta atque mox adducenda argumenta quam perspicue patefaciunt. Eminentissimus itaque cardinalis Peronius (b), qui veterum catholicorum poetarum usum habebat, multa pro eorum conscribens defensione, asseruit eadem illos sæpe alibi soluta oratione tradidisse, quæ alibi strictæ commiserant, quod ipsum sancti Paulini Nolani episcopi, de quo ipse sermonem habebat, manifestum efficit. Eam autem rationem maxime Prosperiano poemati de Ingratis convenire, ipsi arbitramur, cum in eo nihil ille scripserit, quod vel in apostolicæ sedis auctoritatibus et in aliis suis Operibus soluta *oratione* exaratis

(a) Prosperi ad August. epist., cap. 7.
(b) Cœlestini papæ epist. ad Galliæ episc. cap. 2.
(c) Prooemium auctoritatum seu capitulorum apostolicæ sedis.
(d) Card. Peronius, in Resp. ad Angliæ regem, lib. v, cap. 20, pag. 13.

non tradiderit. Supremæ autem apostolicæ sedis A auctoritati validissimum certissimumque argumentum illa carmina suppetunt, quibus canit :

> Pestem subeuntem prima recidit
> ....Sedes Romana Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
> Religione tenet.

Libro autem adversus Collatorem fusius rerum gestarum seriem describens, Romanorum pontificum in Pelagianos lata judicia, servato temporum 294 ordine, enumerat, atque ex Innocentio papa exordia repetens, eadem usque ad Cœlestinum perducit, ita ad nostrum subjiciens intentum : *Per hunc virum* (Cœlestinum videlicet) *intra Gallias istis ipsis qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt maleloquentiæ est adempta libertas, quando consultantium actione suscepta, et librorum qui errantibus displicebant pietate laudata, quid oporteret de eorum auctoritate sentire, sancto manifestavit eloquio, evidenter pronuntians quantum sibi præsumptionis istius novitas* B *displiceret qua auderent quidam adversus magistros insolenter insurgere, et indisciplinata calumnia prædicationi veritatis obstrepere.* At Augustini nefarios obtrectatores tertia parte illius carminis de Ingratis suggillat, eorumdem Pelagianorum Semipelagianorumque objectiones refellens, quibus *vociferantes* querebantur *omne opus arbitrii sublatum, nec vitiis pœnam deberi, aut præmia laudi.* Hæc autem vociferasse Augustini obtrectatores post ejus obitum, luculentissime cum patefactum sit, ut in his diutius immoremur minime opus est, præsertim suffragante nobis Photio in Bibliotheca, cod. 53, Vincentio Lirinensi, adversus hæreses cap. ultimo.

CAPUT IV.

Præcedentium scriptorum argumenta eripiuntur.

1. Etsi vero ista omnia præcedenti capite, servato temporum ordine, annotaverim, nihil adhuc me præstitisse videbitur, nisi Josephi Anthelmii, Usserii, Cavei, Martini Steyaert, P. Salinæ, aliorumque scriptorum fundamenta eripiam. Unum itaque dumtaxat sancti Prosperi testimonium ex cap. 3 carminis de C Ingratis depromptum adducunt; quo hocce opus superstite Augustino conscriptum esse sibi blandiuntur. Canit itaque sanctus Prosper :

> An alium in finem posset procedere sanctum
> Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
> Augustinus erat? quem Christi gratia cornu
> Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo
> Accensum vero de lumine; nam cibus illi,
> Et vita, et requies Deus est, omnisque voluptas:
> Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi;
> Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
> Omnia, et in sancto regnat sapientia templo.

Ita Prosper (ait Pater Salinas) (*a*), in quibus magistrum optimum tamquam superstitem continenti celebrat elogio; quomodo sane de aliis episcopis aut viris in hac causa præcipuis et fato jam functis ibidem non loquitur? D

2. Sed Martinus Steyaert Lovaniensis doctor in ornando castigandove hoc opere, eodem prorsus argumento ductus, sic ad illud verbum *regnat* annotavit. « Ex quo (verbo videlicet) aliisque toto paragrapho verbis præsentis temporis colligitur scriptitasse hæc sancto doctore superstite. » Quid autem ejusmodi argumento imbecillius? Nam si imprimis illud laudis genus speciemus, quo nihil sublimius neque splendidius de beato quopiam spiritu jam cum Deo in cœlis regnante dici potest, illud sane homini adhuc mortalem vitam agenti nonnisi cum aperta et inverecunda assentatione convenire potest. Quo sensu, præterea, quave ratione de uno Augustino superstite Prosper canere potuisset : *Quem Christi gratia cornu uberiore rigans nostro lumen dedit ævo accensum de vero* 295 *lumine* ; cum postmodum, eodem jam vita functo, idem Prosper apostolicam sedem diligentius consuluerit : « An hunc sinistræ suspicionis saltem rumor asperserit, vel an tantæ scientiæ fuerit, ut inter Ecclesiæ magistros optimos esset recensendus (*b*). » Quemadmodum enim hæc inter se conciliari possint plane non video; præsertim cum laicus homo, omni prorsus ecclesiastica auctoritate denudatus, qualis Augustino superstite Prosper erat, minime sibi de S. Patris scriptis judicare arrogasset ante Cœlestini papæ sententiam.

3. Non denique præsentis temporis verba nos urgent, cum poetarum ingenia liberiori semper utantur licentia, tales sæpissime sibi confingentes imagines, ut veluti præsentes qui jam decesserunt describant, et ex eorum gestis et scriptis mortuos vivere adhuc sibi persuadeant. Et quidem Prosper ibidem ad supernam Augustini sapientiam alludit, qua Pelagianorum Semipelagianorumque artes, molimina et errores elusit, rejecit atque evertit. Idcirco eum post mortem tamquam viventem in exaratis Operibus sibi proposuit. Neque verum est toto illo paragrapho præsentis temporis verbis uti, sed, animi cogitationes poetice exprimere volens, modo ad præsentis, modo ad præteriti temporis verba recurrit, et, gradu veluti facto, a mortali Augustini vita ad illam immortalem qua cum Deo regnat, cum sub sapientiæ nomine, hisce verbis describit : *Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi omnia, et in sancto regnat sapientia templo.* An censent laudati scriptores quibus refragamur de sapientissimo quopiam vivente viro hæc cum proprietate dici posse? Quandonam Deus viventibus omnia fieri consuevit, ut mortali carne adhuc circumdati in sancto templo regnent? Hocce de Christo unigenito Dei Filio dumtaxat cum veritate Scripturas et Patres asseruisse, catholicis omnibus sat est exploratum; sed si alio cuipiam ejusmodi dictum aptare velimus, cum catholica ipsa religione contendamus necesse est.

4. Ad quæ cum serio animum convertissem, nimis imbecillam atque infirmam eorum opinionem existimavi, qui a Prospero laudatos libellos conscriptos fuisse arbitrati sunt antequam Augustinus diem obiret, vel antequam Cœlestinus papa Augustini scripta elogiis ornaret, aut denique antequam Julianus ille Pelagianorum signifer ad plenum exitium cum suis machinis perduceretur. Cætera vero quæ a P. Salinas subduntur, penitus cadunt, si Prosperi scribendi scopum aut disserendi modum attendamus. Nec enim carmine illo de Ingratis tercentenos illos proceres qui in Pelagii causam convenerant elogiis ornare sibi sacer poeta proposuerat, sed divinæ gratiæ hostes impetere et exagitare animus illi fuit. Propterea nihil mirum, si, excepto Aurelio, totius Romanæ Africæ primate, et eximio doctore Augustino, cæterorum omnium nomina silentio occuluit, præsertim cum Prosperi ævo eorumdem Patrum nomina in conciliorum Actis, quæ nondum interciderant, facile deprehendi possent.

296 CAPUT V.

De sancti Leonis Magni scriptis contra Pelagianos exaratis.

1. Jam vero temporis et nostri instituti ratio postulat ut de Magni Leonis scriptis verba faciamus. Quod igitur ad hujus scripta attinet, nihil magnificentius, in illius homiliis præsertim, elucet quam divina illa doctrina sacris in litteris tradita de divinæ gratiæ virtute atque muneribus. Quare exstincto Juliano, atque deletis jam per Campaniam Pelagianis, Romæ demum obmutescentibus horum hæreticorum

(*a*) In Operibus Sanctorum Prosperi Aquitani et Honorati Massiliensis notis observationibusque, Romæ anno 1732, illustratis.

(*b*) Martinus Steyaert laudatus a cl. P. Joan. Antonio Salinas canonico regulari in Operibus S. Prosperi Romæ adornatis.

fautoribus, quid erat quod sacra inter mysteria tanto dignius pontifice tractare posset et frequenti populo suadere? In maximis igitur anni solemnitatibus atque Romanorum civium auribus, quoad vixit, aliquam saltem orationis partem in eum scopum dirigebat, ut Pelagianorum aliorumque hæreticorum errores carperet atque subverteret. In iis quippe modo naturalium virium imbecillitatem infirmitatemque describit, modo divini auxilii supernam virtutem ad æternæ felicitatis bonum consequendum necessario requisitam quam sæpissime inculcat. Hinc totam Adami sobolem inobedientiæ peccato corruptam remansisse, ex Apostolo, ex Evangelio aliisque sacrarum Scripturarum testimoniis explicat. Inde maximum divinæ miserationis opus describit, quo per unigeniti Dei Filii crucem, mortem, soluto jam nostræ redemptionis pretio, peccati vincula confracta sunt, et, tartareæ captivitatis jugo excusso, iisdem et omnibus Adæ filiis paradisi ostium fuit reseratum. Quid plura?

2. Perpetuo igitur et ubique S. pontifex occasionem captat Pelagiani insectandi dogmatis, ut si forte aliqui inter suos auditores exstitissent, qui de catholica veritate, de apostolicæ sedis sanctionibus dubitarent, rationum tandem pondere confecti, et apostolici sermonis auctoritate persuasi, non amplius differrent Pelagium, Cœlestium atque Julianum cum eorumdem erroribus damnare. Hac potissimum de causa populum hortatur, ut non *præsumeret de sua justitia, nec de Dei misericordia diffideret, quia omnipotens Deus, ut mirabilem faceret gratiam suam in eo* (loquitur de se ipso) *munera sua contulit, in quo meritorum suffragia non invenit* (a). Et sequenti oratione, cap. priori, humanæ naturæ imbecillitate descripta, subdit : *Et tamen non desperamus, neque deficimus, quia non de nobis, sed de illo præsumimus qui operatur in nobis* (b). Ne autem hæc ita in adversæ partis significationem traherentur a quopiam, perinde quasi arbitrari vellet humanæ voluntatis vires ita per peccatum fuisse elisas, ut arbitrii ratio prorsus deleta mansisset; quemadmodum nos Deus ad imaginem suam reparet, ut in nobis formam suæ bonitatis inveniat, sequenti mirabili magnificaque sententia explicavit: *Dat unde ipsi quoque quod operatur operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suæ charitatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit diligamus.* Et rursus alio loco humana corda terreno agro comparat, qui si pigro otio et inerti desidio negligatur, terra nihil generosi germinis pariet, et, spinis ac tribulis subdita, non producet quæ condenda sint horreis, sed quæ urenda sint flammis. Quam deinde allegoriam explicaturus, in hæc verba prorupit (c) : *Ager autem iste, dilectissimi, rorante desuper gratia Dei, fide munitur, jejuniis exercetur, eleemosynis seritur, orationibus fecundatur, ut inter plantationes rigationesque nostras nullius amaritudinis radix pullulet, nec se incrementa cujusque* **297** *noxiæ stirpis attollant, sed, enecato omni semine vitiorum, convalescat seges læta virtutum.* Loquitur hic sanctus pontifex in persona sacrorum præsulum, qui in Dominico agro operarii sunt constituti.

3. Sed et humanæ naturæ infirmitati et corruptioni, quas mordicus Pelagiani dogmatis auctores inficiabantur, sacro baptismatis lavacro mederi ipse S. pontifex sermone decimo septimo docet. Non ita tamen ut, semel divini auxilii virtute originali morbo sanato, ipse homo viribus propriis subsistere queat, ut nullatenus mortalem hanc vitam agens ab adepta justitiæ gratia deflectere possit, et quam sæpissime deflectat. Nam cum natura nostra mutabilis sit, et de peccati labe mortalis, licet etiam jam redempta et sacro baptismate sit renata, in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora proclivis, corrumpeturque carnali desiderio, nisi spirituali muniretur auxilio : *Quia* (aurea sunt ista verba) *sicut illi numquam deest unde corruat, ita semper præsto est unde subsistat.* Nihil ergo sanctissimus noster Leo gratius et utilius suscipere poterat, quam provinciam perpetuo carpendi et incessendi hæreticorum sectas, simulque edocendi populum, ut eorum errores sibi caveret. Propterea nil mirum, si in omnibus fere suis concionibus Pelagianos taxabat, eamque hæresim tanto rationum pondere et Scripturarum auctoritate ita aggrediebatur, ut quamplurimos ad pœnitendum adduxerit.

4. Consulat lector serm. primum in Natali Domini, quem Romana Ecclesia semper in suo Breviario retinuit. Nonne in priori capite omnium hominum non modo, sed infantium etiam Redemptorem Christum Dominum appellat? *Asserit quippe eum esse peccati mortisque destructorem, qui sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et paulo post usurpans Jobi verba illa cap. XIV, 4 : *Nemo mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram* (d), unum ex fundamentalibus hujus hæreseos articulis evertit (e). Consulat etiam cap. 5 sermonis 5 de Natali Domini, quo totis eloquentiæ nervis directe se Pelagio opponit, qui, arrogans et tumidus prætextu humanæ libertatis tuendæ, docebat *Adamum suo lapsu sibi dumtaxat nocuisse, cæteros vero homines nasci in ea naturæ perfectione qua a Deo Adamus fuit conditus* (f). Contra vero S. pontifex catholicæ fidei sacramentum istud esse docet : *Omnes omnino homines in Adamo periisse : ita ut nisi Verbum Dei caro fieret, et habitaret in nobis, nisi in communionem creaturæ Creator ipse descenderet, et vetustatem humanam ad novum principium sua nativitate revocaret, regnaret mors ab Adam usque in finem, et super omnes homines condemnatio insolubilis permaneret, cum de sola conditione nascendi una cunctis esset causa pereundi* (g). Atque tandem, ut pene innumera alia loca missa faciam, consulat lector sextum de Epiphania sermonem, cap. 4, ubi, humanæ conditionis fragilitate descripta, quæ semper in delicta prolabitur, cito minime deceptoriæ voluptati acquiescendum esse demonstrat, *quia nullum sine delectatione peccatum est* (h). Quare tot inter tantasque carnis illecebras, atque ab infernalibus hostibus humana circumventa natura, nullam prorsus homo potest sibi opem sive custodiam nancisci, si a carnalibus desideriis non recurratur ad spirituale præsidium, et mens habens notitiam Dei sui a consiliis se male suadentis hostis avertat. *Quisque autem jam in carnalibus voluptatibus delectatus, atque ab hostibus superatus peccatorum vinculis constringitur, numquam sit de impunitate securus, quia si tempus pœnitentiæ amiserit, locum indulgentiæ non habebit.* Diffidat prorsus propria virtute posse consurgere, aut saltem naturæ motibus se ad justificationem disponere, ut **298** Massiliensium et Semipelagianorum turbæ perperam asseruerunt, *sed confugiat ad auxiliantis Dei clementiam, et vincula malæ consuetudinis ab illo poscat abrumpi, qui allevat omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos. Tunc enim non erit vacua confitentis oratio, quoniam misericors Deus voluntatem timentium se faciet, et dabit quod petitur, qui dedit unde peteretur.* Sed apertius et fortius præterea eosdem Semipelagianos, Pelagianosque impetit et perstringit sermone ultimo de Epiphania, cap. 3,

(a) Serm. 1 in anniversario suæ assumptionis cap. 2.
(b) Serm. 2 cap. 1.
(c) Serm. 11 de jejunio decimi mensis, et collectis 1, c. 1.
(d) Serm. 17 cap. 1.
(e) Serm. 1 in Natali Domini cap. 1.
(f) Similia habet serm. 2 in Natali Domini cap. 5; et serm. 3 cap. 5.
(g) Sibi concinit serm. 6 de Nativ. seq. cap. 3 et cap. 6.
(h) Serm. 6 de Epiphania cap. 4.

ubi, de vera supernaque disserens virtute, asserit eam nullam esse, *nec proprietatem obtinere Deitatis, nisi spiritu visitetur Auctoris; dicente enim discipulis suis Domino : Sine me nihil potestis facere ;* propterea subjicit statim : *Dubium non est hominem bona agentem a Deo habere, et effectum operis, et initium voluntatis.*

5. Sermone tandem 13, qui est Quadragesimæ quintus, novos arietes præparat ad Pelagianæ Semipelagianæque hæreseos exitium, quando videlicet hominum corda superni Spiritus virtute Dei vivi templum fieri probaturus, domorum manufactarum exemplo et similitudine usus est : *Quibus laudabili diligentia providetur, ut si quid aut infusione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipsa fuerit antiquitate corruptum, in integrum cura restituat, ita* (ait) *jugi oportet sollicitudine præcaveri, ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inveniatur immundum.* Sed ab humanis ad divinas superuasque res gradum postmodum faciens, sic ad nostrum intentum mirifice ratiocinatur : *Quamvis enim ædificium nostrum sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio præfuerit Conditoris, tamen quia rationabiles lapides sumus, et viva materies, sic nos Auctoris nostri exstruit manus, ut cum opifice suo etiam is qui reparatur operetur.* Non enim hic Leo humanæ voluntatis divino subsidio suffultæ et adjutæ nisum cooperationem atque liberum consensum excludit, ut postmodum Calvinus, Jansenius, atque Quesnellus improbe nimisque licenter asserere ausi sunt. Nec quidem liberum hominis arbitrium ad instar lapidis, aut alterius mortuæ omnino rei se habere docuit, sed quando gratiæ divinæ motibus excitatur, a Dei obedientia se subtrahere non debet, nec ab illo bono deficere, sine quo bonum esse non potest. Propterea idem sanctus pontifex laudatis verbis hæc subdit : *Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse deficiat, ac si quid impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad jubentem recurrat, qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, et præstet effectum.*

Interim vero cum ista exscriberem, tanta recreabar voluptate, ut nonnisi ægre me aliis similibus quamplurimis referendis abstinuerim. Sed ea prætermittere mihi opus fuit, ne lectoris amici abuterer patientia. Cæterum habet sanctissimus noster pontifex Leo quamplurimas alias sententias apostolici vigoris et auctoritatis plenas, quibus non tantum Pelagiani Semipelagianique quondam divinæ gratiæ hostes perstringi et cohiberi potuere, sed alias et alias quæ Calvinum, Jansenium, Quesnellum incommodant et urgent, et eorum turbas proscindunt. Jam vero de aliis Magni Leonis scriptis opus est disseramus, idque sequenti capite potissimum præstare conabimur.

299 CAPUT VI.

De S. Leonis Magni epistolis ad Januarium Aquileiensem episcopum scriptis contra Pelagianæ hæreseos fautores. Quesnelli agendi ratio in his epistolis adornandis.

1. Age igitur nunc referam animum ad ea quæ canonice a sancto pontifice Leone pro recipiendis in Ecclesia desertoribus clericis Pelagianam hæresim exsecrantibus sancita fuere. Quarto igitur ejusdem pontificatus anno, nec Romæ, nec per Campaniam Pelagiani erroris sibilus amplius audiebatur. Si qui autem hic aut illic hujusmodi tincti fuligine adhuc reperiebantur, vel pœnitentiam agentes amare proprios ejurabant errores, aut saltem gravi pœnarum timore perculsi exterius catholicam fidem profiteri simulabant, et quasi quodam velo propriam obtendere impietatem nitebantur. Hocce postremum in Venetorum provincia S. Septimius Altinensis Ecclesiæ episcopus contingere intellexit, qui cum animadvertisset multos suæ diœcesis clericos specie dumtaxat Pelagianam hæresim exsecrasse, qui postmodum deinde, in catholicorum societatem cum essent admissi, clam et quasi furtim ejuratam hæresim instaurabant, ea de re statim Romanum pontificem suis litteris fecit certiorem. Septimii autem epistolam temporis injuria intercidisse, tum mihi, tum viris omnibus eruditis persuasum est. Nec enim multo impenso studio ad eam perquirendam reperire potuimus. Supersunt adhuc tamen duæ S. pontificis epistolæ ad Januarium episcopum Aquileiensem, Septimii metropolitam, conscriptæ, et ex utraque cum gestarum rerum historia, tum apostolicæ sedis decreta in Pelagianos facillime recognoscuntur.

2. Quod ad priorem epistolam attinet, diu dubitatum fuit ad quem ex Aquileiensibus episcopis scripta fuerit. Veteres editores, quorumdam forte corruptorum manuscriptorum fidem secuti, Nicetæ nomen pro Januario legerunt. Quesnellus deinde illius epistolæ epigraphem edidit mutilatam, et relicto utroque nomine, scripsit dumtaxat : *Epistola ad Aquileiensem episcopum.* Sed ea in re secutum esse Crabbum, Picardum, Isidorum, Coloniensem editionem anni 1551 et nonnullos codd., asseverat. Nos autem (ut dicemus in notis) auctoritate adducti duorum exemplarium Vaticanorum, unius Florentini archetypi, et alterius Vallicellani, optimæ notæ, Januarii nomen intulimus, suffragante etiam nobis manuscripto Aquileiensium episcoporum Chronico, quod exstat in Vaticana bibliotheca, signatum num. 5286, in quo ad rem nostram ista leguntur : « *Januarius fuit* ordinatus anno Domini Jesu Christi 443. *Huic Januario episcopo S. Leo scribit, ut episcopi et reliqui* clericalis ordinis, de Pelagiana et Cœlestiana hæresi ad unitatem catholicam redire volentes, in suis sedibus non restituantur, nisi publice erroribus abrenuntiaverint. » In eodem Chronico, a Dandulo conscripto, pariter de eodem Januario legitur : « Hic in Pola civitate Istriæ natus, et catholicis disciplinis eruditus, et episcopus factus, sua prudentia et doctrina populum sibi subditum, propter instantes persecutiones, multis angustiis circumseptum, ab erroribus conservavit illæsum, in cujus laudem Leo papa sic ait : *Lectis fraternitatis tuæ litteris.*

3. Hisce autem verbis Leo alteram epistolam, quæ anno 447 conscripta fuit, orsus est, ut nota consulari certissime innotescit. Sed cum de canonicis Leonis sanctionibus in causa de qua agimus prius disserere statuerimus, ab illa sermonem ordiri volumus quæ maxime ad evertendos Pelagianos esset aptissima, et apostolicæ sedis auctoritati gravissima. **300** Ejusmodi vero epistola quinque distinctis capitibus ab auctore Leone fuit divisa ; et in priori capite, ut statim ab Aquileiensis metropolitæ animo omnem suspicionem et scrupulum averteret, Romanam sedem videlicet falsis quorumdam rumoribus aures præbuisse, non tantum Septimii episcopi delatoris nomen exponit, sed et acceptæ accusationis exemplaria huic epistolæ subjecit, atque ad Januarium transmisit. Paucis itaque mala omnia, quibus summi pastoris vigilantiæ occurrere opus erat, hisce verbis exprimit : *Relatione sancti et coepiscopi nostri Septimii, quæ in subditis habetur, agnovimus quosdam presbyteros, et diaconos, ac diversi ordinis clericos, quos Pelagiana aut Cœlestiana hæresis habuit implicatos, ita in vestra provincia ad communionem catholicam pervenisse, ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris.*

4. Suggillat post hæc noster Leo segnem quorumdam episcoporum indolem, qui, nimium dormitantes, *Lupos ovium pellibus tectos ovile Dominicum introire sinebant*, atque contra auctoritatem canonum et decretorum ab ipso editorum, errantibus clericis concederent *proprias relinquere Ecclesias, in quibus clericatum aut acceperant, aut receperant, instabilitatem suam per diversa circumferentes, amantes semper errare, et numquam in fundamento apostolico permanere,*

Quot autem, qualiave mala ex ejusmodi canonum violatione in catholicæ societatis detrimentum exorirentur, statim subdit : *Quoniam* (ait) *qui nullo discusso examine, nullo sunt præjudicio suæ professionis obstricti, hunc maxime expetunt fructum, ut sub velamento communionis plures domos adeant, et per falsi nominis scientiam multorum corda corrumpant.*

5. Ad quos vero canones seu decreta a se edita S. pontifex provocare voluerit, nemo hactenus ex tot eruditis viris, qui ejus scripta adornarunt animadvertit vel annotavit. Maximi tamen momenti res est, nec sine gravi animi socordia poterat prætermitti. Ex ea quippe suprema Romani præsulis per universum orbem in ecclesiasticis condendis legibus auctoritas fit exploratior; tum deinde quali quantoque honore apostolicæ sedis statuta ab omnibus aliarum Ecclesiarum pastoribus susciperentur, plenissime innotescit. Inquirentes nos igitur quid S. Leo iis in canonibus, ad quos provocat, definierit, præterea quæ ex Aquileiensi Chronico in præcedentibus laudato, cum ex epistola 12, tum ex sequenti 13, illud intelligere potuimus. In priori quippe, quæ ad Anastasium Thessalonicensem scripta est, cap. 9, de hisce clericis transfugis et errantibus, hæc habet (*a*) : *Alienum clericum, invito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito charitatis inter dantem accipientemque convenerit. Itaque si contra provinciam res agitur, transfugam clericum ad suam Ecclesiam metropolitanus redire compellet. Si autem longius recessit, tui præcepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.* At in altera subsequenti epistola ad episcopos metropolitanos per Achaiam provinciam constitutos, de clericalis vitæ genere et instituto, de sacerdotalis concordiæ vinculo ab omnibus sacris ministris custodiendo, agens, non tantum quæ ad Anastasium scripserat religiose observari mandat, sed cautum præterea voluit, *ut nullus episcopus alterius episcopi clericum sibi audeat vindicare, sine illius ad quem pertinet cessione, quam tamen evidentia scripta contineant, quoniam hoc, et canonum definivit auctoritas, et ipsa servandæ unitatis ratio docet, ne omnino ordo ecclesiasticus per hanc licentiam fiat instabilis.* Post hæc autem eosdem Achaiæ metropolitas hisce verbis apostolico vigore plenis allocutus est : *Altius itaque, fratres charissimi, quæ a nobis piæ mentis affectu decerni perspicitis, in pectora vestra descendant, ut nos, qui sollicite cupimus servare unitatem spiritus in vinculo pacis, præceptionis nostræ fructum percipiamus, et vestræ dilectionis operibus gratulemur.*

301 6. Præterit hic prorsus Quesnellus quæ Leo decernere atque præcipere asseruit, atque ad illas voces conversus : *Quoniam hoc et canonum definivit auctoritas*, serio inquirit ad quos canones ibi S. pontifex respexerit; sed tandem hærens, vel ad 16 Nicænum, vel ad Sardicenses 18 et 19, immo ad Carthaginensis primi concilii canones S. P. respexisse sibi videri asseverat; sed de consensu scripto tradito nullam mentionem in canonibus haberi, sincere fassus est (*b*). Quin ergo conjicit eam disciplinam jam primo a Leone fuisse introductam, cum jam in præcedentium conciliorum et Romanorum pontificum decretis non reperit expressam? Hæc porro consecutio minime dissimulanda aut prætermittenda erat ab homine qui Leonis vitam et gesta studiose ornare sibi instituerat. Nunc autem illa et alia similia missa facere juvat. Tum enim diligentius ac æque disertius a nobis expedienda erunt, cum, plurimum Vaticanorum archetyporum auctoritate ducti, de titulis decretorum papæ Leonis numero 49 erit agendum.

7. Jam vero nostri instituti ratio postulat ut ad Pelagianos, a quibus paululum nostra oratio digressa est, revertamur. S. Leo itaque altero illius epistolæ capite, ad cohibendam effrenem clericorum Pelagianorum audaciam, hosque ut ad nefarii dogmatis exsecrationem adduceret, metropolitæ Januario indixit : *Ut, congregata apud vos synodo provincialium sacerdotum, omnes, sive presbyteri, sive diaconi, vel cujusque ordinis clerici, qui de Pelagianorum Cœlestianorumque consortio in communionem catholicam ea imprudentia sunt recepti, ut non prius ad damnationem sui coarctentur erroris; nunc saltem, postquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ et ipsis prodesse, et nullis possit nocere, cogantur.* Ne cuiquam vero audax callidumque consilium animo insideret sub hypocrisis velo nefarium illius hæreseos virus occulere, atque ut singulis tergiversationibus et dolis aditum præcluderet, jussit *Ut apertis professionibus suis damnarent superbi erroris auctores, et quidquid in doctrina eorum universalis exhorruit Ecclesia detestentur, omniaque decreta synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos apostolicæ sedis confirmavit auctoritas, amplecti se et in omnibus approbare plenis et apertis, ac propria manu subscriptis, protestationibus eloquantur.*

8. Quorum quidem verborum vim et pondus præsentiens Quesnellus, ut malæ susceptæ causæ præsidia pareret, annotatis dumtaxat duabus illius vocibus, *Decreta synodalia*, cæterisque dissimulatis, integrum S. pontificis testimonium in alium omnino sensum nisus est distorquere, ita subjiciendo (*c*) : « Africanæ imprimis Ecclesiæ Milevi et Carthaginis pluries congregatæ. Quæ decreta primum a Romanis pontificibus Innocentio, Zosimo, Bonifacio et Cœlestino approbata sunt : deinde ab œcumenica synodo Ephesina irretractabili decreto, una cum gestis a Cœlestino papa, in eorumdem hæreticorum condemnationem. » Cujus postremæ annotationis vim ut ipse adaugesceret, Ephesinorum Patrum ad Cœlestinum pontificem synodalem epistolam laudat, ea videlicet spe sibi ratus, præcedens assertum magis magisque roborare posse. Lepide quidem Quesnellus, qui in unum multa commiscens, sensim apostolicæ sedis elevat auctoritatem et conciliorum jura supra ipsos Romanos pontifices extollit (*d*). Sed jam dicat, amabo, an Ephesina decreta in Pelagianos edita, apostolica sedes confirmaverit, an non? Quoquoversum, jam scopulos incurrit; nam si hæc apostolicæ sedis auctoritas non confirmavit, illico ex Leonis verbis sequitur hæreticos Pelagianos ad Ecclesiam redeuntes, apertis professionibus suis, quæ ad excisionem illius hæreseos laudata synodus definierat, minime **302** amplecti debuisse. Nec alia decreta synodalia amplecti se, et in omnibus approbare plenis et apertis, ac propria manu subscriptis, protestationibus confiteri tenebantur, quam ea quæ ad excisionem hujus hæreseos apostolicæ sedis confirmavit auctoritas. Si autem dicat ista quoque decreta ab apostolica sede fuisse confirmata, jam nec sibi constaret, cum agens de Chalcedonensi synodo neget hanc potestatem Romanis pontificibus inesse; nec *irretractabile* dicendum est illud *decretum*, quod ante Romani pontificis confirmationem irritum esse poterat.

9. Et quidem qui fit ut Ephesina synodus *irretractabili decreto* præcedentium conciliorum statuta firmaverit, una cum gestis Cœlestini papæ? Historiam annotator ex proprio suo cerebro confingit. Ea quippe in synodo nullibi actum est de robore addendo laudatorum summorum pontificum constitutionibus. Immo ipsi Ephesini PP. veritatis atque justitiæ studio adducti, *irretractabilis judicii* privilegium dumtaxat Romano pontifici convenire asseruerunt. Synodicam enim epistolam hisce verbis ordiuntur..... *Est enim hoc vobis adeo magnis in more positum, ut in*

(*a*) Epistola 12, ad Anastasium Thessalonicensem, cap. 4.

(*b*) Tom. II Operum S. Leonis, in notis et observationibus ad epist. 13, pag. 443.

(*c*) Epist. 6, cap. 2.

(*d*) Quesnellus, tom II Operum S. Leonis, pag. 431, col. 1.

omnibus celebres sitis, studiaque vestra Ecclesiarum fundamenta constituatis. Non itaque Ephesini Patres fidei firmitatem arroganter sibi tribuunt, sed aiunt : *In more positum, ut Romani pontifices in omnibus celebres sint, studiaque sua Ecclesiarum firmamenta constituant.* An suspicandum erit laudatos Patres conciliorum generalium jura ignorasse? Illa videlicet jura quæ in sequentibus sæculis a quibusdam pseudogmatistis conficta sunt? Ignorarunt, inquam, quia divino afflati Spiritu, ita a Romanorum pontificum nutibus, commonitoriis atque decretis pendebant, ut nedum grave facinus ab iis vel leviter resilire putaverint; verum etiam, gravioribus exurientibus causis, apostolicam sedem tamquam cæterarum Ecclesiarum matrem atque magistram perpetuo habendam esse, et docuerint atque crediderint. Incassum itaque Quesnellus sibi effugium parare studuit, ad illa verba provocans, quibus Ephesini PP. cum synodicam epistolam claudunt, dicentes : *Porro autem, perlectis a sancta synodo Commentariis Actorum in damnatione impiorum Pelagianorum et Cœlestianorum, Cœlestii, Pelagii, Juliani, Flori..... quæ a pietate tua de ipsis decreta et constituta sunt, judicavimus et nos ea solida, firma permanere debere, et idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis sive damnatis habentes.* Et quid effugii ex hisce parabit, cum novos scopulos offendens, in alios quoque incidit, quibus magis atque magis obstringitur?

10. Ea enim in synodo Actorum Commentaria in impiorum Pelagianorum Cœlestianorumque condemnationem lata, dumtaxat lecta et publicata fuere; et PP. illi ea quæ jam Cœlestinus papa decreverat, firma et solida esse affirmarunt. Quid inde vero? Num propterea sola eorumdem Actorum lectio, vel unanimis ille PP. consensus, quo pro depositis et damnatis ubique ii haberentur quos Romanus pontifex damnaverat et deposuerat, tanti roboris esse potuerunt, ut *firma et irretractabilia* apostolicæ sedis decreta redderentur, si talia reipsa non fuissent? Novum plane versutiæ commentum. Quod ut cum summa sui auctoris ignominia eripiamus, S. pontificis Cœlestini scopum et finem in iis ad concilium dirigendis Actis opus erit animadvertamus. Neque enim Romanus pontifex per suos legatos ad concilium ejusmodi gesta ut robur et firmitatem acquirerent transmisit, sed dumtaxat ut magis evulgarentur et celerius exsecutioni traderentur. *Direximus* (ait) *pro nostra sollicitudine sanctos fratres, et consacerdotes nostros unanimes nobis, et probatissimos viros Arcadium et Projectum episcopos, et Philippum presbyterum nostrum, qui iis quæ aguntur intersint, et quæ antea a nobis statuta sunt, exsequantur; quibus præstandum a sanctitate vestra non dubitamus assensum* (a). Nullus itaque hic sermo est de apostolicæ sedis *statutis firmandis*, **303** sed solummodo de iis *exsequendis*; quod munus cum ad inferiores et subditos spectet, minime affirmandum est Cœlestini papæ gesta in Pelagianorum condemnationem ab Ephesinis Patribus robur et firmitatem obtinere potuisse. Alioqui omnes imperatorum, regum, supremorum magistratuum constitutiones et jura, ab iis in robore et firmitate maxime penderent quibus eorumdem exsecutionis cura demandari solet.

11. Multa præterea de Africanis, Milevi et Carthagine canonibus noster Quesnellus comminiscitur. Multa de Innocentii, Zosimi, Bonifacii decretis, quæ ab eadem Ephesina synodo irrevocabili sanctione confirmata asseverat. Sed quid in scenam novator affert? Milevi imprimis concilii Patres nullos prorsus edidisse canones, jam sapientiores theologi ex synodica ad Innocentium papam intellexerunt, ut in superioribus etiam, ex Dionysio Petavio, observavimus. Nam cum laudati Patres apostolicam sedem super impias Pelagianorum disputationes consultam voluissent, ne ipsis ad negligentiæ culpam silentium verteretur, primo nova hæreseos figmenta, sine ulla prorsus verborum exaggeratione, indicant; tum errorum architectos *in Ecclesia sanari maluisse*, quam desperata salute ab *Ecclesia* resecari, si *necessitas* nulla compelleret, asseverant. Falsitatem igitur impietatemque maximam in Pelagianorum dictis subodorati, nec tamen hæreseos principibus anathemata dixerunt, sed eorum judicium apostolicæ sedi reservandum judicarunt : *Quia te Dominus* (ita episcopi illi apud Milevum congregati epistolam suam ad Innocentium exordiuntur) *gratiæ suæ præcipuo munere in sede apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem quæ pro Ecclesia sunt suggerenda tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris.* Et in fine ejusdem epistolæ ita eumdem pontificem Innocentium compellant : *Sed arbitramur (adjuvante misericordia Domini Dei nostri Jesu Christi, qui te et regere consulentem et orantem exaudire dignatur) auctoritati sanctitatis tuæ de clare Scripturarum lumine depromptæ, facilius eos (qui tam perversa, et perniciosa sentiunt) esse cessuros, ut de correctione potius eorum gratulemur, quam contristemur interitu, beatissime pater.* Hæc Milevitani Patres ad S. Innocentium scripsere, ex quibus non tantum nullos tum editos canones, sed nec de iis condendis cogitatum fuisse, perspicue intelligimus.

12. Demus tamen præcedentem epistolam non percurrisse Quesnellum, sed, aliorum persuasione deceptum, canones illos qui sub Milevitani concilii nomine circumferuntur genuinos existimasse. Quare igitur deinde, nulla auctoritate adductus, confingit hos canones ab Innocentio primum, tum ab Ephesina synodo *irretractabili decreto* fuisse firmatos? Sibi ergo effutienti magnam licentiam vindicat Quesnellus, ut quodcumque pontificiæ auctoritati et Ecclesiæ regimini maxime repugnans suo jure audeat defendere. Sed ad Carthaginensium conciliorum canones in eamdem Pelagianam hæresim prolatos jam nostra se vertat oratio.

13. Quid novæ igitur œconomiæ in iis habetur? Nihil prorsus, quod apostolicæ sedis lædat auctoritatem; immo sexaginta septem episcopi, qui post Diospolitanam synodum apud Carthaginem anno 419 convenere, quæ in Pelagianos secundo definierant pro *tuenda salute* multorum, et quorumdam perversitate *corrigenda*, prorsus infirma esse dixerunt, nisi ad iis robur adjiciendum suprema apostolicæ sedis auctoritas accederet. *Hoc itaque* (aiunt Patres Carthaginenses ad Innocentium) *gestum, domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum et quorumdam etiam perversitate corrigenda.* Hujus **304** porro concilii Acta excidisse, synodorum collectores annotarunt. At vero cum inter Augustini epistolas, tum in Conciliorum collectione, Innocentii papæ ad Carthaginenses et Milevitanos Patres rescripta asservantur, quibus haud dubie constantius nihil, nihilve firmius pro Romanæ sedis juribus asserendis desiderari potest. Quare hic minime præterire possumus quæ Quesnellus omnino dissimulavit, ne ejus causa pessum iret. Igitur Innocentius primo Carthaginensium Patrum religionis vigorem laudibus ornat, quod *non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium. Scientes* (subjungit) *quid apostolicæ sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit; quem sequentes tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id vero quod, Patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda, quod*

(a) Exstat tom. III Conc. p. 470, eamque variis et eruditis notis Sirmondus adornavit.

illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ (veluti de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, et per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cœno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret.

14. Hisce ergo verbis Quesnellus se jugulatum esse non sentit? Animadvertat, amabo, tria in his verbis jacula contineri, quæ eum confodiunt, omnesque suæ versutiæ machinas impetunt atque subvertunt. Primum videlicet episcopatus nomen, omnemque illius auctoritatis rationem ab apostolica emergere sede, cui de fidei causis judicare semper fuerat reservatum. Secundum, *Sanctos Patres non humana, sed divina decrevisse sententia ejusmodi causas, quamvis in disjunctis remotisque provinciis agitatas, non prius ducerent finiendas, nisi ad hujus sedis notitiam pervenirent, ut tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur.* Tertium denique, cæteras omnes Ecclesias ab hoc unico apostolicæ sedis fonte catholicam haurire debere doctrinam, ex qua tamquam ex puro capite Christi et apostolorum sapientia dimanat. Nonne itaque tria hæc Quesnelli commenta plane rescindunt? Quorsum fieri potest ut omnes cæterarum regionum Ecclesiæ in unum per pastores congregatæ apostolicæ sedis sanctionibus tribuant firmitatem? Impossibile id enim est. Nam nec membra capiti, a quo dependent, vim et robur adjiciunt, nec rivulorum aquæ fontium a quibus deducuntur nitorem atque dulcedinem possunt augere. Arenæ ergo semina mandat Quesnellus, confingens Romanorum pontificum decreta in Pelagianam sobolem edita Ephesini concilii sanctione irrevocabilia effecta fuisse.

15. Sed jam hujusmodi tricas prætermittamus, luculentius denuo de iisdem acturi, cum ad refellendas non absimiles Quesnelli contentiones, de Chalcedonensi concilio sermonem habebimus. S. Leo itaque catholica de gratia Christi dogmata tertio jam ejusdem epistolæ capite exponit, atque Apostoli testimonio, ad Ephesios II, 8, innixus, talem tantamque humanæ naturæ originali labe sauciatæ infirmitatem inesse exaggerat, *ut quævis bonorum operum donatio divina sit præparatio, quia non prius quisquam justificatur virtute, quam gratia, quæ unicuique principium justitiæ, et bonorum fons, atque origo meritorum est.* Eidem Januario præterea, capite quarto sequenti, optimi vigilis partes accuratius obeundas commendat, *ne per hujusmodi homines exstincta dudum scandala suscitentur, et de exciso olim dogmate aliquid in Aquileiæ provincia ejusdem mali germen exoriatur.* Tum ecclesiasticæ disciplinæ rigorem erga Pelagianos pœnitentes aliqua ratione volens moderatum, perfecte **305** correctos, datis prius sinceræ obedientiæ signis, in Ecclesiam retineri mandat. Eos vero qui, indulgentia abutentes, Romanæ sedis præceptis erant reluctaturi, e clericalibus ordinibus primum dejectos a catholicorum societate procul amandandos definivit.

16. Quinto demum capite illam ecclesiasticæ disciplinæ partem in integrum revocat, qua olim cum a SS. Patribus, tum a se ipso fuerat stabilitum: *Ut nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus ordine, nec in subsequenti officio clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum.* Qui autem, quovis ductus colore, ubi ordinatus est perseverare renuerit, ita ut, sua quærens, *non quæ Jesu Christi, ad plebem et ad Ecclesiam suam redire neglexerit, et ab honoris privilegio, et a communionis vinculo habeatur extraneus.* Atque hanc epistolam claudens, gravioribus usus verbis sincere fassus est se vehementius commovendum, si quæ pro custodia canonum et fidei integritate decreverat, negligerentur: *Quia inferiorum ordinum culpæ* (ait) *ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.* Hocce S. pontificis decretum postremum obtinet locum in manuscripta illa collectione, quæ in Vaticanis codd. inscribitur: *Tituli decretorum papæ Leonis.* Numero enim 49 legitur: *Leo episcopus, de conservatione et disciplina canonum, ne indebite et inordinate ad clericatus aliquis præsumat accedere.*

17. Laudata hactenus epistola consulari nota cum careat, omnibus fere præcedentibus scriptoribus ut scopulos offenderent præbuit occasionem; quos tamen difficile nos declinare potuissemus, si eam cursim et properanter (ut fieri solet) legissemus. Ad Quesnelli opinionem quod attinet, censuit, *ad nullum aliud tempus referendam quam ad 444* (a). Quesnello autem subscripserunt Dupinius, Tillemontius et novissime R. P. Bernardus de Rubeis Dominicanæ regularis familiæ cultor eximius, in celebri opere De Monumentis Aquileiensis Ecclesiæ. Serius autem eam epistolam scripsisse eminentissimus cardinalis Norisius asseverat, dicens: « hanc epistolam ad Januarium anno 447, et quidem ante quartam quæ Januario eidem inscribitur, fuisse exaratam. » Nos vero, quin alterutram in partem moveamur, adhuc tamen genuinum hujus epistolæ tempus indicabimus. Nam, ut antea observatum est, S. pontifex primo et quinto hujus epistolæ capite Januario canones jam alias a se editos pro clericis hæreticis recipiendis observari mandat. Ejusmodi porro canones cum in duodecima, tum in tertia decima epistola expressos legamus, idcirco sequitur epistolam quæ in Quesnelli editione sexto loco ponitur, duabus illis, videlicet duodecima et tertiadecima esse posteriorem. Duodecimam autem epistolam, quamvis consulari nota careat, tamen in annum 445 rejiciendam esse evidentissime ex altera sequenti intelligitur, quæ cum ad episcopos metropolitanos per Achaiam provinciam fuerit scripta *octavo idus Januarii, Aetio et Symmacho viris clarissimis consulibus*, qui est Christi annus 446, et in ea mentionem habeat de iis quæ in præcedenti ad Anastasium scripserat; ideo duodecima ad annum 445 referenda est. Quesnelli ergo, Tillemontii aliorumque opinio affirmantium sextam epistolam anno 444 fuisse a S. Leone exaratam, non tantum nutat, sed prorsus concidit, et propterea verisimiliorem Norisii sententiam esse arbitramur, qua in annum 447 eam rejecit.

18. Neque obest alteram Leonis epistolam ad Januarium eodem anno scriptam fuisse. Quid enim? Repugnatne Romanum pontificem duodecim mensium spatio duas ad eumdem Italiæ episcopum, gravissima urgente causa, ut isthæc erat, epistolas mittere potuisse? Nonne postrema conscripta **306** fuit anno 447 exeunte? data quippe est III *kalend. Januarii, Alipio et Ardubare viris clarissimis consulibus.* Potuit ergo pontifex priorem epistolam ad Januarium scribere vel in exordio, vel circa ejusdem anni medium, præsertim cum tanta non sit ab Urbe ad Aquileiam itineris distantia, ut etiam quinque aut sex mensium spatio plurium eos inter litterarum commercium intercedere non potuerit. Ex quibus constat neque has conjecturas infirmari, etiamsi altera ad Januarium epistola kalend. Julii edita fuisset, ut plerique manuscripti codices habent. In re tamen hac exploratissima diutius haud immorabor.

CAPUT VII.

De aliis atque aliis scriptorum opinionibus circa præcedentes S. Leonis epistolas. Nostra autem statuitur.

1. Ad graviora igitur nostro sermone converso, quid recentioribus scriptoribus tantarum disceptationum causam dederit, paucis indicabimus. Ut itaque

(a) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis, ad epist. 6, pag. 430, colum. II.

scriptores in diversas opiniones abirent, causam obtulerunt unius atque ejusdem epistolæ duo exemplaria. Unum Septimio Altinensi episcopo, alterum Januario Aquileiensi inscriptum, quod prorsus a S. pontificis eloquentia doctrina et scribendi ratione alienum judicarunt. Qua deinde rati persuasione, alterutrum veluti spurium et supposititium rejiciendum esse acerrime contenderunt. Norisius tamen, libro II Pelagianæ historiæ utrumque exemplar Leoni adjudicavit, scribens : « Nam cum Januarius Leoni rescripsisset, accepta videlicet priori illa epistola (de qua nos in præcedentibus), se omnia ex ipsius mandato acturum, cogendo hæreticos ad publicam erroris detestationem, voce et scripto insuper firmandam, Leo binas ejusdem exempli litteras misit ad Septimium, quibus ei significabat quæ Januario mandasset, et ad Januarium, quibus gratulabatur quod imperata prompte facessebat. » Cum autem hæc scriberet Norisius, se nondum in scenam Quesnellus produxerat. Is namque in postrema Operum divi Leonis editione, libratis utriusque epistolæ notis et characteribus, a priori sensu recedens, multo opere ejusdem eminentissimi Norisii conjecturas impetit atque refellit, contendens hujus epistolæ exemplum Altinensi episcopo inscriptum multa suppositionis argumenta præseferre, et idcirco falso omnino nostro pontifici esse adjudicatum.

2. Aliter autem Joseph Anthelmius ratiocinatus est, cum censuit omnia suppositionis argumenta a Quesnello prolata contra epistolæ exemplum Altinensi episcopo inscriptum, retorquenda esse potius in aliud exemplar Januario Aquileiensi nuncupatum, istudque tamquam spurium et apocryphum esse rejiciendum. Nodum igitur quoquoversum dissolvendum nos offendisse quis non videt? idque ea maxime de causa, quod posteriores clarissimi scriptores, Tillemontius, videlicet, Dupinius, Pater Bernardus de Rubeis et alii, si qui sunt, aut in alterutram partem moventur, aut saltem, nihil prorsus definientes, suspensi hærere maluerunt quam temere quidquam asseverare, temporis decursu inde sperantes veritatem nondum satis compertam, uberiori monumentorum copia aliquando accedente, clarius esse patefaciendam. Interim autem conjecturis minime aberrasse Norisium asserere ausim, qui scripsit utrumque illius epistolæ exemplar ex Leone prodiisse, quorum unum reipsa Januario inscripsit, alterum Septimio Altinensi, ut forte is inde intelligeret, tum metropolitam Januarium omnes sui studii nervos in Pelagianorum clericorum exitium intendere, tum ipsum Romanum pontificem Leonem, apud quem Pelagianos **307** clericos Aquileienses Septimius postulaverat, quæ jam ad fidei integritatem necessaria videbantur præcepisse. Ejusmodi porro sensum Norisii verba paulo ante laudata, etiam absque ulla insipientiæ aut fictionis nota subire posse nobis persuasum est. Nec insolens, neque a Leonis agendi consuetudine aliena isthæc œconomiæ ratio judicanda est. Siquidem acceptis a Septimio Altinensi epistolis circa Pelagianam luem in Aquileiæ provincia grassantem, harum exemplar Januario metropolitæ transmisit, ut priorem ad hanc epistolam iis verbis orsus sit : *Relatione sancti fratris et coepiscopi nostri, quæ in subditis habetur, agnovimus quosdam presbyteros, diaconos* (a). Quare igitur huic exemplo insistendo, alienum a Leonis agendi ratione judicabitur, ut is accepto Januarii rescripto, istud pariter una cum quartæ decimæ, seu postremæ epistolæ exemplari Septimio commiserit, ea de causa potissimum, ut is quoque sui metropolitæ *fidei vigorem, pastoralem curam, et apostolicæ sedis monita*, atque sanctiones apprime cognosceret? Oportebat profecto Leonem ad Septimium, a quo præcedentem relationem acceperat, rescribere; et tunc præsertim, cum, jam lectis Januarii *litteris*,

A *vigorem fidei, quem* olim noverat, probavit, et propterea summi pontificis œconomiæ ratio esse potuit, ut quemadmodum prius Septimii relationem, ut jam diximus, priori sua epistola Januario provinciæ Aquileiensis metropolitæ commisit; ita, accepto hujus responso, et istud Septimio commiserit, subjecto illi hujus postremæ epistolæ exemplari, ut hactenus gesta, et quæ in posterum exsecutioni demandanda erant pro coercendis illius provinciæ Pelagianis, prænosceret. Cæterum ego nefas fore arbitror suspicari secundam hanc epistolam de qua agimus, ad Januarium conscriptam, commentitiam esse. Eam enim tamquam genuinum Leonis fetum laudat antiquissimus collector Dionysius Exiguus; eam ut genuinam Ecclesia Aquileiensis semper in suis archiviis asservavit, ut ex manuscripto Vaticano Chronico nos ipsi jam diximus : atque denique isthæc habet omnes notas et characteres quibus non alicui suffraganeo, sed provinciæ metropolitæ eam datam fuisse sufficientissime innotescit.

B 3. Verum cum hisce conjecturis adhæreo, minime inficiabor alterum exemplar Septimio commissum, et in Altinensis Ecclesiæ archiviis quandoque forte repertum, aliquam corruptionis fraudem fuisse passum. Istud suos habet nævos, ex quibus laudati scriptores aliqua suppositionis indicia in eo subolere contendunt. Cujusmodi illa sunt : *Ad metropolitanum episcopum provinciæ Venetiæ scripta direximus*; vel alia illa, quæ immediate subduntur (b) : *Quibus ad status sui periculum cognosceret pertinere*, quæque, auctore Quesnello (c), nec ætatem, nec stylum S. Leonis redolent, quamvis reipsa *illius generis non* sint, ut etiam ab omni suppositionis nota vindicari non possint. Ac primum Altinum urbs florentissima olim fuit in Venetiæ littore ædificata, ut ex Plinio, Martiali, Tito Livio, atque antiquis geographorum tabulis exploratum est. Quare commode verba illa, ad *metropolitanum.... provinciæ Venetiæ*, potuerunt usurpari ad clarius designandam provinciam in qua C situm erat Altinum, præsertim cum Leonis ævo metropolitanus Aquileiensis, non unius, sed plurium provinciarum urbes et episcopos sibi subjectos haberet. Sedem deinde episcopalem Altinum habuisse, conciliorum Acta abunde testantur. Siquidem Aquileiensi synodo, anno Domini 381, sub Damaso papa coacta, inter cæteros episcopos Italos, Gallos et Pannonicos, qui illuc convenerunt, Heliodorus quoque episcopus Altinensis interfuit. Anno Domini præterea 579 coacta apud Gradum synodo, ad eam convenit Altinensis episcopus. Quinto namque loco legimus : *Petrus episcopus sanctæ Ecclesiæ Altinatis his gestis subscripsi*. De qua synodo egit Ughellius tom. V Italiæ **308** Sacræ. Acta quoque pseudosynodi Maranensis hujus Petri Altinensis habent mentionem, ut constat ex Paulo diacono, lib. III, cap. 27, quando videlicet anno 589 Severus patriarcha Aquileiensis sui erroris obtulit libellum. Quare maxime allucinari Quesnellum asserendum est, qui audentius scripsit (d) : « Notitia episcopalis sedis Septimii æque obscura manet D ac si numquam hæc epistola innotuisset. Septimio eam sedem attribuit impostor epistolæ artifex, quæ in mentem venit, ac prout fraudis suæ consilio melius conducere putavit. Revera nihil ab Ughellio de Altinensi hujus nominis episcopo in antiquis monumentis inventum, quandoquidem de eo nihil in Italia Sacra legitur. » Quam lepide imponit Quesnellus, qui pro asserenda Septimio Altini episcopali sede ex Ughellio testimonium exposcit! Si enim, Dandulum secutus, sermonem dumtaxat orditur ab excidio urbis Altini, quando videlicet Paulus hujus urbis episcopus sedem transtulit Torcellum. Sed hac in re cum Dandulus, tum Ughellius lapsi sunt. Siquidem eam translationem ab episcopo Paulo anno 631 factam contendunt, quem mense sequenti obiisse asse-

(a) Epist. 6, ad Januarium.
(b) S. Leo, epist. 7, cap. 1.
(c) Quesnellus, tom. II, pag. 432.
(d) Ibid., pag. 437, col. 1.

verant. Nos tamen in Actis Romani concilii sub Agathone pontifice legimus : *Paulus episcopus sanctæ Ecclesiæ Altinensis provinciæ Istriæ, in hanc suggestionem, quam pro apostolica nostra fide unanimiter construximus, similiter subscripsi.* Hoc autem concilium Romæ habitum fuisse anno Domini 680, neminem latere arbitror, nec alius quisquam hujus nominis episcopus in Ughelliano catalogo recensetur. Neque pariter obsunt duæ illæ voces, *Istriæ provinciæ*: nam antea, Italiæ rebus afflictis, et vivo adhuc Leone obsidione capta Aquileia, soloque ab Attila Hunnorum rege æquata, tum *Gothorum incursu* et cæterorum Barbarorum furore quinto labente sæculo iterum quassata, atque demum anno 579 Aquileienses episcopi *Longobardorum nefandæ gentis flagella minime sustinere valentes*, Romani pontificis Pelagii decreto et auctoritate, metropolitanam illam sedem Gradum transtulerunt, et tunc *Gradense castrum totius Venetiæ et Istriæ metropolim, suffraganeis consentientibus episcopis, factum fuit* (*a*). Quod si novæ Aquileiæ episcopus provinciarum Venetiæ et Istriæ metropolita appellabatur, cur iisdem nominibus insigniri non potuit antequam vetus Aquileia tot clades subiret? tum quoque Aquileiensis antistes provinciæ Venetiarum verus erat metropolita.

4. Nullam præterea olent suppositionem verba illa, *quibus ad statum sui periculum cognosceret pertinere.* In Leonis utique ætatem et stylum optime quadrare ii minime ibunt inficias qui norunt vel Leonem sexta epistola ad Januarium scripsisse (*b*) : *Non autem dubitet dilectio tua, nos, si* (*quod arbitramur*) *neglecta fuerint quæ pro custodia canonum et pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos.* Totidem verbis utitur etiam in quartadecima epistola, quæ quidem minas et futuram pontificis indignationem indicant, si Januarius metropolita apostolicæ sedis decreta negligentiæ ac contemptui tradidisset. Nec enim primorum Romanorum pontificum auctoritas in corrigenda coercendaque inferiorum episcoporum dissidia atque defectibus angustis finibus concludebatur, ut eos dumtaxat comprehenderet qui ad *synodum Romanam* tunc pertinebant, vel ad eos qui ab eodem *Romano pontifice ordinabantur*, ut effutivit Quesnellus (*c*). Longe enim lateque in universi orbis episcopos diffundebatur, ut eos Romani pontifices admonerent, corriperent, atque communione privarent; quod sexcentis exemplis ex Leonis prædecessoribus asserere possemus, nisi nostra hæc dissertatio longius quam par est progrederetur. Percurrat, amabo, Quesnellus, dumtaxat, quæ noster Leo habet in epistolis ad Anastasium Thessalonicensem,
309 ad Flavianum et Anatolium Constantinopolitanos, Juvenalem Jerosolymitanum, ad Turribium Asturicensem, ad Viennensis provinciæ episcopos, ad Theodoritum Cyri, qui omnes quidem, nec *ad Romanam synodum* pertinebant, nec a Romanis ordinabantur *pontificibus*. Eos tamen aut corripit, aut admonet, aut communione privat, vel absolvit, e sedibus dejicit, aut iisdem restituit, quæ argumento sunt (*d*). *Quod de forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil usquam a capite dissideret.* Ex quibus aliisque gestis istuc Quesnelli assertum cadit : *hujusmodi minis Leonem uti vel consuevisse in metropolitanos episcopos.* Ab iisdem vero haudquaquam se Leo abstinuit, causas cum episcopis Orientalibus agens; quanto magis igitur iisdem uti potuit negotium cum

A Aquileiensi metropolita Romano patriarchatui immediate subjecto pertracturus ?

5. Verum se adhuc in scenam Quesnellus reducit, contra Norisium contendens suppositionis esse argumento quod duo illa exemplaria adamussim sibi non respondeant. In altero autem, Januario nuncupato, nonnullæ voces, quæ necessariæ videntur, fuerunt excisæ : *Quales sunt istæ*, *de Pelagianorum et Cœlestianorum consortio.* Deinde, subjicit, de redeuntibus ab hæresi clericis aliqua decernuntur in epistola ad Januarium quæ in altera non apparent, *ne, videlicet, ad superiorum ordinem promoveantur*, *sed in eo quem adepti sunt perseverare sinantur.* Hac in re a Quesnelli critice omnino non abhorreo, idcirco tamen Norisianas conjecturas labare aut concidere minime inducor ut credam. Nam quæ a Quesnello objiciuntur argumento dumtaxat esse possunt alterutrum illius epistolæ exemplar aut vulnus quoddam esse passum, aut aliqua mantissa adauctum, quæ quidem haud fa-
B cile cognosci possunt, potissimum cum vetustissima interciderint exemplaria, quorum subsidio purior et castigatior ea epistola in lucem prodiret.

CAPUT VIII.

Divi Leonis epistola 14, ad Januarium Aquileiensem, ad examen revocatur, et Quesnelli nugæ rejiciuntur.

1. Ne quidem eorum quidquam prætereamus quæ ad Leonis contra Pelagianos gesta pertinerent, novissimo loco argumentis epistolæ quartadecimæ dumtaxat opus est insistamus, quam ad Januarium episcopum Aquileiensem scripsit. Sed in primis minime verendum est Januarium adamussim Leonis mandatis non obtemperavisse. Cumulatius enim in corripiendos Pelagianos clericos operam impendisse, ex ejus rescripto Leo intellexit. Quare, ad augendam magisque illius vigilis pastoris curam excitandam, S. pontifex eidem gratulatur *quod ad custodiam gregis Christi pastoralem curam vigilanter exsequeretur*, *ne*
C *lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali sævitia simplices quosque dilacerarent ; et non solum ipsi nulla correctione proficerent*, *sed etiam ea quæ sunt sana* corrumperent. Ejusmodi porro phrasi Pelagianos taxare et impetere S. pontificem voluisse, haud ambigendum est. Simili namque allegoria totidemque fere verbis, sextæ epistolæ primum caput orsus est, ut ipsi in præcedentibus annotavimus. Subdit deinde *ad animæ periculum pertinere, si* **310** *quisquam de his qui a nobis in hæreticorum et schismaticorum sectam delapsus, et se utcumque hæreticæ communionis contagione macularit*, *resipiscens, in communione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur.* Cum autem hisce malis cuperet mederi, saluberrimas Januario regulas observandas præscripsit ; videlicet, ut clerici Pelagiani juxta canonum constitutionem, omnem majoris promotionis spem amittant, sed in quo inveniuntur ordine stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati.

D 2. Postremis hisce verbis Quesnellus insistens, ista annotando subjecit : « Hanc exceptionem addit forte, attendens canones Africanos, cujus 27 collectionis Africanæ legitur : *Neque permittendum*, *ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.* » Lepida annotatio suo quidem auctore digna. An ergo censendum apostolicam sedem in rebaptizatorum causis Africanos canones attendere voluisse aut potuisse? qui id fieri potuit, si jam diutius ab Africanis episcopis, rebaptizantium errore propugnato, schisma magnum horrendumque conflatum fuerat, quod nonnisi sub nova baptismi collatione homines, vel ex hæresi ad Ecclesiam venientes, vel ab hæreticis baptizatos

(*a*) Gradense concilium, tom. VI Conc., p. 651.
(*b*) Pelagii epist., tom. VI Conc., pag. 652.
(*c*) Tom. II Operum S. Leonis, pag. 432, colum. 2, num. 3.
(*d*) S. Leo, epist. 12, cap. 11.

reciperent? Sed eum errorem maxima sollicitudine apostolica sedes præcavere atque delere laborans, quemadmodum rebaptizantibus communicare detrectabat, ita nec ipsos rebaptizatos ad sacros clericales ordines promovere sinebat, ut a simili jubet ratiocinari. Clynici siquidem (hoc est qui baptizabantur in lecto), eodem sæculo, quamvis nullo sacrilegio ut rebaptizati labefactarentur, tamen per ecclesiasticam legem a Cornelio latam, ut ait Eusebius (a), a sacris altaris ministeriis arcebantur. Multo magis igitur hocce irregularitatis vitio seu impedimento obstringebantur *qui iterata tinctione fuerint maculati*, præsertim cum eo sæculo, sub Cornelio primum, tum sub Stephano, Romanis pontificibus, eadem rebaptizantium quæstio jam sopita, iterum tum apud Afros recruduerit.

3. Demus tamen nihil ab hisce duobus pontificibus fuisse definitum; quid inde? Dissimulabit forte Quesnellus quæ Romana synodus sub Damaso papa sancitum ivit? Dolendum quidem est Acta illa ad nos non pervenisse, sed supersunt illorum Patrum synodicæ litteræ, quibus *per Africam rursum sacrilegos rebaptizatores grassatos esse intelligimus, quos etsi Gratiani et Valentiniani imperatorum auctoritas expulisset, tamen ab expulsis Claudianus anno 363 fuerat ordinatus, et ad perturbandam Romam quasi episcopus destinatur* (b). Cum itaque Romani concilii PP. ab utroque facinore abhorruerint, a rebaptizatione, videlicet, et a rebaptizatorum ordinationibus, qui fieri potuit ut jam in Romana Ecclesia irregularitatis leges in rebaptizatos non obtinuerint? Ex hoc uno profecto ariete prorsus cadit subdola Quesnelli annotatio, qua sensim vellet persuasum lectoribus apostolicam sedem quandoque aliarum Ecclesiarum factam pedissequam, ut leges, canones ab iis fuerit mutuata. Occasionem deinde arripere studet confingendi ex suo ingenio argumenta, quibus Romanæ Ecclesiæ adjudicare possit illum canonum codicem quem ipse altero tomo Leoninorum Operum publici juris fecit, notis et dissertationibus adornatum. Sed animum denique impostor advertat, Romani concilii synodicam tum fuisse ad imperatores scriptam, quando de Africano 27 illo canone nondum fuerat excogitatum; illa enim referenda est in annum 378 et laudatus canon editus fuit in concilio quinto Carthaginensi anno 398 coacto. Verum si non Quesnellus his fidem adhibere vult, Basilio saltem subscribat, qui in epistola ad Amphilochium, can. 47, **311** Romanam Ecclesiam in rebaptizatorum causis suos habuisse canones asseverat.

4. Sed jam ad Leonem revertamur, qui, antequam epistolam clauderet, Januario primo ob fidei vigorem gratulatur, tum alia nonnulla exsequenda suggerit, ob quæ maximam contentionum tempestatem idem Quesnellus jam excitavit. Aquileiensi itaque episcopo S. Leo præcepit ut curam suam apostolicæ sedis dispositionibus jungat et det operam ut *circumspecte atque velociter impleantur quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem et laudabiliter suggesta sunt atque ordinata.* Censorium stylum hic Quesnellus stringit, gravius in libri auctorem invehens qui de episcopis canonice judicandis inscriptus est. « Miror (ait) supinitatem scriptoris duplici istius et quartæ epistolæ loco abutentis. Canones, inquit, de non promovendis ad superiorem clericatus gradum his qui ab hæresi ad communionem catholicam revertuntur pro universa ubique Ecclesia conditos fuisse testantur hæc Leonis verba : *det operam ut circumspecte.* » Quia vero illius libri auctor subjecerat : « Nec inter Nicænos canones ejusmodi numerantur, nec in toto Justelli codice reperiuntur; erant igitur præter Nicæna decreta alia quædam, quibus et Januarium astringi volebat S. Leo, quæque universæ Ecclesiæ in disceptandis rebus ecclesiasticis in usu erant. » Quia hæc, inquam, laudatus auctor subjecerat, idcirco Quesnellus inclementius eum impetens, hæc addit : « Quænam hæc hominis oscitantia, ut de canonibus verba hæc interpretari voluerit. Nonne sole meridiano clarius est legenti ea, *quæ laudabiliter suggesta esse dicuntur* de litteris vigore fidei plenis, quas scripserat Januarius, ad S. Leonem esse intelligenda; *quæ vero salubriter ordinata*, de hoc ipso S. Leonis rescripto quo canonum constitutiones præcipit custodiri? » Cum igitur Quesnellus hisce verbis laudati libri auctorem insectatur, quamplurima alia simul congerens, ut Leonis verba in alienum sensum distorqueat, longius a propositæ quæstionis scopo abscedit. Nec enim vetustissimam Ecclesiæ consuetudinem, nec ejus canones pro recipiendis hæreticis pœnitentibus recensuit, aut patefecit. Sed nostrum Leonem de particulari aliqua *dispositione*, seu lege ab ipso lata pro recipiendis in Ecclesia clericis ex hæresi Pelagiana redeuntibus, agere, ejus phrasis et scribendi ratio præcipue produnt.

5. Nam quamvis ea de re S. pontificis ævo multæ canonum sanctiones editæ fuerint, harum nulla tamen (si isthanc Leonis epistolam excipiamus) ejusmodi clericis majoris promotionis spem propterea ademit. Quare merito Quesnellum incassum conatum arbitramur, cum eam legem ex octavo Nicæni primi concilii canone deduci posse asseveravit. Nihil enim in eo canone offendimus quod ad perpetuum hocce irregularitatis vitium pertinere videatur, vel præsentem hanc controversiam possit dirimere. Ibidem enim solummodo sermo occurrit de hæreticorum Catharorum reconciliatione, in quos lenitatem esse adhibendam sancta synodus definivit, ne horum clerici e propriis gradibus dejecti, atque inter laicos stantes, laicorum communione donarentur, quemadmodum cum aliarum hæreseon sectatoribus Ecclesia facere consueverat. Si igitur præter id indulgentiæ vel lenitatis genus, nihil aliud continent et præseferunt ista verba : *De his qui se Catharos, id est puros nominant, si aliquando ad Catholicam et Apostolicam Ecclesiam redierint, visum est sanctæ et magnæ synodo ut, accepta manuum impositione, sic in clero permaneant*, minime unum atque idem erit non e *proprio gradu dejici*, et nulla prorsus ratione ad superiores ordines unquam promoveri posse. Postremum hoc S. Leo in epistola de qua agimus definivit; ita ut perpetuo irregularitatis vinculo hos clericos in præcedentis hæreseos pœnam obstrictos voluerit. Sed Nicæni **312** PP. dumtaxat Catharis indulgentes, ut in ordinibus permanerent decreverunt. Quæ duo valde inter se diversa, si secum reputasset Quesnellus, nusquam tam libero Leonis verba octavo canone Nicænæ generalis synodi continere scripsisset. Nihil profecto canon habet quod Leoninis hisce sanctionibus responderet, nihil refert de perpetua in suscepto ordine stabilitate; nihil denique de majoris promotionis sublata spe, quæ omnia Leonis dispositionibus, ad totius Ecclesiæ incolumitatem, et laudabiliter suggesta, et salubriter ordinata fuerunt.

6. Ut tandem sancti pontificis dispositiones innotescant, ejus verba subjicimus : *Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri*, ut *in magno beneficio habeant, si, adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine stabilitate perpetua maneant*. Perperam omnino deinde ratiocinatur Quesnellus, asserens Leonis ævo solum Nicænum octavum canonem exstitisse pro recipiendis in suis ordinibus clericis ex hæresi ad Ecclesiam redeuntibus, idcirco ad illum S. pontificem respexisse. Ita loqui profecto hominem omnigenam ecclesiasticæ disciplinæ notitiam jactantem nimis dedecet. Etenim quæ ea in quæstione a conciliis et Patribus ante Leonis pontificatum sancita fuere, veluti in uno corpore

(a) Eusebius, lib. i Hist. Eccles., cap. 32.

(b) Epist. Rom. conc. ad Gratianum et Valentinianum, tom. II Conc., pag. 1487 anno 378 exarata.

Nicæni secundi concilii Patres anno 787 congesserunt.

7. In priori quippe hujus synodi actione, cum de recipiendis hæreticis pœnitentibus ageretur, nihil prorsus inconsultis veteribus Ecclesiæ monumentis fuit stabilitum. Propterea Joannes presbyter et monachus, Antiochenæ sedis legatus, ut eam controversiam e medio tolleret, sacro conventui suggessit : *Multorum ore celebratum est* (persancte pater) (Tarasium patriarcham præsertim alloquitur) *quo pacto oporteat eos recipere qui ex hæresi revertuntur. Ob id*, (ait idem Joannes) *suademus ut sacra synodus libros sanctorum Patrum in præsentiarum afferri jubeat, quo cognoscamus et consideremus quænam in recipiendis certa ratio conservari debeat. Tum libros afferri jussum est* (a). Quorum lectionem minime ab octavo Nicæni concilii canone Constantinus, patriarchatus illius sedis notarius, sed a quinquagesimo tertio apostolorum orsus est, cujus antiquior interpretatio hæc est : *Si quis presbyter eum qui a peccato convertitur, non receperit, sed rejicit, deponitur. Siquidem Christum offendit, qui gaudium in cœlo super peccatorem resipiscentem oboriri dixit.* Cum autem ejusmodi canon, ad omnium generatim pœnitentium hæreticorum indulgentiam extenderet, sive laici, sive clerici forent, a Tarasio statim fuit inquisitum : Est et alter canon ea de re? Tum Constantinus notarius octavum Nicæni primi concilii canonem mox recitavit. Sed nec hunc ad nuper exortam Agiomarchorum hæresim conferre Theodorus Catanæ, in Siciliæ provincia episcopus, cum contendisset, ejusdem Tarasii jussu de aliis canonibus sciscitatum est. Quare idem notarius sacræ et œcumenicæ Ephesinæ synodi canonem tertium legit : *Si qui in qualibet civitate clericorum a Nestorio, quique illud dogma sequuntur, prohibiti sunt, ut minus recte senserint, hos, ut gradum proprium recuperent, justum censuimus.* Post hæc adhuc suspensi hærebant Patres, num recipiendi essent in sacrum ordinem qui ex hæresi revertuntur. Propterea Stephanus monachus de eo argumento divi Basilii epistolas in manibus gestans, quæ in priori ad Amphilochium epistola de Encratitis scripserat lecta fuere, tum alia ad Evaisenos, et quæ magis ad rem nostram conferunt, epistolæ ad Occidentis episcopos excerptæ subjecerunt, in quibus de Eustathio Sebasteno edidit sermonem. Is etenim in Arianam hæresim pluries prolapsus, et Hermogeni episcopo illum accusanti, et de perverso dogmate reprehendenti, sanioris fidei confessionem tradidit, atque ita manus impositionem ab eo nactus, postquam ille dormivit, denuo ad Arianorum **313** partes defecit. Sed e Constantinopoli expulsus, et Sebastem reversus, defensionem attulit, et impiam suam callide celans sententiam, verbaque non iniqua, sed quæ recta sapere videbantur prætexens, episcopatum facile consecutus est. Cujus quidem pravæ simulationis, cum plurima alia exempla occurrerent, quæ recensere lectoris animum gravarent, idcirco dumtaxat rogamus qui fieri potuerit irregularitatis impedimentum de quo agimus octavo illo Nicæno canone fuisse definitum? An Eustathii ordinatio diu post Nicænum concilium non contigit? illa quippe saltem in annum 376 rejici debet, qui a concilio Nicæno 51 est. Non igitur in octavo illo Nicæno canone actum est de majori promotione clericis ad Ecclesiam redeuntibus deneganda; sed ea duntaxat fuere sancita quæ ad eorum receptionem et reconciliationis modum, per manuum impositionem servandum, pertinere videbantur.

8. Huic pariter ecclesiasticæ disciplinæ concinit et illa definitio contra impios Messalianos, seu Euchitas, in tertia œcumenica synodo habita, quam in secundo eodem Nicæno concilio Stephanus diaconus recitavit, cujus postrema verba nostris hisce elucubrationibus majus robur adjiciunt : *Placuit omnibus nobis... quod si autem aliquis illud ipsum dogma fuerit exsecratus, si quidem clericus exstiterit, in ea ordinatione permaneat; si vero laicus, in Ecclesiæ communionem recipiatur.* Qua in re illud maxime est animadvertendum laudati tertii œcumenici concilii Patres servare voluisse, quæ in Alexandrina synodo anno 362 definita fuere, cum de episcopis apostatis recipiendis sub S. Liberio papa agebatur.

9. Hæc omnia quidem in medium adducta cumulatissime præseferunt canonicam Ecclesiæ praxim ante Leonis ævum servatam in hæreticis recipiendis. Sed uberiora adhuc monumenta nobis eadem septima œcumenica synodus suppeditat, cum ex divi Cyrilli et Athanasii Operibus deprompta, tum in Ecclesiasticis Rufini Aquileiensis et Socratis Historiis reperta, quæ mire rem nostram, et Quesnellum ipsum in his expendendis allucinatione laborasse, evidenti ratione manifestant. Interim autem cum ex tot tantorumque testimoniorum serie habeamus duas illas inter sese maxime differre quæstiones, videlicet : An hæretici ad Ecclesiam redeuntes in suis ordinibus, quin exauctorati dejicerentur, essent recipiendi; et an, lenitate obtenta, in susceptis ordinibus permanentes impedimento perpetuo essent irretiti ne ad superiores ordines possent ascendere; jam Leonis scopus, jussio atque decretum prodita sunt, quibus haud dubie, si Januarius non obtemperavisset, sancti pontificis animum vehementer commovisset, ad aliquam ei ecclesiasticam pœnam inurendam, quemadmodum postrema illius epistolæ verba produnt. *Non autem dubitet* (ait) *dilectio tua, nos, si, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro custodia canonum et fidei integritate decernimus, vehementius commovendos, quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.*

10. Extra jocum autem ad hæc advertat annotator Quesnellus, secumque reputet, an quilibet episcopus in iis quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem pertinent, gravissimis hujusmodi verbis, auctoritatis atque jurisdictionis vigore plenis, alios totius Christiani orbis episcopos consueverit compellare, quemadmodum ipse nimis licenter asserere ausus est. Possunt utique aliarum Ecclesiarum episcopi scribere, suggerere, pertractare, inquirere ea omnia quæ totius Ecclesiæ utilitati prodesse possunt. Aliquod autem definire atque statuere in ipsius Christianæ reipublicæ commune bonum, solis Romanis pontificibus extra generales synodos divinitus dumtaxat concessum est, ut in hac cæterisque nostris dissertationibus comprobatum est.

314 11. De Januarii autem gestis nihil profecto scimus; sed operæ pretium est arbitrari omnia Leonis mandata atque decreta *ita circumspecte et velociter* fuisse ab eodem executioni demandata, ut nefaria illa Pelagianorum soboles, quæ in illius provinciæ clericis potissimum grassabatur, pene deleta, et ad exitium fuerit perducta. Nullum enim post hanc (quod sciamus) Leonem inter et Januarium epistolarum intercessit commercium. Temporum quoque injuria Januarii ad Leonem relatio intercidit, atque apud suppares scriptores de rebus ibidem gestis, tam altum servatur silentium, ut nulla gestorum mentio habeatur. Exstat denique tamen alia S. Leonis epistola ad Nicetam Aquileiensem Januarii successorem, anno 458 scripta (b), quo quidem tempore nullas prorsus Pelagianæ sobolis ea in provincia exstitisse reliquias, commode et rationabili ducti ratione conjicere possumus. In ea enim noster pontifex apostolicæ sedis auctoritate septem sibi propositis consultationibus occurrit, atque Nicetæ Aquileiensi præscribit quidve iis maxime afflictis temporibus medicinæ adhiberi oporteret, ut vulnera quæ hostilitatis adversitate religioni illata erant, sanarentur. Has

(a) Tom. VIII Concil. pag. 1325.

(b) Epist. 159 ad Nicetam Aquileiensem.

autem consultationes, cum ad Pelagianorum mores, dogmata et historiam minime pertineant, ne extra scenam canere videamur, in præsentia prætermittimus, sermonem tamen de iisdem habituri, cum ecclesiasticam illius ævi disciplinam nostris animadversionibus adornabimus.

12. Potius interim nos gratulari oportet tam divinum S. Leonis Magni studium in Pelagianis evertendis, horumque errores abolendos, optatum finem obtinuisse. De qua re, ut certiores essemus, nisi sumus omnia antiquitatis monumenta percurrere; eorum videlicet, qui quinto et sexto Ecclesiæ sæculo floruerunt, nec alicubi de Pelagiana hæresi, veluti tum gliscente, mentionem fieri offendimus. Hanc autem nostram conjecturam confirmat, nostramque simul gratulationem adauget, epistola prima Joannis papæ IV ad episcopos et presbyteros Scotiæ directa, quam refert etiam Beda lib. II Historiæ Anglorum cap. 19. In ea enim summus pontifex cum Rom. clero duas discutit quæstiones, quas ei Scotiæ clerus proposuerat : altera de Paschate, altera de Pelagianis eo in regno reviviscentibus. De his namque ita Rom. pontifex Joannes IV scribit : *Exposita autem ratione Paschalis observantiæ, ita de Pelagianis in eadem epistola subdunt ; et hoc quoque cognovimus, quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reviviscit, quod omnino hortamur, ut a vestris mentibus hujusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque exsecranda hæresis damnata est, latere vos non debet, quia non solum per istos ducentos annos abolita, sed et quotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta* (a). His autem verbis si quis insistere A voluerit, nostram conjecturam robur accipere haud inficiabitur. Nam Joannes papa IV, septimo Ecclesiæ currente sæculo, anno videlicet sexcentesimo quadragesimo, supremum catholicæ societatis clavum obtinuit, Severino summo pontifice jam vita functo. A quo anno si bis centum annos subducamus, quemadmodum Joannis papæ testimonium præsefert, jam superest quadringentesimus quadragesimus Christi annus, in quo S. Leo Magnus Romanæ Ecclesiæ pontifex renuntiatus est, ut ex Romanorum pontificum tabulis intelligitur. Eo autem anno, sexcentesimo nimirum quadragesimo, Joannem papam IV ad Scotorum quæsita respondisse, sine ulla prorsus animi hæsitatione affirmandum est. Nam quamvis laudata epistola temporaria careat nota, tale tamen præsefert exordium, ut inde conjiciamus quod, vix assumpto ad Romanum pontificatum Joanne, Scotorum votis S. P. annuere voluerit, qui jam ad Severinum prædecessorem suas consultationes et quæsita direxerant, quorum perlatores Urbem non attigerunt, B nisi **315** post ejusdem Severini interitum. Id plane produnt ea verba quibus Joannes suam epistolam orsus est : *Scripta quæ perlatores ad san. mem. Severinum papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca responsa ad ea quæ postulata fuerant...* Jam vero tandem has similesque alias conjecturas prætermittentes, manum de præsenti tabula tollere deliberamus, alia quamplurima majoris momenti in sequentibus præstaturi, cum tandem pro nostrarum Exercitationum coronide, de Eutychetis rebus verba statim faciendi consilium habeamus.

(a) Exstat tom. VI Concil. pag. 1509.

DE EUTYCHIANA HÆRESI ET HISTORIA

LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

316 PROLOQUIUM.

Sanctus Leo Magnus strenuus catholicæ fidei propugnator, jugulatis jam Priscillianistis, clandestinis, ut ait etiam Quesnellus, Manichæorum motibus peremptis, et reportato tandem de Pelagianismo per Italiæ provincias gliscente singulari triumpho, ad majora progredi cogitur, fortiter feliciterque pugnaturus contra Eutychianos, qui, tamquam novi recentesque hostes ex Oriente prodeuntes, Christi Domini incarnationem oppugnabant. Hæc autem hæresis, quæ ab uno monacho Constantinopolitani monasterii archimandrita, Eutyche appellato, exordia et nomen accepit, ita trium annorum spatio S. pontificis animum occupavit, ut omnem operam et laborem ad eam funditus delendam impendere debuerit; tum etiam gravissima studia adhibere ad reparanda episcoporum et Ecclesiarum jura a factiosis viris summa injuria violata et abolita. Nequidquam recenseam de ejusdem gravi prudentia qua usus est ad eludenda arbitria et eorum libidinem qui sacrorum canonum regulis contemptis, sæculi dumtaxat potestate, nutu et imperio, violenter sacros orthodoxosque pastores e suis sedibus exturbarunt, vel variis pœnarum generibus exagitarunt. In quibus muneribus fungendis, quemadmodum animi ejus fortitudo, sapientia summaque prudentia coruscant, ita eminet suprema illa et universa potestas Romanis pontificibus divinitus C concessa, pro omnium fidei et Ecclesiarum negotiis cognoscendis et judicandis. A qua quidem speciali prærogativa et privilegio cum hæreticos aliosque invidos homines non tantum semper abhorruisse non lateat, verum etiam illam oppugnare et ad exitium perducere nisos fuisse intelligamus, ea videlicet ratione ducti, ut aliorum episcoporum jura ultra debitos limites extendant; magisque synodorum auctoritatem pro arbitrio prolatent, sensim apostolicæ sedis dignitatem potestatemque angustis limitibus restringentes; tamen incassum eos laborare conspicimus, si jam, præjudicatis vulgi opinionibus sepositis, rerum omnium veritatem, cum ex conciliorum gestis, tum ex S. pontificis scriptis quæ supersunt dumtaxat haurire deliberabimus. Nec enim nostrum sermonem ab his rebus abstinere duximus, quod Paschasius Quesnellus vitam et res a S. Leone gestas cumulatissime descripserit, et fateatur : « Pontificiæ dignitati majori quam quisque alius reverentia advolvor ego. » Subdole id enim affirmavit. Nam nihil eorum D prætermisit quæ judiciorum **317** novitates in Ecclesia deferrent, veteremque formam et sacræ hierarchiæ rationem in Scripturis laudatam depellerent. Cujus quidem Quesnellianæ artis exempla infinita propemodum et in isto meæ concertationis vestibulo subjicere possem, si importune lectoribus negotium facessere non vererer. Potissimum cum, præter honoris primatum, nihil prorsus eidem adjudicet, nisi

in Romanum episcopatum jurisdictionem, hancque etiam dependentem ab aliis episcopis quos Romano Occidentalium concilio interesse oportebat. Ego igitur qui ab ineunte ætate veritatis studio incensus sum, quamque nonnisi ex purissimis fontibus haurire, aliorumque animos, quorum institutionibus vacare mihi fuerat commissum, imbibere vehementer desideravi, non sine gravi fastidio ad hæc animadvertebam. Mecum reputans, non alium sibi scopum in similibus dissertationibus assumpsisse Quesnellum quam incautos parumque in ecclesiastica historia versatos homines ad suas partes trahere, eosque variis illiciis constringere, ut sensim a debita erga apostolicam sedem veneratione, obsequio et obedientia deficiant (*a*). Siquidem doctrinæ novitas, quæ cupiditatem hominibus injicit, tantam vim hoc nostro ævo fere apud quascumque nationes obtinuit, ut sine ullo prorsus sinceræ veritatis delectu et amore iis animus despondeatur quæ majorum nostrorum instituta et præcepta tradita evertere valent. In hujus B nostri sæculi viros qui sibi eruditorum nomen vindicare amant Apostoli illud dictum quadrare mihi videtur (*b*) : Veniet *enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Et fabulosa quidem Quesnellum confinxisse in Eutychetis historia rebusque a M. Leone gestis, quis poterit inficiari? Qui episcopalem dignitatem, omnibus episcopis communem cum jurisdictione confundens, ultro fatetur, quam in uno veneratur, in cæteris calcari nolle, contendens *ex veteri instituto non haberi* tam Eutychetem quam Flavianum de fidei dogmatibus altercantes legitimum et præcipuum judicem controversiarum habuisse Romanum pontificem, ad quem *tam actor quam reus sponte* cucurrerunt sua jura prosecuturi (*c*). Quibus eminentissimi cardinalis Baronii verbis occurrens laudatus Quesnellus, subdole subjicit : « Ultro agnovimus Romanum pontificem pro legitimo, ac, si cum singulis episcopis C compararetur, pro præcipuo controversiarum ecclesiasticarum judice : sed quis propterea ferat Flavianum, quem et sedis prærogativa, et sanctimonia singularis, et fidei constantia ad martyrium usque perseverans, tantopere commendare debuerant, cum rebelli, imperito, obscuro ac malæ frugis monacho componi, committique exauctoratum presbyterum cum suo ac sanctæ sedis episcopo, judicem cum reo, et utrumque veluti de communi dividendo altercantem coram Leone sisti, quasi de incerto causæ exitu dimicaturum. Absit tanta a sacratissimo episcoporum cœtu injuria. » Quid igitur? Propugnatne Quesnellus supremam Romanorum pontificum judiciariam potestatem, quam Scripturarum testimonia indicant, quamque veterum traditio et praxis ipsis asseruit? Fallit quidem. Nam Romanum pontificem præcipuum et legitimum Ecclesiæ controversiarum eo sensu dumtaxat appellat, facta nimirum cum singulis episcopis in suis sedibus existentibus comparatione. Volens forte indicare, nullum R. P. judicium D firmum et ratum habendum, quod aliorum episcoporum in synodis coactorum suffragio non adjuvetur atque probetur. Quam cantilenam millies ipse Quesnellus suis in scriptis explicavit. Præterea si injuriosum esset sacratissimo episcoporum cœtui ut reorum subditorum causæ semel in provinciis judicatæ pontificia auctoritate iterum **318** recognoscerentur, ut ipse fabulatur, jam impune innocentes a metropolitis cæterisque provinciarum suffraganeis episcopis possent vexari, deprimi et gradibus deponi, nec in ecclesiastica hierarchia judex haberetur qui graviores injurias et persecutionibus confectos posset ulcisci. Cum itaque nulli causa justa esse possit, qui A contra Ecclesiam matrem arma arripere ausus est, facile in spem adduci potui ut annotatis et rejectis in præcedentibus libris omnibus præcipue Beausobrianis et Quesnellianis nugis atque commentis, id pariter divino opitulante numine præstare possim ad Eutychianam conscribendam historiam manum admovendo.

CAPUT I.

Eutyches male sentiens de Christi Domini incarnatione ab Eusebio Dorylæi episcopo in Constantinopolitana synodo accusatur. Iterum et tertio a PP. in jus vocatus, se sistere recusat.

1. Eutychetis causa, anno Christi Domini 448, cum Zenon et Posthumianus consulatum agebant, publico et solemni Ecclesiæ Constantinopolitanæ judicio cognita fuit. Cum videlicet sexto idus Novembris, ibidem triginta illius metropolis episcopis, ad dirimendam litem Florentium inter Sardorum episcopum et Joannem Cossinumque ejusdem Lydiæ provinciæ episcopos exortam, in unum coeuntibus, Eusebius Dorylæi in Phrygia episcopus quosdam libellos, Eutychetis blasphemias continentes, sacro cœtui obtulit. Constantinopolitano monasterio tamquam presbyter et archimandrita præerat Eutyches, qui exterius sanctimoniam et pietatem profiteri simulans, pravis imbutus doctrinis, fide et monachali instituto abutebatur, Ecclesiæ solidissima fundamenta evertere conatus, utramque naturam in Christo post unitionem commiscendo, atque ex duabus unam tantum factam fuisse fabulando. Hos errores primo inter privatos sui monasterii parietes docebat, eos monachis insinuando. Tum audacior factus, ob principum et magnatum favorem, cum amicis novarum rerum amatoribus communicavit; ita ut comperta ejusmodi nequitia ab eodem Eusebio Dorylæi episcopo, cujus cum Eutyche amicitia intercedebat, pluries eum amice corrigere curavit, sed tempus et operam perdere intelligens, illum ad Flavianum in concilium accusavit, ne pestifera hæc hæresis in dies majores vires acquireret.

2. Factis igitur ab Eusebio canonicæ accusationis libellis, illos obtulit concilio Constantinopolitano, cui et ipse intererat, conjurans eos relegi et inseri monumentis Actorum. Patres autem audientes quæ in libellis continebantur, eumdem Eusebium semel iterumque rogarunt ut ipse Eutychetis monasterium adiret, atque ad majores commotiones præcavendas, hæretico resipisci suaderet, blasphemias in quas eruperat sincero corde exsecrando. At accusator hisce PP. et Flaviani potissimum suasionibus non acquievit, quod frequentius hac de causa irritis conatibus ad monasterium perrexerat. Ne itaque hæreseos crimen inultum maneret, neve inaudita altera parte ad judicium procederetur, mittendos esse Joannem presbyterum et Andream diaconum decretum est; qui ad monasterium proficiscentes, lecto libello Eutycheti, eidemque dato exemplari, una cum accusatoris nomine, denuntiarent esse ad concilium vocatum, ut sese purgaret. Ipse tamen occurrere et satisfacere penitus abnegavit, dicens hoc sibi esse decretum et definitione quadam ab initio teneri, ut nusquam *alibi a sua fraternitate egrediatur, quodammodo enim tamquam in sepulcro degere in monasterio.* Sibi quoque Eusebium Dorylæi esse suspectum, **319** nec legitimi accusatoris partes subire contendit : *qui* (ut ait), *tamquam inimicus jam dudum existens, detractionis et injuriæ causa hanc accusationem adversus eum confecerit.* Tandem fassus est Eutyches ipse se paratum fore consentire et subscribere expositioni SS. PP. qui in Nicæno et Ephesino conciliis definierunt, et velle solas Scripturas scrutari, tamquam PP. expositionibus firmiores. Et pro-

(*a*) Paschasius Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis Magni, diss. 1 de Vita et Rebus gestis S. L. PP., pag. mihi 147.

(*b*) Epist. II ad Timoth. cap. IV.

(*c*) Baronius, ad annum 449, num. 5.

pterea post Incarnationem Dei Verbi (hoc est post Nativitatem Domini nostri Jesu Christi) *unam naturam adorare*, et hanc Dei incarnati et inhumanati. Quas propositiones ex quodam libro perlegebat. Hac ergo relatione a PP. audita, eaque ab Athanasio, Basilii Seleuciensis diacono, qui tamquam testis aderat, confirmata, eodem Eusebio Dorylæi efflagitante, secundo juxta juris regulas Eutyches ad concilium venire vocatur, missa ad eum per Mamam et Theophilum presbyteros citationis schedula, in qua ad concilium venire sine mora eidem præcipiebatur : *ne, subterfugiens*, aiebat, *in faciem convinci, subjaceret divinarum regularum severitati. Nec enim* (addebant) *rationalis est satisfactio dicere te decrevisse non procedere de monasterio* (*a*). Interim cum novi legati proficiscebantur, Eusebius, exsurgens in medio, dixit sibi certo esse nuntiatum Eutychetem susquedeque omnia vertere, *volumen per monasteria dirigere*, monachos ad seditionem excitare, ad quas turbas atque tumultus certo certius cognoscendos interpellari petiit Abrahamium presbyterum Martyrii Constantinopolitani, quod est *in septimo* (hoc est *in suburbio*) (*b*). Dum itaque ad rerum veritatem magis explorandam diaconi atque presbyteri ad varia monasteria mitterentur, ut diligentius inquirerent an a monachis subscriptiones pravis suis dictis consonas Eutyches extorsisset, jam Mamas et Theophilus ad concilium reversi sunt, nuntiantes monachos sibi obvios ad portas Eutychiani monasterii habuisse, dicentes archimandritam ægrotare, neminemque posse videre. Qui tandem, novi adventus causa cognita, post varias contentiones, concilii legatos ad Eutychetem adduxerunt. Is ergo, vix visa atque lecta citationis schedula, respondit infirmitatis atque senectutis prætextu se definitum habuisse *non egredi e monasterio*.

3. Tertio Eutychetem esse in jus vocandum PP. deliberarunt, ut canonum regulæ apprime servarentur. Propterea accitis Memnone, sacrorum vasorum custode, Epiphanio et Germano diaconis, novam schedulam ad accusatum Eutychetem miserunt. Veritus tamen is ne tamquam contumax haberetur, neve in eum absentem concilium sententiam proferret, PP. illudere nisus est, misso quodam Abrahamio, cum aliis duobus monachis, qui pro eo excusationes facerent et, si fas esset, pro ipso in jus venientes, objectis responderent. Flavianus hos perhumaniter excipi voluit : sed horum petitionem statim rejecit, dicendo non posse ipsos Eutychetis causam ibidem agere, *quia possibile non est altero accusato pro eo alterum dicere*. Multa tamen et varia Abrahamium archimandritam concilii PP. dixisse, ut quadam miseratione erga Eutychetem flecterentur, quæque nulla ratione a sacro illo episcoporum cœtu probata fuerunt, jam ex Conciliorum collectione exploratum est (*c*).

4. Quemadmodum ergo tertiam vocationis schedulam a Memnone et duobus aliis diaconis exhibitam Eutyches exceperit, disserendum est. Accepta itaque charta atque lecta, dixit se misisse presbyterum et archimandritam Abrahamium ad Flavianum archiepiscopum et ad concilium, **320** ut ex persona sua consentirent omnibus, quæ dicta sunt a SS. PP. in Nicæa et Epheso congregatis, et omnibus quæ a beato Cyrillo fuerant conscripta. Ad consuetam deinde excusationem confugit, addendo infirmitate detineri, et propterea Abrahamium archimandritam misisse. Quam excusationem, cum ferventius Memnon refelleret, dicendo, *quia debes pervenire, et præsentare te in sancta synodo, et satisfacere his quibus impeteris*, ipse se perstrictum cognoscens, demum subjecit : *quia exspecto papam Abrahamium, forte exorabit Dominum et sanctam synodum*. Non abscedere e monasterio, donec Abrahamius reverteretur, secum et cum Eutychete Memnon consulebat. Sed Eutyches sibi gratius fore respondit, potius supplicari Domino archiepiscopo Flaviano, et *sanctæ synodo*, quatenus inducias *præsentis septimanæ tribuerent ; et secunda feria, volente Deo ingredior, et satisfacio Domino et sanctæ synodo*. Dum hæc Eutychetem inter et laudatos synodi legatos agitabantur, Patres in sexta concilii sessione detinebantur (*d*), eorum relationes audientes quos ad varia monasteria direxerant, quid, qualiave Eutyches molitus fuerat ad turbas in monachos excitandas, eosque seducendos, ut pravis suis dictis subscriberent. Eusebius Eutychetis accusator fassus est se compertum habere Mamam atque Theophilum, qui alteram vocationis schedulam ad Eutychetem detulere, multa ex hæretico homine audivisse, quæ *sub fide monimentorum non sunt professi. Quare si manifesta fierent comprobatio certa habetur de læsa Eutychetis fide*. Hos ergo vocari Eusebius petiit, ut cum jurejurando supra Evangeliorum codices quod audierunt narrarent. Aderat tum solus Theophilus. Nam Mamas nondum ut sessioni assisteret venerat. Rogatus itaque Theophilus, sincere confessus est quod accepit Eutyches alterum commonitorium, quo in jus vocabatur, cœpit velle disputare, præsente Narsete presbytero, Maximo archimandrita, aliisque monachis. Dicebat enim : *In qua scriptura habentur duæ naturæ?* Deinde vero quis sanctorum Patrum exposuit Deum Verbum habere duas naturas? Quibus interrogationibus Mamas occurrebat, respondens nec in Scripturis tantum haberi. At Eutyches : in sanctorum Patrum expositionibus vocabulum illud non jacere. Pari ratione duas a SS. PP. naturas prædicari Mamas constanter propugnabat, cum filius ex Maria natus perfectus Deus et perfectus homo debeat appellari. Quod argumentum Mamas sequenti propositione clausit : *Quid ergo prohibet nos dicere ex duabus naturis unum Filium?* At Eutyches, quamvis hisce dictis perstringeretur, pervicacius negavit posse assentiri ; malens potius depositioni aut cuicumque alii subesse malo et incommodo, quam duas in Christo post unitionem confiteri naturas. Quare autem in præcedenti sessione non narraverint Mamas et Theophilus tum Flavianus sciscitatus est. Cui Theophilus reposuit : Scit vestra sanctitas quia non pro hac causa directi sumus, sed tantummodo vocare presbyterum Eutychen. Propter quod minime interrogati, superfluum putavimus hæc dicere, de quibus mandatum non habuimus. Adveniente postea Mama, præcedentibus dictis fidem accrevit.

5. Absoluto interim induciarum tempore quod Eutyches petierat ut in jus veniret, iterum vigesima prima die Novembris PP. ad septimam sessionem convenerunt. Et cum a pluribus, mandante Flaviano, per ecclesiam, tum circa ecclesiam perquisitum fuisset, an Eutyches advenisset, et nullibi hunc reperiissent, tandem Joannes presbyter nuntiavit magna multitudine militum, monachorum et præfectorum, apparitorum prætorio circumseptum, qui eum ad concilium ingredi permittere recusabant, nisi prius facta promissione *PP. restituturos ejus personam*. Magnus quoque Silentiarius ab imperatore missus, et ipse concilium ingredi exoptabat. **321** Potestate itaque huic facta ut concilium ingrederetur, statim ab imperatore mandata quædam scripto consignata accepisse sacro cœtui indicanda testabatur. Quarum summa illa erat, de Ecclesiarum pace sollicitudinem habere, et de

(*a*) Actio 5 Constantinop. concil. Chalced. relecta exstat, tom. IV Concil. pag. mihi 974.

(*b*) *Septimum* vocabant suburbium Constantinopolis, ut Labbeus et Surius ex Procopio annotarunt. Locus autem Procopii est in capite quarto de ædificiis Justiniani. Vide (aiunt Conciliorum collectores) quæ de *septimo*, sive *hebdomo* dixit vir stupendæ et multifariæ eruditionis Carolus Dufresnius Cangius in Constantinopoli Christiana, lib. II, cap. 5 et 16, § 44.

(*c*) Actione 4 Constantinopolitani concilii, quæ habita fuit feria 3, id est 16 Novembris.

(*d*) Actio 5 et 6 Constantinopolitani concilii, tom. IV Concil. pag. 989.

custodienda fide, quæ in Nicæna et Ephesina synodis fuerat stabilita. Qua de causa Florentium virum fidelem et testimoniis probatum in recta fide volebat interesse illius synodi audientiæ. Tum imperatori multos annos acclamatum est, et gratias eidem habuerunt. Postea in medium prosilientes Eusebius Dorylæi accusator et Eutyches, hujus causa ad exitum perducta est, et lectis S. Cyrilli epistolis ad Orientales conscriptis, cum Aetius lector ad eam partem pervenit, in qua dicitur Jesum Christum perfectum esse Deum, et perfectum hominem, de Maria Virgine secundum humanitatem natum, Patri secundum Divinitatem consubstantialem, nobis vero secundum humanitatem, et reliqua quæ sequuntur, statim Eusebius dixit Eutychen his haud assentiri. Cujus quippe rei veritas ut sine ulla ambiguitatis specie vel falsitatis suspicione innotesceret, ad ea quæ jam in Actis descripta erant provocatum est. Deinde vero pluries Eutychen interrogarunt, et illius publicam confessionem excipientes, plene intellexerunt eum novum hæreticumque dogma contra incarnationis Domini nostri Jesu Christi mysterium tueri, et pervicacius propugnare, non absimilem quidem a Valentini et Apollinaris erroribus et perversitate, idcirco *lacrymantes et gementes perfectam ejus perditionem*, omni ecclesiastico gradu, *monasterii primatu* et communione eum privarunt (a). Hæc autem Eutychianæ hæreseos initia fuisse, hanc judicii formam religiosius secundum canonum regulas concilii Constantinopolitani PP. servasse, nullatenus dubitandum est; quæ nos quidem paulo fusius ex Actis quæ supersunt descripsimus. Quamvis revera id nobis minime opus fuisset, cum doctissimus et eminentissimus cardinalis Baronius summa eruditione qua pollebat majori et accuratiori studio omnia recensuit quæ hactenus de concilio Constantinopolitano et Eutychianæ hæreseos exordiis narravimus (b). Ad reliqua igitur gradum faciamus.

CAPUT II.

Flavianus episcopus absoluta præcedenti provinciali synodo cum omnium Actorum serie litteras dirigit ad sanctum pontificem Leonem Magnum, gestorum petens confirmationem. Id injuria negat Paschasius Quesnellus, cujus argumenta proponuntur, simulque evertuntur.

1. Absoluta jam Constantinopolitana prima synodo, in qua damnatis Eutychetis erroribus, horumque auctore sacerdotali officio et archimandritæ præfectura privato, latæ in eum sententiæ summa in aliis atque aliis Constantinopolitanæ urbis publicis locis promulgata est (c); ut videlicet monachis aliisque catholicis viris scripto commonitorio innotesceret, in posterum haudquaquam cum hæretico et contumaci **322** homine communicare. Quia vero de fidei causa agebatur, Flavianus, ne suis partibus deesset, nulla prorsus mora interposita, summo pontifici Leoni litteras dedit, simulque rerum omnium gestarum seriem ad eumdem direxit. Hujus rei testis fidelissimus imprimis est Liberatus diaconus, qui, recensita Eutychetis damnatione, mox subjecit: *Quibus gestis jungens epistolam suam Venerabilis Flavianus, Leoni papæ direxit, et quid in concilio gestum fuerat allegavit fideliter* (d). Quæ verba, tum ejusdem Flaviani litteras Baronius percurrens, sine ulla hæsitatione merito scripsit majorum morem ita faciendo Flavianum esse prosecutum. Refragatur tamen passim Quesnellus, et potissimum ad Christi annum 449, res a S. Leone Magno gestas describens, cum ait: « S. Leo nihil horum quæ Constantinopoli gerebantur admonitus a Flaviano (acceptis videlicet ab Eutychete litteris) ne vel innocentem condemnet, vel reum absolvat, ad Theodosium Flavianumque scribit. » Quare autem Flavianus ad Leonem non scripserit, ait: « haud difficile est dictu, seu Eutychen statutum judicio crederet, seu actam causam secundum canonem Ecclesiæ in concilio, condemnatumque legitime monachum suæ parœciæ, non alias audiendum. » Baronius credit litteras Flaviani aut interceptas, aut retardatas ab Eutychete. Sed tum nihil omnino scriptum a Flaviano constat ex ipsa Flaviani epistola, cujus initium est: *Pietate*, etc. Audacter nimis, et quasi ex tripode, quæstionem gravissimis involutam difficultatibus paucis et infirmis quidem conjecturis ex sua sententia solvere voluisse Quesnellum quis non videt? Profecto etiam, si sedulo duas illas solas Flaviani epistolas ad Leonem, quas et ipse Quesnellus Græce et Latine typo commisit, lustrabimus, haud facile cuinam primus debeatur locus poterimus judicare. Quinimmo in eam persuasionem descendemus, alteram primo loco in ordine esse statuendam, ut gravissimis adducti conjecturis paulo infra declarabimus. Quis præterea Quesnello revelavit Flavianum duas dumtaxat Leoni pontifici epistolas dedisse? Ex Vaticanis enim codicibus nos adhuc tertiam eruimus scriptam ad eumdem Leonem occasione Eutychianæ hæreseos, de qua duo clerici ejusdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Gregorius videlicet et Joannes, postulabantur. Quemadmodum ergo hanc tertiam scripsit, cur quartam, quintam, sextam aliasque plures scribere non potuit, quas Eutyches aut intercipere, aut retardare poterat, quemadmodum Baronius rationabiliter suspicatur? Alias autem et alias epistolas Flavianum ad S. pontificem scribere oportuisse, mihi et omnibus cordatis viris persuasum esse debet, potissimum quia damnata hæresis in dies recrudescebat, et quia nova synodus, agente Dioscoro, et Eutychetis factione, cum magna veritatis et fidei jactura fieri postulabatur, quam minime necessariam esse Flavianus ipse etiam ex duabus illius litteris quæ hactenus lucem aspexerunt sincere fassus est, cum sola pontificia auctoritate tum (e) hæresis quæ surrexit, tum turbæ quæ *propter eam factæ sunt facillime destruentur*. Dicat, amabo, Quesnellus, putatne Flavianum plane obmutuisse, nec Leoni alias dedisse litteras, cum ipsi innotuit imperatorem, agente eunucho Chrysaphio, et Dioscoro, jam synodum postulare, ut quæ jam Constantinopoli contra exortam hæresim definita fuerant abolerent? Figmentum esse probant epistolæ illæ Flaviani in causa duorum illorum Constantinopolitanorum clericorum, ut superius jam indicavimus, quas, Deo Domino opitulante, publici juris faciemus.

2. At quidquid sit de aliis Flaviani epistolis, quæ aut temporum injuria interciderunt, aut nunc adhuc obsoletæ in secretioribus bibliothecarum **323** aut Archiviorum scriniis custodiuntur (f), de quibus nec

(a) Sententia in Eutychen a concilii Constantinopolitani PP. lata: « Decernimus per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphematum, eum extraneum esse ab omni officio sacerdotali, et a nostra communione, et primatu monasterii; scientibus hoc omnibus qui postea colloquentur ei, et ad eum convenerint, quoniam et ipsi erunt rei pœnæ excommunicationis, ut qui non declinaverint confabulationes ejus. » Act. Constant. Conc. tom. IV pag. 1022.

(b) Baronius, tom. VI, ad Christi annum 488.

(c) Liberatus diaconus, in Breviario, cap. 11.

(d) Liberatus diaconus, in suo Breviario, cap. 11, apud Lab., tom. VI, pag. 436. Baronius, ad annum Christi 448, tom. V Annal. pag. 62. Paschasius Quesnellus, ubi supra.

(e) Flaviani epist. primo loco posita in Quesnelli edit., cap. 3, pag. 241, et Leo ipse, in epist. 52 fateatur: *Quamvis evidenter appareat rem de qua agitur nequaquam synodali indigere tractatu.*

(f) *Notitia epistolarum seu a S. Leone PP. scriptarum, seu ab aliis ad ipsum; et aliorum monumentorum res ab eo gestas attinentium, quorum sola restat memo-*

minimam fecit Quesnellus mentionem in elencho quem conscripsit, ea ductus persuasione, quod duas illas tantum vulgatas epistolas Flavianus Leoni dedisset; igitur haudquaquam dubitandum est quod ipse. absoluta jam illa Constantinopolitana synodo, et Eutychete damnato, ad R. P. non scripserit, seriem omnium gestorum mittendo; propterea non labare Baronii conjecturam, qua affirmat ejusmodi epistolas Eutychetis studio aut interceptas, aut retardatas fuisse. Huic sane conjecturæ et Quesnellus ipse subscribere debuisset, si ad Leonis litteras harumque temporariam notam attendisset. Quod in præsens nos facere non prætermittimus, ut plenius Quesnelli argumenta evertamus. Et quidem primam Leonis epistolam ad episcopum Flavianum scriptam offendimus kal. Martii, Asterio et Protogene consulatum agentibus, quod incidit in annum 449. Hanc enim ex urbe Roma Constantinopolim comitem Pansophium detulisse, Flavianus ad Leonem rescribens indicavit. Nullas autem epistolas Flavianum Leoni dedisse antequam a comite Pansophio S. pontificis litteras acciperet, minime umquam, sequentibus adductus momentis, potero persuaderi. Etenim si primo tempus spectemus quod comes Pansophius ex Urbe discedens Constantinopolim profecturus insumere debuit; si animadvertamus pariter tum ad aliqua negotia quæ vir nobilis apud imperatorem illiusque aulæ ministros forte pertractanda habuerat, tum ad novum iter faciendum, ut iterum Romam veniret, certe trium mensium spatium vix sufficere poterat. Quamvis navigationum cursum faciliorem tum fuisse credere debeamus, ob navigiorum copiam e Roma Brundusium versus, et e Brundusio Constantinopolim progredientium; tamen difficilius etiam illud iter reddebatur in primo, id est Martio et Aprili, mense, in quibus etsi mare suapte natura tranquillum sit, ventorum vi magis atque magis agitari atque turbari solet immoderatis tempestatibus. At ultro demus Pansophium comitem prosperum habuisse iter, nec ultra tres menses fuisse retardatum illius ad Urbem regressum, quemadmodum conjici posset ex altera S. Leonis epistola ad eumdem Flavianum scripta; quid vero? An Flavianus tamdiu ad Leonem de Eutychiana hæresi scribere distulit, quamdiu, a Leone ipso exagitatus, litteras accepit? Id nemo sine temeritatis nota affirmabit. Potissimum si ad subsequentes S. Leonis Magni litteras animadvertat. Etenim S. Leo, epist. 22 kalendis Junii scripta, fatetur se recepisse Flaviani epistolas cum synodalibus gestis in Eutychetis causa. Ait scribendi occasionem arripere ex opportuno itinere quod primum honorabilis vir Rodanus Constantinopolim versus aggressurus erat. Brevissimas enim tum fecit litteras. *Verum* (promittit) *de hac re plenius per eum qui ad nos tuæ dilectionis portavit litteras rescribimus, ut fraternitatem tuam quid de tota causa constitui debeat instruamus.*

3. Hic cuperem ut Quesnellus et quisquam alius qui illius studiis indulgeat, animadverteret an acceptas a Leone Flaviani litteras cum synodalibus gestis portaverit honorabilis vir comes Pansophius, an alius? Non Pansophius quidem. Cum verba illa: *De hac re plenius per eum qui ad nos tuæ dilectionis portavit litteras rescribimus*, indicent peculiarem aliquem forte Constantinopolitanæ Ecclesiæ clericum, ut tum moris erat, a Flaviano missum, qui litteras et synodalia Acta ad summum pontificem deferret. Remittere enim eum debebat Leo cum prolixioribus litteris. Igitur quis credet honorabilem virum, imperialis aulæ comitem, **324** remittendum esse, quasi vero tabellarii munus eidem foret demandatum? Potius ergo concludendum est primas Flaviani epistolas cum synodalibus gestis alium latorem habuisse præter comitem Pansophium, ut

A evidentissime demonstrant gravissima duo momenta, quæ nos statim subjicimus. Alterum est quod, paucis elapsis diebus, prolixiores litteras daturus Flaviano, sicut in præcedenti promiserat, eas his verbis orditur: *Lectis dilectionis tuæ litteris, quas miramur fuisse tam seras, et gestorum episcopalium ordine recensito.* Cur ergo, quo sensu, quave ratione tam seras Flaviani epistolas appellasset, vel si Pansophius eas attulisset, qui vix trium mensium spatium insumpsisset eundo ex Urbe Constantinopolim, et rursus e Constantinopoli Romam revertendo? Si Pansophius has litteras cum synodalibus gestis attulisset, summa celeritate, non sero ad pontificias manus pervenissent, ut ex præcedenti temporum supputatione liquido innotescit. Oportet igitur inferre quempiam alium fuisse harum epistolarum latorem, qui, vel Eutychetis artibus, vel temporum vicissitudinibus, marisque tempestatibus præpeditus, diu in itinere cunctatus est, quemque S. pontifex cum alia epistola, 24 videlicet, Constantinopolim ad ipsum Flavianum remisit. Addimus B voces illas, *tam seras*, non quamcumque cunctationem, sed longam temporis moram indicare, ob quam Leonis animus in admirationem rapiebatur, tamquam ob rem extra omnem ordinem constitutam et insuetam. Ad quæ verba cum iterum et tertio sedulo animadverterem, et ex altera parte cognovissem Constantinopolitanam illam provincialem synodum de Eutychetis damnatione labente Novembris mense præcedentis anni absolutam fuisse, inferri posse arbitratus sum Flavianum statim in subsequenti decimo mense ejusdem anni, vel saltem in initio Januarii anni 449 immediate subsequentis, ad Leonem cum synodalibus Actis supra Eutychianum negotium scripsisse, minime exspectatis Leonis litteris, quas per honorabilem virum comitem Pansophium se accepisse affirmat. Quod si Quesnellus mihi objiciat Flavianum priori illa epistola quam in sua editione excudi curavit aperte fateri Eutychen *accusatum a religiosissimo episcopo Eusebio, occurrentem ad S. concilium* C *propriaque voce quid ipse sentiret Patribus synodi detegentem, ut qui alienus sit a recta fide deposuimus, prout sanctitatem vestram docebunt cuncta super eo confecta Acta, quæ et misimus cum hisce nostris litteris;* quasi quod voluerit indicare, non prius ad Leonem scripsisse, quam cum Acta confecta cum hisce litteris miserit; occurram statim respondendo ex reliquo illius epistolæ contextu colligi jam pridem Flavianum cum Actis super Eutychem gestis hanc eamdem hujus epistolæ partem ad Leonem misisse, iterumque eamdem rescribere coactum, cum, auditis Leonis querimoniis, nondum et litteras et confecta Acta recepisse intellexerit. Id innuere videntur verba illa rotunde prolata: *prout sanctitatem vestram docebunt cuncta super eo confecta Acta, quæ et misimus cum hisce nostris litteris.* Hic autem loqui de re jam præterito tempore exsecutioni demandata, et de his litteris alias scriptis, tertia subsequens harum epistolarum pars, quam postremo priori addidit et subjecit, cordatis viris videri debet. Si quidem narratis pertur- D bationibus hac de causa in Constantinopolitana Ecclesia ortis, et verbo facto, tum de tabulis publice ab Eutychete propositis, contumeliarum videlicet et mendaciorum plenis, tum de precibus imperatori oblatis, arrogantia et petulantia refertis, gradum facit ad Leonis litteras, quas recenter acceperat. *Verum* (ait) *his ita ex consecutione peractis redditæ sunt litteræ sanctitatis vestræ per comitem omni admiratione dignum Pansophium.* Dicat Quesnellus quando redditæ sunt Flaviano per Pansophium Leonis litteræ? An non postea quam Flavianus Acta synodalia cum parte præcedenti harum litterarum ad Leonem miserat, quasque nimis sero ipsum S. pontificem accepisse asseverat? Si verba illa, spectato

ria. Pasch. Quesnel. tom. II Operum S. Leonis pag. 511. Verumtamen istius catalogi auctor non indicavit epistolam a Flaviano scriptam in causa Joannis presbyteri Constantinopolitani, illiusque socii, quorum Leo meminit epistola 62, quæ est ad Anatolium Flaviani successorem.

etiam dicendi ordine, alium verum sensum **325** sine ulla detorsione subeant, viri docti poterunt affirmare (*a*). At jam alterum momentum, quod ex ejusdem Leonis Operibus eruimus, non alium sensum subire posse indicabit. Semel et iterum sanctus pontifex duobus suis epistolis, 22 nimirum et 24, sibi redditas esse Flaviani epistolas cum synodalibus actis (sed nimis sero) ipsum Constantinopolitanum episcopum fecit certiorem, quarum epistolarum altera kal. Junii fuit conscripta, altera vero idibus ejusdem mensis, quando videlicet Flaviani legatum cum pleniori instructione Constantinopolim remisit. Non igitur necesse erat ut de hisce litteris cum synodalibus Actis acceptis amplius faceret mentionem, nisi, redeunte comite Pansophio, easdem litteras cum exemplaribus Actorum iterasset. Utrumque autem iterasse Flavianum, prodit Leonis epistola trigesima secunda, quæ data est kal. Julii ejusdem anni. Cujus quippe epistolæ initium cum istud sit: *Litteras tuæ dilectionis accepi, cum gestis quæ apud vos de fidei quæstione confecta sunt*, facile in eam veni opinionem, tum dumtaxat Leoni redditam fuisse eam epistolam cum omnibus suis partibus, et nova appendice, prout in Quesnelliana editione primum obtinet locum. Et quidem id nobis indicatum est ex illius epistolæ textu. Nam Leo pontifex, admonito Flaviano de recentioribus receptis litteris et synodalibus gestis, nullam amplius facit mentionem de Eutychete, hujus erroribus et appellatione ad apostolicam sedem, de quibus rebus in præcedentibus litteris sufficienter disseruerat; sed dumtaxat novæ illius appendici iteratæ epistolæ occurrit dicendo: *Quamvis evidenter appareat rem de qua agitur nequaquam synodali indigere tractatu; tamen, frater charissime, subsecutos esse significo, quos in hac parte placuit destinare* (*b*). Verba hæc referri debere ad illud quod præfatus Flavianus novissime in suæ epistolæ appendice scripserat ad Leonem, nemo ibit inficias. Nam cum Flavianus dixerit se R. P. epistolas accepisse postquam damnationis Eutychianæ synodalia gesta cum suis epistolis direxerat, atque rebus ita gestis et expeditis sibi dari affirmat sanctitatis suæ litteras per comitem Pansophium, quibus edocebatur Eutycheten libellos omni fallacia et calliditate plenos scripsisse, dicendo judicii tempore appellasse vestram sanctitatem, atque idcirco rumorem perferre ea de causa generalem habendam synodum. Nihil tamen in præsentiarum de hac Eutychiana appellatione duximus disserendum, de illa enim suo loco agemus.

4. Interim vero alia potius argumenta subjicimus, quibus non obscure intelligitur Flavianum, damnato depositoque Eutychete, aliter ratiocinatum fuisse quam Quesnellus et novatores commenti sunt; ideoque non tantum scribere cogitasse, sed revera ad Leonem pontificem scripsisse de Constantinopolitano judicio: siquidem summum sacerdotii apicem auctoritatemque in Leone ipso constitutam fassus est; eum videlicet interpellans tamquam catholicæ religionis legitimum fidejussorem, ad quem spectat (*c*) *communem rem sanctarumque Ecclesiarum compositionem vindicare.* **326** Secundo, eumdem pontificem rogat ut suo scripto ratam ac validam haberi velit canonicam depositionem adversum eum, Eutychen videlicet factam. Tertio in mente repositum illud habens, quod Christus Petro dixerat, de fide fratrum confirmanda, subjicit: *Confirmare vero, et piissimi Christumque amantis nostri imperatoris fidem. Res namque solo indiget ex vobis impulsu, atque subsidio, quod per vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est.* Si res ergo, auctore Quesnello, in Constantinopolitana provinciali synodo erat acta et finita; si pariter in Constantinopolitano episcopo omnia jura residebant circa illud judicii genus, quare Flavianus Leonem interpellat, dicendo rem indigere impulsu et subsidio apostolicæ sedis, ut cuncta statim ad tranquillitatem et pacem transferantur? Nisi quidem mea me fallat opinio, illius hæreseos damnatio rata habita a Leone fuisset; et nisi excitatæ turbæ pontificia auctoritate compositæ fuissent, numquam vera de Christi Domini incarnatione doctrina certo sufficienter Christi fidelibus innotuisset; nec contumaces atque rebelles acquievissent, *nisi, cooperante Deo* (ait Flavianus), *per vestras sacras litteras.* Denique solas litteras Leonis futuram generalem synodum, de qua rumor erat, prohibere potuisse, idem Flavianus non dissimulanter asseverat, dicendo: *Prohibebitur vero et quæ evulgatur futura esse synodus, ut ne totius orbis perturbentur Ecclesiæ.* Ex hac ergo hujus primæ Flaviani epistolæ appendice nos perspicue colligimus quidquid veteres Orientales episcopi de Romanorum pontificum auctoritate, tum in hæresibus profligandis, tum in conciliis firmandis et convocandis, tum denique in condemnatorum appellationibus suscipiendis senserint et judicaverint. Quibus omnibus etsi nimis audacter et quasi stolide prætextu episcopalis dignitatis tuendæ et vindicandæ aliqui repugnent, tamen Flaviani epistolæ, et illius scribendi agendive modus, Ecclesiæ disciplinam et dogma erga apostolicam sedem, cæterarum Ecclesiarum matrem et magistram, solidissime probant et patefaciunt.

5. Sed jam properanter ad alia gradum faciamus, ut Quesnelli animum ab apostolicæ sedis reverentia et auctoritate nimis alienatum clarius conspiciamus. Is ergo ut præcedentibus suis dictis fidem faciat, simulque ostendat Flavianum numquam ad S. Leonem scripsisse, nisi post acceptas ejusdem pontificias querimonias, ad alias et alias Leoninas epistolas, vel ad Flavianum ipsum, vel ad Theodosium imperatorem scriptas provocavit. Verumtamen de illa quam 20 loco posuit Quesnellus in sua editione, quæque Martii kal. conscripta fuit, ad cujus temporariam notam advertere prætermisit, ne hactenus actum iterum agamus, hic verba non facimus. Dumtaxat animadvertimus sancto Leoni supremi judicis partes in hac causa debitas fuisse; neque Flavianum apostolicæ sedis jura in fidei causa violare potuisse. Id non obscure S. pontifex asseverat, non tantum de Eutychetis disserens appellatione, sed ad damnationis causam respiciendo, noscere vult quæ a Flaviano in Constantinopolitana synodo facta fuerant. *Sed respicientes ad causam* (ait), *facti tui nosse volumus rationem.* Neque ulla injuria ad factorum rationem reddendam cogebatur Flavianus, cum supremi ecclesiastici regiminis ordo id postularet; et imperatoris voluntas pontificiam excitaret sollicitudinem, ut videlicet, sublatis omnibus dissensionibus quæ in Constantinopolitana Ecclesia exortæ erant, apostolicæ sedis auctoritate catholica fides muniretur. Hisce enim de causis, in altero illius 20 epistolæ capite per idoneam personam sibi a Flaviano Leo significari

(*a*) Joannis Baptistæ Cotelerii versionem in hujus epistolæ verbis exscribendis secuti sumus, ne a Quesnelli fautoribus criminaremur. Quamvis revera veteris interpretis versio magis perspicue hanc veritatem patefaciat cum propter illa cap. 2 verba: *Sicut docebunt vestram sanctitatem omnia quæ super eum sunt gesta, quæque direximus cum nostris his litteris. Justum autem est, et hoc vobis intimari*, tum propter ea quibus cap. 3 orditur: *sed his ita gestis litteræ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per*, etc.

(*b*) Epistola hæc 32 in Quesnelliana editione pro *subsecutos* habet *subsecuturos*, et editor annotavit ad marginem: *Nondum profectos* esse legatos constat ex hac epistola et ex 34. Sed falli annotatorem colligitur tum ex præcedentibus epistolis, tum quia synodus Ephesina cœpta est III idus Augusti, præsentibus jam apostolicæ sedis legatis. Nos, his rationibus ducti, retinendam esse vocem *subsecutos*, merito judicavimus, suffragantibus aliorum editis et Vat. exemplaribus.

(*c*) Flaviani epistola apud Quesnellum 1, cap. 3.

postulat *quid contra antiquam fidem novitatis emerse-* A *rit, quod severiori sententia dignum fuerat vindicari. Nam* (subjicit S. Leo) *et ecclesiastica moderatio, et religiosa piissimi principis fides multa nobis sollicitudinem Christianæ pacis indicant* (*a*). Si igitur **327** duo hæc, videlicet ecclesiastici regiminis ratio, ad quam Quesnellum attendere oportebat, et imperatoris efflagitatio, tantam sollicitudinem Leoni indicebant, nescio qua perfricata fronte Quesnellus contendere potuisset Flavianum non ante ad Leonem ea de re scribendum cogitasse, quam cum didicit pontificem improbis Eutychis actibus deceptum, falsam de judicio Constantinopolitano cepisse opinionem. Leo Magnus imprimis nequaquam ad Flavianum scripsit vix audito Eutyche, aut ejus appellatione accepta. Sed tum dumtaxat, cum ab imperatore fuit edoctus Constantinopolitanam Ecclesiam multarum perturbationum strepitu esse commotam, et contentiones in fidei rebus versari. Epistolam enim illam 20 cui et Quesnellus institit, Leo Magnus hisce verbis orsus est: B *Cum Christianissimus et clementissimus imperator, sancta et laudabili fide pro Ecclesiæ catholicæ pace sollicitus, ad nos scripta transmiserit de his quæ apud vos perturbationis strepitum commoverunt.* Duo ergo Quesnellum hic distinguere oportebat, neutrumque prætermittere. Alterum ad imperialia scripta pertinebat, alterum vero ad Eutychis appellationem. Se mirari ait instructum esse de tantarum perturbationum strepitu dumtaxat ab ipso imperatore, et non *primitus* procurasse Flavianum ut (ait) *nos insinuatio tuæ relationis instrueret.*

6. Ecclesiasticæ ergo hierarchiæ unitas, dispositio et forma exigebat ut de nuper exorta hæresi et de gravissimis perturbationibus inter Constantinopolitanum clerum excitatis summus pontifex a Flaviano episcopo instrueretur. Qui sane loquendi modus prorsus evertit illud aliud Quesnellianum commentum, quo videlicet confingit: « Quamdiu intra Constantinopolitanæ Ecclesiæ limites sese labes ista continuit, opus non fuit ut collegarum opem imploraret Flavia- C nus. Episcopis nempe universis catholicam veritatem totam in solidum a Christo Domino creditam non ignorabat, quam pro sua quisque virili defendere teneretur, erroresque contra insurgentes opprimere, tamquam ordinarius judex, in ea quam sortitus est Ecclesiæ portione. At ubi monitus a Leone rescivit hæresiarcam Occidentem litteris suis pervasisse, suum virus spargere, atque a sæculi potestatibus insidias parari catholicæ doctrinæ, tum Romanum pontificem adire sui putavit officii : quo videlicet et de re tota instrueretur, quod Ecclesiæ capiti debebatur, et qua pollebat apud Augustum gratia ageret sollicite, ne late serperent hæreticorum artes, nec turbarentur Ecclesiæ, convocatione concilii, in quo timendum merito erat ne auctoritate plurimum valituri essent homines improbi (*b*). »

7. Lepida Quesnelli ratiocinatio. At quis non intelligit eam ecclesiasticis regulis non tantum repugnare, sed Leonis et Flaviani dictis, eamque sacrum D hierarchiæ ordinem prorsus pervertere? Igitur, Quesnello auctore, si alicujus Ecclesiæ episcopus, aut præcipiti judicio, aut minime servatis regulis juris, aliquem tamquam hæreticum condemnet; si presbyterio et gradu eum dejiciat, cum illius hæreseos labes intra suæ diœceseos limites se continet, non est opus *collegarum* opem implorare. At quid collegarum nomine intelligit? Si particularium Ecclesiarum episcopos, quorum fides deficere potest, et quandoque fuit per hæreses labefactata, ultro id dabo. Veruntamen si *collegæ* vocabulum etiam ad Romanum pontificem, catholicæ fidei custodem et judicem, extendendum esse contendat, jam unitatis et veri capitis dispositionem et formam evertit et exscindit, sublata eidem eadem potestate, qua ejus curam et demandatum pastoris officium per universum orbem extendere habet. Plane Leonina agendi ratio et illius verborum energia innuunt non tamquam collegam se habuisse S. pontificem, sed tamquam supremum gestorum et **328** controversiarum judicem. Siquidem ea ratione Flavianum compellebat ad suam notitiam totius facti causam et modum deferre, ut judicis, non collegæ, partes obiret. *Quoniam* (subjicit) *nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus* (*c*). An collegæ collegam alloquenti hæc et illa alia verba, *facti tui nosse volumus rationem,* esse posse arbitrabimur? Par in parem non habere imperium jura omnia asseverant. At Leonem auctoritate qua pollebat Flaviano jussisse, tum totus illius 20 epistolæ contextus, tum subsequentis epistolæ verba ad imperatorem Theodosium scriptæ, dilucide patefaciunt. Nam imperator, spectato ecclesiasticæ hierarchiæ ordine, in quo unum episcopum et pastorem cæteris sacerdotibus Christus Dominus præfecit, non Romani pontificis opem dumtaxat imploravit ad scandala illa abolenda quæ latius in Constantinopolitanum clerum gliscebant; sed judicium ipsius expostulavit, ut et fidei dogma firmaretur; ut Nicæna statuta servarentur, et cognosceret an jure vel injuria Eutyches, cui imperialis aulæ ministri patrocinabantur, a sacerdotii gradu et monasterii præfectura esset dejectus. *Ejusmodi* Theodosii epistola ad Leonem, vel *temporis injuria* deperdita est, vel in alicujus bibliothecæ scrinio obsoleta asservatur. Superest tamen epistola Leonis ad eumdem Theodosium imperatorem, ex qua non obscure suprema pontificia jura colliguntur, et plane innotescit quidquid episcopos particularium Ecclesiarum servare oporteat, cum aliqua fidei causa pertractatur *in ea quam* ipsi sortiti sunt *Ecclesiæ portione.*

8. In hac ergo epistola S. Leo fatetur se prorsus ignorare quæ in tanta causa gesta erant. Idcirco quia nondum synodalia Acta cum Flaviani epistolis receperat, ait ad eumdem Constantinopolitanum episcopum scripsisse, ut cognosceret sibi displicere *quod ea quæ gesta fuerant etiam nunc silentio detineret, cum studere debuerit primitus cuncta nobis reserare* (*d*). Non quidem ut opem obtineret, sed ob causæ judicium, quod propter tria gravissima motiva sibi deberi asseveravit. Videlicet *ob causæ meritum, fidei rationem,* et imperialis sollicitudinis pietatem. Quæ exigebant ut subreptionibus locus non pateret: *Sed prius de quibus eum* (Eutychen videlicet) *æstimat arguendum instrui nos oportet, ut possit de bene cognitis congrue judicari.* Denique suam epistolam ad imperatorem claudit, dicendo post admonitionem Flaviano per pontificias litteras factam se sperare et credere omnia Flavianum *ad nostram notitiam relaturum, ut in lucem ductis quæ videbantur occulta, id quod evangelicæ et apostolicæ doctrinæ convenit judicetur.* Animadvertat, amabo, Quesnellus an Flavianus Leonem tamquam incompetentem judicem rejecerit? an contempserit *admonitionem?* an obscure saltem judicaverit *non debuisse primitus cuncta R. pontifici reserare?* vel non pertinere ad eumdem quod *evangelicæ et apostolicæ doctrinæ* conveniebat judicare? vel quia labes illa intra Constantinopolitanæ Ecclesiæ limites se continebat, vel quia non apostolicæ sedi, sed episcopis universis catholica veritas tota in solidum a Christo Domino credita erat, quam quisque pro virili defendere tenebatur; et cætera hujuscemodi, quæ maximas nugas agendo congessit Quesnellus, ut, excepto primatus honore, parem auctoritatem et jurisdictionem in cunctis episcopis admittendam esse confingeret.

(*a*) Leo Magnus epist. 20, cap. 1 tom. I, apud Quesn., pag. 238, et cap. 2.

(*b*) Quesnel., ad an. 449, diss. de Vita et Rebus gestis a S. Leone Magno, pag. 146.

(*c*) Leo Magnus, ibid., epist. 20 cap. 1.

(*d*) Epistola 21, ad Theodosium imper., cap. 2.

9. Possemus quamplurima hic ex Leone proferre, quibus prærogativam ecclesiastici primatus in totum orbem sibi suisque successoribus convenire et deberi passim in suis epistolis et sermonibus affirmavit. Sed ne extra chorum in præsens canere videamur, plane prætermittimus.

329 CAPUT III.

Idem Paschasius Quesnellus, novis excogitatis doctrinis, prorsus ecclesiastici regiminis formam pervertit, de Flaviani et Eutychetis causa disserendo. Cardinalis Baronii ea de re asserta sancti Leonis Magni decretis vindicantur. Ejusdem S. pontificis epistola 12 a Quesnello perperam explicata, auctior prout in ms. cod. Vatic. reperitur, exponitur. A cujus epistolæ decretis minime recessisse sanctum Leonem Magnum suprema pontificatus jura exercendo, ex aliis et aliis ejusdem epistolis explicatur.

1. Ut Paschasius Quesnellus facilius prava sua dogmata propugnaret, et nugas quas contra apostolicam Petri sedem mente conceperat vendere posset, lectorum animum commovere et novitatibus demulcere passim studuit, cum eum non fugeret quantam cupiditatem hominibus novitas injicere soleat (*a*). A qua quidem agendi ratione nos et catholici cuncti scriptores abscedere debemus, non vetustatis dumtaxat conservandæ prætextu, sed ad diligentius eos errores præcavendos qui veritatem cunctis rebus præstabiliorem, vel fraudibus, vel falsis opinionibus in vulgum sparsis opprimunt, et in odii contemptum adducunt. Cum itaque laudatus scriptor novitatibus potissimum indulgere nisus fuerit, de Ecclesiæ rebus hujusque regiminis forma et ratione, disserendo, ut ipsi hactenus in præcedentibus capitibus explicavimus, idcirco multum interest præsentis otii scribendi eam veritatis vim inquirere et perscrutari quæ contra hujus hominis ingenium, calliditatem, solertiam facile se per seipsam defendere potest. Leoninarum ergo rerum ordinem prosecuturi, nobis iterum occurrunt Leonis epistolæ ad Flavianum, et Flaviani ad Leonem. Et quamvis Quesnellus optime intellexerit S. pontificem veri et supremi judicis partes assumpsisse in Eutychiana causa, illudque munus nemine refragante exercuisse, tamen cardinalem Baronium exagitare, mollique brachio illum objurgare aggreditur, quod scripserit: *Ex veteri instituto absque controversia confiteri eosdem inter se altercantes Flavianum et Eutychetem legitimum et præcipuum judicem controversiarum ecclesiasticarum esse Romanum pontificem, ad quem tam actor quam reus sponte concurrunt, sua jura prosecuturi* (*b*).

2. Subdole tamen se pontificiam dignitatem venerari ait Quesnellus (*c*). Et statim subjicit : « Sed quoniam omnibus Ecclesiæ episcopis cum Romano communis dignitas, ipso etiam Leone hoc profitente, absit ut quam in uno veneror, in cæteris calcari velim. Ultro agnoscimus Romanum pontificem pro legitimo ac, si cum singulis episcopis comparetur, pro præcipuo controversiarum Ecclesiæ judice : sed quis propterea ferat Flavianum, quem et sedis prærogativa, et sanctimonia singularis, et fidei constantia ad martyrium usque perseverans tantopere commendare debuerant, cum rebelli imperito, et obscuro, ac malæ frugis monacho componi, committique exauctoratum presbyterum cum suo ac tantæ sedis episcopo, judicem cum reo; et utrumque velut 330 de communi dividundo altercantem coram Leone sisti, quasi de incerto causæ dimicaturum. Absit tanta a sacratissimo episcoporum cœtu injuria. » Hæc, et id genus alia, comminiscitur, quæ præcipue comprobari posse confingit ex epistola ejusdem S. Leonis ad Anastasium Thessalonicensem, quam ad marginem annotavit, cuique totam pravam interpretationem suam de ecclesiasticis judiciis insistere, easque fulciri impudenter sibi blanditur. At nihil ea epistola efficacius pro dictis Baronii et veritate firmanda reperiri posse, sequentibus aperte demonstrabo.

3. Nam imprimis S. pontifex, analogice (ut aiunt) de Ecclesiastico cœtu disserens, similitudinem instituit cum apostolo Paulo, eum ad naturale corpus comparando. In quo *connexio totius, unam sanitatem, unam pulchritudinem facit : et hæc connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum*. Quibus, subjicit, *etsi dignitas sit communis* (non dixit *jurisdictio*) *non est tamen ordo generalis*. Quis enim negavit episcoporum dignitatem in sacro ordinationis munere acceptam esse omnibus episcopis communem, aut affirmavit unum vi sacræ episcopalis unctionis in pascendis suis ovibus majorem minoremve dignitatem obtinuisse? In hoc pascendi munere et honore dignitas omnibus episcopis communis est : nec propterea *ordo est generalis*; ita ut quilibet de quibuscumque causis judicare possit. Nam eodem S. Leone auctore, inter episcopos ipsos danda *est potestatis discretio*, quam Quesnellus ipse eum dignitatis honore commiscere et confundere conatur. Subdit enim apostolorum exemplum. *Qui quamvis in accepti muneris honore similes essent*, tamen eos inter *potestatis* seu jurisdictionis *discretio* dabatur : atque *cum omnes ad apostolatum munus essent electi*, unus vero solus cæteris præeminebat. Quoniam (ait) *et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis. Et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret*. Auditne Quesnellus? Similes in charactere et dignitatis honore quem gradus non admittere satis est exploratum; dispares vero in potestatis prærogativa, quia unus cæteris debet præsidere : Qua ergo ratione, vel quibus Leonis verbis ductus, jurium æqualitatem inter episcopos jactare potuit Quesnellus? Non enim in jurisdictione exercenda, vel in judiciis ferendis omnes episcopi omnia sibi vindicare possunt. Cum, auctore eodem Leone, divina æque ac ecclesiastica dispositione factum sit ut singuli in singulis provinciis essent *quorum inter fratres prima haberetur sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret*. Si itaque toto huic contextui insistamus, quid offendimus quod Baronii dictis repugnet? Non instituti *vetustas*, qua stabilitum est ut inter se episcopi et presbyteri altercantes de fidei rebus ad Romanum pontificem provocent, tamquam ad legitimum controversiarum judicem, ut ex sexcentis vetustioribus exemplis, desumptis ex Dionysii Alexandrini, Athanasii, Pelagii, Cœlestii, Priscilliani, Dictinii historiis probare possemus (*d*), quæ in præsens prætermittimus ne extra scenam agere videamur. Non ultima illa verba « ad quem tam actor quam reus sponte currunt sua jura prosecuturi ». Nam quamvis Flavianum episcopum inter et Eutychem presbyterum maxima graduum conditionis et jurisdictionis discretio daretur, atque unus esset legitimus actor et ordinarius judex, alius vero imperitus rebellis et obscurus, condemnatus monachus, ut rationabiliter Quesnellus asseverat; tamen cum is non acquiesceret latæ in seipsum sententiæ 331 et provocasset ad unam Petri sedem, ne Leo Magnus præcipiti animo de incognitis rebus judicaret, actorem Flavianum et Eutychen reum audire debuit, atque etiam epistolis interpellare, ut totam rerum gestarum seriem patefacerent. At in hoc, quid injuriæ aut contumeliæ prærogativis Constantinopolitanæ sedis, et episcopo finem.

(*a*) Cicero, ad Heren. 23.

(*b*) Baronius, ad annum 449, num. 5.

(*c*) Quesnellus, diss. 1 de Vita et Rebus gestis S. Leonis Magni PP., pag. mihi 147, col. 1, circa

(*d*) Videsis quæ diximus in superioribus Exercitationibus de hæresibus Priscillianistarum et Pelagianorum.

singularis sanctimoniæ, qui in fidei constantia usque ad martyrium perseveravit? Nullo prorsus convicio nullaque turpitudine Flaviani fama et dignitas ex summi pontificis agendi ratione violata fuit. Quinimmo, cum ante rerum cognitionem, tum rebus gestis cognitis debitum honorem eidem detulit, omnem moderationem et reverentiam in eum exercuit. Quemadmodum ipsius omnes epistolæ ad eumdem Flavianum directæ dilucide patefaciunt. Si tandem contendat episcoporum cœtui injuriosum esse coram apostolica sede sisti pro juris et facti quæstionibus dirimendis, jam cura universalis Ecclesiæ ad Petri sedem confluere haud debet, jam cuilibet licitum erit a suo capite dissidere, et de Ecclesiæ unitate actum erit, cujus compago firma esse non potest, *nisi ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis episcopos astrinxerit*.

4. Secundo, quisnam merito inficiari poterit, vel audebit, sanctum Leonem causas cum episcopis agentem, quemadmodum suæ, ita et aliarum episcopalium sedium honori et juribus non prospexisse, aut non consuluisse? Profecto etiamsi alia monumenta nobis deessent, sola sufficeret laudata epistola ad Anastasium Thessalonicensem, cui Quesnellus institit, ut novas suas merces hauriret atque venderet. In ea namque de aliis atque aliis episcoporum gradibus disserens, de episcopis, videlicet, metropolitis et apostolicæ sedis vicariis, præcipit, mandat, ut *Metropolitanorum* legitima jura perpetuo servarentur, nec *jus traditæ antiquitus dignitatis* a vicariis Thessalonicensibus, quamvis apostolicæ sedis legatis, violarentur. Nec propterea metropolitarum jura violari posse arbitrabatur, si in causis judicandis contingeret episcopos in conciliis congregatos, dissidentes vel ob rerum gravitatem, aut quæstionum difficultates non convenire. Jussit enim tum eas ad apostolicæ sedis judicium deferri, reservata sibi suisque successoribus facultate ultimam sententiam constituendi. Legitur enim in perantiqua synopsi, can. 7 : *Ut bina per annum provincialia episcoporum concilia celebrentur, et si res difficilis emerserit, nec fuerit Thessalonicensis episcopi judicio terminata ad Romanum deferatur antistitem*. Nec propterea censuit hac reservatione facta episcoporum metropolitarum aut suffraganeorum jura turbari, aut infringi. Consultius quoque strictiorique mandato et canone episcoporum honori et juribus prospexit. Cum videlicet verebatur ne conciliorum provincialium cogendorum *colore*, episcopi vim injuriamve paterentur. Ad præcavendos igitur quoscumque abusus injuriam aut ignominiam episcopis inferentes, decimo cap. ejusdem epistolæ decrevit *ut in evocandis provincialibus episcopis a Thessalonicensi pontifice moderatio conservetur, ne sub hoc colore sacerdotalis honor contumeliis addicatur*. Atque tandem decretalem suam epistolam eo ultimo capite claudit ad quod provocavit Quesnellus, cujus ita perspicuus est titulus, tam in editis quam in manuscriptis codicibus antiquissimis, quos ipsi lustravimus, ut vix dubitare possimus de apostolicæ sedis auctoritate in recognoscendis causis, jampridem in provincialibus synodis tractatis et definitis : et tunc maxime, quando de fidei negotio agitur, et ob illud contentiones et scandala suborirentur, quemadmodum in Eutychiana causa evenisse omnibus exploratum est. Titulus ergo illius capitis hæc habet : *ut si inter eos* (episcopos videlicet) *de negotio fuerit oborta contentio, cuncta Romano pontifici sub gestorum insinuatione pandantur, ut ab eo quod Deo placuerit ordinetur*. An non hæc omnia cohærent cum iis quæ Baronius de veteri Ecclesiæ instituto scripserat? Igitur tantum abest ut hujus dicta infirmentur **332** ex iis quæ S. Leo habet in epistola ad Anastasium Thessalonicensem, quinimmo plus firmamenti et roboris assequuntur.

5. Nunc ad reliqua progrediamur. Atque interim aliis prætermissis, quæ de hac epistola dicere possemus, quam non tantum ad Vaticana, aliaque mss. exemplaria exegimus et castigavimus, sed etiam auctiorem ornatioremque reddidimus circa illius octavi canonis doctrinam, quam uberius et luculentius explicatam offendimus in quodam Græco archetypo ejusdem Vaticanæ bibliothecæ. Porro de ejus canonis Græca interpretatione et paraphrasi verba faciemus in una appendice quam eidem epistolæ subjecimus. Igitur nunc dumtaxat perquirendum erit an S. Leo de Eutychiana causa et Orientalibus rebus perturbatis judicium tulerit post accepta a Flaviano synodalia gesta et litteras, an vero solummodo Constantinopolitano episcopo graviter afflicto opem præsidiumque exhibuerit atque tulerit. Postremum affirmare Quesnellum oportuit, ne paululum etiam leviter a præcedenti disserendi methodo abscederet. Nam postquam contra Baronium dixerat Flavianum coram Leone non se stitisse tamquam actorem, sed judicem; non damnandum traduxisse Eutychen, sed a se damnatum produxisse; nec novum a Leone judicium petiisse, sed latam a se sententiam cura pontificis Romani collegis Occidentalibus notam fieri postulasse, ut omnes communi fidei causa, communibusque curis, communi opera et sollicitudine allaborarent, subjicit in sequenti capite : « Acceptis litteris Flaviani, Leo opem operamque suam adversus Eutychen pollicetur; perque illustrem virum Rhodanum epistolam mittit ..... quam et secuta est alia ad Theodosium, *in* qua Nicænæ fidei se inhærere profitetur, *Nestorii et* Eutychis dogmata condemnat, atque *etiam postulat* synodum intra Italiam congregari. »

6. Cum itaque duo ibidem a Quesnello proponantur, et pro disserendi libidine resolvantur, nostrum erit in præsentiarum unum ab altero secernere, ac de utroque verba facere. Quoad primum attinet, affirmamus Flavianum utique tamquam actorem coram S. P. Leone se stitisse; et traduxisse Eutychen tamquam reum, in provinciali Constantinopolitana synodo jam damnatum, solemniusque tamen et ultimo peremptorio judicio ab apostolica ipsa sede damnandum. Flaviani prior ad S. Leonem epistola id manifeste prodit. Sive enim eam epistolam scripserit immediate post Constantinopolitanam synodum, ut jam præcedenti capite luculentissime probavimus, vel dumtaxat postquam se plurimis querimoniis exagitatum a Leone cognovit (ut irrationabiliter contendit adversarius), semper innotescit ad apostolicam sedem tamquam actorem convolasse, judicii jam a se probati rationem redditurum approbationemque consecuturum. Si autem hujusce a se probati judicii rationem reddere nec voluisset, nec debuisset, quemadmodum Quesnellus contendit (*a*), cur synodalia transmisit acta? Cur justum judicavit de omnibus contra nuper exortam hæresim peractis Leonem certiorem facere? Cur tandem commoveri rogat pontificis animum, sicut *sacerdotio* competebat, ut decerneret ratam habendam damnationem contra Eutychen factam; idque propriis scriptis patefacere? Nisi quod in mente alte repositum habebat ultimo hocce apostolicæ sedis judicio quod exoptabat, ut hæresis quæ surrexit, et turbæ quæ propter eam factæ sunt *facillime destruerentur, Deo cooperante, per pontificias sanctissimas litteras*. Ex quibus animadversionibus et loquendi formulis intelligitur non postulasse tantum Flavianum ut latam a se sententiam cura pontificis Romani collegis Occidentalibus notam fieret, sed solatium, et defensionem, *qua* (ait ipse) *debeatis consensu proprio ad tranquillitatem* **333** *et pacem cuncta perducere* (*b*). Solo ergo

(*a*) Quesnellus, ad annum 440, diss. de Vita et rebus gestis S. Leonis Magni pag. 147, colum. 1, num 5, et col. 2, num. 6. Vide quæ præcedenti cap. scripsimus.

(*b*) Flaviani epist. prior, cap. 3. Videsis quæ præced. cap. de hac epist. scripsimus.

Leone Flaviani et Constantinopolitani concilii judicium approbante, ratum habente, et scripto roborante, vel orta hæresis, vel excitatæ turbæ ad exitium perduci poterant; et cuncta pace et tranquillitate componi. Ibi nullus est de collegis Occidentalibus sermo. Nulla mentio, ut eos communibus curis, communi opera et sollicitudine allaborare compellat pro communi fidei causa. Dumtaxat usus consueta salutationis formula, epistolam claudit dicendo: *Omnem, quæ vobiscum est, fraternitatem, ego et qui mecum sunt salutamus.* An ergo Flavianus Leonem interpellaverit tamquam judicem, et Eutychen tamquam damnatum, et non adhuc a Romano pontifice damnandum traduxerit, videant qui nullo partium studio moventur et adducuntur?

7. Æque pariter labat et cadit illud quod idem Quesnellus subjecit, videlicet: Acceptis litteris Flaviani, Leo opem operamque suam adversus Eutychen pollicetur. Nullum profecto verbum offendimus in ea epistola quam per Rhodanum transmisit, quod ejusmodi phrasim redoleat, atque ita possit interpretari. Brevissimam enim tunc scripsit epistolam accepta opportunitate ab itinere quod statim Constantinopolim versus idem honorabilis vir Rhodanus aggrediebatur. Nihil tamen eorum in ea prætermisit quæ supremo ac principaliori Ecclesiæ judici conveniebant. Nam certior jam factus ex Flaviani epistolis et Actorum synodalium lectione, Eutychen aliter de fide sentire *quam convenit...*, *quem a traditione catholica non decuerat deviare, sed in eadem quæ tenetur ab omnibus credulitate persistere.* Interim longius scribere distulit, sed plenius de eadem causa scripturum promittit: *ut* (ait) *fraternitatem tuam quid de tota causa constitui debeat instruamus.* Neque vero universale magisterium dumtaxat ex laudatis verbis sibi vindicat et tribuit, sed et in subsequentibus veras judicis et vindicis partes se in posterum obiturum spondet, subjiciens: *Non enim patimur illum* (Eutychen nimirum) *in suæ persuasionis pravitate persistere, aut dilectionem tuam, quæ zelo fidei pravo et stulto resistit errori, diutina adversæ partis impugnatione turbari* (*a*). Ad integram hanc sermonis pericopen animadvertat, amabo, Quesnellus, et sincere fateatur an hæc de collega dumtaxat opem ferente operamque cum Occidentalibus collegis impendente intelligi possint? Causa autem etsi ad communem pertineret fidem, tamen non in Occidente, sed Oriente versabatur. Flavianus ipse non ab Occidentalibus, sed ab Orientalibus *impugnatione* turbabatur. Si ergo summum jus summamque potestatem jurisdictionemque in Orientales non habuisset, qua ratione quove sensu suum ministerium promisisset, ut et de Eutychiana pravitate judicaret, et Flaviani magnum zelum a diutina adversæ partis impugnatione vindicaret?

8. Et quidem absque ulla contentione utrumque munus, supremi judicis nempe et vindicis, sicut et universalis magistri, Leonem in causa de qua agimus exercuisse, colligitur ex celebri ipsius epistola quam dogmaticam appellant, post paucos dies ad eumdem Flavianum scriptam. Præterea quod in illius exordiis dixerit nimis sero Flaviani epistolam cum synodalibus Actis recepisse. Præterea pariter quod totum de incarnatione Domini Jesu Christi dogma divinitus explicaverit, suggillaveritque Eutychen tamquam stultum et insanum, qui nolebat *intelligere, ut bene ageret, qui et iniquitatem meditatus fuerat in cubili suo*, quæ veri judicis et magistri partes Leonem sibi vindicasse patefaciunt; tantummodo ultimo illius epistolæ capiti mihi insistere liceat, atque ex eo argumentari **334** an Quesnellus jure vel injuria ratiocinatus fuerit in præcedentibus. Eutychianæ enim causæ examen non detulit ad alios Occidentales epi-A scopos, sed per ipsum synodalibus Actis lustratis, aliqua reprehensione et reformatione digna reperiit, ecclesiastici juris regulis minime consona, quæ ab Orientalibus in synodo congregatis debebant necessario præcaveri, ne fides incarnationis de duabus naturis in Christo post unionem existentibus collaberetur. Ait namque: *Cum autem ad interlocutionem examinis vestri Eutyches responderit, dicens: Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero unam naturam confiteor* (*b*). Hocce enim assertum fidei dogmatibus prorsus contrarium, cum Eutyches interloquendum protulisset, haudquaquam impune et sine ecclesiastica censura erat audiendum. Sed anathemate et exsecratione confodiendum, tamquam aliquod apostolorum symbolo repugnans. Quare S. pontifex summa admiratione in Constantinopolitanos judices commotus eos hisce verbis objurgat: *Miror tam absurdam tamque perversam ejus professionem nulla judicantium increpatione* B *reprehensam, et sermonem nimis insipientem nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum*, etc. (*c*). An non igitur in iis Actis S. Leo reperiit quo rationabilius posset Constantinopolitanos judices reprehendere et exagitare, quod minus regulariter sive canonice se gesserint in Eutychianæ causæ examine et Synodalium Actorum compilatione? An non judicat impiam blasphemam esse illam Eutychetis assertionem, quam Flavianus cum tota illa synodo nulla censura dignam censuit, aut saltem censoria virgula notare prætermisit? Arbitrari sane potuisset Eutyches ex synodali agendi ratione, vel *recte*, vel *tolerabiliter* se esse locutum, ut statim subjicit S. Leo, *quia nulla vestra est sententia confutatum.* Cui malo volens S. pontifex mederi, diligentiam Flaviani commonet, *ut si per inspirationem misericordiæ Dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti ab hac sensus sui peste purgetur.* Ecce conditiones decernit servandas, quemadmodum Eutyches in communionem admit-C tendus sit, quoties resipiscat. *Qui quidem* (ait), *sicut gestorum ordo patefecit, bene cœperat a sua persuasione discedere, cum vestra sententia coarctatus profiteretur se dicere quod ante non dixerat, et ei fidei acquiescere cujus prius fuisset alienus.*

9. Mandat tandem quod si aliquando Eutychetem pœniteat talia contra catholicam fidem dixisse et protulisse, veniendo *ad satisfactionis plenitudinem*, *omnia quæ ab eo male sunt sensa viva voce et præsenti subscriptione damnando*, summa charitate esse complectendum, et *erga correctum misericordiam esse* adhibendam. Pro quarum rerum omnium felici exitu et exsecutione quatuor legatos ad pontificias vices agendas in Orientem cum fideli notario mittere asseverat, *confidentes* (ait) *ad Divinitatis auxilium, ut is qui erraverat, damnata sensus sui pravitate salvetur.* Liceat ergo mihi in præsentis concertationis fine Quesnellum et alium quemcumque rogare an collegæ in collegam hæc agendi ratio esse possit? Constan-D tinopolitana inprimis synodalia Acta tamquam irregulariter facta Leo reprehendit. Secundo, hæreticam propositionem a Constantinopolitanis judicibus dissimulatam nulloque anathemate proscriptam sua auctoritate condemnat. Tertio, Eutycheti aliquando forte pœnitentiam agenti veniam dari jubet, modumque statuit quo pœnitens recipiatur. Quarto, ut omnia ab eo præcepta fideliter exsecutioni demandarentur, quatuor mittit e suo latere legatos, pontificias vices agentes, qui una cum Dulcitio notario operam impendant ut hæresis aboleatur, et excitatæ turbæ componantur. Si id attendisset Quesnellus, aut non **335** dissimulasset, credimusne tantum studii adhibuisse ut omnia susquedeque verteret, et invidia, odio, ni-

(*a*) Epistola apud Quesnellum 22. Grimaneus cod., ex quo superiorem epistolam extraxit Quesnellus, habet *non patimur*; ipse autem forte librariorum oscitantia, substituit *non patiemur.*

(*b*) Epistola Leonis ad Flavianum, quæ in ordine 24 est, cap. 6.

(*c*) Leonis epistola 24 cap. 6.

miaque rixandi libidine ductus, apostolicæ sedis jura ad exitium perducere quæsiisset? Veritatis cultores, qualem se esse Quesnellus jactat, fraudis inimici sunt. Et propterea nulla ratione prætermittere eum oportebat, vel ad pravum sensum interpretari, quæ pro ecclesiastico universali regimine a majoribus accepimus: eo vel maxime quod S. pontifex Leo, perpetuo sibi concinens, quæ postremo illius 24 epistola dixerat, latius etiam exponit in epistola ad Julianum Coensem, ostendens necessarium fuisse ut ad reddendam rationem professionis suæ, crebris atque *sollicitis judicum interrogationibus urgeretur, nec tamquam inane aliquid præterflueret, quod nonnisi de haustu venenatorum dogmatum apparebat effusum* (*a*). Siquidem cum judicia reperta fuerint, *aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa* (*b*). Si judices crebris non urgeant interrogationibus reos, vel de criminibus postulatos, minime sufficienter in veritatis cognitionem venire possunt, nec crimina rite et canonice probari aut contestari, quemadmodum in fidei inquisitionibus necessarium esse semper judicatum fuit. Igitur labat etiam et cadit illud Quesnellianum assertum, quod in concilii Constantinopolitani Actis nihil prorsus occurreret quod rite et canonice non esset gestum. Cum unum offendamus quod ab apostolica sede fuit proscriptum, et intelligamus judices ipsos, et Flavianum ipsum merito fuisse reprehensum, cujus causa novum erat instituendum judicium, juxta regulas ab eodem S. Leone in utraque epistola mox laudatis præscriptas. Jam vero de Eutychetis appellatione sermonem instituamus.

CAPUT IV.

De Eutychis ad apostolicam sedem appellatione. Hanc maxima injuria negavit Quesnellus, cujus multa argumento cum ex Flaviani et Leonis epistolis, tum ex secundi Constantinopolitani concilii Actis eripiuntur et dissolvuntur. Demum cl. Petri de Marca opinio ad examen revocatur, et tamquam veritati minus consona annotatur.

1. Pro apostolicæ sedis legitimis juribus vindicandis multa hactenus expedivimus, spectata primum Constantinopolitani episcopi Flaviani agendi ratione: qui post in Eutychen damnationis depositionisque sententiam, ad S. Leonem cum universa gestorum synodalium serie suas epistolas misit, hunceque de omnibus quæ contigerant facit certiorem. Intelleximus quoque ejusmodi causam, utpote ex gravioribus difficilioribusque, ob quam scandala et simultates judices inter et Eutychianam factionem exortæ fuerant, juxta veterem apostolicamque consuetudinem jure Romani pontificis judicio reservari debuisse. Accessit tandem Constantinopolitani concilii Acta ex omni parte secundum regulas canonum non fuisse exarata; cum videlicet judices, Eutychen inter loquendum audientes admiserint, aut dissimulaverint saltem unam blasphemiam, multarum hæreseon fontem, quam proscribere debuissent, et sub ecclesiasticis pœnis hæreticum compellere ad eam exsecrandam. Cum igitur tria hæc ad Romanorum pontificum judiciariam potestatem probandam in præcedentibus præstiterimus, superest in præsens ut de appellationibus ad apostolicam **336** sedem verba faciamus; occasione nimirum accepta a nostro adversario, qui magnopere pugnat, omnia susquedeque vertendo, quæ in S. Leonis Magni Operibus occurrunt, pro iisdem appellationibus asserendis (*c*).

2. Atque imprimis ut innumera prætermittam loca in quibus affirmat Eutychen numquam ad apostolicam appellasse sedem, oculos conjeci in ipsius septima dissertatione, quam inscripsit: *De causa Eutychis archimandritæ Constantinopolitani a Flaviano episcopo*

A *C. P. in synodo damnati*; cui titulo sequentia tamquam argumentum dissertationis continentia subjecit: *Ad epistolas S. Leonis papæ 20 ad Flavianum eumdem, et 21 ad Theodosium Augustum.* In spem adducebar voluisse Quesnellum speciatim has duas epistolas percurrere, sibique objicere primo quæ in duabus illis epistolis de Eutychiana fatetur appellatione S. pontifex Leo; deinde responsionibus diluere quæ sibi objecerat. Sed opinio me fefellit. Dissertationem suam sane orditur affirmando plura a nonnullis ex his epistolis assumi, ut hoc jus appellandi ad sedem Romanam persuadeant; jura et prærogativas hujus primæ sedis non invadere asseverat: atque ejus auctoritatem eminentiamque sacris canonibus firmatam tueri et propugnare velle fatetur. « Verum, subjicit, ut immota et inconcussa manent vera fundamenta, quibus apostolici primatus moles incumbit, sic per se ruere necesse est infirma illa et fucata argumenta quibus præpostero quorumdam B studio fulciri solet, quorum inanitatem quisquis retegere sataget, is profecto non minimam a sede apostolica gratiam inierit. » Cujus dissertationis exordium claudit patefaciendo propositum sibi stabilitum, nihil intactum dimittendi eorum, quæ apud Leonem luce indigent; et propterea necessitate se (ait) adductum ementitam Eutychis appellationem annotare (*d*).

3. Præmisso itaque tam splendido tamque specioso verborum apparatu, sequentem infert consecutionem: « Hoc igitur censeo, nihil ex utraque hac Leonis epistola haberi quo valide comprobetur Romanum pontificem seorsim ac separatim ab aliis patriarchis majorumque diœceseon episcopis ab *Eutyche fuisse* appellatum. » Ab homine qui totus esset in fraudibus et mendaciis fingendis nihil solemnius potuisset excogitari; cum potissimum hic sensim persuadere velit appellationes dumtaxat ad futurum generale concilium apud Orientales obtinuisse ut novatores, quasi pro aris et focis pugnantes, in apostolicæ sedis C contemptum ausi sunt affirmare. Ut autem veritatis colore hocce prolatum mendacium deliniat, Eutychen non ad solam apostolicam sedem appellasse, sed ad synodos Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam et Thessalonicensem demonstrare primo contendit ex epistolæ Flaviani cap. 3, isthæc subjiciendo: « Unde veritas elucescit verborum Flaviani, quibus Leoni de posthabita Eutychis ad sedem apostolicam appellatione conquerenti ita respondit. » Ecce Flaviani verba: *Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque calliditate, dicens judicii tempore libellos se dedisse appellationis, et nobis, et hic convenienti sancto concilio appellasse vestram sanctitatem. Hoc ab eo nequaquam factum est, sed etiam in hac parte mentitus est, tamquam per fallaciam mendacii subrepere se sanctis vestris auribus putans.* At nihil firmamenti aut virium Quesnelli falsitatem acquirere, ex præcedentibus verbis mecum sanæ mentis homines judicabunt. Immo deducent jus appellandi ad apostolicam sedem, D nulla ratione habita, ad alias patriarchales Alexandrinam, Hierosolymitanam, et Thessalonicensem, sanctum Flavianum revera probasse. Siquidem episcopus Constantinopolitanus *factum* dumtaxat appellationis negat, non vero *jus* quod veluti **337** legitimum probat, neque in discrimen voluit adducere. Præterea Flaviani responsio Leoninæ propositioni omnino congruere debebat. Scripserat Leo Eutychen ad sedem apostolicam provocasse; et Flavianus reponit in hac parte Eutychen esse mentitum *dicens appellasse vestram sanctitatem*. Ubi, quæso, de aliis patriarchalibus sedibus horumque episcopis sermo est? Vel cum S. Leo semetipsum dumtaxat suamque sedem nominasset, ad quam Eutyches mentiendo judicii tempore se appellasse dixerat, cur Flavianus

(*a*) Epist. 25, ad Julianum Coensem, cap. 3.
(*b*) Ut ait Cicero pro Q. Roscio.
(*c*) Consule cap. 6 epist. 24 ad Flav., et cap. 2 epist. 25 ad Julianum Coensem.
(*d*) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis M., dissert. 7, de Causa Eutychis.

Leoni haud objicit id consuetudine non esse receptum, *seorsim, ac separatim ab aliis patriarchis* ad Romanum pontificem appellare, cum potius ad omnes alios patriarchas suos provocationis libellos debuisset dirigere? Igitur non tantum præcedentia verba Flaviani *juri* appellationis non repugnant, sed illud astruunt, eidem vim et robur adjiciunt. Reprobant tamen, et tamquam rem incognitam silentio prætereunt, consuetudinem illam quam de novo quidam pseudoecclesiasticorum jurium interpretes confinxerunt, de appellationibus videlicet ad generalem synodum necessario habendis.

4. Et quidem rem magis perspicuam facit ipsa Leonis epistola 20 quam tamquam præsentis dissertationis argumentum Quesnellus proposuit, cuique concinere habent, et quidem concinunt, Flaviani responsa. Quid vero ex hac Epistola? Eutychen damnatum a Constantinopolitana synodo ad omnes alias patriarchales sedes provocasse? Figmentum apage! Queritur primo loco S. P. Leo quod Flavianus Rom. sedi silere potuerit quæ perturbationis strepitum et scandala commoverant, *et non potius procurasse ut primitus nos* (ait) *insinuatio tuæ relationis instrueret.* Hæc verba, ut diximus, indicant quemadmodum in similibus contentiosis causis, in quibus de fidei articulis agebatur, Rom. pontifex erat instruendus simul et consulendus, *ne de rerum gestarum fide posset ambigere.* Addidit deinde statim : *Accepimus enim libellum Eutychis presbyteri, qui se queritur, accusante Eusebio episcopo, immerito communione fuisse privatum, maxime cum vocatum se adfuisse testetur, nec suam præsentiam denegasset, adeo ut in ipso judicio libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum.* Hic loqui S. Leonem de appellatione sibi facta, quam ordinarie ecclesiasticum subeuntes judicium facere consueverant, nulli dubium est. An vero illam fecerit, vel non fecerit, opportuno tempore, cum videlicet proferebatur judicium, id Leonem latebat. Necdum plene de rebus quæ contigerant fuerat instructus. Sed opportuno tempore Eutychen appellationem interposuisse eum credere oportebat. Nam ait, Eutyches videns *appellationem suam non esse susceptam, compulsus est contestatorios libellos in Constantinopolitana urbe proponere.* Quid enim contestatorii libelli nomine intelligebat? Nisi publicum testimonium scripto consignatum, quo profitebatur nullam et irritam esse judicii sententiam in seipsum latam, et ab ea ad Romanum pontificem provocasse. At, reponet Quesnellus, si appellationem interposuisset, provocasset etiam ad omnes alios patriarchas et majorum diœceseon episcopos, horumque concilia. Verum unde hausit hanc novam doctrinam? In medium proferat abscondita illa antiquitatis monumenta ex quibus eam desumpsit. Nos insistentes Flaviani et Leonis testimoniis, ad concilium Romanum non provocasse demonstramus. Flavianus quidem negat factam appellationem *ad sanctitatem vestram judicii tempore*, non negat *jus*; neque addidit hunc provocasse vel provocare debuisse alios patriarchas, et insigniores episcopos, horumque concilia; subdit solum : *Sed in hac parte fefellit velut pater mendacii, ac auribus vestris subrepturum arbitratus.* Igitur nusquam a Flaviano in discrimen revocatum est Eutychis *jus* interponendi suam appellationem ad apostolicam sedem; sed id ab Eutyche opportuno tempore *factum* fuisse negavit. Præterea si illa Quesnelli suppositio staret, jam Eutychete ad apostolicam sedem appellante, **338** aliis patriarchis prætermissis, isti conclamassent, sibi subreptum esse intelligentes jus cognoscendi similes contentiosas causas, cum nihil efficacius ad graves simultates excitandas quam aliorum jura contemnere, violare et abolere. Conclamasse autem unde colligitur? Contra vero, si Eutyches, ut mavult Quesnellus, ad omnes alios patriarchas et celeberrimarum Ecclesiarum antistites provocasset, isti non distulissent suum ferre judicium, et maxime Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus præsules, qui vix, et ne vix quidem, retardassent sui muneris partes obire, cum ageretur de eorum jure tuendo, ad quos Eutyches provocaverat. Nullus tamen alius ex majorum Ecclesiarum episcopis manum ad hoc negotium apposuit, nullus scripsit ad Flavianum, nullus in irritum mittere nisus est Constantinopolitani concilii decretum, vel illud confirmare, quamvis interea sex aut septem mensium spatium esset decursum ab Eutychetis damnatione appellationeque ad tempus usque quo S. Leo omnium gestarum rerum cognitionem obtinuit. Ego sane arbitror non tamdiu Orientis et Græcorum antistites, qui insignioribus præerant Ecclesiis, distulissent suo jure uti. Cum igitur id non fecerint, argumento est nec ad eos provocasse Eutychen, nec usum obtinuisse, ut condemnati in provincialibus synodis ad concilia Ecclesiarum patriarchalium provocarent. Tamdem illa Eutychetis appellatio ea ratione haberi debuit, qua tum Flavianus, tum Leo Magnus interpretati sunt. Atqui modus scribendi utriusque indicat appellationem factam esse ad unum singularem episcopum, ad Romanum videlicet, qui tamquam caput et firmamentum totius Ecclesiæ venerabatur, et a quo per fallacias mendacii Eutyches, ut innuere videtur Flavianus, se absolutionem, rebus incognitis, subrepturum esse sperabat. Igitur nova illa judicandi forma a Quesnello excogitata labat et ruit, quin habeat quemadmodum consistere possit. Potissimum cum Liberatus diaconus dumtaxat asseveret quod *Eutyches, de sua damnatione papæ Leoni scribens, posuit edicta Constantinopolim, et injuriam se fuisse passum contestatus est* (a).

5. Duo tamen sunt ex quibus ejusmodi machinam consistere posse sibi arbitratus est Quesnellus. Alterum est testimonium Constantini monachi, aliud est Eutychis epistola ad episcopum Alexandriæ. Quod ad primum attinet, neminem latere deberet quisnam fuerit hic monachus Constantinus, qui non tantum tamquam hæreticus habitus et condemnatus fuit, sed etiam volens in secunda synodo Constantinopolitana Eutychis partes agere, sibi numquam constabat in dictis; et colore perturbati animi negabat quod affirmaverat, et ultro dabat quod pridem negaverat; ita ut ejus testimonium nullum prorsus pondus nullamque fidem habere debeat. Hæreticum fuisse Constantinum ultro concedit etiam Quesnellus, excutiendo Joannem David (b) qui exagitaverat Petrum de Marca, dicendo illius monachi testimonium (quod in subsequentibus subjiciemus) esse hominis hæretici, multis difficultatibus obnoxium, cui Florentius ipse Patricius contradicit, immo quod ipsi Constantinopolitani PP. reprobarunt. En Constantini dictum : *Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit sanctum concilium sanctissimi episcopi Romani, Alexandrini, Hierosolymitani, et Thessalonicensis, et hæc in Actis non sunt inserta.* Super hoc veluti firmissimo lapide, quamvis emoutito, Quesnellus totum suum novum de appellationibus ædificium construere conatus est. Verumtamen si universa quæ in secunda illa Constantinopolitana synodo gesta et dicta sunt vel sedulo, non cursim, lustrasset, vel omnino non dissimulasset, quanti faciendum sit tale testimonium noscere potuisset. Neque affirmasset, ex illius mendacio veri aliquid posse elici. « Nimis (ait) enim putidum mendacium est, **339** quod veritatis specie non adumbratur : ac proinde discimus non eam fuisse ad ea usque tempora consuetudinem Orientalium, ut ad unicum ex episcopis appellarent, sed eos omnes qui judicii a quo provocabatur participes non fuerant;

(a) Liberatus diaconus, in Breviario, cap. 11.
(b) Quesnellus, ibidem., ut supra. Joan. David., in opere Gallico de Judiciis episcoporum.

nec ad solum Pontificis Romani concilium, quod totius Occidentis erat, sed et ad synodum aliorum patriarcharum, qui in causa suspecti non erant. Et revera eodem tempore quo scribebat Eutyches ad S. Leonem se eum appellasse, scripsit etiam ad Dioscorum Alexandrinum, ut œcumenicum concilium convocaret, quo Flaviani judicium discuteretur, ut docet nos Liberatus, cap. 12, ubi tamen corrigendus, cum ait de ejusmodi concilio Eutychen non cogitasse nisi absoluto conventu Constantinopolitano, in quo synodi Flaviani Acta relecta sunt; infra enim ostendemus ex hujus conventus Actis, jam tunc indictum fuisse Ephesinum concilium. » At ædificium supra mendacium struere, idem esse ac fallere, et temerariam fabulam pro vera historia vendere, quis non intelligit? Consuetudinem Orientalium fuisse affirmat, non ad unum ex episcopis appellare, sed ad eos omnes qui judicii a quo provocabatur participes non fuerant. At quænam exempla commentitiæ hujus consuetudinis habet Quesnellus? Et ut Africanos nos prætermittamus, quos Quesnellus et Petrus de Marca optime noverunt ad apostolicam sedem, sine ulla prorsus contentione provocasse, quid dicet de Athanasio, de Joanne Chrysostomo quid, qui ad sedem apostolicam, et sub Julio papa, et sub Innocentio, Leonis prædecessoribus, provocarunt. Horum causas agendive rationes hic expendere nos supervacaneum ducimus. Cum Quesnellus, ad fidem sibi vindicandam, nec adduxerit, nec adducere potuerit, unum dumtaxat ex Orientalibus exemplum, *qui ad eos omnes provocaverint qui judicii a quo provocaverant non fuerant participes.*

6. Athanasii igitur et Joannis Chrysostomi causis interim prætermissis, de quibus postea sermonem habituros esse spondemus, quid credit dicendum esse de Eutychetis litteris ad Dioscorum, ut œcumenicum concilium haberetur? Nova ipsius Quesnelli fallacia. Noverat quidem Eutyches Flavianum inter et Dioscorum simultates facile intercedere posse, cum ejus causæ patrocinium esset assumptum a Chrysaphio, Flaviani inimico, strictoque fœdere cum Dioscoro juncto. Propterea cum Dioscorus Alexandrinæ urbis esset antistes, non tantum ex canonibus Nicænis sibi post Romanum pontificem primatum vindicatum volebat, sed etiam supra Constantinopolitanam Ecclesiam summum jus exercere contendebat, tamquam Orientis patriarcha primarius, nulla habita ratione ad canonem tertium concilii Constantinopolitani primi, quo statutum fuerat ut hujus urbis episcopus post Romanum prima subsellia teneret. Quem canonem non tantum Romana Ecclesia non admisit, sed abolevit; ut suo loco dicemus, et præterea ipsi Alexandrini episcopi illum canonem tamquam sibi injuriosum respuebant, tum quando concilia haberi debebant, tum etiam quando de ordinationibus aliorum episcoporum agebatur. Quid mirum igitur, si Eutyches, sub colore Metropolitani juris servandi, ad Dioscorum scripsit (*a*), maxime etiam sibi persuadens se in illius fidem conferre posse Chrysaphii commendationibus? Nullibi inveniet tamen scripsisse ad Juvenalem Hierosolymitanum vel ad Anastasium Thessalonicensem, quod probare debuisset Quesnellus, ne ementitum et prorsus nugatorium diceremus novum illum appellationis modum, quem sciolis dumtaxat et indoctis vendere quærit. Deinde aliud est aliquem interpellare veluti sequestrem et mediatorem, aliud est ad aliquem servato juris ordine appellare. Dabo ad Dioscorum scripsisse atque ad eum etiam suæ **340** professionis libellum misisse. Quid inde? Nullibi tamen constat ad eum appellasse. Sicuti non colligitur appellasse ad episcopum Ravennæ, quamvis ad S. Petrum Chrysologum illius Ecclesiæ præsulem scripsisset. Ultro dato vero quod etiam ad Anastasium Thessalonicensem scripsisset, an is forte proprio jure Eutychis causam cognoscere potuisset? Sedis enim apostolicæ vices agebat, utpote illius vicarius. At propterea nonnisi Romani pontificis personam egisset, minime judicando; sed ad sanctum Leonem scribendo, ut jam præcedenti capite satis abunde demonstravimus. Progrediamur igitur ad alia.

7. Suggillat post hæc Quesnellus Joannem David, quasi suæ causæ oblitum, ut verba episcoporum, quibus nullam a se appellationis vocem auditam esse inter judicandum contestantur, pro se adduxerit, suo seipsum jugulans gladio. *Cum esset concilium, et interrogatio proveniret* (inquit Seleuchus episcopus) *nihil tale cognovimus dictum ab archimandrita Eutyche de appellatione.* A reverendissimis episcopis dictum est, *Et nos eadem confitemur, certe* (subjicit post hæc verba Quesnellus) *si vel ad unum antistitem Romanum appellatum fuisset audientibus episcopis*, id isti cognovissent dictum, quod a se auditum pernegant. Nec omnino reprobanda fuisset querimonia Constantini monachi de omissa in Actis synodalibus appellationis mentione expostulantis. Immo querelæ suæ astipulatorem habuisset Julianum Coensem episcopum, qui tam synodo quam posteriori conventui aderat. Ut autem novam hanc Quesnelli cavillationem eriperemus, etsi testimonia S. Leonis in epistolis ad Flavianum, Theodosium imperatorem, Julianum Coensem habeamus, in quibus hæc ad apostolicam sedem appellatio indicata est; quibus suffragatur et ipsius Eutychis libellus, cum fidei professione quam Romano pontifici examinandam dedit; tamen ut abundantius Quesnellianæ *fraudes* et nugæ appareant, evolvenda censuimus ea *Constantinopolitana* Acta, in quibus, instante Eutyche et imperatore mandante, primi Constantinopolitani concilii gesta relecta et examinata fuerunt.

8. Eutychis itaque personam egisse tum Constantinum monachum, etiam Quesnello suffragante, omnibus exploratum est. Atque imprimis cum ageretur an ejusmodi Acta corrupta, falsata et interpolata essent, jam de generali habenda synodo, efflagitante imperatore, statutum fuerat. Meliphthongus enim episcopus postquam dixerat necessariam esse præsentiam illius qui accusatur, præsertim quia hujusmodi accusationes non sine periculo fiant, addidit: *Quonam igitur piissimus imperator... præcipue quia universalem præcepit fieri synodum, et necesse est majores causas in illud reservare concilium.* Secundo, hoc non obstante, ad examen chartarum deventum est. Atque lecto supplici Eutychis libello, in quo affirmabat: *Gesta enim, quæ sunt composita a reverendissimo Flaviano adversum me legi hesterno die, et reperi contraria his quæ acta sunt contineri in chartis.* Tertio, Constantinus, hæreticorum morem secutus, Scripturas solas admittere palam fassus est, sed non Patrum doctrinam et scripta, sequentem subjiciendo rationem: *Quoniam diversis modis locuti sunt Patres, et omnia suscipio; in regula autem fidei non suscipio.* Cognoscens autem murmur excitatum, commotionemque factam esse inter episcopos cæterosque qui cœtui aderant, propter ejusmodi temerarium et blasphemum assertum eum pœnitere cœpit, quia forte in suam mentem revocaverat PP. scripta contra Arianam, Nestorianam hæresim in Nicæna et Ephesina synodis, tamquam fidei regulam suscepta fuisse. Idcirco prave dicta corrigere cupiens, jussit illa verba *in regula fidei deleri, quia in perturbatione* (ait) *nesciens sum locutus.* Hominis hujus vafriciem atque inconstantiam episcopi omnes notarunt. Quos inter Eusebius, episcopus **341** Ancyranorum, dicendo: *Mihi similiter placet ut qui personam religiosi archimandritæ suscipit, omnia ei firma consistant, quæ ex ejus voce prolata sunt; et non in parte velle ea teneri, in parte vero quæ dicta sunt velle improbari.* Tanta ergo perturbatio in illo cœtu orta est, ut, admiran-

(*a*) Consule epist. 80 ad Anatolium, in qua Leo pontifex totus versatur in tuendis firmiter juribus Alexandrini et Antiocheni patriarchatus.

tibus simul et quasi altercantibus ad invicem episcopis, sciscitaretur quid in hoc casu criminali esset faciendum? Quia absente illo cujus causa agebatur, qui hujus vices subire debebat, neque in sermone, neque in responsis ad interrogata sibi constabat; unde et duo alii, Andreas nimirum et Athanasius, admissi sunt ad interloquendum, ut lectio gestorum Constantinopolitanorum ad exitum perduceretur.

9. En ergo character agendique ratio illius Constantini monachi, cujus falso testimonio institit Quesnellus, ut veritatem illius appellationis de qua agimus eliceret. Quarto in illo episcoporum cœtu mentio facta est de libello Eutychis ad S. Leonem, illiusque querimonia et appellatione; sicuti et de Leonis epistola ad Flavianum, quæ coram omnibus lecta fuit; nec unum verbum offendimus, de aliis Eutychetis litteris, vel ad Dioscorum, vel ad Juvenalem Hierosolymorum episcopum, vel ad Anastasium Thessalonicensem. Si enim ad horum synodos provocasset, ut confingit Quesnellus, credimusne solius Leonis Romani pontificis fuisse factam mentionem? Credimusne quod in tanto Eutychianarum rerum discrimine unus saltem ex episcopis, vel clericis, vel monachis, qui pro tuendis juribus Orientalibus stabant, dicere prætermisisset audiendum aut exspectandum esse suffragium unius saltem ex præcipuis patriarchis, aut episcopis Orientis, ad quorum concilia Quesnellus comminiscendo, Eutychen juxta antiquam consuetudinem provocasse asseverat? Et ne quis me mentiri suspicetur, afferam verba Eleusini diaconi, qui de S. Leonis litteris et Eutychis appellatione ita locutus est: *Quoniam vero ante paucos dies litteræ sanctissimi archiepiscopi Romanorum Leonis insinuatæ sunt nobis, continentes quia accusavit* (legendum *recusavit*) *reverendissimus archimandrita Eutyches, et appellavit in tempore examinationis vestram audientiam per dationem libelli* (*et ideo post damnationem, eum archimandritam renominarunt*), *quomodo nunc instans, et dicens de fide esse libellum apud sanctissimum Romanorum episcopum, recusationem in synodo appellationem nominavit?* Clarissimus Stephanus Baluzius, ad hæc animadvertens, scite annotavit verba illa uncinis interclusa, in Corbeiensi codice desiderari per librarii errorem: *Nam annotatio Rustici* (ait ipse) *quæ posita est in margine, non potest referri ad alium locum.* Sic autem habet: *Falsitas evidens Eutychis. Et notandum quia jam litteræ papæ Leonis, quas in absolutione Eutychis usque tamen ad integriorem audientiam scripsit, pervenerunt ad eos, et ideo illum archimandritam renominarunt post damnationem.* Si ergo, Rustico auctore, litteræ papæ Leonis eam vim habuerunt, ut latam a Constantinopolitana synodo in Eutychen sententiam suspendere potuerint usque ad pleniorem audientiam; si pariter harum litterarum vigore, etiam post damnationem, Constantinopolitani PP. Eutycheti nomen et archimandritæ honorem exhibuerunt; quid opus est tantopere laborare pro Romanæ sedis juribus propugnandis, et pro tuenda Orientalium sacra et vetusta consuetudine, qua ad Romanos pontifices vel causas fidei deferebant, vel graviores res ipsis discutiendas proponebant, quin ab horum judicio, institutionibus atque mandatis resilirent? Præterea Eutyches ipse sufficere sibi persuadebat recusasse sententiam in seipsum latam, ut crederetur ab ea appellasse. Quemadmodum testabatur, dicens fidei libellum esse apud sanctissimum Romanum episcopum. Suffragatur D. cl. Petrus de Marca, qui, loquens de Flaviani appellatione, generatim hæc verba pronuntiat, quæ in quæstionem de

A qua **342** agimus mirifice quadrant. Quoniam vero per illas tempestates recusatio fiebat etiam per modum appellationis adhuc post sententiam definitivam, non autem eo modo qui introductus deIn fuit a Justiniano (*a*).

10. Quare notandum est Eutychem hic non dixisse libellum suæ fidei esse apud alios patriarchas vel insigniores episcopos Orientis, sed apud Romanorum episcopum. Igitur credidit dumtaxat sibi posse suffragari quod ad unum S. pontificem Romanum scripsisset. Neque tandem asseveravit Rusticus damnationis sententiam in Eutychen latam suspensam remansisse ob litteras aliorum episcoporum Orientalium. Tantummodo Leonis litteras hanc energiam et vim habuisse affirmavit. Quæ quidem omnia, si ad invicem et cum præcedentibus conferantur, prorsus Quesnellianum illud ædificium evertunt. Non enim ex ementito quodam facto colligitur fabulosa illa consuetudo, pro qua hactenus nuperus iste scriptor
B divinando, comminiscendove, omnia susquedeque vertendo nimis audacter decertavit.

11. Verumtamen etsi daremus Constantini monachi mendacium nulla ratione posse excusari atque defendi, quid inde? Jam alia nobis occurrerent quæ probant post *recusatam* ab Eutyche Constantinopolitanæ synodi sententiam, causam jam fuisse devolutam ad supremum Romani pontificis tribunal; cum certo ex duabus illis Leoninis epistolis habeamus, S. pontificem jussisse ut sub gestorum relatione omnia ad suam notitiam deferrentur, ut posset de *bene cognitis congrue judicare* (*b*). Cui enim datum est causas cognoscere, decernere et judicare, vera et non arbitraria jurisdictio convenire debet. Potissimum si agamus de fidei rebus, quarum cognitio, auctore etiam clarissimo viro Petro de Marca, Romanæ apostolicæque sedi fuit reservata. Quamvis ipse tamen, nescio quo spiritu ductus, ex parte Quesnello præluserit, ut paulo post videbimus, asseverando, contra cardinalem Perronium, appellationem illam Euty-
C chetis probari non posse ex Leoninis epistolis; et aliunde appellasse ad synodos Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, Thessalonicensem, sed clanculum, et in aurem Patricii Florentii, post judicium factum et post solutam synodum; quæ quidem nec hærent hactenus dictis, nec secundæ Constantinopolitanæ synodi gestis. Sed interim ad alia gradum faciamus, animadvertentes Quesnello minime suffragari posse quæ in decursu laudatæ dissertationis adduxit; ostendendo videlicet mentionem aliquam esse factam ab Eutyche Alexandrini episcopi. Quare exscribenda censuit verba Basilii episcopi, qui primum memoria lapsus, deinde recordatus, testatus est: *Jam in veritate dico* (inquit) *adhuc ipso conventu sedente, et proponente hoc sancta synodo, ut diceret iste duas naturas inseparabiles et inconfusas in uno Domino, idque post adunationem, scio quia dixit religiosus archimandrita Eutyches: Si præceperint mihi Patres Romanus et Alexandrinus, dico hoc ipsum; hoc autem*
D *non quasi appellans dixit, sed dicens: Non sum ausus dicere propter Patres.* Ex his ergo similibusque verbis, quorum aliqua aliquibus, alia aliis, partim una vice effuderat, partim altera, nunc publice, nunc silenter, aliquando ut appellans, aliquando tamen ut suam explicaret mentem (ait Quesnellus), sumpsit occasionem Eutyches imponendi tam S. Leoni per litteras, quam Patribus Orientalibus in conventu Constantinopolitano per Constantinum; inde appellationem mentitus est. Sed jam **343** præsens quæstio versari non potest an Alexandrini episcopi judicio Eu

(*a*) *Recusationem* æquivalere *appellationi*, hancque secum annexam habere tradit cl. Petrus de Marca disserens de Flaviani appellatione, molli brachio cardinalem Perronium carpens quod scripserit hunc Constantinopolitanum episcopum generalibus tantum verbis concepisse; nec ad papam disertis verbis esse factam. Verum (subjicit de Marca) non est necessarium ad hæc extrema deveniri, quia, ut dixi, verba desumpta videlicet ex formula juris nihil aliud significant quam recusari a se Dioscorum. Lib. ult. de sententiis, lib. XVI et XVIII, c. de Judiciis. Vide Cujacium, lib. IX, Observ., c. 23.

(*b*) Leo Magnus, epist. 20 cap. 2, et epist. 21, cap. pariter 11.

tyches se submittere voluerit, cum jam, ut vidimus, certa spe duceretur, hunc sibi habere posse propitium, tum quod Flaviano infensus, tum quia primatus prærogativæ prætextu cum Flaviano contendebat, tum denique Chrysaphii Eunuchi protectione fretus, facile Dioscorum in suas partes traxisset (*a*). Cujus quidem fides satis superque probata esse non poterat, ut ex antecedenti et subsequenti ipsius agendi ratione innotescit. Nec pariter nostra quæstio duntaxat in eo versatur an Eutyches S. Leoni mentitus sit : nam ex monumentis quæ habemus non sincere colligimus an judicii tempore et adhuc in concilio sedentibus Patribus palam et publice appellaverit. Quamvis sententiam in eum latam *recusasse* certissimum sit, et in archimandritæ munere perstitisse quoadusque nova inquisitio novumque judicium institueretur. Si igitur latam in eum sententiam *recusavit*, si pariter alium judicem per suum libellum interpellavit, se huic sententiæ submittendo, quid aliud facere debuisset ut eum vere appellasse diceremus?

12. Hinc haud facile moveri potuimus ex iis quæ in consequentibus scripsit Quesnellus ad exaggerandam potius suam eruditionem, quam ad exagitandum Joannem David, utpote Petro de Marca refragantem, cujus partes, peregrinam satis et asperam viam ineundo, se assumere confinxit, cum archiepiscopus Parisiensis apostolicæ sedi hoc jus denegare tam confidenter ausus non sit, pro quo in præsentiarum verba edimus. Idem enim cl. doctissimusque Parisiensis Ecclesiæ antistes Romanis pontificibus jus asseruit in judicandis Orientalium causis ad fidem et etiam ad disciplinæ universalis rigorem pertinentibus : creditditque hoc jus apostolicæ deberi sedi, vel Sardicensium canonum vigore, vel etiam Nicænorum, in quibus stabilitum fuerat ut in judiciis habendis antiqua consuetudo servaretur. Satis honorifice quoque de Romanorum pontificum primatu locutus est in universa Ecclesia. Quodque ut suadeat provocat ad veterum Patrum testimonia : Cypriani videlicet, Irenæi, Hieronymi et Augustini, ea ratione ductus, ut centrum unitatis et capitis ratio in catholico cœtu servetur. Neque pariter negat hoc appellationum jus de quo agimus. Immo Orientalium varia affert exempla, eorum videlicet qui ejusmodi juris vigore ad apostolicam sedem provocarunt, hujusque judicio semotis contentionum partibus se submiserunt. Veruntamen de Eutychis disserens appellatione, ait : *Locum inter appellationes ad episcopum Romanum non tribuo ei quæ sub nomine Eutychis archimandritæ circumfertur, post damnationem ejus a Flaviano episcopo peractam, etiamsi ea a vulgo obtrudatur, quoties controversiæ de causis religionis agitantur. Nolim tamen negare quin Romanum pontificem appellaverit. Sed tamen contendo non solum Romanum pontificem provocasse.* Hinc quasi molli brachio eminentissimum cardinalem Perronium objurgat, quod hanc appellationem probare posse crediderit auctoritate epistolæ S. Leonis ad Flavianum. Contendit ex iisdem verbis non colligi appellationem ad apostolicam sedem fuisse factam; sed *libellum appellationis* dedisse, atque fuisse compulsum ut *contestarios libellos in urbe Constantinopolitana proponeret.* At quis credet nos in difficilem incidisse nodum? Non colligi ait doctissimus vir appellationem factam fuisse ad sedem apostolicam? Et hæc judicis partes assumpsit; et Leo ipse sub gestorum synodalium insinuatione de omnibus certior fieri voluit; et Flavianus ipse, qui affirmavit Eutychen esse mentitum, synodalia Acta transmisit? An recordatus est doctissimus antistes veteres *recusationem pro appellatione* accepisse? An non animadvertit ad Rustici annotationem, qua fassus est, sententiam a Constantinopolitana synodo in Eutychen latam suspensam fuisse vigore litterarum **344** S. Leonis? Nec quidquam conficit quod objiciat Eutychen appellasse alias sedes, *quia appellavit synodos Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam et Thessalonicensem; sed clanculum, et in aurem Patricii Florentii*, post judicium factum et post solutam synodum. At hæc repugnant cum iis quæ testatus est Basilius episcopus, qui recogitans ad ea quæ jampridem a pluribus mensibus contigerant, testatus est quod *adhuc conventu sedente*, et forte cum sententiam in se latam *recusavit*, se totum commisit ad judicium *Romani* et *Alexandrini* antistitis. Certe Basilii testimonio pluris faciendum est quam Constantini monachi, hominis sibi non constantis, hæretici et versipellis, qui omnibus suæ artis nervis conabatur ostendere Acta illa Constantinopolitanæ synodi esse corrupta atque falsata. Verum quare Alexandrinum episcopum etiam Eutyches nominaverit, non est cur nos dicamus, ne jam dicta iterum recoquamus.

13. Quia vero idem clarissimus vir Petrus de Marca Constantini monachi testimonio firmius adhæret, ut ostendat Eutychis appellationem locum habere non posse inter eas quæ Romanæ sedi asseruntur, duas statuit regulas, easque insignes appellat, quas postmodum nimia exaggeratione Quesnellus amplificavit. Prima (ait) causam fidei, cum communis sit et generalis, judicandam esse a synodis universæ Ecclesiæ præcipue vero a Romana, quæ omnium prima est; tum depositionem hæretici, quæ sequitur ex decisione fidei, definitivo decreto judicandam esse ab omnibus, si nova sit hæresis, neque hactenus damnata fuerit ab Ecclesia (*b*). Ex qua autem lege, divina, ecclesiastica aut imperiali hanc hauriat regulam, ne ex suspecta aliqua officina eam prodiisse saltem suspicemur, prorsus ignoratur, atque hocce arcanum auctor non indicavit. Nos quidem si ad Romanorum pontificum agendi rationem attendamus, quin etiam ab ejusdem auctoris dictis, Petri videlicet de Marca, abscedamus, Nestorium ejusque hæresim jure proscriptam fuisse, et hæreseos auctorem episcopatu privatum etiam antequam synodus generalis cogeretur, persuasi sumus. Potissimum cum habeamus tantummodo Cyrillo commissum fuisse munus ut pontificiam sententiam executioni fideliter demandaret eamque Ephesinæ synodo proponeret, decem dierum induciis Nestorio reservatis, in quibus deliberaret an a pravo suo dogmate vellet abscedere, illudque ejurare. Assertum explicatione non indiget, cum ipse Petrus de Marca S. Cœlestini papæ epistolam ad Cyrillum interpretatus sit dicendo : *Et Cœlestinus dat in mandatis Cyrillo ut Romanæ sedis auctoritate ascita et vice, et loco, et potestate pontificia usus, sententiam istam exsequatur, et illi Ecclesiæ (Constantinopolitanæ nimirum) prospiciat.* Leo Magnus autem immediatum prædecessorem in pontificatu habuit Cœlestinum. At sub istius regimine laudata prima illa regula prorsus Ecclesiæ Patribus erat ignota, et tamen de episcopo e gradu dejiciendo, de fidei causa omnibus communi et generali agebatur. Et hoc non obstante, Rom. pontifex Cœlestinus decernit, statuit, judicat, inducias ad resipiscendum concedit, non exspectato aliorum patriarcharum judicio, vel suffragio; sed duntaxat decretorum a se latorum executionem Cyrillo demandat. Igitur et Petri de Marca dictis insistendo, haud video ex qua lege, canone aut imperiali constitutione ejusmodi regula depromi possit. Prorsus itaque credenda erit arbitraria, derivata a systemate et voluntate pontificiæ auctoritatis limitandæ, et intra angustos cancellos coercendæ. De quo systemate quidem plura diceremus, si nostri instituti propositum id pateretur. Juvat interim vidisse *egregiam* non esse hanc regulam, quemadmodum Marca decantat, quia nullo jure nullave consuetudine firmatam esse reperimus.

345 14. Hanc prærogativam forte altera regula assequetur, quam idem auctor subjecit. Videlicet appellationes factas ad patriarchas censet etiam factas ad eorum synodos, ut constat ex formula appel-

(*a*) Tom. IV Concil., pag. 1067 et seq.

(*b*) Petrus de Marca, lib. VII, cap. 6 num. 5.

lationis Eutychetis. Non appellavit autem ad synodos Orientis, quod patriarcha Antiochenus subscripsisset sententiæ Flaviani, et quod plures metropolitani diœceseon Asianæ, Ponticæ, Thraciæ adessent in concilio Constantinopolitano. Ut tandem laudatus præsul hisce dictis omnem vindicet fidem, ea deprompsisse fatetur ex Actis illius Constantinopolitani conventus, in quo Eutychetis procuratorem agens Constantinus monachus contendebat Acta edita a Flaviano esse corrupta atque etiam interpolata, eum Eutychen ad alias laudatas synodos provocasset, nec appellatio jam erat in Actis descripta.

15. Petri de Marca vestigiis ingressus Quesnellus atque exaggerationibus usus, latius præcedentem doctrinam magno verborum apparatu explicavit; subjecta deinde Domni episcopi Antiocheni epistola, quam synodicam appellat, ex libris Facundi Hermianensis exscriptam. Hæc autem Domni episcopi Antiocheni agendi ratio, paucis cum explicari haud possit, in sequentibus concertationibus ad trutinam revocabitur. Magna enim subsidia pro ejus historia ornanda ex Vaticanis codicibus accepimus. Acta enim Chalcedonensis concilii circa septimum seculum descripta celebrem illam continent Actionem, quam Quesnellus, veluti fictitiam, rejiciendam esse judicavit. Interim autem non inficiabor Domnum Antiochenum strenue se opposuisse Eutychianis erroribus (a). Contendam tamen ex appellationis formula conjici Eutychen ad omnes patriarchas horumque synodos non appellasse. Et ne verbis ludere videamur, inprimis arbitror exquirendum esse a sapientissimo archiepiscopo quam genuinam arbitretur formulam ab Eutychete adhibitam. Si genuinam vocat, quam Constantinus subjecit, ergo Constantinus mentitus non est, ut Quesnellus cum cæteris affirmavit; ergo omnes Patres qui in secundo Constantinopolitano conventu sese illius procuratoris dictis opposuerunt, injuriam veritati fecerunt. Alterutrum enim dicendum est, aut mentitum esse Constantinum in hoc fucto appellationis, vel PP. synodi mentitos esse. At quis cum tanta episcopalis cœtus injuria et dedecore id affirmabit? Non quidem Quesnellus, qui in omnibus episcoporum honori, dignitati consulere voluisse protestatur. Non Petrus de Marca, qui causas fidei ab universo episcoporum cœtu pertractandas esse in commune totius Ecclesiæ bonum et incolumitatem affirmavit. Non est igitur insistendum formulæ a Constantino monacho suggestæ, ne præpostere et audacter de episcoporum et presbyterorum ordine horumque hierarchia judicemus. Aliunde ergo genuina appellationis Eutychianæ formula potius desumenda erit, nec ex aliis momentis, nisi vel ex Basilii verbis, secum de præteritorum veritate sedulo recogitantis; vel ex Eleusini diaconi testimonio, quod sancti Leonis Magni dictis cohæret. Et quia in priori hac formula sermo est etiam de Dioscoro Alexandrino, et in posteriori de solo summo pontifice Leone habet mentionem, quemadmodum jam præcedentibus vidimus, idcirco diutius in iis expendendis non immorabimur, ne acta iterum agamus. Abunde enim de utraque formula in præcedentibus disseruimus. Addendum præterea censeo vix intelligi posse quod idem de Marca subjecit: *Non appellavit autem, ait, ad synodos Orientis, quod patriarcha Antiochenus subscripsisset sententiæ Flaviani, et quod plures metropolitani*, etc. Quid autem? Jam agebatur de generali habenda synodo, et Orientales excludendos esse Eutyches contendebat? Ergo a solis Occidentalibus cum Romano pontifice volebat judicari? Et generale concilium, quod in communi
346 causa fidei necessarium esse Marca asseveravit, quomodo ex solis Occidentalibus episcopis potuisset componi? Arcanum profecto hocce systema continere

(a) Lib. VIII, cap. 5, Facundi Hermianensis offendes epistolam Domni episcopi Antiocheni, ad Theodosium imperatorem scriptam contra Eutychen.

A mihi visum est. Et propterea ex aliis fontibus eruendam esse genuinam Eutychianæ appellationis formulam mihi persuasum est, quemadmodum in subsequentibus nos hisce capitibus aperte demonstrabimus.

CAPUT V.

Alia Quesnelli argumenta contra Eutychis appellationem proponuntur, et solidius discutiuntur. Ejusdem Eutychis epistola ad S. Leonem papam scripta ad examen perducitur, atque tandem Christiani Lupi sententia vindicatur et propugnatur.

1. Eutychis appellationem ad apostolicam sedem factam præcedenti nostra exercitatione pro viribus propugnavimus, singula quæque rationum et sententiarum momenta proponentes quibus ad statutum nobis scopum pertingere posse credebamus. Verumtamen cum omnes assumpti muneris partes unica ea concertatione implere haud potuimus, tum propter
B ea quæ doctissimus Petrus de Marca Parisiensis archiepiscopus de Orientalium episcoporum causis et juribus in celebri suo opere descripsit, tum propter Acta secundi Constantinopolitani conventus, Eutychianæ hæreseos causa habiti, quæ plurimum conturbata et confusa esse observavimus; idcirco, ne lectores in nostris scriptis percurrendis nimis tædio afficerentur, non omnia quæ de hujusmodi negotio dicenda occurrunt sub unico eodemque titulo expedienda esse judicavimus. Cum igitur præter ea quæ exposuimus, alia et alia Quesnelli argumenta observanda et discutienda supersint, quæ perspicue ex præcedentibus Flaviani et S. Leonis litteris deduci auctor ipse contendit, quæque in specie saltem hactenus a nobis dicta enervarent, propterea in nova hac dissertatione diluenda reservare congruum existimavimus. Neque vero in hujus concertationis vestibulo lectorem admonendum censeo de nimio Quesnelli studio in interpretandis, distorquendis et
C obtruncandis testimoniis quibus insistere nisus est, ut suæ causæ præsidium pararet et lectoris fidem aucuparetur. Sat enim evidenter id constabit in illius argumentorum expositione.

2. Illud itaque primum sit Quesnelli argumentum, quod ex Flaviani verbis sibi objectis proponit. Cum videlicet testimonium Constantini monachi superius expositum opposuit S. Flaviani verbis: « In his (ait Quesnellus) præter unum Leonem, nullus alius nominatur, ad quem Eutyches appellarit. » Ita autem subjicit: « Non est operosum respondere. Id enim non aliam ob causam factum est, quam quod solum Leonem alloqueretur, eumdemque solum nominaverat hæresiarcha, cum ad eum scriberet, tamquam per fallaciam mendacii subrepere se sanctis Leonis auribus putans, ut scribit Flavianus ad S. Leonem; et quia inter patriarchas metropolitanosque, ad quorum concilium appellatum prædicabant, eminebat sine controversia, idque jure multiplici, S. Leo, ut qui et
D primatum in Ecclesia tenebat, et totius ad quam appellabatur synodi caput erat (b). » Hæc Quesnellus. At quis non intelligit nimis lepidas esse has interpretationes, honoris coloribus linitas atque depictas. Sed adhuc progreditur Quesnellus dicendo: « Licet porro idem pontifex totam ad se causam pertraxisse
347 videatur, » cum et de singulis instrui postulat, et de Flaviani silentio conqueritur: « Cum studere (inquit) debuerit primitus nobis cuncta reserare, non ita tamen est reipsa; similiter enim aliorum episcoporum quilibet, ad cujus sententiam per appellationis libellum provocaretur, et de negotio instrui postularet, et de silentio querelas moveret. Merito ergo ac potiori jure totius facti rationem et notitiam volebat sibi Leo deferri, et quidem primitus utpote

(b) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis, diss. 7, num. 8.

primati, cui de eo cum cæteris ac præ cæteris decernendum erat, si appellationi locus dabatur. »

3. At mendacia veritatis coloribus et umbris larvata detegamus. Incassum imprimis, et omnino male, Constantini monachi testimonium Flaviani verbis Quesnellus opponi affirmaret, si utriusque loquendi modus in eumdem prorsus finem tenderet. Constantinus, ut Quesnellus etiam asseverat, hæreticus et mendacissimus homo, testatus est Eutychen alios patriarchas, principalium Ecclesiarum metropolitas, horumque synodos appellasse. Si id dare voluisset Flavianus ut noster adversarius interpretari conatur, cum ad S. Leonem rescripsit, *quamvis hunc solum nominet, quia eum solum alloquebatur*, jam sequeretur vel Flavianum in re non dissentiri a Constantini testimonio, vel quamcumque appellationem ab Eutyche factam negasse. Primum affirmare Quesnelli religio non permittit. Nefas enim esset etiam leviter suspicari Flavianum tantæ sanctimoniæ episcopum, qui ob fidei catholicæ defensionem martyr occubuit, Constantino monacho mentienti subscribere voluisse. Alterum igitur erit concedendum, videlicet, Flavianum negasse quamcumque appellationem veluti ab Eutyche factam; non utcumque tamen factam, sed judicii tempore. Nec enim negavit saltem dissoluto conventu Eutychen Romanum pontificem Leonem appellasse, cum jam de hac appellatione ipsius Leonis litteris certior fieret. Flaviani verba, quæso, perpendat Quesnellus, videat an distorta ipsius et lepida interpretatio ipsis convenire possit. *Sed his ita gestis, litteræ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis ..... per quas edocti sumus quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia et calliditate, dicens judicii tempore libellos se dedisse appellationis, et nobis, et hic convenienti sancto concilio, et appellasse vestram sanctitatem* (a). Animadvertat hæc verba, et appellasse *vestram sanctitatem*. Igitur non alium appellasse scripsit Eutyches quam S. Leonem. Negat id Flavianus immediate subjiciendo : Quod nequaquam ab eo factum est. At quid est quod ab Eutyche factum fuisse negat Flavianus, nisi quod hæreticus archimandrita, judicii tempore sibi et concilio dedisset appellationis libellos, provocando ad S. Leonem. Non dicit deinde appellasse vos, vestrumque concilium : *Sed vestram sanctitatem*. Ulterius si hæresiarcha scribendo ad S. Leonem hunc dumtaxat nominavit, ut etiam Quesnellus asseverat, nulla prorsus mentione facta aliorum patriarcharum et synodorum, quid est quod contra Orientalium consuetudinem id factum fuisse dicamus ; contingendo patriarchas et metropolitas celeberrimarum diœceseon, horumque synodos etiam fuisse appellandos? Si talis conficta consuetudo obtinuisset, Flavianus quidem, debita servata reverentia erga totius Ecclesiæ caput, irregularem prorsus vocasset hanc appellationem, atque rescripsisset ad S. Leonem Orientalis Ecclesiæ jura violata et fracta fuisse, cum hujus appellationis prorsus inscii essent patriarchæ et metropolitæ, quorum de similibus causis judicium pronuntiare intererat. Hocce autem in hac parte Flaviani silentium subsequentibus verbis confirmat eumdem Leonem tamquam solum negotium acturum, et hæreticum judicaturum alloquendo. Sed etiam in hac parte mentitus est, tamquam *per fallaciam mendacii subrepere se sanctis vestris auribus putans*. Si scivisset aut credidisset ad alios etiam suis epistolis per *fallaciam mendacii* **348** subripere tentasse, istis vocibus, *sanctis vestris auribus*, has alias, vel æquivalentes, *aliorumque episcoporum*, addidisset; immo addere debuisset, ut plenius, quemadmodum Leo petebat, edoceretur. Scripserat enim, *et ideo quia dilectio tua de tanta causa nos videt necessario esse sollicitos, quam planissime et lucide universa nobis quod ante facere debuit indicare festinet*.

A (b) Aurea enim sunt hæc verba, auctoritatem imperiumque indicantia. Nam plenissima et lucida omnium gestarum rerum narratio vel expositio nequaquam fuisset, si silentio occuluisset, vel Eutychen contra Orientalis Ecclesiæ jura provocasse ad Rom. sedem; vel non dixisset provocasse ad synodos et cæteros patriarchas, aut ad ea provocare debuisse. Igitur ipsi prorsus ignota erat hæc nova judiciorum Ecclesiasticorum forma, de qua noster adversarius verba facit.

4. Sed forte hujus responsionis vim præsensit Quesnellus, qui, præcedentia sua dicta confirmaturus, ait ex Leonis scribendi modo videri *Leonem ad se totam causam pertraxisse, cum de singulis instrui postulat, et de Flaviani silentio queritur*, quemadmodum innuunt illa verba : *Cum studere debuerit primitus cuncta nobis reserare* (c). Sed valde infirmam adversarius subjicit responsionem contendendo nimirum id fieri potuisse a quolibet episcoporum, ad cujus sententiam appellaretur per libellum, etc. Itane PP. B loquendi formulas distorques, Quesnelli, de una ad aliam rem gradum faciendo? In quo igitur difficultas versetur inspiciamus. Et primo inquiramus quo jure quisquam alius episcoporum hujusmodi appellationum libellos potuisset excipere atque postulare ut de negotio instrueretur? Si hic sermo esset de arbitrario judice per compromissum ab ambabus partibus ad quæstionem dirimendam assumpto, quilibet sane episcopus, qui eligeretur, ne de rebus incognitis judicium pronuntiaret, utique postulare debebat edoceri. Sed in præsens de quo judice disputatur? Non de alio quam de eo qui divinis et ecclesiasticis legibus stabilitus fuit pro dirimendis fidei controversiis, et pro recognoscendis aliorum judiciis, an ista videlicet essent conformia regulis juris, et an judices ordinarii, odio, aut invidia, vel quacumque alia ducti passione vim oppressionemque condemnato intulissent. Ea igitur ratione ad se totam causam traxit Leo Magnus, quia Eutyches non C acquiescendo sententiæ latæ ab ordinario suo episcopo, et a Constantinopolitana synodo, superiorem judicem et ultimum provocare debebat. Idcirco S. pontifex in sua epistola utitur illis imperativis vocibus, auctoritate simul et dignitate plenis : *Et ideo fraternitas tua per idoneam maximeque aptam personam plenissima nobis relatione significet quid contra antiquam fidem, novitatis emerserit*; vel illis aliis : *Quoniam nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus.*

5. Et quidem hæc et similia alia Leonis verba, non concilii, sed proprio nomine scripta, talem tantamque vim et auctoritatem habebant, ut jam Flaviani animum movissent saltem, si non coegissent, ut se sisteret coram Leone vel per suos idoneos legatos, vel per relationem authenticis scriptis factam, de omnibus gestis rationem redditurum. Sed jam id præstitisse Flavianum antequam hanc Leonis episto- D lam acciperet, in superioribus vidimus. Quare si omnia simul conferamus, certum argumentum habebimus ita ad se totam causam traxisse Leonem, ut nequaquam cuique alii episcopo et judici licuisset se hisce rebus immisceri, nisi de summi pontificis sententia. In suam vero auctoritatem Leonem totum negotium **349** definiendum refudisse, non obscure ipsemet in laudata epistola indicavit. Nam ad præcludendam viam omnibus difficultatibus excusationibusque quæ circa contumaciam obstinationemque archimandritæ Eutychis poterant afferri, sibi reservat rem totam ad examen perducere, ita exigente Ecclesiæ moderatione, et Christianæ pacis sollicitudine, imperialibus etiam litteris ipsi insinuata : *Ut*

(a) Flaviani epistola prima, cap. 3.
(b) Leonis epist. 21 ad Flavianum.
(c) Leo Magnus, epist 20 ad Flavianum, cap. 1 et 2. Videsis quæ diximus contra Quesnellianum systema, cap. 3 harum Exercitationum.

(ait), *amputatis dissensionibus, fides catholica inviolata servetur, et his qui prava defendunt ab errore revocatis, nostra auctoritate quorum fides probata fuerit muniantur* (*a*). Tria hic sua auctoritate se facturum esse Leo spondet : tollere dissensiones ad inviolatam servandam catholicam fidem ; alterum, ab errore revocare qui prava defendebant ; tertium tandem, præsidium et munimen iis afferre quorum fides esset probata. Si igitur tria hæc, sua, non aliorum, auctoritate se præstaturum Leo spondet, non est cur ad distortam interpretationem recurramus, alios hujus causæ arbitros et judices confingentes, et affirmemus Leonem cum cæteris episcopis et præ cæteris tamquam primatem judicium ferre debuisse an appellationi locus daretur. Sed urget adhuc Quesnellus objiciendo illa S. Leonis verba, epistola ad Flavianum : *Quoniam nos, qui sacerdotum Domini matura esse volumus judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus.* Ex quibus adversarius noster jucunde et quasi triumphum cantans ita ratiocinatur : « Hæc verba sunt hominis non sibi jus omne ferendæ sententiæ arrogantis, sed prudentis, oculati, æquissimique judicis, qui suum causa incognita temere nolit conferre suffragium. Sed quid solvendis hujusmodi argumentis ex ipso Leone petitis tempus terimus? » Ait idem Quesnellus : « Non quærimus in hac præsenti causa an Leo sibi prærogativam illam vindicarit, sed utrum de facto Eutyches appellavit, et utrum ad solum Romanum pontificem (*b*). » O lepidum effugium! Causam cadere intelligit, nihil ei prorsus suffragari cognoscit illas æquivocas et inusitatas loquendi formulas, *non omne jus ferendæ sententiæ arrogantis*, quæ præsumptionem quamdam præseferunt, vel illam aliam, *conferre suffragium*, quasi ut Leo indicaverit cogere velle et necessarium fuisse concilium, ut oculati, prudentis æquissimique judicis partes obiret. Illud enim *conferre suffragium* ordinarie habet significare causam in cœtu, synodo atque collegio tractandam. De quibus rebus altum est apud Leonem silentium, nullumque ex iis quæ scripserat saltem leve indicium apparet.

6. Verum enim vero quia Quesnellus se malam causam habere cognovit, et ad alia suum ratiocinium convertit, ut pedetentim ejus vestigia sequamur, quid subjecerit attendamus. Ait itaque : « Quod si Eutyches ad solum Romanum pontificem appellasset (ut actum esse ab eo existimavit S. Leo ex callido mendacique libello), non esset quod miraremur Eutychen Rom. sedem appellantem a Rom. pontifice ultro esse susceptum, præcipue cum de Nicæna fide agi videretur, cui tam Eutyches ipse quam ejus accusator indivulse profitebatur inhærere ; Romani enim præsidis, tamquam capitis episcopalis coronæ, hæ sunt præcipue partes, ut e prima cathedra tamquam e specula conservationi canonum invigilet, fideique catholicæ custodem agat. »

Pro apostolicæ sedis viribus asserendis neminem honorificentiora scribere potuisse ii affirmarent, qui ad sequentia Quesnelliana dicta haud attenderent. Verumtamen cum Quesnellus in subsequenti paragrapho aut suæ dissertationis capite 8, Leoni *aurem accommodandam* non esse affirmet nimis splendorem et suæ sedis jura prosequenti, idcirco subdole et hyperbolice dumtaxat fuisse locutum, satis superque est exploratum. **350** Sic itaque ratiocinatur : « Verum non Eutycheti vaferrimo impostori fidem habeamus ; non Leoni ipsi, sanctissimo licet viro, aurem accommodemus, sedis videlicet suæ splendorem ac jura prosequenti. Audiamus Flavianum novæ Romæ episcopum, Christique martyrem fortissimum, quem

A Orientalium de appellationibus animus ac consuetudo, totaque Eutychis agendi ratio latere non potuerunt. Censuitne ille concilii sui de Eutyche sententiam ad Leonem mittendam esse, ut si ab eo comprobaretur maneret, si reprobaretur evanesceret? Nihil certe tale apparet in utraque ejus epistola (*c*). Hæc ergo et id genus alia, quæ iisdem aut saltem æquivalentibus verbis descripsit aliis locis ostendunt ultra suam fidem Quesnellum exaggerasse ut sensim de antiquo Ecclesiæ regimine judiciorumque forma et ordine disserendo fabulas et commenta venderet. Ecquis commentum aut injuriosam fabulam non redolere credet sanctissimum pontificem Leonem ultra justitiæ et æquitatis leges in Eutychetis causa nimis sibi esse blanditum, ea jura sibi vindicando quæ eidem non conveniebant? Hic est ille Leo summus pontifex, quem universa Ecclesia in Chalcedonensi synodo congregata, tamquam legitimum hæredem et propugnatorem omnium jurium S. Petri

B venerata est, qui doctrinam fidei ad salutem necessariam illibatam servavit, *vocis beati Petri omnibus constitutus interpres.* Hic est magnus ille Leo quo PP. illi *inchoatore bonorum ad utilitatem utentes*, *Ecclesiæ filiis hæreditatem sortemque veritatis ostendere potuerunt, et existentes in communi corona gaudii*, *quasi in imperialibus cœnis deliciis spiritualibus epulantes, quas per tuas litteras Christus præparaverat invitatis* (*d*). Huic ergo summo pontifici, cui universa Ecclesia *aurem accommodavit*, nos aurem non accommodabimus, ea sola ducti suspicione, quod suæ sedis splendorem et jura prosequeretur, facta injuria sedi Constantinopolitanæ et Orientalium Ecclesiarum juribus et prærogativis despectis atque abolitis? Solus Quesnellus ita poterat ratiocinari, indebite deinde exaggerando Constantinopolitani throni prærogativas et honorem. Sed quænam qualesve fuerint sedis hujus prærogativæ et jura inquiramus, ex quo Quesnellus dicat : « Audiamus Flavianum, novæ Romæ episcopum, martyremque fortissimum, etc. » *Novæ Romæ*

C utique Constantinopolitana urbs, imperatorum munificentia et majestate, nomen adepta est, minime honorem et prærogativas in iis quæ pertinent ad religionem.

7. Nec enim illius episcopatus cathedra, vel ab apostolis et a divo Petro, vel hujus discipulo fundata fuit, quemadmodum de Antiochena, in qua apostolorum princeps primus sedit ; Alexandrina, in qua illius discipulus Marcus constitutus est episcopus ; et Romana, quam usque ad martyrium, ipse Petrus sibi servavit. Has enim Ecclesias apostolicas dictas fuisse, patriarchatus honorem et prærogativas ab exordiis suarum fundationum obtinuisse, servata ea graduum distinctione quam sanctus Leo aliique PP. tradiderunt, constat etiam ex canonibus Nicænis. At Constantinopolitanus episcopus, et patriarchatus honore et prærogativis non fruebatur in suis exordiis, nec Nicæni concilii ævo. Illudque patriarchatus nomen dumtaxat obtinuit post annum Domini quingentesi-

D mum imperatoris Justiniani opera, et Romanorum pontificum permissione accedente.

8. Nec Quesnellum juvat provocare ad quintum canonem concilii Constantinopolitani primi, sub Theodosio seniore coacti, vel ad vigesimum octavum synodi Chalcedonensis, in quibus primatus honor post Romanum pontificem Constantinopolitano episcopo asseritur (*e*). Nam, ut **351** vidimus in præcedenti cap., canon ille Constantinopolitani concilii nullum prorsus robur obtinuit, vel quoad primatus nomen, vel quoad prærogativas et potestatem in ordinandis metropolitanis episcopis provinciarum Ponticæ, Asianæ et Thraciæ. Nec quidquam conficit quod Chalcedonenses Patres

(*a*) S. Leo, epist. superius laudata.

(*b*) Quesnellus, dissert. laudata, cap. 8, pag. mihi 297.

(*c*) Vide Quesnelli diss. de Vita et Rebus gestis a Leone Magno. Quesnellus, dissertatione de Eutychis appellatione, cap. 9.

(*d*) Chalcedonensium PP. epistola ad Leonem Magnum, apud Quesnel., tom. I, pag. 292. Consule Labbeum, tom. IV Concil.

(*e*) Tom. III Concil., et tom. IV.

illum canonem renovare et confirmare tentaverint. A Sibi imprimis PP. Chalcedonenses blandiebantur quod S. pontifex regiæ urbis episcopo novos titulos et prærogativas lubenti animo communicare vellet, hujus videlicet gloriam augendo, si antiquæ Romæ privilegia impertiri non dedignaretur. Et quidem ea ratione ducebantur, videlicet Constantinopolitanam episcoporum sedem esse alteram velut partem vetustæ Romæ, ideoque supra cæteras Ecclesias Orientis erigi oportere. Quia deinde injuriam aliquam et vim paterentur Alexandriæ et Antiochiæ patriarchæ, qui illum Constantinopolitanum episcopatum tamquam veluti membrum et partem episcopatus antiquæ Romæ habere consueverunt. Deinde animadvertebant Nicænos canones huic sanctioni repugnare; et propterea non posse *novæ Romæ* episcopum pacifice iis frui privilegiis et prærogativis, de quibus agebatur, sine expresso apostolicæ sedis decreto, et peremptorio judicio, quo perpetuo omnia dissidia et contentiones, præcipue Ephesiorum, abolerentur. Idcirco B totum illud concilium, cum universo Orientalium cœtu coram Leone humillime per epistolas sistere definierunt. Neque illius generalis concilii PP. S. Leonem alloquentes ullam ex iis phrasibus usurparunt quas adoptavit Quesnellus ad gloriam novæ Romæ exaggerandam, et ad illius Ecclesiæ jura magnificanda. Petierunt quidem confirmationem omnium gestorum, et præcipue laudati quinti canonis Constantinopolitani, et dixerunt *confidentes quia, lucente apud vos apostolico radio, usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consuete gubernando : illum spargentes, hunc sæpius expanditis, eo quod absque invidia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos*. Consuevit ergo ex hac PP. loquendi formula, usque ad illa tempora Romanus pontifex apostolicum radium ad Constantinopolitanorum Ecclesiam extendere, hanc gubernando, quemadmodum sæpissime in rebus arduis dissidiorumque causis factum fuerat. Idcirco arbitrabantur velle et posse C bonorum, id est privilegiorum, participatione *ditare domesticos*. Subdunt deinde huic sanctioni vehementer restitisse pontificios legatos, eamdem in irritum mittere conatos : *volentes et hoc bonum a vestra providentia inchoari, ut sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus*. Quid igitur? Non in Romanum concilium, non in se ipsos Chalcedonenses PP., sed in Leonem catholicæ fidei victoriam refundunt, a quo pariter sperabant se fore consecuturos aliam illam ecclesiastici regiminis ordinationem, ob quam enixe eum exorabant. *Rogamus* (inter cætera subdunt) *igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat* (a).

9. Jam vero ad cognoscendum an Quesnelli causa ratiocinandique modus specie saltem stare possit, quin funditus ruat, liceat mihi ex præcedentibus ita disserere. Flavianus *novæ Romæ* episcopus, Christi martyr fortissimus, de Orientalium appellationibus, de synodorum provincialium judiciis potuitne aliter D sentire quam senserunt omnium Ecclesiarum Orientis Patres in generali synodo congregati? Mea quidem sententia est et cujusque cordati hominis, qui nodum in scirpo non quærat, et nimia rixandi libidine ductus larvatas nugas pro rebus veris vendere non satagat, esse debet, non potuisse aliter Flavianum de his omnibus rebus sentire, præter id quod Patres illi Chalcedonenses in tam celebri conventu **352** coacti confessi sunt : videlicet, Constantinopolitanum episcopum, præcipue inter Orientales apostolicæ sedi fuisse subjectum, atque potissimum in causis quibuscumque hujus judicium moderationemve exquisivisse, exspectasse et obtinuisse. Quare pro certo tenendum est talem tantumque episcopum Flavianum, sanctitate et maximis meritis ornatum, Leoni summo pontifici, nullo præcedenti habito impulsu, totam Eutychis causam aperuisse, ad eumdemque omnia synodalia Acta misisse, debitam subjectionem exercendo, ut lata in hæreticum sententia, *si comprobaretur, maneret; si reprobaretur, evanesceret*. Id jam colligi ex utraque illa Flaviani epistola quibus dumtaxat Quesnellus insistit, nos in duobus præcedentibus capitibus probavimus. Atque cum in præsens nos pudeat jam dicta iterum referre, et quasi sensim extra appellationum jura ad vagandum duci; ideo illa prætermittenda esse duximus, ad alia gravissima momenta nostram orationem convertendo.

10. Atque ut de Constantinopolitanæ Ecclesiæ illius ævi juribus disseramus, nobis persuasum esse debet Flavianum non meliorem et sincerum habuisse suæ agendæ causæ interpretem quam Anatolium, qui post illius necem ad eamdem sedem fuit assumptus. Fateor et ego hunc pari sanctitate, moribus, virtutibusque, ac erat Flavianus, non fuisse donatum. Tamen nemo ibit inficias nimio ambitu laborasse pro suæ Ecclesiæ juribus, prærogativis amplianis augendisque, minime ea moderatione servata quæ necessaria erat, ne aliena sibi per præsumptionem et arrogantiam usurparet. Qualem autem subjectionem erga Romanam sedem servaverit, indicat ipsemet in sua epistola ad Magnum Leonem post Chalcedonense concilium scripta. Conqueritur imprimis de *Dioscoro Alexandrino*, quem synodus *auctorem* invenit tantæ tempestatis excitatæ *contra communem pacem. Oportebat* (subjicit) *scelestum illum de medio tolli, qui universum orbem procellis ac tempestatibus impleverat*. Dioscorus porro non tantum fidei rebus adversabatur, sed etiam strenue se opponebat ambitui Constantinopolitanorum episcoporum, sibi vindicando primatus jura in eam Ecclesiam quæ secunda habebatur juxta Nicæna statuta. Hinc ergo ab Anatolio enarratis iis quæ in concilio illo circa catholicam fidem communi PP. consensione stabilita fuerant, ita de Constantinopolitanæ sedis honore et prærogativis firmandis et decernendis suum sermonem orditur. *Quoniam vero alias propositiones nos expedire oportuit, ut tanta synodus abunde præstare videatur quæ indigent, tam correctione, tum confirmatione, cum in canonicis, tum in aliis ecclesiasticis capitibus, curæ fuit iis qui universa regunt, et magnificentissimis et gloriosissimis principibus, atque illustri ac celebri senatui, et clero universo, et populo, ut aliquod honoris incrementum sentiret sedes sanctissima quæ est in hac regia urbe Constantinopolitana* (b) ..... Ut autem facilius hocce honoris incrementum eidem concederetur, provocavit ad illum canonem Constantinopolitani concilii primi sub Theodosio imperatore : in mentem quoque Romani pontificis revocavit nomen Magni Nectarii, Timothei Alexandrini, aliorumque, qui in ea synodo suffragati fuerunt : protestatur idem Anatolius eam causam in concilio fuisse pertractatam a PP., ea ducti fiducia, ut a Romano pontifice approbaretur : *Confidentes fore ut ratum habeat honorem sedis Constantinopolitanæ, utpote quæ jam ante apostolici vestri throni curam et concordiam habet, et per omnia communem opem quibuscumque rebus indigebat communicavit*. In inferioribus vero, de præcipua cura quam Rom. sedes erga Constantinopolitanam Ecclesiam exercuit agens, inter alia multa quæ ipse episcopus Anatolius Leoni censuit suggerendum, ut hujus animus lubenter moveretur **353** ad confirmandum ratumque habendum canonem illum, ad honorem et prærogativas suæ sedis pertinentem, hæc habet, quæ, dubio procul, illorum temporum doctrinam circa Ecclesiarum Orientis regimen perspicue patefaciunt; quæque, ut ita dicam, apprime opponuntur novis doctrinis, et Quesnellianas

(a) Epist. PP. Chalcedonensium, apud Quesnellum, tom. I pag. 294, et tom. IV Conciliorum Labbei.

(b) Hanc Anatolii epistolam offendimus in Græco Vat. cod. septingentorum annorum; hactenus tamen a doctis viris desideratam, eamque variis notis adornatam in altero tomo exhibebimus

fallacias prorsus evertunt. *Et nos (ait) quidquid* A *approbationis et stabilitatis consequi possumus, ut et hoc a vobis, sanctissimi, fiat obsecramus.* Animadvertat, quæso, lector, ad alia quæ immediate sequuntur. *Nam sedes Constantinopolitana patrem habet apostolicum vestrum thronum, præcipuo quodam modo vobiscum se conjungens, ut ob vestram curam erga ipsam omnibus persuasum sit vos antea sincere meditatos esse, et etiam nunc de ea eamdem mentem ac curam sine intermissione habere, et ecclesiastico statui utilia omnino fore, ut dignemini scripto confirmare quæ consecuta sunt in sanctissima atque œcumenica synodo, et ipsam jam dictam constitutionem de sede Constantinopolitana ad vestram sanctitatem mittere curavimus, ut cognoscere possitis votis vestris omnia divinitus fuisse disposita.* Tandem supplex S. Leonem exorat, ut singulis propositionibus congruam faciat responsionem misso hac de causa Luciano episcopo tamquam legato, qui omnia exponeret, et famulatum serviendo exhiberet, qui erat vir perfectus, et ipsis imperatori- B bus antea charus, quem prius Leo ipse ad synodum miserat. *Obsecramusque ut congruentem responsionem unaquæque propositio accipiat, cum vobis omnia Deo dilectissimus episcopus Lucianus exponat, qui et ipse præsens sanctæ synodo, et prudenter quæ poterat proferens pro studio nostræ fidei, electus est a nobis ut famulatui erga vos feliciter inservire, vir perfectus existens, et augustissimis et Christianissimis nostris imperatoribus jam antea charus, quem vestra bonitate fruentem gaudentemque ad nos mittere dignati estis.*

11. Et ne quis dubitare possit hæc omnia novam Quesnelli doctrinam fallaciamque haud evertere, animadvertat, quæso, cur quove sensu hæc simul stare queant? Negat Quesnellus Flavianum misisse ad S. Leonem sui concilii contra Eutychen sententiam, ut comprobaretur; aut evanesceret, si reprobaretur: « negat misisse ad eum Actorum seriem, ut necessariæ relationis debitum persolveret; contendit decretoriam fuisse concilii Constantinopolitani sententiam, cui Flavianus præfuerat, nec operosa inquisitione C opus fuisse. Affirmat quoque Eutychen versipellem ad alias sedes, præsertimque Romanam, brevi mendaces querelas relaturum, pontificumque aures occuparet (*a*). » Ac præterea cum rumor disseminaretur imperatorem de cogenda universali synodo cogitare, in qua totum *negotium* ad examen revocaretur, æquum erat ut Flavianus primariam sedem et hujus concilii PP. certiores faceret, et Constantinopolitana Acta Romano pontifice curante cæteris etiam *Occidentalis tractus episcopis innotescerent.* At dum talia negat, et jam recensita affirmat, prorsus labaret corrueretque illud Chalcedonensium PP. testimonium, quo fassi sunt apostolicæ sedis radium usque ad Constantinopolitanam Ecclesiam consuete gubernando, sæpius sparsum et extensum fuisse, et tamquam domesticos bonorum participatione Constantinopolitanos ditare consuevisse. Secundo minime staret Chalcedonenses PP. Romanum rogasse pontificem ut suis decretis eorum honoraret judicium (*b*). Nam D si jam, ut Quesnellus vult, alicujus metropolitani concilii Acta Romani pontificis confirmatione non indigent, multo minus ejusmodi confirmatione indiguissent generalis synodi gesta, utpote totius Ecclesiæ auctoritate sancita. Tertio commentum redoleret quod ad dissensiones tollendas, quæ ob ingeniorum mobilitatem temporumque circumstantias in Constantinopolitana **354** Ecclesia antea exortæ erant, vel ob Ephesiorum tumultum, vel ob metropolitanorum trium illarum provinciarum, Asianæ videlicet, Ponticæ et Thraciæ ordinationes, Romani pontifices omne jus auctoritatemque exercuissent, ut Constantinopolitani præsules specialiter fierent participes privilegiorum sedis apostolicæ, quos tamquam filios patri subjectos respicientes, summo studio complectebantur, etiam in iis quæ ad ecclesiastici regiminis administrationem pertinebant. Quarto tandem qua ratione Anatolius fateri potuisset Constantinopolitanam Ecclesiam non generali quadam solum œconomia Romanæ Ecclesiæ fuisse addictam, *sed præcipuo quodam modo* eidem conjungi ob Romanorum pontificum curam erga ipsam, quamque præteritis temporibus sine intermissione exercuerunt, *ecclesiastico statui utilia omnia disponentes?* Quatuor hæc, inquam, quæ nostro cerebro non confinximus, sed ex genuinis hausimus fontibus, quomodo possent cum illis supposititiis juribus et privilegiis cohærere, quorum vindicem Quesnellus contendit fuisse Flavianum, ne Eutychis causa deferretur, recognosceretur judicareturque a Romano pontifice?

12. Neque obstat quod Flavianus nisus fuerit persuadere Rom. pontifici Eutychen secundum canonum regulas jam fuisse judicatum, novumque rerum examen judiciumque, ad quod cognita Eutychis appellatione se accingebat, esse superfluum, ut affirmat ipse Quesnellus. Nam imprimis Flavianus S. Leonis examen judiciumque esse superfluum nullibi indicavit. Immo hoc exquisivit, arbitratus dumtaxat generale concilium fore superfluum, ne dissidia et contentiones partium succrescerent. Petiit quoque ut pontificiis scriptis lata in Eutychen sententia confirmaretur, sine qua confirmatione certe Orientalium episcoporum judicium nullum habuisset effectum, ipso Eutyche reclamante, et interpositis ea de re in publicis Constantinopolitanæ urbis locis contestatoriis libellis, quibus protestabatur per injuriam et adversariorum malitiam, vel invidiam, communione et monasterii præfectura fuisse privatum. Quare minime est audiendus Quesnellus, qui, ut præsidium aliquod suæ perditæ causæ pararet, ad distortas quasdam interpretationes habuit recursum, fidenter et quasi ludendo, Flaviani verba ita interpretando: « Flavianus postulat Leonis non judicium, sed solatium; non sententiam, sed litteras; defensionem, non confirmationem; propria scripta, non synodalia decreta, quia, intorto semel in Eutychen anathemate per episcopale judicium, finita causa erat, nisi universale concilium hujus cognitionem ad se vellet pertrahere, vel ad Occidentale ultro deferretur: quod removendum in hac occasione rectissime censebat Constantinopolitanus antistes; ne ubique (inquit) *sanctissimæ turbarentur Ecclesiæ* propter unius inquieti ac seditiosi monachi errorem ac malitiam. » Non ergo audiendus est. Siquidem in appendice suæ epistolæ, prout hæc circumfertur, Flavianus postulat ut Rom. pontifex propriam faciat communem fidei causam; simulque rogat eum decernere in damnationem adversus *eum regulariter factam, et per propria scripta dignare.* An hæc quæ postulat Flavianus sine gestorum præcedentium examine, et incognita Eutychis mala fide atque nequitia, Romanus pontifex agere potuisset? An decrevisset damnationem in Eutychen regulariter esse factam, quin judicis partes assumeret, et cognosceret authentica synodalia Acta præcedentis latæ sententiæ, posthabitis atque neglectis rei condemnati defensionibus? Quid plura? sine præcedenti harum omnium rerum examine, scripto, non verbis tantum, potuisset ordinario judici afferre solatium, decernendo jam in habita inquisitione canonicas leges adimpletas fuisse, Flavianumque ipsum justitiæ apices servasse declarare, quin ratum et firmum haberet quidquid contra Eutychen pronuntiatum fuerat? si hæc loquendi formulæ non innuunt Flavianum postulasse a Leone *examen, judicium, decretum,* haud scio quasnam magis proprias magisque aptas voces excogitare debuisset ut firmior **355** maneret lata sententia. Et certe magnum solatium est, magnamque defensionem inferiores judices habent, cum eorum judicia ad superiora tribunalia deferuntur, atque

(*a*) Quesnellus, ut supra, pag. mihi 298.
(*b*) Chalcedonensium PP. epistola ad S. Leonem Magnum.

ab horum judicibus approbantur. Unde non mirum est quod Flavianus maxime animo perturbatus, et injuria quidem, per Eutychianas turbas, fateatur Rom. pontificis judicium sibi allaturum solatium et defensionem. Neque necessarium erat synodale decretum, cum R. P. ex propriis scriptis hæc omnia præstare potuisset, et propterea hæc sola sibi posse sufficere Flavianus asseveravit.

13. Sed jam Quesnello dolet versionem prioris epistolæ Flaviani ad S. Leonem parum accuratam videri : « Quam (ait) si ad Græcum textum, qui temporum injuria excidit, emendare licuisset, aliquid forte clarius invenissemus, quod opinioni nostræ suffragaretur. » Non obstante consueta hac cantilena, de falsatis antiquis codicibus, et de versionibus male digestis, jam ex antiquioribus hæreticis mutuata, hisce verbis caput illud suæ dissertationis fidenter claudit : « Ex hac tamen versione, quamvis ab Occidentali et Romano forte viro facta, lectori sincero nec nodum in scirpo quærenti ad eruendam veritatem satis superque lucis apparet. » Sed lepida fabulatio. Post omnem adhibitam ratiocinandi artem in interpretandis distorquendisque Flaviani dictis, quæ paulo ante tamquam sole clariora exaggeravit, ecce jam intelligens apud doctos viros suam causam cadere posse, effugium simul atque præsidium sibi comparandum censuit, illius epistolæ vetustum interpretem taxando et objurgando. Nihil tamen clarius, si illius epistolæ Græcus textus exstaret, invenisset Quesnellus, quæ suis studiis indulgeret, cum jam Chalcedonensium PP. et Anatolii agendi ratio loquendique modus illorum temporum doctrinam, ecclesiasticarum rerum administrationem quam Orientales servaverunt patefaciant. Nos hic interim lectorem admonendum censuimus laudatam Anatolii epistolam hactenus ab eruditis fuisse desideratam. Nos enim omnium primi anno D. 1758 ex Vaticanis Græcis manuscriptis codicibus eruimus, et exscripsimus; quam deinde summa qua pollet eruditione et benignitate Latinam reddidit clarissimus dominus Franciscus Mariani, Vaticanæ bibliothecæ scriptor, Græcarum litterarum interpres; eamque integram Græce et Latine, Deo opitulante, publicis typis adornabimus.

14. Quia vero multis modis secum meditatus fuerat Quesnellus ea omnia in medium proferre quæ suis falsis opinionibus aliquo modo patrocinari posse arbitrabatur, hinc ortum est quod, suppresso nomine, cujusdam eximiæ eruditionis viri opinionem recenseat, qui scripsit : « Lectis scilicet Constantinopolitanæ synodi gestis adversus Eutychen, omnia sic a S. Leone fuisse probata et confirmata, ut ab indicenda synodo generali abstineri debere censuerit, tam Flavianus quam S. Leo. » Hæc loquendi phrasis, Quesnello cum displiceret, subjunxit : Pace optimi viri dixerim, longissime a vero abest. Et, arrepta occasione, leniter describit S. Leonem contra Flavianum iratum, propterea quod Eutychen severiori sententia, ut putabat, perculerat, qui statutis Nicænæ synodi inhærere videbatur. At Leonis iracundia dicat, amabo, Quesnellus unde trahebat originem (*a*), nisi ex eo quod ad pontificias manus nondum pervenerant, sicuti oportebat, et Flaviani litteræ, et synodalia gesta, quemadmodum ecclesiasticæ administrationis vel moderationis ordo, ut ait ipse S. Leo, exigebat, ut ipsi luculentius observavimus; de qua re iterum agere supervacaneum modo est. Sed adhuc addidit Quesnellus : De confirmatione igitur gestorum a se habitorum adversus Eutychen, ne per somnium quidem cogitabat Flavianus. Itane? et præcedentes illæ voces, et Flaviani phrases, quas superius annotavimus, innuunt forte Flavianum non cogitasse per somnium de gestorum confirmatione, quam expresse postulabat? Egregie lectori **356** imponere studuit : sed veritas mendacia fugat et evertit. Hinc vero si consuetam scribendi

(*a*) Epist. 20 S. Leonis ad Flavianum, cap. 1.

A methodum prosequi vellemus, pedetentim omnia annotando quæ Quesnellus scripsit ad Eutychis appellationem abolendam, jam extra scenam vagari cogeremur. Alia et alia enim, quæ sibi favere adversarius credidit, in sua miscuit dissertatione, quæ vix ad præsentem pertinent quæstionem. Veluti illa de cogenda vel non cogenda generali synodo; quam auctoritatem non ab apostolica divi Petri sede pendere, sed ab imperatore, et ab omnium episcoporum consensu, quem prius exquirendum esse confingit. Vel illa alia de Actis synodorum Orientalium confectis a provinciarum metropolitis, vel diœcesanis, quæ non transmittebantur in Occidentem examinanda, sed tunc tantummodo esse illuc transmissa, cum vel particularis controversia aut accusatio in publicam fidei causam evaserat; vel cum quis in synodo damnatus ad cæteros episcopos provocabat; vel cum, hæreticis imperatoris gratia abutentibus, primariæ sedis episcopum, qui apud principem ageret, conveniri,

B ejusque sollicitudinem adversus pervicacium hæreticorum malas artes arcendi pareret. Cujus rei aliqua sibi suppeditata esse testimonia credit ex concilii Chalcedonensis Actis. Quare cum Christiano Lupo congressionem instituendo ait : « Quis credat Romam esse directa Acta synodorum Antiochenæ, et Berytensis, non multo ante Constantinopolitanam habitarum in causa Ibæ? Quis alterius Antiochenæ, in causa Athanasii Parrensis? Quis sexcentarum aliarum gesta ad Occidentales partes delata ad illud usque tempus dixerit? At potius contra morem egisset Flavianus, si de illis mittendis cogitasset, *antequam* Eutychis pervicacia, contestariorum *libellorum publicatio*, litteræ ad Leonem missæ, *imperatoriæ* potestatis metus, concilii a Theodosio convocandi rumor, vel indictio, et alia hujusmodi necessitatem Flaviano imposuissent primariam sedem de causa jam communi facta instruendi. » Hæc sunt quæ ut fucum faceret Quesnellus, digessit in causa appellationis ad apostolicam sedem habitæ. Quorum alia

C cum ad subsequentem concilii generalis indictionem convocationemque pertineant; alia vero ad causas cum in Ephesina tum Chalcedonensi œcumenicis synodis pertractatas et definitas referri debeant; alia denique quæ ad Eutychis et Flaviani negotium spectant, cum a nobis abunde discussa et enucleata fuerint, idcirco ne historicarum rerum filum abrumpamus, alibi de iisdem opportunius verba facere differimus. Interim autem speciatim de Eutychiano appellationis libello quem e Leoninarum Operum collectione eliminandum censuit Quesnellus, sermonem peculiariter aggredimur.

CAPUT VI.

De Eutychis epistola, et libellis ad S. Leonem Magnum scriptis. Christiani Lupi de iisdem sententia a Quesnelli notis criticis vindicatur; et postremo hujus agendi scribendive rationem nonnisi fallacias et nugas præseferre ostenditur.

D 1. Scriptorem de ecclesiasticis rebus Quesnello audaciorem nullum esse æque opinor, neque cui magis animo desiderium insederit Christiani regiminis formam et ordinem pervertendi. Id hactenus passim in nostris Exercitationibus, et potissimum in præcedentibus hujus Eutychianæ historiæ capitibus, abunde demonstratum fuisse ii judicabunt qui nullo partium studio adducti easdem lustrare non contempserunt. Interim autem postquam duo integra de Eutychis ad apostolicam sedem appellatione **357** capita scripsimus, tertium adhuc superaddendum esse existimavimus, in quo Quesnello objiciantur ejusdem Eutychetis epistola, fidei professio, et libelli quos in suæ causæ munimen atque præsidium ad summum pontificem magnum Leonem direxit, quæ monumenta omnia comprimere, et violenta interpre-

tatione explicare, noster adversarius multis modis A conatus est. Quod ut facilius præstare posset, quatuor libellorum genera distinguenda esse sibi persuadet, quos libellos Eutyches a suo episcopo damnatus vel obtulit, vel obtulisse se mentitus est. « Primus fuit appellationis libellus de quo diximus. Secundus contestatorius, de quo S. Leo epistola 20 ad Flavianum, cap. 1, scilicet, post appellationem interpositam litteræ dandæ sunt ab eo a quo appellatum est ad eum qui de appellatione cogniturus est, quas litteras dimissorias sive apostolicas vocant...... Si autem non accipiat, contestetur, etc. » *Tertius libellus fuit querimoniæ; ad sedem enim apostolicam per libellos doloris sui querimoniam misit*, inquit Leo noster epistola 21 ad Theodosium Augustum. « Libellus porro querelæ, subjicit idem Quesnellus, seu querimoniæ, recte et proprie oblatus dicitur a presbytero adversus episcopum, seu patrem suum. Ad quam conjecturam confirmandam jurisconsultorum illud axioma exscribit : *De paternis injuriis conquerentem filium audiri justum est et usitatum, cum ipsum accusantem vix quisquam ferat.* Quartum libellum, B supplicem videlicet, obtulit Eutyches adversus Flaviani sententiam. Immo plures, quos videre est act. 1 Chalcedonensis concilii (*a*). »

2. Hac itaque libellorum distinctione præmissa, sic præterea ratiocinatur Quesnellus : « Quatuor hujusmodi libelli imprimis distinguendi sunt, ne cujusque vis et energia alteri tribuatur, unde et totum hoc negotium consequenter obscuretur. Fuit igitur primus libellus appellationis ad concilium; secundus contestatorius ad CP. populum; tertius querimonialis seu querelæ ad S. Leonem; quartus libellus supplex ad imperatorem. » Primus commentitius erat, nec revera datus; alii tres revera oblati. Quorum omnium libellorum mentionem fecit S. Flavianus in epist. 1 ad sanctum Leonem. Hisce autem verbis suam clausit Quesnellus dissertationem. Si ergo staret lepida hæc æque ingeniosa libellorum distinctio ab adversario nostro excogitata, jam ex parte prorsus C caderent quæ hactenus de Eutychetis appellatione conscripsimus. Solam apud apostolicam sedem *querimoniam* Eutychen fecisse, non *appellationem* diceremus. Verum adversarium rogo undenam illam distinctionem hauserit, ne commentitiam et ad fucum faciendum excogitatam fuisse arbitremur? In codicibus plane, et legum digestis non offendimus quatuor illa libellorum genera esse distincta, ut unus dumtaxat totam illam vim et energiam habere non possit. Immo *Contestatorius*, quem jurisperiti *evocatorium* appellant, *appellationem*, *querimoniam*, et *supplicationem* continere ii nobiscum affirmabunt, qui, a præcedenti Quesnellianarum nugarum apparatu minime decepti, rerum veritatem scrutari non gravabuntur. Narrat imprimis Socrates quemadmodum in Tyrii synodo, Meletianorum factione agente, una cum Eusebianis, nullo naturali vel ecclesiastico ordine servato, tamquam multorum facinorum reus damnatus fuerit magnus Athanasius. Hinc Athana- D sius et episcopi Ægyptii *contestatorio libello*, qui hodie (ut cl. Petrus de Marca (*b*) annotavit in foro *evocatorius* diceretur, a Dionysio comite, qui a Constantino ad synodum missus fuerat ut esset gerendarum rerum *animadversor*, et *custos conservandæ æquabilitatis*, postulant ne calumniis consarcinatis det locum, ne per insidias et falsa crimina hostium qui in illo concilio judices sedebant injuriam paterentur. Verba libelli Dionysio oblati hæc sunt (*c*) : *Cum multarum videremus* **358** *calumniarum consarcinationem, ex consarcinationibus insidias Eusebii, Narcisi, Flacilli, Theognii, Maris, Theodori, et Patrophyli adversum nos, quos quia principio detrectantes rejicere non licuit, necessario ad protestationem devenimus, præsertim cum animadvertamus multa, ad gratiam Meletianorum, multa rursus ad insidias catholicæ Ecclesiæ sub nostris criminibus agitari, necessario ob id quoque hunc libellum tibi porrigimus cum multis obsecrationibus, ut, Dei metu in animo servato, qui imperium augustissimi et pientissimi imperatoris Constantini tuetur, cognitionem causarum nostrarum imperatori reserves. Æquum est enim, te ab imperatore missum negotium hoc integrum retinere* (*d*). Nemo est qui negare audeat hocce contestatorium libellum in se continere omnem vim et energiam quam in quatuor libellorum generibus sparsam atque divisam esse Quesnellus comminiscitur. An non in eo conqueruntur Athanasius et episcopi Ægyptii falsitatibus et criminum consarcinatione ab hostium calumniis esse appetitos, ob insidias Eusebii, Narcisi et aliorum? Nonne testati sunt solemni protestatione in ea synodo catholicæ Ecclesiæ insidias fuisse molitas, sub prætextu falsorum criminum ipsis objectorum, de quibus inquisitionem facere confingebant? Nonne tandem obsecrationibus petebant ut, Dei *metu servato, causarum cognitio* imperatori Constantino reservata esset? Agebatur enim de criminibus falsis, quæ si vera fuissent, jam et civilem rerum administrationem, et imperiale regimen, offendissent. Et propterea nihil mirum si in iis tantarum angustiarum circumstantiis provocabant ad imperatorem ut novi judices constituerentur, qui, neque odio, malitia improbitatibusque adducti, eorum causam examinandam assumerent. Non est igitur verum quatuor libellorum genera in similibus causis esse distinguenda, ne cujusque vis et energia alteri tribuatur, unde et totum negotium obscuretur. Perspicue enim appellationis negotium ex unico tantum libelli genere innotescit, si illud in se habeat quidquid necessarium est ad veram appellationem constituendam et obtinendam.

3. Et quidem hujus generis esse libellos et epistolam quibus Eutyches ad S. Leonem provocavit, quæ statim dicturi sumus patefacient. Tria enim capita epistola illa seu libellus in se continet. Alterum duo querimoniarum habet genera. Primum, quod ab Eusebio Dorylæi sibi infenso fuerit de læsa fide accusatus; secundum, quod Constantinopolitanæ synodi Acta injuria contra eum fuerint exarata. Unde, S. pontificis testimonio invocato supra sensum suarum propositionum atque verborum, subjicit : *Sed pessimus diabolus fascinavit tale studium nostrum et propositum, a quibus vires ejus destrui oportuit. His simulans omnem domesticam sibi vim, contra me movit Eusebium episcopum oppidi Dorylæensis libellum dantem sancto episcopo Constantinopolitanæ Ecclesiæ Flaviano, et, quibusdam aliis inventis in eadem urbe......., hæreticum me compellavit, non veritate ad accusationem motus.* Postmodum pari ratione conqueritur quod, Constantinopolitanis PP. exhibita sua fidei professione, libello scripto exarata, atque propria subscriptione signata, Flavianus neque libellum susceperit, *neque ut legeretur jussit.* Addidit præterea se in ea synodo dixisse atque rogasse exspectandum esse apostolicæ sedis judicium : *Rogabam ut innotescerent ista sanctitati vestræ, et quod vobis videretur judicaretis, profitens omnibus modis secuturum quæ probassetis.* De qua *recusatione* graviorem faciens querimoniam subjicit statim : *Sed nullo eorum quæ a me dicebantur audito, abrupta synodo publicaverunt dejectionis sententiam, quam adversus me ante cognitionem parabant. Vim et dejectionem aliorum monasteriorum archimandritis intentatam, ut illius condemnationi* subscriberent narrat (*e*). Quæ ejus studium adduxerunt **359** ut plebi

(*a*) Quesnellus, diss. 7, num. 15, tom. II Operum S. Leonis, pag. mihi 300.

(*b*) Petrus de Marca, lib. IV de Concordia sacerdotii, cap. 2, num. 6.

(*c*) Epistola Constantini, apud Baronium, anno 334, § 2.

(*d*) Tom. II Concil. generalium, p. 730; et apud cl. Petrum de Marca, ubi supra.

(*e*) Eutychis libellus, seu epistola, ad Vaticanos castigatus mss. codices, cap. 1.

satisfaceret, publice suæ fidei confessione proposita. Hæc, inquam, sunt quæ ad Eutychis querimonias spectant, quasque totum primum illius libelli caput continet. Post has doloris querelas, idem Eutyches ad suam appellationem gradum facit, et, recusato priori judicio in Constantinopolitana synodo habito, ita summum pontificem interpellat, suum sermonem ab iis verbis ordiendo : *Ad vos igitur, religionis defensores, et hujusmodi factiones exsecrantes confugio.* Et expressius petens aboleri et in irritum mitti quæ hactenus in ea Constantinopolitana synodo gesta, et definita fuerant, a Romano pontifice judicium novamque sententiam proferri exorat. Hinc ergo ad sequentia ejus verba attendat Quesnellus, et dicat an provocaverit Eutyches ad Romanum pontificem necne? *Et obsecro* (ait) *ut nullo mihi præjudicio facto ex his quæ per insidias contra me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit super fidem proferre, sententiam, et nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere, et non excuti et eximi de numero orthodoxorum*, etc.

4. Ne præterea Eutychis appellationem summus pontifex flocci faceret, quasi ut non iis esset necessariis conditionibus a canonibus præscriptis suffulta, suis epistolis *utrumque libellum adjunxit.* Eum videlicet *qui ab accusatore suo* Eusebio Dorylæensi synodo fuerat oblatus, et qui ab eo *gestus fuerat*, non tamen a Flaviano et synodo susceptus et suæ fidei professionem, necnon ea quæ *supra duabus naturis a sanctis PP. decreta sunt.* Quam quidem fidei professionem laudatæ epistolæ seu libello immediate subjecit, ut compertum habuimus ex ms. Vatic. cod. a sexcentis circiter annis exarato, in quo, absolutis duobus primis capitibus, sequentem offendimus notam : *Item Eutychis verba.* Summarie dumtaxat quid habeat illa fidei professio hic indicamus, cum in ea nostra concertatio non versetur. Aliunde eam ex Cassinensi cod. publicis typis clariss. Christianus Lupus adornavit, quam tamen Quesnellus a sua appendice censuit expungendam. Eutyches igitur in ea fidei professione edenda se totum insistere fatetur Nicæni atque Ephesini conciliorum sanctionibus, in quibus de Verbi divinitate et incarnatione actum fuerat. Sancti Cyrilli episcopi Alexandrini, utriusque Gregorii, Attici, Proculi, omniumque orthodoxorum doctrinam atque sententias honorare profitetur, eosque tamquam sanctos et magistros suos habere asseverat. Tandem anathema dicit Nestorio, Apollinario, et omnibus hæreticis usque ad Simonem, et cæteris qui dicunt *carnem Domini nostri Jesu Christi e cœlo descendisse. Ipse enim qui est Verbum Dei descendit e cœlis sine carne*, etc.

5. Cum clarissimo tamen Christiano Lupo congressionem instituendam esse censuit noster adversarius (*a*). Et propterea in altera Operum sancti Leonis Magni editione quamdam conscripsit appendicem, cui hunc titulum apposuit : *Appendix ad dissertationem de appellatorio Eutychis libello, quem ex Cassinensi codice edidit Christianus Lupus, an revera sit appellationis libellus.* Hanc enim epistolam tamquam appellationis libellum probare non poterat, ne palinodiam cantare videretur. Idcirco primo Christianum Lupum carpit, quod eum *in suam de appellationibus lucubrationem* transcripserit. Deinde præcedentibus dictis insistendo, libelli nomen posse habere inficiatur, suffragante sibi maxime arbitratus ipsa scripti epigraphe, et ipso scriptore reluctante. Ipse enim Eutyches (ait) diserte distinguit inter libellos et epistolam hanc suam. *Subjunxi* (inquit) *his litteris meis utrumque libellum, et eum qui ab accusatore meo oblatus est synodo, et qui a me gestus quidem, non tamen susceptus.* Lapsus ergo Christiani Lupi, aut oscitantia (Quesnello auctore), in eo stare videtur, ut epistolam Eutychis libellum appellaverit, ipsius scripti epigraphe refragante. **360** Quid inde tamen? an non epistolæ cuilibet, et hujus generis potissimum, libelli nuncupatio convenire potest? Ego sane ne grammaticorum scriptorum leges in Quesnelli mentem revocem, ea exempla adducere prætermitto, quæ ex Cicerone ipso laudari possent, quorum aliqua dumtaxat annotare haud piguit (*b*). Veruntamen inficiari non possum huic epistolæ, etiam epigraphe nostra refragante, omnes libelli characteres atque notiones convenire. Non unius imprimis, sed plurium rerum simul congestarum continet narrationem, quarum ratione *commentarioli* cujusdam appellationem merito habere potest, in qua nullatenus a *libello* differre il judicabunt, qui hujus vocis significationem ex Latinis scriptoribus didicerunt. Non obstat quod Eutyches huic alia scripta subjecerit, quæ libellos appellavit. Hæc enim scripta ad absentes missa non fuere, sed in solemni episcopali cœtu dumtaxat exhibebantur; idcirco non epistolæ simul et libellorum nuncupationem ab Eutyche obtinuisse credendum est. Prior illa nostri adversarii annotatio, non tantum ex mox recensitis extenuatur, verum etiam ipsius testimonio prorsus evanescit. Fatetur enim S. Leonem *libelli* nomen usurpasse, nec tamen appellationem dixisse, sed *doloris* et *querimoniæ.* « Cum autem (subjicit) libellum appellationis commemorat, cum intelligit quem Eutyches *porrexisse* fatebatur in judicio, ut appellationum solemnia poscebant, » ut ait S. Leo. At falso sibi suffragatorem vindicat S. Leonem. Nam licet inficias non eam sanctum pontificem ad Theodosium scribentem dixisse : *Quamvis enim prædictus presbyter ad sedem apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit* (*c*), nullibi tamen in ejusdem Operibus illa postrema verba usurpata offendimus : *In judicio, ut appellationum solemnia poscebant.* Ea enim ex sua sententia confinxit Quesnellus, ut suis conjecturis robur tribueret. Et in epistola ad Flavianum, in qua de *appellationis* libello in judicio oblato disserit, dumtaxat habet : *Adeo ut in ipso judicio libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptam.* Hæc annotare compellimur propter dicta in præcedentibus. Ad solemnitatem enim appellationis, Eutychetl sufficere poterat publica sententiæ in eum latæ *recusatio*, adhuc PP. concilii sedentibus facta, ut constat ex Rustico diacono et ipso Petro de Marca a nobis laudatis, maxime cum talem *recusationem contestatoriis libellis solemniter confirmaverit.*

6. Nihil tamen canonicæ appellationis has Eutychetis litteras habere Quesnellus contendit. Atque ad ea loca provocat quæ Christianus Lupus pro sua adduxit sententia, dicendo voluisse Eutychen primo eo dicto : *Invoco autem vestram sanctitatem in testimonium cordis mei, et rationes sensuum meorum atque verborum*, lectorem (ait Quesnellus) quem alloquebatur compellere, ut judicet quid erroris in hac sincera suæ fidei professione contineatur; ac forte alludit ad illud Apostoli II ad Corinth. I, 23 : *Ego autem testem Deum invoco in animam meam.* Hinc postmodum occasionem arripit taxandi hujus epi-

(*a*) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis, pag. mihi 302.

(*b*) Cicero : *Scripsi illud in quodam libello, qui me imprudente et invito excidit*, epist. 273. *Ne de Panco quidem spem adhuc abjecit, ut ex libellis ejus animadverti qui in me inciderunt.* In Verrem : *Recita mihi hunc libellum, deinde illum alterum Canulli.* In hisce locis litteras libellos Ciceronem appellasse Nizolius in Thesauro Ciceroniano testatus est.

(*c*) S. Leo Magnus, epist. 21 ad Theodosium, cap. 1, et epist. 20 ad Flavianum, cap. 1. Videsis cap. 4 harum nostrarum Exercitationum. Rursus sanctus pontifex in epist. 26 ad Theodosium, Eutychis epistolam libellum appellat scribens : *Cum in libello suo quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reservaverit, ut correcturum se esse promitteret quidquid nostra sententia... improbasset.* Totidem fere verba offendes in ipso Eutychis libello de quo in præsens agimus. Propterea injuria negotium facessere Christiano Lupo Quesnellus conatur.

stolæ versionem, tamquam rudem maleque digestam : et propterea alia interpretatione narrationem
361 illam distinxit, quam suis studiis favere arbitratus est. At quid enim in hisce litteris magis clarum et expressum desiderari potest, ut inde colligamus canonicam præseferre appellationem? Roman. pontif. esse similium controversiarum legitimum judicem, et earum potissimum quæ in clero et Constantinopolitana Ecclesia oriebantur, celebrioribus et certissimis testimoniis, cum PP. Chalcedonensium, tum ipsius Constantinopolitani episcopi Anatolii, et ipsius Flaviani etiam, evidentissime probatum est. Potissimum quoque, quia Eutyches, non tantum in illius epistolæ exordiis tamquam solum testem compellavit Romanum pontificem, sed totam rerum contra eum gestarum seriem patefacit. Non solum queritur de injuria sibi per odium et circumventionem illata, sed apostolicæ sedi judicio se submittere profitetur, *omnibus modis secuturum quæ ab eadem probarentur*. Neque obstat Eutychen scripsisse : *Rogabam ut innotescerent ista sanctitati vestræ, et quod vobis videretur judicaretis;* quibus verbis insistens Quesnellus ait : *Rogantis hæc verba* sunt, non *appellantis* ac pro jure suo judicium postulantis. Nam Eutyches describit ibidem suum agendi modum, quem cum Constantinopolitanis PP. servaverat, ut aut damnationis sententiam evaderet, aut saltem suæ causæ judicium suspenderetur, quoadusque, apostolica sede consulta, quid hæc judicaret innotesceret. Tum enim Eutyches, ne per fastum et superbiam procedere videretur, *supplicationibus* usus fuit, non *appellatione*, quia adhuc sedentibus in concilio PP. ejusque causam discutientibus nondum sententia in eum lata fuerat. Allegaverat tamen tamquam sibi infensum accusatorem Eusebium, videlicet Dorylæi episcopum, et de factione contra eum per calumniam procedente suspectum. Quæ agendi ratio innuebat quod si contra hanc canonicam protestationem PP. procedere voluissent, ipsum jam ad aliud judicium fore provocaturum. Male ergo et subdole forte Quesnellus confundere satagit Eutychis *supplicationes* ad Constantinopolitanos PP. ante latam sententiam factas, cum *appellatione* post latam sententiam interposita. Hinc ergo cadit totum ejus ratiocinium, quo pro suo modulo explicare volens *Eutychis rogantis* verba, ea committere voluit cum aliis quæ in secundo Flaviani conventu a Basilio episcopo dicta sunt, videlicet : *Si præceperint mihi Patres Romanus et Alexandrinus, dico hoc ipsum; hoc autem non quasi appellans dixit; sed dicens : Non sum ausus dicere propter Patres*. Postremum hoc Eutychis factum esse referendum ad ea quæ hæreticus post latam sententiam dixit, jam ipsi in præcedenti cap. 5 observavimus. Unde ea committi posse cum illis *rogantis* vocibus quis credet?

7. Non igitur frustra Lupus huic epistolæ sensa et verba ad appellationem trahere conatur, etiamsi Eutyches in altera parte Leonem summum pontificem in plurali numero alloquatur, scribendo: *Ad vos igitur religionis defensores et hujusmodi factionum execrantes confugio...... et obsecro nullo mihi præjudicio facto ex his quæ per insidias contra me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit supra fidem proferre sententiam*. Nam imprimis duo ibi paucis petit. *Præsidium* videlicet contra factiosos calumniatores, qui insidias ei struxerant; deinde *judicium*, seu *sententiam* in fidei quæstione. Et quid aliud petere solent quotquot canonicam appellationem interponere consueverunt, nisi *præsidium* ad calumniantium insidias evertendas, et *sententiam* circa ea de quibus quæstio acta est? Etiam accedit Eutychen canonice latam in concilio sententiam recusasse, et recusationem publicis contestatoriis libellis confirmasse. Sed illa verba veram appellationem præseferre clarius ostendunt alia quæ laudatis immediate subdidit, quæque Quesnellus prorsus annotare prætermisit. *Et nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere, et non excuti, et eximi de numero orthodoxorum*, etc. An non plenum integrumque ejus causæ judicium ei reservari intendit ad quem scribit et provocat? 362 Quare inepte et insulse ludere Quesnellus mihi videtur, qui Lupum quasi lippum alloquens, ait : « Vides, mi Lupe, quod videre non vis; ut Eutyches ad religionis defensores confugiat, non ut judices appellet; ut obsecretur nullum sibi ex Flaviani sententia creari præjudicium, non irritum clamet ex appellationis voce judicium; ut denique de fide potius sententiam proferri postulet, quam de sua depositione et excommunicatione, de qua tamen si appellasset primitus agendum ipsi erat. » Puerilis plane annotatio est hæc. Quasi quod petens nullum sibi afferri præjudicium ex lata sententia, idem haud sit ac clamare et postulare ut in *irritum* mittatur; et qui petit non *excuti et eximi de numero orthodoxorum*, non postulet sententiam etiam proferri de sua *depositione* et *excommunicatione*. Utramque autem sententiam postulasse Eutychen Quesnellus vidisset, si integrum eum locum videre non neglexisset; ac propterea irrisio Lupo facta, optime in auctorem quadrare dubium esse non potest; maxime cum ex concilio CP. secundo habeamus sententiam in Eutychen latam suspensam fuisse, et munera, honorem, atque archimandritæ prærogativas et nomen eidem fuisse concessas, vigore litterarum papæ Leonis, quæ concilii Patribus lectæ fuerant (*a*). Jam vero pro refellendo Christiano Lupo hæc sufficere posse sibi blanditus est idem Paschasius Quesnellus. Nihilominus ex abundantia juris addendum censuit : « Scriptum hoc integrum, si ad S. Leonem papam missum est (ait), non ad eumdem unum missum fuisse, nec pro eo uno confectum; sed esse epistolam encyclicam ad omnes primarios sedium episcopos, quorum auctoritatem adversus Flaviani judicium movere et sibi propitiam reddere avebat Eutyches. Nam etiam cum appellationem hæresiarchæ mentiti sunt, qui pro ipso agebant apud Ephesum, non unum pontificem Romanum nominarunt (*b*). » Lepida æque ac fabulosa divinatio! Pro cujus confirmatione in medium iterum affert Constantini monachi et hæretici testimonium, et illud aliud Basilii episcopi, de quibus jam in superioribus actum est. At nugas agere Quesnellum sequentibus demonstrabo. Ecquis imprimis affirmabit eam epistolam encyclicam dici posse, cujus epigraphes unius singularis personæ nomen præfert? Encyclica enim illa dicitur quæ pluribus inscribitur; ut sexcentis exemplis ex historia ecclesiastica desumptis, et ex veterum monumentis apud Labbeum videre est. At epistola de qua agimus papæ Leonis dumtaxat nomen exhibet. Et quamvis vel ob interpretis indiligentiam supinitatemque, vel ex animi alienatione et malitia eos titulos honoris in ipsa non offendamus, quæ in aliorum scriptis occurrunt; tamen nulla ratione affirmare possumus, vel ad Dioscorum Alexandrinum, vel ad alios primarum sedium episcopos simile hujus epistolæ exemplar transmissum fuisse, cum mss. codices Cassinensis et Vaticanus non aliam habeant epigraphem quam eam quæ eidem cl. Christianus Lupus mss. codicum auctoritate ductus apposuit. Quid? Si ad alios episcopos eamdem epistolam Eutyches misisset, an Dioscorus vir factiosus, cujus nefaria gesta omnibus nota sunt, in latrocinali synodo prætermisisset eam publice legere, eamque Flaviano et legatis sedis apostolicæ, quibus negotium facessebat, objicere distulisset? Certe ne videretur per injuriam et nefas susquedeque omnia vertere et sibi aliorum jura, et pontificis Romani præsertim usurpare, hanc epistolam seu libellum ostendisset, appellatione ad apostolicam sedem.

(*a*) Videsis quæ a nobis in superioribus scripta fuerunt cap. 4 harum Exercitationum, ubi testimonium Eleusini diaconi adduximus pro Eutychetis

(*b*) Quesnellus, in appendice ad 7 diss., pag. ut supra.

satisfaceret, publice suæ fidei confessione proposita. Hæc, inquam, sunt quæ ad Eutychis querimonias spectant, quasque totum primum illius libelli caput continet. Post has doloris querelas, idem Eutyches ad suam appellationem gradum facit, et, recusato priori judicio in Constantinopolitana synodo habito, ita summum pontificem interpellat, suum sermonem ab iis verbis ordiendo : *Ad vos igitur, religionis defensores, et hujusmodi factiones exsecrantes confugio.* Et expressius petens aboleri et in irritum mitti quæ hactenus in ea Constantinopolitana synodo gesta, et definita fuerant, a Romano pontifice judicium novamque sententiam proferri exorat. Hinc ergo ad sequentia ejus verba attendat Quesnellus, et dicat an provocaverit Eutyches ad Romanum pontificem necne? *Et obsecro* (ait) *ut nullo mihi præjudicio facto ex his quæ per insidias contra me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit super fidem proferre, sententiam, et nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere, et non excuti et eximi de numero orthodoxorum*, etc.

4. Ne præterea Eutychis appellationem summus pontifex flocci faceret, quasi ut non iis esset necessariis conditionibus a canonibus præscriptis suffulta, suis epistolis *utrumque libellum adjunxit.* Eum videlicet *qui ... accusatore suo* Eusebio Dorylæensi synodo fuerat o... tus, et qui ab eo *gestus fuerat*, non tamen a Flavia... syn do susceptus et suæ fidei professionem, ... quæ *supra duabus naturis a sanctis PP. decre...* Quam quidem fidei professionem laudatæ ... seu libello immediate subjecit, ut comper... mus ex ms. Vatic. cod. a sexcentis circi... exarato, in quo, absolutis duobus primis ... sequentem offendimus notam ; *Item Eu...* Summarie dumtaxat quid habeat illa fi... hic indicamus, cum in ea nostra concer... setur. Aliunde eam ex Cassinensi cod. ... clariss. Christianus Lupus adornavit. ... Quesnellus a sua appendice censu... Eutyches igitur in ea fidei profes-io... tum insistere fatetur Nicæni atque ... liorum sanctionibus, in quibus de ... et incarnatione actum fuerat. Sanc... Alexandrini, utriusque Gregorii, omniumque orthodoxorum doctr... tias honorare profitetur, eosque ... magistros suos habere asseverat. dicit Nestorio, Apollinario, et ... usque ad Simonem, et cæteris ... *mini nostri Jesu Christi e cœlo qui est Verbum Dei descendit* ...

5. Cum clarissimo tamen ... gressionem instituendam ... sarius (*a*). Et propterea in ... Magni editione quamdam ... cui hunc titulum appos... *nem de appellatorio E... nensi codice edidit Ch... appellationis libellus.* ... appellationis libellum ... nodiam cantare vide... Lupum carpit, quod *lucubrationem* tran... dictis insistendo, ... ciatur, suffragante ... ...he, et ip... ...s (ait) ... ...esnellus ... ...ero ... ...te et ... ...nem ...

A epistolam ... *meis utrumq... oblatus est tamen* ... oscitan... ut epis... scripti ... an ... libel... gra... tem ... qu... q... n... g...

... atque since- ... conducere. ... oportet, et ... volentes, quæ ad ... quæque Eu- ... præbue- ... jactura, et Orien- ... dignitatis ... et gemitibus ... qua historia con- ... viri suam ... non omnes eodem ... factum est, ut ali- ... juribus ratiocinati ... latrocinium Dioscori ... et impetu conversa, ... auctoritatem ... Romanorum vero pon- ... angustos limites restrin- ... animum maximis an- ... lugubrem hanc tra- ... necibus, squalore, exsi- ... Ecclesiam ipsam et ... in mentem revocans que- ... *veteres æmulationes* per- ... *desævire*; cum videlicet, ... vinculis, ambitio sola, ... tyrannico modo dominatum ... moderatione pietatis ... ostendunt. Quibus quidem ... gliscentibus valde dif- ... videlicet scandalorum et ... magnorum principum clien- ... magis atque magis fovent ... ministri, qui pios et clementis- ... nefariis artibus circumve- ... et impetum sequentes, ... eorum animum imbibunt, ... suggestionibus decepti, id decer- ... divinis humanisque legibus gravissimis calamitatibus ... vexata et quasi omnino oppressa ... , *clementissimi imperatoris* ..., vilem, superbum hæreti- ... Eutychen defensurus, 366 cau- ... non Rom. pontificis judicio, aut ... examine, sed Dioscori episcopi ... et potestate voluit commissam. ... nimirum, impotens odii adver- ... Theodosii voluntatem moverat, quando ... synodus fuerat absoluta, ut, ... obsequii Romano pontifici exhibendi, ...esiasticis rebus præstandi, valde sol- ...ad S. Leonem scriberet. An vero priori ...ngregari generale concilium petierit, ...ratum. Immo facile in eam opinionem ...cet, altum de ea habenda tum servasse ...quidem etsi Theodosii litteræ temporis ...erditæ fuerint, tamen cum S. Leonis ad ...sa supersint, eam imperialem petitionem ...am invenimus indicatam. Maxime cum S. ...sum certiorem se sperare, post admonitio- ...epistolas Flaviano factam, ipsum *omnia ad notitiam relaturum, ut, in lucem ductis his* ...*uc videntur occulta, quod evangelicæ et apo-* ...*octrinæ convenit judicetur*. Igitur probabile et est Theodosium nihil de nova cogenda sy- A nodo ad Leonem scripsisse. Alias de hujus tanti momenti re verba fecisset, nec sibi reservasset judicare postquam quæ ei occulta tum erant, in lucem ducerentur.

2. Veruntamen inficias ire haud possum, tum temporis, aut paulo post, rumorem Constantinopoli sparsum fuisse de simili cogenda synodo; eamque Theodosio imperatori Chrysaphii aliorumque pravorum ministrorum consilio, et Dioscori machinationibus, fuisse insinuatam. Nam, ut vidimus, Flavianus iterum scribere coactus ad S. Leonem, qui priores litteras non acceperat, removeri petit *concilium, quod fieri divulgatur* (*b*). Et quamvis hæc epistola temporaria nota careat, tamen conjicere possumus mense Aprilis in Oriente de celebrando concilio rumorem fuisse sparsum. Sed nihil adhuc Leoni de hac imperatoris deliberatione innotuisse in mense Junio subsequenti mihi persuasum est. Nam octavo vel nono kal. (ut habent Vat. codd.) hujus mensis ad eumdem B rescribens imperatorem, apostolico repletus vigore eum fidenter alloquitur, ut *pro integritate catholicæ fidei fiat sollicitus, et hoc* (ait) *indefessis precibus divinam misericordiam posco, ut corde vestro id quod est veritatis inspiret, neque falli vos in aliquo humanarum æmulationum fraude patiatur* (*c*). Intellexerat ergo S. Leo jam Theodosii animum fraudibus humanarum æmulationum a veritate fuisse quoquo modo abalienatum, et improborum suggestionibus fuisse circumventum. Ad quas eludendas sapientissime decrevit petere et imperatori insinuare ut juberet *intra Italiam haberi episcopale concilium, quo omnia scandala quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota resecarentur* (*d*). Hic fateri cogor me haudquaquam latere, quosdam nostri ævi theologos Romanæ curiæ infensos, iis Leonis verbis insistere, *ut intra Italiam haberi jubeatis episcopale concilium*, ut inde colligant jus conciliorum indicendorum, non ad Romanum pontificem, sed ad imperatorem pertinere (*e*). Verum cum ejusmodi argumenta passim refellant catholici docto- C res, et aliquid in alio nostro opere dixerimus, præsentis otii non erit hanc excutere controversiam. Idcirco præcedentem rerum historicarum narrationem confirmamus alia Leonis epistola ad Flavianum scripta (*f*). In ea quippe S. episcopum monet de acceptis ejus litteris cum synodalibus Actis contra Eutychen exaratis. Spondet sollicitudinem suam, 367 nulla ratione pati volens aut Eutychen in *suæ persuasionis pravitate persistere*, aut Flavianum ipsum, *qui zelo fidei pravo et stulto resistebat errori, diutina adversæ partis impugnatione turbari*. In hac tamen nec unum verbum exprimit de concilio vel intra Italiam, vel apud Ephesum habendo. Quod forte mente non adhuc revolvebat, quodque concilium postmodum vix quatuor elapsis diebus imperatori Theodosio, ut vidimus, indicavit.

3. Quesnellus tamen ad laudatam Leonis epistolam Theodosio conscriptam animadvertens, suspicatur jam sancto pontifici innotuisse imperatoris delibera- D tionem de concilio apud Ephesum habendo. Propterea sequentem annotationem ad epistolæ calcem affigere statuit: « viii kal. Jun., cum ex epistola 27 ad Pulcheriam disertis verbis testetur Leo accepisse tertio idus Maias litteras synodi a Theodosio convocatæ indices, mirum cur de eadem synodo nullam apud principem mentionem faciat. Forte dissimulandum censuit pontifex, ut liberius synodum intra Italiam congregandam postulare a Theodosio posset, vel dicendum in al-

... Videsis Baronium, ad Christi annum 449; ...asium Quesnellum, tom. II Operum S. Leonis; ...rinum Binium, in notis ad synodum latrocina- ...; Labbeum, et alios passim, qui luculentius hu- ...synodi gesta descripserunt.

(*b*) S. Leo, epist. 21 ad Theodosium, cap. 2 in fine. ...ec epistola, ut vidimus, signata fuit 3 die kal. ...tii.

(*c*) Flaviani epistola ad S. Leonem, cap. 3.

(*d*) S. Leo, epist. apud Quesn. 23, quæ est ad Theodosium imperatorem, octavo kal. Junias scripta.

(*e*) Consule nostram Eusebii editionem, tom. II, pag. 2, epist. Leonis ad Flavianum apud Quesn. 22, duodecimo kal. Junii signata.

(*f*) Consule tamen quæ dicturi sumus in seq. cap. ad epistolam Leonis synodo Ephesinæ datam.

jubendo simul ut in synodi Actis per notarios describeretur. Hæc enim sola potuisset eum ab omni invidia purgare, et cunctis patefacere non alia ratione primas partes sibi in ea synodo deberi et præsidis officio fungi, quia, provocante Eutyche, a Constantinopolitani **363** concilii sententia atque judicio suam sedem appellaverat (*a*). Non igitur encyclica hæc epistola dicenda est, quæ solius Romani pontificis nomen exhibet, quamque ad alios primarum sedium episcopos directam fuisse, nec unum in antiquorum monumentis vestigium atque mentio apparet. Cæteras quoque conjecturas a Quesnello pro hac parte confictas refellere supervacaneum foret, cum ex sese viribus cadant. Nam præterquam quod ipse fatetur, Constantinum monachum, et Basilium episcopum, qui apud Ephesum pro Eutyche agebant, esse mentitos, jam non est cur ipsi aures nostras accommodare debeamus.

9. Quod tandem subjicit, « Encyclicam videlicet esse epistolam, ipsa tota clamat, in qua ne apex quidem de apostolica sede, vel de pontifice Romano, cujus prærogativas ac splendorem prædicare non omisisset, vir tunc temporis conciliandis sibi omnium quibus indigebat animis intentissimus. Iis igitur solis verbis usus est, quæ omnium primarum sedium episcopis conveniunt. Cui enim illorum non congruunt istæ : *Invoco vestram sanctitatem...... ut innotescerent ista sanctitati vestræ...... Ad vos igitur, religionis defensores, et hujusmodi factiones exsecrantes confugio* (*b*). » Quare noster adversarius sibi nimium blandiens suam appendicem hisce clausit verbis. « Certe hæc sola posteriora verba : *Ad vos, religionis defensores*, etc., meridiano sole patefaciunt non *ad unum, sed ad plures missum fuisse hoc qualecumque scriptum.* » At quidem ex mea sententia non majus robur Quesnelli conjecturæ ex istis, quæ ejus appendicem claudunt, obtinere potuerunt. Nam quamvis, ut diximus, in illa epigraphe honoris nomina desiderentur, id forte amanuensis vitio dare oportet, cum aliunde ex illis vocibus, *ad papam urbis Romæ Leonem*, id omne habeamus, *unum* dumtaxat nominari, cui juxta primatus ecclesiastici jura de fidei negotiis et de presbyterorum depositione spectabat judicare. Fateor deinde nullam expressam apostolicæ sedis mentionem haberi, omisisse quoque illius *splendorem et prærogativas prædicare*. Quid tamen? Ergo scriptum hoc, qualecumque sit, ad plures fuit missum? Figmentum apage! Non consuevit imprimis Eutyches in suis conscribendis epistolis atque libellis se exercere in prædicandis splendore et prærogativis eorum ad quos provocabat. Dumtaxat suarum rerum negotiorumque rationem exponebat, quin vacaret *in conciliandis sibi animis eorum* quibus indigebat. Si nostro adversario, qui apostolicæ sedis jura infirmis conjecturis everte e et abolere nisus est, grave non fuisset duo Eutychis scripta lustrare, ambo ad imperatorem Theodosium et Valentinianum directa, procul dubio nimia divinatione non fuisset deceptus.

10. In iis namque imperatorum prærogativas, vel illorum supremum dominatum, non prædicavit, non fuit *intentus in conciliandis sibi eorum animis*. Causam a Flaviano contra ipsum actam paucis dumtaxat exposuit, addens : *Supplico igitur serenitati vestræ consuetæ orthodoxæ fidei patrocinanti et meæ parvitatis opinioni præcipere beatissimos episcopos*, etc. Et tandem claudens suam supplicationem, hac formula brevi nullas prærogativarum laudes continente usus est : *Ut hoc consecutus* (examen videlicet gestorum sub Flaviano) *more solito laudans gratias agam Domino, et Deo omnium Christo, et vestræ semper pietati* (*c*). Non absimilia habet in altera **364** epistola ad eosdem imperatores scripta, ut videre est in concilii Chalcedonensis Actis. Non ergo ea styli ubertate in scribendo Eutyches utebatur, qua ejus luxuries depasceretur in prædicandis laudibus et prærogativis eorum ad quos scribebat, etiamsi eorum ope et præsidio indigeret. Imperiali autem præsidio et patrocinio indiguisse negabit forte Quesnellus? Tandem, ipso nostro adversario auctore, Eutyches eum ad quem scribit interpellavit tamquam fidei *defensorem et malarum factionum exsecratorem*, humillime petendo ne quidquam præjudicii eidem afferrent quæ per *insidias contra* eum gesta fuerant; nec permitteret *eum excuti et eximi* de numero orthodoxorum.

Ecquis alius umquam potuisset hæc omnia jure implere, et supplicantis votis indulgere, nisi summus pontifex, cum jam ageretur de negotio in provinciali synodo ordinarie absoluto, et de sententia jam lata; cujus Acta nonnisi ab unico, et supremo judice poterant infirmari, aut rescindi, vel reprobari, aut rata haberi? Si aliquod hac de re certum testimonium desideramus, consulere juvabit unum S. Petrum Chrysologum, quem cum Eutyches per epistolas interpellasset, ut vindicem suæ causæ se haberet, sine ambagibus et ulla prolatatione eidem respondit : *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ a beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria sede vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum Romanæ civitatis episcopi causas fidei audire non possumus* (*d*). Videat Quesnellus! Solus B. Petrus, qui in propria sede vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nec quisquam alius episcopus proprio jure extra consensum Romani episcopi causas fidei audire potest.

Solida necne vel infirma sint quæ hactenus in tribus hisce de Eutychis appellatione capitibus conscripsimus, solus lector qui nullo partium studio ducatur sincere poterit judicare. Unum tandem pro coronide addendum censuimus, videlicet, quod in propugnandis legitimis apostolicæ sedis juribus, et vindicandis Baronii et Christiani Lupi sententiis, nostris non indulsimus conjecturis. Ea dumtaxat in medium proponere in votis habuimus, quæ ex veteribus monumentis hauriri possunt, quibus insistere plurimum semper allaboravimus.

365 CAPUT VII.

De Ephesina synodo Eutychianæ hæreseos causa coacta. S. Leonis apud imperatorem agendi ratio pro concilio in Italia cogendo. Cujus S. P. studium a suspicionibus et notis criticis Quesnelli vindicatur. Synodo Ephesinæ præfuit Dioscorus Alexandrinus episcopus de mandato imperatoris Theodosii injuria sibi hoc jus arrogantis. Quemadmodum et quando apostolicæ sedis legati ex Urbe discesserint, de quibus disserens idem Paschasius Quesnellus in errorem lapsus est.

1. Non mihi licuisset apostolicæ sedis jura circa Eutychis appellationem solum ad veterum monumentorum fidem tractare et exponere, nisi etiam cum adversariis varias congressiones instituissem, qui aliter ecclesiastici regiminis formam et rationem interpretantur, vim omnem et studium adhibentes in distorquendis vel sancti Leonis Magni testimoniis,

(*a*) Videsis quæ in sequenti capite de Dioscoro Alexandrino dicturi sumus. Qui latrocinali Ephesinæ synodo imperatoris mandato præfuit, minime vigore appellationis Eutychetis ad ejus sedem appellantis. Igitur si Eutyches Alexandrinum episcopum appellasset, illius epistolam, seu libellum ostendisset, ut legeretur jussisset, quemadmodum de imperialibus litteris fecisse exploratum est.

(*b*) Quesnellus loco laudato in superioribus.

(*c*) Hæc Eutychis epistola Græce et Latine exstat tom. IV Conciliorum, pag. mihi 1035. Altera ejusdem supplicatio legitur in concilio Chalced., codem tom. IV, pag. 1091.

(*d*) S. Petrus Chrysologus, Ravennæ episcopus, ad Eutychen archimandritam.

vel aliorum scriptis, quæ nos ad plenam atque sinceram rerum omnium cognitionem poterant conducere. Modo vero gravius aliquod nos præstare oportet, et historiæ filum minime abrumpere volentes, quæ ad alteram Ephesinam synodum spectant, quæque Eutychianæ hæreseos maximum incrementum præbuerunt, summa cum fidei catholicæ jactura, et Orientalium Ecclesiarum exitio, et sacerdotalis dignitatis dedecore, et S. pontificis Leonis luctu, et gemitibus describere jamjam aggredimur (*a*). In qua historia contexenda, etsi quamplurimi præstantissimi viri suam operam locaverint, tamen cum non omnes eodem veritatis spiritu ducerentur, inde factum est, ut aliter et aliter de apostolicæ sedis juribus ratiocinati fuerint; vel ex ea synodo, in latrocinium Dioscori Alexandrini aliorumque furore et impetu conversa, argumenta desumant ad imperatorum auctoritatem magis et magis amplificandam, Romanorum vero pontificum jurisdictionem intra angustos limites restringendam. Fateor quidem meum animum maximis angustiis et mœrore urgeri propter lugubrem hanc tragœdiam, quæ proditionibus, necibus, squalore, exsiliis, contumeliis, afflictionibusque Ecclesiam ipsam et fere totum orbem replevit. In mentem revocans quemadmodum sacerdotum corda *veteres æmulationes* pervertere possint, et *privata odia desævire*; cum videlicet, abruptis Christianæ religionis vinculis, ambitio sola, fastus et præsumptiones tyrannico modo dominatum omne per fas et nefas, quacumque moderatione pietatis abjecta, sibi vindicare contendunt. Quibus quidem malis in quacumque republica gliscentibus valde difficile mederi potest, quando videlicet scandalorum et æmulationum auctores magnorum principum clientela fruuntur, eamque magis atque magis fovent eorumdem principum ministri, qui pios et clementissimos rerum moderatores nefariis artibus circumveniunt, et voluntatis luxuriem et impetum sequentes, præjudicatis opinionibus eorum animum imbibunt, ut tandem, falsis suggestionibus decepti, id decernant ac statuant quod divinis humanisque legibus repugnat. Hisce autem gravissimis calamitatibus Orientalis Ecclesia vexata et quasi omnino oppressa fuit, cum Chrysaphius, *clementissimi imperatoris Theodosii pietate abutens*, vilem, superbum hæreticumque hominem Eutychen defensurus, **366** causam de qua agebatur non Rom. pontificis judicio, aut universalis concilii examine, sed Dioscori episcopi Alexandrini arbitrio et potestate voluit commissam. Is enim, Chrysaphius nimirum, impotens odii adversus Flavianum, Theodosii voluntatem moverat, quando Constantinopolitana synodus fuerat absoluta, ut, prætextu debiti obsequii Romano pontifici exhibendi, et præsidii ecclesiasticis rebus præstandi, valde sollicite pro pace ad S. Leonem scriberet. An vero priori illa epistola congregari generale concilium petierit, non est exploratum. Immo facile in eam opinionem descendere licet, altum de ea habenda tum servasse silentium. Siquidem etsi Theodosii litteræ temporis injuria deperditæ fuerint, tamen cum S. Leonis ad eum responsa supersint, eam imperialem petitionem haudquaquam invenimus indicatam. Maxime cum S. P. Theodosium certiorem se sperare, post admonitionem per epistolas Flaviano factam, ipsum *omnia ad nostram notitiam relaturum, ut, in lucem ductis his quæ adhuc videntur occulta, quod evangelicæ et apostolicæ doctrinæ convenit judicetur*. Igitur probabile et certum est Theodosium nihil de nova cogenda sy- A nodo ad Leonem scripsisse. Alias de hujus tanti momenti re verba fecisset, nec sibi reservasset judicare postquam quæ ei occulta tum erant, in lucem ducerentur.

2. Verumtamen inficias ire haud possum, tum temporis, aut paulo post, rumorem Constantinopoli sparsum fuisse de simili cogenda synodo; eamque Theodosio imperatori Chrysaphii aliorumque pravorum ministrorum consilio, et Dioscori machinationibus, fuisse insinuatam. Nam, ut vidimus, Flavianus iterum scribere coactus ad S. Leonem, qui priores litteras non acceperat, removeri petit *concilium, quod fieri divulgatur* (*b*). Et quamvis hæc epistola temporaria nota careat, tamen conjicere possumus mense Aprilis in Oriente de celebrando concilio rumorem fuisse sparsum. Sed nihil adhuc Leoni de hac imperatoris deliberatione innotuisse in mense Junio subsequenti mihi persuasum est. Nam octavo vel nono kal. (ut habent Vat. codd.) hujus mensis ad eumdem B rescribens imperatorem, apostolico repletus vigore eum fidenter alloquitur, ut *pro integritate catholicæ fidei fiat sollicitus, et hoc* (ait) *indefessis precibus divinam misericordiam posco, ut corde vestro id quod est veritatis inspiret, neque falli vos in aliquo humanarum æmulationum fraude patiatur* (*c*). Intellexerat ergo S. Leo jam Theodosii animum fraudibus humanarum æmulationum a veritate fuisse quoquo modo abalienatum, et improborum suggestionibus fuisse circumventum. Ad quas eludendas sapientissime decrevit petere et imperatori insinuare ut juberet *intra Italiam haberi episcopale concilium, quo omnia scandala quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota resecarentur* (*d*). Hic fateri cogor me haudquaquam latere, quosdam nostri ævi theologos Romanæ curiæ infensos, iis Leonis verbis insistere, *ut intra Italiam haberi jubeatis episcopale concilium*, ut inde colligant jus conciliorum indicendorum, non ad Romanum pontificem, sed ad imperatorem pertinere (*e*). Verum cum ejusmodi argumenta passim refellant catholici docto- C res, et aliquid in alio nostro opere dixerimus, præsentis otii non erit hanc excutere controversiam. Idcirco præcedentem rerum historicarum narrationem confirmamus alia Leonis epistola ad Flavianum scripta (*f*). In ea quippe S. episcopum monet de acceptis ejus litteris cum synodalibus Actis contra Eutychen exaratis. Spondet sollicitudinem suam, **367** nulla ratione pati volens aut Eutychen in *suæ persuasionis pravitate persistere*, aut Flavianum ipsum, *qui zelo fidei pravo et stulto resistebat errori, diutina adversæ partis impugnatione turbari*. In hac tamen nec unum verbum exprimit de concilio vel intra Italiam, vel apud Ephesum habendo. Quod forte mente non adhuc revolvebat, quodque concilium postmodum vix quatuor elapsis diebus imperatori Theodosio, ut vidimus, indicavit.

3. Quesnellus tamen ad laudatam Leonis epistolam Theodosio conscriptam animadvertens, suspicatur jam sancto pontifici innotuisse imperatoris delibera- D tionem de concilio apud Ephesum habendo. Propterea sequentem annotationem ad epistolæ calcem affigere statuit: « viii kal. Jun., cum ex epistola 27 ad Pulcheriam disertis verbis testetur Leo accepisse tertio idus Maias litteras synodi a Theodosio convocatæ indices, mirum cur de eadem synodo nullam apud principem mentionem faciat. Forte dissimulandum censuit pontifex, ut liberius synodum intra Italiam congregandam postulare a Theodosio posset, vel dicendum in al-

(*a*) Videsis Baronium, ad Christi annum 449; Paschasium Quesnellum, tom. II Operum S. Leonis; Severinum Binium, in notis ad synodum latrocinalem; Labbeum, et alios passim, qui luculentius hujus synodi gesta descripserunt.

(*b*) S. Leo, epist. 21 ad Theodosium, cap. 2 in fine. Hæc epistola, ut vidimus, signata fuit 3 die kal. Martii.

(*c*) Flaviani epistola ad S. Leonem, cap. 3.

(*d*) S. Leo, epist. apud Quesn. 23, quæ est ad Theodosium imperatorem, octavo kal. Junias scripta.

(*e*) Consule nostram Eusebii editionem, tom. II, pag. 2, epist. Leonis ad Flavianum apud Quesn. 22, duodecimo kal. Junii signata.

(*f*) Consule tamen quæ dicturi sumus in seq. cap. ad epistolam Leonis synodo Ephesinæ datam.

terutra epistola mendosum esse numerum diei, aut mensis (*a*). » Baronius quoque in hunc nodum offendens, postquam animadvertit imperatorem scripsisse litteras ad Romanum pontificem post absolutam synodum secundam Constantinopolitanam, quinto idus Aprilis, de habenda synodo Ephesi (eas accepit S. Leo, ut ipse testatur in epistola ad Pulcheriam, tertio idus Maias), secum recogitat intra unius mensis spatium litteras ex Urbe Constantinopolim fuisse delatas. Verum nec lumen exhibet, nec aliquod momentum nobis suppeditat idem doctissimus card. Baronius ad eripiendam difficultatem rationabiliter postmodum a Quesnello excitatam. Cum interim ergo utroque illo Quesnelli ratiocinandi consectario magis minusve urgeremur, malumus fateri mendosum numerum mensis aut diei in alterutram irrepsisse epistolam, quam simulationis reum S. pontificem facere aut suspicari. Nullam sane simulationem cum episcopo Flaviano adhibuisse nos credere oportet; sed in epistola ad eum scripta duodecimo kal. Junias nec unum verbum habet (ut vidimus) de acceptis a Theodosio litteris Ephesini concilii indicibus. Immo si tota illa epistola semel iterumque sedulo lustretur, colligitur Romanum pontificem nec per somnium cogitasse imperatorem de tali cogenda synodo fore deliberaturum. In ea namque loquitur tamquam supremus omnium illarum controversiarum arbiter: de læsa fide Eutychis, cujus doctrinam a traditione deviantem declarat; opportunam instructionem Flaviano spondet, *ut quid de tota causa constitui debeat* edoceatur; atque denique testatur haudquaquam pati Eutychis obstinationem, et sanctum episcopum tantis gravissimis perturbationibus vexari. Si ergo die tertia iduum Maiarum jam præteritarum litteras Ephesini concilii indices a Theodosio recepisset, hæc omnia cohærere non possent; et Leo ipse non tantum simulationem adhibuisset, sed mendaciis uteretur, quibus deceptus Flavianus, præstolabatur Romani pontificis præsidium, quod eidem hisce litteris pollicebatur.

4. Restat ergo errorem irrepsisse in alterutram earum epistolarum, et loco *iduum Maiarum*, *Juniarum* legendum sit in epistola illa quam scripsit ad Pulcheriam (*b*). Conjecturæ robur tribuunt verba quæ sequuntur, videlicet: *Major pars reliqui sit temporis absumenda ut profectio sacerdotum qui negotio sufficiant valeat ordinari*. Infirma enim Leonis querimonia videretur, si a die acceptarum litterarum, quibus Ephesina synodus indicebatur, adhuc fere tres integri menses decurrere debuissent, cum concilium nisi kalendis Augusti, aut ejusdem mensis idibus esset inchoandum. Quis enim affirmabit reliquam trium horum mensium partem **368** non fuisse sufficientem ut ex Italia episcopi Ephesum proficiscerentur? Maxime cum navigiorum subsidio in iis mensibus tranquille soleat navigari, et unius mensis spatio totum iter possit absolvi, ut supra Baronius annotavit.

5. Nobis tamen plenius non arridet hæc consularis nota, etiamsi dicamus forte legendum: *tertio idus Junias*. Nam si ad alias S. pontificis epistolas, vel ad Julianum episcopum Coensem, vel ad Theodosium et Flavianum directas attendamus, plane intelligimus jam idibus ejusdem mensis destinatos fuisse sedis apostolicæ legatos, qui indictæ synodo interessent. Et quamvis de ea habenda expressam non habeat mentionem nisi in epistola ad Theodosium, scribendo: *Quoniam tamen pietas vestra, quæ in honorem Dei religiosissime catholicam diligit veritatem apud*

A *Ephesum constituit synodale judicium* (*c*), tamen difficile ad credendum adduci possum trium dierum intervallum dumtaxat Leoni sufficere potuisse, ut ex Urbe tres apostolicos legatos cum Dulcitio notario expediret. Verumtamen cum monumenta quæ exstant omnes dubitationes quæ hinc inde concipi possunt non diluant, diutius in iisdem expediendis non esset immorandum, si ex gestarum rerum serie adhuc unum argumentum non haberemus minime S. Leonem recipere potuisse Theodosii litteras concilii Ephesini indices tertio iduum Maiarum. Quidquid vero sit de quocumque errore qui in diei aut mensis temporariam notam irrepere potuit, illud unum certissimum est, S. Leonem nec dissimulasse, nec mentitum fuisse, in litteris tum ad Flavianum tum ad Theodosium directis. Id evidenter ex sequenti temporum supputatione constare, nos arbitramur.

6. Atque imprimis supponimus S. pontificem Leonem, ab imperatore de perturbatis Constantinopolitanæ Ecclesiæ rebus admonitum, primas litteras cum
B Flaviano cum Theodosio dedisse duodecimo kalendas Martii, quæ erat sexta decima Februarii. Flavianum pariter supponimus has litteras sibi datas recepisse die vigesima quinta Aprilis, quando videlicet secunda synodus Constantinopolitana agebatur, in qua prioris synodi Acta, Eutychete postulante et imperatore mandante, recognita et relecta fuere præside Thalassio episcopo et Florentio patricio (*d*). Idus Maii jam occurrisse die decima quinta hujus, omnibus exploratum est. Igitur tertio idus incidere oportebat in diem duodecimam. Quare cum a die vigesima quinta mensis Aprilis ad duodecimam usque mensis Maii non intercesserint nisi viginti duo dies, inde sequitur litteras concilii Ephesini indices non potuisse Leonem a Theodosio recipere tertio idus Maias, præsertim cum minime verisimile sit quod eadem die vigesima quinta Aprilis, in qua recognita et relecta fuerunt Flaviani gesta contra Eutychen, præsidente Thalassio et Florentio patricio, deliberatum fuerit
C ab imperatore de Ephesina synodo habenda. Cum prius debuerit edoceri de iis quæ contigerant; tum etiam Chrysaphii et Dioscori aliorumque nebulonum machinationibus et consiliis necessarium tempus dandum erat; sicuti exspectare quoadusque imperialia decreta expedirentur. Si ergo nos crederemus hæc omnia citissime, duorum videlicet aut trium dierum spatio fuisse absoluta, et principis animum seductum deliberasse concilium illud apud Ephesum haberi, quid inde? An ad Leonem epistolæ Ephesini concilii indices pertingere potuerunt die duodecima Maii? Figmentum est. **369** Non enim quindecim, aut decem et octo dierum spatio e Constantinopolitana urbe epistolæ deferri poterant, ut ex subsequenti rerum narratione constabit. Falso itaque ratiocinatus est Quesnellus, in suspicionem cadens quod S. Leo has litteras concilii indices dissimulaverit, prætextu concilii intra Italiam cogendi.

7. Jam vero ad Theodosii jussionem gradum faciamus, qua sancitum voluit generale apud Ephesum
D cogi concilium, ex qua narratione magis magisque exploratum erit quidquid in superioribus explicavimus. *Postquam ergo* (scribit Liberatus diaconus) *nihil probatum est notariis de falsitate gestorum, Eutyches petit Dioscorum Alexandrinum episcopum, ut quæreret quæ de illo acta sunt, et causam examinaret. Agebat apud principem universalem fieri synodum, ut probaretur judicium Flaviani. Scripsit ergo Dioscorus Theodosio imperatori, quia aliam fieri synodum generalem oportebat, et ut fieret persuasit Eutyches. Annuit impe-*

(*a*) Quesnellus, tom. I Operum S. Leonis, ad epist. 23. Baron., ad an. 449.

(*b*) Epistola Leonis ad Pulcheriam 27, cap. 4.

(*c*) Consule Leonis epistolas ad Flavianum 24, ad Julianum episcopum Coensem 25, ad Theodosium 26. Postrema hæc epistola Vaticanorum codd. lectionibus nitidior in lucem prodidit.

(*d*) Acta secundi Constantinopolitani concilii ad annum 449, prout relecta Chalcedone hæc habent: *Consulatu Flaviani Protogenis viri clarissimi, et qui fuerit nuntiatus, sub die quinta kal. Maii, in Constantinopoli, ex sacra jussione cognoscente Martiali magnificentissimo comite* etc. Tom. IV Concil.

rator. Et dirigens sacram Dioscoro in Alexandriam (*a*). Porro si ad hoc plurium epistolarum commercium, quod inter Eutychen et Dioscorum, et Dioscorum inter et imperatorem, contigit attendamus, quod nonnisi post diem vigesimam quintam Aprilis inchoatum est, credere debemus litteras indices concilii generalis Ephesini fuisse protractas usque ad ultimam saltem diem ejusdem mensis, nisi velimus affirmare dumtaxat fuisse signatas die tertia iduum Juniarum, ut Leo ipse Pulcheriam alloquendo forte indicare voluit. In quo casu injuria temporis et amanuensium indiligentia lacuna aliqua in textum irrepsisset, quam tamen plurium mss. codd. subsidio supplere hactenus non potuimus.

8. Conjectura hæc majorem etiam vim assequitur ex Nicephori verbis. Qui artes a Crysaphio adhibitas ad imperialem animum circumveniendum recensens, hujus nefarias molitiones his verbis describit : *Porro ubi illa Acta et decreta legitima esse auctoritate sua comprobaverunt*, *Chrysaphius eunuchus*, *qui idem* B *cum Eutychete sentiebat*, *cum contumeliam ferre nequiret*, *iram suam adversus Flavianum maxime auxit*, *et Dioscoro Alexandrino*, *impio illi*, *indicavit se illi in rebus quæ placitæ erant gratificaturum omnibus*, *si Eutychetem periclitantem defenderet*, *Flavianum autem et Eusebium Dorylæum oppugnaret* (*b*). Demum temporariam illam notam errorem continere, Leonem autem minime dissimulasse postulando ut intra Italiam concilium haberetur, perspicue demonstratur ex Theodosii epistolis concilii Ephesini indicibus, vel ad Dioscorum, vel ad Barsumam aliosque Orientales directis. Priorem enim ad Dioscorum scriptam imperator signavit tertio kal. Maias; alteram idibus Maii; tertiam vero, quæ est data ad Barsumam, conscriptam offendimus pridie idus Maii. Non ergo verisimile est S. Leonem Romæ degentem potuisse accipere ex Constantinopoli litteras imperiales concilii Ephesini indices tertio idus Maias, si jam tum imperator vix deliberaverat de habendo concilio, et C pridie idus illius mensis totus erat occupatus in evocandis ad synodum principibus fautoribus Eutychianæ factionis. Igitur potius inferendum esset S. Leonem, currente Junio mense, immo quasi labente, accepisse a Theodosio litteras concilii indices, tertio idus Maias signatas, idque significare verba illa in epistola ad Pulcheriam annotata, quibus Quesnellus insistit.

9. Quod cupiebat, tandem Chrysaphius assecutus est. Nam, auctore Liberato, imperator sacram Dioscoro dirigendo præcepit, ut decem metropolitanos episcopos quos voluisset ipse eligeret, et veniret Ephesum, et, congregato concilio, Eutychetis causam discuteret. Jussit quoque Barsumam virum perditum archimandritam interesse, et vices agere omnium monachorum Orientales episcopos accusantium. Theodoretum vero **370** Cyri *episcopum adesse concilio interdixit*, *et in sua civitate permanere jussit*. *Jam enim Ibam Edessenum episcopum*, *ne synodo adesset per illum filium suum*, *quem dixi*, *Chrysa-* D *phium*, *in multas mansiones Eutyches relegaret exsilio*. Hæc autem quæ narrat hic Liberatus diaconus apprime iis respondent quæ in imperiali rescripto de cogenda Ephesina synodo leguntur, ut videre est apud Baronium, et in conciliorum collectione (*c*). At Baronius merito animadvertit temporariam hujus imperialis litteræ notam fuisse corruptam, et loco *tertio kalendas Aprilis Zenone et Posthumiano viris clarissimis consulibus*, esse restituendum *tertio kal. Maias*, *Asterio et Protogene consulibus*. Quod nos an- A notare oportuit in confirmationem eorum quæ superius descripsimus. Isthæc omnia autem ad opprimendos sanctissimos viros Flavianum, et Eusebium Dorylæum, et alios viros doctrina et moribus insignes sibi sufficere posse Chrysaphius et Eutyches non crediderunt, nisi mandato imperatoris arbitrum omnium gerendarum rerum Dioscorum constitutum habuissent. Propterea litteras ab imperatore extorserunt, ut Dioscorus tamquam omnium factiosorum caput concilio præsideret, sibi illud jus imperator arrogans et usurpans quod hactenus nullus ex imperatoribus facere ausus fuerat. Ad illud tamen sibi assumendum improbi ministri Theodosium impulerant pietatis colore, ut nimirum concilio Theodoretus non adesset, *præsumpsit* (ait imperator) *proferre contraria iis quæ scripsit de fide sanctæ memoriæ Cyrillus .... Hac de causa* (subjicit) *necessarium ducimus his sacris litteris ad tuam reverentiam datis manifestum facere tuæ beatitudini*, *et universæ S. synodo*, *quod nos*, *regulas Patrum sequentes*, *non solum propter Theodoretum*, *sed alios omnes qui ad congregatam S. synodum pertinent*, *auctoritatem et primatum tuæ præbemus beatitudini* (*d*). Hisce autem sacrilegiis in arroganda sibi ecclesiastica jura irretitus Theodosius, præsidium et auctoritatem exhibebat ut impune omnes malos, dolos et turpes machinationes Eutychiani exercerent; et Nestorianæ hæreseos pretextu Theodoretus ab eo cœtu explodebatur; Ibas exsul vivere cogebatur; et econtra qui Eutycheti studiosissimi erant synodo interesse et præesse jubebantur. Quid plura? Ad gravius catholicorum exitium patrandum, ab insidiatoribus Theodosius deceptus, novas litteras Dioscoro dedit, in quibus tamquam virum *in fide probatissimum*, et vitæ puritate ornatum, prædicat Barsumam, quem tenere locum omnium Orientalium archimandritarum jubet. Eadem die tandem, idibus Maii videlicet, scribit ad eumdem Barsumam, hujus labores in profligandis Nestorianis horumque hæresi eximiis laudibus celebrando ornat, justum ducens ut in synodo apud Ephesum habenda (ut diximus) omnium archimandritarum Orientalium locum teneret. Sic ergo rebus dispositis secum Eutychiani recogitantes eam haudquaquam œcumenicam posse dici synodum, ad quam supremum Ecclesiæ caput non esset vocatum, et in quam R. P. non influeret, cum jam intellexissent præterea ex præcedentibus epistolis S. Leonem Eutychen damnasse, eumdemque solemniori judicio condemnaturum, si generali synodo interesset, imperatoris animum moverunt ut de futura synodo sero admoneretur, ea ducti persuasione, quod temporis brevitas præpediret ut is nec per se, nec per suos legatos conventui interesset. Cum itaque nec ecclesiastica consuetudo ex canonibus derivata, nec afflicta tempora ex cladibus ingruentibus ob Hunnorum vastationem, nec denique suus in patriam et cives amor eidem permitterent ut, relicta apostolica sede, quasi suo privata patre atque pastore, Romam desereret, Ephesum profecturus; idcirco cum imperatore Theodosio et Pulcheria excusatum abire **371** censuit hisce verbis : *Nam illud quod pietas ipsius* (imperatoris videlicet) *etiam me credidit interesse concilio*, *etiamsi secundum aliquod exigeretur exemplum*, *nunc tamen nequaquam posset impleri*, *quia rerum præsentium nimis incerta conditio a tantæ urbis populis me abesse non sineret*; *et in desperationem quamdam animi tumultuantium mitterentur*, *si pro occasione causæ ecclesiasticæ viderer patriam et sedem apostolicam velle deserere* (*e*). Quia vero S. pontifici maxime ecclesia-

(*a*) Liberatus diaconus, in suo Breviario, cap. 12.

(*b*) Nicephorus, lib. XIV.

(*c*) Baronius, ad annum 449, et tom. IV Conciliorum.

(*d*) Exstat hujus epistolæ exemplar apud Baronium, ad annum ut supra, et tom. IV Conciliorum. Vide tamen quæ ex sententia clarissimi Christiani Lupi, seq. cap. dicturi sumus.

(*e*) Consule S. pontificem, epist. 26 ad Theodosium, in qua taxat et reprehendit, tamquam imperitum et male de catholica fide sentientem, Eutychen; idque exploratum habere *ex gestorum synodalium ordine*, ex quibus *imperite*, *imprudenter errare detectus est*. Et clarius epist. 24 statuit : *Mansuro judicio quod*

sticæ Orientis res cordi erant, cum civium incolumitati et apostolicæ sedis utilitati prospiciendum censuit, haudquaquam suas partes obire prætermisit, ut quæ in indicta Ephesina synodo agenda erant secundum divina et ecclesiastica jura procederent. Propterea eamdem alloquens Pulcheriam, immediate subjecit: *Quia igitur ad publicam hanc utilitatem pertinuisse cognoscitis, ut, salva clementiæ vestræ venia, charitati meæ et precibus civium non negarem, in his fratribus meis quos vice mea misi, me quoque adesse cum cæteris qui adfuerint æstimate; quibus, secundum causam satis mihi ex gestorum serie et ipsius de quo agitur professione patefactam, evidenter et plene quid servandum esset ostendi* (a).

10. Ex quo sane agendi modo S. pontifex sibi blandiebatur cuncta in ea synodo ad felicem exitum per suos legatos esse perducenda; cum prius eos necessario commonitorio de cunctis rebus agendis definiendisve edocuerit, *evidenter et plene quid servandum esset patefaciendo*. Sed jam de horum legatorum missione horumque necessaria instructione pro omnibus quæ agenda erant etiam mentionem facit in epistola ad imperatorem, eadem die conscripta. In qua pariter strictius paucis causas sive motiva illa tria exposuit, quibus præpeditus detinebatur, ne Ephesinæ synodo per se interesset; tamen eum certiorem facit ex gestorum serie satis superque compertum habuisse *imperite atque imprudenter Eutychen errasse, et debuisse a sua, quæ merito reprobatur, persuasione discedere*. Quare cum ipse imperator constituisset *apud Ephesum habendum esse synodale judicium, ut imperito seni ea in qua nimis caligat veritas innotescat : Fratres meos Julium episcopum, et Renatum presbyterum, et filium meum Hilarum diaconum misi, qui ad vicem præsentiæ meæ pro negotii qualitate sufficerent*; claudit tamen hanc epistolam indicando se ad Flavianum episcopum talia scripta misisse, *ex quibus indubitanter apparet, quid catholica Ecclesia universaliter de sacramento Dominicæ incarnationis credat et doceat*. Innuere volens neque Eutycheti, neque cuicumque alteri, licitum fuisse, sine aperta hæreseos et contumaciæ nota resilire ab iis quæ a S. Petri cathedra, veræ fidei columna et firmamento, sequenda proponebantur.

11. Interim autem apostolicæ sedis legati, de omnibus quæ jam in Eutychiano negotio contigerant instructi, et de singulis in Ephesina synodo agendis scriptum commonitorium a summo pontifice accipientes, incunctanter itineri se committunt. Cunctorum enim Eutychianorum artes **372** S. Leonem eludere necessum erat. Qui prætextu malorum in Orientem ob novam hæresim gliscentium, imperatoris animum induxerunt ad brevissimum tempus præstituendum, quo episcopi apud Ephesum convenirent. Celerrime igitur suum iter eos aggredi oportebat, ad Dioscori cæterorumque voluntatem frustrandam, qui in votis habebant ut concilium generale ageretur sine Romano pontifice, qui per seipsum immediate vel per suos legatos eidem præsideret. Hinc ergo minime Quesnello subscribere possumus, qui in dissertatione de Vita et Rebus a magno Leone gestis, tum in notis ad epistolam 32, cuidam corruptæ lectioni ex Grim. cod. mutuatæ insistendo, contendit nondum ex Urbe profectos esse apostolicæ sedis legatos duodecimo kalendas Julii, ad synodum Ephesinam ituros. Epistolam enim de qua agimus S. Leo scripserat ad Flavianum. In qua ait : *Quamvis evidenter appareat rem de qua agitur nequaquam synodali indigere tractatu, tamen, frater charissime, subsecutos esse significo quos in hac re placuit destinare*.

12. Quesnellus ergo, illa voce *subsecutos* expuncta, aliam, *subsecuturos*, videlicet, in textum intulit, codicis Grimanei lectionem secutus; et ad marginem hanc mantissam descripsit : *At nondum profectos esse* legatos constat ex hac et epistola 34. Verum jam tum duodecimo kalendas Julii legatos ex Urbe profectos fuisse, et in Grimaneum codicem errorem irrepsisse, ex multis conjicere possumus, atque potissimum ex epistola præcedenti ad Julianum episcopum Coensem directa, in qua scribens de præfatis legatis ait, *quos ex latere meo vice mea misi*. Epistola porro hæc a S. pontifice fuit signata idibus Junii, quæ erat dies decima tertia hujus mensis. Si ergo sanctus pontifex tum miserat suos legatos, non est cur, despecta auctoritate aliorum omnium manuscriptorum et præcedentium editorum, conjectari velimus aut possimus, duodecimo kal. Junii nondum esse profectos, idque minime inferendum esse contendamus ex una dumtaxat voce amanuensis lapsum non obscure præseferente et indicante, cum omnia tum mss. tum edita exemplaria, *subsecutos*, non *subsecuturos*, exhibeant. Accedit quod si tamdiu iter aggredi protraxissent, cum concilium kal. Augusti esset inchoandum, jam vix tempus illis superfuisset Ephesum præstituta die attigendi. Et propterea studium illud a S. Leone adhibitum pro frustrandis malis Eutychianorum artibus minus prudens fuisset, cum ob talem tantamque temporis prolatationem ei discrimini se exposuisset, ut, annitentibus *qui* Eutychianæ causæ patrocinabantur, concilium *inchoaretur* et ad exitum perduceretur, minime exspectatis apostolicæ sedis legatis. Nec quidquam in Quesnelli favorem concludere potest epistola illa 34, ad quam provocat, quamque illis vocibus Leo Magnus orditur: *Profectis jam nostris quos ad vos in fidei causa direximus*, decimo kal. Augusti ab eodem summo pontifice signata. Nihil, inquam, in Quesnelli favorem concludit. Nam in ea non præscribitur tempus quo ab Urbe pontificii legati abscesserunt; et verba illa commode conciliari possunt cum præcedenti, in qua pontificios legatos *subsecutos* esse significabat. Iterum autem atque tertio potuisse S. pontificem reddere certiorem Flavianum de legatorum profectione quid impedit? Non ita facile enim erat epistolarum commercium, nec ita expeditum et tutum, ut certo sibi persuadere posset quod, nullo interposito impedimento quod epistolarum et perlatorum cursum retardaret, ejus epistolæ ex urbe Roma citissime Constantinopolim deferrentur. Quod ultro quidem dat ipse Quesnellus in dissertatione de Vita et Rebus a magno Leone gestis, affirmans S. pontificis animum quandoque fluctuasse, ut litteræ quas ad imperatorem aliosque Orientalium miserat fideliter redderentur. Sed ne abscedamus ab ea agendi ratione quam cum Flaviano ipso idem S. Leo servavit, hic animadvertere juvabit, pluribus in epistolis, diversis quidem temporibus scriptis, ipsum certiorem reddidisse de acceptis synodalibus **373** gestis contra Eutychen Constantinopoli exaratis (b). Id testatur in epist. 32, quæ scripta est duodecimo kal. Julii. Rursus epistola 24, qua idibus Junii præcedentis hæc synodalia Acta recepisse testatur. Tandem duodecimo kal. Junias, epist. 22, fatetur jam ad ipsius manus pervenisse Flaviani epistolas, quibus certior reddebatur de causa quam dolebat *apud vos*

præcessit, si impietas merito condemnata in sua pravitate persitierit. Animadvertat, quæso, ad hæc Quesnellus, et dicat an præcedentibus ejus dictis cohæreant.

(a) Sanctus Leo Magnus, epist. 26 ad Theodosium, et epist. 27 ad Pulcheriam cap. 4. Haud scio Quesnellum vere secutum fuisse Griman. sui codicis auctoritatem in adornandis S. Leonis M. Operibus, quemadmodum ipse semper testatus est. Quandoquidem nos deprehendimus illum hanc habere lectionem : *Quia igitur ad publicam hanc utilitatem.... charitati meæ et precibus*, etc. Et Quesnellus illam vocem *hanc* deleat, et pro *meæ*, *me* in textum inducat.

(b) *Litteras dilectionis tuæ accepi cum gestis quæ apud vos de fidei quæstione confecta sunt*. Epist. 32 : *Lectis dilectionis tuæ litteris.... et gestorum episcopalium ordine recensito*.

pravo errore commotam. Non enim plenius de hoc novo errore recenter exorto se instructum potuisset fateri, nisi synodalia gesta una cum litteris accepisset. Quapropter maxime laudari debet S. P. studium, qui in rerum gravissimarum causis pluries de eodem negotio expressam facit mentionem. Ut videlicet si quandoque suarum epistolarum latores vel infirmitatibus detinerentur, vel, inopinato aliquo casu essent præpediti, aggressum iter interrumpere cogerentur, illi saltem ad quos scripta dirigebat, aliis et aliis epistolis, perlatoribus et nuntiis fierent certiores de rebus quæ per litterarum commercium tum tractabantur. Si quæ in hoc cap. tandem occurrunt quæ diligenter explicata non fuerunt, luculentius ex sequentibus magis magisque constabunt.

CAPUT VIII.

De aliis atque aliis S. Leonis Magni epistolis Ephesini concilii occasione scriptis. S. P. studium pro Orientalium scandalis abolendis, catholicaque fide firmanda. Christiani Lupi opinio exponitur et illustratur; Dioscorus vero Alexandrinus, imperiali abusus potentia, catholicis episcopis vim oppressionemque inferens, Eutychen absolvit, et synodum in latrocinium convertendo apostolicæ sedis legatos præsidium quærere et fugam arripere coegit.

1. Tribus abscedentibus ab urbe Roma apostolicæ sedis legatis cum Dulcitio notario, nihil eorum S. Leo prætermisit quæ secum recogitaverat ad exitum fidei causas perducere posse, amputatis prætérea per sacerdotalem concordiam et pacem omnibus illis scandalis quæ ob privatas æmulationes et antiqua odia per totum fere Orientem gliscebant. Uti ergo censuit, suprema illa auctoritate, quam pro confirmandis in fide fratribus S. Petrus a Christo Domino acceperat, quid credendum et ab omnibus esset profitendum circa Domini incarnationem, quidve ad abolendos pravos errores, qui nuper prætextu Nestorianæ hæreseos evertendæ exorti erant, esset statuendum, aliis et aliis epistolis docere voluit; a quarum regulis si nullus catholicorum recessisset, minime fides catholica illud grave exitium passa fuisset, de quo in præsentiarum verba facturi sumus. Idibus igitur Junii ejusdem anni plures epistolas in Orientem deferendas suis legatis dedit. Quas inter principem locum habet illa dogmatica ad sanctum Flavianum scripta, quam tamquam nostræ sinceræ fidei regulam in iis quæ ad incarnationis Dominicæ mysterium spectant, summa sanctorum Patrum consensione, conciliorum sanctionibus, Romanorum pontificum decretis, habendam esse in catholica Ecclesia stabilitum fuit. Ad hanc porro Chalcedonensis concilii Patres attendentes, hocce judicium efformarunt, nulla ratione videlicet differre ab ea revelatione divo Petro facta, Christi Domini divinitatem confitenti, ob quam beatus pronuntiatus est. Namque PP. illi summa veneratione susceperunt, **374** *utpote et magni illius Petri confessioni congruentem*, *et communem quamdam columnam existentem adversus perverse sentientes* (*a*). Cujus præterea tanti faciendum esse S. Gelasius papa censuit, ut in Romano concilio de apocryphis agens scripturis illud decretum ediderit, quo asseritur : *Probamus epistolam B. Leonis papæ ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum destinatam; cujus textum quispiam si usque ad unum iota dispunxerit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.*

2. Qualem vero quantamque venerationem in Ecclesia obtinuerit, probat etiam illa consuetudo a cardinali Baronio annotata, qui asseverat Romanum clerum Adventus tempore in divinis recitandis officiis eam legere consuevisse, quamque immediate forte post Gelasii decretum observatam fuisse, indicant sacrarum lectionum libri, qui ad usum chori inserviebant, quos inter unum vetustissimum nostris oculis lustravimus in Vaticana bibliotheca asservatum. Hunc porro lectionum codicem sexto Ecclesiæ sæculo ab Agimundo presbytero, Romanis et uncialibus characteribus descriptum, et in duas partes divisum, prodit epigraphes quædam ad calcem alterius partis apposita, in qua non tantum scriptoris nomen exprimitur, verum etiam indicatur eo codice uti consuevisse, in divinis persolvendis officiis, ecclesiam Sanctorum duodecim Apostolorum urbis Romæ. Illum itaque integre percurrentes, fere omnes S. pontificis nostri sermones, et homilias, secundum ordinem dierum atque festorum distributas offendimus, cujus distributionis unum integrum specimen ad hujus nostri Operis calcem apponere et exhibere ipsi Vaticanæ bibliothecæ scriptores humanissime nobis persuaserunt. Ut inde lectores colligere possent, contra quosdam recentiores criticos, antiquissimam esse quarumdam solemnitatum institutionem, et ad nostra usque tempora inviolabiliter eum ritum esse in Ecclesia servatum, quem nostri majores animarumque pastores tradiderunt. Quemadmodum itaque ex hoc sacrarum lectionum libro comprobabitur, haudquaquam vetustam ecclesiasticæ disciplinæ traditionem in festis agendis divinisque laudibus persolvendis fuisse mutatam; ita facile heterodoxi argumentari poterunt summa religione fuisse servatam sacram traditionem, et inviolabiliter mansisse incorruptam in rebus ad fidei dogmata sacramentorumque administrationem pertinentibus, de quibus in præsens verba facere nec congruum, nec necesse est.

3. Jam vero hocce Vaticano codice relicto, ad laudatam epistolam revertamur, in qua conscribenda eum scopum sibi Leo Magnus proposuit, ut fidei in multorum Orientalium cordibus, *ob unius imperiti senis* novam doctrinam nutanti et periclitanti, præsidium et firmamentum præberet, pravos errores damnaret et universo catholicorum cœtui quid perpetuo et inviolabiliter esset credendum proponeret atque decerneret. Minime opus est hic eam doctrinam recensere qua hæc epistola referta est, vel saltem, singula ejus capita, in quibus divisa est, explicare. Vix aliquem ex theologis hæc latere posse arbitramur. Illud unum duntaxat annotandum censuimus, quod et in antecedentibus aliqua ratione delibavimus, S. Leonem videlicet, absque Occidentalium concilio, et cujusquam alterius episcopi suffragio, tamquam *absurdam* atque *perversam* Eutychis *professionem* damnasse, et dignis objurgationibus corripuisse Constantinopolitanos judices, qui in synodo increpare omiserunt *sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum, quasi nihil quod offenderet esset auditum, cum tam impie duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie postquam Verbum caro factum est natura in eo singularis asseritur* (*b*). Mandat tamen cum Eutychete miseratione **375** adhiberi, iis conditionibus servatis, quod huic epistolæ subscribere non detrectaret, et viva voce prava dogmata quæ imbiberat damnaret. Totius denique causæ executionem suis legatis commisisse asseverat, qui pontificias partes in concilio agere et sustinere debent, Divinitatis auxilium opitulaturum fore confidens, ut is qui erraverat, damnata sensus sui pravitate, salvetur (*c*). Si quis igitur modo parumper ad hanc summi pontificis agendi rationem animadvertat, nescio an rationabiliter dubitare poterit S. Leonem plenam et absolutam exercuisse potestatem et jurisdictionem, vel in hæresi Eutychiana damnanda, vel in fidei regulis con-

(*a*) Chalcedonense concilium, actione 4. Gelasius papa, in Romano concilio, de apocryphis scripturis.
(*b*) Epist. 24 ad Flavianum, cap. 6. Videsis cap. 2 et 3 harum nostrarum Exercitationum.
(*c*) Videsis epist. 29 ad Ephesinam synodum.

scribendis, vel denique in decernendis iis formulis et conditionibus sub quibus duntaxat ad pœnitentiam et satisfactionem Eutychem recipiendum esse mandavit, si falsum dogma quod pertinacius defenderat ejuraret et exsecraret? Hæc igitur agendi ratio valde diversa est ab illa quam Quesnellus confingit, contendens Orientalium causas non ad unum summum Romanum pontificem, sed ad omnes primarum sedium episcopos et synodos esse delatas, quorum judicium semper appellabant qui a provincialibus vel metropolitanis episcopis condemnabantur. Dicant, amabo, quotquot ita fabulantur, cujus concilii auctoritate in lucem prodiit hæc ad Flavianum dogmatica epistola, vel quinam fuerint illi Occidentis episcopi qui suffragium tulerunt in hac hæresi damnanda, vel in fidei regula præscribenda? S. Leo solus hæc omnia præstitisse et præstare debuisse satis exploratum est. Qui, suæ sedis plenitudine potestatis usus, quæ juris apostolatus erant indicavit, definivit, præscripsit, rerum deinde omnium executione suis legatis commissa, quibus in futura synodo ejus partes subire imperaverat; quin jam lata decreta ex aliorum episcoporum suffragio vim et vigorem assequerentur, sed solemniorem promulgationem duntaxat; ita ut qui in Oriente de ea fide postulabantur, aut suspecti erant, harum litterarum subscriptione probarentur, et quoties subscribere detrectassent, omni clericali honore et gradu privati a catholicorum cœtu expellerentur.

4. Et quidem quid aliud indicant aliæ illæ litteræ quas S. pontifex in Oriente suis legatis deferendas dedit? huic consona est alia subsequens ad Julianum episcopum Coensem scripta, qui optime instructus de iis quæ in duobus præcedentibus Constantinopolitanis synodis contigerant, quibus eum interfuisse ex Actorum serie intelligimus, jam per Basilium diaconum ad S. Leonem sua scripta direxerat, *quæ multum* (ait Leo) *nobis catholici sensus fervore placuerunt, etiam hanc paginam quæ illis epistolis consonaret adjecimus* (a). Hic autem præcedentem ad Flavianum episcopum indicatam esse, dubium esse non potest, cum expresse id S. Leo in hujus epistolæ exordiis fateatur, scribendo: *Licet per nostros quos ab Urbe pro fidei causa direximus plenissimas ad fratrem nostrum Flavianum litteras miserimus, contra nimiæ impietatis errorem.* Quid autem præfatæ epistolæ ad Flavianum directæ in præsenti adjicere voluerit *ut unanimiter atque constanter his qui Evangelium Christi corrumpere cupiebant* resisterent, hujus textus perspicue manifestat. In quo demonstrat Eutychen spem Christianam omniumque mysteriorum veritatem corrumpere; utriusque naturæ proprietates in Christo mansisse; Christi quoque animam non præexstitisse corpori, nec corpus ex nihilo conditum; sed utrumque nobiscum ejusdem esse naturæ. Sed tandem esse incitatum (ait) ad *latitudinem disserendi ab ipsa materiæ* amplitudine. Sed illum amplius dicendi copia laborare non oportere, præsertim eum per suos legatos ad Flavianum sufficientes litteras misisset, *ad confirmandos animos non solum sacerdotum, sed etiam laicorum.* His profecto consonæ sunt duæ aliæ subsequentes epistolæ **376** eadem die signatæ; quarum altera est ad Theodosium Augustum, altera ad Pulcheriam pariter Augustam; vel illa quam ad Faustum et Martinum archimandritas Constantinopolitanos direxit. In hac enim evidentissime fatetur se potissimum rata habere Constantinopolitani concilii gesta, ex quorum lectione cum cognovisset merito fuisse Eutychianum dogma reprobatum, *etiam nos* (subjicit) *detestandum esse decernimus.* Addit præterea: *Ut si insipiens in sua pravitate voluerit permanere, habeat cum his consortium quorum est secutus errorem. Merito enim fiet extra Christi Ecclesiam, qui in Christo humanam, id est nostram negat esse naturam* (b).

5. Sed jam de epistola ad Ephesinam synodum scripta verba faciamus, ex qua sancti pontificis studium hujusque agendi ratio notiora fient quæ adhibuit ut Orientalium scandala, æmulationes privataque odia abolerentur, et catholica fides in omnium corde firmaretur. In hac enim percurrenda epistola intelleximus S. Leonem omnes Eutychis, Chrysaphii et Dioscori artes ad Theodosii pium animum pervertendum adhibitas prorsus latuisse, ut nec leviter suspicari posset apostolicæ sedis jura in dicta Ephesina synodo pessumdanda, et ad exitium perducenda esse. Immo hujus epistolæ textum sedulo inspicientes, merito conjicere nobis opus fuit laudatum Theodosium imperatorem divinis insistendo institutis omnino apostolicæ sedis auctoritatem (ut par erat) interponere, et adhibere voluisse pro eadem synodo convocanda; ut nimirum per Romanum pontificem S. Petri successorem declararetur quidquid in illa fidei controversia ab omnibus catholicis esset tenendum. Quæ sane Leoni argumenta præstabant imperatorem talem primo habuisse animum, ut nefas prorsus judicaret præsidio synodi Patribus esse pro iis apostolicæ sedis juribus violandis quæ jam in præcedentibus generalibus conciliis divina primo humana deinde auctoritate firmata et approbata fuere. Ne vero fabulari videar, verba illa quibus S. pontifex epistolam ad synodum Ephesinam orsus est immediate subjiciam. *Religiosa* (ait) *clementissimi principis fides sciens ad suam gloriam maxime pertinere, si intra Ecclesiam catholicam nullius erroris germen exsurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctæ dispositionis effectum auctoritatem apostolicæ sedis adhiberet, tamquam a beatissimo Petro cuperet declarari quid in ejus confessione laudatum sit.* Si itaque S. Leo Ephesini concilii PP. allocuturus, cur, qua occasione, quove titulo imperatorem apostolicæ sedis auctoritatem adhibuerit enarrat, non video quemadmodum quidam scriptores nimis fidenter asseveraverint eam synodum sola imperatoris auctoritate fuisse indictam atque coactam. Apostolicæ utique sedis auctoritatem adhiberi petiit, ut divinis pareret institutis, et ut novum erroris germen radicitus evelleretur. Præterea si imperator cupiebat ab apostolica sede, tamquam a divo Petro, declarari quid in hujus confessione a Christo Domino laudatum fuerat, vix credi potest ita animo et opere tum Romanorum pontificum juribus repugnasse, iisque fuisse infensum, ut hæc abolere quæsiverit. Et propterea omnem injuriam, quam tum apostolica sedes passa est, non in imperatorem, sed in ejus ministros, qui principis clementia, et maxime animi infirmitate, abusi sunt, rejiciendam esse constantissime propugnamus. Cujus quidem rei si alia argumenta exponere deberemus, illud unum abunde pro omnibus sufficeret, quod colligimus ex priori epistola ejusdem Theodosii ad S. Leonem, qua sincere omnia scandala et turbas in Constantinopolitana Ecclesia excitatas ob Eutychis hæresim indicavit, et ut medelam iis adhiberet efflagitavit (c).

6. Quod quidem non obscure et in hac epistola ad Ephesinam synodum **377** patefecit scribens: *Verum* (loquitur de Eutyche) *quia etiam talium non est negligenda curatio, et pie ac religiose Christianissimus imperator haberi voluit episcopale concilium, ut pleniore judicio omnis possit error aboleri; fratres nostros Julium*, etc...... *et communi vobiscum sententia, quæ Domino sint placitura constituant.* En ergo synodi habendæ causa sufficientissime explicata. Necessum erat mederi malis quibus Eutyches laborabat, qui Christi Evangelio (ut ait idem S. Leo) contradicebat, ostendens se nullum umquam studium cognoscendæ veritatis habuisse. Id imperator flagitaverat. Et ideo, divinorum institutorum dictamen primo secutus, *auctoritatem apostolicæ sedis* ad sanctæ dispositionis

(a) Epist. S. Leonis 23, cap. 1 et seqq.
(b) Epist. S. Leonis ad Ephesinam synodum, c. 2.
(c) Videsis cap. 2 et 3 harum Exercitationum.

effectum adhibuit; petiit haberi episcopale concilium (a), credens hoc modo etiam Eutychetis nomini prospicere et consulere posse. Cum propter senectutem et archimandritæ magni et celebrioris monasterii ministerium honorabilis videretur, ut Leo ipse in epistola ad Julianum Coensem clarius indicavit (b). Igitur apostolicæ sedis auctoritatem imperator non despiciebat, non rejiciebat, si pro habenda synodo eam adhibere voluit. Hujusce quidem votis Romanum pontificem potuisse aut debuisse obsistere nulla prorsus ratio suadebat. Cum ageretur potissimum de evellendo tali tantoque zizaniorum germine, quod sacram et ecclesiasticam œconomiam rerumque administrationem susquedeque cum fidei catholicæ exitio vertebat. Quare ad abolendum tantarum perturbationum strepitum, et ad jam excitatas discordias componendas, quæ ex una parte originem trahebant a Nestorianorum reliquiis, ex altera a novo germinante errore in dies adolescente procreabantur, plenius judicium expedire et quasi necessarium esse videbatur. Quamvis revera fidei causa sufficienter in Constantinopolitana synodo a Flaviano primum fuerit tractata; et demum recognita, approbata, atque confirmata ab eodem sanctissimo pontifice Leone. Id, velit nolit, Quesnellus fateri debet, qui nusquam inter canonicum et solemnius judicium, quemadmodum opus erat, discrimen admisit, quod quidem pluribus in locis S. Leo ipse indicavit. Et potissimum in hac eadem epistola, et in subsequentibus, in quibus non tantum disseruit *de pleniore judicio vel diligentiori examine* habendo, sed de sententia canonica in Eutychen lata, et ab apostolica sede approbata et confirmata; verum etiam indicat *libellum* ab ipso Eutyche jampridem acceptum, in quo profitebatur propria voce et subscriptione suam damnaturum opinionem, *spondens per omnia nostram* (ait idem sanctus Leo) *secuturum esse sententiam.*

7. Non absimilia scripta conspicimus in duabus epistolis, idibus Junii pariter signatis, quarum alteram ad Pulcheriam Augustam, alteram ad ipsum Julianum Coensem direxit. Ad quas cum animadvertisset Paschasius Quesnellus, quæsivit cur eadem die duas epistolas Leo dedisset cum Juliano, tum Pulcheriæ Augustæ, cum una singulis sufficere potuisset. Præsertim cum novarum litterarum causæ et argumenta non appareant. Quæstionem dirimere idem Quesnellus nisus est, variis in medium conjecturis adductis, quas nos lectori transcribere non piget, ut forte deducat, quod nos plene hactenus non sumus assecuti. « Nihil ergo (ait Quesnellus) certi affirmem: an occasione nuntii qui legatos anteverteret, an metu ne legati adire Augustam prohiberentur, quod certe accidit, ut ex epist. 41 satis apertum est. Nam altera epistola ad Pulcheriam breviter complectitur 378 ea quæ per legatos scripta, et legatos retentos aliquamdiu Romæ ex breviore epistola quam iterum ad Flavianum XII kalendas Julii accepimus: Cum ea (inquit) quæ ipsi portabunt scripta sit plenius instruendus. Et rursus: Subsecuturos significo quos in hac re placuit destinare. » Priores has Quesnellii conjecturas minime esse spernendas ingenue fateor. Ea quoque admissa ratione qua asseverat legatos præpeditos fuisse, ne coram Pulcheria Augusta se sisterent, ut apparet ex tota laudata 41 epistola, in qua vehementer conqueritur ad eam non pervenisse epistolas *quas in fidei causa* per suos clericos direxerat. Et ibidem clericorum voce legatos ad Ephesinam synodum indicare voluisse, inferius manifestat, subjiciens: *Sed cum ad mansuetudinem vestram adeo non potuerint pervenire qui missi sunt; ut ad nos vix unus illorum Hilarus diaconus noster effugiens sit reversus, iteranda scripta credidimus.* Hanc autem epistolam post Ephesinam synodum scripsisse ex toto illius contextu, de quo opportunius suo loco verba faciemus, tum ex temporis nota manifestum est. Signata quippe fuit in idus Octobris ejusdem anni. Utcumque tamen res contigerit; videlicet, an Leo habuerit nuntium qui legatorum iter anteverteret; an metuerit quod legati Augustam prohiberentur adire, ignoramus. Unum tamen exploratum est, S. Leonem omne studium adhibuisse, omniaque quæsivisse media ut Orientalium scandala abolerentur, et catholica fides ibidem læsa et quasi periclitans firmaretur. Aliam tamen Quesnelli conjecturam, qua sibi persuasit XII kalendas Julii legatos adhuc Romæ fuisse retentos præcedenti capite jam nos rejecimus, ideoque eam missam facimus.

8. Interim vero, profectis jam apostolicæ sedis legatis, S. Leo litterarum commercium cum S. Flaviano non intermisit. Nam cum ab eo novas litteras per Basilium diaconum accepisset, duodecimo kalendas Augusti ad eum rescripsit, suisque in litteris, ut strenue contra *inimicos nativitatis et crucis Christi* dimicaret, quin ab adversariorum potestatibus et insidiis territaretur adhortatur. Ut hanc animi firmitatem ei suaderet Pauli apostoli verbis usus est: *In nullo terreamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis.* Sed sancto pontifici aliquo modo innotuisse tum Dioscori, Chrysaphii, cæterorumque Eutychianorum machinationes argumentari licet. Quia Basilius litterarum Flaviani perlator recenter e Constantinopoli abscesserat, et multa Leoni narrasse quæ in Flaviani epistola non continebantur, indicant S. P. verba illa: *Et ad familiarem interrogationem idoneus erat sermo prædicti, per quem nunc alloquia reddentes, dilectionem tuam per Dei nostri gratiam, in quo fidimus, cohortamur, mentes verbis apostolicis*, etc. Non obstante tamen tantarum perturbationum conflictu, imperitorum insaniam curare cupiens, mandat Flaviano patientiæ medicinam adhibere. *Ad curandam* (ait) *imperitorum insaniam, etiam patientiæ vos adhibere volumus medicinam*, ita ut si Eutychiani, qui insteverant, suum exsecrassent errorem, misericordiæ iisdem episcopalis benevolentia non negaretur: *Mansuro* (attendat ad hæc verba Quesnellus) *judicio quod præcessit, si impietas merito condemnata in sua pravitate persisterit.* At de gravissimis machinationibus quæ in fidei et catholicorum exitium ordiebantur et parabantur, a Basilio familiaribus illis interrogationibus S. Leonem fuisse instructum, perspicue alia epistola tertio idus Augusti signata patefacit. Scribit enim ad eumdem Flavianum, cujus taciturnitate pontificiam augeri sollicitudinem manifestat, dicens: *Cum nos curarum tuarum participes, pro fidei defensione solliciti, frequenter per occasiones idoneas ad dilectionem tuam litteras miserimus*, consolationibus pontificiarum adhortationum eum adjuvare cupiens, ne adversariorum stimulis moveretur, tandem adhortatur: atque ut *tota celeritate* (ait) *ad nostra scripta respondeas, nosque subinde de tuis actionibus, nostrorumque* (legatorum videlicet) *et de totius causæ absolutione facias* 379 *certiores, ut sollicitudinem quam nunc pro fidei defensione gerimus prosperioribus nuntiatis molliamus.* Maximis ergo angustiis tum urgeri atque cruciari pontificium animum illa verba significant.

9. At quid? Graviora adhuc perpeti fuit coactus, quia ejus studium Eutychiani, Dioscoro et Crysaphio impotenter agentibus, eludere et irritum reddere ausi sunt. Nam Ephesina illa synodus kalendis Augusti indicta, infelicissimum habens exordium, sexto idus ejusdem mensis, cum Dioscorus episcopus

(a) Cohærere hæc omnia cum iis quæ in præcedentibus cap. 4, 5 et 6 diximus, lector ipse judicabit.

(b) Consule epist. 34 ad Julianum Coensem, in qua disserens de Eutychis opinione apud imperatorem Theodosium, scribit, cap. 2: *Et quia clementissimus imperator, pro benevolentia et pietate animi sui, de statu hujus qui ante honorabilis videbatur diligentius voluit judicari, ob hoc indicendum credidit episcopale concilium.* Vide epistolam 41 ad Pulcheriam, post Ephesinam synodum scriptam.

Alexandrinus, spretis omnibus ecclesiasticis regulis primatum in ea sibi vindicavit, extortis hac de causa (ut vidimus) a potestate sæculi, nimirum a Theodosio imperatore, litteris quibus *auctoritatem et primatum* eidem præbebatur. Clarissimus tamen Christianus Lupus ad hanc cum Dioscori tum Theodosii imperatoris agendi rationem animadvertens, Theodosium nititur excusare, hujusque litteras benigne interpretari arbitratus, quod minime in consiliis habuerit Romani pontificis jura violare et infringere; sed Dioscorum se constituisse synodi præsidem ex violenta invasione, nequaquam ex delegatione principis (*a*). Hinc non contemnendas quasdam rationes subjecit scribendo. « Absit ut Theodosius Augustus se ab eunucho seduci permiserit ad Romanum episcopum a præsidentia excludendum. Etenim sacris ejus ad Dioscorum epistolis additur hæc subnotatio : Eodem tenore scriptum est Juvenali episcopo reverendissimo Hierosolymorum, et ipse Dioscorus in synodo Chalcedonensi dixit ad gloriosissimos judices : Comperit vestra clementia quia non mihi soli sanctissimus noster imperator commisit judicium, sed et beatissimo Juvenali et sanctissimo *episcopo Thalassio.* » Verum idem Christianus Lupus volens ex una parte Theodosium imperatorem ab hac nota purgare, et sedis apostolicæ jura tueri, narrat quemadmodum Dioscorus synodi præsidentiam usurpare contendens vigore sacræ divalis, eidem obstitit Julius episcopus (*b*) Puteolanus, unus ex S. Leonis legatis, interpretante Florentio Lydiæ episcopo, dicens : *Eodem tenore a piissimis et Christianissimis sanctissimus noster papa Romanæ Ecclesiæ præpositus vocatus est.* Et Hilarus diaconus, alter ex legatis a latere sancti Leonis, palam in ea pseudosynodo protestatus est : *Gloriosissimi et Christianissimi imperatores charitatem circa fidem catholicam et affectum tenentes, beatissimum episcopum nostrum Leonem apostolicæ sedis præsulem, ut huic venerabili et sancto concilio adesset, dirigentes venerabiles epistolas, supplicarunt.* Ex qua loquendi formula colligit idem sapientissimus annotator imperatoris ad Romanum pontificem epistolas non rigorosas jussiones prætulisse, sed supplicationes, quas tamen Leo cujusdam reverentiæ causa jussiones appellare voluerit, ut magni habere indicaret. Rursus autem Hilarum institisse, ne sibi aliisque legatis commissum munus cum apostolicæ sedis dedecore et contemptu dejiceretur, probant sequentia hæc verba : *Papa nos direxit, non dubitans se in nobis adesse, quos præcipue cognoscit omnia quæ ad fidei catholicæ sinceritatem et quæ ad sancti Petri apostoli pertinent reverentiam agere* (*c*).

10. Majus tandem robur Lupi annotationes assequi videntur ex iis quæ Lucentius Asculanus episcopus in Chalcedonensi concilio Dioscoro objecit, hunc de gravi crimine insimulans, dicendo : *Judicii sui necesse est eum dare rationem, qui cum personam judicandi non haberet, præsumpsit et ausus est synodum facere* (id est synodo generali præsidere), *quod* **380** *sine auctoritate sedis apostolicæ numquam licuit, numquam factum est.* Hæc ergo sunt quæ cum laudabili eximiæ eruditionis apparatu idem Christianus Lupus annotavit; ut videlicet ostenderet Theodosium facile purgari posse ab ea schismatis nota, qua inuri posse ob violata apostolicæ sedis jura, post Baronium, multi, et fere omnes, scriptores opinati sunt. Verumtamen varia Christiano Lupo negotium facessere possunt, illiusque opinationem extenuare. Nam imprimis quod spectat ad imperatoris divalem, qua Dioscorus synodi præses constitutus legitur, eam aliter ac illius verba sonant difficile est interpretari. Habet enim : *Hac de causa necessarium duximus his sacris litteris uti ad tuam reverentiam, per quas manifestum facimus tuæ beatitudini, et universæ sanctæ synodo, quod nos, regulas Patrum sequentes, non solum propter Theodoretum, sed etiam alios omnes qui ad congregatam sanctam synodum pertinent, auctoritatem et primatum tuæ præbemus beatitudini.* Hæc verba sane, cum tota illa præcedenti causali, apertum schisma contra sedem Romanam divalem illam excitare et inducere etiam Rusticus diaconus, vetustus interpres Actorum Chalcedonensis synodi, intellexit. Quod sequenti annotatione indicavit, ad ultima illa verba subjiciens : *Aperte contra sedem Romanam.*

11. Nec quidquam conficere posse arbitramur quod in eadem divali Juvenalis episcopi Hierosolymorum et Thalassii Cæsareensis in Cappadocia primati nomina offendamus, ut conjicere possimus ejusdem divalis vigore istis quoque primatum ab imperatore fuisse attributum. Nam dumtaxat imperator ibidem indicavit sibi persuasum esse duos hos episcopos futuros esse animo et actionibus concordes ipsi Dioscoro. Sed de collato iisdem primatu et præsidendi auctoritate altum servat silentium. Verba ergo quæ sequuntur exscribamus. *Scientes diligentius quod et reverendissimus archiepiscopus Hierosolymorum Juvenalis, et beatissimus archiepiscopus Thalassius, et omnis talis fervens amator et æmulator orthodoxæ fidei, consentanei erunt tuæ sanctitati, radianti per Dei gratiam honestate vitæ et catholica fide.* Nullam ergo facultatem Juvenali et Thalassio archiepiscopis factam fuisse perspicuum est. Alias et quicumque *qui in* ea synodo locum habuisset, quique Dioscori studiis et partibus suo consensu adhæsisset, præsidis auctoritatem sibi potuisset assumere, hancque illi adjudicare ob illa verba *et omnis talis fervens amator..... consentanei erunt tuæ sanctitati;* quod quidem Christianus Lupus nec dat, nec dare potuit. Restat difficultas an Theodosius eodem tenore scripserit vel ad Juvenalem, vel ad S. Leonem papam. Subnotatio a Lupo pro Juvenale adducta nutat. Nam Labbeus legendum credidit, *eodem tempore* (*d*). Quamvis Stephanus Baluzius priorem retinendam esse lectionem judicaverit, *ut in libris calamo exaratis.* Addit : *Romani reposuerunt : Eodem tenore scriptum est etiam Juvenali*, etc. *Editio Regia : Eodem tempore scriptum est etiam.* Concludit itaque idem Baluzius : *Nemo non videt erratum esse typographi, neque video cur retentum sit a Labbeo.* In hac itaque mss. codd. et editorum varietate, quid certi inferre possimus non video. Idcirco ejusmodi annotationi firmiter insistendum esse non arbitror. Potissimum cum lateat a quo vel qua auctoritate conciliorum Actis fuerit apposita. Præterea dato adhuc quod lectio a Christiano Lupo adoptata genuina sit (*e*), et a nemine in dubium adducatur, quid inde? An non verba illa : *eodem tenore scriptum est etiam Juvenali*, sine ulla violenta interpretatione exponi possunt, Juvenali scriptum fuisse, ut unanimi consensione Dioscoro adhæreret? In hoc casu litteræ ad Juvenalem Hierosolymorum directæ apprime respondent Theodosii divalibus Dioscoro datis, in quibus dumtaxat mentio facta est Juvenalem et Thalassium in ea synodo consentaneos futuros **381** esse *sanctitati Dioscori, radianti Dei gratia honestate vitæ et catholica fide.* Nullo respectu habito ad auctoritatem et primatum quæ solus Dioscorus summa injuria extorserat. Sed vim potius facere possunt in Lupi

(*a*) Christianus Lupus, ad canones Ephesinos scholiis et notis illustratos, capite 5.

(*b*) Male Julium episcopum Puteolanum confundit Christianus Lupus cum Juliano episcopo Coense, ex antiquorum editorum lectione deceptus. Vide quæ infra dicemus.

(*c*) Hæc Hilari diaconi verba concinunt iis quæ frequentius in Leonis epistolis pro Ephesina synodo scriptis legenda occurrunt, ut videre est in epistolis ad Theodosium atque Pulcheriam.

(*d*) Consule Acta concilii Chalcedonensis, tom. IV Conciliorum generalium, pag. mihi 883.

(*e*) Videsis quæ in hoc cap. luculentius de epistola S. Leonis ad synodum Ephesinam a nobis dicta sunt.

favorem verba quibus Dioscorus, se purgare cupiens a criminibus in Ephesina synodo patratis, Chalcedonensibus PP. audacter respondebat : *Comperit vestra clementia quia non mihi soli sacratissimus noster imperator commisit judicium, sed et beatissimo Juvenali et sanctissimo Thalassio auctoritatem synodi dedit. Nos ergo judicavimus quæ judicata sunt. Consensit nobis universa synodus. Quare in me solum ista extenduntur, quando auctoritas ex æquo tribus data est, et judicatis a nobis consensit, ut dixi, universa synodus.*

12. Postrema profecto hæc verba, quæ annotare Lupus omisit, si non subdole et ad adsciscendos sibi in criminibus socios prolata fuissent, argumentum suppeditarent judicandi Dioscorum arroganter non sibi assumpsisse ex imperatoris divali auctoritatem synodo veluti primatem præsidendi, sed ex æquo et Juvenali atque Thalassio datam fuisse. Verumtamen in nostræ causæ favorem quid deduceretur? Si in illa divali nulla prorsus mentio Leonis summi pontificis habeatur, ad quem, spectatis omnibus juribus et B præcedentium conciliorum consuetudine synodo præesse pertinebat? Non video ergo quemadmodum plene Theodosius purgari possit ab ea nota, qua, circumventus a suis ministris, ultro manus præbuerit ad apostolicæ sedis jura infringenda. Modo tandem difficultas redit, an Theodosius eodem tenore scripserit ad S. Leonem. Duo quidem consideranda occurrunt, quæ Lupi opinioni patrocinari videntur. Alterum, quod jampridem in hoc capite a nobis discussum et enucleatum est, disserentes de divi Leonis epistola ad Ephesinam synodum. Aliud est testimonium Julii Puteolani (*a*) ab ipso Lupo in medium adductum. Quoad primum attinet, gravissimæ solum conjecturæ occurrunt. Non enim hactenus ab eruditis Theodosii epistolæ ad Leonem de indicta Ephesina synodo repertæ sunt, ut certo statuere possimus has ejusdem fuisse tenoris cum divalibus ad Dioscorum directis. Unum dumtaxat exploratum est, numquam S. Leonem suspicatum fuisse quod prærogativa primatus et jus præsidendi synodo aliorum impo- C tentia ipsi esset adjudicandum. *Alias auctoritatem apostolicæ sedis quam adhibuit* Theodosius numquam interposuisset, nec suos legatos tot tantisque laboribus et discriminibus exposuisset, locum et tempus factiosis viris forte dedisset, optime conscius eadem tempora non semper currere posse. Tale tantumque robur tenebat in virtute S. pontifex, ut nequaquam a quacumque sæculi potestate vinci posset; potissimum cum ageretur de apostolicæ sedis juribus et prærogativis, quas nec leviter lædere cuiquam permisit, ut sexcentis exemplis ex ejus vita desumptis explicare possemus. Julii utique episcopi Puteolani locutio multum conficeret. Auctoritatem autem et pondus haberet ad purgandam diluendamque schismatis notam qua a quamplurimis scriptoribus Theodosius imperator inuritur. Sed Theodosii litterarum tenor qualis fuerit, hactenus ignoratur. Propterea qui nodum in scirpo quærere solent, et vel **382** imperatorem læsæ ecclesiasticæ jurisdictionis reum, D vel qui Romanorum pontificum auctoritatem in indicendis et habendis conciliis reformare et penitus dejicere nituntur, si alia argumenta magis perspicua non suppeterent, respondebunt : Verba illa, *eodem tenore* cadere dumtaxat supra concilii indictionem, ita ut æque sanctus Leo ab imperatore vocatus fuerit, ac Dioscorus, Juvenalis, atque Thalassius; minime A vero referri ad synodi primatem et præsidem, quam prærogativam unice Dioscoro commissam fuisse et laudata divalis et synodalium gestorum series patefaciunt. Si ita mihi reponeretur, non tamen in angulum Christiani Lupi opinionem rejiciendam esse arbitrarer. Hanc enim majus robur et vim assequi, ex Hilari diaconi, apostolicæ sedis pariter legati, protestatione, si integram eam doctissimus vir in medium attulisset, quemadmodum nos facere necessarium duximus, quidem docti viri, qui nullis adhæreant partibus, judicabunt.

13. *Hilarus* itaque *diaconus Romanus*, interpretante eum Florentio episcopo Lydorum, dixit : *Gloriosissimi et christianissimi imperatores charitatem circa fidem catholicam et affectum tenentes, beatissimum episcopum Leonem apostolicæ sedis præsulem, ut huic venerabili et sancto concilio adesset, dirigentes venerabiles epistolas, supplicarunt; cujus pietati placere potuit, si in hac re teneretur aliqua similitudo. Nam melius potest cognoscere vestra sanctitas, quia neque in Nicæna, neque in Ephesina sancta synodo, neque in alio tali sancto concilio papa perpetuæ sanctissimæ sedis adfuit* (*b*). Alludit hic forte Hilarus ad ea quæ S. pontifex scripsit ad imperatorem Theodosium, et Pulcheriam augustam, recensendo causas quæ eum præpediebant ne extra Italiam ad habendum concilium proficisceretur. Subdidit deinde Hilarus : *Pro qua re hujus formæ sequens consuetudinem nos direxit. Qui sanctissimus non dubitans se in vobis hic adesse, quos præcipue cognoscit omnia quæ ad fidei catholicæ sinceritatem et quæ ad S. Petri apostoli pertinent reverentiam agere, qui etiam per nos congruas sanctorum Patrum concilio direxit epistolas, quas suscipi et recenseri præcipite.* Gravissima hæc Hilari allocutio, ipsiusque justissima postulatio, apostolicæ sedis juribus innixa, nec contemni, nec rejici debebat a Dioscoro; cum testimonium perhibuisset Hilarius, S. pontificem concilio adesse per suos legatos, atque postulasset ut a Patribus id cognosceretur, ejusque dogmatica epistola susciperetur et legeretur. Tum vero Dioscorus, intemperantiæ frenis laxatis, se constituit ambitiosum judicem omnium gerendarum rerum, imperialium ministrorum protectione et armatæ cohortis præsidio inflatus, audacter præcepit : *Suscipiantur quæ scripta sunt ad hanc sanctam et universalem synodum a sanctissimo fratre nostro coepiscopo Leone. Ne relegerentur, præpedivit, et harum litterarum loco, aliæ divinæ litteræ redditæ sunt, quas præ manibus tenebat Joannes presbyter, et primicerius notariorum, quæ de Juvenalis mandato lectæ et insertæ fuerunt fidei monumentorum.* Hæc quidem, ut sincere fatear, portendunt Dioscorum *se constituisse synodi præsidem ex violenta invasione*, ut Christianus Lupus indicavit. Nescio tamen an *principis delegationem* prorsus excludant. Lupo tamen suffragari videtur Rusticus, vetustus interpres Actorum Chalcedonensium, qui ad hanc Dioscori agendi rationem animadvertens, annotavit in margine : *Prævaricatio Dioscori, suscipi epistolam papæ a synodo, et non relegi.* Ista quidem, ut æquitas postulabat, cum ad magis Christiani Lupi opinionem explicandam, tum ad quasdam obscuras implexasque quæstiones, occasione suæ opinionis ab eodem Lupo excitatas, aut dirimendas, aut illustrandas nos scribere oportuit; minime tamen recedentes a summo S. pontificis Leonis studio, qui omnia validiora media

(*a*) Clarissimus Christianus Lupus, editorum fidem secutus, non Julium, sed Julianum legendum esse arbitratus est, atque, eminentissimi cardinalis Baronii opinionem secutus, hunc esse Julianum episcopum Coensem sibi persuasit. Sed falso quidem, ut omnes sancti Leonis Magni epistolæ in quibus de suis legatis verba facit evidentissime demonstrant. Id etiam annotavit Stephanus Baluzius, qui molli brachio carpit Labbeum, quod antiquorum mss. codd. lectionem in sua editione non fuerit secutus, nime Parisiensis videlicet et Divionensis, quæ habent Julium, non Julianum. Addit præterea : Hæc prava lectio ita imposuit summo viro card. Baronio, ut cum arbitraretur hic nominari Julianum episcopum Coensem, miraretur hominem Græcum inter Græcos per interpretem locutum esse in synodo, et id refert ad excellentiam Romanæ Ecclesiæ.

(*b*) Tom. IV Conciliorum generalium Labbeanæ collectionis, pag. mihi 895.

adhibuit ut in indicta synodo omnia ad justitiæ apices agerentur.

383 14. Posteaquam vero Dioscorus omne arbitrium in synodo accepit, quid boni Leoni et universæ catholicæ Ecclesiæ sperandum supererat? Quid præsidii Flaviano Eusebioque Dorylæi, qui Elpidium cum armatis militum copiis, de imperatoris mandato, conspiciunt adesse synodo, accepta jam facultate in vincula mittendi quotquot præsidis voluntati obstitissent? Fateor quidem hanc facultatem Elpidio factam fuisse contra concordiæ turbatores. At qua ratione Flavianus, et Eusebius, aliique, qui fortiter pro catholica fide et pro apostolicæ sedis juribus merito contendebant, poterant esse concordes et æquanimes cum iis qui sub honestatis specie fidem incarnationis profligare volebant, et catholicæ doctrinæ vindices opprimere? « Vetantur (animadvertit Quesnellus) episcopi, qui prius condemnaverunt Eutychen, sententiam dicere; immo judicium de suo in Eutychen judicio exspectare imperantur. Missæ præterea litteræ ab Augusto ad proconsulem provinciæ, ad magistratus et duces exercitus, ut executioni mandent decreta concilii. Demum ad ipsam synodum, ubi Flavianum ut turbulentum et novas res in religione molientem, Eutychen vero honorifice compellat, ut virum probum et veritatis tenacem (a). » Hæc de illius synodi exordiis recensuit Quesnellus, parum in his describendis abscedens a Baronio et aliis, qui, ordinata magis methodo, hanc tragicam describunt historiam; quam tamen nos summatim dumtaxat referre in studiis habemus, ne actum ab aliis agere videamur. Inter ergo alias injurias quas primo Flavianus subire cogitur, una illa fuit, quod, convenientibus in illa synodo Domno Antiocheno, Juvenali Hierosolymorum, Stephano Ephesi, et aliis, minime ipsi Flaviano permissum fuerit post Antiochenum episcopum sedere, sed post Juvenalem. Atque convenientibus centum et triginta episcopis in basilica Dei Genitricis Mariæ, jussum est a Dioscoro legi litteras imperatoris ad se ipsum datas: legati vero apostolicæ sedis, nimirum Julius episcopus Puteolanus, Renatus presbyter tituło Sancti Clementis, Hilarus diaconus, synodum de sua legatione docuerunt, exhibitis pariter epistolis quas cum ad synodum, tum ad Flavianum sanctissimus Leo Magnus direxerat. Susceptæ quidem fuerunt hujusmodi litteræ (ut vidimus paulo ante), minime lectæ. Et quamvis pontificii legati pluries institissent ut legerentur, et (b) sub juramento id promisisset Dioscorus, tamen perjurii reus potius fieri voluit, Ecclesiæ apostolicæ jura violare, scandalum in totum orbem excitare, quam permittere ut recitarentur.

15. Harum ergo litterarum loco maluit ut imperatoris litteræ legerentur; et audita suggestione qua postulabatur ut fidei causa tractaretur, Dioscorus petitionem rejecit dicens *decretum esse ab imperatore ut de controversiis Constantinopoli Flavianum inter et Eutychen exortis tractaretur*. Notarii, qui Acta excipiebant ex ejusdem Alexandrini episcopi mandato addiderunt *episcopos Dioscoro acquievisse, et acclamasse de fide nihil esse agendum et innovandum*. At putidum hocce mendacium patefactum est in Chalcedonensi concilio, actione prima. Immo additum est Dioscori notarios impetum fecisse in notarios Stephani episcopi Ephesini; *deletumque quod recens fuerat exaratum, vimque magnam adhibitam, ut eorum thecas abriperent, et ab iisdem digitos resistentium pene confractos esse*. Ut igitur quæ Dioscorus secum agitaverat executioni demandaret, ex Elpidii comitis suggestione, Eutyches, probantibus episcopis, ingredi jussus est, causamque agere, ut quæ de fide sentiret annuntiaret. Qui consueta calliditate utens, blande, tamquam testes suæ fidei, synodi Patres interpellabat, prius se ipsum Patri, Filio et Spiritui sancto commendando. Se fidei libellum præ manibus habere fassus est, quem sanctæ 384 synodo obtulit. In eo autem se a pueritia *constituisse* in silentio vivere asseverat, vitamque usque ad decrepitam senectutem agere, longe ab omnibus conturbationibus; *sed pessimis periculis insidiantium* deinde circumdatum fuisse contendit, eo quod *non acquievisset secundum definitionem prioris vestri Ephesini congregati concilii, præter eam quæ in Nicæa a sanctis Patribus fides est exposita, sapere*. In sinceræ suæ fidei testimonium Eutyches Symbolum Nicænum subjecit, ad quod alludere simulans, postea dixit: *Sic ab initio a progenitoribus meis accipiens credidi; in hac autem fide, et sum genitus, et statim consecratus sum Deo, et suscepit me ipsius misericordia; et in hac fide baptizatus signatus sum, ut usque vixi in ea et mori opto*. Quæ pariter ab Ephesina synodo erant statuta juxta S. Cyrilli doctrinam, se recipere fatebatur, addito tandem anathemate contra *Manichæum, Valentinum, Apollinarium, et Nestorium, omnesque hæreticos usque ad Simonem Magum, et eos qui dicunt carnem Domini, et Dei nostri Jesu Christi de cœlo descendisse* (c). Narrat post hæc quemadmodum Eusebius Dorylæi eum, a sua pace exturbare volens, tamquam hæreticum in synodo Constantinopolitana sub Flaviano postulaverit, *nullam speciem hæreseos libellis inserendo*. Quare subjicit, episcopo Constantinopolitano præcipiente coactum fuisse ad satisfactionem accusationis. *Qui tamen episcopus* (Flavianus videlicet) *in multis cum accusatore degebat, et pene inseparabilis ab ipso, putans me semper in monasterio* (*sicut solebam*) *perdurare*. De qua re certiorem se factum fuisse a magno viro Silentiario, quem ipsi imperator delegaverat, ut non se exponeret periculo comminatæ salutis, *qui de cætero superfluam* (ait) *meam esse præsentiam respondit, cum jam ante discussionem, privatorum odiis et æmulationibus quasi per conspirationem* esset damnatus (d). Narrat deinde se ad satisfaciendum in judicium venisse, exhibendo fidei confessionem, plane consonam Patrum Nicænorum doctrinæ, postmodum ab Ephesina synodo confirmatæ, quam neque suscipere concilii Constantinopolitani PP. sub Flaviano dignabantur, neque recitari permittebant. Sed exorto secretariorum tumultu, et multis clamoribus supervenientibus, quibus ejus animus turbabatur, sicuti et ex judicum interlocutionibus, quas scripto tenere affirmabat, ut aliquod aliud adderet Nicænis et Ephesinis statutis adhuc ab ipso exigebatur. *Ego* (ecce dolus maximus Eutychis) *vero timens prævaricari prolatam definitionem a sancta synodo quæ Dei voluntate hic congregata est, et ea quæ definita erant a sanctis Patribus qui in Nicæa convenerant, rogabam innotescere vestro sancto concilio, ut his quæ a vobis approbarentur acquiescerem, paratus in his manere*. At nihil de generali concilio, quod appellaret, jam in superioribus capitibus demonstratum esse arbitramur. Nec propterea in hocce rejiciendo mendacio nos immorabimur. Mendacium tamen hoc gravius reddidit sequenti calumnia, dicendo factam in eum conspirationem ad exitum perductam fuisse, quia, *subito contra me longe ante scripta sententia, ut ipsi videbatur, damnatio legebatur*. Addit ejus fidei professionem in monumentorum serie fuisse deinde mutatam, *nullum verbum faciente de appellatione mea ad vestram sanctitatem reverendissimo episcopo Flaviano, neque meos erubescente canos in præliis contra hæreticos et pietatis confessione senescentis*. Sua merita quibus se insignitum putabat contra Nestorianos dimicando, hic Eutyches potissimum exaggerat, ut sensim judicum

(a) Quesnellus, diss. de Vita et Rebus gestis S. Leonis, pag. mihi 149. Baronius, ad annum 449.

(b) Conc. Chalced. act. 3.

(c) Hunc Eutychianæ fidei libellum integre exscripsit eminentiss. cardinalis Baronius tom. VI Annalium, ad annum 449, pag. 91.

(d) Consule eumdem Baronium ad ann. 449, tom. VI, pag. 92, et Conciliorum collectores, tom. IX.

favorem eorumque commiserationem sibi nanciscatur. Sed pejorem adhuc calumniam contra Flavianum instruxit, confingendo S. episcopum injuria sibi soli assumpsisse jus de fidei rebus judicandi, *et nihil vestræ sanctitati tanti judicii reservare*, et patefacto tenore sententiæ quam in eum idem Flavianus **385** tulit, quamque et in *diversis oratoriis, memoriisque sanctorum post appellationem fecit* (*ait*) *in me latam legi sententiam. Et anathematizabat me, et eos, qui conveniebant ad me, et colloquebantur mecum, alienos faciens a sancta communione, non exspectans vestræ sanctitatis judicium.* Demum post talium tantorumque aliorum mendaciorum seriem et acervum hisce verbis Ephesini concilii Patres compellat : *Rogo nunc igitur vestram sanctitatem, considerate mihi compositam calumniam, et factiones, et ex hac causa factam ubique sanctis Ecclesiis perturbationem, et ex hoc pullulans plurimis scandalum...... Ego enim ab initio vestræ beatitudinis judicium postulavi, et iterum contestor coram Jesu Christo.*

16. Quis, amabo, scribit eminentissimus cardinalis Baronius, hæc legens, et nesciens esse Eutychetem, non existimet unum quempiam ex sanctissimis Patribus orthodoxæ fidei præcipuis defensoribus loqui? Vel quis sciens dici ista ab Eutychete, et nesciat quæ præcesserunt, quæve subsecuta sunt, non eum statim conjungat cum antesignanis fidei catholicæ, Athanasiis, Gregoriis, Basiliis, atque Chrysostomis? Quam graviter tamen ex his Flaviani animus commotus fuerit, qui se tamquam calumniatorem, et in alterius innocentiam conspiratorem postulatum audierat, et velut ecclesiasticæ pacis perturbatorem in plena synodo, ab hæretico homine mentiente, traducebatur, lector, quæso, secum recogitet. Quibus sane animi mœstitiis ipse Flavianus credens mederi, acerbiores fieri expertus est, cum, videlicet, recitato Eutychetis libello, petiit locum dari accusatori, juberique ingredi Eusebium Dorylæensem, et non fuit auditus, sed repulsus, vetitusque Eusebius admitti in episcoporum consessum. Hoc novum facinus, Dioscoro postmodum in concilio Chalcedonensi objectum fuit, qui hujus facti turpitudinem in comitem Elpidium, et Elpidius in imperatorem ita jubentem rejecit. Eusebiumque et Flavianum, non tamquam accusatores, neque tamquam vindices eorum quæ antea in synodo Constantinopolitana gesta fuerant esse habendos, sed dumtaxat tamquam reos, nulla purgatione admissa esse judicandos. Hinc Dioscorus statim suggessit esse legenda concilii Constantinopolitani gesta contra Eutychetem; et quamvis Julius apostolicæ sedis legatus obstitisset, protestatus non permissurum se illa Acta legi, nisi prius S. Leonis dogmatica epistola legeretur, ut pariter Hilarus diaconus contestatus est; tamen legatorum pontificiorum postulatio rejecta fuit, quia Eutyches, audacter prodiens, maligne eos tamquam sibi infensos et suspectos proclamavit, quod apud Flavianum mansissent, *atque pransi apud eumdem essent.* Lecta itaque fuere Acta Constantinopolitana, et cum ad S. Cyrilli scripta ventum est, Eustathius Beryti episcopus suggessit, ex sententia Cyrilli, non dicendas in Christo duas naturas post incarnationem, sed tantum unam ex sententia Athanasii. Evictam causam Eutychiani acclamarunt. Non enim Eustathius episcopus duorum illorum Patrum mentem capiebat, qui promiscue φύσιν, naturam pro hypostasi et persona aliquando usurpant, quod Græcis scriptoribus ante Antiochenum schisma potissimum commune fuisse, ipsi in nostris scholasticis Exercitationibus docuimus et demonstravimus. Cæteri interim episcopi, vel minarum timore acti, vel promissis corrupti, Ecclesiæ catholicæ fidem palam profiteri et explicare ausi non sunt; sed cum ventum est ad illam extremam Actorum partem, in qua Eusebius Dorylæi Eutychetem compellaverat, ut

A post adunationem Verbi cum carne duas ad invicem naturas in Christo distinctas confiteretur, Eutychetis patroni et fautores audacius exclamarunt : *Tolle, incende Eusebium, iste vivus ardeat, iste in duo fiat; sicut partitus est, partiatur.*

17. Huic autem latrocinali judicandi formæ Dioscorum aliquem **386** ementitum canonici judicii colorem dare quæsivit. Et idcirco synodum percontatur : *Tolerabilis est vobis iste sermo, post adunationem duas naturas dicere?* Synodus respondit : *Anathema qui dixerit.* Hæc autem dicta fuisse ab iis qui Dioscoro blandiebantur Baronius asseverat. Et idem doctissimus Annalium scriptor fundamenta mutuatur ex testimonio eorum Patrum qui huic synodo interfuerunt, et totam causam deinde in Chalcedonensi concilio retractarunt. Atque provocat potissimum ad Basilium Seleuciensem episcopum, qui per B. Joannem episcopum, Dioscorum rogaverat ut interlocutionem emendaret, et subjecit : *Magnam enim nobis necessitatem imposuisti tunc, tam ab iis qui foris erant, quam ex lingua tua.* Irruebant in ecclesiam

B milites cum armis, instabant monachi qui cum Barsuma erant, et qui Parabolani nuncupabantur, et multitudo alia grandis (*a*). Hæc, quæ de vi et metu per Dioscorum Patribus tyrannice tunc illatis descripsimus, in synodo Chalcedonensi testati sunt reliqui, qui concilio Ephesino interfuerunt. Soli legati apostolicæ sedis nullo metu atque violentia commoveri potuerunt, ut Dioscori voluntati obtemperarent, vel ut leviter etiam recederent ab instructionibus et commonitorio quæ a S. pontifice Leone acceperant. *Reclamarunt, exclamarunt*, ait Baronius atque publice contestati sunt nullas prorsus vires habere Acta illa, quæ sola violentia atque tyrannide extorquebantur; nullumque præjudicium fidei catholicæ fieri posse, cujus formam a sede Petri ad synodum missam nec legi sivisset nefarius Dioscorus. De læsa imprimis apostolicæ sedis auctoritate graviter postmodum questus est S. Leo epistola ad Theodosium imperato-

C rem (*b*), de qua suo loco verba faciemus. Sed et episcopi ipsi vim undequaque pati cogebantur. Si enim duas in Christo Domino post adunationem profitebantur esse naturas, tamquam Nestoriani necandi proclamabantur : *minabatur nobis* (aiunt) *damnatio, minæ exsilii intendebantur : milites cum fustibus et gladiis instabant. Timebamus gladios et fustes. Ubi gladius et fustes, qualis synodus est?* Quadraginta duo episcopi tacere jussi sunt quin possent vel unum proferre verbum, et quindecim tantum Eutycheti faventibus loqui permissum est. Tamquam denique omnium orthodoxorum carnifex Barsumas descriptus est. Quia surgentibus Ægyptiis et monachis, qui sequebantur Barsumam, omnique turba cœperunt dicere : *Eum qui dicit duas naturas, in duo incidite; qui dicit duas naturas Nestorianus est.*

18. Qualem ergo tragicum finem habuerit synodus illa, ex tam lugubri et deplorando rerum ordine, apparatu et Actorum prosecutione argumentari potest.

D Proclamata enim fuit Eutychis absolutio ab ipso Dioscoro. Et quamvis Flavianus reclamasset facta contestatione, quod non fuisset auditus, tamen episcopi, pœnis, metu et tædio acti, et usque ad vesperam afflicti, propriis ex subscriptionibus ratam habuerunt ipsius Eutychis absolutionem. Flaviani tandem et Eusebii Dorylæi damnatio subsecuta est. Ad quam Dioscorus volens consuetis fraudibus procedere, Acta concilii generalis Ephesini ad fidem pertinentia jussit ut legerentur. Et interrogatis omnibus an iis fidei decretis assentirentur, sine ulla prorsus animi hæsitatione omnes annuerunt. Sic namque procedens Dioscorus, coloratum titulum quæsivit, ut non videretur innocentes damnare; sed eos, tamquam de læsa fide et de Nestoriano dogmate reos, a religione catholica removere voluit, eos ab

(*a*) Parabolanos Baronius explicat, dicendo : Illi erant corporati Alexandrinæ Ecclesiæ.

(*b*) Epistola 39 ad Theodosium.

episcopatu et omni sacerdotali ministerio alienos faciendo et declarando. Nullam ergo aliam causam in lata sententia Dioscorus expressit vel indicavit, nisi hanc unicam, videlicet, Flavianum, Eusebium Dorylæi, œcumenicæ Ephesini synodi decreta violavisse: *omnia pene revocantes, et immutantes, factosque causam scandali* **387** *et conturbationis sanctissimis Ecclesiis, et ubique catholicis populis.* Propterea concludit: *Certum est hos ex semetipsis subjacere synodicis olim a sanctis Patribus definitis damnationibus. Unde et nos quæ eorum sunt confirmantes, memoratos, id est Flavianum et Eusebium ab omni sacerdotali et episcopali dignitate esse judicamus alienos.* Ne denique videretur se totius causæ arbitrum constituisse, quasi ad episcopos qui ad synodum convenerant conversus, eos ita compellat: *Confiteatur vero unusquisque religiosissimorum episcoporum suam propriam voluntatem, manifestam hanc faciant sub fide monimentorum* (*a*). At quorsum ita episcopos alloquitur, cum quadraginta duobus loqui vetitum fuit? Quando qui pii, legitimi, atque sanctissimi erant judices, jure suffragii et interloquendi privantur, et falsis quæsitis coloribus calumniantur, persequuntur, quin eorum contestationibus locus præbeatur? Et denique quomodo poterant eorum voluntatem patefacere, præsente carnifice Barsuma et militibus, qui cum cæteris, fustibus et gladiis eos puras chartas subscribere cogebant? Exstant enim, notat Baronius, nonaginta sex episcoporum subscriptiones, magna cum ignominia postmodum recitatæ in concilio Chalcedonensi, cum causati sunt vim illatam, dum catenæ expositæ essent, et parati milites, ut si quis reluctaretur, vinctus catenis in exsilium duceretur.

19. Flavianus tandem ægre ferens in tali latrocinio fidei causam ad exitium perduci, intrepidus exclamavit: *Appello a te.* Et Hilarus apostolicæ sedis legatus dixit: *Contradicitur;* et cæteri ejusdem sedis legati, nullo metu adducti, quamvis proconsulem cum militibus locum in quo latrocinium agebatur ingressum vidissent, audacissimo Dioscoro in faciem restitere, contestantes nullius esse roboris quæ hactenus per vim et metum fuerant extorta. Publicam hanc atque solemnem protestationem a pontificiis legatis factam synodi Actis notarii non inseruerunt. Nam Acta illa ad Dioscori arbitrium notarii describebant, alia addentes, alia subtrahentes, alia denique pro suo pravo ingenio interpretantes, confingentes, et accommodantes. Dioscori autem tyrannicum furorem et malitiæ impetum neminem moderare et cohibere potuisse, testati sunt plures ex episcopis, quos inter Basilius Seleuciæ, qui in Chalcedonensi concilio dixit: *Post damnationem Flaviani omnibus nobis tristibus effectis, et aliquantis quidem nolentibus emittere vocem, aliquantis autem fugientibus, exsurgens Dioscorus, et stans in alto, designabat, et dicebat: Videte qui non vult subscribere ad me, seu contra me habet. Et quia Eusebius Ancyræ episcopus parum distulit vocem, periclitatus est et ipse damnari.* Nonnulli episcoporum ibi assidentium, qui tam graviter divina et ecclesiastica jura violari et pessumdari viderunt, Dioscori pedes tenuerunt dicentes: *Quia et tu presbyteros habes, non debet propter presbyterum damnari episcopus. Nihil dignum damnatione egit. Si autem et reprehensione dignus est, reprehendatur* (*b*). Episcopi porro illi erant Onesiphorus Iconiensis, Marinianus Synnadensis, et Nunechius Laodicensis. Horum ergo etiam humillimæ supplicationes ambitiosi præpotentisque Dioscori animum nec leviter commovere potuerunt. Immo, fractis omnibus Christianæ moderationis legibus, audacior factus, maxime imperiali fretus potentia, et nebulonum caterva stipatus, tale præsidium sibi nactum esse arbitrabatur, ut religio esset sibi soli obtemperare, omnium inferiorum

A et æqualium; immo et superiorum jura ad se unice impia usurpatione trahendo. Hanc vero effrenatam illius animi cupiditatem quis quove colore excusare poterit? Non quidem qui Alexandrinæ sedis præstantiam et dignitatem exaggerat (ut Quesnellus facere consuevit) quæ inter Orientales principatum obtinebat; non ejus prædecessoris sancti Cyrilli merita et prærogativæ **388** ob quæ œcumenicæ generali synodo apud Ephesum habitæ præfuit, ut ipse Dioscorus, nimis a regiis ministris blanditus, sibi persuadere videbatur, et cui fere omnes tum Orientales, tum Occidentales Patres obsequium exhibuerunt; non denique catholicæ fidei causa, vel satis difficilis, vel implexa, nondum explorata, in errorem eum rapuit; sed sola vafrities, æmulatio et furor. Is namque optime noverat Romanam S. Petri cathedram hujusque episcopos tamquam supremos cæterarum Ecclesiarum judices et magistros habendos esse. Et propterea Romanum episcopum tamquam Patrem etiam ab
B Alexandrino antistite esse consulendum, illiusque judicium tamquam firmam regulam omnium controversiarum esse habendum, scriptis et factis fassus est.

20. Anno enim Christi 445, ipse Dioscorus vix ad Alexandrinam sedem evectus, de sua ordinatione et ad episcopatum electione sanctum pontificem Leonem fecerat certiorem. Et veritus ne suo pastorali muneri aliquando deesset, duas ei proposuit quæstiones dirimendas. Altera de ordinatione episcoporum et presbyterorum, quando videlicet quibusve diebus juxta apostolicam traditionem fieri posset; altera vero de sacrificii iteratione, solemnioribus anni diebus et festivitatibus recurrentibus habenda, ut plebi supervenienti posset satisfieri. Utrique enim S. Leo Magnus occurrens, summum charitatis affectum impendit, ut ex hoc cognoscere posset quod firmius fundare desiderabat illius adeptæ dignitatis exordia. Epistolam enim hisce verbis summus pontifex ordiens, et veri patris et fratris officia cum Dioscoro se agere fassus
C est, ut nimirum totam illam super duas expositas inquisitiones explicationem et regulam grato et lubenti animo exciperet. *Quantum* (ait) *dilectioni tuæ, Dominicæ charitatis impendamus affectum, ex hoc poteris approbare quod tua firmius fundare desideramus initia, ne quid charitati tuæ deesse ad perfectionem videatur, cum tibi spiritalis gratiæ merita, ut probavimus, suffragentur* (*c*). Eximiis ergo meritis fuisse tum Dioscorum ornatum, et de iisdem divum Leonem fuisse certiorem, absque ulla prorsus dubitatione innotescit. Quare statim subjecit: *Paterna igitur et fraterna collatio debet sanctitati tuæ esse gratissima, et a te taliter suscipi quemadmodum a nobis intelligis proficisci.* Sed quemadmodum has subjiciendas institutiones Dioscorus debuisset excipere, paulo infra in eodem epistolæ prooemio explicat, ostendens Romanum episcopatum, non tantum in Ecclesia a Domino principatum obtinuisse, sed firmiter permanere in divi Petri institutis, a quibus resilire nemini episcoporum
D licitum esse potest. *Cum enim beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum, et Romana Ecclesia in ejus permaneat institutis, nefas est credere quod S. Marcus, qui Alexandrinam Ecclesiam primus gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit.* Necessitatem autem summæ concordiæ Romanam Ecclesiam inter et Alexandrinam habendæ testatus est, ita scribendo: *Non ergo patimur ut cum unius nos corporis et fidei fateamur, in aliquo discrepemus, et alia doctoris, alia discipuli instituta videantur* (*d*). Non ergo ex suæ Alexandrinæ Ecclesiæ præstantia Dioscorus titulum aut colorem quærere aut emendicare poterat. Sat enim clare intellexerat eam esse ecclesiastici regiminis regulam, ut in universa Ecclesia Romanus pontifex principa-

(*a*) Baronius loco ut supra, pag. 95.
(*b*) Acta Chalced. Conc. act. 1.
(*c*) Sanctus Leo Magnus, epist. 11 ad Dioscorum in Quesnelliana editione, alias 81.
(*d*) Idem ibid.

tum haberet, eumque omnes etiam primarum sedium episcopi tamquam patrem et doctorem cognoscerent et venerarentur. Ad talem ergo tantamque rebellionem nefario quodam furore ex antiquis æmulationibus et privatis odiis orto ducebatur, sibi optime conscius irrita et nullius prorsus roboris esse quæ contra S. Leonem, ejus legatos et episcopos appellantes decreverat. Neque S. Cyrilli ejus prædecessoris vestigia titulum aliquem ipsius agendi rationi suppeditare poterant. **379** Is utique Ephesinæ œcumenicæ synodo præfuit, non tamquam Alexandrinus antistes, sed S. Cœlestini papæ legatus, pontificias litteras excipiens, et ut synodo legerentur jussit; voluitque eas tamquam regulam omnium rerum in synodo agendarum haberi. Restat ergo ut gravem aliquam difficultatem in fidei causa offendisset, quæ tales tantosque indissolubiles nodos in se contineret quos solvere ipse nescivisset, ut ignorantiæ titulus ipsi patrocinari posse videretur. At quæ ignorantia potuit unum episcopum, alias in sacris canonibus versatum, excusare, qui principaliori Orientis Ecclesiæ præerat, quique denique ignorare haud poterat quæ ab illius prædecessoribus in ecclesiasticis habendis judiciis servata fuerant? Porro illius judicandi formam non alium habuisse titulum quam illum quem S. Leo adduxit, ex sequentibus verbis perspicue intelligere possumus: *Hæc autem ideo culpa processit, eo quod non pura conscientia et recto judicio secundum consuetudinem* (Dioscorus) *et qui collecti sunt de fide et errantibus protulerunt. In ipso autem judicio non omnes qui convenerant interfuisse cognovimus:* ecce studiosus judicum delectus, qui a Dioscori nutibus penderet, designatus. Deinde molli brachio imperatoris agendi rationem et mandata objurgat, de quibus antea verba fecimus, de Theodosii divalibus disserentes. *Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederunt* (*a*).

21. Quamvis itaque nullus ex tribus præfatis titulis defensionem excusationemque Dioscoro parare possint, erunt tamen, sicut fuerunt, qui jus in indicendis synodis imperatoribus et principibus vindicant, qui etiam affirmare et docere poterunt Dioscoro præscriptum fuisse Theodosii decreto judiciorum ordinem. Propterea quod ipse imperator vetuisset ne Flavianus episcopus Constantinopoleos, aut cæteri episcopi, qui sententiam adversus Eutychem in synodo Constantinopolitana dederant, suffragium suum ferrent in Ephesino concilio. Elpidius enim exsecutionem mandati hac in parte graviter ursit, Theodosio ordinem rerum vindicans his verbis: *Imperator, adimplens ipse primus ordinem legum cujus est conditor et custos, jussit eos qui semel judicaverunt judicandorum ordinem tenere.* Hocce ergo excusationis genere, cum ipse Dioscorus ab objectis criminibus se purgare tentasset in Chalcedonensi concilio, quis modo uti posset ad minuendam saltem, nisi ad penitus diluendam, illam infamiæ notam qua Dioscorus generatim inuritur. Sed quid ad hæc, quæ varios secum afferunt nodos et difficultates, paucis verbis minime expediendas et eripiendas? Cum clarissimo viro Petro de Marca (*b*), qui Romanis principibus hoc jus asseruit pro indicendis quandoque synodis, et dandis judicibus, dum ecclesiastica judicia fieri contingebat, sicuti et irrita declarandi concilia, « cum fines præscriptos a principe in modo procedendi excedebant, quin conciliorum Patres conquererentur de incompetentia principis, sed de obreptione quam legatis missis ad primam synodum Ephesinam ostenderunt, » longam deberem hic congressionem instituere, singulaque ad examen revocare, quæ nonnisi veritatis colorem præseferunt. At ad aliud otium istud reservare opportunum ducimus, paucis dumtaxat hic annotatis.

22. Et imprimis quod ad synodorum indictionem, rerumque in iis pertractandarum ordinem spectat, clariss. de Marca aliquod jus indicare debuisset, quod naturæ legibus divinisque institutis cohæreret. Non enim sufficit æquitati et concordiæ, pacisque studio inhærere, quæ sacerdotium inter et imperium procuranda sunt, si in alterutrius præjudicium multa mala suboriantur. Alias semper in dubio versabimur an priorum **380** temporum generalia concilia, auctoritate imperatorum sola vel apostolicæ sedis simul indicta fuerint. Et rursus ultro dato quod Romani pontifices, imperatorum arbitriis non valentes resistere, synodorum indictioni acquieverint, an scrupulus remaneat principes jure vel injuria synodos indixerint, atque in iis indicendis propriæ auctoritatis limites excesserint. Si ad primam Nicænam synodum animum convertamus, hanc utique Constantinum imperatorem indixisse intelligimus, sed *ex sacerdotum sententia* (*c*). Et quoniam tot præsulum coitio sine imperiali consensu, auxilio atque præsidio nec fieri nec sustentari poterat, idcirco ad præpediendos tumultus, et ad faciendam episcopis liberam potestatem, ut, episcopalibus eorum sedibus ad tempus relictis, præstituto tempore concilio adessent, litteras ad eosdem dedit, ut itineri se committerent. Quo in negotio vicaria usum fuisse potestate, et ipse Marca asseverare debet. Cum ipse alibi sincere fateatur, juxta veterem Ecclesiæ canonem, non licere œcumenicam synodum celebrare absque sententia sedis apostolicæ (*d*). Si itaque res sic se habent, jam imperatores non propria, sed vicaria summorum pontificum, auctoritate, generales synodos indixerunt. Idque magis exploratum est ex Ephesina synodo de qua agimus, ad quam indicendam Theodosium apostolicæ sedis auctoritatem adhibuisse, Leo Magnus in epistola ad eamdem synodum protestatus est, cujus verba in superioribus retulimus, et Marca ipse in margine ad laudatum locum descripsit. Ut verum tamen fatear, æquitatis et concordiæ ratio semper postulavit, ut, gravissimis in Romano imperio perturbationibus propter clericorum scandala et æmulationes gliscentibus, Romani pontifices non reluctarentur principum et imperatorum petitionibus, ne Ecclesiæ rebus susquedeque versis etiam civilis administrationis negotia ad exitium vergerentur, quorum cura potissimum ad sæculi potestatem pertinebat. Propterea nihil mirum, si, ad excitatas quandoque turbas componendas, imperatores ipsi consilium habuerunt de synodis indicendis, hancque facultatem ab apostolica sede expostulaverint. Id indicare voluisse clariss. Petrum de Marca mea est opinio.

23. Quod præterea ad rerum pertractandarum *ordinem* spectat, gravior est difficultas an Romani principes illum præscribere potuerint, *quod docetur* (ait) *aliquot exemplis*. Quæ inter idem de Marca illud adducit quod Flavianus et Eusebius Dorylæi *non judicum, sed judicandorum, locum in synodo obtinerent.* Vix arbitrari possum hujus Theodosiani statuti rationem probari potuisse a viro doctissimo et Parisiensis Ecclesiæ præsule illustrissimo, de Marca, cum statutum illud naturalibus divinisque institutis repugnet. Nihil enim perperam a Flaviano ejusque synodo factum fuisse constabat, ut idcirco ipse Theodosius rerum *ordinem* tam injuriosum decerneret, qualis ille erat, ut Flavianus privaretur jure suffragii in causa fidei et Eutychetis, quod prorsus inseparabile erat a sacerdotali dignitate quam in Constantinopolitana Ecclesia exercebat. Præterea quale crimen objiciebatur Flaviano et Eusebio Dorylæi, ut reorum

(*a*) S. Leo, epist. 39.
(*b*) Petrus de Marca, de Concordia sacerdotii et imperii, lib. IV, cap. 3, § 7. Chalced. concil. act. 1.
(*c*) Rufinus Aquileiensis, lib. I Hist. Eccles., cap. 2. Vide nostras annotat. tom. II, pag. 4 et 5.
(*d*) Petrus de Marca, lib. V, cap. 6.

judicandorum locum tenerent? Quales erant legitimi accusatores, qualia indicia et probationes adducebantur, ut tamquam graviorum criminum rei judicarentur? Velamine quidem malitiosæ justitiæ se per odium et subornationem a synodo judicatum fuisse, Eutyches voce et scriptis libellis affirmabat. Sed princeps ille, qui prætextum arripiebat tuendæ et conservandæ Christianæ tranquillitatis in Ecclesia et imperio; nondum cognita causa, vindicabat sibi cognoscere quæ ad eum non pertinebant, cum de nova hæresi et de judicio in eam lato ageretur; idcirco non poterat eam naturalem legem violare. Legum *conditorem* atque *custodem* Elpidius imperatorem ibi vocat. Sed quo sensu naturalem divinamque 891 legem custodiebat, quæ dictant aliorum legitima jura non esse violanda, neminem inauditum suo jure posse privari; *nisi forte talis sit culpa quæ ipso genere suo aliquam* (a) *pœnam inducat*? Et forte gravissima pœna ea non debet reputari, qua judicandi jure tum Flavianus tum Eusebius privabantur, et imperiali statuto inter *judicandos locum* tenere jubebantur? Sola contumacia pro crimine aliquo præsenti, vel præterito, statutum antiquum ordinem legum Theodosius permittere potuisset, aut abolere, aut immutare. Quid vero? Nec Flavianus, nec Eusebius, *tribus propositis edictis, aut uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, admoniti et vocati fuerunt*, nec suam præsentiam denegarunt. Igitur tamquam contumaces haberi non poterant. Quinimmo, vix acceptis litteris synodi indicibus, nulla interposita mora, vel impedimento emendicato, ad conventum convolarunt. Unde injuria ibi affirmatur, quod *imperator adimplens ipse primus ordinem legum*, cum nullum ordinem, nullam æquitatem, nullam denique legem servaverit jubendo *qui semel judicaverunt judicandorum locum obtinere*. Ego igitur potius crederem Elpidium imperatoris auctoritate abusum fuisse; eaque lege urgere voluisse, ut contra omne jus, nec Flavianus, nec Eusebius, neque alii qui innocentes et sine ullo crimine damnati fuere, etiam secluso quocumque defensionis genere indebitas pœnas subirent. Maculam tamen ullam illustrissimo episcopo Parisiensi inurere non intendimus, quod talia jura sæculi principibus vindicare voluerit, sed explicare dumtaxat in votis habuimus valde infirma et falsa esse ea principia, ex quibus præscriptum ab iis principibus judiciorum ordinem probare assumpsit.

24. Tandem vero ultimam Ephesinorum gestorum partem, qua latrocinium ad exitum Dioscorus perduxit, brevissime recensebo. Huic porro synodali actioni Romani pontificis legati adesse recusarunt: sed, accepto Flaviani appellationis libello, nulla prorsus violentia compelli potuerunt ut diutius apud Ephesum remanerent, atque constanter, ut decuit, *fuerunt protestati, nequaquam id, quod constituebatur sedem apostolicam recepturam* (b). Parvi autem pendisse Dioscorum has legatorum pontificiorum protestationes, ipsiusque Flaviani appellationem, testatus est Hilarus in epistola ad Pulcheriam augustam. *Postquam injustæ voluntati Dioscori atque sententiæ*, ait Hilarus, *communicare non potui ad aliud concilium* (c) (id est, ut animadvertit Christianus Lupus, aliam synodalem actionem) *terroribus atque insidiis evocare conatus est, quatenus me, quod absit, aut seductionibus me faceret consentire ad condemnandum sanctissimum Flavianum episcopum, aut resistentem teneret, ut mihi non esset sententia ad pietatem vestram Constantinopolim percurrere, aut ad Romanam Ecclesiam remeare. Verumtamen confidens auxilio Christi, quod attinet ad damnationem reverendissimi ac sanctissimi viri, innocentem me integrumque servavi, licet nulla flagella, nulla tormenta me possint facere ejus consentire sententiæ; sed, omnibus derelictis, exinde discessi, per incognita et invia loca Romam veniens, ut reverendissimo papæ omnium quæ in Epheso gesta sunt idoneus nuntiator existerem* (d). Concinunt Hilaro Prosper in Chronico, et Theodoretus (e). Dioscorus tamen, post legatorum pontificiorum fugam, nec mitior factus, nec veritus debitas quandoque pœnas solvere debere, flagitiis nova addens flagitia, non tantum monachos qui pro Eutychiana hæresi certabant absolvit et 892 in communionem recepit, sed plurimos orthodoxos episcopos e suis sedibus dejiciendos et expellendos esse declaravit: alios in exsilia deportavit, et istis adhuc superstitibus alios substituere fecit. Omnium primus dejectus fuit Theodoretus Cyrensis, inauditus, non evocatus, et absens ultra quinquaginta mansiones, qui Theodosii decreto exsul detinebatur. Quæsitum procurasse titulum pro hujus damnatione Dioscorum notissimum est. Nam cum antea Theodoretus impugnasset capitula S. Cyrilli, etiam post initam pacem et obtentam ecclesiasticam reconciliationem ab episcopatu dejectus est. Quare episcopali domo privatus, et ex amicorum stipe vivere coactus, quorum unus in eum maxime liberalis fuit Uranius episcopus Emesenus. Hinc (subjicit Christianus Lupus) per Anatolium patricium principi supplicat, aut appellationem suam prosecuturus Romam accedere, aut certe redire ad suum, *in quo olim* monachus professus, monasterium, distans centum millibus a civitate Cyrensi. Sed de hujus appellatione ad S. Leonem alibi opportunius verba facere reservamus. Secundus quem e sua sede episcopali ejiciendum esse Dioscorus statuit, fuit Ibas metropolita Edessenus, propter famosam epistolam sancto Cyrillo Alexandrino injuriosam, ad Marim Persam scriptam, qui pariter non permissus synodo adesse, absens damnatus est. De cujus a synodo exclusione est sermo in concilio Chalcedonensi, actione 9, et apud Liberatum diaconum, cap. 12 (f). Æquale infortunium pariter passi sunt Sabinianus episcopus Perrhensis in provincia Eufratesia, Evagrius Epiphaniensis, qui addit dejectos etiam fuisse Aquilinum Bibli, Irenæum Tyri, Sophronium episcopum Constantiensem, Cypriorum metropolitam, et Joannem Germaniciensem. Omnium ultimus dejectus fuit Domnus episcopus Antiochenus, de quo Liberatus hæc habet: *Post omnes autem et Domnum Antiochenum remanentem ab orthodoxorum depositione, quia particeps factus Dioscorus in orthodoxorum depositione et Eutychetis absolutione. Depositus est autem dolo Dioscori sic. Postquam consensit in omnibus Dioscoro, datis in medio ejus epistolis, quas ad ipsum Dioscorum Antiochenus Domnus contra duodecim Cyrilli capitula scripserat, eo quod essent obscura, damnavit ægrotum et absentem illa die*. Denique in dejectorum episcoporum locis alios substituere, eligere et ordinare ausus est Dioscorus, plenariam sibi generalium synodorum auctoritatem usurpando etiam contra mandatum canonis 4 concilii Sardicensis, quo jubetur *ne quis in locum episcopi depositi substituatur, priusquam Romanus pontifex sententiam tulerit* (g). Tantum enim abest, ut Dioscorus huic canoni qui sub nomine Nicænorum laudabatur obtemperare voluerit; quinimmo, usurpato sibi totius ecclesiastici regiminis imperio contra

(a) Cap. *Reprehensibilis*, de appellationibus, lib. *Contumacia* ff. de re judicata.

(b) S. Leo Magnus, epist. ad Chalced. synodum.

(c) Hilarus diaconus, epist. ad Pulcheriam augustam. Christianus Lupus, in scholiis et notis ad Ephesinam synodum.

(d) Non tantum Hilarum fugam arripuisse, sed et alios pontificios legatos Liberatus diaconus asseverat, scribens: *Porro legati sedis apostolicæ ab ipso concilio fugientes, retulerunt papæ Leoni iniquitatem Dioscori, quomodo Dioscorus vi magis quam justitia in illa synodo egerit.*

(e) Theodoretus, epist. 115.

(f) Liberatus diaconus, in Breviario, ubi supra.

(g) Tom. II Concil., pag. mihi 681.

omnia naturalia, divina et ecclesiastica jura et fidem, ad exitium perducere et omnium Ecclesiarum statum subvertere voluerit, sibi dumtaxat obtemperando. Verum de horum electionibus ordinationibusque verba faciemus S. Leonis gesta describentes in lib. II Historiæ Eutychianistarum, quemadmodum et de Sardicensibus canonibus cap. 10 hujus libri.

893 CAPUT IX.

De S. Flaviani Constantinopolitani episcopi ad apostolicam sedem appellatione. Falsa Joannis Launoii, Paschasii Quesnelli aliorumque sententia, quod ad novum generale concilium appellaverit, proponitur. Et denique tamquam infirma et valde fallacia horum argumenta certis evidentibusque demonstrationibus evertuntur et prorsus eripiuntur.

1. Ita novarum rerum studio Quesnelli animus fuit adductus, ut peregrinas doctrinas et a communioribus opinionibus discrepantes vendere cupiens, erroneis falsisque argumentis ratiocinari minime erubuerit, a quibus removeri nequidem voluit, cum veritas luce splendidior eidem occurrebat. Vehementer enim a suis constrictus præjudiciis, quibus semper in disputationibus congressionibusque habendis adhæsit, atque a clarissimorum doctissimorumque virorum semitis recedens (a), rerum cortices dumtaxat attingendo, sophismata fallacesque conjecturas veritatis colore depinxit, non tantum ut lectores deciperet, sed ut in apostolicam sedem odium exerceret, novamque in Ecclesia regiminis rationem stabiliret, prætextu antiquitatis persequendæ et illustrandæ. Hujusmodi sibi proposuisse scopum in omnibus suis scriptis mihi persuasum est. Sed potissimum id intellexi, cum octavam ejus dissertationem lustrandam assumpsi. Arbitrabar enim quod agens ibidem de celebri S. Flaviani appellatione ad apostolicam sedem, nullo invidiæ spiritu se duci passus esset; sed voluisse in tanti argumenti negotio insistere vestigiis prudentum eruditorumque scriptorum, qui jampridem eam præcesserunt in hocce pertractando argumento, de quo nos in præsens verba facere statuimus. Baronii nimirum, Bellarmini, Joannis Davidis, cardinalis Peronii, Christiani Lupi, aliorumque. Quippe qui ex animo veritatem exquirentes, non tantum Ephesini latrocinalis statum, ordinem resque in eo gestas narraverunt, nullo prorsus mendaciorum fuco adhibito, quemadmodum opus erat; sed etiam ipsius sancti Flaviani ad apostolicam sedem appellationem, tamquam ratam, et validam, et juxta ecclesiastici juris formam factam fuisse asseverarunt. Tantum vero abest ut Quesnellus optimam hanc viam ad sincera ecclesiasticæ historiæ studia conducentem ingredi voluerit, ut potius, relictis planissimis semitis quas præfati clarissimi quondam viri prosecuti sunt, eos potius in scenam traduxerit exagitandos, et ignorantiæ notam inusserit eis, quod judicaverint Flavianum apostolicam sedem, non potius generale concilium, appellasse; contra vero ipse, Launoii falsas conjecturas atque commentitias opiniones secutus, ejusdem Flaviani appellationem non ad apostolicam sedem, vel ad S. Leonem factam fuisse; sed ad generale concilium ab ipso episcopo provocante novumque judicium postulante fuisse directam. Suam ergo dissertationem Quesnellus aggressurus, eam simulat conscribere ex iis quæ habet S. pontifex Leo in epistolis 39 et 40, quod sequenti epigraphe indicare voluit: *Dissertatio octava de causa Flaviani episcopi Constantinopolitani in pseudosynodo Ephesina damnati atque depositi, ad epistolas 39 et 40 S. Leonis ad Theodosium imperatorem.*

2. Hanc autem dissertationem aggreditur scribendo « appellationum 894 quæ ad apostolicam sedem delatæ dicuntur primis Ecclesiæ sæculis, omnium celeberrimam esse, quæ data est a Flaviano post latam adversum se a Dioscoro sententiam. » Paucis indicat fundamenta eorum qui affirmativam partem propugnant. Et statim subjicit: « De hujusmodi appellatione, quæ epistolæ 39 et 40 præcipua est et unica fere materies, paucis saltem disserendi necessitatem susceptum indicit consilium, etsi prolixiorem tractationem argumentum a doctioribus jam pridem ventilatum non exigat (b). » Ut tamen facilius sensim a doctiorum sententia qui hocce argumentum illustrarunt abscederet, annotandum censuit numquam a S. Leone scriptum esse sedem suam a Flaviano esse appellatam, sed generatim dici appellationem esse interpositam, ut in hujus epist. cap. 3 loquitur, et quod legati ipsius fideliter reclamarunt, et iisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit. Sibi concinere arbitratur Ephesinæ synodi Acta Græca, in œcumenica Chalcedonensi relecta, in quibus aliud nihil a Flaviano dictum refertur quam istud *recuso te*, παραιτοῦμαί σε, et ab Hilaro, Leonis legato, *contradicitur*, ἀντιλέγεται. Ex quibus ait pergit ratiocinari. Sive enim veram appellationem intellexerit Flavianus, ut scriptor novellus operose contendit adversus Marcam, sive recusationem, quod affirmant alii, et ipse David tandem fatetur, perinde est: hoc unum assero, Leonis mentionem a Flaviano vel appellante vel recusante factam non fuisse. Clarissimi Petri de Marca opinionem a Davide exagitatam defendendam assumit; et in ejus impugnatorem graviter invehitur, quod pervicaciter propugnari hoc loco voluerit consuetas judiciorum canonicorum formulas (c), cum omnia contra jus fasque a Dioscoro præsumpta cognoscantur, nec Ephesino latrocinio accommodari ullo modo possint solitæ judiciorum consuetudines et formulæ. « Esto enim (ait) recusationi non sit locus secundum juris ordinem, nisi ante latam sententiam, nec appellationi nisi post prolatum judicium, optime id quidem, vel cum legitimus judex merito in suspicionem venit, vel ab incompetente judicium adornatur. » Tandem concludit Quesnellus: At nihil tale in Ephesino concilio reperias. Synodum ait legitime fuisse congregatam jussu principis assensuque Romani pontificis, qui etiam per legatos intererant, recusari ac repudiari nullatenus potuit. Hactenus vero jocari voluisse Quesnellum, ut lectores deciperet, deceptosque in suam traheret opinionem, quis non videt? Calamum stringere fingit contra Joannem David, Petri de Marca adversarium, et ludendo in verbis sibi blanditur, eam Ephesinam synodum in suis exordiis recusari et repudiari nullatenus potuisse, quia legitime congregata jussu principis et Romani pontificis assensu.

3. Sed in hac convocatione difficultatem non versari, lippis tonsoribusque notum est. Quamvis tamen dictis in superioribus inhærendum sit, ostendentes Theodosium apostolicæ sedis *auctoritatem*, non *consensum* tantum, adhibuisse pro ea synodo habenda. Igitur recusari ac repudiari potuit illa synodus statim in suis exordiis. Quando videlicet Dioscorus, nulla legitima auctoritate munitus, synodum ipse pro ar-

(a) Baronius, tom. VI Annal. Bellarminus, lib. II de R. P. Jo. David opere Gallice conscripto de Judiciis canonicis episcoporum. Christianus Lupus, in notis ad Ephesinam synodum.

(b) Quesnellus, diss. octava, tom. II, pag. mihi 504 et seqq. Launoius, p. II epist. ad Jacobum Boetium, epist. 3, pag. mihi 22.

(c) Quesnellus carpit Joannem David ob lib. inscriptum de Judiciis can. episc., cap. VI, art. 5, § 2. At injuria quidem. Nam David magno vere ac solidæ eruditionis apparatu antiquorum ordinem et consuetudinem in ecclesiasticis judiciis habendis explicavit. Unum atque idem ante Justiniani ævum duo illa vocabula *appellationis* et *recusationis* importasse ostendit, ut habetur in lege: *Simul utrumque vocabulum ponitur tam appellationis quam recusationis.* Vocabulorum demum confusionem sustulit Justinianus.

bitrio facere aggressus, deturbando e loco in quo episcopus Constantinopolitanus sedere debebat ipsum Flavianum, illius Ecclesiæ legitimum pastorem; quando **395** instructus de mandatis quæ legati S. Leonis deferebant, debitum locum et honorem nec ipsis dedit (a), nec umquam permisit quod commonitoria et epistola dogmatica quæ exhibuerunt in synodo legerentur. Quid plura? Potuit rejici et recusari illa synodus, quando Flaviano, legatis pontificiis cæterisque Patribus orthodoxis innotuit jam omnem lapidem a Dioscoro moveri ut soli Eutychianæ factionis adhærentes, numero, auctoritate, viribus adversum catholicam fidem religionisque pietatem prævalerent. An non in iis exordiis, Flavianus, Eusebius Dorylæi episcopus pontificiique legati potuissent recusare locum habere in eo conventu? At detinebantur a militibus imperialibus, qui ecclesiam hujusque fores custodiebant. Verum, *ubi milites, gladii, fustes, qualis synodus* quæ recusari non possit? Ad hæc ergo Quesnellum animadvertere oportebat, antequam licenter scriberet non potuisse initio synodum illam recusari. Sed (addit) tunc primum potuerunt recusari Dioscorus, ejusque synodus, cum ille omnia per vim scelusque sibi vindicans, et omnem judiciorum formam subvertens, ex episcopo visus est in prædonem et sicarium evadere, et synodum primum legitimam convertere in latrocinium. Tunc non tantum appellationi, quæ legitimum ac competentem judicem supponit, quam recusationi et protestationi locus erat contra conventum, quem nulla ratio, ut loquitur S. Leo, *synodum vocari sinit*. Non sibi constare Quesnellum, vel nonnisi oscitanter Ephesini concilii historiam lustrasse, mea quidem sententia est. Idcirco dicat, amabo, undenam hoc latrocinii initium, in quo Dioscorus omnia per scelus sibi vindicavit, omnemque judiciorum formam subvertit, desumendum sit? Forte supponit Dioscorum tale scelus tantamque tyrannidem exercere non cœpisse statim ac synodus convenit? Immo scelus jam mente a tribus mensibus præconceptum libere et quasi furens, non amplius animo cohibere valens, in illis primis exordiis patefecit, illudque pedetentim auxit et consummavit tragicis illis actionibus quibus tota gestorum series referta fuit. Si igitur, Quesnello auctore, *recusationi, protestationi appellationique* locus erat cum primum Dioscorus illegitimum, et non competentem, judicem se reddidit, inde sequitur potuisse Flavianum in suis exordiis recusare et repudiare illam synodum, quia et in exordiis Dioscorus erat judex incompetens, et quia merito omnes ab eo artes adhibitæ trium mensium spatio in suspicionem tantorum patratorum facinorum adducebant. Creditne Quesnellus Dioscori artes et machinationes, antiquas æmulationes et privata odia, Flavianum, Eusebium Dorylæi, legatos pontificios latuisse? Jocatur lepide. Itaque cum veritate concludendum est synodum illam legitimam fuisse quoad *convocationem* tantum, quia imperator ad eam cogendam apostolicæ sedis auctoritatem voluit adhibere.

4. Pergit Quesnellus ut discrimen assignet recusationem inter et appellationem, dicens in pluribus consistere; *quorum unum* est quod recusatio sententiam in irritum mittit, tamquam ab incompetente judice latam; appellatio vero suspendit solummodo sententiæ effectum, tamquam injuste a judice, licet idoneo, *profectam, donec a superiori ad examen revocetur*. Addit deinde Ephesinum judicium, synodi nomine indignum prædicatum fuisse a Leone, *etiam ante iteratam* cognitionem, ut satis significet magis recusationi, quam appellationi locum fuisse. Quid vero ex his? nisi illegitimam fuisse synodum in suis exordiis, quod Quesnellus paulo ante negavit. Quare

A ut principaliorem alium sibi præfixum scopum attingeret, **396** recitavit illa S. Leonis verba, quæ in variis ejusdem epistolis leguntur, quibus conqueritur *quod hi qui collecti sunt de fide et errantibus non secundum consuetudinem protulerunt, ubi primates synodi nec resistentibus sibi, nec consentientibus pepercerunt; ubi non omnes qui convenerant interfuisse cognovimus; ubi alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui pro unius Dioscori arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederunt; ubi in omnes sævitum est Ecclesias* (b). His S. Leonis verbis addidit, et quidem rationabiliter, hæc alia Quesnellus: Ubi scripta apostolicæ sedis episcoporum auribus publicari non sunt permissa; ubi ejusdem legatis suus locus non est concessus; ubi Chalcedonenses Patres testati sunt summam violentiam factam fuisse. Ex quibus tamen omnibus hanc inferri consecutionem arbitratur. Hinc vides (ait) quam merito jure clamavit Flavianus, παραιτοῦμαί σε, *Recuso te*. Vellem tamen ut B lector Quesnelli artem hic animadverteret, qua videlicet a *recusatione* ad *appellationem* gradum facere contendat, quibusque coloribus eam studeat ornare. Subdit enim: « Quia episcoporum fere omnium consensus ac subscriptio nonnullam synodi imaginem impio conventui conciliabant, imperatorisque ac potestatum interveniebat auctoritas, Flaviano visum est, cum postmodum libellum apostolicæ sedis legatis tradidit, hanc appellationis vocem usurpare, ut ex jure appellationis novæ synodo locus daretur. » Videtne lector ad quem scopum tendat tota præcedens Quesnelli fabulatio? Ex Launoio enim aliisque novitatum scriptoribus hanc doctrinam deprompsit, quam tamen scite et erudite suis auctoribus exagitatis Joannes David eripuit, perspicue ostendendo Flaviani illam loquendi formulam, παραιτοῦμαί σε, veram significare appellationem.

5. Et quidem Quesnellus ipse post magnum et inutilem verborum apparatum, utrumque dare coactus est. Videlicet Flaviani *recusationem appellatio-* C *nem* indicasse. Sed momenta omnia quæ ad hanc veram appellationem demonstrandam concurrunt ita maligne interpretari nisus est, ut contenderit ad apostolicam sedem non fuisse delatam, quia *Flavianus appellans Leonis nomen non interposuit, et Leo ipse* in suis epistolis post Ephesinam synodum scriptis suffragatur. Vult tandem Quesnellus Flaviani appellationem vagam fuisse, et ad novum concilium ordinatam, cum nullibi S. P. affirmet suam sedem appellatam fuisse: « Quod pontifex sedis suæ jurium studiosissimus numquam omisisset, si ita fuisset. Sed appellationem simpliciter interjectam asserit. » Hanc doctrinam, ut diximus, ex Launoio mutuatus est. Quam ut Launoius contra Bellarminum probaret, epistolam S. pontificis ad Theodosium exscripsit, eamque eminentissimo scriptori pontificiorum jurium vindici objecit, scribendo: « Cum in Bellarmini argumentum et in Leonis epistolam inspicio, adducor facile ut credam Bellarminum Leonis epistolam non D legisse, sed deceptum fuisse ab amanuensi suo, qui illi dixit Flavianum ad Leonem appellasse. Nam pontifex hoc in epistola sua non scribit. Flavianum appellationis libellum dedisse scribit, sed ad quem dederit non scribit. » Hinc ergo quasi divinando ex præcedentibus ita ratiocinari assumit. Credibile est Flavianum provocasse ad synodum quæ liberior foret, et numerosior. Nam Leo et Romana synodus unum id agunt, ut imperator generalem intra Italiam synodum celebrari jubeat, quæ excitatis tumultibus et controversiis finem imponat. Tandem idem Launoius præfatæ suæ epistolæ istum paragraphum aut caput his verbis claudit: *Verum Flavianus ad Leonem provoca-*

(a) Vide Acta concilii Chalcedonensis, in quibus Dioscorus damnatus, act. 1. Consule pariter Liberatum diaconum, qui in suo Breviario scribit: *Et sedentibus in basilica Dei genitricis Mariæ illis episcopis, Ecclesiæ Romanæ diaconi vices habentes papæ Leonis assidere passi non sunt, eo quod data non fuerit præsessio sanctæ sedi eorum.*

(b) S. Leo, epist. 39, 40 et 75. Hunc locum ex tribus epistolis conflatum exscripsimus, prout est apud Quesnellum, pag. mihi 504.

verit? Non ideo provocavit ut Flaviani causam Leo solus judicet, sed ut generalis synodus cum Leone judicet (*a*). Lepidum mendacium a Quesnello, ut diximus, adoptatum. Sed quomodo cohærere possunt ista cum Flaviani **397** consilio agendive ratione? Qui jam olim ratam habuit Eutychetis ad Romanum pontificem appellationem, expresse scribendo, *et appellasse vestram sanctitatem*; quique ante quatuor menses suam et Eutychetis causam ad generale concilium deferri negavit, et ut ab hoc indicendo S. pontificem se abstineret obtestatus est. Jam vero mutata sententia sollicitus efficitur pro nova generali synodo, et pro ea cogenda, post tot tantasque clades et calamitates, appellationem interposuit? Quid? Prænovit forte Flavianus se infensum habiturum Leonem, quem paulo ante legitimum judicem habere desideravit, qui scripsit solam Romani pontificis defensionem, solum istius consensum sibi et toti Ecclesiæ prodesse posse? Flavianus, inquam, auctore Launoio et Quesnello suffragatore, concilium generale pro sua defensione petiit, qui pariter affirmavit propter synodos sanctas ubique turbari Ecclesias, et causam de qua agebatur solo pontificio subsidio indigere, et pontificias litteras seu scripta sibi dari exposcebat? Is ergo Flavianus, qui non animo dumtaxat hæc agitaverat, sed scripto etiam expresserat, mutato dictamine atque consilio, ad synodum generalem, et quidem numerosiorem, provocasse credibile est? Figmentum apage! Post latrocinium enim Ephesinum, experientia didicerat antiquas æmulationes et privata odia maxime in synodis propter diversas factiones prævalere, atque sibi adversarios sæculi potestatibus summopere patrocinari; idcirco nec mente cogitare poterat ad Romanum provocare pontificem, novam synodum postulaturus. Vel igitur Launoius describere voluit Flavianum tamquam inconstantem virum, vel mente captum; vel saltem illius animi consilium deliberationemque minime est assecutus. Quare si mihi liceret ejus loquendi formulas usurpare, eas in eum retorquerem, affirmando numquam S. Flaviani epistolam ad sanctum Leonem legisse, vel eam saltem dissimulasse, ut suis studiis indulgeret pro tot tantisque fabulis et nugis Jacobo Boetio vendendis, quemadmodum fecit prætextu card. Bellarminum exagitandi, hujusque doctrinam evertendi.

6. Flaviani verba a nobis hactenus sine ulla violenta interpretatione exposita nimis perspicua sunt. Nec actum agere arbitramur, si illa hic subjiciamus. Ait itaque Flavianus ad S. Leonem in Eutychetis causa ante Ephesinum concilium scribens : *Causa enim eget solummodo vestro solatio et defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit et turbæ quæ propter eam factæ sunt facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sanctissimas litteras. Removebitur autem et concilium quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ perturbentur Ecclesiæ* (*b*). Hocce Flaviani testimonium Joannes David Launoio objecit; illique addidit responsum quo S. Leo Magnus, præcedentibus Constantinopolitani episcopi petitionibus occurrens, dixit habendi concilii causam haudquaquam ex quadam oriri necessitate, sed ex voluntate imperatoris, apostolicæ sedis auctoritatem adhibentis, esse derivatam. *Et quia clementissimus imperator pro Ecclesiæ pace sollicitus synodum voluit congregari, quamvis evidenter appareat res de qua agitur nequaquam synodali indigere tractatu.* Igitur mirari licet quomodo Launoius atque Quesnellus tam fidenter affirmare potuerint appellationes ad generalem synodum tamquam remedium adhibendum fuisse necessarias pro illa exorta controversia dirimenda, cum Flavianus atque Leo contrarium tradiderint. Quinimmo Leo ipse, qui seriem gestorum Constantinopolitanorum attente lustraverat, apprime noverat ad componenda dissidia quæ Flavianum inter et Eutychem intercedebant solum apostolicæ sedis judicium fuisse sufficientissimum, **398** nec ad novæ cogendæ synodi consilium sese potuit determinare, nisi ductus motivo solemnioris judicii habendi, ut testatus est in epistolis, cum ad imperatorem, tum ad Julianum Coensem, de quibus in præcedentibus habuimus sermonem.

7. Jam vero, relicto parumper Launoio, quemadmodum Quesnellus ratiocinetur videamus : *Lego* (ait) *hic reclamasse legatos, lego interpositam esse appellationem, lego etiam legatis datum appellationis libellum, at vero ad quem appellatum sit prorsus non lego* (*c*). Hinc occasionem arripit exagitandi Joannem David, qui scripsit perspicuum esse Romanum pontificem fuisse appellatum, cum necesse sit omnem appellationem alicui judici deferri. Cum igitur Flavianus libellum appellationis legatis dedit, in eis jurisdictionem agnovit recipiendæ appellationis. Quod ipsis jus haudquaquam tamquam hominibus privatis convenire poterat; unde necesse est ut tamquam papæ legatis libellum tradiderit, quia pontificem pro idoneo appellationis discutiendæ judice agnovit (*d*). Eum ergo exagitat quod ita scripsisset recedendo a regulis jurisdicendi, ignoraveritque quod nemo nescit qui forum a limine salutavit. Subjicit deinde idem Quesnellus, secundum juris Romani formam, libellum appellationis dari ei ad quem appellatum est, qui litigatori decernat apostolos, id est litteras dimissorias. Atque tandem in medium profert Pauli exemplum a præside Festo ad Cæsarem appellantis : *Non alteri* (ait) *quam ipsi præsidi vocem appellantis direxit. Jam vero Flavianus a Dioscoro ejusque infausta synodo appellans ad aliud concilium, cuinam suum tradidisset libellum, nisi legatis Romanis, qui fere soli iniquis Dioscori molitionibus non consenserant?* Debuisse autem Flavianum pontificiis legatis appellationis libellum porrigere, sequentibus quatuor rationibus probare assumit. Primo quia Dioscorus, omnia per vim et impotentiam agens, nullam juris formam servari permisisset; secundo quia omnes synodi præsules captivas manus Dioscoro dederunt; tertio quia Occidentales maxime episcopos Flavianus appellabat, ut et Theodoretus, ac proinde necesse erat ut patriarchæ ac omnium primati innotesceret Flaviani appellatio. Denique ad universale totius Ecclesiæ concilium provocanti quis potius adeundus est cum appellationis libello, quam is qui et Ecclesiæ totius apex summus, et in fidei causa universalis veluti procurator est cui incumbit convocandæ synodi œcumenicæ præcipua sollicitudo et cura; cui denique primæ sententiæ primique loci competunt in conciliis. Istud tandem suæ dissertationis caput his verbis claudit Quesnellus scribendo ; « Hæ sunt veræ rationes quæ Flavianum moverunt ut appellationis vel recusationis libellum in manus legatorum deponeret, quos ad hunc effectum necesse non erat ut jurisdictionem propriam vel pontificis nomine haberent, sed sufficiebat ut concilii pars essent, et interpositæ appellationis testes idonei. » Hactenus Quesnellus. Qui omnes suæ artis nervos adhibuit ut Flaviani appellationem ad apostolicam sedem factam everteret et aboleret, in medium productis aliis et aliis violentis interpretationibus, quas et suis studiis favere, et clarissimorum virorum doctrinam et argumenta oppugnare arbitrabatur. Sed quemadmodum in suis ratiociniis multus fuit, ita ineptus, nec omnino sibi in sermonibus constans apparuit. Cujus vitium si ex nullo alio intelligeremus, optime colligere possemus ex illa admonitione ab eo apposita ad epistolas Valerium. Videsis quæ tertio et quarto harum Exercitat. capp. scripsimus.

(*a*) Launoius, Epist. parte II, epist. 3.

(*b*) Flaviani epist. ad S. Leonem scripta ante Latrocinium concilium exstat apud Quesnellum, tom. I, pag. 239; apud Labbeum, tom. IV Concil., et Cotelerium. Videsis quæ tertio et quarto harum Exercitat. capp. scripsimus.

(*c*) Quesnellus, dissert. 8, cap. 1, pag. mihi 309.

(*d*) Joannes David, loco superius laudato.

lentiniani imperatoris, Gallæ Placidiæ, et Liciniæ Eudoxiæ augustarum, ad imperatorem Theodosium scriptas. Quid enim in ea habet? Lectoribus suadere conatur laudatas epistolas S. Leonis hortatu et totius Romanæ synodi, quæ tum agebatur scriptas fuisse, et subjicit eas ab *ipso Leone fuisse dictatas*. Si ergo rem ita 399 se habere arbitratus est, cum in hac dissertatione scripsit nullibi legere ad quem Flavianus appellaverit? Valentinianus quidem in sua epistola, sine ullo prorsus verborum involucro, vel obscuritate, Flavianum ad Leonem appellasse affirmat. *Hujus* (ait) *enim rei gratia secundum solemnitatem conciliorum, et Constantinopolitanus episcopus eum per libellos appellavit propter contentionem quæ orta est de fide.* Duo autem hic animadvertenda occurrunt, quæ Quesnelli dicta refellunt: alterum, ex Valentiniani imperatoris testimonio Flavianum juris ordinem servasse, appellationem interponendo *secundum solemnitatem conciliorum;* alterum, Flavianum S. Leonem pontificem, non concilium *per libellos* appellasse. Nec obstat quod summus pontifex de ejusmodi appellatione collationem fecerit in Romana synodo, quam singulis annis in Octobri mense habere consueverat (*a*). Æquissimum enim erat quod, pervento ad Urbem diacono Hilaro, narratore fidelissimo omnium rerum quæ apud Ephesum contigerant; et existentibus adhuc in Urbe nonnullis aliarum provinciarum episcopis, qui ad synodum venerant, ipsis patefaceret quæ in catholicæ fidei et religionis exitium, orthodoxorum episcoporum ruinam, et apostolicæ sedis contemptum, per unius Dioscori impotentiam facta fuerant. Hæc enim tamquam nulla et irrita, damnabilia et exsecrabilia præfato episcoporum cœtui Leonem referre oportebat; ut nimirum in Flaviani communione persisterent, a Dioscoro se abstinerent, et Romanæ sedis jura graviter læsa atque violata, sicuti par erat, tuerentur. Nec enim summus pontifex horum suffragio indigebat, cum animo jam agitaret alio modo gravissimis hisce malis mederi, et omnia damna reparare. Causam autem illius quotannis habendæ synodi, idem S. pontifex non obscure indicavit, scribendo: *Quoniam, adjuvante gratia Dei, facilius poterit provideri ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram beatissimo apostolo Petro id semper in commune tractandum fuerit, ut omnia ipsius constituta canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant.* Cum itaque in Ecclesia nulla graviora scandala, neque perniciosior hæresis dari possent, quæ fidem Orientis pene totam labefactaverant; idcirco, recurrente anniversaria Romanæ synodi celebratione, de iis cum aliis episcopis verba facere debebat, definiendo nullum aliud remedium gravissimis illis malis gliscentibus esse adhibendum quam novum generale concilium cogere, ut fidei catholicæ incolumitati prospiceretur, apostolicæ sedis jura turpiter violata et abolita repararentur, et episcopis a recto tramite cum tanta subditarum animarum pernicie deviantibus, per solemnem retractationem libere faciendam, venia concederetur. Id indicant illa alia Valentiniani imperatoris verba, quibus in Theodosii mentem revocabat debitum fidei a majoribus acceptæ defendendæ, addit pariter defendendum esse *summi sacerdotis honorem, et dignitatem propriæ venerationis beato apostolo Petro intemeratam, et in nostris temporibus conservare; quatenus beatissimus Romanæ civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat et facultatem de fide et sacerdotibus judicare.* Dicat nunc, amabo, Quesnellus, quomodo potuisset S. Leo Magnus consulere honori suæ supremæ dignitatis, violatæ jurisdictionis suæ damna reparare, facultatem quam super omnes antiquitas contulit in integrum restituere, si generalem ex omnibus totius orbis episcopis synodum non coegisset? An non in Ephesina synodo catholica fides, pontificia dignitas, sacerdotii principatus, cathedræ divi Petri honor, fuerunt contempta et solemniter dejecta? In nova ergo solemni synodo, et fides erat firmanda, et apostolicæ 400 sedis jura debebant reparari, et propterea appellationem ad se factam a Flaviano ad generale concilium debebat deferre, quamvis sanctus Flavianus ipse solum pontificem, tamquam legitimum suæ causæ judicem, appellasset.

8. Ne interim tamen Quesnello, aut cuicumque alii qui ejus studiis indulgeat, a communi disserendi via recedere videar, prætermissis aliis epistolis aut Gallæ Placidiæ, aut Eudoxiæ Liciniæ ad Theodosium scriptis oculos conjicio in duas illas S. Leonis epistolas a Quesnello assumptas veluti suæ dissertationis fundamentum. Tres iis in epistolis S. pontifex causas assignat, quæ ejus animum moverunt ad novum generale concilium habendum: altera fidei catholicæ vulneratio fuit; altera luctuosus status omnium Ecclesiarum Orientis, tantopere perturbatus, vel propter præsules dejectos, vel propter eos qui impiis subscriptionibus captivas manus dederunt, Dioscoro obtemperantes; tertia denique fuit illa pluries legatorum pontificiorum exclamatio facta, cum viderunt, a synodi exordiis usque ad finem, apostolicæ sedis jura non tantum neglecta, sed pessumdata atque abolita. Duas illas priores causas S. Leo his verbis indicavit ad Theodosium imperatorem scribendo. *Igitur* (ait) *concilium episcoporum quod propter Flavianum in Ephesina civitate fieri præcepistis, et ipsi fidei probatur obesse, et omnes Ecclesias vulnerare, et hæc a nobis comperta sunt non incerto nuntio, sed ab ipsis reverendissimis episcopis, qui a nobis missi sunt*, etc. Et paulo infra, volens exprimere gravia vulnera Ecclesiis illata, adjecit: *In quo autem judicio non omnes qui convenerant interfuisse cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederunt. Quod nociturum statui suo scirent, nisi imperata fecissent, talemque ab ipso prolatam esse sententiam, ut in omnes per eam sæviretur Ecclesias* (*b*). Hinc gradum facere volens ad tertiam causam, quæ ipsius animum ad habendum novum concilium impellebat, pontificia utens auctoritate, animi sui gravitatem ecclesiasticæ moderationi admiscens, imperatorem ipsum quasi leniter objurgat, quod imprudentibus aurem præbuerit, horumque malis artibus non obviaverit. In ipsius quoque mentem fidei et religionis pericula revocat, tamquam gravissima mala a conscientia removenda, ne Christi Evangelio humana præsumptio vim inferret. Atque tandem exhortationibus supplicationes adjungens, petit ut, abolitis omnibus latrocinii Ephesini Actis, permittat et jubeat omnia in pristinum restitui; *in eo statu* (videlicet) in quo fuerunt ante omne judicium, *donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur, nec alieno vos peccato gravari patiamini.* Ejusmodi vero synodum esse habendum ipse Leo judicavit, *tum quia nostri*, id est apostolicæ sedis legati ob Romanæ sedis violata jura *fideliter reclamarunt, tum quia et iisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit* (*c*). Ad quem autem finem legatorum pontificiorum reclamatio esset directa, nec Launoio, nec Quesnello penetrare difficile erat, si attendissent ad Ephesina Acta in præcedentibus a nobis exposita. Reclamarunt enim contra illa quæ in synodo ipsa agebantur, sine Romani pontificis consensu, institutione, atque mandatis;

(*a*) Videsis S. Leonis epistolam apud Quesnellum 16 ad episcopos Siciliæ, cap. 7, in qua sermo est de concilio quotannis Romæ celebrando; ad quod *terni semper ad diem tertium kalend. octobris fraterno concilio sociandi indissimulanter*, etiam illius insulæ episcopi, occurrere astringebantur.

(*b*) S. Leo, epist. 39, ad Theodosium.

(*c*) Epistola 41 ad Flavianum, et 43 ad Anastasium Thessalonicensem.

reclamarunt ob injuriam apostolicæ sedi illatam, antequam etiam Eutyches absolveretur, et damnatum atque depositum Flavianum audirent; reclamarunt ob vim adhibitam ad extorquenda præsulum suffragia; reclamarunt denique ut impedirent exsecutionem scelestissimorum decretorum ibidem factorum, ut nimirum secundum juris regulas omne judicium in suspensivo staret, quoadusque summi pontificis Leonis, cujus personam agebant, interdictum exspectaretur. Hanc autem reclamationem veram appellationem **401** esse dicendam quis negare audebit; vel cum Quesnello omnia effugia hinc inde quærenti affirmabit Flavianum Theodoretum provocasse, ut dumtaxat Occidentalibus appellatio innotesceret; eumque potius appellationis libello fuisse adeundum, qui et Ecclesiæ totius apex summus, et in fidei causa universalis est veluti procurator? Nova loquendi formula, novum Romani pontificis officium hactenus a nemine quod sciam excogitatum. Sed commentum refellere, etiam sepositis tot sanctissimorum Patrum sententiis qui Romanum pontificem verum legitimumque judicem controversiarum fidei appellarunt, antequam de præsenti tabula manum removeamus, ostendemus.

9. Et quidem si pontificii legati libellum appellationis Flaviani accepissent, ut Leoni tamquam procuratori hujus causæ deferrent, certe S. Leo ante œcumenicam synodum, quam cogere curabat, nullum prorsus decretum aut interdictum tulisset, non irrita et nulla in aliis et aliis suis epistolis Ephesina Acta solemniter declarasset, numquam e medio tulisset tamquam injustam Dioscori et illius synodi sententiam latam in Flavianum, in epistolis scriptis ad Pulcheriam augustam propria auctoritate non dixisset: Flavianus episcopus in nostra et omnium communione persistit. Veluti *procurator*, ipse utique cum Flaviano a synodo excommunicato secundum juris regulas communicare potuisset; sed qua ratione omnes alios Romanæ synodi sacerdotes inducere poterat ad communicandum cum eo? Quid plura? ante œcumenicum concilium novum, quod congregare satagebat, tamquam magni facinoris reum condemnat ipsum Dioscorum: *Magnum facinus* (ait in epistola ad Anastasium Thessalonicensem) *Alexandrino episcopo auctore vel exsecutore commissum est.* Præterea non ipse solus et Romana synodus voluit cum Flaviano communicare; sed etiam epistolas dedit *ad clerum, honoratos et plebem Constantinopolitanam*, ut nullis minis deterriti aut formidine acti, se separarent a legitimo suo episcopo, sequentem summæ auctoritatis addendo declarationem, quod *quisquis incolumi atque superstite Flaviano episcopo vestro, sacerdotium ejus fuerit ausus invadere, numquam in communione nostra habebitur, nec inter episcopos poterit numerari* (a). Quis itaque sine invidiæ fuco animum convertens in totam hanc S. Leonis agendi rationem, poterit sibi suaderi Romanum pontificem vigore illius appellationis, procuratoris personam gessisse? Undenam habemus procuratores causarumque patronos judicia proferre, decreta edere, nullas et irritas præcedentium judicum sententias facere, condemnatos absolvere, rogare, petere, mandare, ut omnia in pristinum statum restituantur in quo erant antequam de causis inquireretur? Ego quidem qui curiam et forum nec a limine salutavi, hæc omnia cohærere posse non video. Cum semper audierim procuratores dumtaxat apud legitimos judices instare posse pro causarum expeditionibus, illas rationes et leges scripto vel verbis in medium adducendo, quæ judicis animum ad veritatis cognitionem prosecutionemque inducere possunt. Sed dicat Quesnellus, a quo, apud quem judicem credidit Leonem institisse, aut instare debuisse, ut Flaviani appellantis causæ patrocinaretur? Apud imperatorem forte, quem enixe rogabat ut juberet novum intra Italiam concilium congregari? Sed Leo instabat, et imperatorem urgebat pro libera et solemni suorum decretorum exsecutione, et universo orbi manifestaretur catholicæ fidei veritas, tot tantisque agitata periculis; jam grassantia per Orientem scandala abolerentur, sanorum fortitudo augeretur, et *morbis, si curari acquiescerent, medicina præstaretur.* Hisce rationibus ductum S. Leonem novum concilium fieri petiisse, testantur illius epistolæ scriptæ ad imperatorem et Pulcheriam augustam, ad clerum et honoratos Constantinopolitanos, ad Julianum Coensem, ad **402** Anastasium Thessalonicensem, ad Paschasinum et Marcianum augustum, quarum epistolarum momenta hic speciatim subjicere supervacaneum ducimus.

10. Non obstantibus tamen gravissimis tantarum rationum momentis, quibus explicatum atque demonstratum est S. Leonem, cum ob legatorum pontificiorum reclamationes, tum ob interpositam a Flaviano appellationem, veras legitimasque judicis partes et officium gessisse, Quesnellus sibi maxime blanditur causam vicisse; ita ut ex epistola 40 Leonis tale validissimum argumentum in suæ opinionis favorem sibi suppeditatum decantet, quo a Flaviano synodum appellatam esse constet, et deinde Leonem, quatenus synodi caput. Artificiosum igitur adversarii ratiocinium inspiciamus. « Cum enim (ait) ex appellatione illius episcopi congregandæ synodi œcumenicæ necessitatem arcessat, sole clarius est appellatam esse synodum, nec alterius auctoritatem pulsatam esse appellationis libello, ut de Latrocinii Ephesini sententia judicium ferret. » Subjicit autem statim Leonis verba, ex quibus præcedens argumentum posse haurire sibi imaginatur. *Quam autem post appellationem interpositam hoc necessario postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur.* « Si enim (addit Quesnellus) ad unum ex Occidentalibus episcopum cum provinciali vel diœcesana synodo provocatum, quidni solus cum suis comprovincialibus judicium adornat? Ut quid omnium Ecclesiarum sacerdotes e suis sedibus dimoventur, si unius judicio possit causa finiri? Cur necessario postulata synodus œcumenica, quando non œcumenica synodus appellata est? Si sedes primaria libello adita est, sedi suæ pontifex litigantes sistat, rem discutiat, episcoporum sententiam postulet, judicium decernat, et causa finita est (b). » Hæc ergo, et id genus alia, pro sua ratiocinandi libidine Quesnellus adjecit, ut ad violentam significationem S. pontificis testimonium traheret; et, quod maxime observandum est, suis partibus Liberatum diaconum favere confingit, qui jam expresse scribit: *Porro locum obtinentes papæ Leonis omnibus quæ gesta sunt contradixerant: Flavianus autem contra se prolata sententia per ejus legatos sedem apostolicam appellavit libello* (c). Veruntamen quoniam potissimum insistit necessitati novæ cogendæ œcumenicæ synodi, tantopere cum *lacrymis* et *gemitibus* a Leone inculcatæ, cum quadragesimam epistolam scripsit ad Theodosium imperatorem, jam non video Quesnellum meliorem fecisse suam causam, cum ea non refellat quæ in præcedentibus adduximus.

11. Atque imprimis adversarium rogare juvat quisnam fuerit qui œcumenicam synodum in tantarum rerum et perturbationum conflictu necessariam esse judicavit? Flavianusne, an summus pontifex S. Leo? Non Flavianus quidem quem apostolicam sedem dumtaxat appellasse vidimus, quemque de

(a) S. Leo, epist. 45 ad clerum, honoratos et plebem Constantinopolitanæ urbis.

(b) Quesnellus, ubi supra, pag. 305, num. 4.

(c) Liberatus diaconus, in suo Breviario, cap. 12. De legatorum autem pontificiorum reclamatione verba facit etiam auctor Breviculi historiæ Eutychianistarum, ut videre est tom. V Conciliorum. Et denique Flavianum, non concilium, sed apostolicam appellasse sedem, constat ex prima act. Chalced. Consule epist. 42 S. Leonis ad Flavianum.

generali synodo nec cogitasse probabile et certissimum est; non solum quia ante quatuor menses strenue se opposuit rumori, quo perferebatur pro sua et Eutychetis causa synodum esse indicendam, sed quia ex Leonis epistolis evidenter colligimus ita suæ appellationis libellum in pontificiorum legatorum manibus deposuisse, ut S. Leonem solum suæ causæ judicem habere vellet et postularet. Satis id indicant S. Leonis verba quæ in epistola 42 legenda occurrunt. Nam, accepto per Hilarum diaconum sancti episcopi appellationis libello, tamquam unicus et supremus illius causæ arbiter ad eum scribens, certiorem reddidit *se nihil pro communi causa eorum quæ agenda sunt prætерire*, *ut primitus* **403** *ad ea quæ universitati fidelium possint pervenire mereamur*. Brevissimam deinde ait se scribere epistolam : sed subjicit in tali tantoque luctus et mœstitiæ statu solatium aliquod posse Flavianum ex istius epistolæ perlatore habere, qui sermonibus *poterit enarrare quidquid est illud ad quod, adjuvante Domino, studio fidei et charitatis intendimus*. Hæc Quesnello, qui S. Leonis scripta illustranda et ornanda assumpsit, objicere haud debuissem, cum eum non possint latere. Sed animadvertat, quæso, Leonem dicentem *pro communi causa nihil prætерire*, voluisse indicare omnem sollicitudinem a se adhiberi ut suæ, Flaviani et totius universitatis fidelium causæ prospiceret. Nec de synodali judicio ad quod causa jure debeat referri unum verbum habet. Neque affirmat synodi habendæ necessitatem intercedere ex canonum regulis illam præscribentibus, quotiescumque a præcedenti synodo aliquis fecerit appellationem. Nam si tritum, vulgare, consuetudine probatum, atque receptum fuisset quod appellationes ad apostolicam sedem porrectæ ad generalem deinde aliam synodum essent deferendæ, S. Leo aliam scribendi formulam adhibuisset, neque Flaviano umquam dixisset quod epistolarum perlator poterit enarrare *quidquid est illud ad quod, adjuvante Domino, studio fidei et charitatis intendimus*. Quis itaque credit opus fuisse Leoni studium impendere pro decernendo medio efficacissimoque remedio, ut mala quæ tum in Ecclesia grassabantur penitus evelleret et aboleret, si canonibus statutum determinatumque jam fuisset appellationum negotia in œcumenicis conciliis esse finienda? An non verba illa, *quidquid est illud quod*, *adjuvante Domino*, *intendimus*, innuunt plenam fuisse Romano pontifici potestatem definiendi, deliberandi, præscribendi modum et ordinem, et remedium ipsum, quibus et fidei collabenti et charitati inter sacerdotes Orientis abruptæ prospiceret?

12. Sed jam S. pontificem Leonem ab illis duabus causis, fidei scilicet et charitatis, adductum fuisse ut œcumenicam synodum, tamquam necessarium remedium adhibendum, ipse decerneret, Quesnellus perfecte intellexisset, si verba ad quæ provocat, et quibus insistit, e sua sede non extraxisset, neglectis cæteris aliis quibus S. pontifex Theodosium imperatorem allocutus est. Rerum ergo omnium infelicissimum statum exponit, indicando Ephesini latrocinii judicium et Acta ad apostolicæ sedis tribunal, tum propter suorum legatorum reclamationem, tum propter episcopi Flaviani appellationem esse devoluta. *Ut quia et nostri fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit*. Ex hoc ergo, quod præmittit, immediate hoc aliud, tamquam necessario apostolicæ sedis juribus cohærens, subjicit : *Generalem synodum intra Italiam jubeatis celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum* (a). Ne vero ejusmodi decretum a se factum Theodosio imperatori injustum aut irrationabile videretur, in ejus mentem revocat summam necessitatem miserabilemque statum Ecclesiarum Orientis. Quarum episcopi, alii turpiter in Ephesina synodo lapsi erant, alii dejecti, alii minis superati, et injuriis affecti, pro quibus omnibus hoc unum, tamquam necessarium remedium, concilium œcumenicum esse adhibendum præscribit. Eo enim solo, subjicit, cuncta ad pristinum veritatis tramitem posse revocari affirmat. Ut qui vel timore acti, vel ignorantia decepti, a fidei et charitatis institutis deviarunt; vel illi quoque qui malitiose sese criminibus inquinaverunt, minime ab Ecclesiæ unitate exciderent, vel separarentur; quoties, mutato consilio, per debitam solemnem retractationem ad pœnitentiam reducerentur. Perpendere ergo opus erat Quesnello sequentium verborum sensum, antequam contra Joannem David cæterosque melioris judicii **404** et doctrinæ scriptores causam vicisse sibi blandiretur. *Convenientibus utique* (ait S. Leo) *Orientalium provinciarum episcopis, quorum si qui superati minis atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur; ipsique quorum est causa durior, si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant. Quam autem post appellationem interpositam hoc necessario postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur...., quæ a totius mundi sacerdotibus constituta, quæque subter annexa sunt.*

13. Patet ergo ad quam dispositionem feliciter pervenire intenderet sanctissimus pontifex Leo; quam quidem nec tamquam injustam, nec malis grassantibus incongruentem, vel imperator, vel alius quispiam reprobare potuisset, ob duo gravissima motiva in jure expressa, quibus summus pontifex insistebat œcumenicum statuendo habere concilium : *alterum* ergo motivum ex genuinis Nicænis canonibus a *totius* mundi sacerdotibus constitutis desumebatur; alterum vero cum ex solemni pontificiorum legatorum reclamatione, tum ex Flaviani appellatione oriebatur. Quæ quidem duo, cum hactenus a scriptoribus distincta non fuerint, liberum deinde fuit ipsis pro arbitrio ratiocinari, et in diversas sententias et opiniones abire, prout iis erit exploratum qui Launoii, Petri de Marca, Quesnelli, Joannis Davidis, aliorumque scripta lustrarunt. Verumtamen aliss et alias horum scriptorum inter se dissidentium interpretationes in præsens hic subjicere supervacaneum arbitramur. Cum eorum nullus S. pontificis scribendi rationem fuerit assecutus; quamvis ad Sardicenses canones unice attendentes, variis divinationibus usi sint, de quibus verba facere in præsens prætermittimus, ut quantum possumus pedetentim in Quesnellianis dictis examinandis studium impendamus. « Non ergo ad unicum (ait) ex Occidentalibus episcopum cum provinciali vel diœcesana synodo provocatum est. » Sed quis cum veritate affirmavit, vel umquam affirmabit, hoc quod sibi imaginatur Quesnellus? Qui tantum bardus et plumbeus sit in hanc sententiam abibit. Nos tamen non ideo Romanum pontificem cum provinciali aut diœcesana synodo appellatum dicimus, quod Romam adventante Hilaro, S. Leonis ad Ephesinam synodum legato, quando anniversarium concilium agebatur, totum negotium Patribus in Urbe congregatis proposuerit, de eo cum iisdem collationem habiturus. Nihil prorsus Patres circa turbatissimum illum Ecclesiarum Orientis statum decrevisse, innotescit. Constat dumtaxat suos amaros ploratus lacrymis atque gemitibus summi pontificis adjunxisse, ut imperatoris Theodosii animum moverent ad liberam faciendam facultatem pro nova œcumenica synodo agenda, quemadmodum jam ipse summus pontifex statim Flaviani appellatione accepta decreverat. Sed addit Quesnellus : Cur necessario postulata œcumenica synodus, quando non œcumenica synodus est appellata? » Et contendit insuper quod in tanto rerum discrimine « si Leonem solum, unicum episcopum Flavianus appellasset, potuisse litigantes ad se vocare, rem discutere, coepiscoporum sententiam postulare, judicium decernere. » Miror sane audire hominem, quem

(a) S. Leo Magnus, epist. 40, cap. 3.

multa eruditione pollere et in ecclesiasticis rebus apprime versatum ii judicaverunt qui suas has in sancti Leonis Opera elucubrationes recognoverunt et approbarunt, ita comminiscentem, nulla prorsus habita ratione ad æquitatis, prudentiæ et justitiæ leges, quibus S. Leo semper ducebatur in suis habendis consiliis et deliberationibus. Purum enim, et rectum, nullaque exceptione subjectum, S. pontificis judicium esse debebat. Cujus robur ab auctoritate potestateque non tantum pendere oportebat, sed ab iis etiam solemnitatibus requisitis ad reparanda in pristinum statum suæ sedis profligata jura, quam reparationem numquam perfecte obtinuisset sine totius universalis Ecclesiæ celebritate. Præterea, quale remedii genus adhibuisset, litigantes ad se vocare, rem discutere, et judicium decernere? **405** Si quæstio Flavianum inter dumtaxat et Eutychetem intercessisset, id forte S. Leo fecisset, quia potestatem plenariam habebat, nec ab aliis et aliis gravissimis rerum circumstantiis et calamitatibus adductus fuisset ad œcumenicam synodum decernendam. Sed dicat, amabo, Quesnellus, quomodo potuisset S. Leo cogere Dioscorum et totam Eutychianam factionem ut coram apostolica sede se sisterent; quomodo nonaginta duos episcopos, qui in Ephesina synodo impiis subscriptionibus captivas manus præbuerunt, ad publicam atque solemnem retractationem reducere potuisset; quomodo denique monachorum Constantinopolitanorum Ægyptiorumque intolerandam audaciam fregisset, ut pœnitentes, abjecta omni superbia et impietate, ab Ecclesiæ unitate non exciderent? Flaviani utique justitiæ et sanctitati debebat summus pontifex necessaria præstare præsidia, sed simul illud remedii genus præscribere, quod cæteris omnibus prodesset; alias cum tot facinorum auctoribus, et horum sociis, catholicorum universitas in Oriente periisset. Igitur poterat prævidere Quesnellus (*a*) ad rem nostram maxime facere, quod ipse de Innocentio primo summo pontifice in S. Joannis Chrysostomi causa, injuria depositi, ex Sozomeno (*b*) descripsit, dicendo : *Œcumenicam synodum convocare studuit*, scribensque ad clericos Constantinopolitanos, quodnam remedium esset adhibendum his verbis inquirebat : *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti afferemus? Necessaria erit synodalis cognitio, quam etiam multo jam antea congregandam diximus. Ea quippe sola est quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest. Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magis Dei ac Christi ejus Domini nostri*. Et postea de eadem synodo a se decreta, ut exsecutioni mandaretur se multum (ait) deliberare, subjiciendo : *Ac nos quidem multum deliberamus quonam modo synodus œcumenica congregari possit, per quam divina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint*. Quis ergo non intelligit suo se gladio jugulare Quesnellum, ad Innocentium papam provocando? Nec enim alia de causa œcumenicam synodum habendam esse sanctissimus pontifex decreverat, nisi quia Chrysostomus illum appellavit.

14. His non obstantibus, noster adversarius alta se sapere sibi blanditur, et duo maximi momenti ex præcedentibus inferri posse contendit. Alterum (ait), quod superius rejecimus, non ad unum pontificem aliquem, sed ad omnes Occidentis saltem episcopos, devolutam esse Flaviani appellationem; alterum legatos sedis apostolicæ, non Romani solius pontificis nomine Ephesinæ synodo secundæ interfuisse, nec alias interesse consuevisse œcumenicis conciliis in Oriente congregatis, sed et omnium Occidentis episcoporum vice, quorum procurationem gerebant, cum per se interesse iisdem non poterant. « Hoc (subjicit) solemne erat Romano episcopo, ut cum primum synodus universalis indicta erat, omnes sui patriarchatus episcopos ea de re admoneret, cogeretque ipse Romæ synodum, ad quam inviti Occidentales confluerent. » Magni nomenti quidem hæc sunt, quæ hominibus nullatenus in Romanorum pontificum historia et rebus versatis vendere quærit. Sed duo illo ad juris et veritatis regulas parumper examinemus, ut inde colligamus undenam hausta sint, et quo titulo appellationes ad unicum summum pontificem factæ ad omnes saltem Occidentis episcopos devolutæ censeantur. Vel ergo credere debet ejusmodi causas esse devolutas ad synodum voluntate et intentione eorum qui appellationes interponunt; vel decreto et dispositione illius unici episcopi ad quem est appellatum. Si primum, igitur qui appellat, suum libellum ad unicum tantum episcopum haud debet dirigere; vel si ad unum tantum libellum dirigit, et velit ab **406** aliis etiam Occidentis episcopis judicari, id necessario debet exprimere. Sed unde colligit Flavianum Occidentalium episcoporum aliquem in suo libello mentionem fecisse? Ex hactenus a nobis et ab aliis scriptoribus annotatis, ad solam apostolicam sedem, et ad unicum pontificem, sanctum Leonem, provocasse exploratum est. Quapropter hic grave, immo gravissimum, pondus haberet illud Joannis Davidis ratiocinium, quo ostendit Flavianum, non Mediolanensem, aut Aquileiensem, Ravennatensem, Arelatensem, Lugdunensem; sed Romanum episcopum solum, hujusque legatis reclamantibus, libellum appellationis tradidisse. Restat ergo ut Flaviani causa dumtaxat devolvi debuisset ad Occidentale concilium voluntate et decreto S. Leonis. Sed quid supremæ auctoritati Romanorum pontificum derogat, si ipsi hoc vel illo ordine, modo, solemnitateve negotia discutere, examinare, expedire statuerint? An non possunt in suæ sollicitudinis consortium accire aliquos et multos Occidentis episcopos, ipsisque seriem totam gerendarum rerum patefacere et exponere, horumque etiam suffragia adhibere, ut nihil judiciorum solemnitati deesse videatur, quam S. Leo indicare voluit ea scribendi formula : *Leo, et sancta synodus, quæ Romæ convenit* (*c*).

15. Gravioris tamen momenti est altera illa fallacia, quam idem Quesnellus subjecit, qua unice usus est ad Romanorum pontificum auctoritatem elevandam, et inter angustissimos limites restringendam. Quapropter eum rogare oportet undenam hauserit S. Leonis legatos ad istud munus fuisse assumptos totius Occidentalis synodi mandato et delegatione? Eos autem e suo latere S. Leonem misisse, quocumque alio episcopo inconsulto nobis persuadent illæ scribendi formulæ : *Quos e latere meo misi ; qui vice mea sancto conventui vestræ fraternitatis intersint ; qui vicem præsentiæ meæ implere sufficerent*, et aliæ hujusmodi, quas frequenter offendimus in epistolis, cum ante tum post Ephesinam synodum scriptis. Vel ergo Quesnellus dare debet in solo Romano episcopo totius Occidentis synodi auctoritatem residere, vel legatos illos solius Romani pontificis personam gessisse. Si primum, jam Romanus pontifex solus totius synodi habet auctoritatem, potest solus statuere, definire, judicare, decernere; illiusque decreta tantam vim roburque obtinebunt, quantam assequerentur si a tota Occidentali synodo essent pronuntiata. Idem sequitur si legati solius Romani pontificis personam agebant. Igitur utroque jugulo se perstringit Quesnellus hanc novam fallaciam proponendo. Alterutrum enim cum dare debeat, coactus erit fateri legatos illos solius S. Leonis personam gessisse. Sed legatos, de quibus agimus, ab Occidentali episcoporum synodo mandatum accipere non debuisse perspicuum est. Vidimus enim in præcedentibus non potuisse sanctum Leonem Magnum Occidentalium sy-

(*a*) Quesnellus, eadem dissertatione, pag. 306, num. 4.
(*b*) Sozomen. lib. VIII, cap. 16.

(*c*) Leo Magnus epistola ad Theodosium 26, ad Ephesinam synodum 32 et alibi passim.

nodum cogere, etiamsi voluisset. Labente enim mense Maio, Theodosii epistolas accepit pro synodo Ephesina habenda, et ipse incunctanter ablegatos ad illam destinavit, ut constat ex ipsius epistolis ad Flavianum, Theodosium, Julianum Coensem, Pulcheriam Augustam, et ad ipsam Ephesinam synodum, idibus Junii scriptis. An ergo paucorum dierum cursu potuisset concilium Occidentalium episcoporum indicere, agere, et absolvere, ut nimirum hujus auctoritate legati muniti ex Urbe Orientem versus proficiscerentur? Dicat sodes Quesnellus an ipse in evolvendis et adornandis S. P. scriptis hoc argumentum præviderit; et si prævidit, quomodo illud eripere cogitaverit?

16. Non illud quidem eripere possunt duo illa figmenta quæ ad eludendos lectores subjecit, contendendo semel iterumque id factum fuisse a Romanis pontificibus, vel quando œcumenicum concilium sub papa **407** Cœlestino erat agendum, vel quando Occidentalium legati ad sextam synodum se conferre debuerunt. Notavit ergo primo quod S. Cyrillus in Ephesino concilio, legatorum sedis apostolicæ sententiam resumens, sic loquitur : *Deposuerunt enim supplentes locum sedis apostolicæ, totiusque synodi sanctissimorum Deoque dilectissimorum Occidentalium episcoporum*. Et in relatione missa ad imperatorem : *Piissimus magnæ vestræ Romæ archiepiscopus, et universa Occidentalis synodus per sanctissimos episcopos quos ad nos ipsa misit*, etc. (a). Idem (addit) : « Manifestum est ex concilii sexti Actis, ubi episcopi Portuensis, Paternensis et Rhegitanus locum tenere dicuntur concilii antiquæ Romæ, in quo centum et viginti episcopi convenerant. Hinc sæpe sæpius cum pontifex noster legatos ex synodo mittit, non suo tantummodo, sed et concilii nomine scribit in hunc modum : *Leo, et sancta synodus, quæ Romæ convenit*, etc. » Hactenus Quesnellus, qui veritatis colore aut lectori fucum facere voluit, aut historias ad quas provocavit prorsus nescire indicavit. Ut utrumque explicemus, minime inficiamur Romanos pontifices, quandoque accepta occasione, multorum episcoporum ad Urbem venientium, cum anniversaria synodus habenda erat, vel cum ad sanctorum apostolorum limina ipsi accedebant, ab apostolica sede de suarum diœceseon rebus et negotiis consilium accepturi, conventus celebrasse, vel in consuetis synodis quotannis recurrentibus ea proponere consuevisse quæ ex Oriente ad ipsos delata erant. Idque potissimum, si agebatur de novis hæresibus damnandis, horumque auctoribus præcavendis : ne error videlicet aliquis sensim induceretur, quo simplicium corda perverti possent, neve cum læsæ fidei hominibus communicarent. Tum enim in utroque casu, cum juris, tum facti quæstiones in synodis Romæ habitis discutiebantur, quarum resolutiones Romanus pontifex, tamquam firmissimas regulas ab omnibus sequendas, etiam ad Orientalium synodos vel episcopos mittebat. Id evenisse in causa Nestoriani dogmatis, antequam œcumenica Ephesina synodus cogeretur, evidentissime S. Cœlestini pontificis epistolæ ad S. Cyrillum Alexandrinum demonstrant (b). In quibus mandat ut nisi Nestorius, intra decem dierum intervallum, tam verbi prædicatione ad populum quam scriptis palinodiam recantet, anathemate illum feriat, aliumque episcopum Constantinopolitanæ sedi præficiat. Id vero in dubium revocari non potest a nostro adversario. Cum in synodo hoc anno celebrata non actum sit de legatis in Orientem mittendis pro œcumenico Ephesino concilio habendo. Apostolicæ ergo sedis legati, de quibus agit Quesnellus, instituti fuerunt in altera Romana synodo, anno sequenti pariter celebrata in causa Nestorii. Et cum primum oculos conjeci in illa verba Ephesini concilii, quibus ipse adversarius noster insistit, gravi suspicione ducebar rem aliter exposuisse ac se habuit. Nec suspicione me esse deceptum deprehendi. Cum videlicet lustratis Actis Romanæ synodi, a Cœlestino anno quadragintesimo trigesimo primo coactæ, apprime intellexi, non tantum Quesnelli ædificium labare, sed prorsus corruere. In istius ergo concilii Actis, ut sapientissime etiam clariss. Stephanus Baluzius notavit, duas classes, ut ita dicam, seu ordines legatorum offendimus. Nam alii utique fuerunt a synodo Romana instituti, pro exsecutione damnationis latæ in Nestorium; alii vero fuerunt ab ipso Cœlestino papa electi, ut ejus vices et locum in œcumenica synodo tenerent. Unus ex legatis S. Cœlestini fuit Cyrillus archiepiscopus, seu patriarcha Alexandrinus; alter vero fuit Philippus, presbyter Romanus. Hunc pontifex e suo *latere misit*; S. Cyrillo vero, qui numquam Romam ad synodum venit, post longum litterarum commercium, **408** suam et apostolicæ sedis legationem in œcumenica synodo agere demandavit. Et quoniam synodi Romanæ decreto fuerat statutum mittendam esse legationem ad Ephesinam synodum, idcirco *ad idque munus obeundum delecti Arcadius et Projectus episcopi, qui totius sanctæ synodi Occidentalis sententiam exponerent*. Poterat ergo videre Quesnellus non eosdem fuisse legatos papæ Cœlestini, et synodi Occidentalis. Potuisset quoque intelligere prioribus illis legatis demandatum fuisse munus agendi personam summi pontificis, hujusque locum tenendi; postremos autem destinatos fuisse, ut *totius Occidentalis sanctæ synodi sententiam œcumenico concilio exponerent*. Diversitas ergo hæc personarum et legationum plane evertit illud Quesnellianum commentum, quo auctor contendebat legatos apostolicæ sedis omnium Occidentalium nomine interfuisse synodo, omniumque personam egisse.

17. Hanc deinde diversitatem pariter ex Actis Ephesini generalis concilii colligimus : neque urgemur verbis S. Cyrilli a Quesnello recitatis. Nam S. Cyrillus quamvis ibidem distinctam non faciat mentionem singulorum legatorum, tamen sine nominum expressione indicat eos qui apostolicæ sedis locum tenebant, et deinde eos quos Occidentalis synodus sub Cœlestino coacta instituerat; idcirco dixit : *Deposuerunt enim supplentes locum sedis apostolicæ, totiusque synodi sanctissimorum Deoque dilectissimorum Occidentalium episcoporum* (c). Utrosque autem legatos suam operam impendere debuisse æquanimiter pro apostolicæ sedis juribus, patet ex commonitorio quod idem S. Cœlestinus ipsis dederat, præcipiendo ut Ephesum convenientibus, ad S. fratrem et coepiscopum nostrum Cyrillum consilium omne converterent, et quidquid in ejus viderent arbitrio facerent (d). Subjecit deinde : *Et auctoritatem apostolicæ sedis custodire debere mandamus*. Quemadmodum tandem se gerere in ea synodo debuissent, ipse hisce verbis indicavit, videlicet, *ut si forte ad disceptationem fuerit ventum, vos de eorum sententiis debeatis judicare, non subire certamen*. Voluit Cœlestinus hocce commonitorio prospicere suæ sedis et totius Occidentalis synodi honori et auctoritati, atque in iis personam agere supremi ecclesiasticarum rerum et fidei dogmatum judicis, qui jam Nestorii causam Romæ finierat, nec aliquid amplius quam exsecutio latæ in ipsum Nestorium sententiæ desiderabatur. Non mirum ergo si ex laudati commonitorii epigraphe intelligamus, æquanimiter præfatæ Romani pontificis et Occidentalis synodi sententiæ exsecutionem inculcatam fuisse *episcopis et presbyteris euntibus ad Orientem*. Omnes enim cum Cyrillo operam subire debebant ut Romani pontificis vota implerentur.

(a) Ephesinum œcum. concil. parte II, act. 3.

(b) Epistola Cœlestini exstat tom. III Concil., parte I Actorum concil. Eph. Baronius, anno 430, num. 1 et seqq.

(c) Tom. III Conciliorum, pag. mihi 559, ex nova Baluzii collectione.

(d) Hocce S. Cœlestini commonitorium exstat tom. III Conciliorum generalium, pag. mihi 560.

18. Lubenter tamen darem tantam inter præfatos legatos diversitatem ex præcedentibus colligere non potuisse Quesnellum, vel quod nimis properanter concilii Ephesini Acta lustravit, minime recogitando an gestorum series suis interpretationibus suffragaretur; vel quia, studio ductus novæ propugnandæ opinionis, sui amanuensis dictis indulgendo, sibi blanditus est, præter Occidentalis synodi legatos non alios ad œcumenicum concilium Ephesinum missos fuisse qui Cœlestini papæ personam agerent et ejus locum tenerent. Sed eum vix excusatione dignum reputare possum, quod non animadverterit ad id quod in eadem actione, in præcedenti, et in subsequentibus omnino perspicue indicatum est. In iis enim frequentissime sermo occurrit de Philippo presbytero Romano, qui locum Cœlestini tenebat, et legationem pro apostolica sede agebat. Deinde sermo est de duobus episcopis, Arcadio nimirum atque Projecto, qui tamquam *Romanæ Ecclesiæ legati* nominantur. In his actionibus quoque, qui **409** ad interloquendum primus assurgebat, erat Philippus, cui primus locus dabatur; quique et vigore legationis qua fungebatur, Cœlestini quidem locum tenebat, et propterea in iis Actis: *Philippus apostolicæ sedis presbyter et legatus dixit.* Arcadius vero et Projectus, quamvis in majori clericali gradu constituti, post Philippum interloquebantur, atque ad horum delegationem significandam sequentia verba concilii notarii adhibebant. *Arcadius episcopus et Romanæ Ecclesiæ legatus dixit.* Et rursus: *Projectus episcopus et Romanæ Ecclesiæ legatus dixit.* Ad quam formularum loquendi et scribendi diversitatem cum ego animadvertissem, plane intellexi totum Quesnelli præcedens ædificium pessumdatum esse, atque ad nihilum redactum. Potissimum si perpendamus, Philippum ipsum, secundo interloquentem, petiisse ut S. Cœlestini papæ epistolæ in synodo legerentur, quibus recitatis, gratias œcumenico concilio agit, et paucis Romanorum pontificum jura, prærogativas et in tota Ecclesia principatum prædicat (*a*). Deinde quia, multis tempestatibus agitatus, atque vexatus, præstituta die non potuit ad Ephesum pervenire antequam synodum generalem aggrederentur, et jam prima actio adhuc ipso Arcadio et Projecto episcopis absentibus fuerat absoluta, rogavit ut quæ gesta erant explicarent, ut videlicet auctoritate sibi data a Rom. pontifice possent confirmari. Non absimilia quoque in laudem Romani pontificis, divi Petri successoris, in altera actione prædicavit, adjungendo: *Nos ipsius præsentiam supplentes, ad sanctam synodum misit* (*b*).

19. Jam vero inquiramus an concilii sexti Acta Quesnelli opinioni possint suffragari. Sed in hac parte quoque a mendacio contra apertam veritatem ipsum Quesnellum stetisse, prodit Romana synodus ab Agathone coacta in Monothelitarum causa. In hac enim synodo, quamvis electi fuissent tres illi legati, videlicet Joannes Portuensis, Abundantius Paternensis, et Joannes Regiensis, seu Regitanus, tamen summus pontifex suis juribus consulere voluit, et huic publicæ legationi suam adjunxit. Ad hoc ergo munus obeundum delegit Theodosium episcopum, et Georgium presbyterum, Joannem diaconum, et Constantinum subdiaconum, quibus, ut ait Anastasius Bibliothecarius, suo solius nomine epistolam quamdam dedit ad imperatorem conscriptam. Itaque duplex quoque legatio admittenda est pro sexta generali synodo. Ne vero Anastasii Bibliothecarii testimonium, aut tamquam supposititium, aut male interpretatum existimetur, Acta ipsius sexti concilii, quamvis a Græcis interpolata atque corrupta in Honorii et apost. sedis odium, ea tamen in medium adducere juvabit, ex quibus evidentissime veritatem de qua agimus demonstrabimus. Nam omnium primi qui synodi generalis Actis subscripserunt, fuerunt Agathonis legati. Legimus enim: *Theodorus, humilis episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum gerens Agathonis ter beatissimi et universalis papæ urbis Romæ, subscripsi.* Non absimili usi sunt subscribendi formula alii duo ejusdem Agathonis legati, quamvis non essent in episcopali ordine constituti. Hi autem ante quoscumque episcopos vel episcoporum legatos immediate post Theodorum sic subscripserunt: *Georgius, humilis presbyter* **410** *sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et locum gerens Agathonis ter beatissimi et universalis papæ urbis Romæ, subscripsi.* Atque tertio loco tandem iisdem subscripsit Joannes diaconus, ejusdem Agathonis legatus. Si vero Romanæ synodi legatorum subscriptionem conspiciamus, certe valde diversam fuisse inveniemus. Nono enim loco, Joannis Portuensis episcopi nomen cum sequenti formula descriptum est: *Joannes, indignus episcopus sanctæ Portuensis Ecclesiæ, legatus totius concilii sanctæ sedis apostolicæ urbis Romæ, definiens subscripsi.* Tandem duodecimo et tertio decimo loco subscriptiones duorum aliorum legatorum ejusdem synodi Romanæ sub præcedenti formula regestæ sunt. Unde ergo habet Quesnellus Romanorum pontificum legatos in œcumenicis synodis totius Occidentalis concilii personas egisse et agere consuevisse? Unde colligit apostolicæ sedis legatos, non solius Romani pontificis nomine œcumenicis conciliis in Oriente congregatis interfuisse, sed omnium Occidentis episcoporum vice, quorum procurationem gerebant, cum per se interesse iisdem non poterant? Duo profecto illa exempla ab eo conficta prorsus contrarium probant. Et idcirco arbitrari licebit Quesnelli animum, non ecclesiasticæ historiæ factis insistentem, veritatem exquirere voluisse, sed potius huc illucque vagatum abiisse, somniantiumque nugis adhæsisse, qui dormientes sibi imaginari solent jam invenisse quidquid vigilantes maximis in votis habuerunt (*c*).

20. Vim tamen roburque præcedentes nugas obtinere posse adhuc sibi blanditus est Quesnellus. Et propterea, a proposito non abscedens consilio, provocat ad epistolam 77 sancti Leonis, quæ ad Galliarum episcopos scripta est. Sed præ oculis minime habere curans scopum, tempus occasionemque quibus pontifex adductus hanc epistolam conscripsit, stylum vertit in Joannem David, hunc exagitat, quia scripserat: « Cum ex eo quod legatis traditus dicebatur appellationis libellus, ad Leonem unum provocatum esse a Flaviano asseruit. Subjicit statim: Siquidem ex dictis patet non solius pontificis personam gessisse legatos, sed omnium Occidentalium; ac proinde ad eos omnes delatam esse appellationem, quorum nomine intererant synodo. » Ecce novum Quesnelli somnium (*d*). Jam sibi imaginatur adversarium David vicisse; canit victoriam, quod probaverit

(*a*) Philippus presbyter et apostolicæ sedis legatus dixit: « Gratias agimus sanctæ venerandæque synodo quod litteris sancti beatique papæ nostri vobis recitatis, sancta membra, sanctis vestris vocibus, sancto capiti, sanctis etiam vestris exclamationibus vos adjunxistis...... Non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei vel etiam apostolorum caput esse beatum apostolum Petrum. Proinde cum nostra mediocritas multis tempestatibus jactata et vexata serius accesserit, rogamus ut ea nobis patefieri mandetis quæ ante adventum nostrum in sancta hac synodo acta sunt, quo juxta beati papæ nostri, præsentisque hujus sancti cœtus, sententiam, nos quoque confirmemus, conformiter eorum depositioni. Act. 2 Ephesini concil., tom. III, pag. 1150 et seq.

(*b*) Consule etiam ejusdem Philippi presbyteri depositionem, actione tertia factam, pag. 1154.

(*c*) Anastasius Bibliothecarius, in Agathonis Vita. Consule novissimam clarissimi P. Josephi Blanchini editionem, tom. III. Vide pariter tom. VII Concil., pag. 1063.

(*d*) Quesnellus, in laudata dissert. 8, num. 5, pag. 307.

appellationes ad unicum Romanum pontificem ecclesiasticæ consuetudini et synodorum juribus repugnare, cum potius lugere debuisset cladem sibi imminentem, ob gravissima commenta forte artificiose congesta, ad Romanorum pontificum auctoritatem elevandam et dejiciendam. Interim vero quid dicendum sit de epistola S. pontificis ad Galliarum episcopos, nostra scribendi ratio haud permittit referamus. De ea enim agemus in altero tomo Operum S. Leonis, vel hujus gesta recensentes post Chalced. concilium, ne temporum rationes confundere videamur. Dumtaxat in præsens annotamus nullam in ea fieri mentionem de Flaviani appellatione, circa quam nostra controversia versatur. Galliarum episcopos dumtaxat certiores facit de accepta ipsorum fidei professione synodaliter habita, qua subscripserunt epist. dogmaticæ de Verbi incarnatione, quam jam pridem tamquam certam fidei regulam a cunctis sequendam scripserat ad Flavianum. Gratias agit Deo quod summa consensione absque concertationum strepitu evangelicæ apostolicæque traditioni adhærere delegissent. Nec unum verbum offendimus quod Quesnellianæ causæ jam prorsus pessumdatæ patrocinetur.

21. Opus erit igitur ad alia gradum facere, quæ nobis occurrunt ejusdem dissertationis numero sexto, in quo sermonem orditur a Nicænis canonibus a S. Leone in præfata epistola 40 laudatis. Notat primo ad marginem : *Ex Sardicensibus canonibus a Leone laudatis male arguit David.* **411** Et deinde in corpore ejusdem capitis, ad eumdem David alludens, ait : « At vero, inquit ille scriptor, S. Leo Nicænorum, id est hoc loco, Sardicensium canonum auctoritatem profert, ut ex appellatione Flaviani postulationis suæ æquitatem asserat. Nullam porro appellationem commemorant Sardicenses canones præter eam quæ Romanum episcopum unice spectat. Quare vel synodi decretis male et extra causam abutitur S. Leo, inquit ille; vel appellationem Flaviani sibi sensit devolutam. » Infirmis hisce fulcimentis Davidis causam sustentari posse, in comparatione argumentorum contrariorum a se propositorum, Quesnellus adversarius negat. Et quoniam in Nicænis canonibus nulla mentio de appellationibus occurrit, David quasi irridet, quod cum aliis scriptoribus divinatione uti voluerit. Non invitus tamen concedit Sardicenses canones, alieno hic nomine vestitos, adductos fuisse a Leone ut necessitatem œcumenici concilii argueret. Si hæc autem argumentandi ratio staret, nemo (ait) qui non Leone indignam existimet. Argumentum postea, quod in scholis *syllogismus* appellatur, ad David perstringendum subjicit. Et quemadmodum facere solent pueri illi qui in primis dialecticen institutionibus se exercent, ait : « Vides, mi David, quam absurda sit illa major cui inniti necesse est argumentationem tuam? » et contendit subinde syllogismum juxta Davidis methodum pro arbitrio a se compositum et explicatum, alia ratione esse disponendum, ut inde eliciatur potius ex Sardicensium canonum decreto congregandum esse concilium, in quo appellatio discuteretur. Pergit postmodum, scholasticorum methodum secutus, « unum esse supponendum, » quod a Davidis mente putat alienum, et maximi esse momenti arbitratur, nimirum, « pontifici fuisse persuasum quod cum Sardicensis synodus episcopis appellandi ad sedem apostolicam seu ad Romanum episcopum potestatem fecit, non ad episcopum solitarie sumptum, sed ad eum suarum diœceseon episcopis septum, deferri voluit appellationem, nec aliter judicandam censuit quam ab Omnibus occidentalibus episcopis sub patriarcha congregatis. » Quare incassum quidem omnes sui studii nervos intendit, ut propositum sibi

A systema tueatur. Subjicit deinde illa S. Leonis verba Theodosium imperatorem urgentis : *Convenientibus utique Orientalium provinciarum episcopis*, et addit : Tunc enim vitiosum non erit pontificis ratiocinium, ita Augustum urgentis, sed potius dialecticæ canonibus omni ex parte congruet. Quod ut demonstretur, S. Leonis enthymema in syllogismum resolvi debet, ex quo quid ipse in mente habuerit, quidque necessario supplendum sit, nemo sole meridiano clarius non videat.

22 Pulchrum quidem ædificium, solo veritatis colore depictum; sed cum male materiatum sit, prorsus ruvinosum iis apparere debebit qui non solas rerum facies contemplari solent, quin potius res prout in veritate constructæ sunt scrutari et intueri satagunt. In præsens igitur missum faciam subsequentem illum syllogismum a Quesnello constructum ut David perstringeret. In quo conficiendo cum Quesnellus falso laboraverit supposito (ut scholæ loquuntur), non tantum labat, sed prorsus concidit.
B Nec mihi objiciatur David, qui Nicænorum canonum nomine Sardicenses intellexit, et ad eos provocavit. Sed cur hos Sardicenses canones David in medium adduxerit Quesnellus dissimulavit. Contra Launoium autem, cæterosque aliosque hujus opinionis suffragatores (*a*), David causam agebat; idcirco hos perstringere volens, iisdem principiis primo **412** eum insistere oportebat, et horum refellendo opiniones, saltem probare cogebatur, *ecclesiastici juris* vigore, Flaviani appellationem ad solum et unicum Romanum pontificem, non ad Occidentalem synodum, esse devolutam. Quare ergo David in crimen vocari possit, haud video. Cum criminis notam potius ejus adversarii et Quesnellus maxime, subire debeant, qui S. pontificis loquendi rationem agendive œconomiam minime asseculi sunt. Ut itaque mentem S. pontificis assequamur, duo distinguenda sunt, quorum neutrum ad Sardicenses canones referri debet; sed unum ad jus divinum, alterum vero ad quintum
C et sextum Nicænum canonem, ad quos provocasse potissimum S. Leonem nostra sententia est. Nam jus ad appellationes suscipiendas, et appellantium episcoporum potissimum causas cognoscendas, Romani pontifices non tantum ex canonum decretis, sed ex divina institutione acceperunt. Quare ipsis solis postmodum incubuit, post acceptos appellantium libellos, illud judiciorum genus decernere atque statuere, quod rerum necessitati, temporum vicissitudinibus (quibus quandoque ob irregulares motus potestatum sæculi eos servire oportuit) atque Ecclesiarum utilitati, sacerdotumqne tranquillitati magis congruum et necessarium arbitrabantur. Hinc minime mirari debemus quod quamvis post acceptas appellationes in eorum stet potestate hoc vel illud remedii genus eligere atque statuere, ad illud se determinant quod sacris canonibus magis consonum est, quodque fidelium universitati, non paucorum utilitati, dumtaxat, prospiciat et prosit. Cum itaque Ec-
D clesiarum Orientis status talis esset qualem latrocinium Ephesinum fuisse declarat, idcirco sanctissimus pontifex noster utrumque jus, divinum et ecclesiasticum nimirum, præ oculis habens, voluit vigore illius acceptæ appellationis decretum interponere atque statuere, omnium Orientalium causas in novo generali concilio solemniter esse tractandas atque finiendas. Pro qua quidem habenda synodo tales præscripsit regulas, quæ violatæ suæ sedis jura per Dioscori impotentiam repararent, et universali Ecclesiæ prodesse posse judicavit. Id plane indicant illa Leonis verba a nobis in superioribus exposita, quorum priorem partem dumtaxat, paulo ante Quesnellus objecit, suæ perditæ causæ patrocinari posse arbitratus.

(*a*) Launoius, Epist. parte II, epist. 3, pag. mihi. 3, ubi contra Bellarminum, quem in epistola scripta ad Boetium de S. Victore exagitat, tres Sardicenses canones, tertium nimirum, quartum et septimum, exscribit, quibus Gelasium papam in epistola ad Dardaniæ episcopos institisse asseverat.

23 *Convenientibus utique Orientalium provinciarum episcopis, quorum si qui superati minis atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur; ipsique quorum est causa durior, si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant. Quam autem post appellationem interpositam hoc necessario postuletur, canonum Nicænæ habitorum decreta testantur, quæ a totius mundi sunt sacerdotibus constituta, quæque subter annexa sunt* (*a*). Subjicit Quesnellus: « Ita enim obscura sunt apud plerosque decreta illa Nicææ habita, quæ a S. Leone laudantur, ut nihil obscurius. Nihil quippe tale legitur inter Nicænos canones; et ad Sardicenses confugere cogitur David, quos sub Nicænorum nomine citatos a Leone divinat, ut a multis ante ipsum divinatum est. Verum hoc non inviti concedimus, Sardicenses canones alieno hic nomine vestitos adductos esse a Leone, ut necessitatem concilii œcumenici argueret. » Hactenus Quesnellus, qui pro suo arbitrio indiscrete David exagitans, duos illos syllogismos subnectens, quorum unum David ex suis principiis composuerat, alium vero ex suo cerebro ipse Quesnellus contexuit ad infirmandam prorsusque dejiciendam Davidis aliorumque cordatorum virorum sententiam; laborat tandem inquirendo dumtaxat ex Sardicensibus canonibus S. pontificis mentem. Tres Sardicenses exscribit canones; tertium videlicet, quartum et septimum, et ad hos præcedentia S. Leonis verba referenda esse contendit. At tempus **413** et operam perdidisse Quesnellum, mecum sine ulla prorsus dubitatione judicabunt qui non tantum postremis S. pontificis verbis hærere velint, sed ad totius contextus texturam, ordinem verborumque significationem animo attendere non recusabunt. Quæ quidem omnia, si cum Nicænis conferantur canonibus, jam prorsus illæ multorum divinationes cessabunt, in quas plerique inciderunt, apud quos, Quesnello auctore, decreta illa ita obscura habita sunt, ut nihil obscurius queat desiderari aut inveniri.

24 Age ergo, quintum Nicænum canonem subjiciamus. *De his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet vitio episcopi videantur a congregatione seclusi. Ut ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut, communiter omnibus simul episcopis provinciæ congregatis, discutiantur hujusmodi quæstiones, et sic qui suo peccaverint, evidenter episcopo excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usquequo episcoporum congregationi placeat* (*b*). Conciliorum collectores ad marginem posuerunt: *Vel in communi, vel episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam*, etc.

25. Conferat jam modo Quesnellus, qui S. Leonis Opera novis typis illustranda proposuerat, an S. pontificis imperatorem urgentis verba cum hujus canonis decreto aliquam affinitatem habeant; ea tamen ratiocinandi formula servata, quam scholæ a minori ad majus appellant? Quid enim habet Leo iis in verbis quod huic canoni non respondeat? Agitur hic de laico vel clerico exciso, et e gradu suo ejecto per oppressionem, vim atque judicis tyrannidem. Leo autem episcoporum causam pertractat, *qui superati minis atque injuriis, a veritatis tramite deviarunt solemniter*. Concilium de quibusdam malis in una sola provincia grassantibus, de laicis vel clericis irregulariter excommunicatis; de episcopis tandem vim atque tyrannidem exercentibus disserens, tamquam remedium adhibendum, provincialem congregandam synodum præscribit, in quo *decentius de causa inquiratur, et discutiantur hujusmodi quæstiones*. Sanctus pontifex vero, non ad unius provinciæ quæstiones pertinentes discutiendas per appellationis libellum interpellatus, sed provocatus ad totius Orientis scandala abolenda, ad catholicorum fidem tuendam, atque ad vindicandos ab injusta oppressione sanctissimos episcopos per vim, furorem, atque impotentiam excommunicatos atque dejectos, generalem synodum fieri postulat; hancque tamquam remedium necessario adhibendum præscribit, *ut salutaribus* (ait) *remediis in integrum revocentur*. Nicænum concilium tandem statuit ut cum iis quos synodus rationabiliter ab episcopo fuisse excommunicatos æstimabit nulla indulgentia adhibeatur *usquequo totius synodi consensione vel episcopi voluntate placuerit humaniorem pro talibus ferre sententiam*. Similiter S. Leo loquens de iis episcopis qui malitiose in latrocinali synodo Ephesina, odio vel antiquis æmulationibus excitati, prævaricati fuerunt, *quorum erat causa durior*, si per resipiscentiam *melioribus* vellent *consiliis* acquiescere, ab *Ecclesiæ unitate* non esse excidendos præscripsit. Dicat, amabo, Quesnellus, an hoc Leonis decretum apprime respondeat Nicænis canonibus? Assignet discrimen.

26. At jam discrimen assignasse Launoium et Quesnellum aliqui respondebunt, dicentes sancti Leonis Magni dicta minime Nicænis decretis respondere, cum horum nullus appellationum faciat mentionem. **414** Hanc enim de appellationibus sententiam cum non nisi confuse ex tribus illis Sardicensibus canonibus colligamus, idcirco merito consequitur S. pontificem ad canones istos Nicænorum nomine vestitos respexisse. Sed isthæc responsio quid conficit? Alium enim sensum Leonis verba subire iis exploratum esse debet qui in evolvendis S. pontificis scriptis versantur. Etenim ipse non asseruit sibi convenire jus suscipiendi episcoporum provocantium causas, eas examinare et definire canonum vigore; sed præscribendi illud remedii genus quod afflictis Orientis rebus, fidei periclitanti, hujusque oppressis defensoribus unice succurrere et prodesse poterat. Hoc est illud quod *post appellationem interpositam necessario postulatum est, quemadmodum canonum Nicææ habitorum decreta testantur*. Supponit itaque hic appellationum jus alia ratione sibi deberi; easque non propter canonum decreta posse et debere suscipere, sed jus illud a divina institutione derivari, propter quam ejus ecclesiasticarum rerum administratio per universum orbem extendebatur. De hac sibi commissa divinitus cura verba facit multis in epistolis. Sed scribens ad Anastasium episcopum Thessalonicensem, quem in suæ sollicitudinis consortium assumpsit, vices sui moderaminis delegando, non aliam assignat rationem, nisi hanc: *Ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus*. Et ultimo capite ejusdem epistolæ, varios episcoporum gradus distinguens, quorum alii in minoribus, alii in majoribus provinciarum urbibus constituti sunt, qui minorem vel ampliorem sollicitudinem susciperent: *Per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confueret, et nihil usquam a suo capite dissideret*. Similem quoque loquendi formulam offendimus in epistola ad Palæstinos monachos, quam his verbis orsus est: *Sollicitudini meæ, quam universali Ecclesiæ omnibusque filiis debeo, multorum relatione patefactum est*. Ad quod onus gravissimum sibi a Deo impositum in anniversario suæ assumptionis serius animadvertens, omnium et singulorum episcoporum administrationem *sui laboris esse portionem* asseverat, *ut dum* (ait) *ad beati apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis Ecclesiæ a Domino eidem commendata dilectio etiam ex nostra dispensatione deposcitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto*

(*a*) S. Leonis epist. 39 et 40.
(*b*) Canon iste 5 Nicænus juxta Dionysii Exigui interpretationem exstat tom. II Concil., pag. mihi 44.

cunctis majora debemus (a). Hanc autem universalem A curam quandoque, immo etiam frequentissime, Leonem independenter a quacumque synodo in Orientalium causis exercuisse, vel exercendam reservasse, perspicue innotescit ex quadam epistola scripta ad Anatolium, in qua agens de iis *qui in Eutychetis causa gravius peccaverant, et ob hoc superiorem sibi locum in eadem infelici synodo* (intellige Ephesina) *vindicarunt, ut humiliorum fratrum simplicitatem arrogantiæ suæ præjudiciis aggravarent, si forte resipiscunt, et a facti sui defensione cessantes in condemnationem proprii convertuntur erroris, horum si satisfactio talis accedit, quæ non refutanda videatur, maturioribus apostolicæ sedis consiliis reservetur; ut, examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat æstimetur* (b). Tanti deinde ponderis hanc judicii reservationem sibi factam esse voluit S. Leo, ut nec Anatolio, nec Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyteris licitum foret lapsorum nomina ad altare recitare, priusquam pontifex ex rerum processu decrevisset eorum pœnitentium satisfactionem esse admittendam. Subdidit enim statim: *Neque prius in Ecclesia cui te Dominus voluit præsidere cujusquam talium, ut ante jam scripsimus, nomen ad altare recitetur, quam quid de iis constitui debeat rerum processus ostendat.* Epistolam tandem claudit dicendo se de omnibus in nova synodo Chalcedonensi agendis et exsequendis suos, quos e latere **415** miserat legatos edocuisse. Verum si aliquid deliberandum contingeret præter ea quæ in commonitorio descripserat, cuncta sibi referri postulat, ut quid observandum sit sollicite constituere possit. *Ac si de aliquibus* (ait) *amplius fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur; ut, pertractata qualitate causarum, nostra quid observari debeat sollicitudo constituat.*

27. Ex præmissis itaque Quesnellum aliosque ipsius suffragatores gravius urgeri manifestum est. Nam quid Leoni opus erat vindicare sibi jus appellationum ab episcopis Orientalibus factarum, Sardicensium decretorum vigore, quando ipse, jam sibi in omnibus scriptis atque sententiis consentiens, ait ex divina dispensatione oriri auctoritatem, qua de omnibus Ecclesiis posset curam agere, de fidei quæstionibus judicium ferre, causas contentiosas definire atque dirimere, canonicas pœnas relaxare? Quid necessum erat iis insistere canonibus, quarto Ecclesiæ sæculo exaratis pro suæ sedis prærogativis et privilegiis tuendis, cum affirmavit sollicitudinem eum impendere oportere pro universali Ecclesia, et omnibus ejus filiis, eamque curam esse illi a Domino commendatam ob muneris dispensationem, quod gravissimum reputabat, quia cunctis fidelibus majora debebat? Quid denique? Ex Sardicensium canonum privilegio tantummodo cœptum est causas ad apostolicam sedem deferre, cum ex divina institutione ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluere debebat? Nugæ, meræ nugæ. Aliter enim ratiocinatus est S. Leo, ut membra suo capiti sine ullo prorsus dissidio adhærerent. Et propterea mirum non est si titulo ecclesiastici primatus sibi concessi, etiam independenter a quacumque synodo, rerum agendarum in synodis etiam œcumenicis regulas inviolabiliter observandas præscripsit, horum auctoritatem in judiciis ferendis inter arctos limites restrinxit, et tandem sibi reservavit examinare atque perpendere an quorumdam in graviora crimina lapsorum satisfactio et pœnitentia veniam et reconciliationem mereretur. Aliud adhuc gravius restat, quo perstringatur Quesnellus, et cum eo cæteri in superioribus indicati. Nimirum cautum voluisse S. pontificem ne episcopi etiam in celebri Chalcedonensi concilio convenientes quibusdam jam communione privatis indulgentiam concederent; vetuitque Anato-A lio et cæteris Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyteris, vel episcopis, ne eorum nomina ad altare recitare auderent, priusquam ipsa apostolica sedes quid esset faciendum statueret. *Ut* (ait), *pertractata qualitate causarum, nostra quid debeat observari sollicitudo constituat.*

28. Hæc sunt quæ pro detegendis Quesnelli nugis atque fallaciis, pro ejusdem aliorumque scriptorum falsis argumentis eripiendis et evertendis de S. Flaviani ad apostolicam sedem et unicum summum pontificem S. Leonem appellatione, scribere necessarium duximus. Verum non omnia monumenta quæ in S. pontificis Opera sparsa conspeximus, quibus asseverat suam pontificatus curam ex divina institutione per universum orbem distendi, adducere potuimus, ne præsens hæc nostra exercitatio quasi in immensum cresceret. Eam igitur ad finem perducere cupientes, adhuc unum addendum censuimus: videlicet non tantum sanctum Leonem ad quintum Nicænum B genuinum canonem respexisse, cum ad Theodosium epistolas dedit, sed ad sextum *etiam*. Neque hunc esse intelligendum quemadmodum vulgati codices exhibent, sed eo modo quo in Chalcedonensi concilio recitatum fuit. Videlicet, *quod Ecclesia Romana semper habuit primatum*. Hanc lectionem totius orbis episcopi approbantes, Romani pontificis primatum ex divina institutione pendere principaliter non obscure testati sunt. Non erat igitur Leoni opus alios canones respicere præter Nicænos, vel Sardicenses Nicænorum nomine vestitos pro suis juribus in medium adducere. Demum quia Quesnellus, negotium facessere volens Romanis pontificibus, multum operis impendit in **416** Sardicensibus canonibus pro suo arbitrio interpretandis, idcirco de iisdem verba facere reservamus in sequenti exercitatione, ad quam tamquam hujus appendicem jam stylum admovemus.

CAPUT X.

C *De tribus Sardicensibus canonibus potissimum agitur, ad quos respicientes* (c) *Launoius, Quesnellus aliique, contendunt sanctum Flavianum, eorum vigore et auctoritate dumtaxat adductum, ad S. Leonem Magnum provocasse, ut in numerosiori synodo ipsius causa ad novum examen perduceretur. Horum argumenta in medium adducuntur, et ex epistolis sanctorum Julii, Leonis et Gelasii RR. PP., tamquam prorsus infirma vel falsa, evertuntur.*

1. Nondum satis de S. Flaviani appellatione ad unicum et solum summum pontificem S. Leonem me in præcedentibus verba fecisse iis videbor, qui Joannis Launoii, Paschasii Quesnelli aliorumque hujus scholæ scriptorum Opera lustrarunt, in quibus evolvendis apprime noverunt nullo alio jure, nisi ecclesiastico, et a Sardicensibus quidem canonibus derivato, episcoporum appellationes Rom. pontificibus, cum Occidentalium concilio agentibus, esse adjudicatas. Cum ego primo horum scriptorum opiniones D circumspexissem, in dubiis versabar an novam exercitationem a præcedenti distinctam, tamquam istius appendicem, conscribere opus esset, in qua diligentius animum et scopum investigarem quibus laudati PP. adducti tres tantopere memoratos canones condere voluerunt. Recogitabam quidem eos haudquaquam latuisse, aut dissimulare voluisse, jus divinum, quo Romanis pontificibus de omnibus et quibuscumque Ecclesiæ causis judicare concessum est. Sed ex altera parte, cum in percurrendis vel Launoii epistolis, eam offendissem quam Jacobo Boetio inscripsit, vel postremam partem octavæ dissertationis Paschasii Quesnelli sedulo perpendissem, peculiariter hic de Sardicensibus canonibus verba facere deliberavi, ne quæ in præcedentibus descripta fuerunt,

(a) Epist. 12, cap. 1 et ult.; epist. 47, cap. 1; serm. 4 in Anniversario assumptionis suæ, cap. 2; et alibi passim.

(b) Epistola 65, cap. 2 et 3.

(c) Launoius, part. II, epist. 3.

viderentur. ... infirma atque nullum prorsus robur habere magisque firmandam, ... Rem itaque veritatem magis manum illorum summorum pontificum agere esse arbitratus sum, qui jam Sardicense concilium præcesserunt, quique, nemine refragante, aliorum appellationibus susceptis, definitivas sententias et judicia protulerunt. Cujus generis dicendam esse celeberrimam sancti Athanasii Alexandrini causam mihi persuadere debui. Nondum enim Sardicenses canones conditi erant, nam post quinquennium dumtaxat, aut septennium, Patres illi ad eam synodum convenerunt quando Athanasius ab Eusebianorum Arianorumque factionibus, de variis criminibus per calumniam postulatus, synodorum Orientis judicio, et damnatus, et episcopatu privatus, Romam venire fuit coactus, ut coram Julio Romano pontifice suam causam diceret, gravissimasque quas in fidei odium patiebatur persecutiones enarraret, simulque novam suæ causæ cognitionem peteret, ne statuta Tyrii Mareotici in rem judicatam transirent. Athanasium ergo ab Orientalium judicio appellasse, et illius tribunalis judicium expostulasse ad quod confugit, et coram quo se sistere voluit, a nemine in dubium revocari posse arbitror. At quænam jura Athanasio patrocinarentur, ut in unam et **417** solam inter tot Occidentalium episcoporum sedes pulsare posset, cujus quidem judicium ipsius adversarii, nec recusare, nec rejicere valerent, ego haud video, nisi ad divinam apostolicamque auctoritatem recurramus. Athanasio quidem Sardicenses canones, qui nondum conditi erant, minime suffragabantur. Nec, auctoribus Quesnello, Launoio et cæteris, alii canones exstabant, in quibus hoc jus excipiendarum appellationum Romanis pontificibus adjudicaretur.

2. Neque aures Quesnello potissimum præbere debemus, qui passim in suis scriptis, ut Romanorum PP. eludat aut elevet auctoritatem, quoddam jus omnibus catholicis episcopis commune inesse ait, quo pro fidei et Ecclesiæ negotiis suam operam impendere teneantur. Nam non agebatur tum in Athanasii causa, et aliis similibus, de labore dumtaxat subeundo pro communi fidei firmitate et incolumitate, vel de Ecclesiæ utilitate, sed de *peremptorio*, ut aiunt, judicio ferendo, de synodalibus Orientalium canonibus abolendis, de coercendis temerariis ausibus plurimorum episcoporum factiosorum, qui Athanasium vi e sua sede deturbaverant, et per fas et nefas illius episcopatum hæretico homini intruso adjudicaverant. Præterea si quilibet episcopus in similibus causis suam operam impendere tenetur, quare Athanasius unicum et solum Julium Romanum pontificem appellavit? Cur Julius ipse solemni judicio volens diligentius Athanasii innocentiam inquirere, et universis catholicis patefacere, compulit accusatores, saltem per suos legatos, Romam venire, ut rationem redderent, quod præter apostolicæ sedis consensum apud Tyrum convenissent, ut falsa crimina sanctissimo viro intentarent? Quare tandem Ariani Eusebianique evocati ab ipso Julio ad causam coram se dicendam, non protestantur de judicis incompetentia? Alias et alias utique tergiversationes eos adhibuisse, ut publicam ignominiam, quam sibi imminere cognoscebant, præcaverent, certissima monumenta fidem faciunt. Defatigasse quoque Athanasium, qui eorum in Urbem adventum, sicut promiserant, ad quindecim menses præstolatus est, non ignoramus. At inficias ivisse causam de qua agebatur in quæstionem adduci posse in apostolicæ sedis tribunali, ad quod Athanasius provocaverat, quis umquam potuit aut poterit affirmare?

3. Et quidem Eusebianos Arianosque episcopos minime ausos fuisse inficiari Romani pontificis jurisdictionem, qua ad Urbem venire se compulsos intellexerunt, perspicue innotescit ex iteratis turbis quas contra eumdem Athanasium, mortuo Constantino imperatore, excitaverant. Ægre ergo ferentes hunc sanctum episcopum post quindecim menses suæ sedi restitutum, cum essent Eusebiani a Constantio imperatore convocati ad dedicationem Antiochenæ concilium celebrantes, tinum inchoatæ, rei occasione et auctoritate principis freti, Athanasii dolis, favore, et in Alexandrina sede collocant Gregorium, qui, stipatus quinque millibus armatorum, fugato S. præsule, per vim et incendia Ecclesiam occupat. Athanasii itaque defensionem, iterum unicus et solus S. Julius pontifex assumit. Cum videlicet idem Athanasius cum Marcello Ancyræ episcopo aliisque, quos Eusebiana factio in exsilium amandari curavit, novum judicium instrui petiit, ut ex integro ejus et sociorum causa ad examen revocaretur. Qualem vero exitum isthæc causa obtinuerit, nemo est qui ignoret. Athanasius quippe, et Paulus episcopus Constantinopolitanus, Lucius Adrianopolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazzensis, alii longe plures a Julio et Romana synodo solemniter absoluti, et innocentes declarati fuerunt, digni propterea ut ad suas sedes sine ullo prorsus canonico impedimento reverterentur. Quod quidem judicium, ut tamquam irreformabile a cunctis haberetur, idem Julius papa iis omnibus conditionibus præmunivit, quæ in jure exprimuntur. Videlicet Eusebianæ factionis auctores canonicis citationibus **418** Romam venire pulsabat, rationem reddituros de iniquis judiciis habitis in Tyria et Antiochena synodo, *sacatus* in hac parte, ait Theodoretus, *Ecclesiæ canonem*, quo cautum erat ne altera inaudita litigantium parte judicia haberentur, neve in absentes quandoque sententia caderet. Veruntamen Eusebiani causæ diffisi, scientes Romanorum militum copiis et commentariensibus haud posse patrocinari, varias, inutiles et fallaces excusationes prætexuere, temporis sibi præfixi brevitatem allegantes, bellum principis in Persas offendiculum itinerantibus esse, et id genus alia adducentes, quæ dissimulationi tergiversationique favere arbitrabantur.

4. Nihilominus tamen, cum eorum judicia rescissa atque abolita a Julio et Romana synodo audierunt, minime attendentes quod omnium *cura ad Romanum spectat pontificem*, ut ait Sozomenus, vel quod Romana Ecclesia *privilegium habet præ cæteris*, ut scribit Socrates, Eusebiani *graviter commoti convenerunt denuo Antiochiæ in unum, et epistolam verbis elegantibus ornatam ad Julium scribunt, eamque plenam ironiæ, et injuriarum non expertem gravissimarum.* Hanc Eusebianorum commotionem idem Sozomenus narrat. Sed rei veritatem magis perspicue comprehendimus ex genuina Julii pontificis epistola, in qua, singillatim eorum objectis occurrens, falsa ipsorum argumenta evertit, et Romanæ sedis jura, tamquam ex consuetudine ab apostolis derivata, validissime defendit. Querelarum summam diligenter satis ex Julii epistola extraxit Severinus Binius, hoc ordine eas recensendo (*a*). Prima, quod indigno animo tulissent se Romam esse citatos. Secunda, præstitutum concilii habendi terminum nimis angustum fuisse. Tertia, ægre ferentes Acta Tyrii conventiculi a Julio iterum examinari, indignum esse scribebant, alia synodo retractari quæ in alia jam stabilita essent, ac per Julium ea labefactari quæ ab ipsis judicata erant. Quarta, ut Romanæ Ecclesiæ judicium, quod est omnium hæreticorum insigne, proprium subterfugerent, illud inculcarunt, nequaquam ex magnitudine civitatum esse æstimandas dignitates episcoporum. Quinta expostularunt in Julium quod scribens ad eos, non tamen ad omnes nominatim litteras rescripsisset, quarum illa erat inscriptio: *Eusebio cum sociis*. Sexta demum, sua epistola ad Julium scripta conquesti sunt Athanasium, Marcellum aliosque episcopos, antea ab ipsis damnatos, in communionem catholicam susceptos esse. Addit Sozome-

(*a*) Severinus Binius, tom. II Concil., pag. 558.

nus eos suis litteris contestatos fuisse se numquam cum Julio pacem et concordiam endituros, nisi quæ ab eis fuissent constituta probasset.

5. Nemo erit qui tantam hæreticorum summo pontifice audaciam, sed cum ei eidem ea jura convenire negarint, quæ ab apostolis esse derivata antiquitas docuit? Quid interea arbitrabimur? Eos melius sensisse de Romanorum pontificum juribus et prærogativis quam judicaverint de Christi Domini divinitate et divini Verbi cum Patre consubstantialitate. Hæc autem de Christo Domino negare minime veritos esse, omnibus exploratum est. Igitur si Eusebiani nulla alia ducebantur lege quam solius arbitrii, non mirum quod nullo ecclesiastico præcepto obtemperare voluerint, et, ut suam pervicacem contumaciam specioso aliquo colore tuerentur; canones confingebant, quibus cautum esset unius synodi judicia alterius synodi cognitione et decretis non posse dissolvi. Sed quale effugium commentiebantur? Ipsi in primis B plures synodos coegerant ad Nicæna statuta abolenda. Deinde quando a summo pontifice Julio Romam vocati fuerunt ad causam dicendam, judicis incompetentiam (ut aiunt) non allegarunt. Citationem seu vocationem non impugnarunt. Moram dumtaxat adhibuerunt, et ad tergiversationes varias recurrentes, cum diutius pontifex eorum adventum exspectare non posset, et clam arrepta fuga ab eorum legatis, qui synodorum Tyrii ac Mareoticæ Acta inconsulte inter pontificias **419** manus reliquerunt, rerum omnium veritate perspicue cognita, in Athanasii et sociorum favorem absolutionis decretum expeditum fuit; in irritum missis omnibus Actis quæ in Oriente per fraudes atque calumnias, per vim atque tyrannidem confecta fuerant. Tunc ergo intelligentes omnes suæ nequitiæ artes prorsus esse patefactas, et Romanæ sedis judicio eversas, contendere cœperunt istiusque auctoritatem audacter impugnare. Voluissent enim ut Romanus pontifex in eorum pravas opiniones descenderet, nefaria decreta ab ipsis condita C confirmando et rata habendo. Hoc tamen novum studium pravamque ambitionem, tamquam contrariam Pauli apostoli sanctionibus, et Patrum doctrinis, potissimum refutat S. Julius papa, et novitatum auctores his verbis exagitat, quæ mire in eos quadrant qui a conciliis ad concilia numerosiora appellationes dumtaxat fieri posse atque debere sibi confingunt (*a*): *An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri possit? Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in episcopum concepta erat, adhuc ad nostrum Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minime fecerunt, postquam jam egerint quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste et novum studium est.* Obsecratione tandem usus summus pontifex, contumaces Eusebianos audire hortatur: *Quæ* (ait) *accepimus a beato Petro apostolo, ea vobis significo, non scripturus D alioqui quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent.* Et enumerans omnia mala quæ in Ecclesia eorum studiis et machinationibus contingebant, ut a similibus in posterum se abstineant seseque iis opponant, contra eos scribentes qui talia auderent, summa animi moderatione obsecrat, ne apud ethnicos ridiculi efficerentur.

6. Jam vero si latius de hac Julii epistola ad Eusebianos scripta disserere vellem, clarius ostendere possem apostolicæ sedis auctoritatem, de qua pontifex facit mentionem, in divino jure et apostolico canone esse fundatam, ut satis erudite probavit cl. Christianus Lupus (*b*), adducendo varia exempla ex ecclesia- A stica historia desumpta; et ea vidit, vel ex aliorum scriptis Eusebii Cæsariensis desumi posse arbitratur. Addit quoque Vulgatum Tertulliani testimonium contra Praxeam in Montani causa ad Zephirinum appellantis, et Antiocheni concilii decretum contra Paulum Samosatenum latum, quod pondus non obtinuit, nisi post Dionysii Romani confirmationem, ut ipsi alias descripsimus, in adornanda Eusebii Cæsariensis Latina Rufiniana editione (*c*). Hæc itaque et id genus alia exempla, ad quæ præstantissimi viri provocarunt ad explicandum divinum et apostolicum jus RR. PP. concessum pro appellationibus quibuscumque suscipiendis, in præsens prætermittimus, ne extra campum vagemur, neve ab aliis jam actum agere videamur. Insistimus dumtaxat laudato papæ Julii testimonio, cui Eusebiani se opponere minime ausi sunt. Quis porro credet vaferrimam illam hæreticorum factionem, odio atque furore contra Athanasium agitatam, siluisse, si falso Julius pro suis juribus tuendis et consuetudinem Ecclesiarum et apostolorum ordinationes et PP. doctrinam adduxisset, maxime cum eos exagitasset quod nimio ambitu laborarent et novis rebus studerent?

7. Sed hanc consuetudinem et divini juris exercitium quod non impugnarunt Eusebiani, negarunt saltem Quesnellus et Launoius (*d*). Qui quamvis concedant Julium Athanasii aliorumque causam anno 341 examinare **420** voluisse præsentibus etiam legatis, quos Ariani hunc miserant, dissimulant tamen fuisse absolutos, et suis sedibus restitutos, et tantummodo asseverant concilium Romanum tamquam ex utriusque partis compromisso indictum et celebratum fuisse. Nullam ergo supponunt in Romano pontifice auctoritatem præter eam quam accepit a litigantibus. Sed et Launoius, adhuc simili fallacia usus, contendit Julium Athanasii causæ judicandæ arbitrum ab ipsis Eusebianis fuisse institutum, ea videlicet ratione, ut nonnisi ipsis petentibus judicare potuisset. Quemadmodum in quibusdam dissidiis absolvendis ii facere solent, qui, relictis ordinariis et a lege institutis judicibus, compromissum facientes, novos arbitros sibi eligunt. Ut autem Joanni Bono, amico suo, Launoius fucum faciat, verbaque vendat, sequentia Athanasii verba subjicit: *Hæc quidem Ægyptii ad omnes et ad episcopum Romanum Julium scripserunt. Quia et Eusebiani ad Julium litteras misere, et ut nos terrerent synodum jusserunt convocari, et ipsi Julio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt.* Verumtamen cum Quesnelli, tum Launoii fabulationes statim corruere, produnt ipsa Julii papæ verba in præcedentibus laudata. Qui altius repetens legitima judicis jura, vetustam allegat consuetudinem, apostolorum ordinationes, et PP. doctrinam. Debuisset ergo potius ipsis objicere compromissum ab eadem Eusebianorum factione jam factum; istudque evulgare, ut cunctis innotesceret, se non alia ratione in Orientalium synodorum negotiis miscuisse, nisi quia convenientes ad invicem litigantes judicandi facultatem eidem detulerunt. Contra vero eos tamquam adversarios quasi de ignorantia insimulat, vellicatque dicendo: *An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri possit?* Non erat ergo in Eusebianorum potestate arbitrum constituere Julium, et compromissum facere, ut is secundum justitiæ et æquitatis leges causam litigantium definiret. Sed judicandi de Ecclesiæ et episcoporum rebus a Deo acceperat, et ab apostolorum tempore in talium jurium possessione Romanus pontifex perseveravit. Inepte nimis quoque Launoius Athanasii verba adduxit, ut Eusebianorum ad Julium provocantium voluntatem et

(*a*) Integra Græce et Latine exstat Julii pontificis epistola tom. II Concil., apud Labbeum, pag. 515.

(*b*) Christianus Lupus, in Sardicenses canones, p. mihi 141.

(*c*) Tom. I Eusebianæ Historiæ, lib. VII, cap. 26, pag. 442 et seq.

(*d*) Quesnellus, tom. II, dissert. 8, pag. 508 et seqq.

scopum expiscaret. Ex iis enim verbis quid aliud colligitur, nisi Eusebianos ad jactandum se bonam causam habere, atque ad deterrendum S. episcopum Athanasium, jampridem sponsionem dedisse, aut Romanæ synodi, aut ipsius Julii judicium, sicuti apostolicæ ordinationes et consuetudo poscebant, ratum habituros. *Arbitrium* enim non habet significare compromissum, vel istud importare, ut contendunt ambo adversarii; sed apud Latinos illius ætatis, *judicium*, seu *imperium* indicat, quæ ab habentibus legitimam auctoritatem dumtaxat derivare solent, ut ex Horatio et Cicerone probare possemus.

8. Sed nondum Athanasii verborum vim perfecte assecuti sumus, nisi perpendamus neminem deterreri posse ex arbitrarii judicis sententia, vigore *compromissi* lata, quod *compromissum* haberi non potest, nisi litigantes inter se convenientes spondeant pacifice stare velle secuturo judicio. Cum igitur Eusebiani litteras dantes ad Julium pontificem, ut, si vellet, ipse, synodo omni remota, judicaret Athanasium *deterrere* voluerunt, jam ad illud tribunal provocare intendebant, citra quod non amplius illis licebat tergiversationes quærere, appellationes interponere, quia peremptorium et ultimum judicium erat proferendum, quo supposito, ut ipsi Eusebiani in votis habebant, Athanasio amplius ad suam Alexandrinam Ecclesiam redire non fuisset concessum. Peremptorii enim et ultimi judicii ea conditio est, ut condemnato omnis spes auferatur amplius dissidendi, ac propterea hoc judicii genus dumtaxat terrorem incutere potest. Eusebiani ipsi præterea non ex jure *compromissi*, sed veræ appellationis suos legatos Romam mittere coacti fuerunt, qui nusquam de concilio habendo unum verbum protulerunt, nisi quando, videntes se convictos atque
421 superatos ab Athanasii legatis, eorum causam pessumire præsenserunt. Legitimum ergo judicem totius dissidii Julium primo habere non recusabant. Tunc dumtaxat recusare cœperunt, quando turpiter ab adversariis legatis convicti prorsus conflictabantur. Hocce factum hisce verbis Julius ipse Eusebianos exagitans, objecit : *Siquidem vestri legati Macharius presbyter, et Hesychius, Martyriusque diaconus, nullo modo cum huc venissent pares presbyteris ab Athanasio missis, ac semper ab illis convicti refutatique, concilium indici a nobis postularunt, litterasque, et ad Eusebianos, et Athanasium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti, ut eorum omnibus justo judicio causa cognosci posset; tum enim se de Athanasio probaturos esse quod jam nequirent.* Nec suspicari liceat Julii verba esse intelligenda de privata aliqua disceptatione inter utriusque partis legatos habita. Nam sanctus pontifex immediate, ad judicii et quæstionis solemnitatem indicandam, hæc subdidit verba : *Publice enim coram nobis Martyrius et Hesychius refellebantur, Athanasii presbyteris cum fiducia alacriter resistentibus. Martyrius vero cum suis, si vera dicenda sunt, ubique profligabantur, ac proinde concilium generale postulavit.* Non primum igitur de generali habenda synodo postularunt, nisi quando causam, quam agebant, cecidisse intellexerunt. Tum enim hæreticorum schismaticorumque agendi rationem secuti, a summi pontificis judicio se abalienare statuerunt, atque rebellium tergiversationibus S. P. fallere quærentes, concilium indici postularunt. Interea tamen hanc petitionem nullum prorsus robur habuisse exploratum est. Nam pontifex ea usus potestate quam divinitus acceperat, juris regulas secutus, Marcellum et Athanasium, tamquam omnium criminum insontes declarat, et in communionem recipit; irrita et nullarum virium declarat monumenta Actorum quæ in synodis Tyrii et Mareotæ confecta fuerant, ita ut ipsi Athanasii et cæterorum catholicorum accusatores

A desperatione acti, ne forte calumniantium pœnas juxta canonum decreta subirent, de nocte ex urbe Roma profecti, fugam arripuerunt. Verumtamen ad irregularem horum legatorum fugam Julius ipse pontifex animadvertens, lenitate summa adhibita, ad exitum perducere nisus est gravissima Orientalium dissidia. Quare admissa eorumdem legatorum appellatione, quamvis nulla urgeretur necessitate ad concilium cogendum, Eusebio et sociis per epistolas jussit Romam ad concilium habendum venire. Sed schismatica illa factio cum tergiversationibus et diuturna temporis prolatione pontificis spem adhuc frustrasset, denuo in concilio Athanasium et socios nullius criminis reos esse declaravit, dignosque esse decrevit ut suis sedibus a quibus per impotentiam expulsi fuerant restituerentur. Igitur Julius quasi rationem reddere volens de iis quæ a se ipso gesta fuerant, eos hisce verbis compellat : *Oportebat igitur vos, dilectissimi, huc accedere, et nequaquam tergiversari, ut res ad finem deducatur. Id enim ratio requirit....*
B *Venissent enim, ut dixi, si de sua causa bene sperassent.* Numquam enim Eusebiani R. P. denegarunt jus evocandi Orientalium Ecclesiarum episcopos, neque se exemptos prædicarunt ab illo obsequii debito quo totius Christiani orbis Ecclesiæ sanctæ apostolicæ Romanæ sedi obtemperare tenentur.

9. Launoius tamen se ab harum rerum serie perstrictum intelligens, sequens effugium excogitavit, dicendo : *Neque Julii papæ decreto, neque Romanæ synodi sententia Athanasium suæ sedi restitutum; sed Sardicensium judicio, quæ synodus, Romana synodo longe numerosior, quidquid a Romana synodo gestum fuerat confirmat.* Pessimum ratiocinium contra omnes juris et dialecticæ regulas constructum. Judicandi enim jus cum decreti jam lati exsecutione confundere satagit, ut inde male inferat Romanorum PP. judicia parum nihilumve esse pendenda, nisi a generalibus synodis confirmata et tamquam rata habeantur. Sed dicat an jure vel **422** injuria cum Julii, tum Ro-
C mani concilii judicium et sententia fuerint retardata? Non jure quidem, cum tam Eusebiani quam Athanasius et socii Rom. pontificem tamquam judicem habere non recusarunt, ut ex antecedentibus innotescit. Injuria igitur Arianorum factio sese Julii et Romanæ synodi statutis opposuit, cui cum Constantii imperatoris auctoritas et violentia patrocinaretur, ne Athanasius et alii suis sedibus restituerentur cautum fuit, sed ipsos Sardicenses nullum robur nullamque confirmationem Julii judicio et Romanæ synodi sententiæ addidisse Launoium et Quesnellum animadvertere oportebat, cum solemni sequenti declaratione usi fuerint : *Qua ex re æquitas judicii fratris et coepiscopi nostri Julii liquidissime apparebit, qui non temerario consilio, sed matura deliberatione sententiam tulit, adeo ut nihil relinquatur dubii de communione fratris nostri Athanasii* (*a*). Cadit quoque aliud effugium de synodo longe numerosiore, cui ambo nostri adversarii insistunt. Non enim synodorum auctoritas ex
D majori vel minori PP. numero desumenda est; sed ab eo qui potestatem habet illas cogendi, et a canonicis apostolicisque regulis in judiciorum forma et ordine servandis, ut perspicue indicavit sanctus Leo Magnus in epist. 80 ad Anatolium Constantinopolitanum, de qua verba faciemus cap. 10 sequentis libri. Quare si adversariorum argumentum staret, nec Sardicense concilium potuisset Athanasii et sociorum causam cognoscere, cum hæc jam sæpius fuisset definita : *Primum quidem in nostra provincia* (ait Athanasius) *cum ad id coissent propemodum centum episcopi, secundo Romæ nobis cæteris adversariis Eusebii comparentibus. Fuerunt autem in eo consessu plusquam quinquaginta episcopi* (*b*). Si ergo judicii pondus atque auctoritas ex episcoporum numero desumeretur, potius stare debuissent decreta Alexandrinæ et Ro-

(*a*) Sardicensis concilii Acta, tom. II Concil. apud Labbeum.

(*b*) Athanasius, in initio apologiæ 2.

manæ synodorum, quam Tyri et Mareoticæ. Istis quidem numerosior fuit cum Alexandrina, tum Romana, in quibus Athanasius fuit absolutus, et suæ sedi restitutus. De hac postrema etiam loquens, idem Athanasius in secunda apologia ait: *Presbyter enim Vitus plures episcopos quam quinquaginta ad concilium adduxit, ubi et nostra defensio recepta fuit, et digni habiti sumus communione et agape.* Sed præter Romanum pontificem et episcopos a Vito presbytero ad concilium adductos, alii quoque conventui forte interesse potuerunt, quod nos affirmare certo haud possumus, ob monumentorum inopiam. Verum hoc nostrorum adversariorum effugium jam pridem evertit sanctus Leo Magnus increpans Anatolium, qui arbitrabatur sibi patrocinari numerosiorem synodum Chalcedonensem ad antiquandum Nicænum canonem de Ecclesiarum juribus et privilegiis.

10. Hanc vero antiquam tantorum apostolicæ sedis jurium possessionem, quam litigiosam facere multis variisque modis Eusebiani nisi sunt, tandem Ursacius et Valens ad pœnitentiam adducti, sub jurejurando in posterum tamquam ratam et firmam habituros esse sequentibus verbis testati sunt: *Quin, et hoc promittimus* (aiunt) *numquam si aliquando Orientales atque adeo ipse Eusebius velit malitiose eum ad judicium vocare, nos citra tuam sententiam eo abituros* (a). Vel ut melius legimus in fragmentis S. Hilarii: *Citra tuam conscientiam non adfuturos.* Non ergo ex horum factorum serie dubitare possumus jam ante Sardicense concilium illam consuetudinem apostolicam obtinuisse ut Romani pontifices episcoporum appellationes exciperent; de horum causis vel in synodis vel extra synodos judicasse, neque cuiquam licitum fuisse extra Romani pontificis conscientiam de episcoporum causis judicia proferre. Cadit igitur totum illud ædificium, quod adversarii Launoius et Quesnellus ex solis Sardicensibus **423** canonibus construere tentarunt, ut contenderent nullo alio jure quam ecclesiastico ex Sardicensi concilio derivato posse R. P. appellationes episcoporum in provincialibus Orientis synodis damnatorum excipere et judicare. Nec Launoio potissimum Bellarminum exagitanti ad Gelasii papæ testimonium provocare liceat, qui in epistola ad episcopos Dardaniæ scripsit: *Non reticemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi; neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus* (b). Nam quod Bellarminus has voces suppresserit, *canones appellari voluerint*, solo canonico seu ecclesiastico jure R. P. appellationes excipere posse contendit, illudque jus ab Ecclesiæ conciliis dumtaxat esse repetendum, quare pro publica omnium utilitate ita faciendum esse decreverit. Ita Launoius ratiocinatur, injuria quidem Bellarminum exagitando. Siquidem Gelasius papa in sua epistola minime recessit a suorum prædecessorum sententiis, qui, ut vidimus, affirmarunt Romanæ sedis episcopos divino jure posse de omnium Ecclesiarum causis judicare, quin alicui liceat judicare de ejus judicio. Neque nostra aut Bellarmini argumenta infirmari possunt iis vocibus, *canones appellari voluerint*. Nam eo loci Gelasius non usurpavit illam vocem *canones* pro conciliorum decretis, ut perperam adversarius explicare conatur, sed eam adhibuit pontifex ad innuendam *regulam* illam divina dispositione stabilitam, et usu firmatam, qua beati Petri sedi jus datum fuit resolvendi omnium Ecclesiarum judicia, neque cuiquam de ejus judicio liceret judicare. Et ne videar fabulationibus verba vendere, rogabo Launoium potissimum an umquam Gelasii epistolam de qua agimus lustraverit? Jam lustrasse credendum est, cum de fraude Bellarminum arguat, quod has voces, *canones appellare voluerint*, suppresserit. Igitur debuit ei innotescere prædictam epistolam hunc titulum perferre: *Acacium solius apostolicæ sedis judicio jure damnatum Gelasius ostendit.* Non potuit ignorare quemadmodum in epistolæ corpore agens pontifex de Sabellii damnatione, et de profligata in Nicæna synodo Ariana hæresi, atque de aliis et aliis synodis ob diversas occasiones tum habitis, nullum Christianum latere poterat, *uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem oportere, quam primam, quæ unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper, et retinet.* Narrat ergo hic quemadmodum apostolica sedes Domini præcepto illud principatum obtinuerit, et semper retineat, quæ sua auctoritate unamquamque synodum habeat confirmare, et continuata moderatione custodire. Profecto si unamquamque synodum confirmat, cur Launoius de synodis generalibus id verum non esse contendit? Præterea Gelasius ipse ut probaret divino jure apostolicam sedem usam fuisse in Acacio damnando, numquam ad synodorum canones provocat, sed ad eos pontifices suos prædecessores, qui de similibus causis judicaverunt, nullo habito prorsus respectu ad Sardicensium PP. sanctiones. Quare ibidem hoc aliud tamquam suæ supremæ auctoritatis argumentum adducit: *Sed nec illa præterimus, quod apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum etiam sine ulla synodo præcedente, et absolvendi quos synodus inique damnaverat, et damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Deinde sequentia subjicit exempla, quæ mire suffragantur quæstioni de qua in præsentiarum agimus: Athanasii Alexandrini videlicet, **424** ab Orientalium synodis damnati, sed ab apostolica sede absoluti; Joannis Constantinopolitani, quem catholicorum præsulum synodus damnaverat, *et sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit*; itemque sanctæ memoriæ Flaviani, pontificum Græcorum congregatione damnati, quem pari tenore, *quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit* . . . . *et iniquam synodum* (intellige latrocinalem Ephesinam) *non consentiendo submovit, ac pro veritate ut synodus Chalcedonensis fieret sola decrevit.* Stultum porro in his adducendis exemplis Gelasium ad Sardicensium canones respectum habuisse, manifestum est. Nam, ut vidimus, hæc jura apostolicæ sedi adjudicata fuisse asseverat ex Dominico præcepto, et in illorum privilegiorum possessione semper Romana Ecclesia permansit, quamvis hæretici schismaticique invidia et odio acti de legitima hac possessione quæstiones excitare magna animorum contentione nisi fuerint. Deinde, ut hactenus vidimus, etiam septennio antequam Sardicense concilium cogeretur, Romana Ecclesia ejusmodi jura exercuit tum etiam Athanasium absolvendo.

11. At demus Launoium hæc omnia dissimulare debuisse, ut impune et solo vituperandi animo Bellarminum doctum virum exagitaret. An forte id æque facere potuit Quesnellus, qui in adornandis S. Leonis Operibus non semel hujus epistolam 89, quæ est ad episcopos Viennensis provinciæ, inter alias cum lustrare oportuit? Ipse quidem S. Leo de appellationum jure agens, S. Julii P. testimonio suffragatur, nec ab alia origine quam a divina institutione illas derivari amplissime affirmavit. Nullum igitur ad Sardicenses canones habens respectum ita scribit: *apostolicam sedem pro sui reverentia ab omnium provinciarum sacerdotibus innumeris relationibus fuisse*

(a) Libellus pœnitentialis Ursacii et Valentis exstat tom. II Conc. et in nova edit. Operum S. Hilarii.

(b) Exstat tom. V Concil., apud Labbeum, pag. mihi 324.

consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia. Ad hoc quidem testimonium animadvertit Quesnellus. Sed relicta præcedenti loquendi phrasi de judiciorum auctoritate per litigantium compromissum accepta, nihilominus istorum verborum vim minuere nisus est, ita ad suæ editionis marginem annotando : *Appellationes non nisi ex consuetudine veteri sibi vindicat.* Quantum vero isthæc annotatio Quesnellianæ causæ prodesse possit, minime video. Immo intelligo Quesnellum aut de oscitantia, aut nimia fraude convinci posse. Nam ibidem S. pontifex, ex innumeris consultationibus appellationibusque ad apostolicam sedem factis, vetustam utique consuetudinem explicare intendit, cum jam in præcedenti ejusdem epistolæ capite disseruisset de ecclesiastici regiminis forma, eo ordine a Christo Domino disposita, ut *in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocavit, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.*

Duplici itaque titulo consultationes appellationesque ab omnium Ecclesiarum sacerdotibus ad apostolicam sedem deferri S. Leo ibidem affirmavit : divino, nimirum, ob ecclesiastici regiminis formam a Christo Domino institutam, et facti titulo, quem ex vetusta consuetudine probare intendebat per appellationem *diversarum causarum, aut confirmata fuisse* aliorum episcoporum et synodorum judicia. Nec audeat Quesnellus contendere hanc regiminis formam, ecclesiasticorumque judiciorum rationem, aut episcoporum dignitatem, aut Ecclesiarum auctoritatem lædere posse. Nam ipse S. pontifex hæc mirifice ex divina dispositione inter se cohærere asseverat, subdens : *Quoniam sollicitudo nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem divinitus datam, nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum sacerdotibus abrogabat.* Nullum enim dignitatis aut alienæ auctoritatis jus lædi potest in episcopali ordine, si omnes, quærentes quæ Jesu Christi sunt, istius dispositionis pervertere non audeant, et in fidei rebus et Ecclesiarum negotiis supremo capiti adhæreant, per quod *cœlestia dona* **425** *in omne corpus manare debent. Nec enim* (subjicit etiam) *divinorum mysteriorum participes esse possunt qui a Petri soliditate recedere audeant.*

12. Huic autem *Petri* soliditati adhæsisse Athanasium, et ab ea Arianos Eusebianosque recessisse, hactenus in præcedentibus explicavimus. An vero in hujus causæ judicio pro Athanasio vel pro Eusebianis Quesnello stare placuerit, non satis dilucide ego conspicio. Illud unum tantummodo intelligo, nostrum adversarium omnes sui studii nervos intendisse, ut appellationum jus Romanis pontificibus dumtaxat ex Sardicensibus canonibus adjudicaret, *hosque canones in Athanasii gratiam conditos, ad ipsius etiam mentem, velut ex præjudicio quod ipse Romam petens creaverat, esse constitutos.* At quis umquam sinceræ veritatis inquirendæ studiosus sine stomacho hæc poterit legere : episcopus injuria communione et episcopali sede privatus, et per nequitiam missus in exsilium, si provocet ad Petri solidam sedem, præjudicium sibi creat, aliorum jura infringit, si capiti per quod in membra divina dona dimanant adhæreat, quærendo simul quæ Jesu Christi sunt et ad ejus Ecclesiam pertinent? Præjudicium utique sibi creavit, cum in Arianorum, tum in Quesnelli sententia ; minime vero in recta orthodoxorum opinione. Quibus cum cordi insit divinis obtemperare mandatis, et numquam Christi Domini dispositiones et ordinem divinitus constitutum pervertere, semper ad illud tribunal provocandum esse docuerant, quod ab ipso Ecclesiæ fundatore obtinuit firmitatem, ut innumeris exemplis ab aliorum scriptis mutuatis (si expediret) probare possemus.

13. Progreditur Quesnellus ratiocinari, atque jam insertis octavæ dissertationi tribus illis memoratis Sardicensibus canonibus, quid supposuerint PP. in illis regulis edendis inquirit, et explicare aggreditur. Primo supponunt (ait) episcopum a proprio suæ provinciæ concilio sententiam excepisse : sed eumdem injuriam sibi factam existimantem postulare *ut concilium renovetur.* Ut sensim autem in suam persuasionem de novo jure Romano pontifici per concilium concesso traheret lectorem, Osium Cordubensem hæreticorum artibus defatigatum describit, qui optimum censuit, si alicui a concilio daretur facultas dijudicandi utrum et quando appellationi locus esse deberet, ne ecclesiastica judicia paterent magis nebulonum quorumdam artibus, quam sæcularia. Habes enim ait, codicis lib. septimo, titulum 65, etc. « Quem potius (subdit) hoc munere decorasset synodus, quam pontificem Romanum omnium patrem, et in quo sancti Petri apostoli memoria honoranda erat? Synodus enim provincialis suspecta erat damnato, vicinarum provinciarum episcopos eam ob causam congregari e re ecclesiastica non erat. Hoc igitur oneris Romano datum, cui nec operosa inquisitione aut totius negotii accurata discussione ad id opus erat, sed summatim tantum vel ex litteris priorum judicum cognoscere : sicut sæculari judici facile est statim decernere quorum appellationes recipere permittant juris civilis leges. » Sed falsam fictitiamque esse hanc Quesnelli suppositionem, quis non videt? Supponit Sardicenses PP. novum jus Romano pontifici concessisse, ut hunc omnium patrem, et in quo S. Petri memoria honoranda erat, universa Ecclesia veneraretur. Igitur in Quesnelli opinione antequam hujusmodi canones conderentur, R. P. illicitum erat judicare aut de synodis provincialibus, aut operosam adhibere inquisitionem pro restituendis in suis sedibus episcopis odio æmulationeque expulsis, aut denique pro declarandis irritis et invalidis ordinationibus eorum qui in depositorum sedes fuerant intrusi? Profecto, si quæ conqueruntur ex Quesnelliano systemate, starent, jam jus illud antiquum quod Julius papa Arianis objecit, et sibi convenire affirmavit, prorsus chimericum fuisset, et judicium ab ipso in Athanasii et sociorum causa, ante quinquennium saltem aut septennium, **426** prolatum, irritum et violentum diceremus, utpote prolatum ab eo qui nondum auctoritate pollebat. Judicasse autem Julium de Athanasii et orthodoxorum causa in dubium verti non potest. Nam præter præcedentem epistolam Julii et Athanasii apologias in superioribus allegatas, exstat etiam alia ejusdem pontificis epistola scripta ad presbyteros, diaconos, et plebem Alexandrinam, qua eos hortatur ut Athanasium ad suam sedem revertentem alacritate magna suscipiant, *qui ex tantis malorum periculis purus innocensque vobis restituitur, talisque non nostro dumtaxat judicio, sed ab universa synodo judicatus est* (a). Nescio tamen quemadmodum Quesnellus in cæteris superius descriptis sibi constare possit. Ipse enim audacter Eutychetis appellationem ad sedem apostolicam negavit, contendens appellasse potius ad episcopos primarum Ecclesiarum, harumque synodos, atque tandem contendit ejusmodi fuisse Orientalium appellantium consuetudinem; hic vero de hoc novo jure Romanis pontificibus ex Sardicensibus canonibus concesso agi, hocce onus fuisse ipsis impositum, ut summatim tantum et ex litteris priorum judicum cognoscerent et decernerent quorum appellationes recipere permitterent juris civilis leges. Hoc autem quid est, nisi posse de decretis synodorum judicare, decernere in condemnatum jure vel injuria latam esse sententiam, hancque posse suspendere et in irritum mittere, donec pontifices,

(a) Exstat tom. II Conciliorum, pag. 539. Vide nostram Exercitationem de Eutychetis appellatione.

vel per se, vel cum aliis de præcedentibus judiciis pleniorem faciant inquisitionem? Concilium autem ad hæc omnia exsequenda esse necessarium, non affirmat Quesnellus; nec revera necessarium dici debet, si summatim, et ex litteris priorum judicum illa omnia decernere atque etiam statuere potest.

14. Quesnellus nihilominus, in suis assertionibus constans, utique verbis contendit hoc appellationum jus de novo fuisse tum Romanis pontificibus et ipsi Julio adjudicatum. At quibus subsidiis id probavit? Forte confingendo Sardicenses eos canones apparentes quasdam habere contradictiones, quas, inter cæteros, eruditis explicationibus e medio sustulit jampridem cl. Christianus Lupus (a), vel affirmando Sardicenses PP. per posteriores cogitationes prioribus derogasse, ut nimirum ex posterioribus decretis priorum interpretatio accipi debeat, et septimo illo canone inter angustos limites illa R. P. auctoritas restringatur, quam in tertio et quarto canone amplissimam eidem adjudicarunt? Fallitur omnino Quesnellus. Canones illi nulla ratione inter se pugnant, et summum illud jus, quod in tertio et quarto canone comprobat pontificis Rom. auctoritatem in appellationibus accipiendis, magis magisque confirmatur in quinto, seu septimo canone, ut sit in ejus potestate vel judicare per se, vel causæ judicium aliis delegare, vel litigantes partes ad se accire, vel novam synodum indicere, in qua solemnius totum negotium de quo quæstio agitatur ad novum examen revocetur.

Itaque ne fabulari videamur, ad canones attendamus. Canon ille tertius in primis Eusebianam compescuit factionem, Nicænos canones in spretum adducentem. Cum videlicet temerariis ausibus ex Ecclesiis ad eam non pertinentibus ipsa ejiciebat episcopos et clericos orthodoxos, et in horum cathedras et loca alios damnatos et hæreticos intrudebat. Ut autem istius Eusebianæ factionis temerariam agendi rationem Quesnellus occuleret, aut saltem dissimularet, non integrum exscripsit canonem, prout in Dionysii Exigui codicibus invenitur; sed, subductis fortasse oscitanter quatuor primis istis lineis: *Osius episcopus dixit : Illud quoque necessario adjiciendum est, ut episcopi de sua provincia ad aliam provinciam, in qua sunt episcopi, non transeant, nisi forte a fratribus suis invitati, ne videamur* **427** *januam claudere charitati*; subjecit dumtaxat reliqua, quæ sequuntur: *Videlicet, quod si aliqua provincia*, etc. Hunc canonem, ut diximus, eruditis scholiis et notis illustravit cl. Lupus, atque animadvertit quatuor partibus constare; in quarum secunda damnata inveniuntur peregrina judicia ab Eusebianis potissimum fieri solita; in tertia agitur de judicibus synodorum provincialium, quorum interest Romano pontifici scribere, *ut episcopale judicium ad sedem apostolicam referatur*, ut Innocentius papa I in epistola ad Victricium Rothomagensem explicavit (b). Quarta denique illius canonis parte agitur de jure eo apostolicæ sedis quod Quesnellus novum hactenus appellavit. Novum quidem illud dici non potest, quod ex divina institutione dimanat. Dimanare autem ex divina institutione, non ex canonico jure, quoad curam illam quam RR. PP. in universis Ecclesiis impendunt, ex hactenus scriptis innotescit, et tradit perspicue S. Leo Magnus in epistola ad Anastasium episcopum Thessalonicensem, et Julius ipse papa in laudata epistola ad Eusebianos. Igitur cum tota controversia expedienda Julium inter et Eusebianos in hujus curæ et auctoritatis exercitio et usu versaretur, quæ ab Eusebianis factiosis in quæstionem adducebantur, idcirco ne in posterum, aut synodi provinciarum, aut alius quisquam catholicæ Ecclesiæ episcopus, apostolicæ sedis decreta atque judicia contemnere aut infringere auderent, S. Petri tribunal in honore habendum esse declaraverunt: *Ut ab iis qui judicaverint* scribatur Julio Romanorum *episcopo, et per propinquos provinciæ episcopos, si opus sit judicium renovetur, et ipse cognitores præbeat. Si autem probare non potest causam ejus esse talem ut eam rursus judicari* opus sit, *quæ semel sunt judicata non infirmentur*. Profecto si hæc canonis verba sine violenta interpretatione in genuino sensu accipiantur, ea referenda esse ad Eusebianorum audaciam contendentium S. Petri apostoli memoriam non esse honorandam, sed synodorum provincialium judicia firma et rata habenda esse, quin a quopiam possent aut rescindi aut aboleri. Igitur Sardicenses PP., qui similem audaciam frangere volebant, declararunt dumtaxat *beati Petri memoriam esse honorandam, ut ab iis qui judicaverunt*, etc. Neque aliam agendi rationem servarunt in quarto canone conscribendo, in quo agitur de episcopis per synodale judicium depositis, in quorum sedem nullum alium collocari volunt antequam Romanus pontifex, *causa cognita, sententiam tulerit*. De novo hic synodi judicium Rom. pont. judicio subjiciendum esse decernunt. Ut videlicet ratum habeant, et tamquam divino jure respondens declarent, quod ante quinquennium saltem sibi convenire Julius papa scripserat, quando ipso inconsulto Gregorium Cappadocem in Alexandrinam sedem intrusum cognoverat. Nihil ergo in duobus illis canonibus Romano pontifici adjudicatum fuit quod jure possessionis, ut aiunt, non obtinuerit. Quam pacificam possessionem irrito conatu denegare, aut perturbare, dumtaxat, nisi fuerant læsæ fidei homines, qui quemadmodum Nicænorum dogmatum regulas prorsus evertere atque abolere quærebant, ita auctoritatem supremi judicis et canonum *custodis* oppugnare contendebant. Ut igitur in posterum, vel provincialia concilia factiosorum virorum hanc Rom. pontificum pacificam possessionem lædere aut infringere non tentarent, in illo Sardicæ conventu duos laudatos canones tamquam Nicænorum appendicem condere voluerunt, cum in præcedenti illa Nicæna synodo stabilitum fuisset Ecclesiarum privilegia et prærogativas esse servandas, et PP. dixerint: *Romana Ecclesia semper habuit primatum*, ut in Chalcedonensi synodo lectum fuit et nos in præcedentibus observavimus. Jam vero nunc nobis dicat Quesnellus quid in septimo canone habeatur, quo prioribus derogatum esse intelligamus? **428** In eo enim tam perspicue R. P. auctoritas in appellantium causis suscipiendis et judicandis explicatur, ut eo prorsus dirimantur Eusebianorum et cunctorum schismaticorum contentiones, negantium judices synodorum provincialium esse pulsandos ad præteritorum judiciorum rationem reddendam, quod quidem necessarium ad cohibendam judicum in condemnatum impotentiam, odium atque furorem, Julius pontifex ex Nicænis canonibus contra eosdem schismaticos probavit, scribendo: *Qui bene sentiunt* (ait) *de iis quæ egerunt, et in quibus ipsi judices fuerunt, non indignanter ferre solent si quod ab ipsis judicatum ab aliis excutiatur, quippe qui securi sint ea quæ ipsi justa judicaverint injusta numquam fieri posse*. Quocirca episcopi in magna synodo Nicææ congregati, non sine Dei consilio permiserunt prioris synodi Acta in alia synodo examinari, ut et illi qui judices erant præ oculis habentes *secundum de ea re futurum judicium, cum omni diligentia causam expenderent, et illi qui sententiam acceperant certo cognoscerent se non per simultatem priorum judicum, sed jure ac merito condemnatos esse.* Ad sequentia, quæso, verba animadvertat Quesnellus, ut intelligat hanc regulam jam ex apostolica consuetudine obtinuisse, et dumtaxat fuisse renovatam et explicatam in Nicæno concilio. *Quod si* (subjicit S. Julius) *istiusmodi consuetudo olim fuit, ejusque*

(a) Christianus Lupus, ad Sardicenses canones notis et scholiis illustratos, pag. mihi 135.

(b) Innocent. P. epistola ad Vict., tom. III Concil. S. Leo M., in epist. apud Quesnellum 12, cap. 1.

memoria est, et scripto prodita in magna synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profecto indecoram facitis (*a*).

Age vero canonem illum quintum Sardicensem, quem extra suam naturalem sedem Dionysii Exigui codd. exhibent, subjiciamus; quemque duabus vocibus omissis mutilum et obtruncatum Quesnellus adduxit, repugnantibus omnium interpretum versionibus. *Hosius episcopus dixit : Placuit ut siquis episcopus delatus fuerit, et congregati ejusdem regionis episcopi, cum gradu moverint, et velut appellans confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ episcopum, et velit ipsum audire, et justum esse æstimaverit ejus rei examinationem renovari, coepiscopis scribere dignabitur, qui sunt propinqui provinciæ, ut ipsi diligenter et accurate singula perscrutentur, et ex veritatis fide de re sententiam ferant. Siquis autem postulet suum negotium rursus audiri, et ad suam supplicationem Romanorum episcopum judicare visum fuerit, ut a proprio latere presbyteros mittat, erit in potestate ipsius quodcumque recte habere probaverit. Et si decreverit oportere eos mitti qui cum episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus a quo missi sunt, et hoc ponendum est. Si autem sufficere putaverit ad rei cognitionem, et episcopi sententiam, faciet quod prudentissimo ejus consilio recte habere videbitur. Responderunt episcopi : Quæ dicta sunt placuerunt* (*b*). Hunc igitur canonem duobus præcedentibus mire concinere animadvertit Christianus Lupus. Immo ad Romani pontificis auctoritatem magis explicandum illum editum fuisse, jam probant verba illa quæ innuunt posse mittere presbyteros a latere legatos, qui aut soli, aut cum alterius provinciæ vicinæ episcopis, causam cognoscant et finiant; ne in infinitum appellationibus locus præbeatur. Verumtamen solis vicinæ provinciæ episcopis, sine Romanorum presbyterorum assistentia judicare haudquaquam permittit. Fateor quidem varias apud antiquos et recentiores scriptores hujus canonis occasione ab interpretibus excitatas fuisse quæstiones, ut videre est apud clariss. Christianum Lupum (*c*). Verumtamen nemo tam studiose et violenter illum interpretari nisus est quam noster adversarius Quesnellus. Is namque, facta pro arbitrio nova canonis instructione, et subductis iis vocibus quæ plenam R.-P. auctoritatem indicant in excipiendis et resolvendis appellantium causis, contendit *judicium* **429** *renovari* et *concilium renovari*, pro uno et eodem accipi debere. Addens præterea : « Et vero si judicium pro sententia acciperetur, non fuisset dicendum in judicio, sed tantum *judicio*. Constat igitur concilium Romani episcopi hic intelligendum. At quale concilium, nobis investigandum est. Multiplex concilium Rom. pontifici subesse (asseverat). Et propterea præmissa vulgari illa distinctione graduum ecclesiasticæ administrationis Romano pontifici convenientium, videlicet Urbis episcopi, Romanæ provinciæ metropolitæ, suburbicariarum diœceseon primatis, Occidentalis tractus patriarchæ, in tota Ecclesia capitis et apicis, de diversis quoque synodis juxta causarum qualitatem disponere posse concedit. Sed cum ea cautione tamen, ut ipse solus numquam judicet, bene tamen habita ratione ad causas quas expendere eum oportet. Ita ut cum intra parœciam, seu diœcesim propriam, ad eum appellatur a sententia judicis inferioris, appellantis causa judicanda sit a synodo parœciali, seu ab ipso summo pontifice sui cleri consilio septo; cum ex provincia causa ad provincialem synodum spectet, cum ex diœcesibus suburbicariis ad diœcesanam, cum ex tractu Occidentali ad Occidentalem, cum ex aliis Ecclesiæ partibus ad œcumenicam et universalem, nisi ex libera appellantium optione ac libello aliud significetur. Ad hanc, A ni fallor, normam Sardicensis canonis sensus eruendus est, ac eadem ratione de Flaviani appellatione judicandum. » Lepida quidem, sed valde ingeniosa juris pontificii interpretatio, si stare posset. Sed quamvis varia a Quesnello adhibeantur fulcimenta pro ea sustentanda, attamen eam corruere faciunt primo ipsius canonis verba. Vetustissimi deinde interpretes, qui canonem explicarunt; denique vero papæ Leonis aliorumque Romanorum pontificum agendi ratio, qui appellantium causis susceptis, vel immediate ipsi (ut aiunt) judicium peremptorium enuntiarunt; vel dumtaxat concilium generale cogendum decreverunt, quando publicam judiciorum solemnitatem necessariam esse crediderunt pro tollendis gravissimis dissidiis et schismatibus quæ, ob diversas improborum hominum factiones, sanctissimarum Ecclesiarum statum nefarie cum catholicorum pernicie et scandalo vexabant, ad frangendam contumaciam eorum qui a fidei et disciplinæ ecclesiasticæ regulis aberrarunt, et ad reconciliandos B pœnitentes reos qui perpetrata crimina ejurassent, facta deinde solemni catholicæ fidei confessione, atque tandem ad exsequenda omnia et singula apostolicæ sedis statuta quæ pro temporum ratione et negotiorum qualitate necessaria videbantur. Quatuor igitur sunt distinguenda. Primum, protestatio depositi episcopi reclamantis et appellantis a sententia sive judicio provincialis synodi; alterum, tribunal apostolicæ sedis, ad quod appellatur; tertium, judicium ipsius apostolicæ sedis, vel Romani pontificis in parœciali synodo, vel in consistorio prolatum de appellantis causa, et juribus, et de præcedenti provincialis synodi sententia; quartum denique spectat ad exsecutionem ipsius apostolicæ sedis judicii, quæ cum multoties haberi non possit, vel sine novæ synodi patriarchalis aut generalis coactione, idcirco RR. PP. mittunt e suo latere legatos, ut singula quæ ab ipsis sunt definita fideliter exsecutioni demandentur. Non ergo verum est *judicium renovari* et *concilium* C *renovari* pro uno et eodem accipi debere, ut Quesnellus comminiscitur. Nam facta appellatio judicii utique renovationem exigit, quod, velit nolit, adversarius fateri debet, minime vero aliam concilii convocationem. Siquidem expressis verbis in ultimo a nobis exscripto canone habemus : *Si quis autem postulet suum negotium rursus audiri, et ad suam supplicationem Romanorum episcopum judicare visum fuerit ut a proprio latere mittat presbyteros, erit in potestate ipsius quodcumque recte habere probaverit*. At quæ libera potestas esset in Romanis pontificibus *ad quodcumque* probaverint, si ipsi jure non possent judicare, vel mittere de latere presbyteros, ut audiant negotium, propter quod appellans provocavit ? Profecto si PP. **430** plenam Rom. pontificibus potestatem non adjudicarent, sed ad unum novum concilium dumtaxat pontificia jura restringere voluissent, aliam loquendi phrasim adhibere debebant, cum inter multa media apta pro nova rerum cognitione, libera facultas ipsis D data sit illud eligere quod aptius et convenientius a prudentissimo eorum judicio judicabitur. Id expresse innuunt postrema illius mox recensiti canonis verba.

Nimis interim Quesnellus sibi blandiendo lætitiam affectare intendit, quod Flaviani causam ad generalem synodum fuisse delatam vigore appellationis unice Sardicensibus canonibus innixæ probare potuerit; et præterea, variis adhibitis contortis interpretationibus, quas omnino fallaces esse in præcedenti Exercitatione ipsi perspicue probavimus, stylum censorium in Joannem David iterum convertit, huncque tamquam lusorem illusoremque exagitat, quod scripserit Flavianum ad unicum et solum Romanum pontificem appellasse. At quis hominis conciliorum generalium.

(*a*) Julii papæ epistola ad Eusebianos, ubi supra, pag. 659. Gentiani Herveti interpretationem secuti sumus.

(*b*) Sardicensis canon 5 seu 7 exstat tom. II Con-

(*c*) Christianus Lupus, in scholiis et notis ad canones Sardicenses, pag. mihi 147 et seqq.

fidentiam apprime non intelliget, qui nostras rationes, A non cerebro excogitatas, sed ex sinceris monumentis haustas, conferre voluerit cum tot tantisque næniis, cavillis falsisque conjecturis, interpretationibus, quas ad novum systema firmandum roborandumque nimio studio congerere atque lectoribus exhibere satagit?

CAPUT XI.

Abolitis Ephesini latrocinii Actis, S. Leo varias epistolas scripsit ad Orientales. Sanctus Flavianus martyrio occubuit, et in hujus locum Anatolius suffectus est. R. P. non consentit in istius ordinationem, quousque solemnem fidei professionem juxta formam a se præscriptam non emittat. Ad hanc excipiendam quatuor e suo latere mittit legatos, qui Constantinopolim proficiscerentur.

1. Cum primum magnus Leo, ex Hilaro diacono, apostolicæ sedis legato Romam revertente, notitiam habuit omnium rerum quæ in Ephesino latrocinio B contigerunt; quamvis gravi animi sui mœstitia et dolore urgeretur ob catholicæ fidei dogma collapsum et universalem omnium Orientis Ecclesiarum subversionem, tamen non se abstinuit a judicio ferendo; sed, absque ulla hæsitatione, intrepidus ea usus est vigilantia et œconomiæ regulis quæ maxime supremum ipsius totius Ecclesiæ pastorale munus decebant, atque sua auctoritate et beneficio tot tantisque malis Chrysaphii artibus, Eutychetis blasphemiis et Dioscori impietate exortis, statim occurrere voluit; ut protinus eisdem mederetur, eademque penitus abolerentur. Primo itaque (a) omnia præcedentia illius deprædatoriæ synodi Acta, tamquam nulla atque irrita abolevit, ut non obscure Gelasius etiam papa indicavit ad Dardaniæ episcopos scribendo. *Itemque sanctæ memoriæ Flavianum pontificem* (*Græcorum intellige*) *congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum, secundæ sedis præsulem damnavit, et impiam synodum non con-* C *sentiendo submovit, ac pro veritate ut synodus Chalcedonensis fieret sola decrevit.* Nec mihi ex Launoii sententia objiciatur Gelasium summum pontificem ad ecclesiasticos canones respexisse quorum auctoritate et privilegiis dumtaxat Leonem Magnum usum fuisse laudata verba indicare videntur. Nam **431** S. Gelasius ipse explicavit quemadmodum quibusve regulis apostolica sedes insistens, ea rejicere consuescat quæ in synodis male gesta fuerunt, vel ea rata habeat et confirmet quæ veritati et justitiæ sunt consona. Addit enim: *Ubi etiam consequenter ostenditur quia male gesta synodus, id est contra Scripturas, contra doctrinam Patrum, contra ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit, et præcipue sedes apostolica non probavit, per bene gestam synodum, id est secundum Scripturas, secundum Patrum traditionem, secundum ecclesiasticas regulas, pro fide catholica et communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime sedes apostolica compro-* D *bavit, et debuerit, et potuerit immutari; bene vero gestam synodum juxta supradictum modum nova synodus nullatenus immutandam* (b). Gelasium ergo ibidem egisse de judiciis a sola apostolica sede absque ulla conciliorum congregatione factis, ex totius epistolæ contextu est manifestum. Quorum quidem judiciorum memorias pontifex colligebat ex authenticis apostolicæ sedis archiviis, vel mente retinebat tamquam ocularis testis omnium quæ in Flaviani et Eutychianorum causa contigerant. Ipse enim ad pontificatum fuit assumptus anno 492, et S. Leo ex hac luce migraverat 461. Vix ergo dubitare possumus apostolicam sedem, fidelem sacrarum Scripturarum, et doctrinæ Patrum interpretem atque custodem, ad quarum normam sua judicia dirigit, potuisse in irritum mittere, omnem synodum quæ hisce regulis non responderet; atque deinde sua decreta edita patefacere aliis episcopis, ne ratum habere auderent quod ab ipsa fuerat reprobatum. Hanc quidem agendi rationem secutum fuisse S. Leonem, constat ex mox describendis. Recurrente namque autumni tempore in quo Romæ anniversaria synodus solemniter agebatur, episcopis cæterisque Ecclesiarum ministris qui huc convenerant male gestam deprædatoriam Ephesinam synodum indicavit, ne quisquam Dioscoro et Eutychianæ factioni in posterum communicare auderet, sed omnes sancto Flaviano adhærerent. Miseratus præterea super infelicem statum omnium Ecclesiarum Orientis, de generali cogendo concilio statuendum esse judicavit. Etenim cum totius causæ summa ad ipsum omni divino et ecclesiastico jure esset devoluta, cum propter suorum legatorum reclamationem, tum propter Flaviani aliorumque appellationes, idcirco aptiora remedia seligere debebat, quæ collabentem fidem firmarent, lapsos episcopos erigerent, contumaces et obstinatos damnarent; et iis qui, minarum timore acti, captivas manus impiis subscriptionibus præbuerant, libertatem impertirent ad solemniter retractandum. Hac de causa igitur idem S. Leo, blande suaviterque cum Theodosio imperatore agens, variis epistolis huic insinuare curavit ut sublato quocumque obstaculo, juberet omnia in eum statum restitui *in quo fuerunt ante omne judicium*, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregaretur. Suis hisce insinuationibus pariter Occidentalium episcoporum preces adjunxit, subjiciendo: *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus et lacrymis supplicant sacerdotes* (c). Ad quas supplicationes nulla alia ratione adducebantur, nisi ut gravissimis malis quibus Ecclesiæ Orientis angustiabantur facilius et expeditius posset mederi.

2. Interim quoque ut solamen aliquod Flaviani necessitatibus præberet, unam epistolam ad eumdem scripsit, ipsi maxime compatiendo ob gravissima mala quibus affligebatur, et se dolere testatur *eorum ruinas per quos veritas impugnabatur, et ipsa totius Ecclesiæ fundamenta quatiebantur*. Atque illum præterea certiorem facit *pro communi causa laborare, ut primitus ad ea quæ universitati fidelium prosunt pervenire mereamur* (d). Hæc autem epistola nobis indicat nondum S. pontifici Flaviani **432** mortem innotuisse. Quare erudite eminentissimus cardinalis Baronius, cui etiam Quesnellus suffragatur, annotavit variam fuisse de hujus sancti episcopi nece famam, ob diversas scriptorum sententias (e). Prosper enim, in Chronico, ait quod S. *Flavianus inter manus eorum a quibus in exsilium ducebatur glorioso ad Christum fine transivit*. Nicephorus asseverat triduo post decessisse. Apud comitem Marcellinum et in Græcorum Menologio legimus *apud Epypam Lydiæ relegatum, ibique tædio, dolore et tormentis confectum exanimatumque*. Quibus similia habet breviculus Eutychianistarum: Ducitur in exsilium Flavianus et apud Epypam, quæ est Lydiæ civitas, seu superveniente seu ingesta morte defunctus est. Libellus synodicus, cap. 85, calcibus occisum dicit. Cædis auctorem, Acta Chalcedonensis synodi Barsumam monachum arguunt. Evagrius, lib. II Historiæ, cap. 2, ex Eusebii Dorylæi fide, Dioscoro ejus mortem tribuit, a quo calcibus impetitus, ab ecclesia extrusus et interfectus dicitur. Sane ejus impulsu (ait Quesnellus) pessime affectum nemo dubitat. Plurimi tandem in

(a) Vide quæ diximus cap. 9 præcedenti harum Exercitationum.

(b) Gelasii papæ epistola ad Dardaniæ episcopos 13 exstat tom. V. Conc. generalium, pag. mihi 326 et seqq. Accedit fides antiquorum editorum, et mss. codd.

(c) Epist. 40 ad Theodosium.

(d) Epist. 42 ad Flavianum.

(e) Baronius, tom. VI, ad Christi annum 449, pag. 97.

concilio Chalcedonensi Dioscorum percussorem et homicidam Flaviani et alterum Cainum appellarunt. In hac porro tanta scriptorum varietate unum evidentissime constat, Flavianum videlicet, verberibus affectum maximisque ærumnis confectum spiritum emisisse. Et quamvis ejus mortis tempus certo definiri haud possit, tamen conjicere possumus non contigisse nisi anno sequenti 450, et in hieme probabiliter, ut ex successoris ordinatione facile evinci potest. Græci ergo quotannis illius triumphum celebrant die 18 Februarii, qua translatio ejus Constantinopoli facta est sub Marciano. Hinc laudatus Baronius hocce præconium in Græcorum Menologio descriptum refert : « Commemoratio S. Patris nostri archiepiscopi Constantinopolitani Flaviani, qui, ab impio Dioscoro et hæreticis cum eo conspirantibus ejectus atque in exsilium missus, variis pressuris et ærumnis vexatus vita functus est. Quibus paria recipit Occidentalis Ecclesia eadem die. Unum denique minime prætermittendum censeo : nimirum, ipsum cardinalem Baronium, ex tot mox laudatis sententiis eam veriorem judicasse qua affirmatur Flavianum perrexisse in exsilium : immo contusum verberibus per milites, catenis vinctum fuisse perductum, illicque victricem animam auctam corona martyrii, triumphali pompa decoram, ad Deum migrasse. Sed in maximo honore Romanam Ecclesiam Flaviani virtutes habuisse, hujusque gloriosa pro fidei catholicæ defensione certamina, produnt picturæ illæ musivo expressæ in nobilissimo S. Crucis oratorio, quod ad dexteram baptisterii Constantini Hilarus S. Leonis legatus, et deinde istius in pontificali Romana sede successor, construxit. Quod integrum oratorium, etsi solo æquatum sub Sixto ob bella ingruentia in Italia, tamen ipsius memoria (ait Baronius) saltem in chartis restituta fuit (a).

3. Constantinopolitana interim Ecclesia sancto suo privata pastore, mœrore et tristitia afflictabatur. Et eo magis, cum in defuncti locum Anatolium vidit subrogatum. Is namque cum jam pridem Dioscori Alexandrini apocrisarius fuisset, et imperatorum patrocinio tueretur, etiam in ecclesiasticis rebus administrandis, animum in Eutychetem hujusque factionem nimis propensum habere posse merito S. Leo arbitrabatur. Sed Anatolium post adeptam Constantinopolitanam sedem minime Dioscoro adhæsisse, pluribus argumentis demonstrari potest. Primo videlicet, quia certior factus Dioscorus omnia latrocinalis synodi Acta solemniter S. Leonem
433 cum Romano concilio abolita et irrita declarasse, ipse irarum impotens, Alexandriam reversus, habuit episcoporum conventum, in quo excommunicationis sententiam protulit in summum pontificem, idque scelus perpetravit, quod nullus perditorum hominum cogitasset. Ad quod gravissimum facinus dumtaxat decem episcopos lacrymantes et invitos potuit inducere. Qua occasione, pro ejus partibus minime Anatolium stetisse, certissimum est. Secundo Anatolius ipse, quasi præsentiens suam in Constantinopolitanum episcopum electionem minus gratam et acceptam, quinimmo maximopere multis de causis suspectam summo pontifici Leoni esse futuram, qui gravioribus motivis ex Nicænis canonibus desumptis adductus detrectasset eum tamquam legitime electum habere, et cum ipso communicare, suis et imperialibus litteris, forte labente mense Maio scriptis, se in apostolicæ sedis communionem in posterum habendum humillime petiit. Anatolii enim epistolam temporum injuria aut deperditam esse, aut adhuc in secretioribus archiviis asservari probabile est. Illius

A dumtaxat superest fragmentum, Græce et Latine in Quesnelli editione, quod (ait) ex Regio ms. cod. extractum, quodque lumen aliquod nobis exhibet pro historia quam describimus. Ex eo igitur intelligimus quod, vita functo Flaviano, Theodosius imperator curam suscepit ut Constantinopolitanus clerus inquireret qui eam Ecclesiam posset regere. *Ac primo* (ait) *quidem demandavit religiosissimo ejusdem urbis clero ut ad gubernationem aptiores decernerent cum probatione, sibi electionem omnium præcipui reservans.* Veruntamen imperatoris mandatum non facile pravos ambitus quorumdam motus potuit cohibere. *Nam inter electores immoderata dissensione exorta, cunctisque hinc erga multos in varia studia scissis, iterum imperator jubet conquiri clericos in regia urbe, etiam ex aliis civitatibus, ob quædam (ita ut fit) negotia degentes, quo inter illos præstantior absque ullo affectu in episcopalem dignitatem promoveretur.* Quibus verbis indicatum est Anatolium se purgare voluisse ab ambitus nota, qua juste postulari poterat ob summam

B cum Dioscoro antecedenter habitam conjunctionem. Tandem ait se omnium suffragiis fuisse in episcopum primatem electum, *non propter justitiam* (ait) *meam, sed ut Christus Jesus in me ostenderet omnem patientiam suam, juxta Apostolum.* Electionem autem ordinatio excepit. Nam episcoporum Constantinopoli versantium synodus *ad me ordinandum* (subjicit) *sine mora procederent.* Hæc dumtaxat de Anatolii electione et ordinatione ex laudato epistolæ fragmento indicata sunt. Quare maxime dolendum est quod cætera desiderentur, ex quibus intelligeremus Anatolium non tantum postulasse a S. Leone consuetam communionem, sed ut præsertim ratam haberet et confirmare dignaretur suam in Constantinopolitanum episcopum electionem, de qua re varia ipsi in antecedentibus annotavimus, loquentes de Eutychetis appellatione, atque iterum explicabimus de Anatolii epistola post Chalcedonense concilium ad eumdem S. Leonem scripta disserentes. Adhuc tamen magis

C dolendum est quod Theodosii epistola in Anatolii gratiam ad eumdem summum pontificem scripta prorsus interciderit. Cujus sensa dumtaxat colligere aliqua ratione possumus ex ejusdem S. P. ad ipsum imperatorem rescripto. Ad quod animadvertens Baronius ait : Etsi infelix ab Eutychete atque Dioscoro deceptus, et in transversum actus, ratam habuit Flaviani damnationem, haud tamen eo impietatis profundo demersus est, ut auctoritatem R. Ecclesiæ contemnendam prorsus existimarit : immo eamdem sedem omnium caput intelligens, non prius Anatolium a Dioscoro in locum Flaviani suffectum recipiendum putavit, quam ab ipsius R. P. probaretur assensu, deque his litteras daret ad S. Leonem, exploraturus ejus voluntatem, et auxilium imploraturus. Addit id exacte probari ex S. P. epistola, de qua mox dicturi sumus. Gravis tamen quæstio excitabitur, si hanc S. pontificis epistolam cum præcedentis Anatolii epistolæ fragmento conferamus. 434

D Nondum enim Anatolium fuisse sacra episcopali ordinatione initiatum, non obscure indicare videntur S. pontificis verba, *qui suum consensum ad ordinationem illius suspendit, et fidei professionem exigit*; quemadmodum etiam legimus in primo capite synopsis hujus epistolæ. Sed clarius id etiam eruimus ex ipsis Leoninis verbis : *Sed ne* (ait) *in præjudicium catholicæ defensionis viderer egisse, de ordinatione ejus qui Constantinopolitanæ cœpit Ecclesiæ præsidere nihil interim in alterutram partem temere scribendum putavi, non dilectionem negans, sed manifestationem catholicæ veritatis exspectans* (b). Quæ sane verba etiam absque

(a) Theodoretus laudis vocibus et egregiis præconiis sancti Flaviani victorias celebravit in epistola ad eumdem scripta, quam integre retulit Baronius, tom. superius laudato. Consule etiam ejusdem Rom. Martyrologium, ad diem 18 Februarii.

(b) Nescio qua ductus ratione Quesnellus vocem illam *temere* e Leonino textu expunxerit. Illam non tantum exhibent aliorum editi, sed omnes Vat. codd. quibus et Grimaneum tantopere ab ipso Quesnello laudatum respondere ipsi ex ms. exemplari ad nos

violenta interpretatione explicari possent Anatolium A nondum fuisse ordinatum, sed electum episcopum tantummodo fuisse; et tum Romani pontificis consensum exspectasse, ut sacræ ordinationis donum obtineret. Sed isthæc explicatio minime cohæret Anatolii verbis, quibus fassus est episcoporum synodum Constantinopoli versantium sine mora ad eum ordinandum processisse. Quare, ad utriusque epistolæ sensa concilianda, alterutrum esse affirmandum arbitror : nimirum, imperatorem ad S. Leonem scripsisse statim post Anatolii in episcopum electionem, et antequam ab episcopis ordinaretur ; sibique fidenter fuisse blanditum, haudquaquam hujus ordinationem R. P. fore reprobaturum, et idcirco eodem spiritu quo motus fuerat ad procurandam Anatolii electionem paulo post egisse ut synodus eum ordinaret. Ex qua animadversione illud alterum necessario consequitur, videlicet fragmentum illud epistolæ Anatolii extra suam sedem in Quesnelliana editione esse collocatum, et propterea post Theodosii epistolam debuisse locum obtinere.

4. Quidquid vero de præsenti valde ambigua quæstione dici possit, haud ad nostrum arbitror pertinere institutum. Potissimum cum apostolicæ sedis jura integre salva custodita manserint ex Leonis agendi œconomia, qui suspensus hæsit in assensu dando Anatolii ordinationi, quoadusque certa atque solemnia testimonia non obtinuisset, cum de novi episcopi probitate et fidei sinceritate, tum etiam de iis cum quibus communionem habebat. Reverenter igitur agens cum imperatore, simul pontificiæ dignitatis majestatem auctoritatemque tenens et exercens, petit ut imperator ipse ægre non ferat ipsius animi suspensionem, dicendo : *Quod æquanimiter ferat obsecro vestra clementia ; ut cum talem se erga fidem catholicam qualem cupimus approbarit, de sinceritate ipsius copiosius et securius gaudeamus.* Quare ad abjiciendam quamcumque sinistram suspicionem, occasionem totius difficultatis quærit amovere, non ardua exigendo, sed eum invitat ad id quod nullus catholicorum potest refutare. Videlicet, petit ut Anatolius in suam mentem revocet Græcorum et Latinorum PP. de incarnationis mysterio doctrinam, ex qua Nestoriana hæresis fuit jam condemnata; relegat simul quæ a Cyrillo Alexandrino episcopo prædicata fuere in Nicænæ fidei expositione, *quamque ab eo missam apostolicæ sedis scrinia susceperunt. Ephesinæ* (ait) *etiam synodi gesta recenseat, quibus contra Nestorii impietatem a sanctæ memoriæ Cyrillo inserta et allegata sunt de incarnatione Domini catholicorum testimonia sacerdotum* (*a*). His addit ut non sperneret *etiam recensere meam epistolam* (intellige 24 ad Flavianum) *quam pietati Patrum per omnia concordare reperiet. Cumque a se hoc quod eidem profuturum sit expeti desiderarique cognoverit, catholicorum sententiis toto corde consentiat; ita ut* **435** *sinceram communis fidei professionem absolutissima subscriptione coram omni clero et universa plebe declaret, apostolicæ sedi et universis sacerdotibus atque Ecclesiis publicandam.*

5. Quia vero hæc omnia subdole dumtaxat atque apparenter ab Anatolio, cujus fides merito apostolicæ sedi suspecta erat, potuissent præstari, quin Rom. pontifex ob locorum summam distantiam gestorum veritatem certo cognosceret, omnem curam adhibuit ne falleretur, suggerendo imperatori, videlicet, cum Anatolio agere ut quamprimum (ait) *ad nos Constantinopolitani episcopi, qualia debent probati et catholici sacerdotis, scripta perveniant, aperte scilicet atque lucide protestantia quod si quis de incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat, aut asserat, quam catholicorum omnium et mea professio protestatur, hunc a sua communione secernat, ut ei fraternam in Christo charitatem merito possimus impendere* (*b*). Hæc S. Leo ab Anatolio exigit, quibus plane illud addidit, ut in Dioscorum, Eutychetem et omnes ejus sectarios pronuntiaret anathema (*c*). Quæ quidem Anatolii Constantinopolitani antistitis fides ita exploranda erat, ut omnis ambigua aut contraria suspicio a pontificio animo removeretur. Idcirco, nulla mora interposita, quatuor probatæ vitæ e latere legatos Constantinopolim mittere decrevit, qui ejusdem professionem exciperent, pontificiis instructionibus omnino consonam, ut exinde dignosceretur num novus episcopus apostolicæ sedis communione dignus esset habendus. De hac quippe solemni legatione eumdem Theodosium imperatorem in eadem epistola hisce verbis admonuit : *Ut autem salubribus curis velocior pleniorque, auxiliante Domino, per vestræ clementiæ fidem præstetur effectus, ad pietatem vestram fratres et coepiscopos meos Abundium, et Asterium, sed et Basilium, et* B *Senatorem presbyteros, quorum mihi devotio est probata, direxi, per quod quæ nostræ forma sit fidei, manifestatis instructionibus quas misimus, possitis dignanter agnoscere. Ut si Constantinopolitanus antistes in eamdem confessionem toto corde consentit, securi (ut dignum est) de Ecclesiæ pace lætemur, neque aliquid residere videatur ambiguum, ut de superfluis forsitan suspicionibus laboremus.* Non ergo quamcumque fidei professionem ab Anatolio exigebat, sed eam quæ adamussim responderet legatorum instructionibus, et formulæ a se ipso conscriptæ, et novo episcopo propositæ; qui deinde etiam sub jurejurando se obstringere debebat solemniter coram universo clero et Constantinopolitana plebe ad eam perpetuo servandam et profitendam. Qualia ergo fuerint summi pontificis jura in Orientalium Ecclesiis, non est opus hic recenseamus, cum ex ejusmodi agendi ratione summam et maximam auctoritatem indicante plenissime omnibus innotescant.

C 6. Horum tamen legatorum missionem ad alium etiam scopum Leonem direxisse, sequentia illius epistolæ patefaciunt : *Sin vero aliqui a puritate nostræ fidei atque a Patrum auctoritate dissentiunt, concilium universale intra Italiam, sicut synodus quæ ob hanc causam Romæ convenerat mecum petit, clementia vestra concedat, ut in unum convenientibus omnibus his qui aut ignorantia aut timore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur.* Qui sane ad hocce dictum animadvertere non recuset, apprime intelliget nulla alia de causa Leonem ad præscribendam generalem synodum adductum fuisse, nisi ut, convenientibus in unum omnibus prolapsis, correctionis remedia sacerdotali auctoritate iisdem præberentur. Non ergo synodum generalem fieri Flaviani appellatio postulabat; non ipsius a rebus ecclesiasticis expulsio, ut ait Galla Placidia (*d*). Nec enim ab hisce causis Romani pontificis animus ad eam postulandam **436** moveri potuisset, cum Flavianus eo temporis intervallo hominem jam exuisset, et in Constantinopolitanum thro- D num novus episcopus esset suffectus. Quare nova argumenta colligimus ad roborandas præcedentes Exercitationes, superioribus in capitibus conscriptas. Præcedenti epistolæ, aliam non absimilem idem summus pontifex scripsit ad Pulcheriam Augustam, in cujus synopsi totius textus summa legitur. Ejusmodi enim est : *Anatolii professionem fidei se exspectare; legatos a se missos in Orientem; per concilium generale removenda esse scandala.* Hæc ergo epistola, si cum præcedenti scripta ad Theodosium conferatur, ambas verbis dumtaxat inter se differre notum erit; et in fine ipsius Augustæ clementiam pulsat, *ut, ipsa annitente, jubeatur universale concilium sacerdotum* transmisso cognovimus. Esse autem necessariam ad indicandam S. P. circumspectam agendi rationem, reliqua illius loci verba patefaciunt.

(*a*) Leonis epistola 53 ad Theodosium, cap. 1, apud Quesnellum, pag. 272 prioris tom.

(*b*) Leonis epistola 53 ad Theodosium, cap. 1, apud Quesnellum, pag. 272 prioris tomi.

(*c*) Baronius, tom. VI, pag. 115.

(*d*) Gallæ Placidiæ epistola ad Pulcheriam Augustam exstat tom. IV Concil. generalium Labbei.

intra Italiam haberi, quo, remota arte fallendi, tandem pateat quid altiore tractatu aut coerceri debeat aut sanari (*a*).

7. Diligentius interim inquirendum esse arbitramur cur S. Leo summus pontifex suspensus hæserit in assensu præbendo Anatolio jam ad episcopatum Constantinopolitanum assumpto, distuleritque ad eum scribere *non dilectionem negans, sed manifestationem* catholicæ veritatis exspectans. Hanc pontificii animi suspensionem ex multis causis originem habuisse superius indicavimus. Duas tamen inter cæteras idem S. Leo expresse patefecit in alia epistola ad archimandritas monasteriorum Constantinopolitanorum scripta, quæ apud Quesnellum 53 est. Alias vero 34. In hac quippe epistola se laborare sollicitudine asseverat, quæ eum metuere compellit ne improbitas Eutychiana, *quæ in suis fuerat amputanda principiis, processu temporis fieret pertinacior et latior.* Animi timor augebatur ex Constantinopolitani novi episcopi et eorum qui illum consecraverant agendi ratione : *Qui præter id, ait, quod ad ordinationem novi antistitis pertinebat, nihil nobis de compressis vel abdicatis erroribus indicarunt, quasi in illa Ecclesia nullum scandalum, nulla extitisset offensio, aut non hinc præcipue fuerit ordinati meritum demonstrandum, si aliena a se quæ catholicorum sensibus sunt adversa docuisset.* Admonitus ergo dumtaxat fuerat S. Leo de Anatolii ordinatione, quin imperator, vel episcopi qui ad Anatolium ordinandum convenerant, apostolicæ sedi sinceram fecissent relationem de Constantinopolitanæ Ecclesiæ statu, et sincerum dedissent testimonium de fide, meritis qualitatibusque novi antistitis electi, qui non solum cum Romano pontifice communicare intendebat, sed ulterius petebat ut ipsius electio et ordinatio in episcopum tamquam canonica haberetur. *Quare ne, quod,* ait S. P., *inter longinquas regiones accidere solet, in nimias dilationes tenderet veritatis examen, atque nequidquam temere ageret,* neve aliquod ratum haberet quod fidei causæ et Romanæ sedis juribus obesset, solemnem illam legationem decrevit, probatissimis illis quatuor viris data *sufficienti paternarum auctoritatum instructione. Quos* (subjicit) *in omnibus, fratres charissimi, diligentia ac sollicitudine vestra cupimus adjuvari.* Confisus tandem in fide, doctrina laudatorum archimandritarum, quos noverat maxime diligere veritatem, eos ad labores pro fidei causa impendendos hisce honorabilibus verbis hortatur, catholicæ fidei sacramentum et Romanæ sedis auctoritatem commendando : *Et ideo vos, qui justificamini per fidem quia catholicam diligitis veritatem, et de singulari sacramento salutis humanæ per Spiritum sanctum estis edocti, collaborate nobiscum, et quanta potestis devotione satagite, ut, falsitate destructa, et fidei soliditate defensa, secura per totum mundum Dei pace potiamur.*

8. Leoni tamen vehementer fidei catholicæ firmitatem et Orientalium Ecclesiarum tranquillitatem optanti nondum omnes præcautiones, **437** et necessaria media adhibuisse videbatur, si præter epistolas ad Theodosium, Pulcheriam et archimandritas Constantinopolitanos scriptas, adhuc usque ad felicem hujus causæ exitum non laborasset. Quare, Constantinopolim versus sollicite itinerantibus jam quatuor legatis a se missis, ipse S. pontifex alias et alias epistolas scripsit. Alteram nimirum ad Martinum presbyterum, et reliquas ejusdem collegas, ut ex ipsius contextu ad marginem Quesnellus ipse merito annotavit, quos laudat propter mala ab ipsis in veritatis defensionem perpessa, cujus veritatis unitatem locorum spatia non scindunt. Atque tandem protestatur suos legatos misisse *ad roborandam fortitudinem sanctarum mentium*, quorum pio operi ut curam atque consilium adjungant hortatur (*b*). Aliam pariter non multo post scripsit ad duos *presbyteros Faustum et Martinum.* An vero Martinus, cui nova hæc epistola inscribitur, idem sit cum Martino cui præcedens data est, non judicabo (*c*). Valde probabile tamen est unum et eumdem fuisse hujus nominis presbyterum. Hos ergo presbyteros summus pontifex suorum laborum quos pro cura universalis Ecclesiæ impendebat consortes habere volebat. Et sibi persuadens jam a legatis tum Constantinopolim commorantibus plenissimam omnium agendarum rerum instructionem habuisse : *Adhuc nunc* (ait) *per filium nostrum Maximinum comitem continuatim vos colloquiis cohortamur, ut quia propitio Domino multum catholicorum est aucta libertas, sumatis constantiam spiritualem contra Antichristi præcursores.* Hisce verbis postremis impetere et exagitare voluisse Nestorium et Eutychetem, ipse S. P. immediate post in subsequenti capite explicavit. Quemadmodum ergo aucta esset catholicorum libertas, ex qua laudatos presbyteros sumere oportebat constantiam spiritualem contra Antichristi præcursores, S. Leo non indicavit. Propterea ex aliis monumentis id exquirere nobis opus fuit, ut lectoribus id patefaceremus, quod Quesnellus annotare prorsus prætermisit. Duplici ergo titulo catholicorum libertatem auctam fuisse intelligimus. Primus fuit quod, perdurante in Oriente gravissimo schismate quo *Ægyptii, Thraces, Palæstini episcopi Dioscorum sequebantur, Orientales, Pontici, Asiani, partes Flaviani et catholicorum tenebant,* ut ait Liberatus diaconus in Breviario, c. 12, nec schisma illud post Flaviani necem imperator vidisset abolitum, nisi secum ad mala quæ Orientalium Ecclesiis obvenerant serio recogitare cœpisset. Qui cum jam pridem optimis institutionibus a Pulcheria imbutus fuisset, deinde, moribus, in Ecclesiæ perniciem, depravatus a Chrysaphio eunucho et Eudocia conjuge, occasionem dederat tot tantisque malis in Oriente gliscentibus, ob favorem atque præsidium hæreticis, schismaticis atque prædonibus usque ad illud tempus præstitum. Verumtamen divino illustratus lumine, se spadonis astutia et Eudociæ conjugis artibus deceptum comperit. De admissi ergo sceleris expiatione in posterum novis sanctissimæ Pulcheriæ insinuationibus facienda deliberavit. Quare cum S. Flaviani necem reparare non posset, in Chrysaphium omnem suum effudit furorem. Itaque primum illum dignitate, mox etiam substantia omni exspoliatum in insulam quamdam relegavit, ut Nicephorus tradit, qui eumdem inter navigandum haustum fluctibus narrat. Sed de eo quoque verba faciens Cedrenus, a Jordane interfectum fuisse asseverat; cui Marcellinus comes suffragari ex parte videtur, qui ait : Pulcheria autem injustissimum istum eunuchum Chrysaphium Jordani tradidit Joannis filio quem ille dolo necaverat, atque Jordanes vicem rependit (*d*). Alia quoque pœnitentiæ **438** argumenta idem Theodosius jam exhibuerat, Eudociam conjugem tamquam alteram omnium Orientis malorum originem acri objurgatione exagitavit, et ad pœnitentiam agendam Hierosolymam misit, atque alia multa præstitit, quæ a Nicephoro describuntur, quamvis revera (*e*) Baronius merito lectores admoneat Nicephorum allucinationem esse passum, cum scripsit Theodosium jussisse ut Flaviani sacrum corpus

(*a*) Vide quæ scripsimus cap. 6, 8, 9 et 10, occasione Eutychetis et Flaviani appellationum.

(*b*) Epistola hæc, apud Quesnellum 55, alias 36, scripta fuit idibus Septembris anno 450, quando jam Abundius Comensis et Asterius episcopi cum aliis duobus pontificiis legatis ad Constantinopolim iter direxerant. In Grimaneo cod. ejusmodi epistola variis falsis lectionibus referta est, ut convenientius alibi videbimus.

(*c*) Minime prætermittendum censeo aliqua manuss. exemplaria et edit. pro *Martino Martianum* exhibere.

(*d*) Nicephorus, lib. XIV, c. 49; Cedrenus, pag. 334; Baronius, tom VI, pag. mihi 117.

(*e*) Baronius, tom. VI, pag. mihi 117.

in Constantinopolitanam urbem solemni pompa transferretur. Hanc enim translationem decreto Marciani contigisse, exploratum est.

9. Ut autem res contigerint, in præsens inquirere opus non est. Quare cum non aliud interim nobis occurrat quod ad Leonis pontificiam agendi rationem pertineat, idcirco ab hac Exercitatione manum removemus. Unica dumtaxat superest brevissima epistola ad Faustum presbyterum scripta, in qua S. Leo istius fidem laudat, et ad sollicitudinem hortatur. Sed an hæc præcedentibus socianda sit, nec ipsius textu, in quo nulla mentio facta est de rebus Constantinopoli per legatos agendis, indicatum est; neque ex consulari nota, quæ desideratur, colligi potest. De Constantinopolitana ergo synodo, in qua solemnis ab Anatolio fidei professio emissa fuit, ac de reliquis a sancto Leone Magno gestis ante Chalcedonense concilium, verba facere nos in hoc sequenti capite reservamus.

CAPUT XII.

Theodosius Augustus pœnitentiam agens moritur. Pulcheriæ Augustæ studio et S. C. Marcianus imperator renuntiatur. Is statim Eutychianos pœnas solvere jubet. Scribit ad S. Leonem de nova habenda generali synodo. Abundium cæterosque Leonis legatos honorifice suscipit. Constantinopolitanum celebratur concilium in causa Anatolii atque lapsorum. Iterum Marcianus et Pulcheria a S. Leone generale fieri concilium petunt: Theodoreti, Ibæ et Aquilini episcoporum litteræ ad Abundium R. P. legatum.

1. Catholicorum libertas Theodosii imperatoris pœnitentia aucta, majora adhuc incrementa obtinuit, cum, mortuo Chrysaphio, et Eudocia ab imperiali aula procul amandata, sanctissima Pulcheria, quam imperator præ cæteris sororibus adamaverat et Augustam appellaverat, sensim potuit in fratris animum eas sinceræ pietatis institutiones excitare, quibus eum imbiberat a pueritia, quando videlicet piissima soror fratris natu major eum fere ab infantia usque ad vigesimum saltem suæ ætatis annum educaverat. Itaque Theodosius majora adhuc pœnitentiæ signa daturus insignem Dei genitrici ædem sacram construxit, et cum ejus obitus appropinquaret, Ephesum venit sanctum Joannem evangelistam veneraturus, templumque ingressus, orationi sese dedit, in qua etiam quis ei in imperio Romano successurus esset edoceri se a Deo petiit. Quod ubi per visionem Deus ei ostendit, Constantinopolim rediit. Paulo post ipsius mors subsecuta est. Nam exercitum adversus Attilam ducens, Urbe egressus est, inter equitandum equo delapsus, spinæ vertebram luxavit. Quapropter lectica in palatium relatus est, et ubi moriturum se sensit, secreto vocata ad se sorore Pulcheria, de Marciano tribunitio successore in imperio habendo locutus est, Deo gratum placitumque esse dicens, ut ille post se ditionem **430** Romanam ministraret. Hæc fere in terminis ex Nicephoro (a) descripsit Baronius, qui animadvertit Theodosianæ mortis causam, aliter describi a Theodoro in Collectaneis; qui ait: « Theodosius junior ad venationem egressus, et in fluvium Album abreptus sequenti nocte mortuus est, et in sepulcro Arcadii patris ipsius sepultus est. Et Eudocia imperatrix Hierosolymam profecta non est amplius reversa. » Inter cætera quæ ad nostrarum Exercitationum scopum spectant, minime hujus mortis tempus attendendum esse arbitramur, ut inde intelligamus an Constantinopolitana synodus S. Leonis jussu in Anatolii causa celebrata contigerit adhuc superstite Theodosio, vel cum imperii habenas Marcianus acceperat. Baronius Theodosium obiisse quarto kal. Augusti anni 450, suæ ætatis unde quinquagesimo, asseverat. Et paulo post, sanctæ Pulcheriæ voluntate, ex senatus-consulto delatum est imperium Marciano. Cujus sanctæ feminæ consilium maxime scriptores laudarunt, quod conjugii titulo virum evehere voluerit in imperium ætate maturum, consilio gravem, continentia probatum, atque militari virtute undique spectatum; ut nimirum hac electione, et industria, facilius imperii et religionis rebus prospiceretur. Et quidem Marcianus vix imperiali purpura indutus, omnia erga religionem argumenta pietatis exhibuit. Legem imprimis tulit contra Eutychianos, qua eos iisdem pœnis esse puniendos decrevit quæ superioribus legibus adversus hæreticos constitutæ sunt. « Jubemus (ait) teneri, et extra ipsum solum Romani imperii repelli, sicut de Manichæis præcedentium legum statuta sanxerunt. Dat. kal. August., Valent. VII et Avieno conss. » Deinde ad Romanum pontificem oculos convertens, hujus nutu omnia facere animo statuens ad sanctum Leonem litteras dedit, de sua in imperatorem electione illum admonet, atque tandem pro omni impio errore abolendo et Christianis rebus summa pace componendis, ipso Leone auctore, synodi celebrandæ annuere quam libentissime protestatus est. Ait enim: *Ut omni errore sublato per celebrandam synodum, te auctore, maxima pax circa omnes episcopos fidei catholicæ fiat, ab omni scelere pura et intemerata consistens* (b). Hanc epistolam scriptam fuisse hoc anno 450, ex nota consulari innotescit. At Leoni redditam non fuisse nisi anno sequenti, in quo Adelphius consulatum agebat, certissimum est.

2. Hoc temporis intervallo Abundius et Asterius aliique duo legati Constantinopolim in Anatolii causa missi illuc pervenerunt, litterasque pontificis ad Theodosium jam vita functum directas, Marciano successori porrexerunt. Quibus acceptis, et perhonorifice cum legatis agens, omnibus S. Leonis petitionibus fieri satis præcipit, et incunctanter provincialis synodus Constantinopoli cogitur, in qua et de Anatolii fide, et de recipiendis lapsis ad pœnitentiam venire volentibus pertractatur. Temporis injuria istius synodi Acta deperdita esse cum multis aliis monumentis ad ejusmodi causam spectantibus, graviter dolendum est. Nihilominus tamen ex quodam eorumdem fragmento (c), et ex epistolis Marciani imperatoris, Pulcheriæ Augustæ, et ejusdem Constantinopolitani episcopi Anatolii, quasi integram gestarum rerum seriem eminentissimus Baronius descripsit, circa nonnulla alia deinde, quæ in illa Constantinopolitana synodo tractata fuere, hærens suspensus, quæ tandem ex Chalcedonensis concilii actionibus probabiliter colligi posse arbitratur. Non itaque in his expendendis diutius immorari nobis opus erit. Sed dumtaxat paucis indicabimus quidquid factum fuerit (d). Marcianus ergo, legatorum postulationibus **440** auditis, sua pragmatica sanctione jussit ut quotquot ex episcopis qui, pro catholica fide decertantes, Flaviani partibus in latrocinio Ephesino adhæserunt ab exsilio revocarentur, statim libere ad proprias sedes remearent. Deinde, Romani pontificis jussionibus maxime obtemperare cupiens, legatis liberam fecit facultatem convocandi ex vicinis locis episcopos etiam lapsos, ut in catholicæ Ecclesiæ communionem, servatis pontificiis instructionibus admitterent. Quare, convocata illa Constantinopolitana synodo: *Anatolius episcopus Constantinopolitanus novæ Romæ, accepta S. Leonis papæ epistola* (e) de confirmatione catholicæ fidei contra vesaniam hæreticorum, eam recitavit ante omnium conspectum, quam pariter eidem præsentaverat coram omnibus

(a) Socrates, l. VII, c. 22; Sozom., IX, cap. 1; Nicephorus, l. XIV, 17.

(b) Hæc Marciani epistola Græce et Latine exstat tom. IV Concil. Labbei, eamque in suam etiam transtulit editionem Paschasius Quesnellus tom. I, p. 176.

(c) Baronius, tom. VI, pag. mihi 119 et seq.

(d) Fragmentum illud Actorum laudatæ synodi exstat tom. IV Conciliorum, cum notis Severini Binii, pag. mihi 751.

(e) Epist. olim 10, in Quesnelli edit. 23.

beatus Abundius. Anatolius ergo episcopus plena devotione huic S. Leonis epistolæ *continenti catholicæ fidei veritatem, concordantibus etiam testimoniis PP. ab eadem apostolica sede decretorum, subscripsit, anathema dicens Eutycheti et Nestorio, et ipsorum dogmati cum sectatoribus eorum. Idipsum fecere omnes qui aderant episcopi, presbyteri, archimandritæ, atque diaconi.* Maxima quidem lætitia efferebantur corda non tantum Augustorum principum, sed etiam sancti Abundii, Asterii episcoporum, Basilii et Senatoris presbyterorum. Hi namque dixerunt : *Omnipotenti Deo gratias, quoniam reverendorum episcoporum, presbyterorum, archimandritarum, et totius cleri professiones cognovimus fidem rectam et a Patribus traditam profiteri. Sic eorumdem subscriptio gestis præsentibus inserta declarat.* Addunt præterea ipsi legati se missos Roma a Leone *ad insinuandam* cunctis fidem catholicam. Idcirco et ipsi anathema dicere Eutycheti, vel omni qui ejus perfidiam sequuntur, et dicunt in *Christo Domino ante incarnationem duas fuisse naturas, et post incarnationem unam tantum naturam.* Absentibus mandatum est ut per eos legatos idem exsequantur. Legati deinde apostolicæ sedis ad singulos metropolitanos Orientis miserunt celebrem S. Leonis epistolam ad Flavianum datam, eo fine, ut omnes eidem subscriberent; quemadmodum colligitur ex Act. 4 Chalcedonensis concilii. Tandem in hac synodo statutum fuit ut episcopi in latrocinio Ephesino lapsi redire volentes ad Ecclesiæ communionem, iisdem suæ dumtaxat, non totius Ecclesiæ, communio concederetur, et cautum fuit ne Dioscori Alexandrini, Juvenalis Hierosolymitani, et Eustathii Berytensis nomina ad altare recitarentur, eo quod tamquam impœnitentes et schismaticorum antesignani habiti sunt. Hic autem animadvertendum esse censuimus in errorem lapsum esse Harduinum, qui in notis ad hoc concilium male suspicatus est tunc anathema dictum fuisse Photio Tyrio, cum scripserit : *Eadem hæc fortasse synodus episcoporum in qua ab Anatolio C. P. Photius Tyri episcopus excommunicatus est, uti refertur in concilio Chalcedonensi actione 4.* At quis umquam credere potest causam tantopere Nicænis canonibus repugnantem, Photii religioni atque innocentiæ injuriosam, pertractari potuisse in synodo coacta a sanctissimis viris, Rom. pontificis legatis, contra apostolicæ sedis mandata? Igitur Photii Tyri excommunicatio, hujusque metropolitici juris violatio ab Eustathio Berytensi intentata, et pragmatico Theodosii typo roborata, non ad hanc, sed ad aliam præcedentis anni synodum, in qua Anatolius ad C. P. thronum evectus est, omnino referri debet. Nos enim hac de re integram conscripsimus dissertationem sub auspiciis SS. domini nostri Benedicti XIV, quam in conciliorum Academia recitavimus, hancque publici juris faciemus in altero sequenti libro de Chalcedonensis concilii actionibus disserentes (*a*).

441 3. Constantinopolitanæ itaque Ecclesiæ rebus in pace compositis, Marcianus imperator interea serio omnia Orientalium mala tollere et schismata abolere decrevit. Et primo jussit ut S. Flaviani corpus solemni apparatu et pompa in Constantinopolim deferretur, illicque sepeliri in basilica Apostolorum, in qua suorum episcoporum prædecessorum exuviæ reconditæ erant. Deinde ad summum pontificem Leonem novas litteras scripsit, in quibus, de Anatolii fide testimonio facto, reverenter eum Orientem adire invitat, et synodum celebrare, *ut suis et augustæ conjugis desideriis satisfaceret, et sacræ religioni quæ sunt utilia decerneret. Si vero* (subjicit) *hoc onerosum est, ut ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis litteris sanctitas tua manifestet, quatenus in omnem Orientem, et in ipsam Thraciam, et Illyricum, sacræ nostræ litteræ dirigantur, ubi nobis placuerit omnes sanctissimi episcopi debeant convenire, et quæ Christianorum religioni atque catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas definiverit sua dispositione declarent.* Hactenus Marcianus in altera epistola scripta ad S. Leonem (*b*) cui non absimilis est quam pariter ipsius conjux Pulcheria eadem scripsit occasione, quas ad Rom. pontificem delatas fuisse rationabiliter arbitramur ab Anatolii clericis Romam missis cum fidei professione, ut suo loco diximus.

4. Interim multo gaudio Theodoretus exsultavit, quod Marciani pragmatico, et pontificiorum legatorum studio, ipse et alii qui contra Eutychetem decertaverant ab exsilio revocarentur, ut possent *episcopatum et Ecclesias proprias recipere.* Quare litteras dare non distulit Abundio Romani pontificis legato. Quibus primo testatur in Romana Occidentis Ecclesia *veram et apostolicam fidem pia mente conservari*, atque ob id gratias Deo Omnipotenti egisse fassus est, potissimum *quod religio, quæ in Oriente periclitabatur, renovata est per sanctitatem vestram, et venit in lucem.* Hanc Romanam fidem Noetiœ arcæ comparat, quatenus Ecclesia Occidentalis reservata a diluvio Eutychianæ hæresis, *ut ex iis etiam Orientales sacrosanctæ Ecclesiæ veram custodiant religionem, quam vastare jam et devorare penitus sacrilega et nova hæresis tentabat.* Addit plenam fidei veritatem didicisse *ex litteris sanctissimi ac religiosissimi archiepiscopi domini Leonis*, quem appellat magnum advocatum et propugnatorem veritatis. Quibus epistolis assensum præbuisse affirmat, et iisdem subscripsisse una cum Iba Edesseno, et Aquilino Bibli episcopis, *contra quos imperatorum potestatem inventores novæ hæresis armarant.* Tandem sequentibus verbis suam claudit epistolam (*c*) : *Superest ut vos cum sanctissimis viris auxilium sacrosanctæ Ecclesiæ feratis, auferatisque impia bella quæ impendebant. Prohibite itaque sacrilegam sectam, quæ contra pietatem [illegible] commota est, et pristinam Ecclesiis reddite pacem, ut fructus apostolicorum laborum accipiatis a Domino, qui eosdem fructus redditurum se repromisit.* Alia quamplurima ipsius Theodoreti erga apostolicam sedem subjectionis et reverentiæ argumenta hic subjicere possemus, quæ illius ævi Orientalium episcoporum doctrinam circa ecclesiasticarum rerum moderationem evidentissime patefaciunt; quæque innuunt nonnisi hæreticos atque schismaticos ausos fuisse Romanis pontificibus ea suprema jura denegare, quæ spectant vel ad fidei

(*a*) Paschasio Quesnello aliter ratiocinanti tom. II, dissertat. 1, de Vita et Rebus gestis S. Leonis M., pag. 154, haud assentiri possum, qui contendit, non Abundii aliorumque R. P. legatorum auctoritate in Anatolii causa concilium fuisse coactum, sed ab ipso Anatolio consessum episcoporum in Urbe existentium convocatum. Injuria carpit Baronium, quod jus illud Romanis legatis adjudicaverit. Apage, inquam, a me hanc erroneam opinionem, pontificiis juribus injuriosam, et rerum veritati repugnantem! Quid enim? Anatolius cujus electio et ordinatio facta ab hæretico et schismatico Dioscoro, qui Antiocheni patriarchatus auctoritatem sibi usurpaverat, cum sub judice esset, et, ipsis legitimis judicibus delegatis præsentibus, conventum, consessum, seu synodum convocasset? Quis id sine contentionum studio affirmare poterit, potissimum cum momenta quæ Quesnellus in medium ex act. 4 Chalced. adduxit non ad hanc Abundii, sed ad præcedentem synodum anni 449 referenda sint, ut ipsi in dissertatione nostra ad illam Photii Tyri actionem, quam superius indicavimus, evidentissime demonstrabimus. At etiam nostri adversarii erroneum judicium refellitur ex Theodoreti epistola ad Abundium Comensem. Is non Anatolii auctoritati concilium et hujus gesta adjudicavit, sed legatorum pontificiorum supremæ potestati, ut ex sequentibus innotescit.

(*b*) Consule hac de re S. Leonis epist. ad Anatolium, olim 40, apud Quesn. 60, cap. 3.

(*c*) Epistola hæc exstat apud Baronium, tom. VI, pag. 125, et in collectione Operum Theodoreti facta a doctissimo viro Garnerio societatis Jesu.

causas judicandas, vel ad appellationes ex omni mundi parte excipiendas, vel ad synodos generales cogendas, horumque judicia aut confirmanda, aut retractanda, vel abolenda. Verumtamen ne a S. Leonis gestis recensendis abscedere videar, illa in præsens prætermittam. Cum multa dicenda deinde occurrant in alia Exercitatione de ipsius episcopi Cyri ad apostolicam sedem appellatione, quam Quesnellus oppugnare et evertere nisus est.

CAPUT XIII.

Orientalium res in melius mutatæ, Eutychianis exitium parant, catholicis præsidium, et magni pontificis Leonis mœrorem vertunt in gaudium. Hujus gaudii testimonium exhibuit variis in epistolis ad Marcianum, ad Pulcheriam, ad Anatolium, ad Julianum Coensem scriptis. Istius patria inquiritur. Baronii, Henrici Valesii et cl. Stephani Baluzii opiniones annotantur. Omnem denique laborem S. pontifex impendit pro generali synodo habenda.

1. Sæpe ac multum hoc mecum cogitavi, mœrorisne an lætitiæ plus Leonis Magni animo attulerint Orientalis Ecclesiæ res, primum ob Eutychianam hæresim hujusque fautores tantopere perturbatæ, et pene ad exitium perductæ; et deinde plena tranquillitate cum catholicæ fidei triumpho et gloria, pontificio labore atque studio, feliciter compositæ, ut virgo Ecclesia, sponsa unius viri Christi nullo prorsus errore vitiari iniquorum fraudibus videretur. Quæstionem tamen definire ausus non sum (*a*). Idcirco ne meus labor in incertis inquisitionibus versetur, dumtaxat nunc affirmabo multa lætitia Leonis animum affectum fuisse, cum intellexit præteritos suos labores et luctus jam ecclesiasticæ libertati et divinarum rerum administrationi multum profuisse. Istius pontificiæ lætitiæ argumenta nobis suppeditant inter cæteras epistolæ illæ quas S. P. scripsit ad Marcianum, ad Pulcheriam, et ad Anatolium C. P., jam accepta plenissima Constantinopolitani concilii relatione, quam Romam Abundius aliique legati miserunt. Propterea, consideratis maximis beneficiis divina largitate Ecclesiæ catholicæ collatis, primo sine ulla prolatione litteras dat Marciano ad significandam sui animi voluptatem pro fidei integritate securius ab inimicorum insidiis imperiali protectione defensa; atque fatetur multas gratias eidem referre, quas non verbis, sed ex beneficiis quæ Ecclesiæ contulerat potuisset intelligere. Addit prolixiores tum non potuisse epistolas scribere, cum ex Urbe clerici quos Anatolius cum suæ fidei professione miserat essent discessuri. *Pleniora autem* (addit) *de omnibus quæ ad curam meam pro statu Ecclesiarum et concordia Domini pertinent sacerdotum per legatos nostros scripta direximus.* Novos autem Constantinopolim misisse legatos, postremis iis verbis patefactum est. **443** Verumtamen novæ hujus delegationis causa cum in hac epistola indicata non sit, ex aliis subsequentibus necesse est eam exquiramus. Primo enim arbitrabar (cum scripta ibi indicata desiderentur) solemnem decrevisse legationem ad Marcianum, huic gratulaturus pro Romano adepto imperio, pro sibi et Ecclesiæ rebus majori patrocinio vindicando. At legatos de quibus ibi mentionem facit ad alium scopum fuisse directos, Leonis scripta ad imperatorem, et epistolæ eadem die ad Pulcheriam, ad Anatolium et ad Julianum episcopum Coensem scriptæ non obscure declarant. Atque imprimis S. Leo eadem die ad Pulcheriam scribens, hujus pietatem laudat, qua, divinæ misericordiæ suffulta præsidio, labores sustinuit, ut duæ hæreses, Nestoriana videlicet et Eutychiana, nec laterent, nec sensim catholicorum corda labefactarent. Id indicare voluisse iis vocibus:

A *Et qui sibi singulas partes geminæ impietatis elegerant, una catholicæ fidei veritate procumberent certissimum est.* Potissimum cum recensitis in antecedenti contextu Pulcheriæ studiis ad frangendam Nestorianorum pertinaciam, immediate subjecit ipsi debitam esse alteram triumphi coronam et palmam de perempto Eutychetis errore. Quare eidem et imperatori, in subsequenti epistolæ capite. Ecclesiæ nomine gratulari pergit, pro fidei operibus et adjumentis quæ apostolicæ sedis legatis præstiterat. Quibus videlicet *sacerdotes catholicos quondam de Ecclesiis suis injusta Dioscori sententia ejectos reduxistis, sive quod reliquias sanctæ memoriæ Flaviani ..... ad ecclesiam cui bene præfuit fecistis cum debito honore revocari.* Alia quoque subdidit, quæ vel ad episcopos lapsos, si fidei, propria male facta retractantes, subscriberent, in communionem recipiendos pertinebant; vel Dorylæi Ecclesiam respiciebant, cujus legitimus pastor Eusebius Romæ pontificiæ communionis consors tum
B commorabatur, dum præfata Ecclesia ab intruso prædone vastabatur. Unde merito occasionem arripit Dorylæi Ecclesiam imperiali protectione commendandi; quemadmodum et Julianum Coensem episcopum, et Constantinopolitanos clericos, qui Flaviano fidelibus officiis jam adhæserunt. Hæc est summa epistolæ ad Pulcheriam Augustam, cui non absimilem fuisse arbitramur eam quam per suos legatos ad Marcianum misisse fassus est, cum perpetuo in rebus agendis sibi Leonem respondisse compertum habeamus, potissimum quando eadem die de uno eodemque negotio ad Orientem litteras mittere coactus fuit.

2. Aliquid peculiare potius attendendum occurrit in duabus aliis subsequentibus epistolis, eadem pariter die signatis, quarum unam ad Anatolium, aliam vero ad Julianum Coensem direxit. Sed tota litterarum diversitas non ex alio quam ex diversitate munerum quibus in Ecclesia fungebantur orta est. Postquam ergo Anatolio de fidei professione
C juxta regulas ab ipso præscriptas emissa et proprio charactere signata gratulatus est, ait se ad Orientem remittere tres legatos Constantinopolitanæ Ecclesiæ clericos, qui laudata scripta detulerant, atque eorumdem legatorum nominibus et gradibus explicatis: *Ut ergo invicem dilectionis tuæ animus nostris confirmaretur alloquiis filios nostros Casterium* (sive Castorium) *presbyterum, Patricium et Asclepiadem diaconos, qui ad nos tua scripta detulerunt post venerabilem diem festi paschalis remisimus.* Anatolio deinde tamquam Constantinopolitanæ Ecclesiæ præsuli cavere mandat ne in divinis rebus agendis quispiam ex presbyteris vel episcopis audeat recitare ad sacrum altare nomina *Dioscori, Juvenalis et Eustathii, quod nostri* (intellige legati) *ibidem constituti faciendum esse dixerint* (*b*). Porro si Quesnellus ad hæc verba attendisset, haud scio an affirmare potuisset synodum illam, seu episcoporum consessum, fuisse ab Anatolio, non a pontificiis legatis, coactum, de qua
D re videsis quæ ipsi in superiori capite jam **444** annotavimus. Cætera tandem quæ tertio illius epistolæ cap. scribit prorsus respondent iis quæ ex epistola ad Pulcheriam jam recensuimus.

3. Quod vero ad Julianum episcopum Coensem spectat, nihil nobis dicendum occurrit, præter id quod ex iisdem epistolis colligi posse intelligimus. Alias enim atque alias Nestorianæ et Eutychianæ hæresis occasione litteras Julianum Romano pontifici dedisse, omnibus perspectum est. Sed cum istius omnes epistolæ desiderentur, ut etiam Paschasius Quesnellus in catalogo monumentorum ad S. Leonem pertinentium descripsit, nonnisi conjecturis adducti de iisdem verba facere possumus. Interim vero quid Julianus, quave occasione ad S. Leonem, labente

(*a*) Leonis epist. olim 38, apud Quesnellum est 53. Exstat tom. I Operum S. Leonis, pag. 276, et tom. IV Concil.

(*b*) Epistola olim 40, jam vero in Quesnelli editione 60, cap. 1 et 3.

anno 450 vel ineunte 451, scripserit, nobis indicatum est ex epistola olim 41, nunc apud Quesnellum 61, quam R. P. iis verbis orsus est : *Litteras fraternitatis tuæ per filios nostros Constantinopolitanos clericos, nuntios tuæ salutis, accepi, quibus te magnis tribulationibus gravatum fuisse significas.* Multis enim de causis ab Eutychiana factione Julianus episcopus odio habebatur. Vicaria potestate enim apud Orientales pro apostolica sede fungebatur. In Ephesino latrocinio Dioscoro quantum potuit restitit, numquam a legatorum pontificiorum nutibus abscedens, ut colligi potest ex alia præcedenti S. Leonis epistola ad eumdem scripta, idibus Octobris anni 449. Alia autem causa ob quam Orientalibus hæreticis atque schismaticis fuit invisus, forte ex ipsius patria oriebatur. Cum enim Italus esset, non lubenter ejus nomen Orientales audiebant, ægre admodum ferentes quod homo extraneæ nationis super eos auctoritatem exerceret; quique summa vigilantia operam dabat ne ecclesiasticæ regulæ negligerentur, sedulo agens ut apostolicæ sedis mandata exsequerentur, hujusque jura non violarentur. Quapropter gravissimos coactus subire labores inter procaces catholicæ fidei adversarios, atque cum nimis ejus animus veritati immobiliter adhærens fatigaretur, quadam necessitate compulsus concupivit se Leoni et patriæ præsentare. *Quod* (ait S. Leo) *vere futurum speraveram, ut apertius omnium hæreticorum ambages tuo ore cognoscerem.* Verumtamen, divina munitus protectione, ab impiorum hostium manibus incolumis cum evasisset, ut Ecclesiæ causis utilitatem afferre potuisset, *liberum ei fuit apud eos degere quorum nobis probabilis assensus innotuit, sicut fratris nostri Anatolii scripta profitentur, et gesta quæ apud ipsum coram nostris sunt confecta demonstrant.* Post hæc salutationis vicissitudinem ei reddit, et ut circumspecte perseverantem diligentiam contra falsitatis astutias adhibeat hortatur, *cum tibi ad hoc et tuus animus, et nostra auctoritas suffragetur.* Aliquibus tamen minus tuta videri potest sententia nostra, qua Julianum Coensem patria Italum fuisse affirmamus, clarissimi potissimum Stephani Baluzii opinione ducti (*a*), qui in nova Conciliorum collectione de isto Coensi episcopo, apostolicæ sedis legato, disserens, hominem Græcum fuisse affirmat ; atque annotato Baronii et Henrici Valesii lapsu, qui, quandoque mss. codd., corruptis lectionibus adducti, hunc confuderunt cum Julio Puteolano episcopo, quem S. Leo ad latrocinalem synodum cum aliis ablegaverat. Julianum ergo Coensem episcopum Græcum hominem fuisse asseverat, cui primo a Leone demandatum fuit Græce reddere epistolam scriptam ad Flavianum (*b*), qui haud dubie (ait) aliquantulum linguæ Latinæ cognitionem habebat, difficile non erat in tenui et exigua lucubratione. Post synodum Chalcedonensem deinde idem Leo eidem mandat synodalia Chalcedonensis gesta Græce scripta, Latinitate donare. At majoris operæ (ait) fuit amplissima illa gesta ex Græco sermone vertere in Latinum; homini præsertim Græco, qui tamen etsi legatus sedis apostolicæ, apud Græcos, plenam tamen Latinæ linguæ **445** cognitionem habere non potuit. At venia huic tanto diligentique viro danda est, qui ad superius explicatam Leonis epistolam non animadvertit.

4. Marcianus imperator, interim serio recogitans totius adepti imperii felicitatem maxime a religionis rebus pendere, atque videns Ecclesiarum Orientis negotia ob diversas factiones, episcoporum odia, brevi ad exitium perduci posse, nisi generalis synodus, quemadmodum S. Leo jam decreverat, congregaretur, ad S. pontificem epistolas scripsit, ut dignaretur Orientem adire, concilium ibidem agere, cunctaque decernere quæ religioni utilia credebantur. *Si vero id onerosum sibi videretur* (subjicit) *hoc ipsum suis propriis litteris sua sanctitas manifestaret, quatenus in omnem Orientem, et in ipsam Thraciam, et Illyricum, imperiales litteræ dirigerentur, ut ad quemdam statuendum locum omnes sanctissimi episcopi convenirent, et quæ Christianorum religioni atque catholicæ fidei prodesent sicut sanctitas tua* (ait), *secundum ecclesiasticas regulas, definierit, sua dispositione declarent* (*c*). Hanc epistolam Leoni reddidit Titianus urbis Romæ præfectus, sicuti colligimus ex responsione quam ipse Leo fecit imperatori. In hac quippe, laudato ipsius Marciani studio, gratulatur quod fidei et imperii res reparare satageret, ut videlicet, *propitiato per unam confessionem Deo, simul et hæretica falsitas, et barbara destruatur hostilitas.* Quoniam vero negotium de nova habenda synodo per epistolas ultro citroque missas agere valde difficile pontifex arbitratus est, primo imperatori indicat de solis errantibus esse agendum, minime vero de fide vel Scripturis, quas aliter quam SS. Patres interpretari nefas reputabat; ideo imperiali sollicitudini respondet per legationem, *quæ* (ait) *confestim ad clementiam vestram, Deo annuente, perveniet, quidquid ad causæ utilitatem arbitror pertinere plenius atque opportunius suggeretur* (*d*). Non diu distulit ipse pontifex novas litteras dare imperatori, forte quia intra quadraginta septem dierum intervallum ipse ex imperatore novas litteras accepit. Siquidem septimo idus Junii fiduciam rescribendi arripere affirmat, cum ex ipsius imperatoris epistolis, tum ex relatione sibi facta ab Abundio cæterisque legatis ex Oriente revertentibus, qui non sola assertione verborum, sed ipsis etiam operum effectibus, demonstrabant ad defensionem *catholicæ fidei divinum* (ait) *in vobis vigere præsidium* (*e*) Inter cætera quæ ibidem subjicit, narrat jam direxisse *Lucentium episcopum, et Basilium presbyterum, qui sollicitudinis meæ* (ait) *partes possint implere*, quemadmodum in præcedenti promiserat. Hos autem ad illud munus obeundum ablegavit pro lapsis episcopis reconciliandis, ne horum *resipiscentium desideria longiori mora fatigarentur, neve injuriosa facilitas temere et sine discretione susciperet.* Synodum vero generalem sicut imperator suggesserat, se postulasse fatetur. *Sed sacerdotes provinciarum omnium congregari illius temporis necessitas* nulla ratione permittebat propter bella ingruentia, quæ haud quibusdam episcopis maxime evocandis a suis abscedere Ecclesiis sinebant. Idcirco ad aliud tempus episcoporum convocationem reservandam esse existimat. Eadem die epistolam non absimilem scripsit ad Pulcheriam Augustam, cui laudatos legatos commendat; Eutychianam blasphemiam condemnat; Augustam denique rogat ut ipse Eutyches ad longinquiora transferatur, ejusque monasterio catholicus præficiatur abbas, *qui illam servorum Dei congregationem et a pravo dogmate liberare, et institutis veritatis possit imbuere* (*f*).

446 5. Cum has adhibuisset diligentias apud Marcianum imperatorem et Pulcheriam Augustam, ab incœpto opere non destitit S. pontifex. Sed eadem die scripsit pariter ad Anatolium, quem pridem receperat in communionem, ratam habendo atque confirmando istius in episcopum Constantinopolitanum electionem, cui aperiens necessitatem quæ eum impulit ad mittendos in Orientem novos legatos, *Lucentium episcopum et Basilium presbyterum*, ei suggerit lapsos pœnitentes per satisfactionem et non dubiam fidei professionem ad reconciliationem reci-

(*a*) Videsis novam Baluzii Conc. collectionem, p. 955.

(*b*) S. Leo Magnus, epist. 102, apud Quesnellum.

(*c*) Hæc Marciani epistola Græce et Latine exstat tom. I Operum S. Leonis apud Quesnellum, pag. 279, et tom. IV Concil. generalium.

(*d*) Epist. olim 42, nunc in Quesnelli editione 62 est. Hancque pontifex scripsit nono kal. Maii 451, vel ut habent duo Vat. codd. et Grim. octavo kal. ejusdem mensis.

(*e*) Epist. olim 44, jam vero 63, cap. 1.

(*f*) Epist. jam 45, nunc 64, cap. 3.

pere; ea tamen moderatione servata, *ut nec benevolentiæ partes nec justitiæ negligantur, sed absque personarum acceptione divinum in omnibus judicium cogitetur.* Sed in altero ejusdem epistolæ capite, agens de iis qui gravius in latrocinali synodo peccaverunt, superiorem sibi locum in illa infelici synodo vindicantes: *Horum* (ait) *si satisfactio talis accedit quæ non refutanda videatur, maturioribus apostolicæ sedis consiliis causa reservari* jubet, *ut examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat æstimetur;* eorum nomina tandem ad altare recitari vetat, quoadusque quid *de eis constitui debeat rerum processus ostendat.* Neque ex hac dumtaxat reservatione sibi facta, ne principes hæreticorum ad reconciliationem admittantur, Romanæ sedis auctoritas in Orientalium causis extra concilium judicandis clarissime innotescit; verum etiam ex iis quæ in altero epistolæ capite scripsit, in quo mandat quod si de quibusdam aliis causis *amplius deliberandum contingeret, celeriter ad nos relatio dirigatur, ut, pertractata qualitate causarum, nostra quid observari debeat sollicitudo constituat.*

6. Hic itaque duo, nisi mea me fallat opinio, attendenda sunt, quæ ambo certa et nitida præseferunt argumenta supremæ moderationis a Romanis pontificibus adhibitæ in negotiis Orientalium Ecclesiarum. Alterum spectat ad eos pœnitentes qui metu adducti lapsi erant. Pro quibus recipiendis Leo ipse eas regulas præscribit quæ justitiæ haud repugnarent, vel indulgentiæ cum justitiæ injuria non faverent. Pro his autem reconciliandis misit duos laudatos legatos, Lucentium atque Basilium, quibus cum necessarium commonitorium et institutiones dedisset, nemini, nec ipsi Anatolio Constantinopolitano episcopo, licitum esse poterat ab iisdem vel leviter resilire. Quotquot igitur lapsi ex hoc ordine ad pristina ecclesiastica officia, dignitates et gradus erant restituendi, nonnisi apostolicæ sedis auctoritate absolvi poterant, et antiquis honoribus frui concedebatur. Cæteros vero, qui tamquam schismatis auctores habebantur, quorum causa durior et gravior erat, ex Leonis sanctione ad honores et gradus, ad communionem et reconciliationem, sub quocumque satisfactionis signo et testimonio suscipere vel amittere cautum erat; quoniam maturius judicium de his aliisque causis quæ poterant insurgere summus pontifex habere sibi reservavit. Hæc duo quidem studiose dissimulasse Quesnellum censendum est. Ea nimirum ductus ratione, ne fateri cogeretur quæ passim in adornandis S. pontificis Operibus inficiatur; tot tantisque semper adhibitis violentis interpretationibus, quas sibi sufficere arbitrabatur ad abolendam Romanorum pontificum auctoritatem in Orientalium causis judicandis. Studiose quidem hujus epistolæ argumenta dissimulasse, produnt annotationes ad Leoninas epistolas, quas

A ad secundi tomi calcem apposuit. Hanc enim inter cæteras veluti indignam suarum notarum et observationum prorsus prætermisit. Quid tamen? Leo ipse, qui interprete non indiget, eadem die, supremæ hujus auctoritatis in judiciis de Orientalium causis ferendis clariora adhuc argumenta posteris ex epistola 67 reliquit. Nam cum, adhuc superstite Flaviano, duo Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyteri, Basilius nimirum et Joannes, vel Eutychiana, **447** vel Nestoriana hæresi postulati fuissent, ad hujusmodi infamiæ notam delendam Romam venerunt. Cum ambo itaque coram sede apostolica sese purgassent, reversuri postmodum ad Orientem, S. pontifex ad Anatolium scribit, testimonium dans eosdem post susceptum longinquæ peregrinationis laborem sensum cordis sui in apostolica sede patefecisse, damnantes (ait) utramque hæresim, quarum supra fecimus mentionem. Quare brevissimam hanc epistolam claudens ita S. P. alloquitur Anatolium:
B *Per hos ergo, frater charissime, cum testimonio nostro ad propria revertentes dilectioni tuæ nostra scripta direximus, fidenter orantes ut qui gratia apostolicæ sedis ornantur, etiam favore per omnia se gaudeant adjuvari* (*a*). Non me quidem latet eos qui nodum in scirpo quærunt posse contendere minus aptam esse hanc epistolam ad nostrum assumptum probandum, ob duras illas voces, *fidenter orantes*, quæ judicis auctoritatem dedecere videntur. At contentionem dirimit, vel lectionum varietas, vel fragmentum quoddam epistolæ Flaviani ex Vaticana bibliotheca erutum, nondum publici juris factum, quod ipsi in sequenti tomo exhibebimus. Plerique enim codices, et *Grimaneus* ipse, ut Quesnellus ad suæ editionis *oram scripsit*, habent, *fidenter hortantes*. Deinde duorum presbyterorum negotium in annum 449 rejiciendum est. Et quamvis tota integra Leoninarum epistolarum series desideretur, tamen ex unico illo fragmento Flaviani epistolæ in horum causa scriptæ innotescit S. Leonem veras judicis partes obiisse; duos illos presbyteros Romam venisse rationem de fide reddituros;
C atque denique non ex quadam indulgentia, sed re cognita atque probata, Leonem eos in communionem suscepisse, innocentesque declarasse. Fragmentum quippe illud quod indicavimus nihil aliud in se continet quam Flaviani ad S. Leonem relationem de fide et moribus presbyterorum Basilii et Joannis, ut opportunius explicabimus. Hanc epistolam scripsit S. pontifex decimo tertio kalendas Julii, paulo antequam legatos ad novum generale concilium institueret, et ex Urbe in Orientem mitteret. Jam vero quæ sequuntur, cum sint veluti præliminaria synodi Chalcedonensis, in qua cogenda atque canonice ordinanda S. Pontificis Leonis studium sedulo versabatur, idcirco de his verba facere in sequentis libri capitibus reservamus.

(*a*) Epistola olim 48, jam apud Quesnellum 67.

LIBER SECUNDUS.

PROLOQUIUM.

448 Inter præcipuas causas quibus oppido fit ut quamplurimi in sinceræ veritatis odium Chalcedonensibus Actis et Leoninis scriptis abutantur ad apostolicæ sedis jura abolenda aut saltem elevanda, ea certe censenda est quæ proficiscitur vel ex quadam maligna veterum monumentorum interpretatione, aut ex parum accurata diligentia in iisdem evolvendis, lustrandis simulque conferendis. Si enim, omnium partium studio seposito, cum theologi, tum antiquarum rerum tractatores, causas de quibus nos agere deliberamus disputare voluissent, atque judicium interponere, quemadmodum ævi res postulabant, obscuris quibusdam factis maximum lumen attulis-
D sent, neque nobis aliisque scriptoribus tantopere fuisset laborandum in detegendis refellendisque iis commentis quæ ipsi ad veritatem abscondendam opprimendamque excogitarunt, ad aliorum animos præjudiciis falsisque opinionibus imbibendos et depravandos. Itaque cum in præcedentibus Exercitationibus quamplurima e tenebris educere conatus fuerim quæ ad Eutychianæ hæresis auctorem, vindices propugnatoresque pertinebant, cum præterea de ecclesiasticis judiciis in Eutychetis condemnationem ipsius aliorumque appellationes abundantius egerim, perspicue explicando suprema apostolicæ sedis jura, et consuetudinem in Orientalium etiam causis judicandis retractandisve, atque id genus alia plurima; jam mihi lustranda et recensenda superesse

intelligo quæ tandem contra eamdem Eutychianam factionem in Chalcedonensi synodo ex Leonis sententia gesta sunt; quæque idem S. pontifex in reliquo suæ vitæ cursu pro Christianæ reipublicæ bono fideliter adimplevit. Fateor quidem in præcedentibus conscribendis Exercitationibus longum quandoque habuisse sermonem, a quo nostri ævi viri abhorrere solent, leviori potius rerum cortice delectari assueti, quam in sincera earumdem veritatum inquisitione exerceri. Sed ad hanc necessitatem prolixioris quandoque sermonis habendi multæ causæ me compulerunt. Quarum altera ex usu illarum institutionum oriebatur quas multorum annorum spatio in scholis theologiæ exponere fui assuetus, in quibus expendendis brevis et stricta oratio adhiberi haud potest, ne auditores minus sufficienter edoceantur. Propterea hanc consuetudinem longa industria comparatam valde difficile superare potui. Altera vero nostris adversariis adjudicanda est, qui cum obscuras quasdam multisque cavillis circuminvolutas quæstiones excitassent, quibus pro præsenti scribendi proposito **449** me occurrere oportuit, paucis eorum argumenta eripere atque refellere prorsus impossibile fuisset, cum multoties ad genuinos fontes horumque interpretes provocare mihi opus fuit, ut male congesta et constructa eorum ædificia atque systemata demonstrarem. Verumtamen in postrema harum Exercitationum parte omnino brevitatem prosequi nitar; nonnulla annotationum subsidio indicando, sive supplendo; alia in synopsim, vix ulla instituta cum adversariis congressione, redigendo; alia tandem quæ pro quæstionum amplitudine et difficultatibus dicenda superessent, et a quibusdam optimæ fidei et eruditionis viris jam illustrata fuerunt, quasi intacta relinquere deliberavi, ad eos scriptores qui nos præcesserunt nostros lectores remittendo.

CAPUT I.

Diu desideratam a Leone Magno generalem synodum tandem in Oriente habendam imperator Marcianus permisit. Cujus dispositioni S. P. gravioribus ductus rationibus cum posset obsistere, tamen præpeditus ne synodo interesset, quatuor legatos in Orientem mittit, qui ipsius nomine, vice et loco, eidem præsint. Omnia idcirco agenda disponit, datis hac de causa aliis et aliis epistolis ad Paschasinum, ad Marcianum, ad Anatolium, ad Pulcheriam augustam, et ad Julianum Coensem.

1. Vix facta nova legatorum in Oriente expeditione pro quibusdam recipiendis lapsis ad pœnitentiam venire cupientibus, de habenda generali synodo, cum summus pontifex, tum Marcianus augustus tandem deliberarunt. Hanc enim in votis Leonem habuisse, statim infelici latrocinalis Ephesini exitu audito, produnt istius litteræ datæ ad Theodosium eodem anno 449, in mense Octobris, de quibus in antecedentis libri Exercitationibus verba fecimus. Sed cum Theodosius augustus, in Eutychem propensus, circumventus fuisset a factiosis viris, quibus ducebatur, irrita tum prorsus reddita sunt pontificia desideria, donec ad imperium assumptus Marcianus, Orientis res jam fere pessumdatæ erigerentur. Igitur in sententiam Leonis imperator veniens, de loco tamen et tempore non conveniebant. Leoni in Italiam synodum cogi placebat, secum recogitans omnia præcavere mala quibus memoria latrocinii Ephesini vehementer afflictabatur, optans præterea se adesse concilio. At imperator videns per totum Orientem hæresim grassari, ibidem esse jugulandam credidit, et propterea, ultro citroque litteris missis, Marcianus rerum necessitate ductus, et ab Orientalibus episcopis sollicitatus, non amplius synodi congregationem deferendam esse arbitratus est. Cum ergo ex Italia nec consuetudo, nec patriæ amor, nec externi hostes Hunni, duce Attila, Leoni egredi permitterent, Paschasinum Lilybæi episcopum ad vices suas implendas seligit, quem pauci doctrina, sanctitate et fama adæquabant. Maximum hujus episcopi animi robur et constantiam jam probaverat dura illa atque longa servitus quam subiit apud barbaros; atque istius scientia apprime noscitur ex cycli paschalis emendatione, circa quam a S. Leone fuerat consultus. Quem præterea idem S. pontifex tanti fecerat, ut ipsi jam pridem a duobus annis commisisset curam antiquæ disciplinæ reparandæ, et mores Ecclesiæ Siculæ emendandi, ut ex epistola olim 4, nunc apud Quesnellum 16 colligitur, cujus ultimum caput hisce verbis clausit: *Hæc autem quæ vobis, inspirante Domino, insinuanda credidimus, per* **450** *fratres et coepiscopos nostros Baccillum atque Paschasinum ad vestram volumus notitiam pervenire. Quibus referentibus cognoscamus quam reverenter a vobis apostolicæ sedis instituta serventur.* Tum ergo novas litteras dare voluit quasi prænuntias muneris quod paulo post eidem demandare cogitabat. Propterea ut ejus animum necessaria institutione præpararet, ad eum mittit celebrem epistolam ad Flavianum, *quamque* (ait) *universalis Ecclesia amplectitur, diligentius tibi recensendam cognoscendamque direxi.* Multa de Eutychiana et Nestoriana hæresibus disserit, a quarum labe ut Constantinopolitanam purgaret Ecclesiam, legatos pontificios jam illuc misisse narrat, qui de incarnationis sacramento ea prædicantes quæ SS. Patres docuerunt, et quæ Ecclesiarum universitas pridem tenuerat, feliciter impetrarunt ut *totam Constantinopolitanam eamdem Ecclesiam cum monasteriis omnibus et multis episcopis* ad bonam frugem reducerent; qui præbuerunt consensum, *et subscriptionibus suis Nestorium et Eutychen* cum suis anathematizarunt dogmatibus. Quæ ut evidenter a Paschasino cognoscerentur, *aliqua* (ait) *ad dilectionem tuam scripta transmisi.* Addit deinde: *Noveris etiam proxime me epistolam Constantinopolitani episcopi accepisse, quæ refert Antiochenum episcopum* (Maximum videlicet) (*a*), *missis per provincias suas tractatoriis, universos episcopos et epistolæ meæ præbuisse consensum, et Nestorium et Eutychen pari subscriptione damnasse.* Qua in re minime aures et fidem Quesnello præbere possumus, qui Anatolii merito illius consessus præsidis hæc omnia adjudicavit (*b*). Nam S. Leo de pluribus rebus Paschasinum instruere volens, seriem omnium quæ a suis legatis apud Constantinopolim gesta fuerant transmisit, certe haud Anatolio vindicans Constantinopolitanæ Ecclesiæ purgationem, Nestorii et Eutychetis damnationem, sed illius dumtaxat facit mentionem, quatenus jam ab eo relationem obtinuit de iis quæ per Maximum in Antiochenas provincias fuerant in fidei præsidium atque munimen religiose exsecutioni demandata. Quid? Anatolius, cujus fides suspecta fuerat, legatis pontificiis præsentibus Constantinopolitano potuisset præesse conventui? Figmentum est; illudque refellimus in nostra dissertatione de Photio Tyrio, ad quam nos lectores remittimus.

2. In postrema tandem suæ epistolæ parte S. pontifex a Paschasino rationem Paschalis festi servandam anno 455 sciscitatur; eo quod in annotatione

(*a*) Epist. 68, cap. 1.

(*b*) Vide quam nugatorie fabulatus fuerit Pasch. Quesnellus in causa Domni Antioch. Maximi prædecessoris, sibi blandiendo nullam reperiri causam cur S. Leo ratam habere potuerit hujus electionem et Domni depositionem. Quæ duo potissimum illum in eam absurdam opinionem induxerunt, ut actionem Chalcedonensem de Domno, tamquam supposititiam et falsam rejiceret. An non is etiam ante Chalcedonense concilium Antiochenum patriarchatum Nestoriana et Eutychiana labe per Domnum infectum purgavit? Vide quæ de tali actione jam scripsimus, cl. Stephani Baluzii vestigiis insistendo.

Theophili invenerat sanctæ memoriæ Alexandrinum episcopum octavo kalendas Maii constituisse Pascha celebrandum esse : *quod a regula ecclesiastica penitus invenimus alienum*. Quoniam, subjicit, *in nostris paschalibus cyclis, quod bene nosse dignaris, decimo quinto kalendas Maii ejusdem anni Pascha celebrandum esse sit scriptum*. Idcirco omnem errorem præcavere et ambiguitatem tollere volens, eidem mandat ut cum peritis quibusque diligentius requirat atque pertractet novam temporum supputationem, et cœlestium orbium regulam atque cursum. Sed de hoc paschali cyclo, quem emendari S. Leo Magnus exoptavit, rerum ordine servato, verba faciemus de rebus gestis disserentes, quæ Chalcedonense concilium subsecutæ sunt.

Mirum tamen est hac in epistola nihil Paschasino indicatum fuisse **451** de itinere aggrediendo Nicæam versus, ut ibi pontificias ageret vices in synodo, quam incunctanter fieri postulaverat Marcianus. Nam cum præfatam epistolam scripsisset octavo kalendas Julii, et duobus vix elapsis diebus tres alias scripsisse inveniamus, unam ad Marcianum augustum, alteram ad Anatolium, tertiam denique ad Julianum Coensem episcopum, in quibus mentionem facit jam de institutis ad novam synodum legatis, idcirco argumentari licet die septima kalendarum ejusdem mensis imperiales litteras recepisse, quibus synodum non amplius differri postulabat. Ad has litteras Quesnellus animadvertens, plane dissimulavit ea omnia quæ summorum pontificum jura patefaciunt. Et dumtaxat stylum convertit ad exaggerandum quemadmodum Leo ægre tulerit synodum nec differri, nec fieri in Italia, et plus valuisse Anatolii Orientaliumque vota, quam sua. Non tamen erat in animo summi pontificis pacis consilia comperendinatione omittere. Vereor tamen nostrum interpretem pontificiæ voluntatis scopum hisce divinationibus haud esse assecutum. Votis enim Marciani imperatoris potuisset Leo obsistere, ut sincere fassus in epistola hac occasione ad eumdem scripta. Cujus quippe voluntati non alia de causa obviare distulit, ne devoto principis arbitrio repugnare velle videretur. Ad hæc verba animadvertat, quæso, Quesnellus, et quotquot cum eo nugari solent. *Credebamus clementiam vestram* (ita epistolam orditur) *id desiderio nostro posse præstare, ut, præsenti necessitate respecta, differri ad opportunius tempus sacerdotalem synodum juberetis*. Hujus pontificiæ fiduciæ illud erat fundamentum : *Ut, evocatis de cunctis provinciis sacerdotibus, vere posset esse universale concilium*.

3. Quis enim ignorat externam illorum afflictorum temporum faciem multarum provinciarum episcopis prohibere potuisse e suis diœcesibus exire, ne plebes sibi commissas barbarorum furori tamquam orphanas desererent, et semetipsos iis periculis exponerent quæ ab hostium copiis pati solent? Non ægre igitur ferebat Leo quod synodus non differretur, vel quia imperiali jussione, cui non potuisset obsistere, urgeretur; sed quia tempus illud minus congruum pro sacerdotum et ecclesiasticorum incolumitate, cui prospicere volebat, ipsi videbatur; et aliunde Nicæna urbs, ad quam episcopi convenire debebant, frustrabat pontificium desiderium, quo ipse ducebatur ut immediate synodo generali interesset. Quare cum intellexisset imperialem illam jussionem a catholicæ fidei amore derivari, nec apostolicæ sedis jura leviter lædi, illi obsistere noluit. Quod subsequentibus verbis clare explicavit, subjiciens : *Sed quia vos amore catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem et coepiscopum meum Paschasinum*, etc. Præterea si quid in hac parte Anatolii et Orientalium vota valuerunt, id pontificiæ indulgentiæ dandum est, qui *devoto* Marciani *arbitrio* obsistere noluit. At quis conjiciet eum aliqua lege aut necessitate ductum obviare non potuisse, cum solius imperialis arbitrii faciat mentionem? Fortem habebat animum in tuendis suæ sedis prærogativis et juribus, et indulgenter dumtaxat ea magnis principibus permittebat quæ in communem Ecclesiæ utilitatem redundare poterant, quæque, ex altera parte, nec ipsius læderent auctoritatem, nec pontificiæ dignitati vulnus aut dedecus inferrent.

4. Paschasino deinde Bonifacium presbyterum ex urbe Roma adjunxit, et ad eamdem synodum misit, quibus et illos duos legatos sociari jussit, Lucentium videlicet et Basilium, quos Constantinopolim jam miserat pro habendo synodali conventu ad lapsos pœnitentiam agentes recipiendos. Synodi tandem generalis præsidem Paschasinum instituit; non ea quidem ratione qua Quesnellus interpretari nisus fuit, nimirum, ut falsitatum turbine catholica constantia resisteret, utpote homo qui absque odio et gratia laborem assumpsisset pro solius hæreticæ impietatis excidio, sed quia summi pontificis partes assumere et obire debebat. Quare delendam **452** esse Quesnelli marginalem notam, utpote æquivocum sensum reddentem, censuimus, quam ad oram suæ editionis scripsit : « Nota qua de causa Leo legatum suum synodo universali præsidere cupiat. » Nam pontifex hoc munus suo legato deberi illa verba indicant : *Prædictum fratrem et coepiscopum meum vice mea synodo convenit præsidere*. Non ergo id solum desideravit S. Leo, sed *convenire* aut *deberi* non obscure significavit; potissimum ad reparanda illa apostolicæ sedis jura quæ per unius Dioscori impotentiam in latrocinio Ephesino pessumdata et abolita fuerunt, ut ex concilii Chalcedonensis definitione exploratum est. Sibi concinit S. P. in sequenti epistola ad Anatolium, in qua clarius significat clementissimi principis dispositioni obsistere noluisse, præsertim quia generale concilium et ipse *magno desiderio* depoposcerat. Quoniam vero quatuor illis viris ex Sicilia et Italia Orientem pro tam gravi negotio adeuntibus valde difficile fuisset Leonis jussa adamussim exsequi, nisi ab aliquo probatæ fidei viro, qui omnes Orientalium agendi rationes, studia, artes, vafritiem tergiversationesque apprime noscere potuisset; veritus quidem Leo, et rationabiliter, ne Paschasinus cum aliis legatis in muneribus exsequendis deciperentur, Juliano episcopo Coensi demandat iisdem ea monita et consilia suggerere, eaque præstare subsidia quæ ad abolenda evertendaque scandala et ad rerum emergentium necessitates prodesse posse judicabit. Nihil plane nostro confingimus arbitrio. Id indicant illa sanctissimi Leonis summi pontificis verba ad eumdem Coensem episcopum : *Ut omnium scandalorum strepitus auferatur, necessario fraternitati tuæ quod omni Ecclesiæ prosit injungimus, ut cum fratribus et coepiscopis nostris Paschasino et Lucentio....., quos vice nostra ad prædictum conventum ire præcipimus, curam tuam actionemque conjungas, in omnibus auctoritate nostræ præceptionis usurus*. Notanda sunt verba sequentia : *Quoniam scimus omnium illic actarum rerum majorem te quam nostros habere notitiam, ut dum curam tuam illis consiliumque sociaveris, in nulla parte fallantur* (a).

5. Nondum satis communi Ecclesiarum bono Leonem consuluisse sibi videbatur, nisi ad synodum, quæ apud Nicæam primum, deinde apud Chalcedonem cogebatur, regulas necessario sequendas misisset. Propterea eadem die quinta kalendarum Julii ad omnes generalis hujus synodi Patres epistolam scripsit, tria potissimum capita continentem, in quibus tota agendarum rerum ratio versabatur. Ecquis enim plene atque perfecte vim, pondus et energiam quibus totius istius epistolæ textus refertus est poterit explicare? Dignitatis majestatem, supremi capitis auctoritatem, et in universam Ecclesiam etiam in conciliis congregatam Romanum pontificem jurisdictionem habere, satis manifeste patefacit, quin quispiam

(a) Epist. 71. Hæc autem epistola cum duabus præcedentibus data est sexto kal. Julii anni 451.

aut ex primarum, aut ex inferiorum sedium episcopis A eidem ausus fuerit refragari. His enim verbis auctoritate majestateque plenis epistolam orsus est : *Optaveram quidem, dilectissimi, pro nostri charitate collegii omnes Domini sacerdotes in una catholicæ fidei devotione persistere, nec quemquam gratia aut formidine potestatum sæcularium..... ut a via ve:'tatis abscederet*. Molli brachio hic vellicat eos qui in præcedenti deprædatoria synodo, ab improborum amicitia victi aut formidine deterriti, in horrenda illa gravia facinora, Dioscori et Chrysaphi artibus, lapsi fuerant, quorum ultionem ideo prolatam hactenus fuisse asseverat, ut Dei misericordia pœnitentibus elargiretur. Subjicit se ab imperatore fuisse invitatum synodo præesse, *beatissimi Petri apostoli jure atque honore servato*. Cujus votis ne annueret, nec temporum afflictorum necessitas, nec ulla consuetudo permittebat. Duplici tamen modo synodo adesse atque præesse fatetur. Primo in quatuor illis **453** legatis vicariam ipsius personam agentibus; deinde verbi divini præ- B dicatione, satis explicata in celebri epistola ad Flavianum, ex qua ignorare haud poterant *quid ex antiqua* (ait) *traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus*. In altero capite jam statutum fuisse quid de sacramento incarnationis pie et sincere ab omnibus esset confitendum plenissime et lucidissime cunctis esse patefactum asseverat *per litteras quas misimus ad beatæ memoriæ Flavianum episcopum*. Tandem vero pravas factiosorum æmulationes animadvertens, catholicis episcopis injuria a sedibus *expulsis* et in exsilia deportatis, atque in locum superstitum aliis substitutis, jubet primitus medicinam justitiæ adhiberi, ne *quisquam careat propriis aut utatur alienis*. Ex quo Leonis Magni pontificis mandato intelligimus Eusebium Dorylæi, Theodoretum Cyri, aliosque catholicos episcopos, qui violentiam passi fuerant, propriis sedibus esse restituendos; Domno vero Antiocheno, Dioscori et Eutychetis nutibus suffragatori, nullum jus superesse potuisse ut pristino honori et dignitati quibus exutus fuerat C restitueretur. Profecto si hanc Leoninam præscriptionem Quesnellus attendisset, vix unam ex tantis quæstionibus excitasset, inquirendo cur, rescissis a Leone latrocinii Ephesini actis, non fuisset ei permissum ad Antiochenam sedem remeare, pro qua Maximus fuerat ordinatus; neque incassum tantopere laborasset ut contenderet actionem illam de Domno Antiocheno esse supposititiam.

6. Sed ad rem nostram iterum venire volentes, Leo Magnus ab incœpto non desistit studio. Nam discessurus Bonifacius presbyter ex urbe Roma, ut pontificii *vicarii* sive legati munere in synodo fungeretur, huic novas litteras Marciano augusto reddendas tradidit, in duo tantum capita distributas; quorum priori in imperatoris mentem præcedentem renovat petitionem, qua ad tranquilliora tempora, longe ab hostili metu, synodum maluisset differri. Laudat tamen pium imperiale studium, quo humanis negotiis divina præponebat, inquirendo ne inter sacerdotes D sensuum esset dissonantia, et in Evangelii prædicatione ulla esset discordia. Quæ duo ibidem ipsius pontificium animum movebant, ne hisce *dispositionibus* de synodo extra Italiam et tali tempore habenda *reniteretur*, optans (ait) *ut in omnium cordibus catholica fides, quæ non potest nisi una esse, firmetur*. Post hæc de ambobus Ephesinis conciliis verba facit. Quorum alterum merito et juste Nestorium, hujus dogma et asseclas damnasse asseverat; alterum vero Eutychetis causa habitum, non posse vocari *concilium, quod in eversionem fidei constat agitatum*, quodque ecclesiastica potissimum et imperiali deinde ipsius Marciani auctoritate fuerat cassatum.

7. Formulam autem futuri judicii in synodo habendi S. pontifex cunctis Patribus per quatuor legatos Chalcedonem missos, cum in hac, tum in subsequenti, et demum in una ad Pulcheriam augustam epistolis præscripsisse narrat, vetans ne ulla quæstio de fide institueretur; cum nimis injuriosum atque obsonum prorsus esset fidem quam beati Patres nostri ab apostolis sibi traditam *prædicarunt, quasi dubiam retractare*. Tandem se in legatis concilio adfuturum spondet, dicens : *Nec me quoque, ut voluit vestra clementia, ab illo credatis abesse concilio, cum in his fratribus, quos direxi, id est Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, sed et in fratre meo Juliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit æstimanda præsentia*. Hanc epistolam scripsit sanctus pontifex VI kal. Julii anni 451. Sed cum post quindecim dies certior factus fuisset Paschasinum ex Sicilia ad Orientem navigasse, apostolicæ sedis mandata exsecuturus, novas litteras ad ipsum Marcianum imperatorem dare constituit, in quibus legatos suos ipsi commendat, iterumque postulat ne disputatio de fide illic instauretur. Hoc ipsum præstitit cum Pulcheria augusta, ad quam epistolas misit per Theoctistum Magistrianum. In hac quippe de suis legatis ad concilium missis primo verba faciens, iterum **454** explicat quemadmodum desideraverit in Italia synodum congregari. Deinde servandam esse in ecclesiasticis causis omnem moderationem mandat, quæ procul abfuit ab Ephesino latrocinio, ubi *primates synodi nec resistentibus sibi fratribus nec consentientibus pepercerunt*. Quare cupiens vulneribus majoribus medicinam adhiberi, decrevit correctis veniam non esse denegandam. Tandem, hæresis exstinctionem obtinere desiderans, etiam hæresiarchas indulgentiam poscentes, nec rejiciendos, nec temere recipiendos deliberavit; qui quamvis post injustum judicium non essent catholicæ fraternitati honorabiles ut fuerunt, tamen cum suas adhuc obtinerent sedes, et episcopatus sui honore potirentur, ecclesiasticam pacem ipsis non denegare jubet, si per veram atque necessariam satisfactionem resipiscerent.

8. Regulas igitur omnium rerum in synodo agendarum, cum in hac atque præcedentibus epistolis, tum in commonitorio suis legatis dato S. Leo proposuit, præscripsit, prædefinivit. A quibus quidem resilire nemini permissum esse poterat, ne irrita et vacua synodalia Acta redderentur quemadmodum videbimus opportuniori loco, agentes de primatu Constantinopolitanæ sedis post Romanum pontificem, quem PP. illi Anatolii ambitui nimium faventes stabilire conabantur. At cum in laudatis epistolis potissimum S. pontifex de fidei dogmate unanimiter asserendo juxta celebrem epistolam quam scripserat ad Flavianum disserat, et de ecclesiastica pace iis etiam danda qui per latrocinium Ephesinum a catholica exciderunt societate, indignos se reddentes iis Ecclesiæ honoribus, gradibus et prærogativis quibus potiebantur, eosdem lapsos ad sinceram pœnitentiam venire cupientes, debita ab iisdem satisfactione præmissa, recipi jubet; eamque cautionem mandat servari, ut etiam principes hæresiarchæ indulgentiam poscentes, nec rejiciantur, nec temere recipiantur. Quare, omni pœna pœnitentibus relaxata, ad antiquas suas episcopales sedes reverti aut eas retinere indulget, dummodo lapsorum episcoporum loco jampridem alii catholici non fuissent suffecti, et ipsi lapsi adhuc episcopatus honore potirentur. Id sane iis verbis, seclusa omni violenta interpretatione, indicare voluisse arbitramur, quibus dixit iis postulantibus omnem indulgentiam esse concedendam, *qui tamen adhuc obtinent sedes et episcopatus sui honore potiuntur* (*a*). Hanc sane Leonis agendi œconomiam, scribendique scopum; quoniam et sanctissimus Leo Rom. archiepiscopus in communionem recipiens, præesse eum Antiochensium Ecclesiæ præcepit.

(*a*) Ad hoc S. Leonis mandatum alludere voluisse arbitror, PP. act. 10 Chalcedonensi, dicentes Ephesinæ synodi gesta nihil valere, *nisi* illud circa sanctissimum Maximum magnæ Antiochenæ civitatis epi-

rationem, cum haudquaquam assecutus esset Quesnellus, multas quæstiones excitavit, ad examen revocando Domni quondam episcopi Antiocheni causam. Studiosus vir, huc illucque mente vagari coactus, cur Thalassius Cæsariensis, Juvenalis Hierosolymorum, Eustathius Berytensis, qui pariter in latrocinio Ephesino cum Dioscoro et Eutychiana factione principes partes obierunt, suas sedes Chalcedonensis concilii suffragio retinere potuerint inquirit; Domno vero, qui parem cum istis causam habuit ad suam Antiochenam sedem remeare non fuerit permissum. Profecto si ad præcedens Leonis decretum attendisset, secumque agitasset Domnum tunc adhuc nec sedem obtinuisse, nec episcopatus honore amplius fuisse potitum, quia, absoluto latrocinio Ephesino, Maximus episcopus catholicus in ejus locum fuerat suffectus, tantopere minime laborasset ut lectoribus persuaderet Domnum Chalcedonensis concilii tempore non amplius fuisse superstitem, nec concilii Chalcedonensis actionem quæ de eodem scripta est tamquam falsam et commentitiam rejecisset. At sinceram et genuinam esse hanc synodi actionem gravissimis evidentibusque argumentis clarissimus Stephanus Baluzius, summa qua pollebat **455** eruditione probavit. Quamvis laudatum Leonis locum Quesnello non objecerit; quod testimonium tamen ad plura et insigniora sui adversarii argumenta refellenda aptissimum erat, ut ipsi annotabimus in sequentibus de Chalcedonensis synodi actionibus locuturi.

CAPUT II.

Quare generalis synodus Epheso indicta Chalcedonem transfertur. De S. Leonis epistola ad Ravennium. Galliarum episcopi in duabus synodis conveniunt, eorumque synodicas epistolas multa sapientia et eruditione sacra adornatas transmittunt ad apostolicam sedem. Tandem de Mediolanensi Eusebii synodo agitur, hujusque synodicis ad S. Leonem missis.

1. Promulgato jam edicto de nova generali synodo in Oriente habenda, imperator Marcianus veteres Eutychianorum turbas huc illucque renovari vidit, undequaque partium studia concitari, excitarique tumultus; cum videlicet qui semel Eutycheti adhæserunt, ne levitatis, ait Baronius, arguerentur, perstabant in sententia, et omni conatu patrocinabantur susceptæ semel iniquæ causæ, et si non aliter, acclamationibus saltem nominis Eutychetis. Has turbas primum Constantinopolim magna cum seditione excitatas fuisse, Marciani imperatoris edictum ad eas comprimendas abolendasque manifestat. Quæ cum a gravissimis odiis atque æmulationibus foverentur, periculum civitati imminebat ne Constantinopolitani mutuis cædibus sese interficerent. Deo itaque favente imperatoris edicto, tertio idus Julii dato, sedatæ fuerunt, utriusque partis factiosi viri intelligentes se *ultimo supplicio* esse puniendos, si in seditionibus perstitissent. Ex his ergo aliquantulum Marciani animum fuisse commotum arbitrari oportet; nec probabilitate caret eum pœnituisse quod in Italia synodum haberi non permisisset, quemadmodum Leo votis omnibus exoptaverat, ad præcavendas quidem illas seditionum turbas et gravissimas commotiones quas duæ adversæ factiones jam excitaverant. Has quoque in Nicæam Bithyniæ, ubi synodus haberi debebat, transferri posse imperator veritus est. Unde Pulcheria augusta ad Strategium illius provinciæ consularem litteras dedit, in quibus, communi tranquillitati prospicere cupiens, et fidem catholicam imperturbatam et immotam ab omni genere hominum custodiri volens, eidem consulari viro mandat ut nemini sine episcoporum consensu ad generalem synodum evocatorum permittat ad eam urbem accedere : *Immo omnes monachos et laicos, quos nulla ratio ad synodum vocat omnino debeat de civitate et ipsis locis expellere. Ut, cum omni disciplina considente sancta synodo, sine aliqua commotione atque contentione, quæ a Domino Christo revelata fuerint communiter ab omnibus confirmentur.*

2. Dum hæc autem agebantur, imperator certior factus est Illyricum maxime perturbari ob metum barbaricæ invasionis. Quare secum recogitans non valde tutum esse longe a Constantinopoli recedere, iteratis litteris concilii Patres Chalcedonem, Constantinopoli propinquam, convocat, ut sanctorum episcoporum incolumitati et imperii felicitati facilius et securius consuleret. Interim hic describit Baronius gravem cladem Romano imperio ab Attila Hunnorum rege illatam (*a*), de qua Sidonius Appollinaris, Gregorius Turonensis, Salvianus Massiliensis episcopus, aliique **456** scriptores verba fecerunt. Cujus rei dumtaxat nos hic mentionem facimus, ut quilibet intelligat quanta ratione S. Leo papa ad securiora pacatioraque tempora generalem synodum differri exoptaverit. Igitur his prætermissis, antequam brevem Chalcedonensium gestorum narrationem instituamus, de nonnullis S. Leonis gestis atque de duabus synodis Galliarum et altera Mediolanensium, verba facere properamus.

3. Et primo quidem nobis occurrit brevissima S. pontificis epistola ad Ravennium Arelatensem, quam doctissimus Sirmondus publici juris fecit, et deinde Paschasius Quesnellus in suam novam transtulit editionem. Agit in ea S. pontifex de Paschate sequenti anno 453 die decima kalendarum Aprilis celebrando. Ad Romanum enim pontificem pertinuisse indicare illius diei celebritatem epistolæ synopsis manifestat. *Ut nimirum, quorum in fide una est* (ait) *confessio, sit etiam in hac festivitate una devotio.* Duas præterea circa ea tempora Galliarum episcopi litteras ad nostrum sanctum pontificem scripserunt, in quibus ita obsequentes et studiosos erga apostolicam sedem se exhibent, ut ab hujus decretis et a catholica veritate ipsis in epistola ad Flavianum proposita declinare sacrilegum esse reputaverint. Quam quidem observantiam cum semper Gallicani antistites tenere et servare omni studio nisi sint, illam Ecclesiam ab omni hæreseos labe illibatam custodierunt, strictissimo obedientiæ vinculo Romanæ Ecclesiæ adhærentes, quemadmodum a suis majoribus traditum esse acceperunt. Et quidem id conjici ex illa epistola quæ Ceretii, Salonii et Verani nomina præfert, nemo potest inficiari. Quorum præsulum episcopales sedes, etsi incertæ et valde obscuræ a viris doctis visæ sint, ut nonnisi aliis et aliis ducti conjecturis ratiocinati sint, tamen communi suffragio Galliarum episcopos epistolæ laudatæ esse auctores sine ulla hæsitatione et fraudis suspicione judicarunt. Pro accepto igitur exemplari epistolæ ad Flavianum, divinæ doctrinæ ubertate ditatæ, primo gratias reddunt, paternam curam et sollicitudinem in Romano pontifice recognoscentes, quia anticipata curatione *remediorum beneficia ante malorum experimenta ipsis exhibere voluerit.* In eo enim agnoscere profitentur peculiarem animi erga ipsorum Ecclesias affectionem, qua istarum incolumitati succurrere curabat, dum, constitutus supra apostolicæ sedis speculam, cura et sollicitudine clamabat, *ne inopinantibus* improvisus hostis adveniret, neve *vulneri locum præbeat* (aiunt) *incauta securitas.* Ipsi quoque Romano pontifici gratulantur, quod laudata epistola ita per *omnium Ecclesiarum conventicula* celebraretur, ut vere *omnium sententia declaretur merito illic principatum sedis apostolicæ constitutum, unde adhuc apostolici spiritus oracula reserentur.*

4. Post talia præconia de epistola Leonis dogmatica effusa, S. pontificem ita compellant : *Deprecamur ut opus, et præsentibus et futuris temporibus profuturum, quod nos asservandi studio foliis mandare curavimus, sanctitas vestra percurrere et, si quid librarii errore defuerit, emendare dignetur; vel si salutarem lecturis omnibus paginam aliquo studii vestri accumu-*

(*a*) Baron., ad annum 451, VI Annalium pag. 101.

laetis argumento, idipsum addi libello huic sollicita pietate jubeatis : ut non solum plures sancti episcopi fratres nostri per Gallias, verum etiam multi ex laicis filii vestri, qui epistolam istam magnopere pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos et sancta manu vestra emendatam transcribere, legere et tenere mereantur. Multa quidem alia in hac epistola notatu digna occurrunt, quæ vel a Baronio, vel a Quesnello et ab aliis etiam forte indicata fuerunt, in quibus haud immorari opus est. Duo dumtaxat ego subjiciam. Alterum, videlicet, tres illos episcopos bis, tertio quaterque voces illas, *beatissime papa*, adhibuisse, sanctissimum pontificem alloquentes, quas concilii Chalcedonensis tempore in usu fuisse negat Quesnellus, ut ex iis colligat falsam et supposititiam esse de Domno Antiocheno actionem. Verumtamen allucinatum esse **457** hunc Leoninorum Operum editorem, probat cum hæc, tum subsequens epistola synodica Ravennii, aliorumque episcoporum Gallorum, in cujus inscriptione ista verba offendimus : *Domino vere sancto, merito in Christo beatissimo, et apostolico honore venerando papæ Leoni Ravennius.* Quamvis tamen, violenta quadam usus interpretatione in notis ad hanc sequentem epistolam, contendat illas voces et istas alias appellationes, *apostolatum vestrum, apostolicamque sedem*, de omnibus et quibuscumque episcopis eorumque sedibus dictas fuisse, quemadmodum in sequentibus videbimus. Dum hæc annotare haud piguit, minime Quesnellum debitis laudibus fraudare intendimus qui multo studio, Ceretii, Salonii atque Verani episcopales sedes inquisivit, sed ob veterum monumentorum jacturam incassum laboravit. Idcirco Baronii, Sirmondi aliorumque præcedentium scriptorum dictis insistens, S. Eucherii Lugdunensis filios fuisse Salonium et Veranum affirmat; Ceretium et Salonium Arausicano interfuisse concilio judicat; atque tandem annotavit Veranum Hilari ævo superstitem apostolicæ sedis legationem egisse in Galliis pro Ecclesiæ Viennensis juribus et S. Leonis decreto contra Arelatensem episcopum tuendis, ut videre est tom. V Conciliorum.

5. Non absimile obsequium nec minorem animi reverentiam et devotionem universum Gallorum episcoporum cœtum in synodo congregatum apostolicæ sedi exhibuisse, synodica Ravennii Arelatensis et aliorum episcoporum patefacit. Nam imprimis episcopi sibi veniam dari petunt ob temporis moram qua detenti fuerunt *ne in unum celeriter convenirent*, atque duo obstitisse ne celerrime synodum haberent asseverant, locorum nimirum distantiam, aurarumque intemperiem quæ eo anno animantium corpora in Galliis morbis vexabat. Ne itaque desides minusque obsequiosi viderentur in apostolicæ sedis mandatis exsequendis, neve inobedientiæ nota afficerentur, statim subjiciunt : *Det ergo apostolatus vester nostræ veniam tarditati, quæ non de otio, sed de certa necessitate descendit; quæque a nobis, et si celeritatis gratiam abstulit, exsultandi tamen materiam auferre non potuit.* Summam animi exsultationem expertos fuisse dogmaticam illam epistolam accipientes et percurrentes, maxime aptam ad instruendos *omnes intra Gallias constitutos*, palam testantur. *Dolentes pariter* (aiunt) *pro his vobiscum qui, catholicæ fidei lumine derelicto, errorum tenebras inciderunt.* Itaque hasce litteras tamquam regulam et fidei symbolum recepisse fassi sunt. Quo munere non Gallias tantum, sed mundum totum gratiosissimis gemmis esse ornatum intelligunt et æstimant, neque pro eo quemquam dignas persolvere posse gratias asseverant. Quare fidelibus et infidelibus Leonis doctrinam magnopere profuisse, sequentibus verbis explicant, dicentes : *Doctrinæ post Deum vestræ debet quisque fidelis, ut constanter teneat quod credebat; debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, et apostolicæ institutionis luce perfusus erroris sui tenebras derelinquat*, etc. Subjiciunt deinde, quemadmodum quandoque optassent litteras Marciano imperatori fidelissimo principi dare, quibus ipsi gratularentur, eumque certiorem facerent, et proderent sollicitudinem qua pontificiam doctrinam in Christo sequebantur. Sed cum ad eos ex Orientalium partibus nuntius pervenisset, *fieri hoc minime necessarium putarunt.* Propterea fidei triumphum adjudicantes Leonis vigilantiæ, studio atque ministerio, supplices Deum orant *apostolatum vestrum conservare, et Ecclesiam ipsam toto orbe diffusam.* Quod ante oculos semper habentes, et gratias et supplicationes Deo indesinenter offerre promittunt : *Gratulantes quod tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ apostolicæ sedi, unde religionis nostræ, propitio Christo, fons et origo manavit, antistitem dederit; petentes etiam ut datum concessumque munus pontificii vestri longissima ad ædificationem Ecclesiarum suarum ætate custodiat.*

458 6. Hocce autem in Leonem ejusque Romanam sedem elogium, publice in Gallicana illa quadraginta quatuor episcoporum synodo recitatum, et ad perpetuam posterorum memoriam scripto consignatum, firmum ac grave testimonium exhibet illius maximæ devotionis et obsequii quibus tum se apostolicæ sedi obstrictos esse gloriabantur. A quorum institutis atque vestigiis numquam vel ob temporum vicissitudines, aut falsarum opinionum superstitiones Gallicana recessit Ecclesia. Quoniam istius præsules parati semper fuerant, *confortante Domino, cum Romano pontifice pro veritate animas ponere, et vitam auctori salutis et largitori æternitatis impendere.* Hisce autem verbis quadraginta illi quatuor episcopi suam claudunt epistolam, singulique huic subscribunt, eas formulas adhibentes quibus supremum Ecclesiæ regimen Romanis pontificibus convenire passim probari solet. Paschasius Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis singillatim horum Gallorum præsulum episcopales sedes ex aliis et aliis monumentis recensuit, ut videre est pag. 478 ad quam lectorem remittimus, ne nimium extra propositum scopum vagemur. Synodica hujusmodi Gallorum episcoporum epistola a S. pontifice Leone accepta, ipse ad eosdem rescribere non diu distulit, et servata sui muneris amplitudine, hisce gravibus vocibus suam epistolam orditur : *Optassemus quidem fraternitatis vestræ litteras eo tempore quo promiseratis accipere, ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam synodum vice nostra pro catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio jungeretur* (*a*). Tarditatem tamen se excusare fatetur ob inopinata obstacula quæ præpedierunt ne citius in unum convenirent. Multo gaudio deinde eorum litteras recensuisse asseverat, quas se ait probare, quia eruditione Spiritus sancti in ipsis *vigere doctrinam cognoverat, quam in Orientalibus* Ecclesiis dæmonis astutia per suos sequaces fatigare curaverat, ut operante divina gratia tandem validior et clarior efficeretur. Multa tandem exsultatione se ait gaudere, quod, *sicut causa poscebat, fiduciam nostram quam de vobis habemus in Domino fideliter atque obedienter auxistis.* O utinam ad hæc postrema verba attendisset Quesnellus ! Tantas quidem non excitasset elapso sæculo turbas, nec gravissimis perturbationibus occasionem dedisset, si, episcoporum Gallorum exempla secutus, fiduciam quam primo de eo Romani pontifices habuerunt non frustrasset, et fideliter et obedienter apostolicæ sedis definitiones profiteri non detrectasset.

7. In altero epistolæ suæ capite narrat quemadmodum, pontificiorum legatorum studio et devotione, *sacerdotibus Christi, principibus et potestatibus* Christianis, cunctisque clericis, plebibus, ordinibus plene in synodo Chalcedonensi sexcentorum PP., plene et evidenter apparuerat doctrinam in illa dogmatica epistola intimatam evangelicæ et apostolicæ traditioni de incarnatione Domini nostri Jesu Christi co-

(*a*) Leonis epist. 37, cap. 1.

hærere; et idcirco damnatos esse Nestorium atque Eutychetem. Quorum errores recensuit et exagitavit in subsequenti tertio capite, ut magis atque magis quantum ab iisdem esset abhorrendum patefaceret. Sequenti quarto capite deinde narrat quemadmodum S. synodus Chalcedonensis religiosa unanimitate dogmaticæ suæ epistolæ, *auctoritate Domini mei beatissimi Petri apostoli et merito roborata*, consenserit, amputando ab Ecclesia Dei opprobrium, et Dioscorum Alexandrinum in sua impietate damnando, *Ne illa Ecclesia* (ait) *quæ inter ipsa Evangelii principia beatum Marcum beatissimi Petri apostoli discipulum in omnibus utique doctoris sui magisterio consonantem habuit fundatorem* labefactata maneret. Quæ verba cum in Grimanico codice lineolis interclusa conspexerim, arbitratus sum, vel antiquum amanuensem, vel doctum aliquem virum designare voluisse summam societatem quæ a primordiis Romanam Ecclesiam inter et Alexandrinam servata fuit, non tantum ob universale S. Petri magisterium, **459** verum etiam ob principium illud a quo Alexandrina ipsa duxit originem. Hinc S. pontifex in medium profert Athanasii, Theophili atque Cyrilli exempla, quos *probatissimos præsules* appellat. Quæ loquendi phrasis cum Quesnello, nescio qua de causa, displicuisset, censuit annotare: « Theophilum mirabitur quis hunc inter probatissimos præsules recenseri a Leone, dignumque haberi qui Dioscoro in exemplum proponeretur (*a*). » Et volens deinde præpedire responsionem quæ adhiberi posset, statim subjicit: « Quod ne ad fidei sinceritatem tantum restringatur, obstat quod *sanctæ memoriæ* appellatur ab eodem epistola 94 ad Marcianum imperatorem, et 68 ad Paschasinum Lilybætanum, et cum sanctitatis præconio citantur ejus scripta tam in epistola 134 ad Leonem Augustum, quam in excerptis SS. Patrum in Chalcedonensi relectis. » Addit præterea: « Nec tamen ignorare potuit S. Leo quam nefandis quamque aperta vi sanctum Joannem Chrysostomum persecutus fuerit, ac tandem oppresserit Theophilus. » An autem ante mortem tot scelerum eum pœnituerit, non explicat Quesnellus, sed lectores remittit ad opus Gallice conscriptum a Gothofrido Hermantio de Vita S. Joannis Chrysostomi, et demum concludit: « Crediderim ego ex his loquendi formulis de episcoporum sanctitate non esse decernendum, cum videamus perditissimos homines iisdem titulis decorari etiam in conciliis œcumenicis, et hanc consuetudinem per ea tempora viguisse, ut quicumque episcopi a fide catholica nullo modo deviaverant decesserantque in communione Ecclesiæ, reponerentur in sacris diptychis, et *sanctæ memoriæ viri* dicerentur. »

8. At quis non intelligit nimis gravem atque malignam esse hanc in Theophilum censuram, qua non tantum istius in Chrysostomum simultates exaggerantur, verum etiam S. Leonis judicium et Chalcedonensia gesta parvi pendenda esse indicatur, quasi quod idem Theophilus nec *probatissimus* fuerit *præsul*, nec *sanctæ memoriæ* rationabiliter esset dicendus? Obstare contendit Quesnellus quæ in Chrysostomum egit. Sed si hæc attendamus, minime illius generis sunt ut ipsius Theophili famam atterramus, perditissimisque viris comparemus. Simultatum enim illarum nulla alia origo fuit quam studium illud quo gentiles hæreticosque anthropomorphitas ubique insectari quærebat, simulque catholicos viros a librorum Origenis lectione avertere procurabat, ob apertos videlicet errores in hujus scriptis repertos. Quare cum ipse jussisset ut ab omnibus damnarentur, et *Longi fratres* eorumque sectatores obtemperare detractassent, hos Ægypto ejecit et, Alexandriæ coacta synodo, ipsum Origenem cum suis libris damnavit, agens quoque ut in alia synodo

A Cypri, cui Epiphanius præfuit, damnarentur. Hactenus nihil in Chrysostomum Theophilus fuerat commotus. Sed audiens monachos a se ejectos benigne ab eodem Chrysostomo Constantinopoli receptos, ecclesiasticæ disciplinæ studio tuendæ actus, quasi Alexandrinæ sedis jura tueri cupiens, in Joannem invehi cœpit, et, forte nondum sufficienter istius agendi ratione explorata, Constantinopolim proficiscitur et, coacta synodo, Joannem tamquam canonum violatorem, etiam reclamante plebe, deposuit. Dabo quidem Theophilum tum eam animi moderationem non servasse quæ episcopum decebat, et nimio zelo actum præcipiti judicio in hanc causam inquisivisse. Sed obstant forte quin probatissimus præsul et *sanctæ memoriæ* vir appelletur? Attendat, quæso, Quesnellus rationes quibus ducebatur, in mentem revocet eximias excellentesque virtutes quibus erat præditus. Nam præter sacrarum rerum scientiam, qua maxime pollebat, quoadusque vixit ab omni

B hæresi abhorruit, Judæorum conversionem omni nisu curavit, gentiles ad veræ religionis cultum inducere quæsivit, nihilque eorum aggredi prætermisit quæ in catholicæ fidei munimen, præsidium et incrementum poterant **460** redundare. At diutius in his immorari jam tædet, potissimum cum in alio opere, agendo Rufinianas vindicias, descripserim quemadmodum Theophilus Origenem et Origenistas exagitasset (*b*). Addam dumtaxat Quesnelli et alterius cujusque recentioris scriptoris opinionem tantum roboris numquam obtinere potuisse, ut Leonis Magni et Chalcedonensium PP. testimonia atque judicium infirmare aut dejicere queant. Cum neminem lateat gravissimas quæstiones olim inter sanctissimos viros excitatas horum sanctitati et nominis celebritati minime obesse potuisse, etiam si aliquid humanæ infirmitatis passi sint, ut nimis vehementer propriis studiis et opinionibus adhærerent, ut sexcentis exemplis ipsi probare possemus.

9. Restat jam tandem ut de Mediolanensi synodo

C verba faciamus, quam non alia de causa S. Leo haberi jussit, nisi ut communi illius provinciæ etiam episcoporum consensu et publicis subscriptionibus epistola dogmatica ad Flavianum susciperetur, quod, ait Baronius, impigre curatum est (*c*). Tunc igitur Abundius Comensis, cæterique pontificii legati ex Oriente Romam regressi erant, verbis de omnibus quæ in Chalcedonensi synodo contigerant rationem reddituri. Quare S. pontifex, ut certis documentis innotesceret omnes Occidentales episcopos fidei regulam a se ipso conscriptam et definitam suscipere, Abundio episcopo et Senatori Mediolanensi presbytero collegæ ad patriam et episcopatum revertentibus mandat ut Eusebium conveniant pro synodo indicenda. Huic synodo Eusebius præfuit, ad eamque alii decem et octo episcopi vel per se, vel per suos legatos presbyteros interfuerunt, quorum multi sanctitate, doctrina maxime, celebres fuerunt; videlicet Maximus Taurinensis episcopus, ipse Abundius Co-

D mensis, Crispinus Ticinensis, aliique quorum nomina multa cum laude in Ecclesiæ tabulis regesta sunt, ut videre est apud Baronium anno superius laudato. Hinc facile colligimus longe a veritate eos scriptores abscessisse, qui dixerunt Maximum Taurinensem, regnantibus Honorio et Theodosio, mortuum esse. Quomodo enim fieri id potuit, si non tantum huic Mediolanensi interfuit synodo, sed etiam Romani concilii Actis sub Hilaro papa subscripsit?

Quidquid autem de his similibusque quæstionibus ab aliis dictum fuerit, præsenti hoc otio non inquiramus. Summam dumtaxat hujus synodicæ epistolæ paucis recensebimus. Tribus igitur capitibus distinctam mss. codd. omnesque editores illam exhibuerunt. In quorum priori Eusebius cum sociis exsul-

(*a*) Quesnellus, tom. II, pag. 481, in notis et observationibus ad hanc epistolam.

(*b*) Tom. II Hist. Ecclesiast. pag. 98, 108, et alibi passim, voce *Theophilus*.

(*c*) Baronius, tom. VI Annalium.

tare fatetur, quod apostolicæ sedis legati Chalcedonem missi felicem faustumque effectum legationis sibi commissæ assecuti fuissent, quod quidem in Dei laudem et Christianæ fidei custodiam ob divinæ majestatis præsidium contigisse asseverant, *Quando* (videlicet, aiunt) *vos idoneos cultus sui assertores in apostoli sui sede præsulem collocavit.* In altero epistolæ capite laudant doctrinam in epistola ad Flavianum contentam, tamquam prophetarum assertionibus, evangelicis auctoritatibus et apostolicis testimoniis omnino consonam; eamque *nitore quodam lucis ac veritatis splendore radiare*, *omnibusque sensibus convenire* quos beatus Ambrosius de incarnationis Dominicæ mysterio suis libris Spiritu sancto incitatus inseruit. In tertio tandem capite idem Eusebius cum sociis anathema Eutychianis dixisse profitetur; atque, *litterarum* (aiunt) *vestrarum formam secuti, modum præscriptæ ordinationis nos servasse*, *his per fratrem et coepiscopum nostrum Cyriacum missis ostendimus*. Quæ sane verba innuunt formam rerumque omnium agendarum ordinem a sancto pontifice præscripta, nemine refragante, ab iisdem servata fuisse, ad debitam quidem obedientiam patefaciendam, quam semper totius orbis episcopi etiam in synodis congregati Romanis pontificibus præstiterunt.

461 Unum tandem adhuc restat in hac synodica epistola quod nostram animadversionem excitavit, quodque, repugnantibus vulgatis et mss. codd., aliter in Quesnelliana editione exhibetur. Eusebius siquidem, præsentem suam orationem claudere volens, divinam opitulationem implorat, Leonisque pontificis studio Eutychianæ hæreseos exitium, fidei palmam et consummati certaminis coronam perpetua quiete retinendam adjudicat, subdens deinde: *Hoc futuris memorabile sæculis relinquatis, ut ab hoc exstincta præsenti tempore impiæ sectæ contumacia videatur, ut vobis* (supple catholicæ fidei) *propugnatoribus in æternum prostrata succumberet:* Concinunt huic lectioni Surius, conciliorum collectores, aliique ex vulgatis exemplaribus, quam genuinam esse etiam aliqua mss. exemplaria, quorum auctoritatem sequendam nobis persuasum est. Quamvis Quesnellus pro illa voce *exstincta*, aliam *exstitisse* induxerit, et forte sui librarii oscitantia *pugnatoribus* pro *propugnatoribus* admiserit. Is tamen in notis ad hanc epistolam fatetur laudatum locum medica manu indiguisse, quem ad mss. Trecop. et Thuan. cod. emendavit, facta collatione cum hac vulgata (*a*): *superesse ut, annuente Domino, perpetuo retinentes, hoc futuris memorabile sæculis relinquatis; ut a tempore præsenti extincta impiæ sectæ contumacia videatur, ut novis purgationibus in æternum prostrata succumberet.* Falsam quidem atque corruptam esse hanc lectionem nemo inficiabitur, si eam consideret, deinde conferat cum præcedenti epistolæ contextu, in quo, ut diximus, et hæreseos exitium, et fidei palma, et consummati certaminis corona summo pontifici Leoni adjudicantur. Non igitur novæ purgationis adhibendæ erant ut exstincta hæresis *in æternum prostrata succumberet*. Quare novissima Augustini Savioli Veneti typographi editio maximam mihi movit admirationem, tam corruptam lectionem in hujus epistolæ contextu inducendo, ea expuncta quam Surius, conciliorum collectores, et ipse Quesnellus retinendam esse judicarunt. Atque admirationem adauxit, quod ipse editor fassus sit optimorum mss. codd. fidem et auctoritatem se esse secutum, quamvis revera nullos codices consuluisse ex hoc atque similibus lapsis mihi liceat argumentari; de qua re aliqua dicere opportunius reservabo in altero tomo Leoninorum Operum.

CAPUT III.

De tempore, numero Patrum atque sessionum synodi Chalcedonensis. Omnia quæ in votis S. Leo habuit feliciter exsecutioni mandata sunt. Catholica fides stabilita. Episcopi lapsi ad pœnitentiam suscepti sunt. Dioscorus et Eutyches damnati, et demum apostolicæ sedis jura in Ephesina synodo abolita summa consensione reparata et stabilita fuerunt.

1. Marcianus imperator, ob causas in superioribus recensitas, jussit ut episcopi ad generalem synodum acciti in Chalcedone convenirent et in basilica S. Euphemiæ martyris in suburbiis extra urbem congregarentur. Exordium sumpsit octavo idus Octobris anni 451, fuitque absoluta kalendis Novembris. Scriptores, ut annotavit inter cæteros cardinalis Baronius, non conveniunt in determinando neque Patrum neque actionum numero. Marcellinus, in Chronico, sexcentos et triginta episcopos adfuisse narrat, cui suffragantur Liberatus diaconus et Photius. Nicephorus mavult duplicatum fuisse numerum eorum qui œcumenico Nicæno **462** concilio interfuerunt, videlicet sexcentos triginta sex fuisse. S. Leo vero, qui recenter a suis legatis ex Oriente advenientibus et ex Actorum exemplaribus edocebatur, scribens ad episcopos Galliarum, ait: *Sexcentorum ferme fratrum coepiscoporumque nostrorum synodus congregata* (*b*). Ad quæ omnia idem Baronius animadvertens, arbitratur ab exemplaribus Actorum quæ supersunt subductam esse fere dimidiam partem episcoporum, cum in prima actione ejusdem synodi nonnisi tercenti quadraginta episcopi subscripti reperiantur. Verum de hac difficultate verba faciemus in actione de Domno Antiocheno, Stephani Baluzii animadversiones approbantes. Æque incertus apparet actionum numerus, pro quo definiendo aliæ et aliæ sunt scriptorum opiniones. Baronius, ex dierum numero quo sancta illa congregatio duravit actionum quoque numerum inferri debere arbitratur. Cum itaque ab octavo die idus Octobris usque ad kalendas Novembris duodecim dies intercesserint, et singulis diebus PP. convenisse arbitrari liceat, ideo duodecim sessiones sive secretaria habita fuisse credendum est. Liberatus, laudato loco, quindecim numerat actiones; sed in Græcis Latinisque exemplaribus sexdecim continentur, quamvis multa habeantur in Latinis quæ in Græcis desiderantur, et e contrario. Verum si sedulo attendamus ad omnes causas quæ in ea synodo agitatæ sunt, fateri cogimur in eadem sessione plures actiones factas fuisse, ut constabit cum de Photii Tyrii et Domni Antiocheni causis disputabimus.

2. Ecclesiasticæ historiæ scriptores, qui nos præcesserunt, diligentissime singula in iis Actis contenta recensuerunt; quod præstare in præsens nos prætermittimus, ne quod ab aliis jamdudum actum est iterum agamus. Potissimum cum non semel laudati auctores, Baronius videlicet, Christianus Lupus, Pater Natalis Alexander, Stephanus Baluzius, Joannes David, singuli pro scribendi scopo quem assumpserant, eadem Acta descripserint, variasque incidentes quæstiones pertractaverint, a nonnullis quarum nos abstinuimus, cum ad rem nostram haud pertinere arbitrati sumus. Tria igitur cum sint quæ Magni pontificis vota, ut diximus in præcedentibus, respiciunt, quæque tandem fideliter exsecutioni in ea synodo fuere demandata, singula indicabo. Primum igitur ad fidei causam pertinebat, de qua in synodi exordiis pertractari cœptum est. Nam Paschasinus Lilybæi episcopus, Leonis mandatis obtemperaturus, petiit ut Dioscorus e synodo discederet; nam inter reos dumtaxat, non inter judices, ille erat admittendus. Et quamvis isthæc petitio dura visa fuerit, tamen ad compescendos aliquos dissensionis motus inter Orientales excitatos, et ad præcavendas indu-

(*a*) Quesnellus, tom. II, pag. mihi 482.

(*b*) Marcellinus, in Chronico. Liberatus diaconus, in Breviario, cap. 3. Nicephorus, lib. xv, cap. 2. Photius, de Septem Conciliis, cap. 4, S. Leo, epist. olim 52, nunc in Quesnelli editione 77. Baronius, tom. VI Annalium, pag. 139 et seqq.

cias quæ ex canonicis citationibus contingere solent, judices dixerunt ut tamquam judicandus in medio sederet. Tum, accepta ab Eusebio Dorylæi facultate Dioscorum accusandi, hunc, et læsæ fidei, et sacrilegi homicidii reum ob necem Flaviano illatam postulabat. Et, lecto accusationis libello Marciano imperatori oblato, Dioscorus objecta diluere nitebatur, dicendo *Flavianum legitime condemnatum in synodo imperatoris Theodosii auctoritate congregata.* Sed quid in latrocinalibus Actis contineretur ex horum lectione sciscitatum est. Quare cum in iisdem Actis legendis ventum esset ad Theodosii constitutionem, qua cautum fuerat ne Theodoritus præcedenti Ephesino latrocinio interesset, judices petierunt Theodoritum in concilium introduci. De cujus causa hic disserere prætermittimus, cum in subsequentibus Quesnellianam refellere debeamus dissertationem. Interim jam episcopi qui pro Dioscori et Eutychetis partibus decertaverant confessi sunt timore se militum compulsos orthodoxos deposuisse episcopos, et conscientiæ stimulis acti exclamaverunt : *Omnes peccavimus, omnes veniam postulamus.* Et continuata lectione Actorum **463** pseudosynodi, Dioscorus accusatus est, quod epistolam dogmaticam S. Leonis tamquam fidei regulam ad synodum transmissam, legi vetuisset. Ut autem plenius innotesceret vis S. Flaviano et orthodoxis episcopis illata, recensita fuerunt omnia Constantinopolitani concilii Acta, in quibus de Eutychetis condemnatione gestum fuerat. Ex qua lectione apostolicæ sedis legati probaverunt Flavianum vere catholicum, Eutychetem vero impium hæreticum. Sed Dioscorus ipse amplius cohibere non valens suæ malæ fidei nequitiam, interloquendo ausus est contendere *Flavianum jure fuisse damnatum, quod dixisset post adunationem duas esse in Christo naturas;* cujus contrariam sententiam coram Patribus pertinacius propugnare ausus est. Postea vero alia quamplurima lecta sunt, de quibus summatim Baronius verba facit, et ipsi occasione subsequentium Exercitationum indicabimus. Tandem fidei definitio ad sequentem actionem protracta est, quæ sexto idus Octobris fuit celebrata.

3. In hac porro symbolum Nicænum recitatum fuit, cui concinere Cyrilli Alexandrini scripta, et Leonem Romanum pontificem in sua epistola, omnes Patres contestati sunt. Hanc autem Leonis epistolam mirificis laudibus prosequentes, acclamarunt. *Hæc Patrum fides, hæc apostolorum fides, omnes ita credimus, orthodoxi ita credimus, Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est : Apostoli ita docuerunt, pie et vere Leo docuit, Cyrillus ita docuit. Leo et Cyrillus similiter docuerunt.* Quis autem non intelligit solemnibus istis atque universalibus PP. acclamationibus justo judicio et diligenti studio honorem ad apostolicam sedem et ad sanctum Leonem delatum fuisse, cujus jura et prærogativas Dioscorus in præcedenti synodo pessumdederat et aboleverat? Leonem enim Petri esse successorem, sincerum fidei catholicæ custodem, Scripturarum sacrarum supremum esse interpretem, uno ore venerati, ad delendam nimirum illam turpitudinis maculam, qua cum summo apostolicæ sedis dedecore Leo ipse et hujus legati in latrocinio Ephesino fuerant passi et inusti. Pro quo scelere cum debitas pœnas Dioscorum subire oporteret, in sequenti tertia sessione hujus damnatio prolata est. Huic autem sessioni soli episcopi sine sæculi magistratibus interfuerunt. Aberat etiam a synodo Dioscorus, sed sub militum custodia detinebatur. Et quamvis in prima sessione istius crimina sufficienter omnibus innotuissent, tamen ad servandam juris canonici formam et ordinem, iterum Eusebii Dorylæi accusatoris libellus lectus est; et ne in absentem sententiam proferrent, semel, iterum et

A tertio canonicis citationibus eum ad synodum venire pulsarunt. Varia excusationum genera interposuit Dioscorus, vel quod detinebatur ægritudine, vel quod ipsi cautum esset synodo adesse, judicibus sæcularibus absentibus. Quam postremam excusationem irritam prorsus fecit Cecropius Sebastenus episcopus, ad eum vocandum missus, dicendo : *Quando quædam regularia, nempe ecclesiastica negotia examinantur secundum canones, neque judices alios vel laicos interesse oportet* (a). Dum hæc autem agebantur, et synodi PP. Dioscori responsa juxta præfixos terminos exspectabant, quatuor libelli Theodori, Ischirionis, Alexandrinorum diaconorum, Athanasii presbyteri et Sophronii Alexandrini, Christiani viri, lecti sunt. Eam enim epigraphem seu inscriptionem præseferunt : *Sanctissimo et beatissimo universali patriarchæ magnæ Romæ Leoni, et sanctæ universali synodo Chalcedonensi.* Hos libellos Leoni summo pontifici inscriptos, inter Leonina Opera non collocavit Quesnellus, B nec in synopsi Chalcedonensium Actorum, indicavit saltem Leonis nomen præseferre; quamvis consilium habuerit suam editionem adornandi omnibus monumentis ab ipso sancto summo pontifice scriptis, **464** et aliorum ad ipsum (b). Hujusmodi libelli Græce et Latine exstant tom. IV, quos ad lectionem Vaticanorum codd. emendavimus, et ut inter S. Leonis Magni Opera in lucem prodeant in sequenti tomo curabimus.

4. In his porro libellis gravissima Dioscori facinora descripta et contestata continebantur, quorum summam in præsens indicare supervacaneum ducimus, cum viris doctis innotuerint, et possint a quopiam lustrari. Cum igitur tertio ad synodum vocatus Dioscorus obtemperare recusasset, nec eum permovere potuisset Joannes Germaniciæ episcopus, dicens : *Sacerdotum delicta communis est turpitudo. Si igitur scit tua sanctitas calumniam se ab aliquibus pati, non est longe sancta synodus; fatigare, ut convincas mendacium.* Quare cum reliquum non esset C ad ipsius defensionem, pontificii legati, Leonis personam agentes, in eum damnationis sententiam tulerunt. Hanc autem nos hic subjicere prætermittimus, ne contra propositum institutum nostræ Exercitationes nimium excrescant. Qui vero intelligere cupiunt an omnia apostolicæ sedis jura in eo judicio manserint reparata, quemadmodum S. Leo post latrocinium Ephesinum habuit in votis, facile totam istius actionis seriem, ordinem et decreta lustrare poterunt apud Conciliorum collectores, tom. IV, actione tertia. Hanc itaque pontificiorum legatorum in Dioscorum latam depositionis degradationisque sententiam unanimi consensione ratam habuerunt cæteri PP., qui postmodum synodales scripserunt epistolas Valentiniano et Marciano imperatoribus, Pulcheriæ Augustæ, de his quæ nuper stabilita fuerant. Publicum quoque propositum fuit istius damnationis decretum, quod et ipsi Dioscoro atque etiam clericis Alexandrinis fuit significatum.

D 5. In sequenti autem sessione, quæ quarta fuit, causa episcoporum qui cum Dioscoro in latrocinio Ephesino principes partes obierunt ad examen revocata est. Hos autem in synodo de imperatoris Theodosii mandato pariter præfuisse, ipse Dioscorus testatus est, contendens cum Domno Antiocheno, Juvenali Hierosolymorum, Thalassio Cæsareæ Cappadociæ, Eustathio Beryti, Eusebio Ancyræ, et Basilio Seleuciæ episcopis communem causam habere. Sed quia hos S. Leo jusserat in communionem recipi, et pœnas canonicas iisdem relaxari, si pœnitentes se exhibuissent, et si in horum sedibus alii jam catholici episcopi non essent suffecti, ut jam vidimus ex præcedentibus epistolis, et commonitorio legatis dato; idcirco, cum probassent Nicænum et

(a) Videsis sequentem nostram dissertationem in causa Photii Tyrii, quam examinandam explicandamve nobis dedit cl. D. Nicolaus Antonelli pontificiæ Conciliorum Benedictinæ Academiæ a secretis.

(b) Vide tom. II Operum S. Leonis, pag. 811.

Constantinopolitanum symbolum, decreta Ephesi et S. pontificis Leonis epistolam, anathema dicentes contraria sentientibus, jussi sunt synodum ingredi a qua repulsi fuerunt, et, ecclesiastica obtenta pace, catholicæ societati adjuncti fuere. Domnum autem Antiochenum non adfuisse in peculiari dissertatione explicabimus. Admissi quoque fuerunt Ægyptii episcopi, quos pontificii legati jusserunt anathema dicere Eutycheti et subscribere epistolæ S. Leonis. Utrumque facere primo detrectarunt, exspectantes novi Alexandrini antistitis electionem, quem secuturos esse spondebant in subscriptione. Sed, instante synodo ut Eutychetem damnarent, tandem consenserunt. Verum cum adhuc urgerentur ut S. Leonis litteris subscriberent, omnino renuerunt; seque prosternentes, petierunt ut sanctæ synodo placeret primum eligi Alexandrinum episcopum. Quorum supplicationibus synodus annuit, ea tamen interposita cautione ne Chalcedone recederent, sed novi episcopi electionem exspectarent (a). Eminentissimus cardinalis Baronius atque cl. Stephanus Baluzius annotarunt Græca Actorum Chalcedonensium exemplaria laudatas actiones aliter distributas continere. Sed notariis episcoporum 465 id esse tribuendum, in dissertatione quam pro Domno Antiocheno conscripsimus affirmamus.

6. In quinta actione, de fidei constitutione ab omnibus veluti firma regula tenenda inquisitio cœpta est. Carosus enim Dorotheus, aliique Eutychiani archimandritæ libellum Marciano imperatori dederant, ut ipsis liceret de fidei rebus cum catholicis disputare. Qui cum synodum essent ingressi, et libellum PP. obtulissent, cogniti sunt pro Dioscoro supplicationes habere. Profitebantur in eo se tantummodo Nicænam fidem amplecti, nullamque ejus expositionem admittere. Addebant præterea potius extra alios seorsum a communione ipsorum vitam acturos, quam quidquam novi ad fidem pati superinduci. *Ita quidem* (ait Baronius) *hypocritæ illi, more Eutychetis atque Dioscori, sub mentito pallio Nicænæ fidei novam hæresim fovebant*. Horum libello alius objectus est synodo oblatus a catholicis archimandritis, et interea tridui spatium temporis datum est hæreticis ad resipiscendum, atque catholicæ fidei adversum Eutychetem subscribendum. Hos inter erat quidam archimandrita nomine Maximus, qui Eutychetis magister dicebatur. Hæreticorum autem archimandritarum subdola agendi ratio synodum fatigavit, et turbas inter PP. excitavit. Nam Paschasinus et cæteri legati pontificii volebant quod ad Eutychianæ hæreseos exitium et condemnationem S. Leonis epistola tamquam fidei tessera ab omnibus admitteretur. Contra vero Anatolius Constantinopolitanus, qui secreto hactenus Dioscoro et Eutychianæ factioni ex parte adhærebat, multis modis se opponebat. Primo enim approbandam PP. exhibebat quamdam fidei definitionem ab Asclepiade Constantinopolitano diacono recitatam, quam tamquam hæreticorum turbis faventem sedis apostolicæ vicarii cum aliquibus episcopis Orientalibus repudiarunt, nec Actis synodalibus inseri permiserunt. Secundo, nihil novi antiquis fidei sanctionibus superaddendum esse contendebat, ita ut præter Nicænum et Constantinopolitanum Symbolum, et Ephesina decreta contra Nestorium hujusque asseclas stabilita, nulla definitio ad Eutychianum dogma proscribendum admittenda esset. Tertio, Dioscorum non ob læsam fidem fuisse damnatum, et episcopatu dejectum affirmabat, *sed quia excommunicationem fecit Domno archiepiscopo Leoni, et tertio vocatus est, et ideo damnatus est*. Hanc subdolam Anatolii agendi rationem apprime Paschasinus et cæteri vicarii pontificii noverunt. Et propterea, ne ullus aditus Eutychianis superesset fidei Symbolum aliter interpretandi, præcedentibus Nicænis, Constantinopolitanis et Ephesinis decretis addiderunt: *Epistolam magnæ et senioris urbis Romæ præsulis beatissimi et sanctissimi archiepiscopi Leonis, quæ scripta est ad sanctæ memoriæ archiepiscopum Flavianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, utpote et magni illius Petri confessioni congruentem et communem quamdam columnam existentem adversus perverse sentientes ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter aptavit*, etc. Integre ergo fidei definitione recitata, eam imperatori Marciano ex judicum sententia manifestandam esse censuerunt, ut habent Facundus Hermianensis et Liberatus diaconus, ut episcopi deinde unanimi consensione in sequenti actione eidem subscriberent (b).

7. Octavo igitur kal. Novembris sexta actio celebrata est, et ut ex Actorum exemplaribus innotescit, omnes episcopi synodali definitioni subscripserunt. Et ibidem advenientibus Marciano imperatore, et Pulcheria augusta, aliisque nobilibus viris imperialis aulæ ministris, ipse Marcianus paucis synodi Patres allocutus est (c). Qua allocutione absoluta, 466 quæ hactenus gesta erant Aetius archidiaconus Constantinopolitanus recitavit, una cum omnium episcoporum subscriptionibus. Quare interrogata synodo ab imperatore si secundum omnium sanctorum episcoporum expositionem definitio nunc relecta prolata est, omnes clamaverunt: *Omnes sic credimus, una fides, una voluntas*, etc.; et conversi PP. ad imperatorem, dicebant: *Marciano novo Constantino, novo Paulo, novo David. Annos David imperatori*. Augustæ pariter *multos annos* dixerunt, et utrumque alloquentes, subjiciebant: *Luminaria mundi, Domine, tu custodi*; et multis aliis veris justisque laudibus utrumque ornarunt. Fidei rebus igitur ita dispositis atque firmatis, imperator, ad honorem clericalis militiæ et monasticæ vitæ, quædam capitula canonicis statutis determinanda synodo proposuit: *Decorum* (ait) *esse judicantes a vobis hæc regulariter potius formari per synodum, quam nostra lege sanciri* (d). Fatigati autem ob nimios labores episcopi, semel iterumque imperatorem supplices rogarunt ut eos dimitteret: sed ipse Marcianus ad synodum conversus dixit: *Multum quidem estis itinere fatigati laborem perferentes. Verumtamen sustinete adhuc tres aut quatuor dies, et præsentibus magnificentissimis nostris judicibus, quæcumque vultis movete, competens adepturi solatium*. Addidit tandem: *Nullus vestrum antequam perfecti termini ex omnibus proferantur a sancto concilio discedat*. Hactenus ea brevitate qua potui priores sex Chalcedonensis synodi actiones summatim descripsi; ex quibus haud dubium esse potest feliciter S. Leonis Magni vota adimpleta mansisse, atque apostolicæ sedis jura turpissime jam pridem a Dioscori et Eutychiana factione in præcedenti Ephesina synodo violata et abolita solemni atque universali totius Ecclesiæ judicio reparata fuisse. Cætera vero quæ sequuntur, cum ad particulares quorumdam episcoporum causas pertineant, sequentibus in Exercitationibus explicabimus.

CAPUT IV.

Dissertatio in quartam Chalcedonensis concilii actionem habita in pontificia Conciliorum Academia, anno Domini 1747.

1. Photii Tyrii causam, in cujus cognitione Chalcedonenses PP. quarta hujus synodi actione versati

(a) De hac Ægyptiorum supplicatione consule Christianum Lupum, in appendice ad actionem 9 concilii Chalcedonensis.

(b) Qui de hac et sequenti actione plura desiderat, consulat eruditissimas annotationes cl. Stephani Baluzii in nova Conciliorum collectione.

(c) Hæc imperatoris allocutio Græce et Latine exstat tom. IV Conc., pag. mihi 1421. Vide Stephani Baluzii annotationes, loco superius laudato.

(d) Hujusmodi tria capitula expressa offendes tom. IX Concil., pag. 1510.

sunt, in præsens expendere jubeor, de iis tribus dumtaxat verba facturus quæ hujusce Academiæ viris hoc anno discutienda præscripta fuere, quæque sub octavo numero quoad canones sequenti ordine et vocibus exprimuntur.

Primo, an consuetudo antiqua allegata ab Anatolio, actione 4, in causa Photii episcopi Tyrii quod episcopi existentes Constantinopoli una cum patriarcha definiebant quorumcumque recurrentium causas, legitima esset; et hoc posito, cur sententia in causa Photii fuit revocata.

Secundo, utrum in causis ecclesiasticis judicandum esset secundum canones, an etiam secundum pragmaticam sanctionem; qua de re actum est actione 4 in eadem causa Photii.

Tertio tandem, an episcopus, si esset episcopatu indignus, possit in ordine inferiori collocari, quod negare videntur legati papæ, actione 4. In quibus omnibus perquirendis, multam orationem me habere oporteret, si libere ejusmodi argumenti latissimnm campum excurrere possem. Verum cum summi, clementissimi, atque sapientissimi principis benignitate abuti haud debeam, idcirco non omnia quæ dicenda occurrunt potero recensere; **467** sed aliqua nondum satis explorata prolixius exponam; notiora dumtaxat delibabo, et quæ tandem, a recentioribus regalistis multis cavillationibus implexa, ad ecclesiasticum regimen et ad apostolicæ potissimum sedis jura dejicienda, aut prorsus evertenda, similibus occurrentibus causis, in medium adducuntur, non dissimulabo atque Chalcedonensium PP. vestigiis insistens paucis refellere conabor.

2. Antequam præsentis concertationis capita resolvere aggrediamur, quæ et qualis causa fuerit cur tot tantaque dissidia Photium Tyrium inter et Eustathium Berytensem exorta essent, inquirere nobis opus est. Tyrum ergo urbem imprimis totius Phœniciæ primæ fuisse metropolim, cui duodecim aliæ urbes et episcopi ab Ecclesiæ exordiis ad annum quadringentesimum quinquagesimum usque suberant, quorum unus erat Beryti episcopus, ex ecclesiasticis tabulis exploratum est. Omnium primus deinde qui hujusmodi metropolitæ jura violare tentaverat fuit Eustathius. Qui, posthabitis Nicænorum Patrum regulis, maximo suæ amplificandæ sedis studio actus, pragmaticum ab imperatore Theodosio typum seu rescriptum obtinuit, quo, dissecta in duas partes Phœniciæ primæ provincia, Berytiorumque Ecclesiæ metropolitico gradu et honore attributo, Ecclesiarum quoque Tripolis, Biblis, Botrys Orthosiade, Arcæ, Antharadis, quæ Photio Tyrio legitimo metropolitæ suberant, administrationem et ordinationes in suam redegit potestatem. Facinus tam grave non exhorruit Eustathius, quippe qui res omnes Ecclesiæ susquedeque vertere assuetus, multorum schismatum et contentionum auctor fuerat; cum, videlicet, irarum et odii impotens, in latrocinali Ephesina synodo adversus sanctum Flavianum Constantinopolitanum episcopum, Anatolii decessorem, et Eusebium Dorylæensem, pro Dioscori et Eutychetis factione signiferi partes subire non reformidavit, ut catholica fides plene ad exitium perduceretur. Atque hac de causa Eustathii Berytiorum episcopi nomen non nisi cum summa ignominia in sacras tabulas relatum legimus. Cum nimirum Chalcedonenses Patres, priori actione, latrocinalis præcedentis synodi Acta rescindere et abolere instituentes, omnium turbarum et criminum auctores eadem omnino pœna esse plectendos decreverunt quam ipsi per summam injuriam laudatis episcopis, Flaviano scilicet et Eusebio, inusserant.

3. Verum tametsi ea in prædatoria synodo Eustathius cum aliis quinque episcopis totius schismatis auctoribus potestatem et imperium habuisset; quam-A vis præterea Dioscori Alexandrini, tum Chrysaphii et cæterorum imperialium ministrorum qui Eutycheti patrocinabantur, favorem sibi comparasset; nullum tamen conatum, aut in Photium Tyrium, aut in ejus Ecclesiam adhibere ausus est, satis sibi esse ducens tum talia tantaque præsidia nactum esse quibus facile magis opportuno tempore suis studiis suisque honoris et auctoritatis cupiditatibus posset indulgere. Quare cum anno quadringentesimo nono, undecima die kalendarum Augusti, latrocinali synodo absoluta, Constantinopolitanus episcopus Flavianus, plagis, verberibus et contumeliis affectus, e sua sede exturbatus, exsulatum ire coactus esset, Eustathius tamen sibi persuasit facilius optatum honorem assequi posse, si cum novo tandem episcopo in Flaviani locum suffecto pacem et amicitiam haberet, ad felicius suum negotium conficiendum. Hinc ergo minime dicendum est, Orientis rebus in tanto discrimine positis, illud aliud gravissimum facinus pseudosynodi PP. perpe-B trasse, videlicet, quod, Flaviano adhuc superstite, Anatolium in ejus sufficerent locum, et in Constantinopolitanum ordinaverint episcopum. Contrariam enim opinionem, et si plerique cum ex catholicis, tum heterodoxis scriptoribus quandoque probassent, tamen nonnisi purum putumque redolere figmentum, perspicue cum ex Theodosii, tum ex ejusdem Anatolii ad S. Leonem epistolis patefactum est. Flavianus quippe nonnisi sequenti **468** anno martyr ex hac luce migravit. Cujus secuta morte, Theodosius imperator Constantinopolitano demandavit clero aptiores ad id munus obeundum decernere atque probare: *sibi electionem omnium præcipui reservans* (*a*). At cum gravissima in dies inter Constantinopolitanum clerum dissidia succrescerent, agente potissimum Dioscori factione, et imperatoris ministris, *jussit Theodosius conquiri* (verba sunt Anatolii) *clericos in regia urbe, etiam ex aliis civitatibus, ob quædam* (*ita ut fit*) *negotia degentes, quo inter illos præstantior in episcopalem dignitatem promoveretur*, ut jam ipsi C in præcedenti libro observavimus.

4. Multa quidem vera et scitu digna modo dicenda occurrerent, si temporis ratio et præsens disserendi propositum haud præpedirent. Illud unum, quod ad res nostras facere visum est, leviter dumtaxat attingam. Anatolii videlicet ad Constantinopolitanum thronum evectionem Eustathii Berytiorum episcopi studiis oppido favisse, Tyriorum vero episcopo Photio extra modum fuisse exitialem. Summa enim Eustathium inter et Anatolium necessitudo intercesserat. Nam is cum esset Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, et Dioscori episcopi apocrisiarius, cujus factionis schismaticæ studio ad episcopatum Constantinopolitanum fuerat evectus, jam animum paratum habebat ut eorum votis et petitionibus indulgeret qui adversus sanctissimum Flavianum pro Eutychiano dogmate decertaverant.

5. Interim ergo Constantinopoli varii habentur episcoporum conventus. Quorum in uno, jubente D Theodosio imperatore, et non exspectatis litteris atque Romani pontificis sententia, episcopi Anatolium consecrarunt. Ejusdem concilii meminit Anatolius in epistola ad sanctum Leonem. *Unde id operis incubuit sanctæ synodo episcoporum Constantinopoli versantium, ut ad me ordinandum sine mora procederent* (*b*). Alterum deinde habere jussit idem sanctus pontifex, qui, labente Julio mense anni quadringentesimi quinquagesimi, acceptis cum ab Anatolio, tum ab imperatore Theodosio litteris de Flaviani obitu et novi antistitis electione, secum reputans dirum schisma quod catholicam in Oriente societatem disruperat, suspensus hærens, nec rata, nec irrita electionis et consecrationis Acta definire voluit: sed tamdiu cum Anatolio communicare distulit, quamdiu quatuor

(*a*) Christianus Lupus, in scholiis ad synodum Chalced. Petavius, Ration. temp. part. I, lib. VI, cap. 19, pag. 369. Guillelmus Cave, Historia script. eccl. verbo *Anatolius* C. P.

(*b*) Videsis quæ diximus de Anatolii ordinatione cap. 4 prioris libri.

apost. sedis legati e pontificio latere missi, Constantinopolim profecti, sinceram ex novo episcopo fidei professionem coram omni clero et populo emissam, sua manu signatam, atque adamussim pontificiis votis et mandatis congruentem exciperent. Superstites adhuc sunt plures S. pontificis epistolæ, ad Theodosium, ad Pulcheriam Augustam, ad clerum Constantinopolitanum, ad ejusdem urbis archimandritas, et denique ad Martinum presbyterum; ex quibus rerum gestarum seriem non tantum apprime intelligimus, verum etiam S. pontificis agendi ratio, religionis studium, animi robur, suprema ejusdem in omnes totius orbis partes administratio luce clarius enitescit (*a*).

6. Verum in postrema hac Anatolii synodo, quæ in nonum saltem aut in decimum ejusdem anni mensem rejicienda est, nihil de Photii Tyrii causa actum fuisse, ex gravissimis conjecturis perspicue innotescit. Theodosius junior imprimis, a quo Eustathius pragmaticum rescriptum acceperat, vivendi finem fecerat die decima octava Julii, quo tempore ejus litteræ vix ad S. Leonem perlatæ fuerant, et pontificii legati, qui hoc concilium convocare debebant, aut nondum iter fuerant aggressi, aut si illud incœperant, adhuc in Romanis diversabantur suburbiis. Leonis **469** quippe litteræ id suadent, cum datæ fuerint Romæ decimo sexto kalendas Augustas, triduo antequam Theodosius diem obiret Constantinopoli. Ad quam deinde urbem, propter itineris labores locique distantiam, pontificios legatos nonnisi octavo aut nono mense adventasse credendum est. Qui præterea, fideliter suo munere perfungi cupientes, haudquaquam Anatolio in læsæ fidei suspicionem adducto permisissent in synodo quam ipsi, mandante Romano pontifice, convocabant principes partes subire, cuncta pro sua libidine disponere, ecclesiasticas leges abolere, cum ipse potius de mala fide suspectus coram ipsis legatis cæterisque episcopis tamquam reus se sistere debuisset.

7. Photii igitur causa ad præcedentem aliam synodum, quæ Theodosii mortem præcessit, omnino referenda est. Cui cum Eustathius Berytiorum episcopus subreptitium quod acceperat ab imperatore pragmaticum typum exhibuisset, episcopi omnes qui Constantinopoli convenerant, vel in Anatolii gratiam, vel pœnarum minis deterriti, etiam contra ecclesiasticarum regularum vetitum, præstiterunt assensum. Tunc itaque agente Chrysaphio et cæteris imperialibus ministris, qui Eustathio impense favebant, non tantum Theodosianum fuit confirmatum rescriptum; sed operam dederunt ut Maximus patriarcha Antiochenus, qui ab ejusmodi aberat synodo, quamvis Constantinopoli diversaretur, quæ recentius ad ampliandam Ecclesiæ Berytiorum dignitatem, honorem et prærogativis sancita fuerant rata et firma habere vellet. Suberat enim Antiocheni patriarchæ administrationi et ordinationi Phœniciæ primæ provincia cum suo Tyrio metropolita cæterisque episcopis. Quemadmodum vero res contigissent, narrat idem Maximus a Chalcedonensibus PP. postmodum interpellatus: *Eram Constantinopoli. Cum vero concilium de hoc haberetur, non adfui, sed mihi charta allata est, et subscripsi* (*b*). Quid plura? In hoc Anatolii concilio, cum omnia in sanctissimi episcopi Photii Tyrii odium et ecclesiasticarum legum contemptum fierent, minis, terroribus ipsius Photii metropolitæ animum gravius concusserunt, et depositionis pœnam intentarunt, nisi synodico subscriberet decreto. *Cui* (ait Photius in supplici libello dato ad Marcianum imperatorem, Theodosii Augusti successorem,) *Cui cum, non ex proposito, sed ex metu minarum quæ ei inerant, subsignassem, impositam mihi necessitatem subscriptione significavi. Scripsi enim, quod jussus subscripsi, cum scirem nihil hoc mihi præjudicare quod sacræ divinæque leges ea quæ non ex proposito, sed ex necessitate, fiunt nullam vim habere definiant.*

8. Quicumque itaque ad ejusmodi Anatolii synodi Acta, quæ hinc illincque apud diversos veteres scriptores sparsa offendimus, sedulo animadvertat, parum absimilem prædatoriæ Ephesinæ illam fuisse, aut illius posse dici appendicem minime inficiabitur. Quare cum Chalcedonensibus PP. datum esset de fidei causis et de episcoporum juribus violatis judicare, omniaque susquedeque versa in integrum restituere et reparare quemadmodum S. Leo apostolicæ sedis legatis præceperat, idcirco Photii causam judicaturi tria potissimum Anatolio Constantinopolitano episcopo objiciebant. Hæc autem tria imperiales civilium causarum judices paucis indicarunt, ita generale Chalcedonense concilium compellantes: *Dicat S. synodus licueritne sanctissimo archiepiscopo Anatolio absenti reverendissimo episcopo Photio excommunicationem mittere et jubere, ut ei certæ Ecclesiæ in provincia auferrentur, et an synodum appellare oporteat conventum episcoporum qui in regia civitate diversantur.*

Quoad postremam hanc quæstionem, Tryphon, Chii episcopus, conventum episcoporum in urbe diversantium synodum posse appellari serio affirmavit, qui forte, cum Anatolio tum regiis ministris blandiri cupiens, **470** spectata primum regiæ urbis dignitate et amplitudine, et recensito deinde frequenti episcoporum Orientis commeatu, qui ob civilium rerum administrationem, dum aliqua laborabant oppressione pro suis vindicandis juribus, Constantinopolim convenire debebant, palam dixit: *Synodus appellatur, et conveniunt, et laborantes aliqua oppressione sua jura nanciscuntur.* Tryphonis responsioni, nec sancta generalis synodus, nec alius quisquam ex episcopis suffragatus est, ne forte aliorum patriarcharum, Alexandrini nimirum, et Antiocheni, et Hierosolymitani, jura læderentur. Ex ecclesiasticis tabulis enim exploratum est, Constantinopolitani episcopi fines valde tum fuisse contractos. Nam præter illam Asiæ partem quæ ad Ponti regiones extendebatur, primo solas Thraciæ diœceses poterat administrare, cujus jura postmodum Theodosii Junioris rescripto ad Illyricum usque extensa fuere. Contra vero *Phœniciæ primæ* diœceses ad Antiochenum pertinebant patriarchatum, ut diximus. Et propterea ad omnes turbas præcavendas, quæ exoriri poterant, Thryphonis sententiam atque judicium universa synodus, nec ratum, nec irritum habendum esse censuit.

9. At non ita vero factum est, cum altera quæstio de excommunicatione ab Anatolii synodo in Photium Tyrium absentem lata examini subjiciebatur. Hanc enim veluti horrendum facinus, divinis et humanis legibus contrarium universa synodus Chalcedonensis exsecrata est. In ea enim actione legimus Atticum Zelorum episcopum dixisse *ut absentem nemo condemnet. Omnes reverendissimi episcopi acclamaverunt: Nemo absentem condemnat.* Hac igitur unanimi Chalcedonensium PP. conclamatione synodalia Anatolii decreta prorsus abolita fuere. Quod cum Anatolii animus honoris et ambitus impotens indigne ferret, ut se ab omni injustitiæ nota purgaret, suæque sedis amplitudini consuleret, ad illam provocavit consuetudinem, de qua in præsens disputamus. Sed eam consuetudinem prorsus illegitimam fuisse, atque ad eam Anatolium dumtaxat provocasse, ut studiosa uteretur tergiversatione, quem latere poterat? Non enim consuetudo legitima censeri potest, quæ divinis et humanis legibus repugnat. Et propterea cum Eusebius Nicomediensis, tum Photius Tyrius, cum universa synodo, ne in contentionem venirent de consuetudine quæ abusum obtinere poterat, omnes Anatolii excusationes veluti injusti ambitus commenta, quibus rerum veritatem occulere nitebatur, constantissime rejecerunt.

(*a*) Epistola Anatolii ad S. Leonem, pag. 272. tom. I apud Quesnellum.

(*b*) Actio 4 conc. Chalcedonensis.

Eunomius quidem Nicomediensis ad judices conversus ita fidenter eos est allocutus : *Magnificentia vestra nos percunctata est num liceat absentem condemnare. Responsum do Romana voce*, et usurpans verba Pauli apostoli, Actorum xxv, 16, ita effatus est : *Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque accipiat ad diluenda crimina.* Cui postmodum Photius concinens, enixe synodum et imperiales judices precabatur ut, omni injusta consuetudine posthabita et abolita, canonicæ leges dumtaxat executioni demandarentur. *Nihil aliud postulo* (Photius dixit) *precorque vestrum justum judicium, nisi ut faciatis ut regulæ stent, utque ii qui a me legitime ordinati sunt, postea vero ejecti et facti presbyteri, restituantur, ac ego meas Ecclesias accipiam.* Tum tandem synodus universa, nulla quidem interposita mora, acclamavit : *Hoc justum postulatum. Regulæ teneant. Justa petitio Photii reverendissimi episcopi.*

10. Ex hujusce decreti vocibus Anatolii animus, honoris et potestatis amplitudinem anhelans, utpote qui Constantinopolitanæ sedis dignitatem auctoritatemque in omnibus apostolicæ divi Petri sedis muneribus exæquari cupiebat, gravissime cruciabatur. At non ea ratione, ut Photii et Eustathii causam iterum judicandam peteret sibi reservari; sed quia **471** intelligebat quod semel in irritum misso suæ synodi judicio, jam Constantinopolitani antistites maxime elati, ea potestate privabantur quam per canonum injuriam seusim cum aliorum jurium jactura sibi usurpare conabantur. Tantam autem elationem in Constantinopolitanorum mentem excitaverat imperialis urbis amplitudo, regiæ potestatis auctoritas, imperialium ministrorum favor atque præsidium; quibus tantopere delectabatur, ut ecclesiasticam episcoporum potestatem ex civilium rerum administratione metiendam esse contenderent. Præterea cum ipsi imperatores Constantinopolim novam Romam appellare voluerint, et ad instar Romæ veteris nobilissimis cum sacris tum profanis ædibus ornaverint, atque Constantinus Magnus et filii, Arcadius et ambo Theodosii maximis opibus, divitiis, honoribus ac privilegiis eam locupletaverint, idcirco episcopi ipsi injuriosis consuetudinibus insistentes, cum evidenti sacrorum canonum contemptu omnium causarum ecclesiasticarum Orientis cognitionem ad se trahere conabantur. Eorumdem antistitum demum animi elatio ambitusque canone tertio Constantinopolitani primi concilii augebatur. Quo nimirum centum quinquaginta Orientis PP. sub Theodosio seniore statuerunt : *Constantinopolitanus episcopus habeat priores honoris partes post Romanum episcopum, eo quod sit nova Roma.* Sed quid ex eo canone? Nullam enim legitimam consuetudinem inducere poterat, tum quia apostolica sedes eum numquam ratum habuit, tum quia Alexandrini et Antiocheni patriarcharum jura gravius vulnerabantur. Verum etsi ultro daremus canonem illum ab anno 381 quo editus fuerat ad Anatolii usque tempora obtinuisse, quid inde? Num potuissent Constantinopolitani antistites Romanis pontificibus exæquari, omniumque Orientalium causas cognoscere, ad omnium consultationes respondere? Apage figmentum! Honoraria dumtaxat patriarchatus dignitas in gratiam imperatoris Theodosii fuit ipsis attributa, non eorumdem potestas amplificata. Nam, canone secundo præcedenti, iidem PP., Nicænis legibus hærentes, Alexandrino primum et Antiocheno deinde sua jura asseruerunt et confirmarunt, enumeratis ea de causa singulis regionibus et diœcesibus quæ ab eorumdem administrationibus et synodis pendere debebant. Quod utique ab ipsis factum intelligimus, ut Constantinopolitanus patriar-A cha, solo honore contentus, omnium Orientalium Ecclesiarum administrationem miscere non auderet.

11. Verum temporis decursu Constantinopolitani patriarchæ omnia perturbarunt; atque, honori et vacuo nomini potestatem addere volentes, multorum episcoporum ordinationes sibi indebitas usurparunt, Ponticæ videlicet, et Asianæ, et Thraciæ, ut videlicet veteris Romæ patriarchæ se æquipararent. Hac de causa enim et ipse Anatolius in generali Chalcedonensi concilio multos conatus adhibuit, ut hujusmodi injuste usurpata jura servaret, sibique et suæ sedi privilegia Romanorum pontificum prærogativis æqualia decernerentur. Quod negotium ut felicius et sine contradictione conficeret, toto concilii tempore, legatis sedis apostolicæ, officiis, muneribus aliisque modis studebat blandiri; summam erga ipsam apostolicam sedem reverentiam affectando, omnem honorem omniaque Constantinopolitanorum antistitum privilegia in decus, munimen et ornamentum Romanæ B sedis redundare confingendo; atque demum novum canonem quem de firmandis suæ sedis juribus edendum jurabat nemini injuriosum futurum affirmando, eo vano ductus prætextu, quod longa temporis præscriptio sexaginta annorum suis suffragaretur cupiditatibus. Hæc omnia tamen, etsi blande multaque exoratione verbis scriptisque ab Anatolio exponerentur, minime Romani pontificis et ejus legatorum animum commovere potuerunt, ut fusius quidem ex certissimis monumentis, absque ullo partium studio, demonstrare possem, si aut temporis **472** ratio sineret, aut si aliorum mandata extra propositas quæstiones vagari non prohiberent. Illud unum dumtaxat subjiciam, videlicet exploratissimum esse consuetudinem ab Anatolio allegatam, cum ad canonem tertium Constantinopolitanum secundi generalis concilii esse referendam; tum demum ad gravissimos qui temporis decursu irrepsere abusus in Ecclesiæ rebus administrandis atque in metropolitarum et episcoporum ordinationibus habendis, quemadmodum C ex divi Leonis epistolis ad Marcianum imperatorem, ad Pulcheriam augustam, ad Anatolium ipsum atque pariter ad Julianum episcopum Coensem evidentissime exploratum est (*a*).

12. Superest jam vero ut de pragmatica sanctione quam Eustathius Berytiorum episcopus in præcedentium suorum facinorum mercedem per subreptionem a Theodosio imperatore piissimo obtinuerat verba faciamus. Atque imprimis pragmaticæ sanctionis vocabulum *causam in consistorio principis ventilatam coram proceribus sacri palatii* significare habet. Quare Gratianus, qui eam hisce verbis descripsit, etiam addidit : *Principis constitutio, ex cognitione causæ lata, pragmatica sanctio appellata est* (*b*). Jacobus Gutherius tamen, etsi Gratiano haud adversetur, clarius pragmaticæ sanctionis ideam descripsit dicens : *Pragmatica jussio, seu sanctio, non ad singulorum preces super privatis negotiis profertur, sed tantum ad preces alicujus corporis, collegii, civitatis, vel provinciæ* (*c*). Has autem pragmaticas jussiones inter D generales leges numerari jurisconsultis exploratum est. Verum laudatus Gutherius inter *pragmaticas* jussiones et *sanctiones pragmaticas* aliquod statuit discrimen subdens : Pragmaticæ jussiones, quæ aliquid jubent. An ergo pragmaticum rescriptum de Ecclesiæ Berytiorum metropolitico jure inter imperiales jussiones vel sanctiones nos referre oporteat, an vero ad preces alicujus corporis aut civitatis fuerit prolatum, definire haud necesse est. Verum si de hocce postremo verba facere deberemus, ad preces Chrysaphii eunuchi et totius Dioscorianæ factionis prodiisse saltem suspicari possemus, cum Eustathius potissimum semel iterumque concilii Chalcedonensis PP. ad accusationes diluendas fuerit contestatus im-

(*a*) Leonis Magni epistolæ 78, 79, 80, 81.
(*b*) Decret. Grat. dist. 2, *Duo metropolitani.*

(*c*) Gutherius, lib. I, cap. 32, de Officiis domus Augustæ.

peratorem ea de re non supplicasse. Quam sane contestationem veritate inniti ipsa Theodosiana lex, Justinianeo inserta codici (a), patefacere nobis visa est. Cum ipse Theodosius imperator asseveret : *Propter multas justasque causas metropolitano nomine ac dignitate civitatem Berytum decernimus exornandam, jam suis virtutibus coronatam.* Nullam ergo ibi facit mentionem aut de Eustathii precibus, aut de ipsius meritis. Berytum civitatem laudat dumtaxat tamquam multis virtutibus coronatam. Alia præterea eo in rescripto offendimus quæ Anatolii et ejus Constantinopolitanæ synodi impotentiam et maximum Eustathii ambitum patefaciunt. Non enim imperator Ecclesiæ Tyriorum jura minuere et in duos æquales ejusdem provinciæ metropolitas discerpi mandavit, sed Tyrum in antiquo suo jure perstare decrevit. Ea ductus ratione, ne suorum majorum decreta in irritum mitteret, neve pragmaticum rescriptum sacros canones aboleret. *Tyro* (ait) *nihil de suo jure derogetur. Sit illa mater provinciæ, majorum nostrorum beneficio; hæc nostro et utraque dignitate simili perfruatur.* Si nos ad Theodosianæ legis verba cum doctissimo Christiano Lupo paululum velimus animadvertere, non aliud quam metropoleos nomen et honorem Beryto decrevisse imperatorem intelligemus; cæterum novo huic metropolitæ neque suffraganeos episcopos adjudicasse, nec cum Tyriæ metropoleos injuria et mutatione illius in ecclesiasticis rebus administrandis potestatem augere voluisse.

473 13. Cur ergo aliter Theodosianam legem Anatolii synodus fuerit interpretata; cur non audito Photio antiquo metropolita, ab ejus subjectione sex suffraganeæ Ecclesiæ fuerint avulsæ; cur demum in eumdem Photium absentem excommunicationis sententia lata fuerit, a qua nonnisi post centum viginti duos dies fuit absolutus, jam satis abunde in superioribus fuit explicatum. Quæ mala omnia ut Chalcedonense concilium eriperet, simulque Ecclesiæ Tyriæ vulneribus mederetur, omnia in integrum restitui jussit. Et quamvis pragmatica illa Theodosii jussio, superiore anno, et propter Anatoliani concilii decreta, et propter Maximi patriarchæ Antiocheni consensum, jam in rem judicatam transiisset, tamen Ecclesiæ causas non secundum sacras imperatorum et regum pragmaticas, sed ad sacrorum canonum normam definiendas esse sancitum est. A qua quidem agendi ratione haudquaquam alienus esse poterat imperatoris Marciani animus, ad quem supplici suo libello Photius provocavit : non quidem, ut regalistæ aiunt, ut ipse vel de mortui imperatoris lege Tyrii Ecclesiæ jura vulnerante et dejiciente ferret judicium, vel ut e medio pragmaticam auferret sanctionem, et in Eustathium ejusque ambitionem animadverteret, quod sane in ecclesiasticis rebus sæculi principibus datum haud est, ne civilium rerum administratio quæ ad eos dumtaxat pertinet spiritualibus admisceatur negotiis; sed Photius Marcianum imperatorem ideo suo interpellavit libello, ut sese sacrorum canonum vindicem exhiberet, atque necessarium præstaret præsidium, ne ob fictas causas ab invidis et ambitus impotentibus hominibus obrueretur. *Natura enim* (ait Photius) *comparatum est ut sacrorum jura numquam imminuantur a præfectorum vanitate.* Tum etiam in ore omnium sermo iste versabatur : nec regios ministros, nec imperatores ipsos, quibus temporalium rerum administratio data est, sacerdotum jura suis legibus imminuere, vel pervertere, vel immutare potuisse. Quod sane sine ulla prorsus contradictione ipsius Marciani imperatoris judices sincere contestati sunt, dicentes : *Sanctissimo domino Urbis placuit, non juxta sacros aut pragmaticos typos res sanctissimorum episcoporum procedere, sed juxta regulas a sanctis Patribus latas.* Ne vero quisquam episcoporum, nimis studiose regiæ potestati majestatique hærens, de Marciani principis voluntate in dubium veniret,

A ipsi imperiales judices statim absolute pronuntiarunt : *Omni igitur cessante e sacris pragmaticis definitione, canones de hoc capitulo editi legantur.* Quasi ipsi judices voluissent innuere nullam vim nullumque vulnus per pragmaticas sanctiones Ecclesiæ canonibus esse inferendum.

14. Non ergo mirum si, quinto Nicæni concilii canone lecto, de unico tantum metropolita in unaquaque provincia habendo universa illa synodus dixit : *Unum juxta regulas sanctorum Patrum volumus esse metropolitam : petimus ut regulæ sanctorum Patrum teneant.* Ex qua potissimum disserendi et judicandi forma perspicue edocemur ecclesiasticas causas secundum canones esse tractandas; principum vero leges minime esse spernendas, sed ad eas respicere oportere si in canonum exsecutionem, præsidium, munimen atque tutelam datæ sint, et sacrorum canonum vigorem, aut non lædant, aut non obruant et aboleant. In similibus enim circumstantiis hierarchici B ordinis jura non læduntur : sed ad tuenda sacerdotii et imperii potestates conveniunt. Quod sexcentis exemplis mutuatis ex legibus Constantini, Theodosii senioris et Valentinianorum, aliorumque explicare possem, si temporis ratio non præpediret.

Secus vero ratiocinari oportet, cum pragmaticæ leges canonibus repugnant, cum eos obruunt atque subvertunt. Tunc enim pragmaticis insistere et ab iisdem judicandi formam et rationes mutuari, prorsus ab Ecclesiæ usu, privilegiis et juribus alienum est; atque si eas sequeremur, ecclesiasticum ordinem ad exitium perduceremus. Cujus quidem rei, cum haud ignarus esset Atticus civitatis Nicopolis Epiri episcopus, rato habito 474 Chalcedonensis concilii decreto, quo summa omnium consensione in pristinc metropolitæ honore et administratione Photius restitutus et Eustathius prohibitus, ne e pragmatico typo aliquid amplius sibi vindicare auderet, ad præcavendos deinde omnes abusus qui quovis tempore irrepere possent, enixe imperiales judices totius cœ- C tus nomine exoravit, eos his verbis compellans : *Supplicamus ut etiam nunc virtus regularum in omnia et in omnes provincias teneat; cessantibus omnibus pragmaticis, quæ ex concursatione et ambitione fiunt, quæque evertunt ea quæ spiritualiter et secundum Deum a sanctis Patribus sancita sunt.* Hæc porro verba nos exscripsimus et recitavimus, ad eorum regalistarum opiniones refellendas qui aiunt non synodi Chalcedonensis decreto, sed Marciani et imperialium judicum sanctione Theodosii pragmaticam legem fuisse antiquatam et abolitam; qui contendunt eam concilii regulam dumtaxat locum habere in proposita specie, scilicet in iis quæ Ecclesiarum ordinationes respiciunt. Quod si quis velit eam ad alios casus porrigere, ad eos tantum extendere oportet, quibus canonum disciplina mere ecclesiastica continetur. At harum opinionum auctores plane hæc comminiscuntur. Nam pragmaticas sanctiones contra canonum veritatem pietatemque editas omni prorsus auctoritate et robore esse vacuas, generatim sine ulla ex- D ceptione, etiam in Valentiniani et Marciani imperatorum constitutione, anno 454 edita, expresse hisce verbis declaratum est : *Omnes sane pragmaticas sanctiones, quæ contra canones ecclesiasticos, interveniente gratia et ambitione, elicitæ sunt, robore suo et firmitate vacuatas cessare præcipimus.*

15. Pari quoque ratione in Chalcedonensi laudata synodo de episcopis a Photio ordinatis judicatum est. Quos, post assecutum episcopatus ordinem et sedem, per summam injuriam presbyteros dumtaxat esse jussit Eustathius et Anatolius. At quis ignorat sacrilegium prorsus esse episcopum in locum presbyteri redigere? Si enim justa de causa illos ab actu episcopatus amovebat, nec presbyteri locum retinere debebant.

Sic itaque rebus dispositis, etiam quoad eos epi-

(a) Cod. Justiniani lib. II, tit. 21.

scopos qui in presbyteri locum et gradum injuste fuerant redacti, Photii Tyrii causa prudenter, juste atque sanctissime ad felicem exitum, apostolicæ sedis legatis eo in concilio agentibus, perducta est. Quod postremum quidem judicium de episcopis ad inferiorem gradum descendentibus, et ab Anatolio, et ab ipso Maximo patriarcha Antiocheno cum ratum et firmum, sine ullo discrimine habitum fuisset, non est cur nos in hac expendenda controversia diutius immoremur. Potissimum cum universalis Ecclesiæ consensio et praxis, conciliorum statuta, apostolicæ sedis constitutiones nos edoceant ex episcopatus ordine justa de causa amotos, nec in presbyteri gradum et locum persistere posse, ut ab ecclesiasticarum rerum exordiis ad nostra tempora usque luculentissime probare possem. Verum summi sapientissimique patris et principis, cui et majorem omnes ecclesiasticæ res splendorem, litteraria respublica incrementum, omnium felicitas præsidium, et præclarum hocce institutum originem debet, clementia amplius abuti, academicos clarissimos detinere, non fuit consilium.

475 CAPUT V.

Theodoretum, a Dioscoro in Ephesino latrocinio depositum, ad apostolicam sedem appellasse, et a S. Leone judicatum, suæque sedi restitutum fuisse ostenditur. Launoii et Paschasii Quesnelli argumenta refelluntur. Cl. Petri de Marca et Christiani Lupi sententiæ de hac causa exponuntur. Denique cum ex actione octava Chalcedonensi, tum ex S. Leonis epistola 93 suprema et irretractabilia esse apostolicæ sedis judicia probatur.

1. Paschasius Quesnellus, Theodoreti episcopi Cyri causam ad examen perducere volens, suam dissertationem ab iis vocibus epistolæ 93 S. Leonis ad eumdem Theodoretum scriptæ orsus est, videlicet : *Benedictus Deus noster cujus invincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te secundum apostolicæ sedis judicium demonstravit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te qualem probavimus pro universalis Ecclesiæ defensione servaveris.* Ex tali itaque exordio mihi pollicebar voluisse tandem Quesnellum apostolicæ sedi et Romanis ipsis pontificibus ea jura asserere, quæ hactenus præcedentium dissertationum occasione aut inficiari, vel elevare, aut denique omnino abolere nisus est. Sed mea opinio me fefellit. Nam statim inquirere simulans quale fuerit illud *apostolicæ sedis judicium*, a multis quæsitum est hactenus, inque varias itum est sententias ait. Quare primo nonnullorum affirmat esse sententiam qui aliquod vel in synodo, vel extra synodum a S. Leone de restitutione Theodoreti decretum conditum fuisse autumant, postquam ad eum causam suam per libellum appellationis detulisset. Verumtamen cum ex hac sententia sibi incommodum afferri intellexit, negativo sequenti argumento eam rejecit, scribendo : « Cum de hujusmodi decreto ne apex quidem ullus appareat sive in Actis Chalcedonensibus, sive in aliis rerum tum temporis gestarum monimentis, tam facile refellitur quam profertur. » Aliorum opinionem subjicit dicentium « eadem synodali ac judiciali sententia Theodoretum restitutum, qua pseudosynodus Ephesina in irritum missa fuerat. » Atque iterum provocat ad illam synodum a qua Valentinianus et Augusta ad Theodosium scripserunt de Actorum hujus conciliabuli rescissione. Sibi tandem certum esse Quesnellus asseverat de Theodoreti causa nullam intercessisse sententiam, sive quæ a solo Leone, sive quæ a synodo sit emissa. Sed illud solummodo judicium a Leone commemorari, quod communionis litteris continebatur. Dum enim querelas Theodoreti ultro suscipit pontifex, eidemque suam communionem impertivit, consequens fuit ut eumdem ab omni hæreseos macula judicaverit mundum. Hæc autem et id genus non dissimilia alia in dissertationis decimæ vestibulo scripsit Quesnellus, eo consilio, ut ob lectoris oculos rem totam compendiose poneret.

2. Hactenus descripta tamen præterire non possum, quin prius animadvertam an nova hujus doctoris opinio illiusque ex præcedentibus consecutio cohærere possit cum ordinaria judiciorum forma, Leonis agendi œconomia, reliquisque monimentis in quibus de Theodoreti causa facta est mentio. Judicii forma imprimis prorsus Quesnellianum evertit systema. Nam Theodoretus cum de mala fide esset suspectus, ab adversariis accusaretur, et synodali decreto jam fuisset damnatus, numquam S. Leo communionem eidem impertivisset, et ab omni hæreseos labe mundum declarasset, **476** nisi cognita causa. Quid enim? Leo ipse, qui paulo ante, accepta Eutychetis appellatione et querimoniis, una cum Theodosii Augusti litteris, quibus Eutycheti patrocinabatur, tantopere circumspecte operatus est, ut sine plena totius causæ cognitione quidquam nollet definire, scripsit statim ad Flavianum, dicendo : *Nos qui volumus sacerdotum Domini matura esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam quæ gesta sunt veraciter audiamus.* Si ergo M. pontifex aliis episcopis formam judicandi præscribit, et tanta circumspectione utebatur ne præpropere vel temere judicaret, an potuit incognita causa, aut non omnino libratis accusantium querelis, aut non lustratis inquisitionis actis, Theodoretum episcopum ab omni hæreseos macula mundum *secundum* suæ sedis judicium demonstrare? Sed *quale judicium* istud fuisset, quando postmodum sola suspicione laborans quod Anatolius Constantinopolitanus episcopus vel læsæ fidei homo esset, vel nimiam cum hæreticis conniventiam habuisset, nullis ipsius supplicationibus, neque imperatoris Theodosii officiis adduci potuit ut cum eo communicaret, nisi prius sibi certo constitisset ex publica fidei confessione coram apostolicæ sedis legatis, hac de causa ex Occidente Constantinopolim missis, universo clero et Constantinopolitano populo facta, hunc nulla hæreseos labe inquinari? Hanc S. Leonis agendi œconomiam nos colligimus ex aliis epistolis quas ad calcem annotamus, de quibus fusius jam verba fecimus in antecedentibus Exercitationibus (*a*). Non igitur Quesnello fidem adhibere possumus, qui scribit Theodoretum apostolicæ sedis judicio ab omni hæreseos labe mundum fuisse demonstratum, dumtaxat quia Leo communicavit cum eo.

3. Sed ut magis hujus Quesnellianæ opinionis falsitatem ostendamus, ipsum Quesnellum rogare juvabit an summus pontifex post latrocinium Ephesinum jure vel ex indulgentia solum cum Theodoreto communicavit, ipsius appellationis litteras suscipiendo. Non jure quidem, cum nullum decretum, neque in synodo, neque extra synodum post susceptam Theodoreti appellationem Leonem edidisse adversarius affirmat. Neque Leo ipse ex quadam indulgentia Cyri sedi Theodoretum esse restituendum permisit, cum ipse numquam Eutychetis factioni adhæsisset. Et aliunde is indulgentia haud indiget, qui ab omni hæreseos labe mundus a legitimo judice demonstratur. Verum enim vero altius Theodoreti causæ judicium esse repetendum cum Quesnellus, tum alii arbitrati sunt : ab ipso Dioscoro nimirum, jam antea Theodoreti inimico, propter singularem suam eruditionem vitæque sanctimoniam, quibus obscurari se Dioscorus homo laudis appetentissimus existimabatur, et propter anathematismos S. Cyrilli decessoris olim a se impugnatos. Theodoretum ob eam causam hæreseos notare, appetere calumniis

(*a*) Epistolæ Leonis ad Theodosium, ad Pulcheriam, ad clerum et populum Constantinopolitanum, ad archimandritas Constantinopolitanos, ad Julianum episcopum Coensem, de quibus verba facimus in præcedentibus capitibus, etc.

omnibusque modis lacessere jam tum aggressus est Alexandrinus. Describit deinde Quesnellus quidquid a Dioscoro factum fuit apud imperatorem, et in Ephesina latrocinali synodo, contra ipsum Theodoretum, quæ in superioribus recensuimus, nec amplius necesse est iterum describamus. Atque tandem concludit ab imperatore cautum fuisse ne Ephesinæ synodo quæ parabatur interesset, veritus Dioscorus ne Theodoretus acerrimus hæreticorum impugnator omnibus nervis Eutycheti sese opponeret. Quare susquedeque omnibus in ea synodo versis, Theodoretum ab ordine episcopali dejecit, depositionis sententiam in eum non secus ac in alios episcopos catholicæ fidei propugnatores intorquens.

4. Theodoretus itaque cum hæc rescivisset, suam vicem dolens, nec præsidia ab episcopis Orientalibus, pene omnibus vel furentibus, vel oppressis, obtinere valens, ad Occidentales sese convertisse horumque fidem **477** sollicitasse, idem Quesnellus affirmat. Quare litteras scripsit ad Occidentalium patriarcham omnium episcoporum caput et communionis totius Ecclesiæ patrem, ejus omniumque pariter episcoporum Occidentis opem implorans. De appellatione (ait) nihil habet Liberatus, qui cap. 12 hoc solum scribit: *Theodoretus episcopus papæ suggessit quanta mala pertulerit ex Dioscori insidiis, rogans ut celeriter tali causæ subveniretur per alium conventum episcoporum*. Sensim deinde multo artificio pergit Quesnellus ad suum explicandum systema, quod ex Launoio hauserat (a). Et quoddam discrimen determinare nititur inter *confugium* et *appellationem;* Theodoretum autem *confugium* quæsiisse, non vero ad S. Leonem *appellasse* affirmat. Quam loquendi phrasim, tamquam novam prorsusque conciliorum decretis aliisque Ecclesiæ monimentis repugnantem, inter cæteros scriptores Joannes David, in suo opere de Judiciis canonicis episcoporum Gallice conscripto, rejecit et refutavit. Verum ne in præsens huc illucque vagari videamur, juvat primo loco Theodoreti verba exscribere, ex quibus cardinales Baronius et Peronius ipsius appellationem colligi debere arbitrati sunt. *Ego* (ait) *apostolicæ vestræ sedis exspecto sententiam, et supplico, et obsecro vestram sanctitatem ut mihi appellanti justum vestrum judicium opem ferat, et jubeat ad vos accurrere et ostendere meam doctrinam, vestigia apostolica sequentem*. Hanc genuinam esse præcedentis Theodoreti textus lectionem, omnium primus auctor est ipse Baronius. Qui Græcum epistolarum Theodoreti codicem in Vaticanæ bibliothecæ scriniis offendens, illas Latine reddi curavit, studio Frederici Metii utriusque linguæ peritissimi (b), cui pariter lectioni, si nos adhæreamus, nihil solemnius dari posse pro Theodoreti appellatione firmanda fateri oportebit. Cum ille, episcopatu depositus atque dejectus, opem sibi dari ex apostolicæ sedis *sententia* et *judicio* postulet et obsecret, et, *appellationis* ordinem sequendo, Romam venire se exhibebat paratum, ut probaret se a quacumque hæreseos macula esse mundum. Verumtamen, cum istiusmodi primigenia interpretatio nec Launoio nec Quesnello arrisisset, novas voces in illum textum intulerunt. Atque, aliam interpretationem Gentiani Hervetii secuti (c), ambo subducentes vocabulum *appellanti*, aliud substituerunt, videlicet *invocanti*, ut facilius negotium Baronio atque Peronio facesserent. Præterea nec Quesnellus et Launoius inter se in reliquis conveniunt. Nam Launoius pro judicio ponit *tribunal*.

A Immo et Quesnellus dissidet a se ipso, modo usurpando in dissertatione de qua agimus vocem *judicium*, modo vero in priori tomo, Græce et Latine typis integram Theodoreti epistolam adornando, *tribunal* retinendo. Ad hujusmodi lectionum diversitatem non animadvertit studiosissimus Joannes David, forte quia anxie totus versabatur in refellendis sui adversarii nugis et sophismatibus. Et propterea, ultro data lectione cui Launoius institit, diligentius discrimen quod *confugium* inter et *appellationem* intercedit inquirere aggressus est. Quare ne in verbis, quemadmodum ejus adversarius quem exagitabat, luderet, provocat ad concilii Sardicensis verba ut illi effugium præcluderet. *Cum aliquis episcopus* (legitur in quarto canone) **478** *depositus fuerit eorum episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma*. Canon septimus (ait David) habet: *Si appellaverit qui dejectus est, et confugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se audiri*. Ecce ergo Sardicensium
B canonum statuta pro iis qui a suorum judicum sententia appellant. Quæ quidem religiose admodum Theodoretus secutus est, injustam narrando sibi illatam condemnationem a Dioscoro, quam ob causam se *apostolicæ vestræ sedis sententiam* exspectare ait. S. Leonem rogat ut suæ causæ assumat cognitionem, ut experiri valeat cum auctoritatis tum protectionis effectus. Tandem expressum ab apostolica sede petit mandatum, ut coram ea se sistere possit, redditurus rationem apostolicæ doctrinæ, quam unice prosequebatur. Conditiones has a conciliis pro appellationibus definitas nemo inficiari potest Theodoretum implevisse. Sed ulterius fuisse adhuc progressum, indicant subsequentia ipsius verba, quibus edoceri petit an injuste debeat acquiescere depositioni, an non. Cujus quæstionis definitionem se exspectare asseverat, ut, audito pontificio mandato, in posterum nullum aliud a quibuscumque hominibus judicium exquirere velit, sed rectum Dei Salvatoris judicium
C præstolari. *Ante omnia ut a vobis docear oro* (ait) *an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere, an non. Vestram enim sententiam exspecto; quod si in judicatis manere me jusseritis, manebo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque nostri exspectabo judicium*.

5. Lepidam tamen Quesnelli interpretationem attendamus, qui hæc eadem verba sibi proponit in suæ collabentis causæ præsidium. Igitur hominis consilium quærentis atque opem petentis hujusmodi esse verba multo studio probare nisus est. Quasi quod exspectare *sententiam* atque *jussionem* an debeat in *judicatis manere*, voces sint prudentissimi præsulis qualem Theodoretum fuisse affirmat, dumtaxat *consilium* præstolantis, qui vult edoceri an judicio Dioscori stare debeat pro Ecclesiæ pace, quando, si mente recogitasset aliud *tribunal* pulsare, pro novo judicio, novarum turbarum forte occasio esse poterat. Ad roborandas deinde infirmas has suæ interpretationis conjecturas, alia Theodoreti verba ex epistola
D ad Renatum Romanæ Ecclesiæ presbyterum adducit. Videlicet: *Hac igitur de causa tuam oro sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo ut apostolica utatur auctoritate, et præcipiat ad vestrum convolare concilium*. Opem ergo sibi dari Theodoretus a S. Leone petebat, ut a novo Occidentalium concilio judicari posset. Quod magis clare evinci posse adversarii contendunt ex aliis verbis ejusdem episcopi

(a) Launoius, part. II, epist. 2. Joannes David de Judiciis canonicis, art. 4, pag. 315.

(b) Baronius, ad annum Christi 449, tom. VI, pag. m. 101. Sirmondi atque Garnerii Operum Theodoreti Græca et Latina editio tom. III, 986. Quesnellus, diss. 10, tom. II, pag. 323, et tom. I, pag. 268, cap. 5 epistolæ Theodoreti.

(c) Hæc Gentiani Hervetii interpretatio injuria dissidet ab alia quam jussu cardinalis Baronii Fredericus Metius adornavit. Etenim ἐπικαλέομαι active usurpatum significat inter alia *provoco*, *superiorem appello*, Plut. ἐπικαλεῖται τοὺς δημάρχους, provocat ad principes populi, seu tribunos plebis. Item in Actibus apost. cap. XXV, 11: Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι, *Cæsarem appello*. De qua re innumera possemus afferre exempla; sed illud Actorum pro omnibus sufficere posse arbitramur.

Cyri, scribentis ad Anatolium Patricium: *Tuam* (inquit) *magnificentiam oro, ut hanc gratiam a triumphatore imperatore obtineas, ut ad Occidentem accedam, et ab illis Deo dilectissimis et sanctissimis episcopis judicer; et si vel minimum quidem fidei regulam transgressus esse ipse repertus fuero, in ipsum maris profundum projiciar.* Jam genuinum sensum Theodoreti verborum ex Leone opem et præsidium petentis assecutum esse sibi nimis blanditur Quesnellus, ac propterea causam vicisse. Sed falso quidem. Nam imprimis respondere possem illa verba ad Renatum in quibus de concilio sermo est non esse prorsus intelligenda de episcoporum conventu ex necessitate istius appellationis coacto, sed de apostolicæ sedis tribunali, ad quod convolare exoptabat ut judicaretur. Theodoretum ergo promiscue usurpasse tres illas voces *tribunal*, *judicium* atque *concilium*, ex tribus illis epistolis hactenus laudatis innotescit. At voluisse dumtaxat suam appellationem ad concilium examinandam deferre, pontificiamque Leonis auctoritatem ad hocce judicii genus restringere, nec Launoius nec Quesnellus, nec alius quisquam poterit cum veritate affirmare. Testimonium deinde Liberati diaconi cui adversarii insistunt, si integrum, et non obtruncatum, ut studiose forte fecit Quesnellus, afferatur, nullam concilii **479** habendi necessitatem, illudque a Theodoreto fuisse per interpositam appellationem efflagitatum, indicabit. Narrat enim ibidem Liberatus quemadmodum orthodoxi episcopi contradixerunt latrocinio Ephesino, *quos secutus Theodoretus episcopus, papæ suggessit quanta mala pertulerit ex insidiis Dioscori, rogans ut celerius tali causæ subveniretur per alium conventum episcoporum, ne hæretica Eutychetis dogmata permanerent a Dioscoro confirmata* (*a*). Novi ergo habendi concilii necessitatem Theodoretus Leoni suggessit, ad penitus Eutychiana dogmata abolenda, quæ Dioscorus cum sua factione sacrilege confirmaverat; minime vero in suæ causæ præsidium illud fieri petebat et exoptabat, cum jam ipse sincere fessus esset in sua epistola pontificiis nutibus omnino velle obtemperare. Nec quidquam probant Theodoreti verba ex epistolis ad Renatum presbyterum, vel ad Anatolium Patricium, cum nemo ignoret causas in apostolicæ sedis tribunali solemniter cognitas et pertractatas *conciliariter* ad examen deduci, vel in consistoriis, vel in episcoporum conventibus, quæ diu jam congregationum nomen obtinuerunt. Si igitur Theodoretus supplex orabat posse ad *concilium* seu tribunal Romanum convolare; si pariter ab Occidentalibus episcopis cupiebat judicari, ejus appellatio nullo jure ad concilium devoluta erat, cum ipse unice ad Leonem provocaverit, eo animo, ut ipsius dispositioni, et judiciorum formæ, et qualitati præscribendæ omnino adhæreret.

6. Aliter tamen de hac causa cl. Petrus de Marca ratiocinatus est. Qui sedulo animadvertens ad ea quæ a Leone gesta fuerunt, lubenter sine ulla contentione verborumque ambiguitate concedit quod oppressus Theodoretus Leonem papam appellavit, a quo receptus est in communionem, atque ea ratione episcopatum accepit. Verumtamen ipse doctissimus Parisiensis archiepiscopus credidit illud Leonis decretum non fuisse absolutum, sed iis conditionibus vestitum, ut synodo tamquam Dioscori accusator adesset, ut tandem ab ipsa synodo decretum de restitutione acciperet. Subjicit ergo: *Admissus deinde ad concilium Chalcedonense, et gravis controversiæ occasio fuit, quam ut sedarent judices, dixerunt eum venisse tantum ut accusatorem. Absoluta ergo non fuit Theodoreti restitutio* (*b*).

Cum primum oculos in has Petri de Marca assertiones converti, plurimum ipsum dissidere a præcedentibus scriptoribus intellexi, at ejus mentem non omnino sum assecutus. Nam vel ex aliqua lege co- A *activa* credidit Leonem conditionatum fecisse decretum de Theodoreti ad episcopatum restitutione; vel usum fuisse *facultate* qua pollebat ut istius causæ exitum ad concilii Chalcedonensis determinationem remitteret. Neutrum quidem ex ecclesiasticis monumentis innotescit. Immo si Chalcedonensis concilii Acta in ipsius Theodoreti causa evolvamus, nihil prorsus de hujusmodi conditionata absolutione et restitutione constare certo affirmabimus. Imprimis enim habemus quod cum legerentur in Chalcedonensi synodo Acta latrocinalia, et Constantinus venerit ad divalem Theodosii junioris, qua jubebatur Theodoreto ut is sola suæ Ecclesiæ communione esset contentus, quin synodo Ephesinæ adesset, judices dixerunt: *Ingrediatur reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo, et piissimus imperator* (Marcianus videlicet) *sanxit eum adesse sanctæ synodo*. Nullam hic fieri mentionem de restitutione conditionata, nullamque adhibitam fuisse formulam, *si placet*, B *si videatur synodo*, exscripta verba patefaciunt. Præterea et si aliqui condemnantes præcedentem Theodoreti agendi rationem, volentes Dioscoro blandiri, exclamaverint: *Hunc foras mittite; magistrum Nestorii foras mittite*; nemo tamen ausus est inficiari hoc Leoni **480** jus convenire potuisse. Accedit quoque præfatos Illyricorum et Palæstinorum episcoporum clamores et querimonias excitatas ut Theodoretus foras mitteretur fuisse inutiles, si istius causa finaliter in synodo fuisset pertractanda. Potius enim prius erat agendum de istius fide, atque rigorose scrutari an ille ab omni hæreseos nota esset mundus; illumque cogere ad sese purgandum a calumniis quibus fuerat appetitus; et audire hinc inde utriusque partis rationes, ut ipsius restitutio absolveretur. Cum ergo horum nihil factum fuerit, haud video quo fundamento istius restitutio facta a Leone non debeat dici absoluta. Illyricorum enim et Palæstinorum episcoporum clamores et querimonias certa ratione C temperarunt Orientales Asiatici, Pontici, Thraciæ, qui volentes Theodoreti innocentiæ prospicere, atque semetipsos tamquam oppressos deceptosque Dioscori artibus atque violentia excusare, querentes palam responderunt: *Nos Theodoreti damnationem in Ephesino latrocinio in pura charta subscripsimus, cæsi sumus, et ita subscripsimus*. Quos cum ita loquentes Dioscorus audivisset, quasi de a se edito contra Theodoretum decreto rationem reddere volens, interlocutus est: *Cyrillus cur ejicitur, qui ab isto est anathematizatus?* Et in judicum mentem revocare cupiens veteres simultates, quæ Cyrillum inter et Theodoretum præteritis temporibus intercesserant, nulla facta deinde mentione de subsecuta pace inter eosdem, patrocinium aliquod vel excusationem sibi nancisci posse arbitrabatur. Nihilominus tamen omnes Orientales qui jam Theodoreto favebant exclamaverunt: *Dioscorum homicidam foras mittite; Dioscori acta quis ignorat?* Et post aliqualem contentionem ipsi judices, nullo D habito respectu ad unam aut alteram partem, interlocuti sunt: *Theodoretus reverendissimus episcopus, proprium recipiens locum a sanctissimo episcopo urbis Romæ, in locum nunc accusatoris ingressus est.* Et quamvis non dissimulem eosdem judices ad cohibendos jam excitatos clamores a Dioscori et Eutychetis factione quadam usos agendi œconomia, respondendo statim dixisse: *Unde patiamini ea quæ inchoata sunt finiri, ut ne aliqua confusio auditorio fiat*; atque addidisse: *Præjudicium enim ex persona reverendissimi Theodoreti episcopi, nulli generabitur, reservata videlicet post hæc omni accusatione, et vobis, et illi, aliquas invicem exercere volueritis, quia rectam tenet fidem, maxime, cum et sine scriptis appareat, ei testimonium catholicæ fidei perhibens reverendissimus*

(*a*) Liberatus diaconus, in Breviario hæresis Eutychianistarum, cap. 12, tom. VI Concil., pag. 429.

(*b*) Petrus de Marca, Concordia sacerdotii et imperii, lib. VII, cap. 8, pag. mihi 1006 et seqq.

episcopus Antiochiæ magnæ civitatis. Quamvis, inquam, hæc dissimulare non debeam, attamen vix dare possum eo sensu Theodoretum ab apostolica sede sub conditione mundum fuisse declaratum, ut Romani pontificis decretum concilii judicio esset subjiciendum. Potius igitur cum cl. Christiano Lupo fateri cogor totam controversiam, tum ab Eutychiana factione contra Theodoretum excitatam, in eo versari debuisse, ut dumtaxat adversarii contenderent subreptitiam esse Theodoreti restitutionem, quasi quod pontificium animum quibusdam falsis expositionibus fefellisset, ut pristinum gradum et honorem in synodo obtineret. Canone enim sexto Constantinopolitano cautum fuerat ut episcopus degradatus careret jure accusandi alium episcopum (*a*). Quare etsi causa multi esset examinis, tamen judices S. Leonis decreto fideliter adhærentes, pro tunc facultatem accusandi libere ei dederunt, reservantes sibi postmodum in alia actione sedulo examinare quæ adversus Theodoretum proponebantur. Hanc enim prudentem œconomiam adhibentes, nec ullam vim Leonino decreto intulerunt, quo præcipiebatur ut Theodoretus particeps fieret synodi, quia in episcopatum restitutus; neque ex adversa parte Theodoreti accusatoribus aditum præcluserunt, ad inquirendum an vel per subreptionem fuisset restitutus, vel Nestoriana labe esset infectus, ut Ægyptii **481** vociferantes clamabant: *Nolite eum dicere episcopum. Non est episcopus. Impugnatorem Dei foras mittite. Judæum foras mittite. Cyrillum Theodoretus accusavit. Cyrillum ejicimus, si Theodoretum acceperimus. Canones istum ejiciunt. Hunc Deus adversatur.* En ergo crimina quæ ab Ægyptiis Theodoreto objiciebantur. Damnaverat jam iste Cyrilli capitula, et ob hanc causam, illum tamquam hæreticum damnaverant, nulla habita prorsus ratione, quod submotis omnibus æquivocationibus et generalis concilii œcumenici decretis obtemperaverat, et in posterum summam cum ipso Cyrillo servavit concordiam. Quid mirum igitur, si judices clandestinas has Dioscori machinationes attendentes, scissamque esse synodum in duas contrarias factiones (Orientales enim tamquam orthodoxum Theodoretum prædicabant dicentes: *Orthodoxum synodo, seditiosos foras mitte. Homicidas foras mitte*). Graviora adhuc metuentes, cum stomacho sunt interlocuti dicentes: *Acclamationes istæ populares neque episcopos decent, neque partes juvant. Patiamini universorum fieri lectionem?* Quid mirum, inquam, si adhuc ab incœptis clamoribus desistere recusantes Ægyptii, ipsi judices serio, et ea qua pollebant auctoritate silentium cunctis indixerunt, universorumque latrocinii Ephesini Actorum jusserunt per Constantinum fieri lectionem? In harum porro rerum circumstantiis, quis non videt minus circumspecte, et magis præcipitanter, quam prudenter judices egissent, si Theodoreto episcopo inter judices locum dare deliberassent? Prius enim ex tota Actorum lectione inquirendum erat, an Dioscorus saltem aliquem coloratum titulum habuisset, ad deponendum, degradandumve cum cæteris orthodoxis episcopis etiam Theodoretum. In qua quæstione is certe judicis partes secundum omnia jura agere non poterat, sed accusatoris dumtaxat. Si igitur tamquam verus episcopus, etiam ex judicum sententia in concilium fuit ingressus, non video qua ratione dici possit, Leonis decretum de restituendo in sua sede et honore episcopali Theodoreto non fuisse absolutum. Potissimum cum postea etiam admissus fuerit ad synodale suffragium et plenam omnium sanctissimorum episcoporum communionem.

7. Hactenus tamen enucleatæ difficultates, ex aliorum scriptorum opinionibus derivatæ, parum præsenti causæ prodessent, nisi iterum nostra oratio ad Quesnellum se converteret. Non tantum ipse Theodoreti appellationem inficiatur: sed ipsum etiam apostolicæ sedis judicium. Quare ad novam gestarum rerum historiam adornandam omnia miscuit et quamplurima in medium adducit, quæ veritatis speciem dumtaxat præseferunt. Brevitate ergo qua potero multa quæ subdidit colligere allaborabo. Ultro itaque imprimis dat, nullum concilium a S. Leone in Theodoreti causa fuisse coactum. De hujus epistolis ad summum pontificem constat. Quid vero P. R. scripserit, non innotescit. Secundo nullum judicium habuisse Leonem ad Theodoreti causam ventilandam affirmat: sed eidem, communione non interrupta, fuisse conjunctum, elici posse ex epistola 40 ejusdem Leonis, in qua de generali synodo necessario indicenda habet sermonem; vel ex epistola 47, ex qua colligitur omnia Ephesini latrocinii gesta pro infectis habuisse, atque ab imperatore Theodosio petiisse, *ut omnia in eo statu esse juberet in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregaretur.*

Tertio. Licitum fuisse Theodoreto ad suam remanere sedem, quia pro nulla habita sententia contra eum a Dioscoro lata, adhuc ex Oriente pontifex testimonium acceperat ab Anatolio recenter ordinato Theodoretum jam subscripsisse encyclicæ epistolæ ad Flavianum, nec Nestoriana Eutychianaque dogmata solum damnasse, sed ipsis etiam Nestorio et Eutycheti anathema dixisse. Affert hac de causa Quesnellus testimonium S. Leonis **482** ex epistola 68 ad Paschasinum Lilybetanum, cap. 5, quam ipse: « Nunc primum (ait) in lucem emittimus. Concludit igitur quod cum ex habita relatione, tum ex epistola ipsius Theodoreti, intellexit R. pont. judicavitque ipsum ab omni hæresis macula immunem, nihil obstare quominus suam ei communionem more solito impertiret, et ille suam Ecclesiam cum pace ecclesiastica retineret. » Tale (subjicit) *est sedis apostolicæ judicium*, de quo in hac epistola quam commentamur mentio facta est, quod quidem non demonstrat restitutam esse judiciali pontificis sententia suam sedem, sed amotam solam nonnullam erroris suspicionem.

Quarto asseverat, sub numero 5 nec Anatolium Constantinopolitanum, nec Maximum Antiochenum, Theodoreti primatem, neque alios episcopos Orientales cum eo communionis nexum aliquando abrupisse. Unde affirmare pergit rem totam ex Leonis facto finitam esse se non posse asserere, « cum eam rursus ad incudem vocatam a Patribus Chalcedonensibus, notum sit cuilibet hujus synodi Acta recensenti. » Hinc multa repetit quæ in præcedentibus dixerat, et ad inculcandum lectoribus suum systema, multa utens exaggeratione, decantat vociferationes, « non paucorum, ait, sed quamplurimorum episcoporum Palæstinorum, Ægyptiorum, Illyricianorum, qui Theodoretum e synodo ejiciendum esse contendebant, qui episcopi, quasi ex indulgentia et dispensatione, acquieverunt Maximi Antiocheni testimonio. »

Quinto loco describit quæ actione octava Chalcedonensis synodi gesta sunt in Theodoreti causa; rebusque pro suo arbitrio narratis, omnem conatum adhibuit ut supprimeret quæ sibi suoque systemati adversari judicavit; atque tandem concludit non alia de causa suæ sedi fuisse restitutum Theodoretum, nisi quia et *Nestorium et Eutychen, non solum scripto, sed in præsentia totius consessus, ore suo proprio anathematizavit.*

8. Cum ex quinque a nobis hic prænotatis, tum ex antecedenter adductis, plenam et indubitatam fidem suæ opinioni adhibendam esse sibi adulabatur Quesnellus; forte confidens quod nemo post ipsum Theodoreti causam voluerit retractare et ad examen revocare quæ ipse scripserat. Ideirco stylum convertit in quosdam, suppresso nomine, qui, episcoporum in synodum œcumenicam coalescentium sacro-

(*a*) Christianus Lupus, in appendice ad synodum Chalcedonensem, pag. mihi 894 et seqq.

(*a*) Quesnellus, tom. II, dissert. 10, cap. 4, pag. mihi 324.

sanctam auctoritatem deprimentes ac ludibrio habentes (multo magis autem extra synodum), meram illis pontificiorum mandatorum exsecutionem ex suo officio competere contendunt, tum in hac (ait) de qua agimus causa, tum in aliis omnibus; cum potius apostolicæ sedis hæc sit non infima laus, synodorum œcumenicarum exsecutricem, de qua prærogativa gloriatus est Gelasius papa epist. 13. Si itaque hæc omnia quæ in sui systematis præsidium adducit Parisinus scriptor veritati cohærerent, hactenus a nobis in hac causa annotata prorsus caderent. Sed cum fallacias involvant, hinc nostræ Exercitationis argumentum magis atque magis roboratur. Et imprimis quæ illatio illa esse potuit, neque ex Leonis, aut aliis monumentis elicitur in Theodoreti causa a Romana sede habitum fuisse concilium. Igitur nullum judicium habuit ad Theodoreti causam ventilandam? Quæ consecutio est hæc, quæ repugnat prorsus iis S. pontificis verbis a quibus adversarius suam est orsus dissertationem : *Benedictus Deus noster, cujus invincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te secundum apostolicæ sedis judicium demonstravit.* An Leonem mentitum arbitrabimur? Nec sibi adversarius præsidium nancisci potest, ex ab eo laudatis Leonis epistolis, scriptis ad Theodosium post latrocinium Ephesinum, quibus petit *ut omnia in eo statu esse jubeat in quo fuerunt ante omne judicium, donec*, etc., et idcirco nusquam abrupisse communionis vinculum cum Theodoreto. Nam rerum restitutio in pristinum *donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregaretur*, non idem est ac definitivum decretum interponere, sed causas **483** examini futuro reservare, donec diligentior inquisitio habeatur. Non igitur ea ratione judicatum fuit de Theodoreti fide et innocentia, ex eo quod latrocinalia Acta pontifex aboleverit, cum simul decreverit rerum omnium judicium ad aliud tempus et in alio conventu esse reservandum. Quare etsi post horum Actorum abolitionem licitum fuisset Theodoreto cæterisque episcopis gradu depositis ad suas reverti sedes, tamen non constabat *an jure vel injuria fuissent depositi, an jure vel ex dispensatione et indulgentia ipsis permitteretur suas retinere sedes.* Nam id nova debebat inquisitione scrutari novoque decreto demonstrari, interim eorum causa veluti in proservato (ut aiunt) manente, usque ad definitivam sententiam. Ratio illa tertio loco adducta nimis nutat, si attendamus ad ea quæ in superioribus capitibus descripsimus. Non enim Theodoreti causæ patrocinari potuit apud Leonem Anatolii testimonium, cum istius fides, ordinatio, stricta necessitudo cum Dioscoro et Eutychiana factione, tales suspiciones in pontificium animum excitassent, ut, nulla ratione habita ad imperatoris Theodosii et Pulcheriæ augustæ preces, ipse Leo cum ipso Anatolio jam ordinato istius ordinatoribus cummunicare voluerit; quoadusquo, misso Abundio Comensi cum aliis tribus legatis apostolicis, et publico celebrato conventu, jussus fuit idem Anatolius in hoc conventu solemniter fidei professionem emittere, anathema Nestorio et Eutycheti dicere, atque epistolæ ad Flavianum subscribere. Nisi enim fideliter hisce mandatis Anatolius obtemperasset, numquam a Leone et orthodoxis habitus fuisset tamquam legitimus episcopus. Sed dicat, amabo, Quesnellus ex quo monumento hauserit Anatolium testimonium dedisse aut dare potuisse de Theodoreti fide? Nobis quidem innotuit bonum testimonium accepisse Leonem de fide et munditia Theodoreti, de istius animi promptitudine, qua lætanter ad hæresum exitium subscripsit pontificiæ epistolæ ad Flavianum; sed hæc omnia Leoni innotuerunt, vel ex Abundii relatione cum adhuc Constantinopoli existeret; qui, ut vidimus, certior factus fuit Theodoretum ipsum, Ibam et Aquilinum episcopos, sincere suæ fidei testimonia præbuisse. Accedit S. Leonem maxime de Theodoreti aliorumque Orientalium fide, moribus et agendi œconomia fuisse apprime instructum, ex perpetuo epistolarum commercio quod habuit cum Constantinopolitanis clericis et archimandritis Flaviano adhærentibus, cum Juliano Coense, cum Pulcheria augusta, aliisque orthodoxis viris hincinde ex Oriente Romam venientibus, vel Orientem adeuntibus; et denique cum ipso Eusebio Dorylæi episcopo, qui post Ephesinam cladem ad suam aliorumque catholicorum causam coram Leone tuendam Romam venerat. Non igitur tale dumtaxat fuit apostolicæ sedis judicium in causa de qua agimus, ut nusquam communionem cum eo interruperit, vel quod ille istius fide ab Anatolio recenter ordinato testimonium acceperit. Parum nihilumve ista Theodoreto suffragari potuissent, ut cum omni veritate S. pontifex affirmaret Cyri episcopum apostolicæ sedis decreto ab omni hæreseos labe mundum fuisse demonstratum. An vero Anatolius communionis nexum cum Theodoreto abruperit, non affirmabo. Nescio tamen quemadmodum is in Anatolii communionem perseverare potuerit, vel Anatolius non abruperit communionis nexum, cum iste dumtaxat propter obsequia præstita Dioscoro, Chrysaphio, Eustathio, episcopo Berytensi, et cæteris Eutychianæ factionis, ad Constantinopolitanum thronum, post Flaviani necem, fuerit evectus. An potuit communicare hæreticorum studiis et desideriis, horum causas promovere, ut constat ex gestis contra Photium Tyrium (a) et non **484** abrumpere communionem cum Theodoreto Cyri, qui pro fide laborabat, et tantopere odio habebatur ab illa factiosorum virorum cohorte? Quinimmo tanto vehementius ab iisdem insectabatur, quanto magis ipse Flaviano, apostolicæ sedi, hujusque legatis adhærebat? Si nova monumenta, quæ aliter totam gestorum seriem describant Quesnellus non proferat, sapientes lectores nusquam illi fidem adhibebunt.

9. Et quidem fides ei adhiberi non potest ex iis quæ ex octava actione Chalcedonensis synodi recensuit. Quid enim ex ea? Multorum episcoporum vociferationes contra Theodoretum, quem Nestoriana tinctum fuligine injuste suspicabantur : cogebatur in plena synodo Nestorio anathema dicere : fidei definitionem ab eadem Chalcedonensi synodo prolatam suscipere; et postquam protestatus est fidei definitioni, et S. Leonis epistolæ jam subscripsisse, et soluta omni dubitatione, quod ab apostolica sede subreptitium obtinuisset decretum : solemnis tandem sententia prolata est : *Gloriosissimi judices dixerunt: Omnis jam dubitatio de Theodoreto soluta est.......... Deest igitur ut sententia proferatur a reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut et sanctissimus Leo archiepiscopus judicavit.* Quare incunctanter adversarii a turbis et clamoribus se abstinuerunt. Quinimmo omnes illius magnæ synodi episcopi clamaverunt: *Theodoretus dignus est sede Ecclesiæ..... Ecclesia pastorem recipiat. Orthodoxum doctorem Ecclesia recipiat...... archiepiscopo Leoni multos annos. Post Deum* (*vel cum Deo*) *Leo judicavit.* Hæc ergo sunt quæ ex illius octavæ actionis serie quisque fideliter, sine ulla prorsus fallacia colligere potest. Quibus plane respondet Paschasini, Lucentii episcoporum, Bonifacii presbyteri et Juliani episcopi Coensis, apostolicæ sedis legatorum, hujusque locum tenentium, prolatum decretum, quod hic fideliter exscribere deliberamus, ut innotescant ea quæ (nescio an studiose, vel oscitanter) a Quesnello suppressa fuerunt: *Sanctissimum et venerabilem episcopum Theodoretum sanctissimus et beatissimus universæ Ecclesiæ episcopus*

(a) De hac Theodoreti epistola ad Abundium verba fecimus cap. 12 præcedenti. De Photii Tyrii causa vide quæ diximus in academica Conciliorum dissertatione habita coram sanctissimo domino nostro Benedicto XIV, quam præcedenti capite publici juris fecimus, ex qua abunde Anatolii in Eutychianam factionem studium innotescit.

urbis Romæ Leo (nota sequentia verba) *dudum in communionem suscepit ita, sicut litteræ ab eo ad nostram humilitatem testantur*. Quibus et hæc alia addiderunt : *Si igitur fidem catholicam sicut promittit, et secundum prædictum beatum episcopum subscriptionem in proprio libello dixerit, et nostræ insuper humilitati alio dato libello monstravit quoniam et Nestorium et Eutychetem, non solum scripto, sed et sub præsentia totius consessus ore proprio anathematizavit : hoc judicio sanctissima et venerandissima synodus, insuper vero et nostra humilitas, reddi ei Ecclesiam propriam definivit.*

10. Quis ergo non videt totam illam contentionem in eo versatam fuisse, an Theodoretus per subreptionem obreptionemque ab apostolica sede restitutionis et fidei integritatis decretum obtinuisset? Non enim Romani pontificis judicium et auctoritatem in quæstionem adduxerunt, non ipsius sententiæ pondus addiderunt, dumtaxat solemni Theodoreti confessione ore prolata, certiores voluerunt fieri hunc sincere Nestorio anathema dicere, quemadmodum jam testatus fuerat suo scripto libello ad Romanum pontificem directo. Quæ quidem agendi ratio, sicuti nec Rom. sedis læsit auctoritatem, quæ dudum in communionem Theodoretum susceperat, et dignum suæ obtinendæ sedis judicavit (ut ipsi PP. Chalcedonenses protestati sunt), ita neque episcoporum dignitati in conciliis coalescentium potest esse injuriosa, dummodo eum in conciliis, tum extra, capiti adhæreant in suis judiciis proferendis. Quare nimis importuna mihi visa est illa Quesnelli querimonia, qua supponit episcoporum auctoritatem deprimi, si apostolicæ sedis mandata exsequi jubeantur. Quæ enim episcopalis gradus depressio haberi potest, si singuli omnium Ecclesiarum pastores per universum orbem dispersi cum summo pontifice totius fidelium universitatis capite iis rebus adhæreant quæ ad fidem, mores atque disciplinam **485** pertinent? Societatis enim ecclesiasticæ vinculum in eo stat, ut irretractabili assensu episcopi omnes apostolicæ sedis judicia venerentur, iisque ea subjectione se submittant, quam membra inter et caput servatam esse cognoscimus, quamque et Christus ad corporis mystici unitatem perfectam habendam mirabili quadam suavitate decrevit, ut facilius per solum caput suæ beneficentiæ dona in omnia membra diffunderet. Quare S. pontifex in epistola ad eumdem Theodoretum discrimen statuit inter Romanæ sedis rationem agendam et episcoporum auctoritatem in œcumenicas synodos coalescentium, ita ad nostrum intentum scribendo (*a*) : *Unde gloriamur in Domino cum propheta canentes : Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit. Sed quæ pro nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet quod prius a prima omnium sede formatum totius Christiani orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent.* Quis porro non videt aliam et aliam sibi et episcopis in synodum coalescentibus Leonem agendi rationem asseruisse? Sibi enim vindicat *ministerium definiendi*, episcopis vero *jus* sive *debitum assensus* præbendi. Deinde an non distinguit ibidem S. Leo (*b*) inter judicium *a prima omnium sede formatum*, et *judicium* illud quod a toto Christiano orbe susceptum dicitur? Negari haud potest. Igitur si ea divinæ institutionis ratio et ordo est, ut gravioribus rebus ad fidem et mores pertinentibus Ecclesia Romanæ sedis ministerio utatur in definitionibus atque judiciis, ita ut irretractabili firmoque assensu judicium quod prius a prima omnium sede formatum fuit a toto orbe Christiano solemniter recipiatur ; inde sequitur exsecutionem decretorum sedis apostolicæ demandatam esse episcopis in œcumenicam synodum coalescentibus, ut innotescit ex Actis Ephesini et Chalcedo-

A nensis conciliorum, magisque patebit ex subsequentibus, demonstraturi gravissimum facinus Dioscoro fuisse adjudicatum, quod, S. Leonis mandata in synodo altera apud Ephesum coacta exsequi recusans, synodum in latrocinium mutavit. Sed ipse Leo quidem hac in re sibi est factus interpres.

Etenim de hoc episcoporum consensu in conciliorum Actis expresso in eodem cap. istius epistolæ verba faciens, illud nec per assentationem, nec per obreptionem ab apostolica obtineri sede asseverat : ad quas suspiciones tollendas et si aliqui inventi essent a dissensionis auctore incitati, qui de apostolicæ sedis judiciis ambigerent ; tamen ad magis veritatem comprobandam, id, Deo volente, permissum est, ut ad majus bonum perveniatur. *Nam* (ait) *ne aliarum sedium ad eam quam cæteris omnium Dominus statuit præsidere consensus assentatio videretur, aut alia quælibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt qui de judiciis nostris ambigerent. Et*
B *dum nonnulli, a dissensionis incitati auctore, ad contradictionum bella prosiliunt, ad majus bonum malum ejus, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est.* Non me tamen latet vel Quesnellum veterum editorum nonnullas lectiones ab hujus epistolæ textu expunxisse, novas subsidio, ait ipse, suorum codd. induxisse, vel ad calcem secundi tomi varias annotationes pro suo arbitrio conscripsisse ; ut videlicet quod maxime habebat in votis lectoribus suaderet. O utinam qui novam judiciorum formam in Ecclesiam inducere laborant, ut apostolicæ sedis auctoritatem dejiciant, oculos conjicerent in hujus epistolæ capite ; atque, omni submota violenta interpretatione, discrimen illud intelligerent quod S. Leo intercedere indicavit inter canonicum *judicium* atque *consensum*, inter *jura* quæ primæ sedi conveniunt et ea quæ de episcopis **486** in synodi coalescentibus prædicantur ! Non enim tot tantasque gravissimas excitassent quæstiones erroneas et schismati affines, in quibus episcoporum auctoritatem ultra debitos fi-
C nes conantur extendere, ut Romanorum pontificum jurisdictionem inter nimis arctos limites restringant. Verumtamen adversariorum conatus magis rerum veritati prosunt, quam obesse possint, cum, eodem Leone auctore, *Ipsa veritas, et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quæ fides prius docuerat, hæc postea examinatio confirmaret*. Tandem episcopalis ordinis auctoritas minime deprimitur, sed magis *splendescit ubi sic summorum sic servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas ; et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exerendi fiduciam, ut vincatur adversitas ; ne quod per se probatur reprobum, silentii præjudicio videatur oppressum*. Ex quibus loquendi formulis perspicue concipimus quemadmodum, et Romanorum pontificum, et episcoporum jura serventur in synodis, singuli convenientem sibi auctoritatem jurisdictionemque exercentes : Fidei enim causæ cum apostolici symboli regulis Romani pontifices confe-
D runt, suaque judicia speciali S. Spiritus afflatu pronuntiant ad hæreses evertendas. Sed cum factiosorum virorum studium in eo stet, ut sinceram Christi doctrinam evertant, et ea dogmata genuina quæ ab apostolis derivata sunt oppugnare et prorsus abolere quærunt. Quare maxima sollicitudine Rom. pontifices suas definitiones episcopis in synodis coalescentibus proponunt, ut inde necessarium præbeant assensum. Quem quidem non sine examine exhibere debent, potissimum quod negotium illis est agendum cum læsæ fidei hominibus, qui, pervicacius perniciosis erroribus adhærentes, omnino repugnant se iis decretis submittere, quæ præter anathematis sententiam alias etiam pœnas, depositionis nimirum, degradationis, exsilii, secum habent conjunctas. Igitur dicat Quesnellus, amabo, quo sensu, quave de causa, episcoporum auctoritatem depres-

(*a*) Psalmo CXXIII, vers. 8.

(*b*) Epist. ad Theodoretum sup. laudata, cap. 1.

sum arbitretur, cum, auctore Leone, ipsis episcopis A concedatur fidei veritatem sua examinatione et consensu confirmare; simulque agere ut sacerdotalis officii meritum splendescat, quando, servata summi pontificatus auctoritate, cui adhærent, eorum libertas per unanimitatem et spirituum concordiam non minuitur, sed magis augetur. Ad majorem ergo Dei gloriam prodest examen quod assumitur cum fiducia adversitatis vincendæ, *ne quod per se probatur reprobum, silentii præjudicio videatur oppressum.*

11. Incassum itaque laborasse Quesnellum mihi visum est, in sua de Theodoreto dissertatione, alias et alias quæstiones parum ad sibi præfixum scopum pertinentes proponendo, cum eas quisque ex solis Leonis dictis hujusque agendi œconomia facillime solvere potuisset. Potissimum cum irrationabiliter etiam provocaverit ad Gelasii papæ testimonium, quod saltem integrum debuisset objicere, ut sine novo studio lector intelligeret quo sensu pontifex fuit locutus. Gelasius itaque nihil prorsus affirmavit B quod præcedentibus nostris dictis repugnet. Immo si ejus perpendamus verba Quesnellianum systema prorsus in exitium ibit. Vidimus enim in præcedentibus exercitationibus pontificem ad Dardaniæ episcopos scribentem demonstrare voluisse Acacium solius apostolicæ sedis judicio jure damnatum. Quare in suæ epistolæ exordiis exagitat qui arbitrabantur injuria Acacium damnatum, quod non speciali synodo videretur fuisse dejectum. Et adductis eorum hæreticorum exemplis quibus innotescit aliquos hæretica labe pollutos in synodis fuisse damnatos, non ita tamen ut Romana sedes etiam sine synodis eos damnare vel absolvere non potuerit. Quia vero ad eam spectat synodis robur et auctoritatem dare, idcirco idem pontifex sibi suadet quod nemo perpendens quæ ex antiqua Patrum traditione derivantur, ignorare possit *uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exsequi sedem præ cæteris oportere quam primam quæ unamquamque synodum sua auctoritate* C **487** *confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu (quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper, et retinet)* (a). Postrema hujus textus verba uncinis interclusa supprimere aut saltem dissimulare quæsivit Quesnellus. Quæ quidem si cum præcedentibus conferantur, nihil ex eo testimonio elici posse compertum erit quod præcedentibus dictis repugnet. Quid enim Gelasius convenire dixit episcopis in synodos coalescentibus, vel Rom. pontificibus conciliorum constituta confirmantibus vel infirmantibus? Episcopi suo assensu probant seque submittunt iis statutis et regulis quæ in synodis proponuntur, et scripto consignantur; quæque in tantum vim et robur assequuntur, in quantum apostolica sedes unamquamque synodum sua auctoritate et judicio confirmat, et *continuata moderatione custodit.* Huic præterea sedi maxime incumbit ista hæc confirmata et custodita statuta executioni D demandare, jubendo, imperando, ne in ecclesiasticis negotiis peragendis aut neglecta aut violata remaneant. Hoc scilicet munus illi competere pro *suo principatu, quem beatus Petrus apostolus voce Domini perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper, et tenet*, apertissime Gelasius asseverat, ut non tantum ex objectis a Quesnello verbis, sed ex totius epistolæ contextu intelligitur. De quo ipsi verba facimus de Sardicensibus canonibus disserentes.

12. Adhuc multa congessit Quesnellus prætextu quodam (nescio quo) sibi adversarios exagitandi, quæ potius ad totius Chalcedonensis concilii gesta referri debent, quæque nos rerum ordinem sequentes annotabimus. Sed cum inter hæc illud unum supersit, quod ad ipsum Theodoretum spectat: videlicet an Leo ipse post Chalcedonensem synodum tam A Theodoreti restitutionem PP. consensu admissam confirmaverit, quam alia ejusdem synodi de privatis episcoporum causis judicia confirmaverit, quod aliqui scriptores (auctore Quesnello) negarunt; observandum quoque hoc loco remanet eumdem Parisiensem doctorem, ne Leoni Theodoreti restitutionem, sed synodo plene adjudicaret, scripsisse: « Porro sententiæ synodi, cui præluserat judicio, suum Rom. pontifex postea consensum adhibuit, tum aliis epistolis, cum ea maxime quam ad ipsum Theodoretum dedit aliquanto post finitam synodum. » Hic ergo Theodoreti restitutionem synodo prorsus adjudicavit Quesnellus concludendo « Leonem huic duntaxat præludisse. » Idque ut facilius confingeret, ad ejusdem sancti Leonis testimonium superius laudatum, a quo dissertationem orsus est, provocat; et consueto more quæ suis studiis repugnare credidit prorsus prætermisit. At malum ipsius dolum S. pontificis B verba quæ sequuntur patefaciunt. Etenim postquam Theodoreto gratulatus quod se talem qualem probaverat et probat pro universalis Ecclesiæ defensione servasset, statim subdit: *Nam quod Deus omnium calumniosorum fallacias solvit, maximam beatissimi Petri curam pro cunctis nobis agnoscimus; qui postquam suæ sedis judicium in fidei definitione firmavit, nec circa cujusquam vestrum, qui nobiscum pro catholica fide laborastis, personam quidquam reprobum videri permisit: quia nec poterat, Spiritu sancto judicante, quisquam ex iis non victor exire, quorum jam vicerat fides.*

Attendat igitur Quesnellus ad laudata verba, eorum vim, et pondus intelligat; indeque conjiciat an Theodoreti restitutio synodo aut pontifici adjudicanda sit. Fidei quidem catholicæ definitionem beatissimi Petri apostoli curæ adjudicat, qui suæ sedis judicium in fidei definitione firmavit, nec permisit quidquam reprobum videri circa illas personas quæ cum eodem summo pontifice pro fide catholica labo- C rarunt. Apostolicæ igitur sedi utrumque jus Leo adjudicavit in calumniosorum fallaciis solvendis. **488** Alterum de fidei rebus judicium et definitio, alterum est orthodoxorum episcoporum libertas qui a præcedentibus factiosorum oppressionibus fuerunt redempti. Si tandem tantum otii in præsens mihi daretur, ut alia quæ ibidem Quesnellus congessit disserendo percurrerem, annotarem et, si necessum foret, refellerem. At cum, ut jam diximus, illa potius ad Chalcedonensis pertineant historiam quam ad Theodoreti episcopi Cyri causam, idcirco ne amici lectoris patientia abutamur, ad aliam Domni Antiocheni causam examinandam faciemus gradum.

CAPUT VI.

Chalcedonensis actio de Domno Antiocheno supposititia non est. Illam ex Græco in Latinum, cum reliquis Actis transtulit Rusticus diaconus. Maxima injuria D *id negavit Quesnellus, cujus argumenta tanquam falsa et prorsus infirma jam rejecit, atque etiam summa et mira eruditione solvit doctus clarissimusque Stephanus Baluzius. Hujus denique vestigiis in hac describenda Exercitatione nobis passim insistere opus fuit.*

1. Inter Quesnellianas dissertationes eam nono loco positam offendimus, in qua auctor Domni quondam Antiocheni episcopi causam examinandam assumpsit, in qua de hujus agens damnatione, de Maximi ejus successoris ordinatione, tum varias S. Leonis epistolas conciliique Chalcedonensis Acta illustrandi sibi proponens, actionem tandem de Domno his Actis insertam commentitiam esse posse demonstrare aut demonstrasse sibi adulatur. Profecto

(a) Gelasius papa, epist. 13. Extat tom V Conciliorum generalium, pag. mihi 321 et seqq.

id ex ejusdem dissertationis titulo sive epigraphe sibi promisit auctor, sed injuria quidem. Nam monimenta omnia quæ hinc illincque sparsa ad suæ causæ patrocinium collegit, aut tamquam infirma ex sese cadunt, aut prorsus ad quæstionem de qua agimus impertinentia esse rerum gestarum series manifestat. Orditur ergo dissertationem inquirendo cur Maximi ordinatio confirmata, nec reprobata Domni depositio. Subdit : Hanc unam fere omnes catholici scriptores, qui istam versantur quæstionem, afferunt : Maximum, etsi a suspectis hominibus electum, consecratumque a Constantinopolitano episcopo contra canonicam regulam, Domnoque adhuc in vivis agenti superordinatum, ideo tamen receptum esse a synodo, quia a S. Leone in episcopatu confirmatus fuerat. Hujus aliorumque episcoporum in latrocinio Ephesino per summum nefas factam depositionem animadvertit; sed unus Domnus, aliis tamen redintegratis, suæ sedi non fuit restitutus : quæ agendi ratio gravioris difficultatis causa est. Addit latrocinii Ephesini Acta in irritum missa ab Occidentalibus ante Chalcedonense concilium, Leonem pontificem contestatum ut omnia in eo statu esse juberet in quo erant ante infaustam synodum, donec omnia per œcumenicam synodum reformarentur (a). Consequens erat ut depositio Domni et Maximi ordinatio irritæ essent, suum ille reciperet locum. Baronii sententiam affirmantis proponit, quoniam S. Leo, cognita causa, Domnum juste damnatum intellexit (b). Post hæc vero eorum refert conjecturam, qui Domnum depositioni suæ manus ultro dedisse affirmarunt, solitariæ vitæ deliciis illectum, quibus innutritus olim fuerat ab **489** Euthymio abbate; quas cum, refragante S. Patre, relinquere meditaretur, ut Joanni avunculo suo a fide catholica deflectenti opem ferret, hæc ab eo verba futuri præntitia audivit : *Si his neglectis et tolerantia contentis cogitationibus tentabis a Laura discedere, obtinebis quidem administrationem quam tuus habet avunculus, sed eam tibi rursus auferent mali homines, et præstigiatores, cum ab illis prius fueris seductus ignorantia.* Hæc, et id genus alia ex Cyrillo monacho de rebus ab Euthymio gestis refert.

2. Tertio Quesnellus concludit : Qui porro Leonis auctoritatem hoc egisse putant, ut maximus in Antiochena sede tam malis auspiciis collocatus remaneret, locumque cedere Domnus cogeretur, manifestum id esse aiunt ex Actis Chalcedonensibus. Siquidem in actione quæ de Domno Antiocheno inscribitur, disertis verbis legitur confirmatum auctoritate Leonis fuisse Maximum. Quesnellus tandem integram illam actionem, ad ecclesiasticæ historiæ veritatem indagandam in suam transtulit dissertationem. Ut de ea, sub oculis posita, facilius lector judicium interponeret. Tali ergo tantoque quæstionum et verborum apparatu præmisso, exscriptam actionem illam de Domno Antiocheno, inter Chalcedonensis concilii Acta relatam, Quesnellus fassus est se eam minime commentitiam esse, sed genuinam totis votis peroptasse : « Hoc enim si esset (ait), præ manibus haberemus testimonium summæ auctoritatis pontificis Romani tam in synodos, cum in Orientales episcopos; majorum, inquam, et primarum sedium episcopos. Enimvero quantæ potestatis est ut penes Romanum episcopum Antiocheni, et consequenter Alexandrini aliorumque episcoporum consecratio fuerit, aut saltem confirmatio, ut ex hoc loco argumentantur cardinalis Bellarminus ejusque apologista Jacobus Gretserus. Qualis prærogativa, ut cum plures episcopi ab infausta synodo per vim scelusque depositi essent, eorum damnatio et depositio rata esse juberetur quam ratam esse debere judicaret Romanus pontifex, sola alterius episcopi in ipsius locum substitutio haberet locum quam idem ille confirmasset ! Quam evidenter denique hinc eluceret suprema ejusdem in synodos potestas, quarum Acta ex ea parte robur habeant, cui ille robur adjecerit, et illa cassa sint et irrita quam irritam ille esse voluerit ! Verum ut eruditi et sapientis est theologi vera germanaque primariæ sedis privilegia toto animo atque ex solidis genuinisque probationibus adversus novatores vindicare, ita parum sinceri liberalisque animi sit eadem vel ultra præscriptos limites ampliare, vel incertis, caducis falsisque adminiculis ac fulcimentis sustentare. » Concludit tandem. « Nec enim mendacio eget veritas, sed potius ex mendacii consortio in falsitatis suspicionem veritas etiam testatissima vocari consuevit. »

Quis tamen sibi persuadet sinceram et totis viribus eam protestationem fecisse Quesnellum ? Profecto si ex corde exoptasset commentitiam non esse, sed genuinam, de Domno Antiocheno actionem et palinodiam recantasset, et nonam dissertationem pro hac causa conscriptam disperdidisset, flammis ignibusque concremasset. Siquidem, eo adhuc superstite, clarissimus Stephanus Baluzius, maximo studio adhibito, summisque impensis laboribus, huc illucque a viris studiosis rei antiquæ litterariæ operam dantibus sibi novas comparavit notitias, ut tandem plenissime ipse Quesnellus suis studiis se deceptum aberrasse, nec fictitiam dici posse actionem de qua agimus, sine ulla animi hæsitatione judicare potuisset. Quare idem Baluzius cum in litterariæ rei utilitatem, tum in ecclesiasticæ historiæ incrementum et bonum, in adornanda nova Conciliorum collectione, omnibus singulisque Quesnellianis argumentis occurrit, atque solvit, et ab uniuscujusque animo eas falsitatis suspiciones rejicit quas lectores imbibere possent.

490 3. Primum itaque argumentum colligit Quesnellus ex Græcis concilii Chalcedonensis codicibus, in quibus ejusmodi actio desideratur. « Hoc, ait, certe non leve indicium est suppositionis a Latino aliquo impostore factæ. Si enim illa vere in concilio facta fuisset, Græce utique fuisset, atque Græcis hujus synodi Actis inserta cum aliis actionibus legeretur. Cur enim hæc una a reliquarum Græcarum corpore distracta fuisset, plane non apparet. » Quis vero hanc primam Quesnelli conjecturam nimis esse fallacem non judicabit ? Quesnello suspicari licebit actionem illam a Latino impostore esse confictam, quia in Græcis codd. qui supersunt non apparet; et non potius suspicabitur Græcos eam abolere quæsiisse, et a reliquarum corpore nisos fuisse eam distrahere, ut facilius ipsi de primatu cum Romano episcopo contenderent ? An non Orientales quinto, sexto, septimo et sequentibus sæculis primatus honores prærogativasque, ob Antiochenam Ecclesiam primitus a D. Petro fundatam, sibi arrogare contendebant ? An non Acephali, Eutychiani, statim post Chalcedonensem synodum omnem moverunt lapidem, ut eamdem synodum abolerent ? Quod cum numquam obtinere potuissent, saltem memoriam delere voluerunt, quod Orientales episcopi, Antiochenus et Alexandrinus, nonnisi de Romani pontificis consensione, hujusve confirmatione, tamquam canonice electi haberentur. Id sane secum agitare debuisset Quesnellus; potissimum cum in Antiochena sede, post Maximum et Basilium episcopos catholicos, plures episcopi, hæretici, schismatici atque scelestissimi sederunt, quorum catalogum ex subsequentium conciliorum Actis nos describere possemus, si cum homine in ecclesiastica historia nullatenus versato congressionem haberemus. Interim vero prætermissis quæ de Petro Fullone, Severo, Macario Monothelita, aliisque improbarum sectarum viris, qui operam dare potuerunt ut ex antiquis Græcis exemplaribus prorsus actio illa subriperetur, ne certum indubitatæque fidei monumentum exstaret de plenaria Romani pontificis potestate in confirmandis saltem Orientalium patriarcharum electionibus conse-

(a) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis, pag 512.

(b) Baronius, ad annum 551, num. 128.

crationibusque, attendamus an præcedens argumentum nutet aut corruat. Certe ut ex solis Quesnellianis suspicionibus infirmaretur, aliquod Græcum autographum eorumdem Chalcedonensium Actorum nobis debuisset adversarius objicere, et suis conjecturis præsidium nancisci, quod cum ab ipso nec ab alio quopiam ex Græcis fieri hactenus potuerit, ideo ad aliud Quesnelli argumentum eripiendum jam nos gradum facimus.

4. Secundo itaque contendit ex unico codice hujusmodi prodiisse actionem, quem nulla auctoritas, antiquitas nulla commendabat; cum et chartaceus esset solummodo, et ab ignotis scholaribus Germanis duobus acceptus prædicetur. Antiquæ rei studiosi clarissimo Stephano Baluzio multum debent. Is enim ad hanc nostri adversarii difficultatem refellendam consultius et prudentius agendum esse censuit, ne fabulas in sua Conciliorum collectione intruderet. Is igitur Quesnello fidem adhibere suspensus hærens, partim suis oculis Chalcedonensis synodi Latinas versiones lustrare cœpit; tum ex amicis sciscitatus est an in aliis extra Gallias bibliothecis manuscripta exemplaria asservarentur, in quibus actio illa de Domno esset descripta. Inter cæteros qui ejus votis indulserunt, fuit clarissimus et eminentissimus Hieronymus cardinalis Casanata, rerum antiquarum peritissimus. Cujus memoria, ob insigniora litterariæ reipublicæ bona et incrementum collata, numquam peribit. Is, inquam, a Baluzio consultus, multos Vaticanæ bibliothecæ codices (cui præerat) a peritissimis viris lustrari jussit, in quibus quidem cum actio de qua agimus reperta fuisset, non tantum imaginarios illos Germaniæ scholares Quesnello suspectos ab impostorum et inscitiæ nota purgavit; sed etiam Quesnellum ipsum gravissime esse lapsum plurimis argumentis demonstravit. Imprimis enim actio de qua agimus Græce continebatur in codice Patriciæ **491** Juliæ, cujus mentionem facit Rusticus, quamvis in aliis codicibus ab eodem recognitis desideraretur. Nam Rusticus ipse post sextam Chalcedonensis synodi actionem, illam notam subjecit, quam cod. Bohierianus exhibet: *Explicit actio 6. Incipit actio 7 de Domno Antiocheno, quondam patriarcha, translata ex Græco in Latinum.* Huic vero Rustici annotationi temporis decursu hæc alia addita fuit: *Eam vero alii codices exhibent sub fine actionis decimæ* (a).

5. Duo itaque Quesnellum animadvertere oportebat: alterum codd. haud chartaceos, sed ex membranis confectos; non recentiores, sed summæ antiquitatis, hujus actionis tamquam ex Græco in Latinum translatæ facere mentionem; ac propterea non fuisse ei licitum affirmare Græcam Calchedonensium Actorum collectionem numquam potuisse a reliquis distrahi, cum vetustissimi illius synodi interpretes septimo loco positam eam offendisse affirmaverint: alterum est actionem illam non prodiisse ex unico codice, quem nulla auctoritas, antiquitas nulla commendabat, cum chartaceus solummodo esset, et ab ignotis scholaribus Germanis duobus acceptus prædicetur. Quid enim vetat quod aliquod chartaceum antiquorum monumentorum exemplar ex antiquioribus archetypis non fuerit exscriptum? Innumera enim sunt manuscripta exemplaria, etiam recentioribus characteribus exarata, quæ ex vetustissimis membranis exscripta fuerunt, ut lippis tonsoribusque perspectum est. Igitur opus erat illi, antequam rem tamquam ex tripode definiret, diligentius inquirere an in bibliothecis et archiviis vetustiora hujus actionis exemplaria in membranis exarata reperirentur. Debuisset saltem eminentissimo Baronio aliquam fidem adhibere, qui scripsit: « Hæc ipsa actio in Latino veteri codice Vaticano, qui Proculi et Albini fuisse dicitur, sub nona actione ponitur, et sub eadem die; A nempe, sub sexto kalendas ejusdem mensis Novembris. » Cujus codicis tantum fecit, ut refellere volens argumentum desumptum ex constitutione Justiniani imperatoris, data ad Joannem summum pontificem, in qua legitur: « Chalcedonensis S. synodus Domnum Antiochiæ factum episcopum post mortem damnavit, qui ausus est scribere oportere solum tacere duodecim capitula Cyrilli; » volens, inquam, idem Baronius (b) hoc eripere argumentum, subjicit Justinianum augustum hujus actionis nescium. Quod quidem Baronii dictum, præcedentibus nostris conjecturis, magnum robur præbet, videlicet Orientales Acephalos, Eutychianosque, omnes studii nervos adhibuisse ut hanc de qua agimus Græcam disperderent actionem.

At divina providentia, quæ semper ecclesiastico regimini prospexit, voluit ut in vetustissimis saltem Latinis exemplaribus actio illa asservaretur. Tres autem insignioris notæ codices laudatus cardinalis Casanata ex sola Vaticana bibliotheca clariss. B Baluzio communicavit, annotatis studio peritissimorum virorum variis lectionibus quæ in iis occurrunt. « Inter eos (ait) unus vetustissimus quippe qui ante mille ad minus annos peritorum judicio conscriptus fuit. » Quare ne Baluzius debita fraudaret laude eumdem cardinalem Casanata, istius epistolæ verba typo commisit. « Actionem de Domno Antiocheno ita exhibet codex vetustissimus Vatic. num. 1322, charactere majusculo secundæ ætatis, ante mille videtur ad minimum annos conscriptus, ac initio corrosus, et mutilus, suppletus tamen manu octingentorum et amplius annorum. Variæ autem lectiones ad marginem annotatæ desumptæ erant ex aliis duobus codicibus, 1321, 1323, ejusdem bibliothecæ Vaticanæ. » Hos quidem codices non esse chartaceos, sed in membranis descriptos, nemini dubitare licebit. Sed præter tria illa laudata exemplaria, alia recentiora adinventa fuisse in Vaticanis scriniis affirmat idem Casanata scribens: Duo alii codices Vaticani, numero C 5405 et 4166, **492** recentissimi sunt, nec quidquam continent observatione dignum. Nec vero Quesnellum alii codices quibus præcedentes editores usi sunt debuissent latere, Corbeiensem nimirum, Divionensem, qui, quamvis inter se non concordent in actionum ordine, tamen in illis actio Domni non desideratur, ut dumtaxat unius chartacei codicis, nullam antiquitatem præseferentis, auctoritati insisteret. Nam in cod. Bohieriano actio hæc ponitur initio actionis septimæ, ut diximus. In editione vero Crabbi subjungitur eidem actioni septimæ, hac præfixa ad lectorem præmonitione: Quæ inventa est in codice Patrum Juliæ membranaceo, transcripta ex codice vetusto chartaceo, et dicitur fuisse Proculi et Albini Germanorum scholasticorum. Verumtamen ordinis diversitas nullum fundamentum suppeditat ut hanc tamquam supposititiam rejiciamus. Etenim Crabbus in sua editione decimæ illius concilii actioni hæc verba subjecit: Constantinopoli VI kal. Aprilis, indi- D ctione 13 feria sexta, referenda sunt ad Rusticum S. R. E. diaconum, quæ Bohieriani codicis ope, eidem interpreti Crabbus vindicavit; quæ cum lectoribus plurimam molestiam jam pridem creassent, Romani aliique editores ea expugnanda esse crediderunt (c).

6. Age vero ex Baluzio causam perquiramus cur in mss. codd. quandoque de Domno Antiocheno actionem post sextam immediate positam offendamus, et septimæ actionis initio ante conventionem Juvenalis Hierosolymorum et Maximi successoris Domni; in aliis vero postponi, et in nona actione reponi, vel in decima, ut modo exstat in Labbeana Conciliorum collectione; et credendum est tantorum discriminum causam notariorum arbitrio et oscitantiæ esse adjudicandam. Ne autem vir doctus divinatione uti videretur, sapienter annotavit: quod episcopi cum ad

(a) Tom. IV Concil. generalium, pag. 1514.
(b) Baronius, tom. VI, ad annum 451, pag. 155.

(c) Tom. IV Concil., pag. mihi 1598.

synodos proficiscebantur, solebant notarios suos secum deducere, qui gesta synodalia notis exciperent; quæ scilicet finita synodo, codicem Actorum singuli referrent in patriam. Hanc consuetudinem probat primo ex observationibus Henrici Valesii ad Evagrium. Verum nos illam magis confirmamus ex S. Leonis Magni epistolis, qui legatos missurus ad Ephesinam synodum secundam, Dulcitium notarium, cujus fidem satis perspectam habebat, suis legatis, Julio videlicet, Renato et Hilario sociavit, ut testatus est, cum in epistola 24 ad Flavianum, tum in altera 29 ad eamdem Ephesinam synodum. Sed Baluzius, hac observatione prætermissa, aliam retulit desumptam ex Chalcedonensi ipsa synodo, quam eruditis notis adornabat. In actione prima (ait) cum recitata fuisset pars gestorum latrocinii Ephesini, et quidam episcopi clamarent ea falsa esse, *Theodosius episcopus Claudiopolitanus de Dioscoro dixit : Deducat suos notarios; ejiciens autem omnium notarios, suos fecit scribere. Et cum judices et senatus peterent cujus manu perscripta essent monumenta gestorum, Dioscorus dixit : Unusquisque per suos notarios scripsit, mei mea, religiosissimi episcopi Juvenalis sui, religiosissimi episcopi Thalasii sui. Erant autem et aliorum reverendissimorum episcoporum multi notarii excipientes. Si non est meorum notariorum littera, quia unusquisque proprium habet.* Hinc ergo colligit Baluzius, quod cum codices tabularum ederent in paginis, eas quisque pro suo captu et libitu disponeret, sicque factum est ut initium causæ, v. g., ibæ retulerint in sexta actione, alii in septima, alii etiam in nona, alii denique in decima, atque ita in cæteris actionibus.

7. In his tamen exponendis paululum digressi sumus ab eo ordine quem servavit Quesnellus ut hanc Domni actionem prorsus esse supposititiam incassum ostenderet. Nam cum eum minime fugisset eam reperiri vel in Bohieriano codice superius laudato, vel eam judicatam esse **493** post actionem sextam, tamquam ex Græco in Latinum versam, tamen maluit Rustici diaconi malam fidem accusare, tamquam schismatici, et a Vigilio anathemate perculsi, quam sibi persuadere Chalcedonensium PP. esse genuinum fetum. Quid? Falso credidit hujus actionis interpretationem Rustico adjudicari posse, cum is suum nomen soli primæ actioni subjecerit in hunc modum, ex cod. ms. Bohieriano : *Explicit prima cognitio Chalcedonensis concilii.... Emendantes et conferentes manuscripta a pridie ante kal.* XIII. (*id est Decembris fer. quarta indict.* 13, XV *kal. Aprilis Rusticus per gratiam Dei diaconus S. R. E. contuli, annotavi, distinxi. Deo gratias.* Addit præterea quæ legenda occurrunt in editione Petri Crabbi ord. Minorum, videlicet : « Finis primæ cognitionis Chalcedonensis concilii, quæ finita et emendata est anno Domini 417 (emendatur in margine aut 454, aut 457, in omnibus pessime ait Labbeus), feria quarta, indict. 13, kal. Aprilis XII. *Rusticus per gratiam Dei diaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ contuli, annotavi, distinxi. Deo gratias.* » « Eadem (tandem concludit Quesnellus) fere in editione Romana paucis variantibus. » Quare sibi blanditur nihil certe statui posse ex hujusmodi annotationibus, quæ sibi non cohærent, ac propterea non unius Rustici esse, sed plurium annotatorum illam Bohieriani codicis mentionem. Varia hinc inde colligit, ut demum lectoribus persuadeat Rusticum relegisse Chalcedonensem synodum ad Acæmetensium codicem, quem jam contulerant et emendaverant superiores ipsi correctores; suamque pariter attestationem apposuisse, ut illi suam, sed hi reliquas actiones recensuerunt, ille ultra primam progressus esse non videtur. Addit annos quos annotatio prior designat ad Rustici ætatem pertinere non posse, et priorem illam annotationem fieri suspectam ex hac voce *manuscripta*. Supervacanea prorsus erat vox illa antequam excudendorum codicum artem hominibus largitus esset Deus. Subjicit : « Et etsi demus actiones omnes Chalcedonenses a Rustico sanctæ Rom. Ecclesiæ diacono esse relectas et emendatas, clarum est actionem de qua agimus inventam ab eo non fuisse. »

8. Has ergo similesque conjecturas quinto sextoque suæ dissertationis paragraphis, eo quo solet studio, Quesnellus exaggeravit, sed incassum quidem. Nam ut animadvertit idem Stephanus Baluzius, neque tempus factæ a Rustico editionis assecutus est, et aliunde inconstantiæ vitio vehementer laborans Paschasius Quesnellus inficiatus est quæ cum in notis ad 24 epistolam S. Leonis tum in Theodoreti causa eum oportuit affirmare.

Quod ad tempus autem editionis attinet, notat Baluzius Rusticum Constantinopolim venisse anno Domini 547, cum Romano pontifice patruo suo, a quo postea defecit sub initium anni 549, gradusque sui honore et ministerio dejectus est anno sequenti. Ante vero dejectionem aggressus est emendationem gestorum synodi Chalcedonensis, x kal. Martias anno 549, et eam absolvit anno sequenti III kal. Aprilis annum integrum et aliquanto plus huic operi incumbens. Dubium autem est, an istud effecerit Constantinopoli, an vero apud Chalcedonem. Ut pro Chalcedone sentiam, faciunt mendosissimæ notæ appositæ in fine primæ actionis, ex quibus deprehendisse videor antiquam veramque lectionem, quemadmodum illic dico. Huic tamen conjecturæ (subjicit) obstare videtur mentio codicis Acæmetensium, quod omnes sciunt situm fuisse apud Constantinopolim. Verum istud est explicandum, ut dicamus Rusticum non loqui de codice Acæmetensium Constantinopolitanorum, sed eorum qui erant sub episcopo Chalcedonensi, quorum archimandrita Joannes subscripsit libello monachorum ad Mennam patriarcham totamque synodum dato in collatione quinta synodi Constantinopolitanæ sub Menna. De cujus rei veritate ne quispiam dubitare posset, nos libenter locum a Baluzio laudatum **494** consulere deliberavimus, et archimandritæ Joannis nomen scriptum offendimus, quemadmodum in nota ad calcem apposita subjicimus (*a*).

9. Restat ergo difficultas an Rusticus diaconus præter primam illam Chalcedonensem actionem reliquas emendaverit. Quesnelli argumenta sunt quia nullibi in gestis mentio occurrat emendationis a Rustico factæ præterquam in prima actione. Postea addit nolle se ista pro certis accipi. Recte, scribit Baluzius. Nam ipse supra, nimirum ad epistolam 24 S. Leonis, quæ scripta est ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum, quæque relecta est in actione secunda concilii Chalcedonensis, agnoscere videtur hanc quoque actionem a Rustico diacono emendatam fuisse; et in dissertatione de causa Theodoreti, agnoscit itidem eum ad codices monasterii Acæmetarum accurate recognovisse Acta concilii Chalcedonensis. Addo autem hæc verba posita in calce actionis quintæ in codicibus Rustici, *idem contulit*, ad eum necessario referenda qui superiores actiones contulerat cum codicibus antiquis, id est ad Rusticum, cujus solius mentio est in codicibus antiquitus emendatis. Nam quod idem vir clarissimus suspicatur codicem Acæmetensium, quem lustrare cœperat Rusticus, primum quidem in Oriente emendatum a viris Rustico antiquioribus, qui attestationes in eo suas apposuerant, ad Occidentales postea deportatum, a pluribus descriptum esse, adeoque emendationes in marginibus appositas non esse unius Rustici, sed plurium diversorumque annotatorum, mera divinatio, ut pace ejus dixerim, quæ ratione non constat. Cum expresse in reliquis actionibus notas offendamus quæ indicant unicum et eumdem esse an notatorem et interpretem. Neque obstat actionem d

(*a*) Tom. V Concil., pag. 1103, legitur : *Joannes Dei misericordia presbyter et archimandrita venerabilis magni monasterii Acæmetorum, sub Photino sanctissimo episcopo Chalcedonensi, subscripsi.*

quæ agimus Græce desiderari. Multa enim sunt vete- A rum Græcorum scripta, quæ hodie Latine tantum exstant, neque ideo minus vera putantur, ut constat quamplurimis exemplis ab eodem clarissimo Stephano Baluzio adductis, quæ ipse collegit ex concilii Ephesini gestis, et ex ipso Chalcedonensi, in quo et actio de Domno habita est. Denique actionem hanc versam esse ex Græco testatur Rusticus, cujus etiam ævo superfuisse obscure saltem indicatum est. Molli brachio quoque tanquam de oscitantia Baluzius Quesnellum carpit, quod perperam interpretatus fuerit Rustici annotationem, qua scripsit : *Actio de Domno Antiocheno, quam inveni in codice Patriciæ Juliæ membranaceo novo transcriptam ex codice vetusto chartaceo, quem dixit ipsa fuisse Proculi et Albini Germanorum scholasticorum.* Igitur omnes intelligunt hanc actionem non ex codice novo, sed ex eo qui vetus erat ævo Rustici descriptam fuisse, qui fuerat Proculi et Albini fratrum virorum disertissimorum. Hanc tamen non prodire ex unico codice chartaceo, probant exemplaria quibus usi sunt Crabbus, Baro- B nius, Hieronymus Casanata, idque indicant codd. Corbeiensis, Divionensis. Cum itaque testis sit vetustas et consonantia codicum, vix intelligi potest cur tantopere hujus actionis auctoritatem elevare atque prorsus delere Quesnellus nisus fuerit. Contendens præterea hanc eamdem actionem nec innotuisse Facundo Hermianensi in Africa episcopo, qui opus suum conscripsit pro trium capitulorum defensione. Immo Facundus loquens de Domno eum annumerat SS. PP. et venerabilibus Ecclesiæ doctoribus, Joanni Chrysostomo et Gregorio Nazianzeno, ut videre est lib. II, cap. 1 Baluzio gravius displicet quod Quesnellus Rustici fidem in falsitatis suspicionem vocaverit. Quando videlicet eidem plurimum Ecclesia universa debet, ob præclaram operam impensam in Chalcedonensium Actorum Latinam interpretationem. Injuria enim suspicatur hanc actionem Rusticum confinxisse, ut ostenderet Domnum non esse damnatum post mortem. Sic enim falso persuasum erat quibusdam C ævo Rustici, ut statim alia **495** argumenta Quesnelli refellere aggrediens idem Baluzius explicavit. Quorum argumentorum unum illud est, quod ex imperatore Justiniano et episcopis quintæ synodi in superioribus etiam ex Baronio adduximus. Sed ejusmodi argumentum nutare prorsusque corruere, ex erroribus historicis qui passim in imperatoris Justiniani Constitutionibus, et ex aliis rebus minime veris quæ quintæ synodi actis inserta sunt, Baluzius asseverat. Quæ quidem omnia dum Quesnellum ipsum latere haud debuissent, noluit Baluzius otio abuti ad illa probanda, præsertim cum nihil de morte aut Domni damnatione in gestis concilii Chalcedonensis occurrat, quod diligenter inquirendum esset a quocumque qui Justiniani et synodi quintæ testimoniis insistere voluisset.

10. Jam vero Domnum ex hac luce migrasse, quando Chalcedonense concilium habitum fuit, ex testimonio Liberati diaconi aliisque veterum dictis, violenter tamen interpretatis, Quesnellus contendit. Narrat imprimis Liberatus diaconus quemadmodum D Dioscorus episcopus Alexandrinus in latrocinio Ephesino Ibam episcopum Edessenum, Theodoretum Cyrensem, Eusebium Dorylæensem, Flavianum Constantinopolitanum, aliosque orthodoxos cum Domni Antiocheni consensu, cujus auctoritate abutebatur, deposuerit; post hos omnes autem : *Et Domnum Antiochenum remanentem ab orthodoxorum depositione, quia particeps factus Dioscoro in depositione orthodoxorum et Eutychis absolutione. Depositus est autem dolo Dioscori sic. Postquam consensit in omnibus Dioscoro, datis in medio ejus epistolis, quas ad ipsum Dioscorum Antiochenus Domnus contra duodecim capita Cyrilli scripserat, damnavit ægrotum, absentem illa die* (a). Sed aliam causam depositionis Domni A retulit Nicephorus scribens : *Cum quibus et Domnus, Joannis Antiochenæ successor, annotatione sua ea confirmavit. At ille potestati suæ redditus, quod illis cessisset retractavit, Dioscoro et principibus ex aula imperiali viris resistens, et contra decreta, utpote quæ adversus Ecclesiasticas sanctiones facta essent vociferans, synodumque impiam appellans, et subscriptionem denique suam reddi sibi flagitans. Verum synodus ea de causa huic quoque sacerdotalem ademit dignitatem* (b). Subjicit Quesnellus : Duo isti auctores facile conciliantur, si dixeris Nicephorum veram rationem attulisse cur de deponendo Domno Dioscorus cogitarit. Liberati vero textum scribarum seu typographorum oscitantia et allucinatione corruptum esse, itaque verbis subesse battologiam asseverat, illamque esse corrigendam juxta Augustini sensa, ut pro *remanentem*, *resilientem*, vel potius *remeantem* ab orthodoxorum depositione. Laudat itaque consimilem Augustini locum de Baptismo contra Donatistas, lib. II : *Quos ad pacem atque unitatem sanctæ Eccle-* B *siæ remeare cupimus*; et alium ex epistola 172 ad Crispinum : *Nisi ad communionem vestram remeavissent*. Hanc tamen Quesnelli paraphrasim non probat Baluzius, et pro virili locum ab eruditis vexatum explicat. Arbitratus nimirum verum et genuinum Liberati verborum sensum haud esse; videlicet, Dioscorus in latrocinio Ephesino deposuit episcopos orthodoxos; Domnum vero, quamvis ipse orthodoxus esset, non deposuit, quia ipsi jam consenserat in depositione orthodoxorum et Eutychetis absolutione. Sed hunc quoque remanentem indemnatum postea damnavit, nimirum post alios omnes damnatos, quia epistolam ad Dioscorum scripserat contra 12 *capitula* Cyrilli. Itaque non est depositus a synodo, *quia* publice pœnitebat eum præstitisse consensum orthodoxorum.

11. Neque laudatus Baluzius alteram conjecturam Quesnelli probat, quam ex Liberati testimonio inferri contendit. Videlicet ægrotum et absentem Domnum C damnatum fuisse; idcirco non diu depositioni suæ supervixisse, nec usque ad Chalcedonensem synodum perduxisse ætatem. Ad **496** hæc subdit Baluzius : Poterat hanc conjecturam juvare testimonio Eutychii, qui in Annalibus suis scribit Domnum mortuum esse anno sequenti post illam synodum Ephesinam. Verum abstinuit, ea ut opinor de causa, quia auctor plenus est erroribus historicis et chronologicis, ut nihil certi dare possit de vita et morte Domni. Sed Liberato Liberatum ipsum opponit, qui paulo post descripsit mortem Flaviani, et quemadmodum pro eo Anatolius fuerat ordinatus narrat, et eodem tenore ait pro Domno ordinatum esse Maximum, neque addit Domnum fuisse mortuum. Immo tanquam de vivo locutum fuisse sequentia demonstrant. Nam recensita Flaviani morte et Anatolii ordinatione, subjungit de ordinatione Maximi in loco Domni, Nonni in loco Ibæ, et Athanasii in loco Sabiniani, nulla mortis eorum vel alicujus ex iis facta mentione. Sicut ergo Ibas atque Sabinianus ante conci- D lium Chalcedonense mortui non erant, quia huic synodo interfuerant; ita neque inferri debet Domnum ante hoc concilium mortuum fuisse, quia concilii Ephesini tempore ægrotabat. Argumentum pariter negativum desumptum ex silentio Liberati, qui, singulas actiones concilii Chalcedonensis recensens, nullam causæ Domni fecit mentionem, facturus haud dubie si vera circa eum contigissent quæ in ea actione narrantur, facile refellit; sicuti et aliam conjecturam depromptam ex verbis Evagrii scholastici, qui scribens in Ephesina synodo Domnum depositum fuisse, *de eo quid postea factum fuerit invenire non potuit*, et gesta Chalcedonensia recensens, de Domno prorsus silet (c). Sed utriusque scriptoris silentium, vel ipsius Evagrii ignorantia, quid probant pro Ques

(a) Liberat., cap. 12 Breviarii.

(b) Nicephorus, lib. IV, cap. 47.

(c) Evagrius scholasticus, lib. I, cap. 10.

nelliano systemate? Ambo isti scriptores usi sunt codicibus in quibus actio de Domno non exstabat, sicuti (ait Baluzius) non exstat etiam nunc in codice quem appellamus Parisiensem. Neque tamen ideo falsa est. Nam quemadmodum si nondum ars typographica inventa esset, et aliquis codice illo utens actionem illam prætermitteret, nihil adversus codicum auctoritatem præjudicare videretur, in quibus illa invenitur; sic Liberati aut Evagrii diaconorum silentium præjudicare non potest adversus eos codices quos constat eorum ætate habuisse illam prædictam actionem.

12. Sed hoc et similia argumenta ea eruditione maxima qua pollebat prorsus solvit et explicat Baluzius, perspicue demonstrando unde tanta codicum Græcorum diversitas orta sit. Cujus quidem verba subjicere necessarium ducimus, ut penitus quamcumque suppositionis suspicionem aboleamus. Observat igitur vir doctus concilii Chalcedonensis finem esse revera in sexta actione; ita ut ea quoque complectatur canones. Actiones vero quæ sequuntur, quamvis in concilio actitatæ, quia tamen ad fidei causam non pertinebant, sed ad negotia privata, idcirco multi episcopi, exarato fidei decreto, iter arripientes, ad proprias remearunt sedes. Id colligit ex Vita S. Euthymii abbatis, et ex Pelagii epistola ad episcopos Istriæ. Legitur enim in Euthymii Vita Stephanum Famnæ et Joannem Sarracenorum episcopos, qui Chalcedonensi aderant synodo, fidei decreto edito, celerrime abscedentes, illud Euthymio detulisse, putantes jam absolutam synodum. Unde postea eorum nomina nusquam comparent in actionibus quæ post sextam sequuntur. Sed apertius id docet pontifex Pelagius. *Plerique Græci antiquiores codices continere synodum nonnisi in 6 actionibus, subjunctis canonibus, demonstrantur, ut omnino cætera quæ privato studio fuerant mota non habeant.* Et paulo supra: *Vigilanti ergo cura respicite quia sexta illius actione sanctæ fidei professio consummatur, moxque in septima ad instructionem jam fidelium regula canonum figitur, ulterioribus vero actionibus nihil de causa fidei, sed sola negotia privata versantur.* Decessori suo, vel potius sibi ipsi, si qua **497** fides Paulo diacono, consentanea scribit S. Gregorius in epistola ad Secundinum: *S. Chalcedonensis synodus usque ad definitionem fidei et prolationem canonum de generalibus causis locuta est.* Nam post prolationem canonum specialia episcoporum certamina sopire curavit. Quid igitur mirum si plerique codices Græci, et quidem antiquiores, non habuerunt olim actiones quæ sequuntur post sextam? Quare factum ut postmodum eas addiderint, et in gesta intulerint diversis modis, temporum ordine minime servato, illam vel aliam inserentes, aut omittentes, prout quisque affectu ducebatur. Concludit Baluzius: Vetus collector omisit actionem de Domno, sed eam habuit vetus exemplar, ex quo descriptus est codex Juliæ Patriciæ.

13. Præterea, ut fortius Quesnellum sibi adversarium Baluzius perstringat, exemplum affert actionis Chalcedonensis, in qua causa inter Photium episcopum Tyri et Eustathium Beryti actitata et definita est. Quam quidem non habuerunt veteres Chalcedonensis synodi collationes. Sed ista prodiit ex Græco Vaticano codice, studio cardinalis Baronii, quam ad calcem quartæ actionis positam invenit; quamvis Balsamon in scholiis ad canonem 29 Chalcedonensem testetur eam positam esse in fine gestorum, in codice quo utebatur. De qua re nos luculentius verba fecimus in dissertatione pontificiæ conciliorum Academiæ anno 1746, quam ipsi jam in præcedenti capite descripsimus. Propterea nihil de ea in præsens disserentes, sermonem convertimus ad Evagrii silentium, qui fuit civis et advocatus Antiochenus, ut diserte probat cl. Henricus Valesius. Difficile profecto videtur existimare illum ignorasse quid de

A Domno factum sit, si is revera superfuit suæ depositioni, et si sumptus ei in Chalcedonensi synodo decreti sunt ex facultatibus Ecclesiæ Antiochenæ ad vitam sustentandam. Magnam ingerere difficultatem fatetur Baluzius, sed nullo modo Quesnelli opinionem juvare affirmat. Nam Evagrii verba confirmata videntur ex auctore qui Euthymii vitam descripsit, dicendo Euthymium ei prænuntiasse infelicem vitam in episcopatu, et depositionem deinde malorum hominum et præstigiatorum studio artibusque subeundam, ita ut pœnitentia ductus, quod salutaribus abbatis monitis non obtemperasset, ad eumdem Euthymium in Palæstinam rediisset. Hinc ergo (ait Baluzius) factum est ut qui vitam procul Antiochia et in silentio transivit, in oblivionem venerit Antiochenorum, adeo ut verum sit Domnum post depositionem suam secessisse in eremum, et ut Theophanes quoque chronographus et qui ab eo accepit Anastasius Bibliothecarius istud mandaverint memoriæ litterarum, quamvis diversam secessus ejus causam afferant ab ea quam

B profert auctor Vitæ S. Euthymii.

14. Quod si contenderet quis majorem fidem esse adhibendam Evagrio, qui exeunte sæculo sexto suam scribebat historiam, quam Theophani et Anastasio, qui multum remoti fuerunt a tempore quo ista contigisse narrantur, ego non repugnabo. Sed Quesnellum animadvertere oportebat ad hujus verba, quæ indicare non possunt Domnum absentem et ægrotum a Dioscoro damnatum non diu supervixisse, sed e vivis excessisse. Quomodo enim ejus mors latere potuisset, si ejus infirmitas non latuit? Igitur dicendum est ex ea infirmitate plene Domnum convaluisse; sed ærumnarum tædio affectum et confusione suffultum, quod impiis Dioscori artibus nutibusque obtemperaverit, ab hominum frequentia se subtrahere voluerit, procul ab Antiocheno patriarchatu in secretum Palæstinæ eremum se recipiens, ut reliquum vitæ suæ cursum absolveret. Præterea bene notavit Baluzius Evagrii testimonium non adversari Theophanis

C et Anastasii scriptis, quamvis diversa scripserint. Nam illius verba docent ita latere voluisse Domnum, ut nisi unus Cyrillus Scythopolitanus, qui ejusdem eremi incola fuit, quam Domnus inhabitabat, secretum illud detexisset, etiamnum haud dubie cum Evagrio ignoraremus quid de eo factum sit.

498 15. Minus solida sunt argumenta quæ Quesnellus adducit ad confirmandam opinionem de Domni morte, videlicet hujus conditionem pejorem fuisse Juvenalis Hierosolymitani aliorumque quibus synodus actione quarta indulgentiam dedit, et de quorum nominibus ad altare recitandis Anatolius scripsit ad S. Leonem. Sed unde constat indulgentiam præmissis veræ pœnitentiæ signis Domnum expetiisse? Aliquos in Ephesina Dioscori synodo lapsos S. Leo recipiendos jussit; sed sub iis conditionibus quas ipse præscripserat in epistola 64 de qua in superioribus egimus: duas legationes, alteram Abundii et sociorum, alteram Lucentii et Basilii ad Orientales instituit, pro nonnullis lapsis pœnitentibus et satisfactionem

D debitam exhibentibus recipiendis: de gravioribus lapsis tamen sibi judicare reservat, ut constat ex commonitorio dato Lucentio, atque Basilio, postremis legatis ex Urbe ad Constantinopolim missis pro lapsis pœnitentibus recipiendis. Sed Domnum in eorum numero fuisse, quorum *causa durior videbatur*, quis non intelligit? Igitur hujus causæ judicium et examen unice magno Leoni reservatum erat, quod clarissimus Baluzius minime observavit, nec Domni causa ex illis erat de quibus vel pontificii legati, vel Anatolius, vel alius quisquam judicare posset (a). Valet tamen alia ratio ab ipso Baluzio adducta, nimirum Domnum post suam depositionem secessisse in Palæstinam ad Euthymium abbatem suum, atque desiisse inter episcopos, propterea que nullam quæstionem esse potuisse de ejus nomine

(a) Vide quæ diximus de Leonis gestis ante Chalcedonense concilium, cap. 15.

cum aliis episcoporum nominibus ad altare recitando. Plurimum quoque Quesnellum urget aliud argumentum, quod Baluzius subjicit. Nam (ait) si Domnus propterea censendus est mortuus, quia nullam ejus mentionem in suis epistolis ad S. Leonem Magnum facit Anatolius; mortui tum etiam erant Thalasius episcopus Cæsareæ, Eusebius Ancyræ, et Basilius Seleuciæ. Leo enim ad Anatolium respondens, istorum qui cum Dioscoro, Juvenali atque etiam Eustathio episcopis fuerant participes Ephesini latrocinii nullam expressam mentionem fecit.

16. Neque validiora deinde censenda sunt multa alia argumenta quæ nimis operose in suæ causæ præsidium huc illucque excurrens colligere nisus est, ut supposititiam esse ostenderet actionem illam de qua agimus. Siquidem si ea ad trutinam revocemus, ut laudatus Baluzius jam fecit, illa nonnisi verba, fallacias violentasque interpretationes præseferre intelligemus. Hujus generis illud est quod sibi mutuari posse credidit ex epistola Gelasii ad episcopos Dardaniæ, in qua pontifex plurima judiciorum exempla proferens ad suæ sedis auctoritatem explicandam, eos enumerat episcopos a synodo damnatos, quos apostolica sedes absolvit; ait veniam concessisse iis qui in pseudosynodo Ephesina lapsi erant, dum hanc in irritum misit, nullam Domni Antiocheni facit mentionem. Itaque ante Maximi successoris ordinationem Domnus mortuus erat. Sed quid dicendum esset de Iba Edesseno, de Sabiniano Perrhensi, in quorum locum ordinati fuerant Nonnus et Athanasius? Isti pariter in latrocinio Ephesino corruerant; Gelasius in sua epistola eorum nullam habet mentionem. Igitur et isti ante Chalcedonense concilium ex hac luce migraverant? Sed falsam prorsus esse hanc consecutionem, et veteres historiæ et Chalcedonensia gesta patefaciunt. Nec majus pondus obtinet altera conjectura, quam colligit ex Leonis agendi ratione, qui, recissis Ephesini latrocinii gestis, non cogitavit excipere Domni depositionem, sed ab imperatore Theodosio petiit ut omnia in eo statu manere juberet, in quo fuerant ante omne judicium. Quare sibi persuadet nullum effectum habere potuisse sententiam latam adversus Domnum, si in vita fuisset. Nova fallacia. Domni depositio nullum quidem habuisset effectum, si pœnarum metu adductus, **499** si ignorantia deceptus, aliorum in orthodoxorum depositionem et Eutychetis absolutionem consensisset. Sed quia primas partes in ea synodo Ephesina cum Dioscoro egerat, tamquam Eutychianæ factionis princeps habebatur, et idcirco cum ejus causa, ut diximus, esset ex durioribus, in præteritæ improbitatis pœnam eo adhuc superstite, merito S. Leo ratam habuit Maximi ordinationem et ipsius depositionem. Quinimmo nos arbitramur Chalcedonenses PP. tantopere exhorruisse præcedentem Domni agendi rationem, propter quam se victum in Dioscori manibus et voluntate tradiderat, ut et ipsi contra eumdem jam depositionis sententiam tulissent, quemadmodum cum Dioscoro fecerunt. Argumentum colligimus ex Maximi verbis quibus judices et universalem synodum deprecatus est. *Maximus reverendissimus episcopus Antiochiæ dixit : Deprecor magnificentissimos et gloriosissimos judices, et sanctam hanc et universalem synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ episcopus, dignemini, et statuere ei certos sumptus de Ecclesia quæ sub me est.* Quicumque allucinatione non decipiatur, et violenter nolit Maximi verba interpretari, jam plene intelliget talia sibi creasse canonica præjudicia Domnum, ut Leo M. et concilium Chalcedonense minime irritam facere debuissent ipsius depositionem, ob quam et episcopatu et fructibus omnino privatus erat. Quare Maximus successor Domno ex parte misereri cupiens, supplex concilium interpellat, ut mitius et

A humanius cum illo agere vellet, ipsique permittat fructuum ecclesiasticorum portionem percipere, quoadusque in vivis perseverabit. Maximi petitioni itaque concilium annuens, legati, seu vicarii, apostolicæ sedis per Paschasinum sequens decretum interposuerunt : *Sanctus et beatissimus papa, qui episcopatum sancti et venerabilis Maximi episcopi Antiochenæ Ecclesiæ confirmavit, justo satis judicio ejus meritum approbasse videtur ; siquidem memoratus ....Maximus suo arbitrio Domno voluerit esse consultum, ut sumptus ei de sua Ecclesia miserationis intuitu prout æstimaverit largiatur, ut contentus alimoniis quiescat in posterum.* Sola ergo miseratione Maximus ducebatur talem fructuum ecclesiasticorum portionem Domno superstite concedere, quamvis nullo jure posset Domnus in sua episcopali sede iterum collocari. Anatolius quoque Constantinopolitanus episcopus hanc Maximi indulgentiam misericordiamque laudavit, dicens : *Laudo et ego condolentiam*

B (alias compassionem) *beatissimi episcopi Antiochiæ Maximi, in quibus spontanea voluntate ipse tales preces obtulit, ut sumptus præstaret Domno, qui fuit episcopus Ecclesiæ sanctæ quæ sub eo est, præter hoc prædicto nihil requirente*

17. Quod vero S. Leo Magnus irritam facere non debuerit istius depositionem, præter ea quæ in præcedentibus adduximus, et sufficienter etiam explicavimus in exponenda S. pontificis epistola 64, adhuc ex epistola quam scripsit ad Juvenalem Hierosolymorum episcopum Quesnellus et Baluzius intelligere potuissent, cum is potissimum sub num. 45 difficile exploratum esse affirmaverit. Consenserat utique Juvenalis Dioscoro in latrocinio Ephesino, sed neque fuit depositus, neque in sua perstitit pertinacia. Fuisset tamen deinde a S. Leone et a synodo Chalcedonensi depositus, quia depositionis materiam sibi creaverat, ob quam non tantum cunctis orthodoxis se reddiderat invisum, sed etiam episcopatu in po-

C sterum indignum, quas ob causas aliquod tempus longe a sua sede abesse eum oportuit, donec per debitam pœnitentiæ satisfactionem *indulgentiæ* tempore *resipiscentiam* delegit. Actione vero quarta Chalcedonensi proposita fuit causa episcoporum qui cum Dioscoro præfuerant latrocinio Ephesino, atque inquirebatur an parem cum Dioscoro deberent subire condemnationis *censuram*, et Ecclesiis privari. Animo pendebant judices et episcopi omnes. Quibus cum quæstio satis difficilis videretur, quinque dierum induciarum sibi dari postularunt ad maturius judicium, **500** juxta Nicænorum canonum regulas, proferendum. Interim tamen Juvenali, Thalassio, Eusebio Cappadociæ, Eustathio Beryti, et Basilio Seleuciæ, denegatum fuit locum in synodo habere, sed tamquam pœnitentiam agentibus opus fuit exspectare. *Differatur* (legimus) *auditio usque ad quinque dies, ut inter hæc vestra sanctitas congregetur ad sanctissimum archiepiscopum Anatolium, et de fide communiter cogitetis.* Rursus eadem actione, postquam

D omnes exclamaverunt Dioscorum juste a Christo depositum atque damnatum, *paucis oris transactis*, judices imperatoris mandatum exspectantes dixerunt : *Piissimus imperator addiscens vestras preces permisit de Juvenali deliberare, et de Thalassio, et de Eusebio, et de Basilio, et de Eustathio reverendissimis episcopis, quæ vobis placuerunt. Anatolius dixit : Petimus eos intrare; et alii episcopi clamaverunt : Rogamus eos intrare* (*a*). Neque alia ratione in synodo locum obtinuerunt, nisi prius eorum recognita fide, qua symbolum Nicænum et Constantinopolitanum probaverant, rata habentes decreta Ephesini œcumenici concilii, subscribendo tamen cum aliis episcopis epistolæ S. Leonis ad Flavianum, et contraria sentientes damnando. Eos inter utique Domnus non reperiebatur; tum quia in eremum Palæstinæ se

(*a*) Tom IV Conciliorum, Venetæ edit., pag. mihi 1359. Baronius, tom. VI Annalium, pag. 146, eodem art.

receperat, tum quia resipiscentiæ signa congruo tempore non dederat, cum nimirum S. Leo indulgentiam lapsis apostolicæ sedis clementia dare non detrectabat. Consonat omnino S. Leonis epistola ad ipsum Juvenalem, in qua eum increpans propter præteritos excessus (ait): *Dolui adversitatum tuarum temetipsum tibi fuisse materiam, et resistendi hæreticis constantiam perdidisse, quia æstimant non esse tibi liberum ut eos audeas redarguere, quos tibi professus sis in suo errore placuisse.* Causam deinde assignat propter quam post talem gravissimum lapsum ad sui episcopatus sedem ei licuisset redire, ita subjiciens: *Unde quia in tempore indulgentiæ resipiscentiam magis quam pertinaciam delegisti, ita gaudeo te cœlestem expetiisse medicinam, ut fidei ab hæreticis impugnatæ tandem possis esse defensor* (a). Quis interim non videt graviter commentum fuisse Quesnellum, contendentem Leonem decreto quo latrocinii Ephesini Acta in irritum missa sunt omnibus lapsis indulgentiam concessisse, nec cogitasse excipere Domni depositionem? Quid? Forte latrocinalia Acta rescindendo, hujus synodi principibus indulgentiam dandam esse intendebat, si non resipuissent, si humillime non postulassent veniam sibi dari, adimpletis omnibus conditionibus quas sanctus pontifex præscripsit Anatolio, Juvenali, Thalassio cæterisque qui Dioscoro, Eutycheti, communicaverant, in Flavianum Eusebium Dorylæensem et in alios orthodoxos facta conspiratione? Non erat ergo necesse ut, in irritum missis latrocinalibus gestis, exciperet Domni depositionem, cum huic jam cæterisque Eutychianæ factionis principibus nullum amplius jus conveniret perseverandi in episcopatu, quem ex sola S. Leonis indulgentia retinere in posterum potuissent, si pœnitentiam egissent. Hinc maxime attendendam esse arbitror Quesnelli fallaciam, qui, de latrocinalibus Actis et de epistola sancti Leonis ad Theodosium Augustum scripta disserens, qua petebat ut juberet omnia in eo statu restitui in quo erant ante infelicem illam synodum, sibi blanditur sanctum pontificem ita lapsis indulgendum esse credidisse, ut prorsus inultæ remanerent culpæ eorum qui omnes Orientis Ecclesias scandalis, cædibus, inimicitiis et odiis per fas et nefas cum fidei exitio repleverant. Hunc animum nequaquam habuisse Leonem subsequentia illius verba demonstrant. Nam plene de his omnibus horumque auctoribus judicium habere sibi reservat, donec major pars sacerdotum ex toto orbe congregari possit. Ut nimirum, ad Italiæ synodum convenientibus episcopis, de lapsorum fide et criminibus solemniter et juxta canonum rigorem judicaretur. Non ergo **501** post latrocinium Ephesinum lapsis episcopis, schismatum auctoribus, ecclesiasticis ligatis censuris licitum esse poterat suas sedes retinere; neque per actorum latrocinalium abolitionem canonicæ pœnæ quas incurrerant ipsis a Leone relaxatæ fuerunt. Ad quæ forte sedulo animadvertens Domnus, verecundia et pudore actus, privatam pœnitentis vitam longe ab hominum et suorum civium frequentia traducere maluit, quam in publicis cœtibus et synodis prodire, debita suæ fidei, pœnitentiæ et satisfactionis argumenta daturus.

18. Puerilia esse plane judicantur quæ ad Domni mortem probandam Quesnellus ex constitutione Theodosii imperatoris affert, in qua pseudosynodi Acta confirmantur, et de Domno legitur: *Qui fuit Antiochenus episcopus.* Addit in 14 actione Chalcedonensi dictum fuisse ab Athanasio Perrhenorum episcopo, in locum Sabiniani ordinato, qui causam reddens cur Domni judicium declinaverit: *Inimicus meus erat ipse qui judicabat Antiochenus* (b). Ex quibus inferre posse contendit jam Domnum vita functum. Primum enim si staret, jam probaret Domnum, vix latrocinali illa synodo absoluta, hominem exuisse, cum Theodosii constitutio, statim Chrysaphio et Dio- A scoro agentibus, edita et promulgata fuerit. Igitur hujus mors neminem latere potuisset, nec Evagrio cum veritate scribere licebat quid de Domno esset factum se prorsus ignorare. Neque Athanasius Perrhenorum ibi loquitur de Domno tamquam mortuo, sed de eo qui Antiochenum tum agebat concilium. Quare (ait Baluzius) isti loquendi modi sunt quidem præteriti temporis, sed præteriti imperfecti, ut aiunt grammatici, in quibus exponendis pudet diutius immorari. Verum enimvero, nec Domnum mortuum fuisse cum concilium Chalcedonense agebatur, atque S. Leonem irrita fecisse omnia latrocinalia Acta, excepta Domni depositione et Maximi ordinatione, tandem cognovit Quesnellus, qui in lustranda actione decima Chalcedonensi, Stephani Ephesiorum episcopi interlocutionem offendens, qua contendebat omnia prædatoriæ synodi contra canones facta abolita esse, iis exceptis quæ adversus Domnum gesta fuerant, *ob hoc* (nimirum), *quia ordinatio Deo amantissimi episcopi* B *Maximi facta pro eo canonice in Antiochena metropoli a sanctissimo archiepiscopo Leone, et hoc præsente sancto, et universali concilio est suscepta.* Horum enim verborum pondus adversarius intelligens, ne falsum ab eo constructum ædificium prorsus corrueret, fulcimenta huc illucque quærens, non protinus collabi debere sibi blanditus est, scribendo non magnipendendum esse, quia unicum est, et ab eo profectum quem actione sequenti exauctoratum legimus propter scelera per quæ sibi gradum ad Ephesinam fecerat sedem; adeoque probabile esse eum ex odio Domni condemnationem ratam esse voluisse. At hujusmodi effugium, qua ratione sibi prodesse posse censet Quesnellus? Dabo gravissimorum facinorum reos non admitti ad testimonium. Sed crimina Stephano exprobrata tunc hactenus cum non essent probata, et quia istius causa nondum agitata, nec de objectis criminibus fuerat convictus, quid possunt probare? Nihil. Alias PP. Chalcedonenses admisissent inter episcopos et judices primarum sedium hominem quem C canones prorsus exauctoratum esse statuebant. Et quidem veras judicis partes Stephanum Ephesiorum in Chalcedonensi synodo obiisse, ex sequentibus innotescit. Tertia actione Dioscorum cum aliis episcopis damnavit. Quarta epistolam Leonis ad Flavianum laudavit, atque suscepit. Sexta subscripsit definitioni fidei coram imperatore. In septima confirmavit conventionem Juvenalis et Maximi. Unde tandem colligit Quesnellus Stephanum odio actum esse ad confirmandam Domni depositionem, nisi ex sola divinatione? Quare potius existimandum esset Stephanum potius debuisse favere Domno, quem Dioscorus dolo deposuerat. Hinc clarissimus Baluzius ad Stephani Ephesini agendi rationem **502** recogitans, arbitratus est eum nullo odio aut malevolentia ductum ita esse interlocutum, sed quia noverat Domnum depositum ad monasterium rediisse, ut quieti et solitudini vacaret, et fortasse libellum refutatorium pro more illorum temporum obtulisse, ut D canonica Maximi ordinatio locum haberet.

19. Jam vero cum laudato fulcimento adhuc totum Quesnelli ruit ædificium. Nam Stephani testimonium nec unicum est, nec ullus ex Patribus eidem refragatus est. Imprimis cum actione decima quæstio haberetur an omnia latrocinalia Acta deberent relegi, *ut nihil desit* (aiebat Theophilus diaconus) *juste judicare debentibus*, statim omnes apostolicæ sedis vicarii, *per Paschasinum dixerunt: Synodus appellari non potest in qua illa nefaria delicta relecta sunt.* Et paucis interjectis ea Acta vana et irrita a S. Leone declarata esse asseverat, *ex quo claret, quia et sanctissimus episcopus Antiochenæ civitatis extra hæc est* (Rusticus sequentem addidit notam: *De Maximo ordinato apud Ephesum*) *quem post hæc beatissimus episcopus in propriam communionem suscepit;* quibus postremis verbis hanc aliam idem Rusticus addidit

(a) Epist. ex cap. 1.

(b) Tom. IV Concil., act. 14 Chalced., pag. 1679.

annotationem : *Facta Leonis confirmantis subsecuta confirmantur*. Profecto si ad hæc attendisset Quesnellus, qui in lustrandis et mss. et editis exemplaribus, pro divi Leonis Operibus adornandis se laborasse gloriatur, nescio an libere pronuntiasset unicum esse Stephani testimonium, cui nemo ex illis PP. suffragatus est. Sed adhuc attendat ad ea quæ post vicarios pontificios Anatolius pronuntiavit : post synodi enim definitionem nihil horum valere quæ in synodo Ephesina gesta fuerant, *nisi illud circa sanctissimum magnæ Antiochenæ civitatis episcopum, quoniam et sanctissimus Leo Romanus archiepiscopus in communionem eum recipiens præesse eum Antiochensium judicavit Ecclesiæ* (*a*). Tandem nonne tribus istis cæteros PP. astipulatos esse, nemine prorsus refragante, ex illis Actis exploratum est? Ea enim percurrant lectores, et clare intelligent non alia de causa Maximi ordinationem, et Domni depositionem ratas esse judicatas, nisi quia illas pontifex Leo confirmaverat.

B 20. Se graviter urgeri ab illis tribus testimoniis Quesnellus, quæ non ignoravit, præsensit (*b*). Et propterea arbitratus suis dictis sufficienter Stephani interlocutionem infirmasse, stylum vertit in alia duo Paschasini et Anatolii, quæ ipsi jam in medium adduximus. Cujus gravem contentionem idem Stephanus Baluzius apprime cognoscens, sub numero 52, ait : « Superest ut Paschasini nunc interlocutionem retractemus, quam paulo ante descripsimus, tum ut veritati gestorum patrocinemur, tum ut quæ vere ab eruditissimo et optimo viro Petro de Marca archiepiscopo Parisiensi dicta sunt, ea vera esse ostendamus. Egit ille de causa Maximi Antiocheni in libro III de Concordia, ut etiam isto exemplo doceret Romanæ sedis auctoritatem in temperanda canonum exsecutione et indulgenda dispensatione ad Orientis quoque Ecclesias porrectam fuisse. Ordinatus fuerat Maximus ab Anatolio episcopo Constantinopolitano in loco Domni a Dioscoro damnati. Huic ordinationi duo maxima vitia inerant : unum, quod Domnus ab impia synodo damnatus esset; alterum, quod ordinatio illa contra canones ab Anatolio peracta erat. » *Quid nos*, inquit Leo, ad Marcianum augustum scribens, *amore reparandæ fidei et pacis studio retractare cessavimus*. Poterat ergo Leo, ut ait Marca, ordinationem Maximi retractare, nisi benigne se in eum gessisset. Id vero hinc etiam confirmat, quod ille a synodo Chalcedonensi eo solum nomine receptus sit, quod Leo sanctissimus P. ejus ordinationem et communionem probasset. Tum ut id ostendat esse verum, describit verba Paschasini supra relata, et annotat sequentia, *quem post hæc beatissimus* 503 *episcopus in propria communione suscepit*, deesse in textu Græco, sed hæc tamen a veteri interprete juxta fidem antiquorum codicum retenta esse. Quesnellus, qui non vult ista dicta esse a Paschasino, miris modis se torquet ut bonum loci illius sensum constituat absque verbis illis, quædam sua auctoritate addens, nonnulla detrahens, alia mutans. Et ut confirmet opinionem suam, ait necesse non esse ut legatorum sedis apostolicæ verba firmentur interlocutione Anatolii, quam propterea Marca statim retulerat, cum sibi ipsi sufficiant ut intelligantur : *Et sive sententia illorum*, inquit, *ab Anatolii suffragio discrepet, sive illi concinat, non probat tamen id a legatis dictum, quod dictum non esse omnia originalium Actorum exempla significant*. Duo igitur contendit vir clarissimus, sensum esse integrum absque illis Paschasini verbis, et ea deesse in omnibus exemplaribus Actorum originalium. Quoad primum, publicam appello fidem, si non manifestum est sensum esse imperfectum absque verbis illis. Cum enim dixisset Paschasinus synodum Ephesinam a Leone P. missam A fuisse in irritum, addidit : His generalibus verbis non comprehendi Maximi ordinationem clarere, quia Leo eum in sua communione susceperat. Nisi enim Paschasinus hanc rationem reddidisset, sensus non fuisset integer, et aliquid postea episcopi exspectassent quod ab eo diceretur. Adde quod sequentia nullam connexionem habent cum causa, nisi addantur illæ voces, *necessarium enim est*, quæ in textu quoque Græco deesse constat. At enim ea desiderantur in omnibus exemplaribus Græcis, quæ originalia vocat idem vir clarissimus? Primo quærendum est an revera possit dici Græca exemplaria esse originalia, ubi legati Romani pontificis Latine loquebantur. Sane Rusticus in loco hoc non legitur annotasse hanc legatorum papæ interlocutionem Latine jacere in antiquis codicibus. Sed cum ipse alibi moneat illos Latine locutos esse, et interlocutiones eorum Latine scriptas fuisse in antiquis exemplaribus Græcis, cum istic compositor gestorum non dicat eos per interpretem esse B locutos, par est æstimare Paschasinum locutum fuisse Latine; adeoque siquid hic erroris commissum est, non videtur esse tribuendum interpreti Latino, sed Græco, seu potius librario, qui per errorem omisit ea quæ istic desunt in textu Græco. Nam et veteres codices Græcos synodi Chalcedonensis non esse sanos, jam supra demonstravimus, ubi etiam monuimus cardinalem clarissimum Baronium credidisse corrigendos illos propterea esse opere Latinorum. Baluzius ita ratiocinatus est.

21. Actionis quoque de qua agimus quosdam falsitatis characteres affert Quesnellus, contendendo illius ætatis morem non fuisse ut Romanus pontifex hac unica voce *papa*, sine aliquo addito designaretur; nec ullum in Chalcedonensibus Actis locum occurrere, ubi ad illam vocem *papa* non addatur, vel urbis *Romæ*, vel apostolicæ sedis, vel aliud simile. Hocce argumentum duplici responsione laudatus Baluzius eripuit. Prima (ait) necessarium non esse ut ævo Domni vox *papa* sola poneretur cum de Romano C episcopo agebatur; sufficit ut talis mos interpretis ætate obtinuisset, apud quem vox Ἐπισκόπος respondet voci *papa* in interlocutione quadam Bonifacii presbyteri Romani, quæ exstat post subscriptiones episcoporum in actione sexta decima; secunda, Domni ævo vocem *papa* solitariam reperiri tamquam de Romano pontifice dictam, et quidem in ipsis Chalcedonensibus gestis, in epistola Hilari ad Pulcheriam augustam, et in breviculo historiæ Eutychianistarum. Incipiam autem, ait Baluzius, a gestis concilii. In actione 1, inter Acta synodi Ephesinæ II, Julius episcopus vicarius papæ Leonis ait : *Prius papæ legatur epistola*, quod non solum in Latino textu legitur, sed etiam in Græco, qui ita habet : Πρὸ τὸν ἀναγνωσθῆ τῇ Πηρὰ τῶν πάπα ἐπιστάλεντα. Rursum in act. 2 reverendissimi episcopi clamarunt : *Papa Leo ita interpretatus est*; quod cum Græco congruit, ubi habetur sic : Ὁ πάπας Λέων οὗτος 504 ἡρμήνευσεν. Immo Evagrius, ista recensens, non posuit vocem Λέων in hoc loco, D sed ait simpliciter : Ὁ πάπας οὗτος ἡρμήνευσεν. Et id quidem in omnibus Evagrii editionibus Græcis. Ad Latinos quod attinet, epist. Hilari diaconi ad Pulcheriam augustam scripta post latrocinium Ephesinum, quæ ab eodem viro clarissimo relata est inter epistolas S. Leonis, satis magnam fidem facit consuesse tum Rom. pontifices appellari simpliciter papas. Sic enim ait : *Manifesta necessitas erat quæ litteras B. papæ ad vestram clementiam directas offerre compelleret* (*c*). Non utar auctoritate epist. Gallæ Placidiæ ad eamdem Pulcheriam augustam, in qua scriptum est : *Multitudine sacerdotum Romanus Leo papa circumdatus*, quia reponi posset vocem *papa* hic esse cum adjuncto. Breviculus Historiæ Eutychianistarum : *Superveniente Uranio subadjuvo*, et contra

(*a*) Actione 10 Concil. Chalced., tom. IV Concil. general., pag. mihi 1583 et seqq.

(*b*) Quesnellus, in laudata dissertatione, tom. II, pag. 249, sub num. 29 et seqq.

(*c*) Tom. I Operum S. Leonis, apud Quesnellum

Joannem jam episcopum sacra principis deferente, ab episcopatus illius confirmatione papa suspensus est. Sufficiunt autem, ut arbitror, illa quæ jam dicta sunt, ad infringendam vim illius argumenti quod adversum hunc locum Paschasius Quesnellus adduxit.

22. Quoniam vero multarum rerum congeriem in quam coegerat dissertationem noster adversarius, ut, pessumdata actione de Domno Antiocheno, Romanorum pariter pontificum auctoritas in episcoporum ordinationibus confirmandis et conciliorum decretis rescindendis prorsus aboleretur, pedetentim nobis opus fuit singula retractare, quæ in eadem dissertatione collegit. Verumtamen cum noster labor plurimum imminutus fuerit, clarissimi Stephani Baluzii studio et diligentia maluimus in nostrum præsidium ea transferre quæ ipse diligentissime annotavit, quibus nonnulla etiam ex nostra industria accessere quæ dictis in præcedentibus nostris Exercitationibus apprime responderent, quam ex integro novam Exercitationem contexere. Quoniam vero postremo loco idem Paschasius Quesnellus multos errores adduxit, et quidem grammaticales, qui irrepserunt in actionem de qua agimus, et annotaverit non esse ibidem descripta nomina eorum episcoporum qui huic actioni interfuerunt, adeoque suppositionis suspiciones magis augeri, quia ibidem Maximus preces exhibuit laicis judicibus in ecclesiastica causa, posthabitis episcopis principibus synodi, idcirco, ne indiligentes videamur, Quesnellianis etiam hisce scrupulis cum eodem Baluzio occurrere deliberavimus (*a*). Quod vero ad errores grammaticales pertinet, si Quesnelliana suspicio staret, omnia Chalcedonensia Acta, omniaque aliorum conciliorum generalium gesta supposititia dicenda forent, et ea potissimum quæ ex Græco sermone in Latinum translata fuerunt. An forte ignorat Quesnellus plurimum laborasse recentiores interpretes ut modo antiquam versionem haberemus quemadmodum saltem ea emendavit Rusticus? Quid vero de episcoporum nominibus? Non enim necesse erat ut post Domni actionem recitarentur. Illa nomina sufficienter fuerunt descripta in aliis actionibus, et regesta fuere in calce gestorum. Causa denique de qua agebatur non erat ecclesiastica dumtaxat, sed etiam civilis, ait Baluzius, cui nos non subscribimus in hac parte, cum ageretur de pensione danda Domno ex ecclesiasticis fructibus, voluntarie quidem ab ipso Maximo proposita in testimonium commiserationis erga Domnum exercendæ, qui quemadmodum ex canonum jure privatus erat titulo Ecclesiæ et beneficii, ita percipere non poterat fructus ex Ecclesia qua fuerat privatus. Quare ne ecclesiastica jura violarentur, synodi decretum erat interponendum, quod tandem tamquam testes laici judices probaverunt. Id enim significare Marciani imperatoris agendi rationem perspicuum est, qui, a synodo abscedens post fidei definitionem, jussit ut episcopi triduum aut quatriduum morarentur, et unusquisque id quod vellet proponeret coram magnis judicibus. Neque obstat quod judices et amplissimus senatus primo loco nominati fuerint. Nam **505** isti non assidebant tamquam ecclesiasticarum rerum arbitri, sed dumtaxat erant testes et præsidia exhibebant, ut sine jurgiis et contentionibus omnes causæ ad exitum perducerentur, ut ipsi probavimus in Exercitatione habita de quarta Chalcedonensi actione in causa Photii Tyrii, ibidem judicata, non juxta pragmaticas sæculi sanctiones, sed secundum leges canonicas.

23. Exhibitum tandem ibidem fuisse Domnum tamquam mendicum, et alimoniæ obtinendæ sollicitum, indecens et ridiculum valde esse postremo contendit Quesnellus. Domnum quippe ait tantæ sedis episcopum qualis erat Antiochena, quique, cum avunculi sui loco successit, opibus, amicis et auctoritate debuit pollere, non ad illum calamitatis profundum pervenire potuisse, ut alimenta ei omnino deessent, nisi successoris arbitrio provisum ei esset. Sed unde collegit Quesnellus hæc omnia, quæ modo confingit? Domnus ad synodum non venit, sumptus illos sibi dari non petiit, nullus alius pro eo id petiit, Maximus sponte sua id fecit. Immo si conferamus ea quæ in antecedentibus descripsimus cum Evagrii verbis, paulo ante laudatis, suspicari licet numquam ejusmodi taxatam pensionem Domnum percepisse, qui, sua sorte contentus, reliquum vitæ in monasterio absconditus transegit, nihil amplius commune cum Antiochensibus habens. Cætera vero quæ addidit Quesnellus ut supposititiam probaret actionem, quod videlicet a reliquarum Græcarum synodi Chalcedonensis corpore distracta sit, quod incertam sedem hactenus nacta, quod inducta longe post Acta collecta, prorsus nutant et corruunt. Quid? Si valerent adductæ rationes, jam consequens esset actionem de Photio et Eustathio, quæ Rustici, Liberati et Evagrii ævo distracta erat a corpore reliquarum Græcarum actionum, synodi Chalcedonensis, falsam esse et supposititiam. An non hæc inducta fuit longe post Acta illa collecta? Tamen cum eam reperiisset Balsamon in antiquo exemplari quo utebatur, et postmodum in aliis atque aliis codicibus conspecta fuerit, idcirco hactenus nemo eruditorum illam supposititiam esse judicavit, quoniam apprime respondet iis quæ contigerunt in latrocinio Ephesino et in duabus Constantinopolitanis synodis, in quibus actum est de Anatolii electione, ipsiusque in episcopum Constantinopolitanum ordinatione. Annon similes characteres et notas habere Domni actionem perspicue ex Chalcedonensibus gestis probavimus? Photii Tyrii pariter actio incertis sedibus jactata fuit. Nam in Balsamonis codice legebatur in fine gestorum. Modo vero in vulgatis editionibus ponitur in calce actionis quartæ. Facundi Hermianensis verba a Quesnello objecta nullatenus collapsæ suæ causæ præsidium afferunt. Ea enim non pertinent ad quæstionem institutam, cum nihil aliud ex Facundi Hermianensis silentio elicere possimus quam Domnum Antiochenum non fuisse damnatum in concilio Chalcedonensi, quod nos ipsi ultro jam dedimus.

24. Utinam ergo Quesnellus tantopere suis studiis indulgere non voluisset, modo commenta excogitando, modo fallacias contexendo; modo vero ad pravas violentasque interpretationes veterum PP. testimonia trahere satagendo, ut chimericum sibi propositum systema de Romanorum pontificum auctoritate propugnaret; adhibitis quam sæpissime iis virulentis conjecturarum fulcimentis, quæ ecclesiasticam antiquam historiam evertunt, sacram regiminis œconomiam abolent, novamque disciplinam canonibus contrariam inducunt. Quis vero affirmabit animum habuisse, laboremque suum insumpsisse in adornandis S. Leonis Magni scriptis? Profecto quicumque non cæcutiat nobiscum fateri debebit Leonina Opera ab eo fuisse deturpata, detruncata et in pravam significationem deducta, catholicæ Ecclesiæ hostibus ea arma suppeditando, quæ ipse tamquam clericalis ordinis presbyter ab eorum manibus eripere debuisset. Interim tandem mihi dolendum est quod hactenus quidam inventi sint qui, Quesnelli principiis insistentes, commentitiam esse hanc actionem propugnare publice ausi fuerint.

506 CAPUT VII.

De reliquis Chalcedonensis synodi actionibus et de postrema præcipue, in qua contra ecclesiasticos canones de Constantinopolitanæ sedis novo honore et prærogativis contra jura episcopi Alexandrini atque etiam Antiocheni, canon 28 conscriptus est.

1. Photii Tyrii, Theodoreti Cyrensis et Domni Antiocheni causis ad trutinam revocatis atque expeditis, prout nos edocent Chalcedonensis concilii Acta et S. Leonis epistolæ, vix grave aliquod nobis

(*a*) Baluzius, in nova Conc. collectione.

pertractandum superesset, si demum in ultima illius actione Anatolii ambitus in perniciem jurium aliarum Ecclesiarum principatum sibi nancisci non quæsivisset super cæteras principaliores Orientis Ecclesias, suam sedem quasi apostolicæ Romanæ sedi æquiparare concupiscendo. Ambitum vero hunc Anatolius ad synodi exitum usque multis simulationibus cohibuit. Sed facta tandem libera facultate ut in synodo particulares quæstiones moverentur ad quosdam præcavendos sive in posterum tollendos abusus, qui in ecclesiastica administratione contigerant, postremo sibi reservavit sua jura augere, aliorum honorem dejicere, et colore imperialis urbis, *novæ Romæ* appellatæ, immediate post apostolicam Romanam sedem primatum obtinere. Igitur fidei definitione jam facta, synodi PP., præter causas trium illorum episcoporum, aliam quoque Ibæ Edesseni recognoverunt. Is namque, Dioscoro agente, in latrocinio Ephesino absens et inauditus sacerdotio fuerat privatus. Propterea in suæ causæ præsidium imperatori libellum obtulerat, qui rem ad synodum detulit. Patres vero, examinatis Actis synodalibus Tyri atque Beryti, habitoque testimonio a clericis Edessenis, cum probatæ fidei et integræ vitæ a pontificiis legatis esset compertus, sacerdotio et suæ sedi restitutus est. Aliquid tamen de Nonno, qui Ibæ sedem acceperat, cum a synodo adhuc esset deliberandum, ad Maximum Antiochenum judicium fuit remissum. Huic autem placuit ut honore episcopatus non careret, donec aliter cum episcopis suæ diœcesis deliberaret. Addit præterea Quesnellus decretum editum fuisse de abolenda pseudosynodi Ephesinæ memoria, et e synodorum numero expungendam, rogandum imperatorem ut decreto vetaret ne synodus diceretur, ne ejus acta reciperentur. « Ordinationem (addit) Maximi jam S. synodus ratam habuerat, quia legitime ab episcopis provinciæ consecratus et in communionem sanctissimi patriarchæ Leonis admissus; quam ob rem superflua exceptio, quam pauci commemorarunt, cum etiam Ephesinis Actis accensendam non esse pronuntiarent legati sedis apostolicæ. Actio de Domno commentitia est, ut alibi probamus. » Hactenus Quesnellus, cum quo nunc novam instituere congressionem non intendimus. Sed duo pro pleniori rei veritate superaddere debuisset : alterum, jam pridem a S. Leone proscripta et abolita fuisse latrocinalia Acta, *eo quod contra canones facta sit synodus Ephesina, et Acta ejus judicentur illegitima nec rite facta.* Ita legimus in antiqua synopsi epistolæ 39 ad Theodosium augustum, quam habent mss. Vaticana exemplaria atque Florentinus cod., et eam servaverunt veteres editores, Surius, Bibliothecæ PP. et conciliorum collectores. Quamvis eam in adornandis S. Leonis Operibus Quesnellus expunxerit, aliamque omnino diversam sine auctoritate mss. in suam editionem induxerit, quemadmodum in notis observabimus. Ex hoc autem alterum sequitur, videlicet Paschasinum Leonis legatum, **507** pontificii decreti jampridem lati optime conscium, solemni declaratione in synodo facta, voluisse ut laudata Acta tamquam irrita et nulla proscriberentur; atque ut Eutychianæ factioni omne effugium præriperet, imperiali lege hanc sanctionem roborari quæsivisse, ut, videlicet, abolita præcedenti Theodosii publica lege, qua præceperat atque constituerat nemini licere abjicere seu infringere ea synodalia Ephesina Acta, quorum Dioscorus fuerat auctor. Clare id indicant laudati Paschasini verba. *Si ergo* (ait) *a beatissimo et apostolico Romanæ urbis episcopo omnia ibi gesta vana sunt habita, claret quia et sanctissimus episcopus Antiochenæ civitatis extra hæc est, quem et post hæc beatissimus episcopus in propria communione suscepit. Necessarium est enim ut rursus eumdem tranquillissimum et Christianissimum*

A *principem adeamus, quatenus illud concilium sacra et pia lege neque nominari præcipiat* (a). Ex quibus potius liquet jam pridem anno 449 sanctissimi summi pontificis Leonis Magni decreto irrita et abolita fuisse illius synodi Acta. Nec novi quidquam ab ipsis Chalcedonensibus Patribus fuisse definitum.

2. Bassiani, præterea, et Stephani controversia duas subsequentes actiones, 11 et 12, occupavit. Ille ex Ephesina sede depositus, alter subrogatus. Bassianum enim ab episcopatu Ephesino quem invasione obtinuerat, sancti pontificis Leonis Magni jussione, remotum fuisse, testabatur Stephanus, qui in ejus sedem fuerat subrogatus (b). Et quoniam ipse Stephanus per conjurationem *episcopatum sibimet acquisivit*, juste judicatum fuit ut alius eligeretur, *qui et fidem integre sciat, et vita noscatur ornatus ut esse possit episcopus.* Sequentibus duabus actionibus, 13 et 14, Eunomii Nicomediensis episcopi et Anastasii Nicæni lis cognita fuit. Et, prolatis in medium pro utraque B parte accusationibus, quatenus metropolitæ jus sibi usurpaverat Anastasius, se subtrahendo a Nicomediensis episcopi subordinatione, atque lecto canone 4 concilii Nicæni, quo statutum fuerat episcopum ab omnibus provincialibus episcopis ordinari, et Valentiniani lege pro Nicomediensibus facta, tandem judicatum est Nicæam, subditam Nicomediæ, honorem, non jus metropoliticum ei traditum edicto Valentiniani; et ex Nicæno concilio unam tantum esse metropolim in unaquaque provincia.

3. In sessione 14 de Perrhenorum episcopatu contentio fuit mota. Athanasius, qui, a suis accusatus, et pluries vocatus in judicium a Panolbio, et insuper ab ejus successore, et demum a Domno patriarcha Antiocheno concilium agente, adesse recusavit, idcirco depositus fuit, et Sabinianus in istius locum ordinatus per Dioscorum sede pulsus est. Causa ergo in synodo discussa remissa fuit ad Maximum Antiochenum, *et concilium quod cum eo est; ita tamen ut intra octo menses a præsenti die numerandos examinatio fieret.* C Si reus Athanasius, sede mulctaretur; sin innocens, restitueretur. Sabinianus vero honorem episcopi, non jus, retineret, *et pascatur* (aiunt) *sicut reverendissimus episcopus Antiochenorum Maximus secundum facultatem Perrhenorum sanctissimæ Ecclesiæ disposuerit.*

4. Summa pace et semoto omnium contentionum strepitu causæ omnes in synodo propositæ, recognitæ et expeditæ fuerunt. Sed cum Constantinopolitani clerici, Anatolii episcopi suggestione, ambitu ducerentur augendi honorem suæ Ecclesiæ, Patres rogarunt ut aliquid constituere dignarentur. Judices sibi cavere consuluerunt a dicenda sententia, et affirmarunt causam ad synodum pertinere, atque nulla interposita mora abscesserunt, eosdemque apostolicæ sedis legati secuti sunt. Nihilominus tamen PP. superstites, qui tum aderant, varios canones ediderunt; 30, ut habent Græci codices, quos Gentianus Hervetus interpretatus est, ut **508** in Labbei collectione apparet; D Latini autem 28, ex quibus postremus est de Constantinopolitana (c) sede in quo renovatum et confirmatum fuit quod sub Theodosio seniore, Nectarii tempore, in œcumenico concilio de ejus patriarchatu fuerat statutum. Quod cum legati pontificii cognovissent, sequenti die, hoc est kalendis Novembris, irritos reddere volentes injustos Anatolii conatus, *petierunt*, ut ait Liberatus diaconus (d), *ut rursus convenirent cum judicibus ad concilium. Quibus requirentibus a concilio quid pridie fuerit ordinatum*, lectis gestis, cognoverunt. Jussum itaque est decretum pridie illius diei sancitum legi; post cujus lectionem, illi adjacens subscriptio episcoporum recitata est, primoque loco positus Anatolius. Jure apostolicæ sedis legati reclamarunt, et præ cæteris Lucentius ita

(a) Acta Chalcedonen. concilii, tom. IV, p. 1587.
(b) Actione 11 Chalced., tom. IV Conc., pag. mihi 1614.
(c) Actio 14 exstat tom. IV Concil., p. m. 1678.
(d) Liberatus diaconus, in Breviario, cap. 13.

judices compellavit : *Primo gloria vestra perpendat qua circumventione cum sanctis episcopis gestum sit, ut non conscriptis canonibus, quorum mentionem fecerunt, subscribere sint coacti.* Et deinde ut prorsus irritos Anatolii et Constantinopolitanorum clericorum conatus redderet, qui, posthabitis Nicænis sanctionibus, prævalere contendebant canonem Constantinopolitanum centum et quinquaginta Patrum ante octoginta prope annos constitutum, hæc subjicit : *Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si numquam usi sunt, quare requirunt?* Post quæ requisiti legati exhibere mandatum quod a S. Leone acceperant, Bonifacius illud recitavit : *Sanctorum* (habet) *quoque Patrum constitutionem prolatam nullam patiamini temeritate violari, vel imminui, servantes omnibus modis personæ nostræ in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem. Ac si qui, forte civitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis.* Anatolii, atque etiam Constantinopolitanorum clericorum maximum ambitum a longe etiam subodoratum fuisse S. Leonem Magnum, quis non intelliget?

5. Ad canones interim ab utraque parte provocatum est; et Paschasinus recitavit quintum Nicænum pro diœceseon distinctione, cujus est illud exordium : *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Sed, oblato alio Nicænorum canonum codice, Aetius diaconus Constantinopolitanæ sedis illum obtruncavit, et deleto illo exordio, sextus canon aliis verbis et ordine conscriptus injectus est, et statim subjectus fuit canon concilii Constantinopolitani sub Nectario. Verum cum tandem propter subornationes judicumque circumventiones itum fuerit in Anatolii sententiam, Lucentius sequentem protestationem interposuit. *Sedes apostolica, quæ nobis præcipit præsentibus, humiliari non debet. Et ideo quæcumque in præjudicium canonum vel regularum hesterna die gesta sunt, nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus ut circumduci jubeatis; sin alias contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noverimus quid apostolico viro universalis Ecclesiæ papæ referre debeamus, ut ipse aut de suæ sedis injuria, aut de canonum eversione possit ferre sententiam.* Latius et abundantiori stylo hanc historiam descripsit Baronius, quem lectores consulere poterunt ad refellenda quæ Paschasius Quesnellus de Romanæ Ecclesiæ privilegiis commentus est, contendendo « hæc derivata esse a PP. propter imperium Romanum : centum quinquaginta Patres sub Nectario Constantinopoli congregati paria privilegia Constantinopolitanæ tribuerunt; quia nova Roma imperio et senatu sicut vetus ornata sit (*a*). » Verumtamen, ne hoc Quesnellianum assertum, quod ad fundamentum catholicæ hierarchiæ et societatis sensim labefactandum et evertendum ordinatum est, sine debita censura prætereamus, necessarium ducimus illud conferre cum præcedenti protestatione a Lucentio episcopo facta. Duo enim habet Lucentius in ea : alterum eo canone vigesimo octavo sedem **509** apostolicam humiliari, eidemque injuriam inferri; alterum vero canones everti; de quibus *ab apostolico viro universalis Ecclesiæ papa* ferenda erat sententia. Aliquibus tamen, qui sedulo istius canonis vim et scopum non scrutentur, videri posset eo nec Romanam Ecclesiam humiliari, nec injuriam pati potuisse, sed utrumque potius redundasse in perniciem Alexandrini et Antiocheni episcoporum, quorum alter secundum locum, alter vero tertium inter patriarchas pacifica et inveterata possessione obtinuerat. Cum igitur salva et integra, absque ullo prorsus injuriæ vestigio, antiqua privilegia Romanis pontificibus adjudicarentur, non apparet cur tam vehementer apost. sedis legati debuissent commoveri, atque tantopere reluctari decreto quod solos Orientales patriarchas inter se consentientes respiciebat.

A Ita profecto ratiocinari possent quos apostolicæ sedis jura prorsus laterent, et qui laudati decreti vim, ordinem atque rationem non assequerentur. Et primo illius decreti vis in eo posita erat, ut ex urbium splendore et magnificentia, principum et magistratuum gloria, episcopalium sedium honor, dignitas et privilegia derivarent, nullo habito prorsus respectu vel ad divinam institutionem, vel ad apostolos, qui ipsas Ecclesias fundarunt; hoc enim legati pontificii sine apostolicæ sedis injuria dare non poterant. Nec enim istius super omnes episcopos primatus, et in universam Ecclesiam regimen, ex quadam ecclesiastica dispositione et canonum sanctione derivabat, sed ab ipso Domino, qui Petrum suum vicarium et caput totius ecclesiastici cœtus constituit, cujus potestatis prærogativæ legitimo successionis jure in Romana Ecclesia manent perpetuoque mansuræ sunt. Hocce divinum apostolicumque jus plane et multo studio, quasi quod parvipendendum esset, reticuerunt in eo canone. Quamvis in priori, tertia et sexta B actione, et alibi passim, Romano episcopo Leoni illud asseruerint, et etiam in synodica epistola, ut paulo post annotabimus. Igitur Lucentius apprime intelligens suis legitimis juribus Rom. pontificem esse fraudatum, et illum ecclesiasticæ hierarchiæ ordinem a Christo Domino derivatum aboleri, nulla alia dispositione servata, nisi ea quæ ex civili Rom. imperii administratione oriebatur, ad quam Ecclesiæ canones respexisse contendebant; ideo merito protestatus est, dicendo apost. sedem humiliari non debere, nec gravem hanc injuriam pati posse.

6. Quod si deinde illius canonis ordinem et rationem spectemus, hæc vim et injuriam Romano pontifici cæterisque patriarchis intulisse quis non videt? Neque enim concilii Patribus quidquam definire licitum erat quod aliqua ratione a Nicænis canonibus discordaret : *Nam quod ab illorum regulis constitutioneque discordat, apostolicæ sedis numquam obtinebit consensum* (*b*). Igitur et in hac parte pontificiæ au- C ctoritati grave vulnus inferebatur, quoniam Nicæni canones evertebantur, quorum observantiam toto animi conatu Romani pontifices necessario curare debebant. Qui quemadmodum propriæ sedis jura infringi numquam sinebant, ita nec aliena ab ambitiosis surripi permittere debebant. Quod si in canonum regulis ad indulgentiam lapsis concedendam pœnarumque relaxationem synodorum Patres inconsulto Romano episcopo, ut vidimus, dispensare non poterant, quanto magis id cautum esse debebat cum ageretur de abolendo sexto Nicæno canone et evertendis juribus Alexandrini et Antiocheni patriarchatus?

7. Et quod ad Alexandrinum patriarchatum spectat, Constantinopolitanorum clericorum et ipsius Anatolii nimis fraudulentam agendi rationem attendamus. Deposito jam episcopo Dioscoro, qui acerrime pro suæ sedis privilegiis tuendis etiam contra juris regulas semper decertavit, ut in sexto, septimo D et octavo prioris libri capitibus vidimus, nemo in ultima **510** actione aderat qui posset Constantinopolitanorum ambitum retundere, horumque conatibus se opponere. Ecclesia enim illa legitimo pastore erat adhuc privata. Et quamvis in sexta actione jussum fuisset Ægyptiis episcopis ne Chalcedone recederent, sed novi episcopi electionem exspectarent, hæc tandem tamdiu prolata est, quamdiu concilium absolveretur, nec quisquam adesset qui se gravatum profiteretur de jurium usurpatione. Quam graviter deinde Alexandrinæ sedis jura vulnerata fuerint in iis quæ ad episcoporum Asianæ, Ponticæ, Thraciæ provinciarum ordinationes pertinebant, nemo est qui ignoret. Nam Anatolius, adductus colore schismatis in posterum præcavendi, harum ordinationum habendarum honorem sibi suæque sedi vindicare stu-

(*a*) Quesnellus, tom. II, pag. 161, colum. 1, ad actionem 15 Chalcedonensis synodi.

(*b*) S. Leo M., in epist. ad Maximum Antioch., cap. 5.

duit, quamvis Thraces reluctati fuerint, et non pauci aliarum provinciarum, qui circumvenirl non potuerunt, protestati fuerint antiquitus traditas regulas horumque ordinem haud esse immutandum. Copiosius et eruditione qua pollebat totam hanc controversiam descripsit, illustravitque doctissimus Christianus Lupus in appendice ad Chalcedonense concilium, pag. mihi 1011, ad quam lectores remittimus. Addimus dumtaxat verba laudati canonis 28 ab omnibus posse lustrari apud Conciliorum collectores, et nos interim magis ordinata methodo gradum faciemus ad ea quæ a S. Leone gesta sunt pro isto canone abolendo.

CAPUT VIII.

De iis quæ post Chalcedonensem synodum in Anatolii favorem gesta sunt. PP. synodi generalis, Marciani et Pulcheriæ augustorum epistolæ ad S. Leonem pro confirmando ratoque habendo 28 laudato canone. S. pontificis agendi ratio in eodem canone irritando atque cassando. Paschasii Quesnelli interpretationes recensentur. Launoii tandem in doctissimum cardinalem Bellarminum censuram tamquam falsam et injustam rejicimus.

1. Gravissimo illato vulnere Chalcedonensibus Actis ab unius Anatolii ambitu, huic pro viribus ipsi Orientales mederi curarunt, cum in epistola synodica post synodum ad S. Leonem scripta, tum conquisito et nacto sibi Marciani imperatoris et Pulcheriæ augustæ præsidio, quo strenue egerunt ut idem S. pontifex vigesimum octavum canonem de Constantinopolitanæ Ecclesiæ privilegiis minime aboleret, sed cum aliis sanctionibus firmaret, ratumque haberet. Anatolius præterea secum reputans operam atque honorem quibus impense S. Leonem et legatos pontificios usque ad illam diem fuerat prosecutus, sibi blandiebatur pontificis animum posse suis epistolis leniri, si, in mentem revocatis quæ hactenus in catholicæ fidei testimonium et apostolicæ sedis honorem et famulatum præstiterat, dignam aliquam mercedem pro tot laboribus exantlatis rependere voluisset. Credidit quoque Julianum episcopum Coensem, qui apud Orientales vicarii apostolici munere fungebatur, posse suis votis prodesse. Atque propterea hujus officia interponere non distulit, ut nimirum, sequestris partibus assumptis, et ipse apud eumdem sanctum pontificem ageret ut Constantinopolitani episcopatus jura et privilegia augerentur. Ad quorum omnium agendi rationem cum sedulo ego attendissem, certo mihi persuasi totius Orientis maxime episcopos in synodis generalibus congregatos, et imperatores ipsos, firmiter credidisse nulla conciliorum decreta in Ecclesia robur obtinere, et canonis rationem habere **511** posse, quæ a Romano pontifice non essent probata, immo omnibus viribus cadere, quoties expresse definita reprobentur, ut perspicue explicavimus in præcedenti libro, et potissimum in capitibus 4, 5, 6, et novissime indicavimus ex mox dictis ad actionem 11 istius Chalcedonensis concilii.

2. Atque ut vere et solide disseramus, primo annotare liceat quid de vigesimo illo octavo canone in sua synodica scripserint ad S. pontificem. Præterea attendamus hac occasione ibidem vocasse Leonem *vocis beati Petri* legitimum interpretem, illique supremi capitis principatum sincera confessione adjudicasse, contra quem suam insaniam Alexandrinus antistes Dioscorus expleverat, excommunicationem meditando. Gloriosa tandem assecuta victoria post tot tantasque clades, quibus trium annorum spatio Ecclesia Orientis potissimum afflicta remanserat, lætantur, quia S. P. *Ecclesiæ corpus unire* feliciter festinaverat. Subdunt deinde : *Hæc sunt, quæ tecum, qui spiritu præsens eras, et complacere tamquam fratribus deliberasti, et qui pene per tuorum vicariorum sapientiam videbaris a nobis, effecimus.* Quantum igitur laudant fidei triumphum summa felicitate S. Leonis præsidio, sapientia atque influxu assecutum, tantum studium impendere conantur, ut ipsi persuadeant pacis et quietis desiderio adductos fuisse ad definitionem quorumdam statutorum quæ Ecclesiarum incolumitati prospicerent : *scientes* (aiunt) *quia et sanctitas vestra addiscens et probatura, et confirmatura est eadem.* Quorum statutorum confirmationem ut facilius assequerentur, ad eam consuetudinem provocant, *quæ ex longo jam tempore obtinuit, quam habuit Constantinopolitanorum sancta Dei Ecclesia ad ordinandos metropolitanos provinciarum tam Asianæ quam Ponticæ, et Thraciæ, et nunc synodali decreto firmavimus, non tam sedi Constantinopolitanæ aliquid præstantes, quam metropolitanis urbibus quietem congruam providentes, eo quod frequenter episcopis vitam finientibus multæ turbæ nascuntur, clericis ac populis qui per easdem sunt civitates absque rectore remanentibus, et ecclesiasticum ordinem confundentibus.*

3. Hoc igitur quæsito ecclesiasticæ tranquillitatis colore, quo sibi bona multa polliceri affirmabant, a quacumque censura vindicare conabantur eos audaciæ ausus, quibus vetusta disciplinæ consuetudo pessumdabatur. Quare ne S. pontifex ægre ferret quod a se constitutum judiciorum ordinem minime in concilio servassent, et præter legatorum institutiones, jussa et protestationes ad illa condenda statuta venissent de quibus agunt, in ipsius mentem revocant præterita Ecclesiæ Ephesiorum dissidia, æmulationes et jurgia, *unde quidam vobis sæpius fuerunt importuni.* Narrant deinde quemadmodum canonem Constantinopolitanum confirmaverint, decernentes *post vestram sanctissimam et apostolicam sedem honorem habere Constantinopolitanam* (*quæ secunda est ordinata*). Quare enixe S. Leonem exorant ut suis pontificiis decretis jam factum judicium honorare dignaretur, de qua supplicatione cum ipsi jam verba fecerimus in priori libro, cap. 6, ideo non est cur iterum de eadem disseramus. Solam hanc Chalcedonensium Patrum synodicam epistolam, cum quandoque tacitus mecum considerassem, haud parum animo commovebar in eos qui conciliorum etiam generalium canonibus omne robur, et vim adjudicare ausi sunt, quacumque apostolicæ sedis approbatione et confirmatione semota. Quinimmo magis commovebar, oculos conjiciendo in alteram epistolam ab imperatore Marciano conscriptam. Qui quamvis civilium rerum administrationi vacare assuetus, et nimio studio laboraret imperialis urbis honorem et prærogativas augendi, tamen arbitrabatur nec a se ipso nec a synodi decreto illud honoris incrementum pendere posse, nisi ab ipso Romano summo pontifice ratum atque firmum redderetur.

4. Igitur et ipse imperator, postquam Leoni et sibi gratulari censuit, **512** *quod, explosa omni contentione et discordia quam livor fidei inimicus objecerat...*, narrat quemadmodum et ipse sanctæ synodo interesse festinasset, *quamvis*, ait, *nos in aliis locis expeditiones et necessitates publicæ detinerent.* Deinde paucis describere pergit quemadmodum in synodo cuncta cum veritatis triumpho et fidei gloria processissent, *cum juxta litteras* (subjicit) *sanctitatis tuæ universi assenserunt expositioni prout veritas postulavit.* Veniens tandem ad decretum Constantinopolitani concilii, in hac synodo iterum renovatum, vel confirmatum, pontificem interpellat, *ut etiam dignetur huic parti proprium adhibere consensum. Quamvis reverendissimi episcopi, qui tuæ religionis vicem agentes ad sanctam synodum convenerunt, contradixerint* (a).

(a) In describenda hac Marciani epistola Lucæ Holstenii versionem sumus secuti, quamvis Paschasius Quesnellus in altera Operum sancti Leonis editione 1700, addito Græco textu aliam exhibuerit. Factam ab Andrea Arnoldo Norimbergensi, quam Lectores facile consulere poterunt, quamvis revera a præcedenti Holsteniana non plurimum discordet.

Easdem quoque sequestris partes hac de causa Pulcheriam augustam subiisse, idem S. Leo patefacit ex epistola ad eam rescripta. Et quamvis ejusdem Pulcheriæ epistola de hocce argumento hactenus ab eruditis desideretur, tamen ex Leonina responsione fit manifestum Anatolium et Constantinopolitanos clericos multam fiduciam collocasse in officiis quibus tantæ virtutis et auctoritatis mulier suam operam impendebat. Non minorem quoque sollicitudinem pro hocce negotio adhibuit Julianus episcopus Coensis, cujus epistola etsi nondum lucem aspexerit et temporum injuria forte deperdita sit, tamen cum S. pontificis epistola supersit, qua eum increpat quod nimirum Anatolium amaverit, volueritque illi favere in illicita causa contra universalis Ecclesiæ statum, ideo hunc quoque sequestris partes obiisse jam manifestissimum est.

5. Anatolius ipse tandem minime diffidens posse pontificium animum movere ad concedendum quod maximo ductus ambitu appetebat, satis prolixas summo pontifici litteras dedit, totumque studium adhibuit ut sese in ipsius clientelam insinuaret, ipsique persuaderet novo Constantinopolitanæ sedis honore adaugeri Romani episcopatus prærogativas, ea ratione, quod filiorum honos totus in parentum gloria redundet. Hanc Anatolii epistolam in præcedentibus editionibus desideratam ipsi indicavimus cap. 5 prioris libri historiæ Eutychianorum, pag. 352 et sequenti; eamque, ut diximus, ex Vaticano Græco ms. cod. exscripsimus, anno 1738, et Latinam reddidit cl. dominus Franciscus Mariani in Vaticana bibliotheca Græcarum litterarum scriptor et interpres.

6. Interim vero in horum litteris percurrendis S. pontificis animus nec leviter moveri potuit, ut, posthabitis Nicænis sanctionibus, Anatolii ambitui indulgeret, seseque flecteret ad sæculi potestatum et totius synodi supplicationibus annuendum. Quare die undecima kalendarum Junii anni quadringentesimi quinquagesimi secundi, arrepto calamo, ad præcedentes indicatas epistolas respondit, ea usus animi constantia et fortitudine quæ summum et universæ Ecclesiæ pastorem maxime decebat. Et primo quidem verba faciemus de epistolis ad Marcianum et Pulcheriam, quæ in Quesnelliana editione primum quoque locum obtinuerunt. Imperatorem igitur in sua epistola S. Leo alloqui aggrediens, de fidei victoria magno divinæ misericordiæ munere in totam Ecclesiam redundante, gaudendum esse profitetur, et, quibusdam subjectis, ex Scripturarum testimoniis mutuatis, quæ duarum naturarum in Christo Domino post unitionem existentiam manifestant, statim in altero epistolæ capite, injustum Anatolii ambitum exagitat, cum potius illi consulendus esset, ut, *ordinatorum suorum errorem deserens, in assensum catholicæ fidei salubri correctione transiret.* Eutychiana enim quandoque Anatolium fuisse tinctum fuligine rationabiliter 513 S. Leo semper dubitavit, utpote qui erat Dioscori apocrisiarius, et ab Eutychiana factione, et a Chrysaphii Eunuchi artibus post Flaviani necem ad Constantinopolitanam sedem assumptus. Quem sane numquam summus pontifex in communionem assumpsisset, nec ipsius electionem ordinationemque ratam habuisset, nisi Marcianus ipse atque Pulcheria suis supplicationibus pontificium animum vicissent, et nisi Anatolius publicam fidei confessionem coram toto clero et Constantinopolitana plebe in manu legatorum pontificiorum edidisset, quos hac de causa præcipue Constantinopolim direxit, ut vidimus in priori libro, cap. 12. Hæc omnia ergo in imperatoris mentem modo revocat S. Leo, dicens: *Custodire tamen debuit, ut quod vestro* (plerique codd., ut notant Baronius et Quesnellus, in margine habent, *nostro*) *beneficio noscitur consecutus nullius cupiditatis pravitate turbaret.* Et quia imperator et Pulcheria augusta pro Anatolii fide spoponderant ut in communionem apostolicæ sedis reciperetur, ideo subjicit: *Nos enim vestræ fidei interventionis habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis auctores ejus initia titubarunt, benigniores circa ipsum quam justiores esse voluimus.* Indicare enim intendebat Anatolii ordinationem, utpote factam ab hæreticis atque schismaticis, prorsus illicitam fuisse, et Anatolium potuisse ab episcopali ministerio deponi, utpote iis canonicis pœnis irretitum, propter quas a sacro obeundo munere perpetuo præpeditus atque suspensus remanere debuisset. Quare in testimonium benignitatis erga Anatolium adhibitæ, ad tollendas *perturbationes omnes quæ, operante diabolo, fuerant excitatæ,* (ait) se usum fuisse iis lenitatis remediis *quæ illum modestum magis quam immoderatum facere debuerunt.* Et quia causam agebat cum Christianissimo, religioso et vere orthodoxo principe, cui studium fidei et ecclesiasticæ disciplinæ tuendæ cordi esse solebat, altiora adhuc fundamenta datæ repulsæ assignat. Ea videlicet, ut etsi Anatolius nullis prorsus sordibus fuisset aspersus, *sed præcipuis meritis optimoque judicio legitime fuisset ac solemniter ordinatus, contra reverentiam tamen canonum paternorum, contra sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragiis adjuvari.* Igitur posteaquam asseveravit nec ratum habere velle nec assensum præbere posse canoni de quo quæstio agebatur, protestatur nequaquam gloriam Constantinopolitanæ urbis derivatam ab imperatorum auctoritate atque potentia diminutam remanere posse, etiamsi illius urbis antistes ad altiorem gradum et ordinem non ascenderet. *Alia tamen* (ait) *ratio est rerum sæcularium, alia divinarum; nec præter illam petram quam Dominus in fundamentis mire posuit, stabilis erat illa constructio; sed propria perdit, qui indebita concupiscit.* Atque discrimen afferens inter regiam urbem et apostolicam sedem, Ecclesiarum privilegia unde deriventur indicavit, subjiciendo: *Privilegia enim Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla violari novitate. In quo opere* (sequentium verborum pondus animadvertere lector noster non negligat), *auxiliante Christo, fideliter exsequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita, et ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me, quod absit, conivente, violentur, et major sit apud me unius fratris voluntas quam universæ domus Dei communis utilitas.*

7. Jam vero si in his rebus conscribendis brevitatis studio nimis non urgerer, latissimus mihi aperiretur campus eorum systema evertendi qui Romanos pontifices conciliorum sanctionibus subesse fabulantur, uti etiam judicare voluit Quesnellus subdole ad marginem illius loci annotando: « Canonibus obnoxius pontifex Romanus, iisdem famulari debet in dispensationibus. » Non enim aut Romanorum pontificum universalis auctoritas 514 limitatur, neque ipsi Romani pontifices conciliis subesse dicuntur, si, in iis quæ ad universale Ecclesiæ regimen spectant, regulas sanctionum *spiritu Dei instruente conditas* custoditas volunt, et ut fideliter exsecutioni demandentur satagunt. Possunt tamen Romani pontifices in Ecclesia agere quod a generalibus conciliis facere cautum est. Immo possunt abolere, in irritum mittere, reformare, et tamquam nulla declarare synodorum statuta quæ ecclesiasticis regulis repugnent, quæque ad disciplinæ ordinem et œconomiam subvertendam ordinata sunt; quæ sane nullum argumentum suppeditant eos conciliis generalibus subesse; sed potius concilia ipsa vim et auctoritatem a solis Romanis pontificibus obtinere. Et quidem cum canonum *dispensatio*, auctore ipso Leone, soli Romano pontifici credita sit, et ad hujus tendat reatum, si, posthabita universæ Ecclesiæ utilitate, apud eum prævaleat unius fratris voluntas, ambitus atque libido cæteris dominandi, jam quæstio non amplius in ea versatur,

an Rom. pontifex supra concilia habeat auctoritatem, sed in quibus circumstantiis et casibus ea uti debeat, ne dispensationes ad ipsius reatum tendant; cæterum in iis quæ ad ecclesiasticum spectant regimen, solius justissimo Domini Dei subdi judicio, qui numquam sine ullo reatu permitteret ut regulas per Spiritum sanctum inspiratas ab ipso violarentur et perverterentur.

8. Verumtamen ista prætereamus, quæ fusius explicari possunt ab iis qui in scholis talia argumenta tractare solent. Unum aliud dumtaxat subjicimus, quod ad canonum custodiam et observantiam spectat, a quibus cum recessisset Anatolius, Patrum mandata contemnendo, nova testimonia sui ambitus exhibuerat in ordinatione Maximi episcopi Antiocheni, quam sibi sine ullo exemplo usurpaverat. Hocce novum crimen tamquam paci et sacerdotali concordiæ contrarium S. Leo dissimulare voluit; hancque ordinationem non retractasse asseverat *amore reparandæ fidei et pacis studio, cum aliunde Anatolio minime licuisset Antiochenæ Ecclesiæ sine ullo exemplo contra instituta canonum episcopum ordinare.* Irritam enim et nullam jure hanc ordinationem sine ulla difficultate declarare potuisse asseverat. Quod solius fidei et pacis studio facere prætermisit. His ergo aliisque gravissimis rationibus adductis, imperatorem Marcianum reverenter exorat, ne hujusmodi repulsam ægre ferat; huncque obtestatur ut *sedula suggestione ausus improbos unitati Christianæ pacique contrarios ab omni pietatis vestræ* (ait) *abdicetis assensu, et fratris mei Anatolii nocituram ipsi, si persliterit, cupiditatem salubriter comprimatis.* Tandem Lucianum episcopum et Basilium diaconum, qui imperialia scripta ad eum detulerunt, partes susceptæ legationis implevisse testatur. *Nec enim* (ait) *est æstimandus negotio defuisse, quem potius causa deseruit.* His verbis epistolam clausit undecimo kal. Junii, ut diximus, anno 452. Quesnellus in altero tomo suæ editionis hanc epistolam notis et observationibus adornavit (*a*). Et, recensitis primo variis lectionibus quæ in aliorum editis et mss. codd. occurrunt, quæstionem movet super illa verba cap. 3, videlicet : *Non dedignetur regiam urbem, quam apostolicam non potest facere sedem.* Sedes autem, seu Ecclesiæ apostolicæ non una ratione dicuntur, ait. Sed istam nuncupationem ob sex potissimum causas Ecclesiis veteres scriptores tribuere consuevisse, cum ex Tertulliano, Theodoreto, et Augustino asseverat, minime indicata potissima ratione qua Romana Ecclesia, *apostolica sedes* a S. Leone passim appellata fuerit. Ait ergo : Romana sedes apostolica ἀντονομαστικῶς appellatur, quia a principibus apostolorum fundata et utriusque sanguine consecrata fuit. Subdit hanc denominationem aliis et aliis de causis convenire Ecclesiæ Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymorum, Ephesiorum, atque nonnullis, juxta PP. diversas loquendi formulas, quas ibidem describit. Quid vero ex tam incongruo eruditionis **515** apparatu lectoribus insinuare voluerit, prorsus ignoro. Immo si suspicari mihi liceret, conjicerem eo voluisse Romanorum pontificum prærogativas minuere, cum principaliorem causam reticeat ob quam Romana sedes apostolica appelletur. Dato igitur quod aliorum Ecclesiæ ob alias et alias acceptiones honoris causa a veteribus apostolicæ dictæ fuerint, nulla tamen principalius, et cum omni proprietate talis dicta est, nisi sola Romana sedes, in qua divi Petri auctoritatem vivere et perpetuo duraturam esse S. Leo ipse innumeris locis fassus est, quamque hæreditario jure Romani pontifices ipsius Petri successores in universum Ecclesiæ corpus diffundunt, ut nihil prorsus in cæteris membris esse possit quod ab isto capite non dimanet. Hanc prærogativam specialem quidem numquam ha-

A bere potuerunt, aut Alexandrina, aut Antiochena, vel quæcumque alia Ecclesia, cui secundum varias acceptiones nomen illud *apostolicum* tributum sit, ut videre est ex ipso Leone, vel in sermonibus habitis in anniversario die suæ assumptionis ad pontificatum, vel in epistola ad Anastasium Thessalonicensem vel ad Theodosium imperatorem, vel ad Galliarum episcopos, et in epistola ad Pulcheriam augustam, in causa de qua agimus ut mox videbimus (*b*).

9. Non itaque Romana Ecclesia apostolica sedes dumtaxat dicta est quia apostolorum sanguine fundata et consecrata fuit; sed quia divi Petri apostoli auctoritas illiusque in Ecclesia universali principatus adhuc vivit, et perdurat in Rom. pontificibus, ut etiam in epistola 79 ad Pulcheriam ipse S. Leo asseverat. In iis enim quæ ad ecclesiasticum regimen spectant, nihil agunt Romani pontifices sine divi Petri auctoritate, quod privilegium certe nulli alii episcopo datum est, cum ipsi hæreditaria successione

B concessum fuerit ut cæteris episcopis præsiderent. Hinc ergo S. pontifex Leo sibi in omnibus scriptis mire concinens, hac divi Petri auctoritate uti voluit, cum in irritum misit prorsusque cassavit canonem illum de Constantinopolitani episcopi primatu, injuria ab Anatolio sibi usurpato. Etenim, postquam dixerat haudquaquam posse suffragari Constantinopolitanæ sedi canonem illum, jam a sexaginta annis Theodosii senioris tempore editum, ad quem Anatolius multa jactantia provocabat : *Nam* (ait) *sexagesimus fere annus hujus conniventiæ esse jactatur, qua se prædictus episcopus æstimat adjuvari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiam si quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere;* gradum facit ad reprimendum elationis spiritum, qui Anatolio dominabatur. Idcirco modestiam humilitatemque Flaviani ei imitandam proponit : *Cujus si* (ait) *velit splendere virtutibus laudabilis erit, et in omni loco plurimum dilectionis acquiret, non ambiendo humana, sed promerendo divina. Hac autem observantia meum quoque*

C *illi animum spondeo copulandum, et apostolicæ sedis dilectionem, quam Constantinopolitanæ Ecclesiæ semper impendimus, nulla mutabilitate violandam.* Hinc tandem ad canonem illum consensione episcoporum editum, legatis pontificiis reclamantibus, veniens, prorsus in irritum mittit, et per *auctoritatem* (ait) *beati Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus, in omnibus ecclesiasticis causis his legibus obsequentes quas ad pacificam observantiam omnium sacerdotum per trecentos decem et octo antistites Spiritus sanctus instituit.* Sibi grave incommodum afferri ex his verbis præsensit Quesnellus. Quod ut diminueret et devitaret plurimum operis adhibuit. Quare, dissimulatis prorsusque neglectis prioribus illis verbis, *per auctoritatem beati Petri apostoli generali prorsus definitione*, in quibus totum gravissimum hujus sententiæ pondus adest, quæque quali quantaque auctoritate in ecclesiasticarum rerum administratione Romani pontifices polleant sine ulla **516** ambigui-

D tate manifestant, dumtaxat ad hanc vocem, *Cassamus*, attendendum esse censuit, dicendo : « Idem hoc verbum usurpat in sequenti epistola, necnon epist. 73, cap. 1, et 99, cujus vocis non idem semper est significatus. Plerumque enim idem est ac irritum facere; aliquando autem cassari idem est ac irritum esse et omni auctoritate vacuum; nonnumquam etiam idem est cassare ac irritum declarare, et cassum declarare, et cassum pronuntiare; et hoc modo sumi mihi videtur in præsenti a divo Leone. » Sed frivolum, atque fictitium esse hoc Quesnelli assertum, probat imprimis totus illius sententiæ textus. In priori enim sensu a Quesnello indicato adhibuisse Leonem vocem illam *cassamus*, perspicue innotescit ex modo et agendi ratione ipsius S. pontificis, qui ait beati Petri

(*a*) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis M., pag. 885, col. 1.

(*b*) Consule cap. 9 prioris lib., in causa appellationis S. Flaviani ad apostolicam sedem, pag. 393.

personam agere, et istius auctoritate uti ad proscribendum penitusque abolendum canonem illum, jam a concilio editum, et apostolicæ sanctæ sedi propositum, ut hunc confirmaret ratumque haberet. Quis porro non videt tunc veras supremi judicis partes obiisse Leonem? Cum videlicet ageretur de servandis Ecclesiarum juribus, illi opus erat infirmare, abolere, et omnibus viribus privare solemnem contractum per mutuum partium consensum in concilio celebratum, quo Constantinopolitanus antistes sibi vindicabat eas prærogativas quas illi sponte Antiochenus episcopus cedebat, et illas quæ Alexandrinæ conveniebant Ecclesiæ, tunc præsulem non habenti, cui nemo Orientalium episcoporum patrocinari visus est, vel quia regiæ urbis gloriam, amplitudinem et potentiam exoptabant, vel quia sibi persuadebant quod, semel adjudicatis Constantinopolitano episcopo ordinationibus provinciarum Ponticæ, Asianæ atque Thraciæ, magis consuleretur illarum Ecclesiarum tranquillitati et paci. Contractui autem illo tam solemni nemo ex illis PP. se opposuit, si legatos pontificios excipiamus. Immo unus ex his, Julianus videlicet, episcopus Coensis, apostolicæ sedis vicarius apud Orientales, in cæterorum abiens sententiam, Constantinopolitano episcopo, post Romanum, primatum adjudicavit; ita ut concilii Patres non tantum solemnes testes fuerint illius initæ jurium transactionis, sed judices etiam, illamque in publicas conciliorum tabulas inferri jusserint, illique sponte sine coactione et metu subscripserint. Non ergo vigore et auctoritate vacuam dumtaxat dicendam esse arbitramur in sensu a Quesnello usurpato, qui Leoninis verbis vim inferens subdit: « Quod autem omni penitus auctoritate vacuum, quod sine cunctatione statim ac præsumptum est cassatur; quod ab initio sui caducum est, dudumque collapsum, nulla sententia, nulla auctoritate necessum est cassum et irritum effici, sed tantummodo irritum et cassum declarari et denuntiari. Quod hic facit Leo ut canonum custos et exsecutor, unita secum imperatoriæ fidei pietate. » Quod enim ex hac infirma et dumtaxat fictitia ratione? Oportebat primo eum animadvertere, aut non dissimulare, S. P. loquendi formulam, qui præfata D. Petri auctoritate uti asseverat, quando pronuntiat: *Generali prorsus definitione cassamus.* Hæc certe verba a judicibus apud jurisconsultos usurpata esse, ad indicandam *definitivam sententiam, quæ ultimo datur, et rem totam absolvit*, legitur in cod. de sententiis Unde nemini amplius licere poterat vel novum judicium instituere, vel aliter pontificiam definitionem interpretari; quæ cum generalis esset, omnes singulasque cujuscumque ordinis, gradus et qualitatis personas afficiebat, illique sub schismatis pœna omnes obtemperare debebant.

10. Nec sane mihi objici potest laudatum canonem Nicænis sanctionibus repugnasse, cui ne vulnus inferretur S. Leo, tamquam canonum custos et exsecutor, permittere haud poterat. Nam rogabo Quesnellum an PP. Chalcedonenses id ignorassent? Non ignorasse perspicuum est. Nam Nicæni canones, et sextus perspicue instante Paschasino, et iterum in synodo lectus est, et ab omnibus fuit auditus. Igitur illi PP. vel indicarunt **517** canonem illum 6 Nicænum in posterum suffragari non posse Alexandrino et Antiocheno patriarchis propter alias et alias rerum atque temporum circumstantias, vel arbitrati sunt pollere auctoritate obsoletos faciendi et antiquandi veteres canones, novosque condendi, qui ad meliorem tutioremque Ecclesiarum administrationem et tranquillitatem pertinerent, in iis quæ ad disciplinam et œconomiam referuntur. At qualecumque eorum fuerit judicium, Leo abolevit, cassavit, irritum fecit. Cum itaque hoc non tamquam particularis, sed universalis episcopus fecerit, synodi generalis judicium reformando, cassando et abolendo, jam ipsum nec synodorum decretis subesse, nec synodorum decreta aliquam vim et vigorem habere sine suo suffragio atque confirmatione evidentissime patefecit.

11. At Launoii nugatorias interpretationes jam opus est excutiamus, quemadmodum jam pridem in scholis collegii urbani Propagandæ Fidei facere consuevimus, hujusmodi argumenta tractantes. Launoius igitur quæstionem illam examinandam assumens, quæ ad pontificiam universalium synodorum confirmationem pertinet, cardinalem Bellarminum graviter exagitat, quod lib. II de Conciliis, cap. 17, scripserit Rom. pontificem simpliciter et absolute esse supra Ecclesiam universalem et concilium generale, ita ut nullum supra se judicium agnoscat. Inter cætera autem argumenta in istius causæ præsidium a Bellarmino prolata, locum habet illud, quod ex hac epistola Leonis ad Pulcheriam colligitur. Sed Launoius assumptum probari posse inficiatur. Immo Bellarminum fraudis accusat, quod S. P. testimonium obtruncaverit, iis vocibus sublatis, *unita nobiscum vestræ fidei pietate*, quæ ad Pulcheriam pertinent; deinde e media oratione subductis quæ sequuntur, *generali prorsus definitione cassamus*, omnino reticuerit. « Ideo ratiocinari pergens (ait) Bellarminus, priora verba ideo sustulit, ne quod est Leoni, cum Pulcheria commune videretur, et ne Pulcheria in partem abrogati canonis quo Constantinopolitanæ Ecclesiæ prærogativa sanciebatur venisse crederetur, et iis ita constitutis facilius posset concludere papam esse supra concilium. » Et infra Launoius rationem assignat quare S. P. in abrogando eo canone sibi unitam habere voluerit fidei pietatem Pulcheriæ, subjiciendo. « At pontifex verba illa ideo addidit, quod principibus custodiendorum canonum curam incumbere cognosceret. Id enim scribit in epistola 74 ad Leonem augustum. » Causam tandem noster criticus inquirens cur Bellarminus posteriora verba resecuerit, concludit: « Ne pontificem ecclesiasticis legibus obsequentem videret et lectori suo proponeret, ne id quod faciebat pontifex, hunc Nicænæ synodi auctoritate facere constaret. Quapropter auctor ille non apposite quidem ad rei veritatem, sed ad scopum instituti operis Leonem mutilavit. » Verum in fine, quasi fugiens Bellarminum excusare velle, ait hunc Romæ tum scripsisse, non quidem in sedis apostolicæ, sed in *curiæ reprehensionem non modicam incurreret, et prohibitorio ascriberetur*. Hactenus Launoius, in epistola ad Jacobum Bevilaquam, nonnulla alia subnectens quæ videri possunt part. II, epist. 4, pag. mihi 53.

12. Gravem esse hanc in Bellarminum censuram omnes intelligunt; haud tamen scio an tamquam injustam eam condemnent. Hoc posterius tamen nos facile assequemur, animadvertentes Bellarmini scopum non fuisse totam atque integram S. Leonis epistolam exscribere, et in suum usum convertere, sed verba illa dumtaxat referre quæ ad institutam sibique propositam quæstionem spectabant. Et ea potissimum quæ ecclesiasticam auctoritatem et jurisdictionem indicabant. Quis itaque umquam theologorum, etiam infimæ notæ, hactenus confinxit mulieres cujuscumque conditionis et gradus, quacumque suprema sæculi potestate præditas, jurisdictionem in Ecclesia obtinuisse, hancque jure exercuisse? Nec heterodoxi (si Montanistas et Cataphrygas excipiamus) per somnium cogitarunt mulieres **518** Petri apostoli auctoritate uti posse in legibus ecclesiasticis tuendis, condendis atque abolendis. Pietate fidei quidem legibus Ecclesiæ obtemperare et obsequi possunt, et ut exsecutioni demandentur suum laborem impendere, rebellium improbos conatus pœnis cohibere, et ea subsidia ecclesiasticis judicibus præstare quæ ad canonum conservationem ordinata sunt. Cæterum quis per somnium arbitrari aut saltem cogitare potuit aliquam etiam minimam auctoritatem et jurisdictionem exercere potuisse, judicando de Ecclesiæ prærogativis, juribus, canonibus, ordinationibus, et id genus aliis, de quibus tum quæstio habebatur? Certe id totum sequeretur, si, ut Lau-

noius nugatur, « quod Leoni erat, cum Pulcheria fuisset commune, et Pulcheriam in partem abrogati canonis quo Constantinopolitanæ Ecclesiæ jura sanciebatur venisse crederetur. » Igitur si mulieres ejusmodi juribus prorsus divina lege carere debent, locus Bellarmino doctissimo atque catholico viro superesse non poterat ut Leoni atque Pulcheriæ augustæ communem faceret illam auctoritatem et jurisdictionem, ob quam summus pontifex scribit : *Unita nobiscum fidei vestræ pietate in irritum mittimus, et per auctoritatem beati Petri apostoli generali definitione cassamus.* Pudeat ergo Launoium ita ratiocinari voluisse, et attendat duplici titulo dumtaxat S. Leonem Pulcheriam rogasse ut in partem abrogati canonis veniret, neuter quorum ipsius systemati suffragatur. Primus enim titulus erat pietas fidei augustæ, qua multifarie et multis modis semper operam dederat ut Leonis vota implerentur, tum in iis quæ Flaviani omniumque orthodoxorum causas respiciebant, tum in cæteris quæ ad Eutychianorum exitium et condemnationem ordinabantur. Alter vero erat titulus servandæ ecclesiasticæ pacis et tranquillitatis, quæ procul dubio vulnerata et disrupta omnino fuisset, si sextus Nicænus canon, qui ad *pacificationem omnium sacerdotum* fuerat editus, injuria demum tum abolitus mansisset. Quod indicare volens S. pontifex, immediate subjecit : *In omnibus ecclesiasticis legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium sacerdotum per trecentos decem et octo antistites Spiritus sanctus instituit.* Itaque Pulcheriam interpellat, ut, relictis Anatolii partibus, cujus causæ multo studio cœperat patrocinari, servata fidei consueta pietate qua apostolicæ sedi conjungebatur, ingratum non haberet si *consensiones episcoporum Chalcedonensium sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes in irritum mittebat, et per auctoritatem beati Petri apostoli generali prorsus definitione* cassabat.

13. Hunc quidem esse genuinum Leoninorum verborum sensum nemo inficiabitur, qui animadvertat Pulcheriam et Marcianum factos fuisse sequestres et mediatores Anatolium inter et Romanum pontificem, ut canon ille 28 ratus haberetur et confirmaretur. Marcianum enim atque Pulcheriam in Anatolii favorem fuisse præventos, Leo ipse optime ex eorum epistolis cognoverat : sed confisus potissimum de fidei pietate Pulcheriæ, qua A. S. unitebatur, non est veritus humanissime denegare quod ipsa petebat; immo importunum Anatolii ambitum penitus retundere atque frustrare, subtrahendo ipsi præsidia, quibus patrocinari sibi quæsiverat. Summam autem fiduciam habuisse S. Leonem in augustæ Pulcheriæ pietate, ex eo innotescit, ut ipsi demandaverit Anatolii ambitum continere atque reprimere, suam epistolam his verbis claudendo : *Et quia moris vestri est pro pace et unitate Ecclesiæ laborare; fratrem meum Anatolium episcopum ex vestra mihi insinuatione dilectum in his quæ ipsi profutura sunt continete; ut gloria clementiæ vestræ sicut magnificatur de fide reparata, ita prædicetur de ambitione compressa.* Cætera quæ ex his verbis deduci possent, ad magis atque magis Launoii systema evertendum, ipsi silentio præterimus, cum quilibet ex nostris lectoribus perspicue intelligat quemadmodum et in quibus rebus Pulcheriæ *fidei pietate* A. S. semper unita fuerit.

519 CAPUT IX.

S. Leo Magnus multis modis Anatolii ambitum compressit. Theologorum quæstiones ex S. P. scriptis definitæ. Paschasii Quesnelli effugia describuntur, et decretum de servandis provincialium primatuum privilegiis explicatur. Aetii et Andreæ Constantinopolitanorum causa proponitur. Julianus episcopus Coensis apostolicæ sedis vicarius instituitur, cujus munera atque prærogativas Paschasius Quesnellus injuria elevare nisus est.

1. Frustratos omnino mansisse Anatolii Constan- A tinopolitani conatus, quibus sibi blandiebatur efficacissima præsidia ex sæculi potestatibus paratum esse, quæ suo prodessent ambitui, abunde jam in præcedentibus explicavimus. Cujus quidem rei ipse non tantum ex imperatoris Marciani, Pulcheriæ augustæ et Juliani episcopi Coensis relationibus certior factus fuit; sed ex ipsius sancti pontificis epistolis, qui acri aliquo stylo ad eum rescripsit, ut ipsius ambitum refrenaret atque comprimeret. Debuit enim tunc Anatolius apprime cognoscere S. Leonis animi robur et fortitudinem, qui nulla ratione movebatur ad eas ecclesiasticas leges infringendas et abrogandas, quæ justitiæ et æquitati maxime erant conformes, quasque Patres, Spiritus sancti ducti afflatu, in totius Ecclesiæ bonum apud Nicæam salubriter condiderunt. Primo itaque S. pontifex in Anatolii mentem revocat illud ecclesiastici monitum XVIII : *Post concupiscentias tuas non eas; et a voluntate tua avertere*, quæ verba grave objurgationis genus præseferunt. Deinde molli brachio sensim eum aggreditur, ex una parte B præcedentia facinora, in quæ lapsus fuerat, eidem objiciendo, et ex altera parte commemorat lenitatem et indulgentiam cum eo adhibitam, qua toleravit suæ ordinationis defectus, et culpam quam incurrerat Antiocheni episcopi ordinationem injuria sibi vindicando. Has autem culpas se tolerasse ait *studio fidei reparandæ, et amore concordiæ*. Non ita tamen novam culpam patienter sustinere posse asseverat, qua *sanctissimas Nicænorum canonum constitutiones* conabatur infringere, arrepta occasione ex temporis opportunitate *quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit; ut his locis juri tuo subditis, omnes metropolitani episcopi proprio honore priventur.* Hinc ergo Anatolium tamquam novi schismatis reum vellicat; quod videlicet propitio tempore exspectato, quo Alexandrina sedes esset vacua pastore, ob Dioscori depositionem, et quando Antiochenum episcopum sibi habebat conjunctum, ob C sacram ordinationem illi recenter collatam, prorsus inaudita atque insolita tentasset, synodum dumtaxat ad hæresim exstinguendam et ad confirmationem fidei catholicæ congregatam in ambitus occasionem trahendo. Quare ad præripiendas eas excusationes quas adducebat, contendendo duplo numerosiorem fuisse Chalcedonensium synodum Nicæna, illam huic neque comparandam, neque præferendam esse asseverat, *cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid fuerit ab illorum constitutione diversum.* Non dissimulat præterea indicare quemadmodum illam Chalcedonensium PP. multitudinem quadam conniventia, blanditiis atque officiis sibi comparatam, in suam sententiam impulerit, quæ argumento erant PP. artibus fuisse seductos ad
520 assentiendum nimis pravis et improbis conatibus ejusdem Anatolii. Unde S. pontifex ait : *In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit* D *elatio, quæ ita abuti voluit concilio synodali, ut fratres in fidei tantummodo negotio convocatos, et definitione ejus causæ quæ erat curanda perfunctos, ad consentiendum sibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret.* Interim autem cum hæc omnia Anatolio objiciebat, ut tamquam omni prorsus vigore vacuum illum canonem esse proscriberet, utpote profectum ab illis qui auctoritate carebant, atque ab illis qui, aut seducti malis artibus, aut minis deterriti, perfecta libertate minime pollebant, nobis indicare voluit episcopos etiam in generalibus synodis congregatos non alias posse causas tractare et definire, nisi eas quas apostolica Petri sedes discutiendas proposuerat. Hac quippe ducti ratione, pontificii legati protestationibus reclamationibusque usi sunt, ut se præcaverent ab eo canone conscribendo, qui apostolicæ sedis commonitorio et institutionibus prorsus repugnabat. De quorum protestationibus, cum ipse

Anatolius in epistola ad S. pontificem conqueri voluisset, querimoniam repulit respondendo : *In quo quidem multum illos mihi hæc scribendo commendas; sed temetipsum, quod eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas, superflue non concedenda et insalubriter tibi contraria concupiscens, quæ nullum umquam nostrum poterunt obtinere consensum.*

2. Jam vero his paululum insistere mihi opus est, ut vetustam illorum temporum doctrinam assequamur, atque intelligamus an pontificiis legatis primus dumtaxat honoris locus in generalibus synodis concederetur, vel jurisdictionis; et an synodis jure aliquid liceat statuere, reclamantibus protestantibusque Romanorum pontificum legatis; et denique an generalis ipsa synodus supra Romanum pontificem polleat potestate. At tres istas quæstiones, quæ aliquando theologorum ingenia torquere consueverunt, ob quorumdam novas doctrinas, perperam in vulgus sparsas, liquido hic a S. Leone esse definitas, quis non videt? Illis namque non honoris titulo dumtaxat aliis episcopis præesse datur, quibus cæteri episcopi *parere* tenentur; cum nemini jurisdictione privato *parere* teneamur, nec quidquam jure validum et ratum esse potest, cui protestationibus reclamationibus ipsi pontificii legati se opponant. Immo tanto magis evidentissime explicatur Romanos pontifices supra concilia generalia auctoritate pollere, quanto fortius, cum Anatolius, tum Chalcedonenses Patres adhærere et insistere contendebant decreto alterius generalis synodi ante sexaginta annos conscripto, cui Orientales ipsi in Theodosii augusti senioris gratiam et magni Nectarii honorem fuerant suffragati pro Constantinopolitanæ sedis honore, privilegiis et prærogativis adaugendis. Canonem porro hunc, tum etiam omni effectu caruisse, quia Leonis prædecessores illum haud approbarunt, nec pro firmitate obtinenda Constantinopolitani PP. ad apostolicam sedem illum transmiserunt, S. P. asseverat. *Persuasioni enim tuæ* (scribit S. Leo) *in nullo penitus suffragatur quorumdam episcoporum ante sexaginta annos (ut jactas) facta conscriptio, numquam a prædecessoribus tuis ad apostolicæ sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ dudumque collapsæ sera nunc et inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.* Laborarunt omnes scriptores inquirentes cur canon iste de quo agitur jam a sexaginta annis in Constantinopolitano concilio conscriptus, omni effectu caruisset; atque in diversas abierunt opiniones, aliter et aliter ratiocinantes, potissimum cum noster S. pontifex affirmet: *Numquam a prædecessoribus tuis ad apostolicæ sedis transmissa notitiam*, et aliunde innotescat Constantinopolitanum primum concilium ab apostolica sede fuisse receptum. Inter cæteros autem qui hanc quæstionem excitavit, fuit Paschasius Quesnellus, sed paucis **521** eam dirimere potuisset, si S. P. loquendi modum attendisset (a). Ait enim conscriptum canonem ab initio sui cecidisse, dudumque esse collapsum; ut nimirum indicaret primarios Orientis episcopos, quorum jura violabantur, huic sanctioni seu descriptioni suffragari noluisse. Immo forte arbitrari possemus reclamationibus protestatos fuisse, quin aliquando darent suum assensum, quem tandem diuturnis gravissimisque stimulis Anatolii fatigati in Chalcedonensi synodo, cum suarum sedium injuria præbuerunt.

3. Hanc quidem, et non aliam, arbitror esse germinam verborum S. Leonis interpretationem, quæ omnes nodos in quos præcedentes scriptores inciderunt, facile solvere poterit. Etenim Romanos pontifices notitiam non habuisse Constantinopolitani generalis concilii primi, affirmari haud potest, cum adhuc supersit illorum centum quinquaginta PP. synodica epistola, scripta ad Damasum papam, Ambrosium

A Mediolanensem, Brittonem Trevirensem, aliosque Occidentales episcopos, in qua dumtaxat mentionem faciunt de hæresibus in ea synodo damnatis; sed nec unum habent verbum de illo tertio canone, quem in gratiam et honorem archiepiscoporum Constantinopolitanorum conscripserant. Quis ergo æstimabit hujus canonis decretum apostolicæ sedi aliisque Occidentalibus episcopis, quibus laudata synodica erat inscripta, reticere voluisse, aut potuisse, si unanimi consensione, sine protestationum reclamationumque strepitu illum conscripsissent? Igitur si, auctore Leone, ab initio sui tamquam caducum atque collapsum canonem illum habuerunt, etiam apud Orientales, omni prorsus affectu caruit; nec Alexandrini et Antiocheni passi fuerunt suarum Ecclesiarum jura infringere, atque violari, neque tum *speciem consensionis præbuerunt*. Hæc autem nostra interpretatio prorsus evertit Quesnelli aliter ratiocinantis opinionem, qui sibi maluit imaginari ne verbum quidem
B fecisse in laudata synodica de canone jurium et privilegiorum Constantinopolitanæ sedis, quem sciebant Occidentalibus minime placiturum: « Vel persuasi, episcopis Orientalibus de Orientalium Ecclesiarum ordinatione aliquid decernentibus, Occidentalium consensum nequaquam necessarium esse, sufficere porro (subjicit) si quod de fidei symbolo adversus hæreticos in illorum notitiam venire curarent; quia cum fidei causa omnibus non modo episcopis, sed et catholicis laicis sit communis, et propria sit œcumenici concilii materies, omnibus quoque innotescere necesse est quæ ad eam spectant, omniumque imprimis episcoporum capiti, cujus est præcipue ex apostolicæ sedis specula fidei custodiæ ac sinceritati invigilare. » At quot quibusque fallaciis referta sit hujusmodi Quesnelli ratiocinatio, nemo est qui non intelligat. Quas singillatim refellere in præsens supervacaneum ducimus; cum passim in hisce nostris scriptis probaverimus synodorum etiam generalium decreta quæcumque viribus esse vacua, si consensu apostolicæ
C sedis non approbentur et confirmentur; solam apostolicam sedem super antiquos canones ab Ecclesia conditos posse dispensare; eamdem tandem apostolicam sedem in iis etiam quæ ad disciplinam et ecclesiasticum regimen spectant, specialem habere curam et diligentiam Ecclesiarum omnium Orientis, ut ex sexcentis exemplis in nostris hisce Exercitationibus expressis, atque pariter ex aliis subjiciendis evidentissime fit manifestum.

4. Siquidem animadvertens S. Leo Anatolium præter secundum locum sibi cum injuria Alexandrini et Antiocheni episcoporum usurpatum, *jura* quoque convellere voluisse *provincialium primatuum*, et metropolitanos antistites, privilegiis antiquitus institutis fraudasse, cum universalis Ecclesiæ perturbatione, in integrum hanc disciplinæ et regiminis ecclesiastici partem restitui et custodiri mandat, imperando: *Non* **522** *convellantur provincialium jura primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis metropolitani frau-*
D *dentur antistites. Nihil Alexandrinæ sedi ejus quam per sanctum Marcum evangelistam beati Petri discipulum meruit pereat dignitatis; nec, Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis.* Et disserens statim de Antiochenæ sedis juribus, præcipit: *Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum, prædicante beato apostolo Petro, Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, et in tertio gradu collocata numquam se fiat inferior.* Conferat nunc, quæso, lector hæc quæ ex Leone descripsimus cum iis quæ Quesnellus confinxit, et judicet an Orientalium synodalia decreta ad illarum Ecclesiarum disciplinam et regimen pertinentia RR. pontificum approbationi, irritationi atque judicio subessent. Videat qualis et quanta Quesnelli fabulationibus fides adhibenda sit. Potissimum cum is inconstantia laborans fateri fuerit

(a) Quesnellus, in notis et observationibus ad hanc epistolam, tom. II, p. 484.

coactus *provincialium jura primatuum* prorsus remansisse abolita. « Nisi fortiter incœptis obstitisset S. Leo, quo id saltem assecutus est, ut ulterius non tenderet effrenis illius episcopi ambitio (a).

5. Sed jam hujus Romanorum pontificum auctoritatis in Ecclesiarum Orientis disciplinam et administrationem alia evidentissima argumenta nobis suppeditata sunt ex nostri S. P. Leonis epistolis, anno sequenti, in causa Aetii et Andreæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ diaconorum conscriptis. Ipse Anatolius itaque novitatibus nimis studebat, nedum aliorum jura sibi usurpando, sed et probatissimos orthodoxos viros e suis muneribus dejiciendo. Aetium enim Constantinopolitanæ Ecclesiæ archidiaconum honoris colore degradavit, *et dispensationem totius causæ et curæ ecclesiasticæ in Andream Eutychianistam transtulit.* Aetium enim fuisse unum ex illis Constantinopolitanis clericis qui constanter adversum Nestorianos et Eutychianos decertaverant, et S. Flaviano semper adhæserunt, idem S. Leo testatus est in epistola ad Marcianum et Pulcheriam. Præterea ipsius Aetii pietas in fidei negotiis, et industria in rebus agendis, jam dudum universo orbi innotuit, ex muneribus non tantum archidiaconi, sed et primicerii notariorum urbis Constantinopolitanæ, quibus functus fuerat, ut Chalcedonensis concilii Acta testantur. Hunc ergo honoris specie presbyterum ordinavit; *et non inveniens* (ait S. P.) *quod argueret in fide, quod reprobaret in moribus,* eum ad sacra mysteria peragenda in cœmeterio longe ab urbe constituto deputavit, ut quamdam exsilii pœnam subiret. Hunc ergo imperiali pietati commendavit S. Leo, *ne ulterius noxiis ingravari possit insidiis, quem Dominus ut comperi*, ait, *sub vestra defensione constituit.* Irregularem præterea prorsus fuisse Andreæ ordinationem, non tantum ob Eutychianam hæresim, cui adhæserat, sed et ob falsas accusationes contra S. Flavianum constructas, nemo poterat inficiari. Propterea licitum non erat Anatolio illum ad altiores gradus promovere, atque cæteris catholicis clericis præponere. Quare Marcianum imperatorem S. P. obsecrat, *ut Anatolium a professione sua dissonum, et nimis*, ut ait, *testimonii vestri ac favoris vestri oblitum, increpare dignemini. Cesset* (subjicit) *catholicos insectari; cesset eos qui sanctæ memoriæ Flaviano placuere conterere, et eorum societatem* (intellige Eutychianorum) *quos improbavit eligere* (b). Denique ne videretur in reliquis quæ tractu temporis contingere poterant Orientalium rerum curam dimittere, quasi ad ipsum non spectasset vigilis partes obire, cum in fidei causis, tum aliis ad tranquillitatem et ad Ecclesiarum disciplinam pertinentibus, apostolicæ sedis vicarium Julianum episcopum instituit, quem in affectu imperatoris Marciani et Pulcheriæ augustæ haberi desiderat, *cujus obsequiis præsentiæ* **523** *meæ vobis imago reddatur. Nam de fidei ejus sinceritate confidens vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi; atque, propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset exegi.* Sibi omnino concinit S. pontifex in subsequentibus duabus epistolis eadem die conscriptis, quarum unam ad Pulcheriam augustam, aliam vero ad Julianum Coensem direxit. In hac postrema duo dumtaxat superaddidit, quorum in præcedentibus nullam facit mentionem; alterum ad Ægyptios et Palæstinos monachos tumultuantes pertinebat, quos an Eutychianæ impietati famularentur ignorabat: *An implacabiliter dolerent episcopum suum in eam impietatem potuisse traduci, qua ab incarnationis Dominicæ veritate descivisse cognoverant.* In re autem tanti momenti (ait) *cupio me plenius edoceri, ut etiam talium correctioni congrue studeatur.* Addit quoque *De Ecclesiæ Alexandrinæ pace quid ad vos veris nuntiis perferatur* desiderare, *ad cujus episcopum* Proterium recenter ordinatum, *istiusque ordinatores, seu clericos, qualia scripta direxerim, missis exemplaribus*, Julianum ipsum scire voluit. Alterum quod huic epistolæ ad Julianum superaddendum censuit, pertinebat ad epistolam de Domini incarnatione jam pridem a quatuor annis ad Flavianum scriptam, et ad gesta synodalia Chalcedonensis concilii. Suspicione enim ducebatur S. pontifex ipsi traditam non fuisse laudatam epistolam, quam per *Basilium diaconum* miserat, et aliunde cum synodalia gesta *propter linguæ diversitatem parum clara reperiisset*, ideo eidem injunxit: *Ut in unum codicem universa facias congregari, in Latinum scilicet sermonem absolutissima interpretatione translata; ut in nulla parte actionum dubitare possimus, neque ullo modo esse possit ambiguum, quod ad plenam intelligentiam te fuerit studente perductum.*

6. Quesnellus, in altero tomo Operum S. Leonis, scite annotavit ab hoc munere, Juliano episcopo Coensi tum imposito, nuntiorum pontificiorum originem et consuetudinem derivari, quod aliqui forte ultro concedere non repugnabunt. Sed cum addat hos, non male viros eruditos secutus, se comparare cum patriarcharum Orientalium apocrisiariis, inter utrosque tamen variis discriminibus servatis, omnino ei assentiri non possumus. 1° (Ait), apocrisiarios ad comitatum imperatoris Orientalis a patriarchis fuisse destinatos, cum Byzantium imperii sedes translata fuit, vicarios autem paulo post, vel paulo ante Chalcedonensem synodum fuisse institutos; 2° apocrisiarios patriarcharum non pro causa fidei, sed pro specialibus Ecclesiæ vel diœcesis negotiis in comitatu moratos esse, nuntios vero Romanos pro rebus fidei curandis ibidem residere jussos; 3° illos plerumque ex diaconorum vel presbyterorum ordine assumptos fuisse ad hujusmodi munus, hos interdum etiam ex episcopali, pro dignitate scilicet apostolicæ sedis, ut in Juliano apparet. Addit præterea idem Quesnellus: « In hujus ergo vicarii institutione Orientalium patriarcharum morem æmulatus est Leo, in multis tamen ab eisdem se pro sua prærogativa discernens, et certis incrementis et accessionibus munus hoc complens et adornans. Quod penitus inspicere otiosum, opinor, non erit, neque ab hoc loco alienum.

7. Quesnelliana hæc tamen doctrina, etsi quamdam veritatis speciem præseferre videatur, in multis quidem vacillat; nec præsentem S. P. Leonis agendi rationem indicat, nec pontificia munera Juliano Coensi demandata explicata sunt quemadmodum oporteret. Vacillat imprimis, immo prorsus cadit quoad apostolicorum nuntiorum originem. Si enim apostolicæ sedis vicarios cum apostolicis nuntiis confundamus, jam utrorumque originem altius esse repetendam ostendunt Romanorum pontificum epistolæ, Damasi papæ videlicet, Syricii, Innocentii primi, Zosimi, atque Cœlestini. Quæstionem hanc de apostolicæ sedis vicariis, horum antiqua institutione et potestate, magno eruditionis apparatu pertractavit cl. D. Franciscus Antonius de Simeonibus, et secutus Holstenii Rom. collectionem, **524** jam ante Damasum papam, hoc vicarii munere apud Illyricos functum fuisse Acholium, deinde Anysium, probat ex epistola Innocentii papæ primi ad Rufum. Sed eo tempore apocrisiarii nomen et officium a veteribus indicata fuisse, undenam Quesnellus deducit? Vacillat deinde præcedens doctrina, si vicarios apostolicos cum apocrisiariis conferamus. Quid enim significare habuit vox illa *apocrisiarius* apud mediæ ætatis scriptores, nisi quemcumque legatum, seu ministrum missum a pontifice, vel ab episcopis, ut habetur in Constitut., novell. 123? Contra vero vicarii apostolici nomen et officium, cum alterius personæ vices agere importet, quibus hoc munus a Romanis pontificibus erat demandatum, intererat, præesse illarum regionum Ecclesiis, quæ ab urbe Roma longe aberant, atque subito malis omnibus quæ oriebantur obviam

(a) Quesnellus, tom. II Operum S. Leonis M., in notis et observationibus ad epist. 80.

(b) S. Leo, epist. 84, cap. 2.

ire. Hanc pontificiorum vicariorum ideam ex multis ecclesiasticis monumentis colligimus, quæ singula referre supervacaneum ducimus. Sed ne dumtaxat insistere videamur Leonis agendi rationi, de qua Quesnellus perperam affirmavit S. pontificem nostrum Orientalium patriarcharum instituta æmulatum fuisse, subjicere non piget S. Innocentii papæ primi verba ad Rufum, suum in Illyrico vicarium : *Divinitus ergo hæc procurrens gratia, ita longis intervallis disterminatis a me Ecclesiis distat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam causasque, si quæ exoriantur per Achaiæ, Thessaliæ...... Ecclesias, Christo Domino annuente, censeam. Vere enim ejus sacratissimis monitis lectissimæ sinceritatis tuæ providentiæ et virtuti hanc injungimus sollicitudinem.* Neque verum est vicarios apostolicos dumtaxat pro fidei rebus a RR. PP. fuisse institutos ; sed etiam pro aliquantis culpis non levibus, quæ *ad nos*, ait Cœlestinus papa, *cum simus longius, non ita ut sunt acta interposito temporis spatio perferuntur, quas omnes, intercessione fratris et coepiscopi nostri Rufi, cujus experientiam comprobatam esse in causis omnibus et vitæ actibus liquet, volumus resecari* (*a*). Hisce autem verbis veram et legitimam potestatem pro pontificiis partibus agendis hujusmodi vicariis fuisse delegatam, nemo sanæ mentis inficiabitur; quam quidem obtinuisse apocrisiarios, ex nullo certo testimonio evinci potest. Quænam tandem officia implenda Juliano Coensi episcopo sanctus pontifex Leo Magnus demandasset, jam ipsi in priori hujus historiæ libro, cap. 13, pag. 444, indicavimus; magisque demonstrabimus ex iis quæ in sequenti capite dicturi sumus.

525 CAPUT X.

Anatolii C. P. ambitus atque agendi ratio Eutychianis favens novas turbas excitat in Orientem. Sanctus pontifex Leo admonitus a Marciano et Leone imperatoribus, se jam synodum confirmasse in fidei rebus asseverat. Negat Paschasius Quesnellus, cujus argumenta evertuntur. Tandem sanctus pontifex novis epistolis synodi confirmatoriis suam voluntatem omnibus patefacit, atque etiam Anatolii dolosas artes exagitat.

1. Anatolii Constantinopolitani episcopi ambitus, hujusque subdola agendi ratio Eutychianorum sacrilegam audaciam jam in Chalcedonensi concilio et S. pontificis sanctionibus compressam redivivere fecisset, nisi imperator Marcianus et Julianus episcopus Coensis, apostolicæ sedis legatus, novas turbas et molimina iterum in Oriente excitata, magna cum sollicitudine, S. pontifici Leoni patefecissent. Non una tamen fuit harum turbarum et motuum causa, sed plures. Quarum altera oriebatur ex pontificiorum legatorum protestatione, qua strenue se opposuerunt conatibus Anatolii quærentis aliarum sedium Orientis privilegia sibi usurpare ; altera fuit rumor undequaque per Orientem sparsus, non fuisse a S. Leone receptam Chalcedonensem synodum, cum jam innotuisset irritum et vigore vacuum declaratum fuisse vigesimum illius octavum canonem, pristino juri restitutos fuisse metropolitanos provinciarum primates. Ex istius ergo canonis abolitione plerique suspicabantur et contendebant æque omnia synodalia gesta fuisse infirmata, ut nec vim obtinerent in iis quæ ad fidei sanctiones pertinebant. Tertia denique causa fuit Anatolii agendi ratio, qui cum ægre admodum tulisset S. pontificis objurgationes atque gravem repulsam, quibus et patrata crimina ei exprobrabat, et ipsius ambitum comprimebat, ira actus, et verecundia adductus, publicum dedecus præcavere studuit, eas S. Leonis litteras occulendo, in quibus is fatebatur toto corde complecti ea syno-

A dalia gesta quæ *in Chalcedonensi civitate ob confirmationem fidei celebrata erant* (*b*); in totum vero reprobare quidquid adversus Nicænos canones improbus ambitus concupiverat, cum imminutione jurium primarum Ecclesiarum. Verumtamen laudatæ S. pontificis objurgationes atque repulsæ ipsum Anatolium de spe desiderati honoris non deturbarunt. Quinimmo S. pontifex scribens ad Julianum Coensem ait : *Illud etiam nosse te volumus, Anatolium episcopum post coercitionem nostram in suæ præsumptionis adeo temeritate persistere, ut Illyricianos episcopos, ut sibi subscriberent, conveniret* (*c*). Hic novus ausus ita sancti pontificis animum commovit, ut jam deliberasset in posterum minime dare suas epistolas ad eumdem Anatolium, *quamvis* (ait) *ipse hoc peteret fieri, quia eum corrigi nolle perspeximus.*

2. Majorem tamen animi commotionem S. Leonem passum fuisse arbitror, cum, novis acceptis a Marciano imperatore epistolis, intellexit universum
B Orientem esse turbatum, et in admirationem raptum, quod illuc non pervenerint pontificia rescripta super Chalcedonensia gesta, quorum **526** defectu omnium corda nutantia hærebant an illius concilii gesta ab apostolica sede confirmata fuissent. *Vehementer* (ait imperator) *admiramur quod, synodo in Chalcedone celebrata, et litteris venerabilium episcoporum ad pietatem tuam missis, per quas omnium rerum in synodo gestarum seriem exposuerunt, neutiquam illæ a sanctitate tua emissæ, quæ tamen in sacris Ecclesiis lectæ in singulorum notitiam pervenire debebant.* Antiquum morem igitur tum fuisse, consuetudine quidem receptum, ut apostolicæ sedis litteræ certa suppeditarent argumenta celebratas synodos confirmatas et indubiæ fidei habendas, quin quispiam in dubium eas revocaret, hic Marcianus augustus perspicue indicavit. Qui pariter designare voluit synodalia decreta dumtaxat coactivam vim obtinuisse, atque obtinere posse, postquam ejusmodi litteræ synodorum comprobativæ in *sacris Ecclesiis lectæ in singulorum noti-*
C *tiam* pervenerunt. Firma enim erat eorum temporum regula, ab omnibus catholicis æque ac hæreticis usu et consensione recepta, œcumenica concilia Romanorum pontificum auctoritate decerni ac confirmari debere. *Unde* (subjicit Marcianus) *aliquibus, qui Eutychis falsam opinationem et pravitatem etiam dum persequuntur, magnus est injectus scrupulus utrum beatitudo tua, quæ synodum decrevit, confirmaverit.* Quorum quidem verborum vim et significationem Quesnellum fugisse, aut studiose dissimulasse, credendum est. Qui passim in divi Leonis Operibus adornandis imperatoribus facultatem cogendorum conciliorum adjudicat, atque contendit synodalia decreta vim et robur ex sese obtinere quacumque apost. sedis confirmatione seclusa, ut paulo post dicemus.

Aliter igitur ratiocinatum esse Marcianum imperatorem, quis non videt? Ita enim necessariam esse duxit hanc apostolicæ sedis confirmationem, ut sine hac, infirma et viribus vacua ipsa synodalia gesta
D crediderit; et propterea in solemne et authenticum pontificiæ voluntatis et judicii testimonium statim subjicit. *Idcirco pietas tua emittere litteras dignetur, queis omnes et Ecclesiæ et populi cognoscant Acta synodi a tua beatitudine approbari.* Æque pariter imperator Marcianus Romano pontifici jus asseruit abolendi et in irritum mittendi synodorum generalium canones atque sanctiones. Etenim cum ex præcedentibus litteris a sancto Leone acceptis cognovisset prorsus reprobare ea Chalcedonensia gesta, quæ Anatolii ambitui patrocinabantur, et aliarum Ecclesiarum jurium jacturam respiciebant, ideo, deposito eo consilio, quo pridem cum Pulcheria augusta et Juliano Coensi mediatoris partes apud apostolicam sedem obierat, pro adaugendo honore et prærogati-

(*a*) S. Cœlestinus primus, in epist. ad episcopos per Illyricum constitutos.

(*b*) Sanctus Leo, in epistola 80 ad Chalcedonensem synodum, cap. 1 et 2.

(*c*) Epist. 88, cap. 5.

vis Constantinopolitanæ sedis, modo ita S. Leonem compellat, hujusque animi constantiam eximiis laudibus ornat; quod antiquos Ecclesiarum mores et ordinem nulla novitate aboleri passus esset. Ait enim : *Illud nimirum quod episcopum sedis apostolicæ addecet tua sanctitas præstitit egregie, ecclesiasticos canones custodivit, antiqui moris et ordinis olim constituti, et constanter usque in hunc diem servati, nihil passa est novitate quadam aboleri.* Marcianus tandem in hujus epistolæ fine magis instat fortiusque urget ut quamprimum S. Leo *per litteras ubique significet,* quibus (ait) *planissime ostendat synodum Chalcedonensem te ratam habere, ne dissensionum dissidiorumque cupidis de judicio sanctitatis tuæ ulla relinquatur suspicio.*

3. Epistolam hanc, quam summatim per sua capita ipsi modo descripsimus, ex Boldeiano Oxoniensi codice, Græce et Latine in alteram suam editionem transtulit Paschasius Quesnellus, illamque primus omnium publici juris fecit. Verumtamen mihi liceret suspicari, vel eam sedulo non lustrasse, vel studiose prætermisisse annotare quæ in ea contenta sunt. Et quo ad primum attinet, quis unquam arbitrabitur illum hanc epistolam lustrasse, qui scripsit : « Hujus synodi approbationem non nisi ex occasione calumniæ esse natam, ne videlicet fallax cujusquam simulatio sententiam **527** ejus habere vellet, et ne per malignos interpretes dubitabile videretur utrum quæ in synodo Chalcedonensi de fide statuta erant, approbaret. » Subdit deinde : « Non igitur ideo hanc approbationis epistolam scripsit, ne robur sacrosanctis decretis deesset, sed ne ex venerandæ synodi contemptu ipse infamaretur; neve eo duce gloriarentur qui Chalcedonensis synodi definitionibus obnitebantur; ne denique imperatoriæ voluntati videretur contradicere, cui *omnibus modis obediendum sibi esse* palam profitetur. » Ita Quesnellus in notis ad epistolam 87 scriptam episcopis qui synodo Chalcedonensi interfuerant. Atque tandem in suæ causæ præsidium vocat Joannem Launoium, part. II epist. ad clariss. virum Jacobum Bevilaquam, qui de hujusmodi confirmatione Chalcedonensis synodi egit (*a*). At studiose annotare prætermisisse quæ in præcedenti Marciani epistola continentur, certissimum est, cum hanc nullis notis et observationibus adornaverit, ne retractare cogeretur quæ conscripsit contra apostolicæ sedis auctoritatem in synodis decernendis et confirmandis. Quis tamen dissimulare potest quæ contra apertam veritatem confingendo descripsit Quesnellus? Confirmationem Chalcedonensis concilii, nonnisi ex occasione calumniæ natam asseverat, quando Marcianus scribit : *Vehementer admiramur quod synodo in Chalcedone celebrata, et litteris venerabilium episcoporum ad tuam pietatem missis...... neutiquam illæ a S. T. fuerint emissæ, quæ tamen in sacris Ecclesiis lectæ in singulorum notitiam pervenire debebant.*

Marciani ergo admiratio oriri certe non poterat ex insolita re, usu nondum recepta, quæ omissa fuisset; sed ex violata consuetudine, qua Romani pontifices, acceptis synodalibus Actis, mittebant ad synodi Patres epistolas encyclicas decretorum seu canonum confirmativas, quæ in Ecclesiis publice legebantur, ut vis coactiva decretorum in singulorum notitiam veniret. Hanc confirmationem necessariam judicatam fuisse, certe indicant illa postrema verba, *in singulorum notitiam pervenire debebant.* Præterea, quæ calumnia movere poterat Leonis animum ad rem insolitam agendam; et Marcianum ad eam exposcendam? Forte cum ageretur de solis fidei decretis Leo, tanquam Eutychianista, aut Nestorianus, in suspicionem traducebatur, ita ut suæ fidei publicum testimonium eum dare oporteret? Figmentum apage, nec a fatuis quidem excogitatum? An non plurium annorum cursu improbos gravissimosque labores subiit, ad utramque hæresim extinguendam? Testabantur id omnes litteræ huc illucque, et ad Orientales potissimum missæ; Marcianus præterea atque etiam Pulcheria augusta hoc ipsum testabantur, ut nulli calumniæ umquam locus esse posset.

4. Mirari deinde oportet quod Quesnellus affirmet Leonem eam epistolam ad Chalcedonensem synodum non scripsisse ut robur sacrosanctis concilii decretis tribueret, « sed ne ex venerandæ synodi contemptu ipse infamaretur, neve eo duce gloriarentur qui Chalcedonensis synodi definitionibus obnitebantur; ne denique imperatoriæ voluntati videretur contradicere. » Qui numquam non S. Leonis Opera lustrasset, nec aliquando in Chalcedonensia gesta oculos injecisset, hæc somniare potuisset? Quid? An non totius Chalcedonensis concilii Patres Leonem enixe rogarunt ut suis decretis eorum honoraret judicium? *Rogamus igitur* (aiunt) *et tuis decretis nostrum honora judicium; et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat.* Quid? An non Anatolius ipse sperans Chalcedonensia Acta approbationem et stabilitatem ex Leoninis decretis esse consecutura, non credidit plenum et consummatum robur ab apostolica sede obtinere debere? *Atque hujusmodi exemplum erga vestram sanctitatem synodus protulit, ut nos quidquid* **528** *approbationis et stabilitatis consequi possumus, et ut hoc a vobis, sanctissimi fiat obsecramus.* Non absimilia quidem scripsisse Marcianum ad eumdem summum pontificem vix absoluta generali synodo, sequentia verba patefaciunt : *Et petimus ut ea quæ sancta synodus statuit, etiam religio tua in perpetuum observari præcipiat.* Quid enim? Statuta *illa quidem,* quæ alterius præcepto indigent, ut in perpetuum obligent vimque coactivam obtineant, robur et firmitatem assequuntur ab eo qui eorumdem præcipit observantiam. Igitur male omnino suæ perditæ causæ Quesnellus consuluit, atque prospexit, scribendo Chalcedonensis concilii confirmationem nonnisi ex occasione calumniæ esse natam, ne sanctus Leo Magnus infamaretur, nec eam robur et vim synodi statutis præbere potuisse.

5. At denique arbitrabimur S. Leonem litteras synodi confirmatorias scripsisse, *ne imperatoriæ voluntati videretur contradicere, cui omnibus modis obediendum sibi esse palam profitetur?* Aut saltem tamquam certam infallibilemque probabimus Launoii doctrinam, ad quem veluti suum antesignanum atque magnæ auctoritatis doctorem provocavit Quesnellus? Nugæ, meræ nugæ! Sæculi potestatibus utique debitum honorem S. Leo semper impendebat, horumque votis annuere non renuebat in rebus quæ divinis et ecclesiasticis juribus non repugnarent. At vero cum agebatur vel de canonibus infringendis, aut de aliqua injuria subeunda in iis quæ ad universalem et supremam Ecclesiæ administrationem pertinebant, vel in dedecus sui muneris et pontificiæ sedis redundare poterant, numquam imperatorum votis voluit obtemperare. Nitide atque perspicue id intellexisset Quesnellus, si non dissimulasset animadvertere ad illam animi constantiam et fortitudinem, qua S. P. Marciani et Pulcheriæ petitionibus, quibus efflagitabant et orabant imperialis urbis splendorem augeri, sese opposuit. Tantum enim abfuit ut horum votis obtemperaret, quinimmo abolevit et cassavit canonem illum de privilegiis Constantinopolitanæ Ecclesiæ, subtrahendo ab ipso Anatolio ea ordinationum jura quæ sibi usurpaverat. Marcianus enim atque Pulcheria, a Christiana edocti pietate se ad imperium dumtaxat esse assumptos ut humanis et civilibus rebus præessent, nulla ratione commoti sunt ob gravem repulsam a Leone acceptam, quæ certe in eorumdem augustorum dedecus redundabat, cum ipsi æque forte ac Anatolius, regiæ urbis honorem atque splendorem augere exoptabant. Deinde,

(*a*) Quesnellus, tom. II, in notis et observationibus ad epist. 87, pag. 498.

quo sensu generatim vera esse potest laudata Quesnelli assertio: S. Leonem non voluisse imperatoriæ voluntati contradicere, cui omnibus modis obediendum sibi esse palam profitetur, si jam pridem sui muneris partes impleverat, ipsamque synodum Chalcedonensem confirmaverat, in iis quæ ad fidei decreta pertinebant?

6. De hac autem synodi confirmatione jam pridem a S. Leone facta, minime opus est consulamus Launoium, virum pontificiorum jurium subversorem, ad quem suos lectores Quesnellius remisit, sed S. pontificis epistolas percurramus. Primo enim in epistola 88 ad Julianum episcopum Coensem fatetur, jam implevisse quæ imperator Marcianus ei suggesserat: *Ut ad omnes fratres qui Chalcedonensi synodo interfuerunt scripta dirigerem, quibus placuisse mihi quæ a sanctis fratribus nostris de regula fidei confirmata sunt demonstrarem; propter eos, scilicet, qui ad occasionem velandæ perfidiæ suæ infirma vel dubia videri volunt statuta concilii quæ nulla sunt consensus mei sententia roborata.* Quid enim? An non si ex quodam falso colore, novoque prætextu, nulla consuetudine recepto, occasionem suæ velandæ perfidiæ Nestoriani aut Eutychiani arripere voluissent, contendentes concilii statuta infirma aut dubia videri, quia pontificii consensus sententia minime roborata, Leo hanc contentionem rejecisset, tanquam a falso postulato derivatam? An dicere **529** prætermisisset injustam esse hanc arrogantiam? Ita quidem. Sed sanctus pontifex aliter respondit, dicendo jam pridem, *post reversionem fratrum quos vice mea miseram, ad Constantinopolitanum episcopum epistolis dederim; ut si eas publicare voluisset, abunde ex ipsis potuisset agnosci quanto gaudio ea quæ de fide sanxerunt approbarem.* Epistola autem hæc qua asseverat fidei synodalia decreta approbasse, legatorum quoque pontificiorum ad urbem regressus, referenda est ad mensem Maium præcedentis anni quadringentesimi secundi Herculano clariss. consule (*a*); et calumnia illa a malignis interpretibus nata, qua dubitabatur *utrum* C *quæ in synodo Chalcedonensi de fide statuta erant approbaret*, audita est, et in vulgus fuit sparsa anno sequenti, in Februario mense, cum jam Opilio consulatum agebat (*b*). Unde ergo colligit Quesnellius approbationis epistolam fuisse scriptam a Leone, « ne ex contemptu venerandæ synodi ipse infamaretur, neve eo duce gloriarentur qui Chalced. synodi definitionibus obsistebantur. »

7. Jam pudet me diutius in eripiendis Quesnellianis nugis esse immoratum. Nam Leo ipse in epistolis ad calcem paginæ annotatis, omnium turbarum, suspicionum falsique rumoris originem malis Anatolii artibus tribuit, quia cum in epistolis anni 452, in superioribus laudatis, synodi confirmatoriis ad ipsum C. P. episcopum scriptis, responsum contineretur quo istius ambitio comprimebatur, *ignorari voluit* (ait S. P.) *quod de fraternis constitutionibus sentiebam, ne simul cognosceretur quod pro inviolabili Nicænorum canonum auctoritate rescripseram.* Parum ab- D similes loquendi formulas adhibuit scribendo ad Marcianum imperatorem, et Pulcheriam augustam, in quibus epistolis fatetur, quod, redeunte Luciano episcopo Constantinopolim, qui jam Romam venerat cum Anatolii epistolis, talia scripta ad Constantinopolitanum episcopum direxisset, *quæ evidenter ostenderent me ea quæ de fide catholica in prædicta synodo definita fuerant approbare. Sed quia in iisdem litteris ea quæ per occasionem synodi male sunt attentata reprehenderam, maluit prædictus antistes meam gratulationem tacere, quam suum ambitum publicare.* Et tandem ad Pulcheriam ait: *Cum per Constantinopolita-* A *num episcopum, cui lætitiam meam largiter indicavi, in omnium potuerit notitiam pervenire, quod scripseram, nisi maluisset meum gaudium tacere, quam repulsam sui ambitus publicari.*

Sic itaque exagitato Anatolio encyclicas epistolas synodi confirmatorias conscripsit, quæ ut ad notitiam omnium sacerdotum Ecclesiarumque pervenirent, ipsius Marciani præceptum auctoritatemque interpellat, sperans quod, *omnibus dissentiendi occasionibus amputatis, apostolicæ ubique doctrinæ pax regnet et veritas.*

530 CAPUT XI.

Pro extinguendis Eutychianorum reliquiis sanctus Leo omnem operam impendit. Maximo Antiocheno suæ Ecclesiæ jura custodire præcipit. Gravis controversia de cyclo paschali excitatur. Marcianus imperator moritur, et Leo tribunitius ad imperium assumitur. Eutychianorum seditio in Proterium Alexandrinum, in omnes catholicos, et eorumdem conatus pro abolendis B *Chalcedonensis concilii decretis.*

1. Multa mihi adhuc superessent scribenda, si ordinata et stricta methodo, et S. Leonis epistolarum ordine servato, singula referre vellem quæ in reliquis sui pontificatus annis in universalis Ecclesiæ regimen, bonum et incolumitatem ab eo gesta sunt. Sed cum alia et alia occurrant quæ longe a nostro instituto posita videntur, nec adversarii, cum quibus in præcedentibus negotium habuimus, gravissima motiva suppeditent novas instituendi congressiones, idcirco quasi currente sermone narrabimus quæ ad Eutychianæ hæreseos reliquias extinguendas ab eodem S. pontifice necessario stabilita et imperata fuerunt. Atque imprimis cum plerique monachi et monasteriorum archimandritæ Eutychetis damnationem ægre tulissent, seditiones atque tumultus in populos excitare conabantur. Propterea S. P. operam dedit suis suggestionibus ut Marciani imperatoris edicto *imperita* eorumdem *insania* reprimeretur, et *monasteriorum præsules* Pulcheriæ augustæ reprehensionibus increparentur (*c*). Quia vero hujusmodi seditiones a monachis potissimum excitabantur, dum sacrilegas conciones contra fidem habebant, ideo imperialem etiam implorat potestatem, ut in posterum a prædicationis officio prohibeantur, *ne ea* (ait) *quæ ad sacerdotes pertinent sibi audeant vindicare.* Sperat tandem imperatoris zelum contra parricidas Alexandrinos esse accendendum, ut nimirum agat, quod *paci ecclesiasticæ intelligit profuturum* (*d*).

2. Antiochenæ Ecclesiæ rebus et juribus quoque prospiciendum esse censuit. Et quamvis enim non lateret quali quantaque puritate fidei Maximus polleret, tamen in ejus mentem revocat istius sedis prærogativas, et quemadmodum Christiana fides universo orbi annuntiata, speciali D. Petri magisterio, ipsi Antiochenæ et Romanæ Ecclesiæ tradita fuisset. Confidens igitur S. pontifex quod divi Petri fundatoris institutis firmiter Maximus adhæreret, non tantum ejus animum excitat ad propulsandam omnem Nestorianam et Eutychianam insaniam; sed prætérea eidem omnes Orientis Ecclesias sibi subjectas, ne pravis iniquisque erroribus labefactentur et corrumpantur, commendat: *Cum te* (ait) *his deceat sacerdotali auctoritate resistere, nosque sæpius de profectu Ecclesiarum relationibus quid agatur instruere.* Pari ratione eum hortatur apostolicæ sedis fieri consortem, sollicite tuendo *privilegia tertiæ, quæ in nulla umquam ambitione minuantur*, paulo infra subjiciens: *Etsi enim diversa nonnumquam sint merita præsulum, tamen jura permanent sedium; quibus etsi possint æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non*

(*a*) Leonis epist. 78, 79, 80, 81.

(*b*) Marciani Augusti epistola ad S. Leonem, tom. I, apud Quesnellum, pag. 307. Leonis epistola ad Julianum Coensem 88, ad eumdem Marcianum 89, et ad Pulcheriam 90.

(*c*) Epist. 88 ad Julianum Coensem, cap. 2, et epist. 89 ad Marcianum, cap. 2.

(*d*) Epist. 91 ad Julianum Coensem, cap. 2; et epist. sequenti 92 ad Maximum Antiochenum, cap. 6.

tamen possunt minuere dignitatem. Pravos hic ambitus Anatolii conatus taxare voluisse, et Maximo persuadere ut totis viribus se opponeret quidquid Antiochenæ Ecclesiæ privilegia aut infringere aut elevare poterat, etiam ex subsequentibus verbis **531** innotescit. Siquidem addidit : *Unde cum aliquid pro Antiochenæ Ecclesiæ privilegiis dilectio tua agendum esse crediderit, propriis litteris studeas explicare, ut nos consultationi tuæ absolute et congrue respondere possimus.* At forte voluisse adhuc S. Leonem molliter reprehendere Maximum episcopum Antiochenum, illumque in posterum magis cautum reddere in procuranda Nicænorum statutorum observantia, mea opinio est. Is enim anno 450 nimis facile indulsit Eustathii Berytensis studiis, et ambitui in perniciem Ecclesiæ Tyriorum hujusque metropolitæ Photii. De qua re fuit in Chalcedonensi synodo postulatus actione 4, ut ipsi vidimus in cap. 4 hujus lib., pag. 468. Nam S. Leo in subsequenti suæ epistolæ capite, quamdam generalem regulam subjiciens, ait : *Quod si quid a quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacumque synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre decretis, et facilius erit quarumlibet dissensionum pacta dissolvi, quam prædictorum canonum regulas ulla ex parte corrumpi.* In hac igitur regula recensenda, ut diximus, valde probabile est S. Leonem nimiam Maximi Antiocheni facilitatem seu indulgentiam taxare voluisse, qua Eustathio permisit se subtrahere a metropolitico jure Ecclesiæ Tyriorum, cui Berytensis Ecclesia a prima sua origine fuerat subjecta. Conjecturam nostram corroborant cum Eustathii tum Photii verba in actione quarta descripta, de quibus ipsi in superioribus jam verba fecimus.

3. Gravis eodem anno controversia de Paschate celebrando exorta est. Quam ut dirimeret, *memor* (ait) *dispensationis creditæ*, Marciani imperatoris studiis petiit adjuvari, *ut in ea observantia, quæ certa semper ratione variatur, nihil possit erroris incurri* (*a*). Curam paschalis cycli Alexandrino episcopo olim esse demandatam asseverat. Sed quia subjicit : *Sanctæ memoriæ Theophilus, Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus, cum hujus observationis annos centum numero collegisset, septuagesimi sexti anni paschale festum longe aliter quam alii decreverant tenendum esse constituit.* Totius enim hujus magnæ controversiæ motiva recenset, et ne mutabilis lunaris cursus erroris causam præberet, imperatorem hisce verbis compellat : *Obsecro clementiam vestram, ut studium vestrum præstare dignemini quatenus Ægyptii, vel si qui sunt alii qui certam hujus supputationis videntur habere notitiam, scrupulum hujus sollicitudinis absolvent, ut in eum diem generalis observantia dirigatur, qui nec paternarum constitutionum normam relinquat, nec ultra præfixos terminos evagetur.* Julianum quoque episcopum Coensem apostolicæ sedis vicarium, diligenter de eadem quæstione inquirere, et quanto citius etiam rescribere rogat (*b*).

Summam quidem nostri S. pontificis sollicitudinem in definiendis iis ritibus qui ad paschalis festi solemnitatem pertinebant, ut nimirum omnes fideles in eamdem observantiam convenirent, non tantum duæ præcedentes epistolæ patefaciunt, verum etiam nobis indicatum est ex paschali canone diligenter hac de causa conscripto a Victore Aquitano, qui de mandato ejusdem S. pontificis ab Hilaro Romanæ Ecclesiæ archidiacono interpellatus fuit, ut cyclum paschalem in tabulas redigeret, et, explicatis discordiæ causis, quæ in diverso supputandi modo occurrebant, tandem quid magis veritati congruebat patefaceret. Victorius ergo Aquitanus, seu, ut alii volunt, Victorinus, vir fuit summa pietate præditus, et in mathematicis calculis perquam exercitatus, impositum ab Hilaro opus aggressus est, et perfecte absolvit. Illudque omnium primus publici juris fecit, eruditissimis quidem commentariis adornatum, cl. Ægidius Bucherius soc. Jesu, atque ipsi iterum ad Vaticanorum codicum lectiones emendavimus, **532** ut inter Leonina Opera debitum locum obtineat. Non arbitror quidem hocce nostrum consilium improbari posse ab iis qui laudatum canonem quandoque lustrantur. Nam præter quod Victorius eum conscripsit pontificiis mandatis obtemperare cupiens, gravissimam tandem etiam quæstionem de Paschate in antiquis cyclis duplici designatione notato solvit scribendo : *Quod non meo judicio aliquid definitur, sed pro Ecclesiarum pace apostolici pontificis electione servatum. Quatenus nec ego quod ad meum pertinebat officium præterirem, et in ejus constitueretur arbitrio, qui universali Ecclesiæ præsideret, quinam potissimum dies in tali conditione solemnitati præcipue deputetur.* Ad hanc gravissimam dirimendam quæstionem, etiam suum laborem insumpsit de imperatoris Marciani mandato Proterius Alexandrinus, vix ad illam Ecclesiam regendam assumptus, qui scribens ad nostrum sanctum pontificem, centenalem Theophili laterculum librarii aut mendosi codicis vitio corruptum affirmat, et propterea nusquam esse recedendum a centenario annorum cursu *ejusdem beatissimi patris et episcopi nostri Theophili, qui antiquorum paginis omnino concordat* (*c*).

4. Jam vero intelligo me animo alienatum a constituto proposito extra terminos Eutychianæ hæreseos vagatum abiisse; et, quasi inconsulto *Leoninarum* epistolarum ordinem et numerum sequendo, in eam gravissimam incidisse quæstionem, quæ diu multumque pontificis animum torsit, quæque gravissimos nodos in se continet, nec facile solvendos ab iis qui etiam in mathematicis calculis et supputationibus faciendis sedulo versantur. Quod autem quæstio hæc pontificium animum graviter agitaverit, ex aliis et aliis ejusdem epistolis conjicitur (*d*). Quod spectat itaque ad Anatolii res, et ad Eutychianorum superstites reliquias, horumque nefarias artes, superest tandem ut describamus. Anatolius imprimis gravissime ab imperatore Marciano increpatus ad optimam frugem redactus est, quem in suam gratiam S. Leo se recepturum esse spondet, dummodo canonibus satisfaciat, et sacerdotum jura non convellat. De qua sponsione cum certus factus fuisset, idem Anatolius non distulit suas epistolas scribere ad S. pontificem, in quibus humillime de intermisso epistolarum commercio conqueritur; quod sane magnæ anxietatis et doloris augmentum eidem attulerat, cum desiderasset *frequentius potiri pontificiis affatibus.* Protestatur se esse paratum obediendo complere quæ *vestris omnifariam perfectissimis sensibus placita videbantur.* Cujus quidem rei plura in præsentiarum exhibens testimonia, primo ait Aetium et archidiaconi ministerio dejectum in priori loco, atque honore ecclesiastico jam esse restitutum; Andream vero, qui *archidiaconi dignitate fuerat honoratus*, jam ab Ecclesia esse separatum, et gradu dejectum, quia contra S. Flavianum pro Eutychis partibus decertaverat : *quamvis excusationibus plurimis et subscriptionibus propriis, quas epistolæ sanctitatis vestræ subdiderant, jam viderentur satisfecisse præteritis.* Duo alia præterea suæ resipiscentiæ argumenta in hac epistola profert. Alterum pertinet ad initam pacem et summam conjunctionem quam cum Romano pontifice Leone in posterum habere et inviolabili nexu conservare desiderat. Alterum vero respicit præcedentem sui ambitus culpam,

(*a*) Epist. ad Marcianum august. 94.

(*b*) Epist. 91.

(*c*) Proterii episcopi Alexandrini epist. ad S. Leonem, cap. 1.

(*d*) De hac paschalis festi controversia mentionem facit S. Leo in epist. 100 et 102 ad Julianum episcopum Coensem. Rursus in epist. 105 ad Marcianum augustum, et in epistola 109 ad episcopos Galliarum et Hispaniarum.

quam a se amolitur, eamque in cleri sui episcoporumque Orientalium studium refundit. Illud unum addens, quod Quesnelliana et Launoii commenta maxime evertit, affirmando Chalcedonensium gestorum vim omnem et confirmationem auctoritati apostolicæ sedis fuisse reservatam. *Cum et sic* (ne inepte fabulari videar Anatolii verba subjicio) *cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestræ beatitudinis fuerit reservata* (*a*).

533 5. Hisce ergo litteris acceptis non distulit S. Leo responsum dare Anatolio, et nihil minuens de pontificia majestate, firmum incommutabileque propositum in ejus mentem revocat, quo curæ communis gratiæ debuisset studere, ne ullam anxietatem sibi ingereret. Subjicit se optasse in ecclesiasticis curis talem habere consortem quales erga apostolicam sedem quamplurimi ejus prædecessores se exhibuerunt, quos inter expresse nominat Joannem Chrysostomum, Atticum, Procum, atque Flavianum. Laudat eum præterea, quod quædam in officiis clericorum male gesta correxerit, et Aetium presbyterum in gratiam affectionemque revocaverit, et Andream ab archidiaconi actione submoverit. Verumtamen indulgentiam quamdam adhiberi cupiens cum iis qui quondam Nestoriana et Eutychiana hæresi fuerant infecti, et contra Flavianum decertaverant, eidem Anatolio demandat veniam dare, si exsecrabilia dogmata condemnent, et correctionis argumenta exhibeant. Ait enim: *Andream sane, qui rationabiliter archidiaconi est privatus officio, et Eufratam, qui sanctæ memoriæ Flaviani, ut comperi, improbus exstitit accusator, si professionibus plenissime scriptis non minus Eutychianam quam Nestorianorum exsecrabile dogma condemnant, quorum venia est præstanda correctis, presbyteros consecrabis.* Et paulo infra, loquens de cæteris pari errore inquinatis, subdit: *Si veniam simili professione cum satisfactione deposcunt suis ordinibus reformarentur, his tantum ad officiorum primatum admissis, quos ab omni errore liberos fuisse constiterit* (*b*).

6. Pontificiæ quoque auctoritatis majestatem conservans, gradum facit ad disserendum de epistolarum intermisso commercio, quod causa ambitus abruperat, cum laudatum canonem 28 auctoritate sancti Petri prorsus cassaverat atque aboleverat. Et desiderans quidem in Anatolio majorem sinceritatem in culpa agnoscenda, majoremque efficaciam in ea detestanda, aperte fatetur præfatam culpam ad sola Constantinopolitanorum clericorum consilia non debere transferri, quod *sine tua voluntate* (ait) *non potuit tentari. Quia sicuti in mala suasione delinquitur, ita et in mala confessione peccatur.* Subjicit deinde non esse sibi ingratum, quod eum displiceret, quod jam placere non poterat. Quam secutus persuasionem, veterem gratiam ei promittit, maxime principis Christiani attestatione suffragante. Sibi quoque concinit S. pontifex in alia epistola eadem die scripta ad Marcianum imperatorem, expresse affirmans, Anatolium in suam gratiam recepisse, quia *per omnia me* D *clementiæ vestræ parere delectet.* Subdit præterea: *Amabilem, fidumque se præbeat, et ab ea, quam illi spondeo charitate nulla se deinceps varietate dissociet, eos sibi sincera affectione conjungens quos catholicæ fidei probavimus defensores* (*c*). Interim autem Constantinopolitanæ Ecclesiæ majori bono atque tranquillitati prospiciens, imperatorem rogat ut *Carosus monachus nimis imperitus, nimisque perversus, qui, ut comperi* (ait), *multorum corda subvertit sua venena pietatis vestræ beneficio ultra non exerat*, qui nimis audacter hæreticorum exstinctos conatus redivivos fieri quærebat, perfidiam Eutychianam defendendo, et synodalem auctoritatem violando. Et quidem nec inutilis, nec optato effectu vacua fuit S. pontificis deprecatio, nam sequenti anno 456, tertio idus Februarii, debitas gratias eidem imperatori Marciano rependit, quod Carosum illiusque socium Dorotheum, qui hæretica pravitate in multorum perniciem damnatos tuebantur errores, ex antiquis eorum monasteriis expulerit, jubendo *apud eos degere, quibus nocere non possent, quod ut spero multis remedio erit, quos a perversis doctoribus liberastis.* At Carosum tandem sincera fidei confessione hæreseos virus ejecisse, credidit S. P. e relatione a Juliano Coense accepta (*d*). 534 Sed eum adhuc ecclesiastica fuisse communione privatum, ob quasdam cum Anatolio discordias, eadem in epistola nobis indicatum est. Quarum quidem discordiarum originem aut inquirere aut referre ad nostrum haud arbitror pertinere institutum, cum ad exitum perducere dumtaxat intendamus, eas in D. Leonis Opera Exercitationes, quæ ad Eutychianam hæresim et historiam pertinere cognovimus.

B 7. Maximam quidem ergo injuriam subirem, si qui, ad præsentem hanc meam scribendi methodum attendentes, vitio dare vellent quod prorsus narrare præterierim gravissimam illam cladem Romano Occidentali imperio illatam, ob quam Urbs ipsa a Vandalis capta, incensa atque direpta fuit. Hæc itaque clades tanta tristitia et mœrore sancti pontificis animum affecit, ut prorsus eo tempore Orientalium rebus vacare non potuerit. Immo, Quesnello etiam teste, intermisso omni epistolarum commercio, totus fuit in reparanda civitatis et ecclesiarum strage, et annum fere integrum dare debuit ut afflictæ patriæ necessitatibus opitularetur. Nullam tamen de hac clade Urbi a Vandalis illata in suis epistolis S. Leo facit mentionem. Dumtaxat in orationibus ad R. populum habitis paucis eam descripsit. Verumtamen, eam timuisse, et jam a quinque annis prophetico quodam spiritu prænuntiasse, ipsi, ex epistolis ad Marcianum imperatorem, et ad Pulcheriam augustam, quando Chalcedonense concilium adire rogabatur, jam in præcedentibus observavimus. Neque C vero sola hæc Urbis direptio a Barbaris facta pontificium torsit animum; verum etiam hujus mœrorem maxime auxit Marciani imperatoris optimi principis obitus, qui quoadusque vixit omnino pendebat a S. pontificis insinuationibus, monitis atque suggestionibus, quin umquam ab ipsius nutibus resiliret. Is ergo in imperio sex annis, et totidem mensibus, duobus aut tribus diebus consumptis, ex hac luce migravit. Cui Leo tribunitius ex senatu-consulto communi calculo in imperio successit. Marciani tamen obitus Eutychianis in Ægypto aliisque in Orientalium provinciis delitescentibus occasionem dedit ut in catholicos episcopos irruerent, contenderentque audacissime Chalcedonensia gesta esse retractanda, novumque habendum concilium ut fidei causa discuteretur. Præ cæteris audaciores facti sunt Alexandrini, qui Dioscoro etiam vita functo semper adhæserunt; quibusque maxime invisus erat sanctus Proterius episcopus catholicus, omni virtutum genere ornatus. In hunc ergo irruere non exhorruerunt eidem sacrilege cædem inferentes, et, maximis commotionibus tum in tota Ægypto tum etiam in Constantinopolitana Ecclesia excitatis, quasi sibi blandiebantur intentum posse consequi finem, si a novo imperatore hujusque ministris aliquid præsidii obtinuissent. At prava spe decepti fuerunt. Leo namque, habito nuntio quod ad Orientis imperium Leo tribunitius fuerat assumptus, suis epistolis eidem gratulatur, paginæ suas adjiciens supplicationes, ut catholicæ fidei rebus præsidium præstaret, ne Alexandrina potissimum Ecclesia, hæreticorum furore vexata atque impugnata ad plenum exitium perduceretur. *Quod opus* (ait) *virtutibus vestris gloriæque conveniens celerem a Deo placitum ha-*

(*a*) Anatolii epistola ad S. Leonem exstat tom. I Quesnellianæ editionis, pag. 325.
(*b*) Epistola 106, cap. 1 et 2.
(*c*) S. Leo, epist., 107, cap. 3.
(*d*) S. Leo, epist. 113, cap. 1.

bebit effectum, si sanctam Chalcedonensem synodum, de Domini Christi incarnatione firmatam, nulla permiseritis retractatione pulsari. Neque vero Leonem augustum omnes Eutychianorum conatus latebant; cum isti jam post Marciani obitum novum imperatorem multis variisque molitionibus circumvenire curassent, ut in eam sententiam veniret de Chalcedonensi synodo abolenda, quorum improbos ausus summa prudentia et religione qua pollebat prorsus irritos reddiderat, etiam antequam a sancto pontifice supplicaretur. Istius autem facti notitiam multorum relatione S. Leo acceperat. Et propterea nunc eum exorat non moveri a tanta animi constantia, sed fortius in ea persistere, subdens: *Unde quod negandum illis sponte vidistis, gloriosum vobis universali Ecclesiæ me supplicante concedere, et incommutabiliter perpetuoque* 535 *præstare, ut quæ secundum Evangelium Christi, et prædicationis apostolicæ veritatem omnibus retro sæculis una fide unaque intelligentia roborata sunt, nulla ulterius possint actione convelli.* Epistolam hanc tandem claudit, suggerendo imperatori necessitatem consulendi reparationi pacis Alexandrinæ Ecclesiæ, et *per catholicos sacerdotes* (ait) *talem præsidere jubere pontificem, in quo et in actus probitate, et in fidei professione, nihil possit reprehensibile reperiri* (*a*).

8. Anatolii autem Constantinopolitani episcopi persuasione præcedentem epistolam ad novum imperatorem scriptam fuisse, perspicue S. P. indicat, rescribendo ad eumdem Anatolium. Ab isto enim plenam acceperat relationem eorum quæ apud Alexandriam in Christianæ religionis opprobrium contigerunt, quæque ab improbis Eutychianis moliebantur ut Chalcedonensis concilii decreta abolerentur, sed horum insidias strenue repulsas fuisse ab ipso imperatore. Nunc ergo Anatolium laudat ob curam quam impendit in Ecclesiarum bonum, poscendo ut pontificiis precibus imperialis opitulatio quæreretur, pro iis remediis adhibendis, quæ et vulneribus sanandis, et ad hæreticorum audaciam frangendam necessaria videbantur. Hunc præterea admonet de epistolis hac de causa jam scriptis ad imperatorem. Atque tandem subjicit : *Superest ut fraternitas tua ex opportunitate præsentiæ fidelissimi imperatoris animum studeat enixius deprecari de statutis synodi Chalcedonensis sine ulla retractatione servandis.*

9. Sed tantarum perturbationum causam et auctores nos referre oportet, ut reliqua intelligamus quæ ad Eutychianam historiam pertinent, et in quibus apostolica S. Leonis sollicitudo versabatur explicemus. Liberatus diaconus rerum omnium seriem narravit dicendo post Chalcedonense concilium Dioscorum in Gangrena civitate exsulare fuisse coactum, et Alexandrinos episcopos et clericos, concilii Chalcedonensis auctoritate et imperiali Marciani mandato, novum episcopum eligere jussos fuisse, ut etiam ex Actis Chalcedonensibus ipsi annotavimus. *Collecti sunt ergo nobiles* (ait Liberatus) *ut eum qui esset vita et sermone pontificatu dignus, eligerent...*, *Cum super hoc multa dubitatio processisset, volentibus civibus neminem penitus ordinare, ne adulteri viderentur* (*Dioscoro quippe vivente*), *tandem omnium sententia in Proterium declinavit, cui etiam Dioscorus commendaverat Ecclesiam, qui eum archipresbyterum fecerat* (*b*). Proterii igitur in Alexandrinum episcopum electio et subsecuta ordinatio causa fuit maximi schismatis, cujus auctores simulationibus secretas eorum molitiones occulere nisi sunt, quoadusque Marcianus in imperio fuit superstes. Sed, eo vita functo, Egyptii fidem facile expugnari posse crediderunt, seditionem diu animo conceptam excitantes. Nam Timotheus Ælurus, et Petrus Moggus diaconus, ambo a Dioscoro ordinati, urbem circumcursantes, plebem novitatum avidam cœperunt sibi conciliare, et collectis turbis hæreticorum, quæ Dioscorum sequebantur, et ascitis duobus episcopis ob apertam hæresim jam sacerdotio privatis, Timotheus Ælurus seditionis princeps episcopus ordinatur, Proterii sedem invadit, legitimo pastore expulso. At Proterius Eutychianorum furorem evadere cupiens se in baptisterium recepit. Quem locum satellites Timothei invadere non exhorruerunt, ipsum Proterium occidentes, unco trahentes per vicos ejus cadaver, quod *laniatur, ejicitur, et funus ejus incenditur, sparguntur cineres ejus in ventos*. Rem totam narrat Liberatus diaconus capit. 15, addens. *Ab isto ergo Timotheo duo episcopi Alexandriæ cœperunt esse.* Et idcirco populus, et clerus in duas factiones contrarias divisi, alii Chalcedonense concilium defendebant, alii vero gravius apud imperatorem 536 Leonem instabant ut *Chalcedonensis synodus tolleretur. At imperator* (subjicit Liberatus) *ambarum partium supplicationes legens, et considerans nimis esse grave vexari tanto itinere* (novum concilium Eutychiani petebant) *sacerdotes, quorum aut ætas, aut infirmitas, aut paupertas hunc laborem subire prohibebat, impossibile judicavit eos congregari.* Sed scripsit singularum civitatum episcopis de *utroque negotio ; nimirum de ordinatione Timothei Æluri*, atque de supplicationibus sibi factis pro abolenda synodo Chalcedonensi. At divina dispositione factum ut episcopi omnes qui ad synodum Chalcedonensem convenerant sine ulla prorsus hæsitatione statim rescriberent : *Chalcedonensem synodum usque ad sanguinem vindicandam, eo quod non alteram fidem teneret quam synodus Nicæna constituit.* Timotheum vero non solum inter episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari. Nescio tamen cur Liberatus præcedentem hanc rerum gestarum seriem fideliter describens, penitus referre omiserit quæ a S. Leone gesta sunt pro inviolabili Chalcedonensium decretorum observantia, et pro amovendo ab Alexandrina sede Timotheo Æluro, et abolendo diro illo schismate quod Ecclesiam illam affligebat et ad exitium catholicam fidem perducebat. Neque enim pontificis nostri gesta Liberatum latere poterant.

10. Nam interea dum Alexandrina Ecclesia in alto fluctuabat hæreticorum et seditionum tempestatibus, S. Leo pontifex satagebat catholicorum constantiam excitare, datis hac causa novis epistolis, vel ad Julianum episcopum Coensem, vel ad Basilium nuper ad episcopatum Antiochenum assumptum, vel ad Euxitheum Thessalonicensem, vel ad Juvenalem Jerosolymorum, vel ad omnes metropolitas Orientalium Ecclesiarum, omnes singulosque adhortans ut sancta et strenua constantia sceleratorum ausibus se opponerent, *ne in quoquam nostrum communis fides aut trepida inveniatur aut tepida* (*c*) ; certo sibi persuadens quod si episcopalis constantia a synodi Chalcedonensis definitionibus non recederet, jam *Clementissimus et Christianissimus princeps libenter* (ait) *tuebitur sententiam suam et quod sponte jam præstitit, multo magis rogatus efficiet, ne bene finita atque composita aliqua possint novitate violari* (*d*). Neque fidei catholicæ tuendæ ardor et studium penitus exstinguendi mala quæ Alexandrinam opprimebant Ecclesiam pontificium excitarunt animum ad encyclicas scribendas epistolas, et imperatorem rogandum ne aures præberet nefariis Eutychianorum petitionibus ; sed præterea Julianum Coensem et Aetium presbyterum sollicitat, ut quanto citius pontificia scripta ad unumquemque episcoporum metropolitarum facerent pervenire, ut toto conatu novitatibus resisterent. Mirari deinde se subjicit quorumdam calumniatorum audaciam, qui, nodum in scirpo quærentes, episto-

(*a*) S. Leo Magnus, epistola 115 ad Leonem august., cap. 1 et 2.

(*b*) Liberatus diaconus, cap. 19 in suo Breviario.

(*c*) Epistola ad Basilium Antiochenum 118, et in 119 ad Euxitheum Thessalonicensem et Juvenalem Jerosolymorum.

(*d*) Epistola 120 ad Julianum Coensem episcopum.

jam pontificiam scriptam ad Flavianum, ab omnibus tamquam fidei regulam acceptatam, accusabant tamquam obscuram sensu, vel sermone ambiguam, quasi quod ipsius epistolæ assertiones ex evangelica et apostolica doctrina non essent derivatæ. *Miror sane* (inquit) *calumniantium vanitati aliquid adhuc in epistola mea, quæ toto mundo placuit, obscurum videri, ut de ea putent apertius exponendum; cum illius prædicationis tam plena et solida sit assertio, ut nihil accipiat vel in sensu vel in sermone novitatis. Quia quidquid a nobis tunc scriptum est ex evangelica et apostolica probatur sumptum esse doctrina* (*a*). Quam calumniantium vanitatem volens refellere, et evidentissime probare novis expositionibus locum superesse non posse, quas Eutychiani fieri petebant, ad vulnerandam saltem Chalcedonensis synodi auctoritatem, Aetio suo vicario exemplaria litterarum quas Galli et Itali ad se scripserant misit, ut ostenderet omnes etiam Occidentis **537** episcopos summa consensione eamdem profiteri doctrinam. *Exemplaria quoque litterarum quæ Galli ad nos atque Itali Episcopi concordi credulitate miserunt pariter direximus, ut quam etiam illorum nobiscum sit fides una non lateat* (*b*). Digna hæc quidem erant ut a Liberato diacono Eutychianistarum historiam scribente leviter saltem indicarentur. Et quemadmodum ipse minime dissimulare poterat quæ a S. Leone gesta fuerant ad latrocinale Ephesinum abolendum, Dioscori et Eutychetis impietatem coercendam atque damnandam, et demum etiam explicavit studium quod adhibuerat ad catholicam fidem in œcumenico Chalcedonensi concilio firmandam; ita quoque paucis eum describere oportebat quanta qualiaque noster S. P. fecerat, cum pro sustinendis ejusdem concilii decretis, tum pro reparandis iis gravissimis malis, quæ post Marciani mortem, ob nefarias Eutychianorum molitiones, Alexandriam, Ægyptum et ipsam Constantinopolitanam Ecclesiam quoque dire cum catholicæ fidei exitio vexabant. Jam vero Liberato Carthaginensi diacono veniam demus, qui quamvis in conscribendo Breviario de Nestoriana et Eutychiana hæresi præ manibus habuisset synodorum gesta, et SS. Patrum epistolas, ut ipse in præfatione hujus opusculi asseverat, tamen non omnem diligentiam servavit; et in causa de qua agimus potius animo intendebat referre gravissimum illud Alexandrinorum schisma, quam indicare apostolicæ Romanæ sedis studium et gravissimos conatus ut illud comprimeret et repararet.

11. Cæterum Liberatum minime latere poterant quæ S. Leo fecerat, ante et post Proterii mortem, pro eludendis Alexandrinorum nefariis artibus, horumque Ecclesiam ad perfectam tranquillitatem et pacem inducendam. Acceptis namque a Proterio epistolis suæ ordinationis indicibus ad eumdem rescribere haud distulit, et orsus a gratulationis officiis, ait: *Lætificaverunt me litteræ dilectionis tuæ, quas frater et coepiscopus noster Nestorius* (Beda habet *Nectarius*) *pio adoptavit affectu. Oportebat enim ut ab Alexandrinæ Ecclesiæ præsule talia scripta ad sedem apostolicam mitterentur, quæ ostenderent magisterio beatissimi Petri apostoli hoc ab initio per beatum Marcum ejus discipulum didicisse: Ægyptios, quod constat credidisse Romanos* (*c*). Multis deinde eadem epistola suam doctrinam in epist. ad Flavianum contentam defendit adversus hæreticorum calumnias; quam legi optat frequenti concione, ut Alexandrinos de sua doctrina faciat certiores. Atque tandem jubet ut allata Patrum testimonia cum sua epistola publice conferat, qua palam fieret eum Nestorium pariter et Eutychetem damnare. Specialem ergo curam Romanum pontificem de Alexandrina Ecclesia semper habuisse, variis argumentis in harum Exercitationum cursu ipsi jam observavimus, quæ quidem tanto magis augebatur, quanto majores erant necessitates quibus premebatur, et R. pontificem prospicere oportebat.

538 CAPUT XII ET ULTIMUM.

Summum tandem studium usque ad vitæ exitum S. Leo adhibuit in firmandis Chalcedonensibus decretis, in reparanda Alexandrinæ Ecclesiæ clade, et in hæreticis Eutychianis exstinguendis.

1. Verbis haudquaquam explicare possemus S. P. Leonis studium in reparanda Alexandrinæ Ecclesiæ clade, nisi ejusdem agendi ratio post Proterii mortem adhibita perspicue illud patefaceret. Sed præter monumenta illa quæ jam in superioribus ad hanc veritatem ostendendam a nobis adducta sunt, et alia supersunt ex quibus apprime cognoscimus S. Leonem reliquos suæ mortalis vitæ dies insumpsisse ut omnes Eutychianos conatus et molitiones eluderet, compesceret, attereret; Chalcedonensem synodum tueretur; catholicam fidem sustineret, et orthodoxos episcopos oppressos, et seditiosorum factione exsulatum abire coactos, ab ærumnis quas patiebantur eximeret. Colligimus id potissimum ex epistola tertia quam scripsit ad Leonem augustum, qua primo ei gratulatur quod Chalcedonense concilium custodire voluerit; et gradum faciens ad pertinaces et insidiosas hæreticorum contentiones, postulat ut pro Christianæ reipublicæ, et imperii incolumitate et bono, regia potestate utatur ad eos compescendos atque frenandos. *Cujus pertinax* (ait) *et insidiosa contentio illico conquiescet, si imperiali potestate frenetur* (*d*). Voluisse autem S. pontificem imperatori consulere, Alexandrinos hæreticos in exsilium pellere, aliisque pœnis multari, indicant verba subsequentis epist. scriptæ ad Ægyptios episcopos catholicos; qui, post Timothei Æluri ordinationem, relictis suis sedibus, venerant Constantinopolim, solamen atque præsidium quæsituri. Eos autem pro fide extorres pontifex consolatur, et ut pro incarnationis mysterio patienter adversa tolerent hortatur, sibi persuadens: *Ut per vestram patientiam* (ait) *multorum devotio roboretur, et cum gloria venerandi principis Alexandrina Ecclesia, depulsis hæreticis, antiquam recipiat dignitatem* (*e*). Pontificis autem voluntas non plene suum effectum assecuta est, nescio an ob nimiam imperatoris clementiam, vel ob Anatolii desidiam, quibus factum est ut etiam inter Constantinopolitanos clericos nonnulli haberentur qui Alexandrinis latronibus adhærebant, et Eutychiana dogmata imbiberant, maxime Chalcedonensium decretorum contemptu et injuria. Quæ cum S. pontifex rescivisset, arrepto calamo, prime litteras dat Anatolio Constantinopolitano: excitat ejus vigilantiam contra hæreticorum conatus: eum arguit, *ut inter dilectionis tuæ quidam esse dicuntur qui adversariorum conniveant pravitati, et vasis iræ vasa misericordiæ misceantur*. Tum Anatolii vigilantiam urget, *ut severitate congrua* coerceat atque investiget hæreticos, ita ut quibus *prodesse non potuerit correctio, non parcat abscisio*. Atque denique in hujus mentem revocat illud Evangelii mandatum: *Ut si nos oculus, aut pes, aut dextra scandalizaverit manus, a compage corporis auferatur; quia melius sit his in Ecclesia officiis carere membrorum, quam cum ipsis in æterna supplicia ire*. Fortius quidem urgere Anatolium hujusque vigilantiam excitare quæsivit alia epistola paulo post ad eumdem scripta, cujus determinatum tempus haudquaquam definire possumus, cum consulari nota careat. Est enim inter Leoninas 126.

2. Tum recenter S. pontifex ab Anatolio litteras acceperat, quibus Alexandrinæ Ecclesiæ lacrymabilem statum expresserat, ipsius tamen **539** *atrocia facinora epistolarum pagina explicare non potuerunt*. Maxime autem dolore id cognovisse

(*a*) Epistola 120 ad Julianum Coensem.
(*b*) Epist. 121 ad Aetium, cap. 2.
(*c*) Leonis epist. 103 ad Proterium, cap. 1 et 2.

(*d*) Epist. 122.
(*e*) Epist. 123.

asseverat. Sed quoniam locorum maxima distantia et Eutychianorum impetus Leoni non permittebant effrenem eorumdem frangere contumaciam, cum omnes ecclesiasticas leges et pœnas non reformidarent; idcirco suggerit Anatolio ut supplicare non desinat imperatorem, *et crebris suggestionibus poscere ut quamprimum a pervasoribus suis Alexandrina Ecclesia liberetur.* Sibi præterea consolationem allatam fuisse asseverat ex relatione accepta: *quod ex omni numero episcoporum qui Ægyptianis diœcesibus præsunt solum dudum damnati potuerunt quatuor inveniri, qui Timotheo et impietate hæreseos et sceleris latrocinio jungerentur; qui ad petendam synodum admitti nullatenus possunt, etiamsi de solo hæretico arguerentur errore.* Catholicos deinde episcopos ex Ægypto profugos, qui Constantinopolim convenerant, imperatori commendasse, ut opem obtinerent, testatus est. Tandem in ipsum Anatolium stylum convertit, huncque vehementer arguit quod Attici Constantinopolitani presbyteri contumaciam non represserit, qui *ad eam* insolentiam profecit, ut in ecclesia contra *catholicam fidem* et *Chalcedonensem synodum* ausus fuerat disputare. *Cogor* (ait) *vehementius de tua dissimulatione causari.* Minaturque se pro sua auctoritate facturum, si detrectet illum Andreamque socium suæ impietatis a communione abscindere. *Quem nos, si fieri potest, emendari malumus, quam perire.* Qualia vero emendationis argumenta præscribat, ex subsequentibus intelligimus. Vult enim Leo *ut de eo loco, unde contra catholicam fidem multa disseruit, aperte nunc ipsius fidei prædicator appareat, et nihil Eutychiani dogmatis prætermittat, quod non manifestatione suæ professionis Christiano populo audiente condemnet* (*a*). Graviter tamen hoc objurgationis genus Anatolio displicuisse, quasi res suæ Ecclesiæ non curaret, et ea dissimularet quæ ad fidei catholicæ perniciem in Constantinopolitana contingebant Ecclesia, ex istius querimoniis innotescit. Moderate tamen Anatolii querimonias Leo accepit; illique ait inquirere delegasse utrum vera essent quæ de Attico fama jactaret. *Neque in aliquo* (subjicit) *honorem tuum læsi: cui discutienda ea quæ ad me erant perlata commisi.* Denique ad excludendam omnem suspicionem qua Atticus tamquam læsæ fidei homo in omnium ore traducebatur, monet et mandat ut is non voce tantum sed propria subscriptione publice, *quæ in ecclesia, Christiano populo præsente, recitetur*, Eutychianum damnet errorem, et Chalcedonensis synodi decretis apost. sedis auctoritate firmatis se adhærere profiteatur.

3. Hæc tamen controversia de Attico presbytero nova non erat. Nam S. pontifex jam scripserat ad imperatorem in C P. Ecclesia reperiri clericos ambiguæ fidei, quos ab Anatolio ejici petebat, huncque arguebat quod negligenter ferret aliquos de fide perverse sentire et loqui. Quare imperatorem ita compellat, ad justitiam ultionis illum excitando, ne Constantinopolitanæ Ecclesiæ puritas obscuretur: *In qua inveniuntur clerici quidam hæreticorum sensui consonantes, ut intra catholicorum viscera assertionibus suis hæreticos adjuvantes; in quibus deturbandis si frater meus Anatolius, cum nimis benigne parcit, segnior invenitur* (*b*). Hinc ergo pontifex ipsum augustum rogat ut dignetur pro sua fide *etiam* istam Ecclesiæ præstare medicinam, ut tales non solum ab ordine clericatus, sed etiam ab Urbis habitatione pellantur, *Ne ulterius sanctus Dei populus perversorum hominum contagio polluatur.* Leonis votis annuit augustus, Atticumque impulit ut de sua fide ad Rom. pontificem scriberet, et meditata professione omnem de sua doctrina suspicionem amoveret. Perfecit Atticus in speciem quod augustus jusserat; edidit Romamque misit confessionem fidei, sed valde obscuram et verborum ambage implicatam. Quam fidei **540** professionem cum S. pontifex lustrasset, seduloque ad verborum vim et significationem attendisset, eam taliter incertam esse judicavit, ut confirmaverit potius quam diluerit *quidquid* (ait) *ad nos de eo fama pertulerat; cum si conscientiam suam voluisset probare sinceram, non Eutychen sibi odiosum fuisse, sed quod perfidiam ipsius reprobaret atque damnaret, debuerat confiteri* (*c*). Illa ergo fuit Attici subdola agendi ratio, ut profiteretur sibi odiosum fuisse Eutychetem, cui anathema dicere non detrectabat, quin istius prava dogmata reprobaret. Quare S. pontifex volens ipsius vafritiem eludere, talem ab eo fidei professionem fieri postulabat, de qua umquam dubitare non liceret. Alias imperabat ut ipse et Andreas ejusdem criminis socius ab ordine et omni honore clericali amoverentur. *Atticum vero* (ait) *et Andream, quorum nomina fratri et coepiscopo meo Anatolio missis ante litteris indicavi, quos a vestra laudabili fide dissentire cognovi* (scribit ad presbyteros, diaconos et clericos Ecclesiæ Constantinopolitanæ) *atque apertissime Eutychianorum connivere perfidiæ, nisi prius hostilia dogmata propria voce ac subscriptione damnaverint, et fidem Chalcedonensi concilio roboratam, in ecclesia, populo Christiano præsente, se professi fuerint secuturos, ordinis sui honore priventur.* Qualem tandem exitum Attici et Andreæ causa obtinuerit, neque ex S. Leone, neque ex alio Christianæ rei monumento potuimus investigare. Sed minime ambigendum est, aut eos, servatis omnibus conditionibus recensitis, suam perfidiam abjecisse; aut a catholicorum societate fuisse avulsos, et clericali honore privatos, cum numquam sanctissimus pontifex recesserit a decisis.

4. Restat jam tandem ut videamus quid de Eutychianis Alexandrinam Ecclesiam diripientibus factum fuisset, cum jam S. pontifex crebris suarum epistolarum suggestionibus opem ab imperatore petiisset, pro exturbando Timotheo Æluro, illius sedis prædone et invasore; alioque habendo episcopo, qui catholicam fidem profiteretur. Leonem autem augustum suam opem et auctoritatem adhibuisse, ut res ad felicem exitum perducerentur, minime ambigendum est. Sed facile non potuit omnes Eutychianorum insidias præcavere, qui pro Ecclesiæ et imperii rebus componendis novam synodum necessariam esse confingebant, quorum spem S. P. iteratis litteris frustraverat; qua amputata, saltem publicum colloquium petunt cum iis quos S. Leo maluerit. Æqua sane postrema hæc Eutychianorum petitio videbatur iis qui subdolas horumce artes non intelligebant; potissimum cum petitio rumoribus comitaretur, hos sincere velle edoceri fidei veritate, opinionumque non ita esse tenaces, ut nollent emendare eas si falsatas esse demonstrarent. Per aulicos itaque ministros Eutychiani imperatorem adierunt, ut huic collationem persuaderent, qui circumventus ab aliorum consiliis, scribit ad S. Leonem, affirmando synodum frustra peti postquam synodo Chalcedonensi finita controversia erat, *quia perfectio incrementum et adjectionem plenitudo non recipit.* Quæ verba S. Leo in suam epistolam transtulit, imperatoris sententiam laudando. Ea ergo humanitate animique promptitudine qua solebat statim S. Leo imperialibus epistolis dedit responsum, et, manifestato sui animi gaudio, imperatori gratulatur: *Cum clementiæ vestræ* (ait) *excellentissimam fidem augeri...... agnosco* (*d*). Fidei soliditatem supra firmissimam petram ædificatam prædicat, a qua procul omnium opinionum varietates arcendas esse asseverat, ne ingrati divinæ misericordiæ muneribus inveniamur, *et tamquam nulla sint quæ adepti sumus, contraria potius exspectamus. Nam* (subjicit) *quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare, et quæ sunt definita convellere, quid aliud est, quam de adeptis gratias non referre, et ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?* **541** Negat præterea se communionem habere velle

(*a*) Leonis epist. 126.
(*b*) Epist. 126.

(*c*) Epist. 128.
(*d*) Epistola 132, cap. 1 et seq.

cum hæreticis, qui de argumentationum suarum versutia gloriantur, ut Evangelio Christi contradicant. Sed confidens per omnia de imperiali pietate, se missurum spondet aliquos legatos, non ut disputent cum Eutychianis, sed eos instruant, quia *de rebus apud Nicæam, et apud Chalcedonam, sicut Deo placuit definitis, nullum audemus inire tractatum* (a). Sub finem epistolæ labentem Alexandrinam Ecclesiam eidem commendat, ut, ejectis ex urbe parricidis, eam tandem in libertatem vindicet.

Præcedens laudata S. Leonis epistola, labente mense Martio scripta fuit, Leone et Majoriano consulatum agentibus, quod in annum 458 incidit. Sed non statim misit legatos quos se missurum esse spoponderat. Nam ex subsequenti epistola, quam scripserat decimo sexto kal. Septembris ejusdem anni, intelligimus tum solum dirigere deliberasse Domitianum et Geminianum episcopos, qui pontificias partes agentes Ecclesiæ pacem quærerent, quin bene definita ad novum tractatum revocare permitterent. B Addit omnino vitandas esse disputationes quascumque cum fidei negotia tractantur, et exemplum Christi adducit, qui Evangelii doctrinam cunctis nationibus annuntiandam, non oratoribus atque philosophis, sed hominibus piscatoribus atque humilibus commisit. Cui exemplo Eutychiani repugnabant, dogma in synodo definitum in disputationem adducere contendentes. Instabat Leo tandem apud imperatorem, ut benignas aures præbere vellet legatorum suggestionibus, quos miserat non disceptaturos cum damnatis, sed supplicaturos vobis tantum pro catholicæ fidei firmitate, quin parricidis Alexandrinis omni indulgentia indignis humana remissio concedi posset, cum ille solus exorandus esset, qui talia *potest digne plectere, et solus ineffabili misericordia relaxare.* Cum Eutychianis vero Timothæi Æluri partibus adhærentibus aliam et aliam œconomiam ecclesiasticam servari jubet; videlicet, correctis pœnitentiam non negandam mandat, obduratos vero sub synodali sententia remanere vult (b).

5. Occasione hujus legationis aliam scripsit epistolam ad eumdem imperatorem, quæ apud Quesnellum 134 est, sed in veteribus editionibus est 97. Continet hæc epistola, ut annotavit etiam Quesnellus, prolixiorem diligentioremque de mysterio incarnationis tractationem. Plurima amplissimaque habet subjecta SS. PP. testimonia, quibus Eutychis error jampridem damnatus ostenditur. Sed in fine hujus epistolæ in imperatoris mentem revocat nihil esse congruentius imperii *potestate, quam ut paci Ecclesiarum Domini tua constitutione prospicias, et in omnibus tibi subditis Dei dona defendas, neque ulla ratione patiaris per invidiam diaboli ministros ipsius in cujusquam sævire perniciem.* Quod diu desideravit Leo tandem assecutus est. Nam imperator, pontificiorum legatorum suggestionibus auditis, secumque ea animo revolvens quæ S. pontifex ad eum in aliis et aliis scripserat epistolis, sapienter deliberavit non amplius ferre gravissimam Alexandrinorum dissensionem, impiumque Timotheum retinere sedem illam quam invaserat; suam potestatem episcoporum auctoritati adjunxit, jubendo quod jam condemnatus Timotheus ab episcopatu abiret. Quemadmodum enim res contigerint ex monumentis, quæ supersunt non sincere apparet. Quesnellus, qui a suo systemate numquam recessit, sibi imaginatur Constantinopoli habitum fuisse episcoporum conventum, et forte occasione obitus Anatolii et novi CP. episcopi eligendi; et præsentibus pontificiis legatis, Domitiano et Geminiano episcopis, lectas fuisse omnes epistolas metropolitarum cum episcoporum subscriptionibus ad Augustum missas, recitatam quoque S. Leonis epistolam 134 ad eumdem imperatorem cum subjectis SS. PP. testimoniis, atque præsentium absentiumque A consensione Timotheum ipsum fuisse condemnatum.

542 De hac in Timotheum sententia, ait idem Quesnellus, sermo est in epistola S. Leonis ad Gennadium Anatolii successorem : *Universorum* (inquit) *Domini sacerdotum sententiis coarctatus.* Et rursus S. pontifex explicare volens universalis Ecclesiæ gaudium, ob improbi Timothei ab Alexandrina sede expulsionem, scribit ad imperatorem: *Sciat clementia vestra omnes Ecclesias Dei cum laude vestra exsultare pariter, et lætari, quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ jugo improbus parricida depulsus est* (c). Fateor quidem omnes episcopos reprobasse Timothei Æluri in Alexandrinum episcopatum intrusionem, hunc tamquam parricidam et hæreticum exhorruisse, suumque mœrorem et Alexandrinæ Ecclesiæ cladem expressisse, tot tantisque epistolis in encyclico codice regestis, de quibus jam mentionem fecimus. Quid inde vero? Num conjectura est conciliariter habitam fuisse Constantinopoli congressionem, ut canonica sententia ferri posset? An non hæc canonica sententia prolata fuerat a sancto Leone Magno; qui iteratis vicibus, etiam antequam legatos mitteret, imperatorem rogaverat ut exsecutioni demandaretur Timothei invasoris expulsio, et novus catholicus episcopus ab Alexandrinis eligeretur? Non ea ratione igitur, quod omnes episcopi, tam absentes quam Constantinopoli commorantes, desideraverint et plausum fecerint Timothei Æluri depositioni, dicendum est jure horum sententia fuisse damnatum et expulsum. Id certe dumtaxat indicare habent laudata verba : *Universorum Domini sacerdotum sententiis coarctatus;* sed attendentes criminum gravitatem, omnes episcopi summa consensione urgebant ut depositionis sententia in Timotheum Ælurum a S. pontifice Leone prolata incunctanter exsecutioni demandaretur.

6. Omnem tamen spem non abjecit Timotheus ab Alexandrino throno expulsus, sed sibi blandiebatur iterum illud posse obtinere, et consuetis adhibitis artibus, venia ab Augusto obtenta, Constantinopolim C venit, et quasi innoxius cum catholicis communicavit. Admonitus S. Leo a Gennadio novo C. P. episcopo, et audito (ait) sermone fratrum coepiscoporumque nostrorum Domitiani et Geminiani, qui ex Oriente Romam venerant, rescribit ad eumdem Gennadium, valdeque conqueritur, quod communicaret cum catholicis, multisque probat episcopatu non modo indignum, sed etiam ob parricidium et sacrilegia ab eodem patrata esse cavendum. Mandat ergo Gennadio, ut non modo a publico conventu Ecclesiæ, sed a fidelium societate eum prohibeat. *Et ideo dilectio tua sollicitudine qua claret eniti et elaborare debebit, ne cum tam nefario homine sermo aliquis privatim vel publice misceatur, neve sub specie correctionis ejus quorumdam conventui præbeatur occasio, ne redeundi integram capiat libertatem, de quo jam in edictis suis princeps Christianissimus judicavit.* Duo tandem menses effluxerunt, cum ecce duo legati ex Alexandrina Ecclesia, Daniel presbyter nimirum et D Timotheus diaconus, cum litteris novi episcopi Alexandrini rite consecrati. Plebs enim et Alexandrinus clerus communi consensione atque suffragio Timotheum Solophaciolum rite solemniterque episcopum renuntiarunt, et deinde ordinarunt. De qua re summo gaudio S. Leo exsultans, statim eadem die tres scribit epistolas : unam ad novum episcopum electum et consecratum, eique gratulatur, eumque hortatur, *ut eos qui veritati aliquatenus restiterunt, reconciliandos Deo* (ait) *per Ecclesiæ preces instanter acquiras.* Secundam epistolam scripsit ad presbyteros et diaconos ejusdem Alexandrinæ Ecclesiæ, quibus pariter gratulatus est de piissimo affectu quo invicem conjuncti servaverunt unitatem spiritus in vinculo pacis, remota a seipsis ea discordiæ bestia, *quæ vineam plantationis Dominicæ* (sicut psalmus

(a) Leonis epist. 131.
(b) Epistola 133, cap. 2, 3 et 4.
(c) Leonis epist. 139.

propheticus canit) *singulari feritate vastabat*. Eos pariter excitat ad procurandam cujuslibet ordinis Christianorum resipiscentiam; ut nimirum, abjecta Eutychiana potissimum impietate, ad satisfactionis
543 remedia adhibenda faciliori via pervenire possint (*a*). Tertiam tandem epistolam scripsit ad decem Ægypti episcopos, quæ in aliquibus tantum verbis a præcedenti discordat; cum istis suam lætitiam communicat, quod ille fuerit ordinatus episcopus, quem *nullus ambitus traheret, nulla seditio impelleret, nulla iniquitas incitaret; sed, in medio constituta meritorum sanctitate, eum cunctis non dubitaret præponere quem sibi universitas cuperet præsidere* (*b*).

Hisce tandem rebus hactenus descriptis mire ea cohærent quæ Liberatus diaconus in suo Breviario tradidit. Qui indicaturus quemadmodum Alexandrinæ Ecclesiæ pax reddita fuerit, narrat imperatorem Leonem scripsisse duci Alexandriæ *Stilæ, ut pelleret quidem ab episcopatu modis omnibus Timotheum, inthronizaret autem alium decreto populi, qui synodum* (intellige Chalcedonensem) *vindicaret*. Deinde loquens de novo episcopo Alexandrino electo, Timotheo videlicet cognomento Solophaciolo, sive Asbus, ait: *Hic vixit quidem sine seditione quiete in Alexandrina Ecclesia omni tempore Leonis, et omni tempore Zenonis, donec Basiliscus arriperet tyrannidem, Zenone in Isauriam fugiente*. Nihil autem præsidii catholici exspectare poterant a Basilisco, qui jam pridem Timotheo Æluro atque Eutychianis clam saltem patrocinatus fuerat. Propterea, non mirum si, tyrannice imperio obtento, *scripsit universo orbi sanctionem suam*, *quam appellavit encyclicam contra Chalcedonense concilium*, et Timotheum Ælurum in suum episcopatum redire fecit, ut Timotheus catholicus in Canopi castellum et in monasterio latuerit (*c*). Novum hoc catholicæ religionis excidium non vidit S. Leo papa, cum jam a multis annis ex hac luce migrasset. Basiliscus namque juxta eruditissimi Dionysii Petavii tabulas, summam imperii tyrannice obtinuit anno 476, cum jam Simplicius papa Ecclesiæ clavum tenere cœperat, et jam S. Leo vivere desierat, anno 461.

7. Quales autem quantosque labores pro Ecclesia et Christo S. Leo pertulisset, et acres pugnas adversus fidei hostes, scriptis dictisque debellatas hæreses cum victoriæ triumpho, subiisset, ex dictis in hisce nostris historicis Exercitationibus perspicue innotescit. Scire autem aut animo capere promptum est qua prudentia Ecclesiam rexerit, qua constantia apostolicæ suæ sedis jura defenderit, servando semper, et conservando sui muneris majestatem, a qua numquam resilire aut deflecti potuit, propter dissidentium Ecclesiarum motus, episcoporum Orientalium studia et hæreticorum molitiones. Intrepidus enim restitit principum petitionibus, quæ canonibus Nicænis et justitiæ legibus adversabantur; synodos horumque decreta abolevit, retractavitque, quandocumque divinis apostolicisque institutis non cohærebant; saluberrimas condidit leges, pro disciplinæ ecclesiasticæ vigore reparando atque tuendo; lapsis indulgentiam dare prohibuit, quoties pœnitentia salutari præteritam contumaciam sincero corde non retractassent; neque tandem pœnarum canonicarum relaxationes iisdem impertiri voluit, nisi aliqua publicæ utilitatis et perfectæ concordiæ causa id postulasset. Certe magnificus, atque gloriosus, et vere admirabilis in Ecclesiæ negotiis administrandis repertus est. Et potissimum quia post adeptum summum pontificatum Ecclesia quatuor horrendis illis hæresibus fœdabatur; et totus Oriens duodecim annorum spatio turbabatur, columnis Ecclesiæ dejectis aut vacillantibus; et tamen ex hac luce non prius decessit quam parta ubique pace et obmutescentibus undequaque hæreticorum turbis.

(*a*) Epist. 140.

(*b*) Epist. 141. Quæ omnes scriptæ fuerunt XV cal. Septembris anni 460.

(*c*) Liberatus diaconus, in Breviario, cap. 15 et 16.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

APPENDIX

AD PRIMAM PARTEM VOLUMINIS.

* EPIST. LXXXVIII.

De privilegio chorepiscoporum sive presbyterorum.

Leo Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis episcopus universis Germaniarum et Galliarum regionum episcopis salutem.

Cum in Dei nomine in Romana Ecclesia synodum episcoporum, sive cæterorum consacerdotum Christique fidelium [a] coadunatam habuissemus, et de ordinationibus illicitis, super quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium sermo pervenerat, atque de aliis necessariis ecclesiasticis negotiis tractantes, sacrosque canones relegentes, solerter egissemus, [b] a multis lacrymabili vultu relatum est nobis, quod quidam Germaniarum ac Galliarum urbium episcopi frequenter chorepiscopos, qui juxta canones Neocæsarienses, sive secundum aliorum decreta Patrum iidem sunt, qui et presbyteri vel presbyteros destinarent qui absente pontifice altaria erigerent, basilicasque consecrarent. Quod quidem non est mirum id præcepisse viros ecclesiasticæ disciplinæ ignaros, quod est canonicæ regulæ contrarium, et statim a sæculari militia in **1271** sacerdotale ministerium delegatos atque promotos. Ergo ne ultra talis a vobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit, scientes quia sicut chorepiscopo vel presbytero illicita consecratio est altaris, ita et constitutio. In divinis enim litteris, præcipiente Domino, solus Moses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit, qui utique summus sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo : *Moses et Aaron in sacerdotibus ejus.* Ideoque id quod tantum facere principibus sacerdotum jussum est, quorum typum Moses et Aaron tenuerunt, omnino decretum est ut chorepiscopi vel presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamvis cum episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novæ etiam ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, [c] sicut presbyterorum et diaconorum, aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris ac benedictio vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec ecclesias vel altaria [d] consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum sanctum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare,

1270 CANON VII.

Concilii Hispalensis secundi, tempore Sisebuti regis anno Christi DCXIX celebrati,

Ex editione Garsiæ Loaysæ.

Septimo examine relatum est nobis venerandissimum quondam Agapium Cordubensis urbis episcopum, frequenter presbyteros destinasse, qui absente pontifice altaria erigerent, basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum id præcepisse virum ecclesiasticis disciplinis ignarum, et statim a sæculari militia in sacerdotale ministerium delegatum. Ergo ne ultra talis a nobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit : scientes quia sicut presbytero [e] *illicita consecratio est altaris, ita et constitutio. In divinis enim litteris, præcipiente Domino, solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit : utique quia summus sacerdos Dei erat, sicut scriptum est :* Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus. *Ideoque id quod tantum facere principibus sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses et Aaron tenuerunt, presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamvis cum episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio,* [f] *quædam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut presbyterorum et diaconorum, ac virginum consecratio; sicut altaris constitutio, benedictio vel unctio. Si quidem nec licere eis ecclesiam vel altaria consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare; sed nec publice quidem in missa quemquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita esse presbyteris,* [g] *quia pontificatus apicem non habent, atque solis deberi episcopis, auctoritate canonum* [h] *præcipitur : ut per hos et discretio graduum et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur. Sed neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem*

* Vide notam in textu parenthesibus inclusam supra col. 760, C. EDIT.

[a] Vulgati cum quibusdam codd., *coadunatum*. Ex ms. S. Crucis in Jerusalem signato num. 237 emendavimus.

[b] Idem cod. S. Crucis, *a quibusdam*.

[c] Al. in duobus mss., *Cæsarienses*.

[d] Ms. S. Crucis, *sicut est presbyterorum et diaconorum ac virginum consecratio.*

[e] Idem cod., *consecrare permittimus.*

[f] Al. ed. add., *Chorepiscopo.*

[g] Al. ed. add., *quædam tamen auctoritate veteris legis.*

[h] Al. ed. add., *vel chorepiscopis.*

nec publice quidem in missa quemquam **1272** pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt chorepiscopis, qui ad exemplum et formam septuaginta discipulorum esse noscuntur, vel presbyteris, qui eamdem gestant [a] figuram : quoniam quamquam consecrationem habeant, pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia solis deberi summis pontificibus auctoritate canonum præcipitur, ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur. Sed neque coram episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere aut signare, nec pœnitentem sine præceptione episcopi sui reconciliare, nec eo præsente, nisi illo jubente, sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito B populum docere, vel benedicere aut salutare, nec plebem utique exhortari.

A *tingere aut signare, nec pœnitentes sine præcepto episcopi sui reconciliare, nec eo præsente sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito, populum docere, vel benedicere aut salutare, nec plebem utique exhortari* [b].

[a] Editi, *formam*. Duorum nostrorum exemplarium collect. 11 et 20 lectionem prætulimus.

[b] Al. ed. add., *Quæ omnia eis a sede apostolica prohibita esse noscuntur.*

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM MEMORABILIUM

Quæ in priore parte tomi continentur.

A

B

C

M

N

O

P

INDEX

PRÆCIPUARUM RERUM

Quæ in posteriore parte tomi continentur.

B

C

D

E

F

G

H

I

Q

R

S

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

LIBER II.

FINIS TOMI QUINQUAGESIMI QUINTI.

20

25